ANDREAE CHRYSOSTOMI IN ZALUSKIE ZALUSKI ... EPISCOPI, ...

ANDREÆ CHRYSOSTOMI IN ZAŁUSKIE ZAŁUSKI,

Primò Kijoviensis, postea Plocensis,
& nunc Varmiensis

EPISCOPI,

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPIS,

DUCIS SIELUNENSIS,

TERRARUM PRUSSIÆ PRÆSIDIS,

ET SUPREMI REGNI POLONIÆ CANCELLARII.

EPISTOLARUM HISTORICO-FAMILIARIUM TOMUS SECUNDUS

Obitum JOANNIS Tertij, Scissionem, Pacificationem, Motus Litvanicos, Tractatus cum Porta Othomannica, & alia acta usque ad annum 1701. *exclusivè*

CONTINENS.

BRUNSBERGÆ
TYPIS MANDATUS. ANNO SALUTIS MDCCXI.

LECTORI.

NON tardo promissionem meam, sicut quidam existimârunt. Quemadmodum enim Dominus DEUS cœpit, ita perficit in me gratiam suam. Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, sed sufficientia nostra à DEO est.

Hærent quidẽ fixæ animo publicæ privatæq; curæ, cùm in officio laborioso, & addã, invidioso, nihil faciendũ est, quod non debeã, nihil prætermittendũ, quod debeam: attamen non labescente vestigio insistens, cum Zenone; omnia negotia de negotio dejicio, & quasi uni huic vaco, dant utiq; testimoniũ, non verba, sed

opera, cùm non quantum intendo, ſed quantū poſſū, occupando celeritatē celeritate, quæ fortiter cœpi, conſtanter ago, ne priuſquam ad metā venerim, deficiam.

Semper ego in vitæ curſu meæ laboravi, nunquam (moram pro me habens) dicere volui: quieſcam: quis uſus horologij, cùm quieſcit? Odio proſecutns ſū ſemper vitam deſidioſè langvidam, ingloriè tranquillam. Ita etiam nunc non fatigor, nec conquieſco, tantus eſt operis ardor. Nulla ſegnis illucet dies, non tranſeunt ſteriles ſine labore menſes, nullus cunctationi locus in opere, quod non poteſt laudari niſi peractū, & defeſſis membris, carioſæq; ſenectuti non parcens, eò adducor, ut turpe putē deſinere. Currant alij ad immortalitatē nominis, mihi volare libet. Simulent nonnulli occupationes & augeant, & ipſi ſe occupent, ego quamvis non ſim temerariꝰ æſtimator mei, ut de me ultra, quod eſt, præſumā, tamen damno illius Nationis morem, quæ parvā morā quatuor & decē annis computat, Prophetas fortè imitari volens, qui citò venturū dicebant, qui annis pòſt quingentis venit; ego dicere poſ-

ſum,

ſum, quod paucos menſes integros habui, quibus rem confectam LECTORI præſento. Non autẽ citò ſcribendo fit, ut bene ſcribatur, ſed diligenter ſcribendo, fit ut citò: Scripta enim mea non ſoleo torquere cum illis, qui de ſingulis verbis in conſiliũ veniunt. In vetere via novam ſemitã non quæro. Rumores credulitate non alo, quorũ Author nullus exiſtit. Omitto ea, quæ magis juvat ſcire, quàm prodeſt, & ea, quæ neque ſcire compendium, neque ignorare detrimentum ullũ eſt. Scribens tantùm, quæ tempus monebat, hanc hiſtoriæ legem obſervavi, ut judicium animi citra damnum affectûs proveherem, & ita ſi culpa aliqua eſt, non Scriptori, ſed ſcriptæ veritati adſcribatur. Quod bonum facere non poſſum, efficio, ut ſit quàm minimè malum; id autem, quodcunque poteſt manus mea, inſtanter operor, perſtringo, colligo, & breviter complector, ut habeant docti, quæ cognoſcant, indocti, quæ condiſcant.

Neſcio, quomodo ardua & difficilia in ſuſcepto negotio, felici exitu conficiantur ita, ut etiam premere quandoque debeã calamum plura conantem. Neſcio ipſe,

& miror quandoq; quomodo creſcat opus, quomodo aſcendat ſicut virgultum, tanquã magna molimina ſæpe aggreſſu ipſo finiantur. Sed video nunc, quòd quæ tarditate conſilij conceperam, celeritate maturantur, & gaudeo ita fieri, non enĩ cœpiſſe ſumma laudum eſt, ſed perfeciſſe.

Suaviter & concinnè atque elaboratè dicere non jam ætatis noſtræ opus eſt; nec quod fuim9, ſumuſque, cras erim9. Non eadem eſt ingenij fortuna & temporis, & ſæpius vota noſtra præfixum ſcopum non attingunt, ſæpéque ingentes conatus, debiliores jam vires deſtruunt, quibus dandum eſt & ignoſcendum, ſi ad ſumma quæque tendentes, non niſi media attingant. Ideoque ſufficiat rem, ut ſe habuit, non diſſolutè prorſus exponere.

Virtutem mihi ſcribo hæredem, non ambitionem, nullo enim præmio invitatus, ſed ſolâ benefacti gloriâ, & conſcientiâ contentus. Beatos putans (cum Plinio) quibus DEI munere datum eſt, aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda; beatiſſimum verò; ut ait idem: cui utrumque.

Æta-

Ætatem Reipublicæ mancipatam obſequio ſemel, non placet emancipare unquam; & propterea opus hoc aggredi, non ſolùm me decuiſſe, ſed etiam debuiſſe fateor; publicis enim impendo affectum, ut poſſim prodeſſe Patriæ, cui natus ſum; cùm ad id ex profeſſione mea obligari me credo. Officium Medici eſt ſanare, Officium fabri eſt ſtruere &c. Qui leget librum Officiorum Ciceronis, inveniet officium boni Viri; ut remiſſum in obſequium Reipublicæ habeat aliquando animum, nunquam ſolutum: ad culmen enim veræ gloriæ venitur eundo, non aſpirando,quoniam vita ipſa, quâ fruimur, brevis eſt, memoriam noſtram, quàm maximè longam efficere neceſſe eſt.

Feſtinandum proinde credidi, perficiendum opus, neſcio an ſuperabile, magnum? nam labimur ſævo rapiente fato, ducimur ſemper nimia pompa morti; ac proinde quanquam anguſto temporis limite ſeptus, tamen aliquid boni relinquere conatus ſum(fiet id, ſi ille volet, qui ſuper nos eſt & poteſt)ne deſti-

deſtituerem laborem in ſemine, perducere volebam ad meſſem, quia ſæpius periculoſum eſt in magnis negotijs hæſitare. Parum eſt crucem humeris recepiſſe, niſi eam deportaveris uſque ad metam, turpe eſt cedere oneri, & luctari cum officio, quod ſemel aſſumpſeris. Major eſt gloria dixiſſe, quod noveris, quàm ſiluiſſe, quod neſcias.

Spem proinde, imò ſpei fiduciam in DEO habeo, ſi me fortuna non fefellerit, conſecuturum me, ut non modicæ opera hæc utilitati Reipublicæ eſſe, & nunc, qui vivunt, ſentiant, & in poſterum memoria teneat; nam quidquid ſcribo, vel ſcripſero, facio tam diligenter, quàm libenter, ut futura præſentium, præſentia præteritorum collatione trutinet LECTOR, ut ſeipſum rectè dirigere poſſit ad præteritum tempus memoriam accommodans.

Aggredior multa, nec facilia, & non diffido de me ipſo. Quidquid verò non potero aſſequi, non poſſe me gaudebo, ut enim felicitas eſt, quantum velis, poſſe, ſic dum bene conſulta ſucceſſus deſtituit;

tuit, æquanimitas eſt velle, quantum poſſis. Si quis volet dare meliora, favebimus utroq; pollice, quanquam voluntatem bonam nunquam in ſolutum accipiemus.

Si quid in cujuſpiam dictum putetur contumeliam, dictũ non fuiſſe eo animo, nec cogitatum quidem, teſte profiteor conſcientiâ, imò dictum non dictum eſto, nec dictum volo. Si ficus, ficus, ligonem nomino ligonem, & inde aliquis læditur, patientiã habeat ſuper veritate. Pedibus ingredior, natare enim non didici. Naturâ mihi ipsâ inſitum eſt, ut quanquam nullum in me virtutis ſplendorem agnoſcam, tamen eos, qui virtuoſi ſunt, vel in quibus aliqua virtutis ſignificatio elucet, penitus diligo & obſervo. Illos verò minùs curo, qui cùm habeant inveteratam jam errandi voluntatem, geſtiunt impetrare errandi libertatem, ſive impunitatem, locuſtas transformando in gigantes, culices in elephantes, multa falſa malè credulis, per mendacia venenata perſuadendo, & frequentius ad normam Delphici oraculi, neq; dicendo, neq; abſcondendo, ſed judicando ſolùm.

DEVM unicum Patronum, Tutorem, Advocatum, operis hujus Protectorem in-

voco, cui ſoli ſervire nunquam voluntas optima mihi defuit, quanquam poteſtas mihi in multis aberat, Unus DEUS, qui eſt ſuper omnes, per omnia, & in omnibus nobis, cui ſervio à Progenitoribus meis. Si quid autem involuntariè irrepſerit, quod ſcandalum cauſet aliquod, parcatur ſponte confitenti, id tamen advigilavi, accuravi, ut potui, ne fieret, & idipſum S. Sedi non addictus, ſed mancipatus, damno, quia non aliam me viam ſalutis nôſſe, quàm hanc, quæ per unum illum Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, & rectum limitem ducit. Soli ac ſolidæ Petræ innitor, nec vellem unquam ſolœciſmum contra conſcientiam facere, & renovato Phàëtontis exemplo temeritatis dare pœnas. Expendat proinde bona LECTORIS æquanimitas non ſonitum verbi cadentis, ſed intentionem ſcribentis, interpretando hæc Chriſtianâ probitate, non prout allegantur ab alijs, ſed prout à me ſcribuntur.

Cæterum non recuſo audire malè, dum Religioni & Patriæ conſulo. Si quis odia in me obtrectator conflare voluerit, conflata LECTOR ne concipiat, concepta ne retineat, iſte theſaurus ſimilibus

in

in lingva ſitus eſt, ut mali maledicant bonis, ita nunc vitia religioſa ſunt, ut non modò non videantur, verùm etiam colantur. Bifacem multi, ut Chryſoſtomus meus ait, habent mentem & morem, præſentibus bene loqui, abſentibus detrahere, ſed ſi illos delectat celſitudinis locus, prius via exerceat laboris, & ſi volunt corrigere delinquentẽ, apertè increpent, tantùm non occultè mordeant. Ac proinde ſi quis mea hæc improbat, dico ipſi audacter; legiſti, ſed non intellexiſti, ſi intellexiſſes, non improbaſſes: credo enim, quod bonus LECTOR gratiam mihi habebit, certè debebit, & non inveniam modò veniam, ſed laudem. Nam ſcribo, ne famæ meæ, aut exiſtimationi aliqua labes ab iniquis, & omnia in pejorem partem interpretantibus aſpergatur, qui ſi cœlum coquere, & maria ſorbere poſſent, facerent, ut neq; Terra, nec Cœlum, nec mare eſſet. Vix apparet ulla virtus, gloria nobilis, & ſtatim illam cenſura vexat, ſuoq; comedit fremebunda dente ſemper mordens injuria. Ut det venenum, addit mellis aliquantum, ut per id, quod dulce eſt, lateat, quod amarum eſt, & bibatur ad perniciem, & ſic nulla opera

efficiet rectos incedere cancros. Quamvis illis id dicendum reor: quid tibi cum gladio? dubiam rege navita puppim, non hæc ſunt digitis arma tenenda tuis. Vel cum Cypriano Martyre: corruptores Evangelij, atq; Interpretes falſi extrema ponitis, ſuperiora præteritis. Ergo de me multi jã multa loquantur, optima quæq; boni, peſſima quæque mali. Qui inimicus eſt, teſte Hieronymo, etiam in ſcirpo nodum quærit, amicus prava quoq; recta judicat. Quivis actus alienos inquirit, alienæ vitæ quivis cenſor eſt. Ipſa Principum Decreta popularis judicij trutinâ ventilantur.

De veritate horum quæ ſcribuntur, nemo dubitet. Vera ſcribuntur, etſi vulgariter, quia malo videri verax, quàm fucatus. Juſti ſunt ſenſus mei, non eſt in eis pravum quid, neque perverſum, rectos eſſe ſenſus meos curavi intelligentibus, & æquos quærentibus voluntatem. Non oblitus moniti Auguſtini: ſi vis eſſe templum veritatis, frange idolum falſitatis. Tam vera proinde ſunt, quæ hic ponuntur, quàm ipſa veritas, quæ dicenda ſemper eſt & ubiq;, & ſimplex veritatis fides ambitioſo Eloquentiæ major eſt mendacio.

Quæ neſcivi, à ſcientibus conquiſivi, nemo quærit viam ab ignorantibus, ſed à ſcientibus eam, nec vellem, ut aliquis dicat: mirabilia facta ſunt in terra, Prophetæ prophetabant mendaciũ, & Sacerdotes plaudebant manibus, & populus meus dilexit talia.

Et quamvis vulgi opinio ignara quidem atque indocta multa aliter ſentiat, veritas ſuo demoveri loco haud quaquam poteſt, quia magna illius eſt vis, quæ contra omnes inſidias facilè ipſa emergit. Quis tam nequam eſt, ut mentiri velit, cùm vero ſe poſſit tueri? Subjicio me libenter cujusvis judicio, etiam inimici, ac adſcribo me pœnæ, quam falſi teſtes merentur, eò magis, quòd non ſcribo quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam, ut erroris obſcuritate deterſa, facillimè veritas eluceſcat, cui ſemper una facies, & unus vultus. Numquid gratiam colligere poſſet rea læſæ veritatis narratio?

Breviter aliqua tango, volens cum Parrhaſio Pictore, ut plùs intelligatur, quàm pingitur. Suaſerunt id occupationes meæ, quæ pauciſſimis verbis plurimas res comprehendere coegerunt. Evitavi autem

 ſe-

ſeriò id, quod frequenter ingenioſis accidit adoleſcentibus, ut dum nimis exacti ſunt, labore conſumantur, & in ſilentiũ uſque deſcendant nimiâ bene dicendi cupiditate. Nam nimis elaboratè hæc ſcribere nolui, ſi primas habere non poſſum Eloquentiæ, ſecundas certè habebo partes modeſtiæ, à qua ſcribendo & aſſerendo, quidquid ſub manum venit, tanquam à matre Sapientiæ non abeo, memor me hominem eſſe, errare poſſe, labi poſſe. Si verò unquam in hoc & in alijs operibus fui, aut ſum aliquid, etiamſi nunquam aliàs me fuiſſe conſtanter credo, tum profectò doloris magnitudo quandam dicendi mihi vim dedit. Sicut aperiuntur labia, ut prædicent, ſupremâ movente gratiâ: ſic extenditur manus, ut recta ſcribat.

Multa occurrebant, ſed illa rejeci, quæ ſine authoritate diſperſa, quibus malignitas initium dedit, incrementum credulitas; cùm ſciam nulli, etiam innocentiſſimo non poſſe affingi, & accidere fraude inimicorum falſa vulgantium. Prudens verborum indoctos decipere poteſt, ſed cautus AUDITOR aut LECTOR citò de-

deprehendit insidias, & cuniculos, quibus veritas subvertitur, & apertè id in luce demonstrat.

Inserta sunt quædam, ut extra votum ita & extra scitum, cùm non quò propositum, sed quò voluntas adjuvantium quandoque in absentia mea duxit, eundum erat, sed LECTOR separet à spinis rosam, à terra aurum, à concha margaritam; nec pennæ meæ pœnam, nec calamo infligat malæ interpretationis calamitatem. Possunt enim inveniri, quæ melius tacuisse fuit, in maximis utique etiam viris, semper est, quod ignosci debeat, præcipuè cùm hæc carptim saltuatimq; in lucẽ prodeant, cùm quivis mavult, quod tenet, quã quod sperat. Cùm volatilia alatilis temporis ludibria fragiliter splendida urgebant.

Singula, quæ sunt necessaria, complecti cupiebam, sed dum densior instabat gestorum series, dicendorum sequentibus undis obruebar. Ut optima quæq; voluissem, id in animo meo situm erat, ut autem exequi potuissem, secundâ etiam mihi fortunâ opus erat. Facio, quod meis superest viribus, tibijs cano, dum tubis non possum, reliquum DEO relinquo,

cu-

cujus eſt & nos perdere, ſi velit, & corrigere mala gentis noſtræ, quam de non eſſe, in eſſe perduxit.

De Rege JOANNE adhuc quædam dicenda erant. Cujus facta inter admiranda potiùs, quàm inter imitanda reponi debent. Vtiq; & Lipſio ſemel parentare ſatis non fuit, nec ſemel laudare ſatis.

Sed jam finio, memor, quòd quicunq; dicit ad rem, quæ non pertinent, duas locutus ſyllabas, prolixus eſt, prius tamen LECTORI illud in memoriam reducam: Pulchrum eſt in Majorum ætates redire, ac ingentia ævi prioris intervalla horarum aliquot anguſtijs cõmittere. Perdius ac pernox (monet Caſſiodorus) Patrũ memorias revolve, ſcrutare Gentis tuæ res geſtas & Annalium monumenta obſerva, turpe enim eſt in Patria ſua peregrinum agere. Non te prætereat, monet Eccleſiaſtes, narratio ſenum, ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis.

Scribere plura cum DEI adjutorio adhuc intendo, prodeſſe enim Patriæ meæ quò ad facultas erit, non deerit voluntas.

AMI-

I.

AMICO CONFIDENTI

17. Junij Varſaviâ.

Dignitatum collatio, acta in Senatûs conſilio, & colloquium cum infirmo Rege JOANNE III. de teſtamento condendo refertur.

IAm dudum, ex quo nullæ tuæ ad Me literæ, quanquam meæ frequentius erant ad Te. Quoties Tibi, quaſi mihi ſcribo; ubi enim Tu es, me eſſe confido. Ex ultimis meis Varſaviam me ire legiſti, ubi poſt conſecratam Eccleſiam in Okunin, Regem ſat incommoda valetudine langventem reperi; qui tamen poſt Aſcenſum Domini Felkierſam ad Livonienſem vacantem, Czerniechovienſem Palatinatum, Fratri Meo Franciſco Caſtellano Voynicenſi pleno affectu contulit, libenſq; ſubſcripſit. Meum eſt, quidquid meis impenditur, mihi datur, quidquid infunditur viſceribus meis. Caſtellaneatus autem vacans Domino Szembek, & poſt eum Fratri minori natu Joanni, Aulico Principis Alexandri Capitaneatus Biecenſis ceſſit. In craſtino valedicebat Regi Andreas Sanctacrucius Apoſtolicus Nuntius, qui ad ſimile munus exercendum Viennam deſtinatus. Nefas eſt debitæ laudi & æſtimationi Prælati hujus quidpiam detrahere, quamvis multis haud æquè ſentientibus ſinceritas ejus ſimplicitatis fuerit argumentum. Utinam Succeſſor, quiſquis demum ille deſignatus fuerit, zelum ejus in Principalis ſui obſequium & affectum in Poloniam imitetur. Habuiſti à me ante aliquot menſes veram, ut nata eſt, ejus diſſenſionis cum Cardinale Primate narrationem, ergo hac non moror. Invitatus fui ad dicendam funebrem Panegyrim in exequijs ad Sanctam Crucem Principi Antonio Czartoriſki, quam eò libentius dixi, quò ardentiùs defunctum amabam, & his, qui ad eum pertinent, ex animo obſequi deſiderabam.

Dignitates conferuntur.

Senatûs quoq; Conſilio 2. Junij abſoluto adfuit Cardinalis Primas: in quo primum punctum erat; an Sereniſſimus Rex valetudinis curandæ causâ thermas petere poſſit; & ab omnibus in affirmativam itum eſt ſententiam, quis enim auderet contravenire conſilio, quo tam neceſſariæ publico Reip: bono providetur incolumitati.

Senatûs Conſilium.

Rex ad thermas proficiſci poteſt.

Secundùm ut moneta, hoc eſt, parvorum, ut vocant, ſzoſtacorum, quibus nos vicina Sileſia implevit, aboleatùr, & in Regno ne currat omnino prohibeatur; Sententiæ tales erant Senatorum, & Regis concluſio.

„Bene ſcimus Societatem humanam etiam cùm longè & longiſſimè „diſſitis Regnis ac Regionibus, nullo magis firmari vinculo quàm probâ, „cujus valor ubiq; terrarum acceptetur, monetâ. Hæc beatitudinem huma-

Moneta nō proba abolenda.

A.C.1696, nam, & in altissimo throno felicem reddit, & inter pauperes velut ,unicum mendicantis fortunæ patrimonium, sustentat, ita ut tanquam ,quintum elementum justè vocetur. Quâ vel accisâ aut adulteratâ ruina ,Regnorum necessariò subsequitur. Felicitas hæc benè ordinatorum Im-,periorum & rerump: quòd in rem monetariam vigil habeatur oculus, ,qua veluti vitali aura omnes status beari queant.

Hoc si negligitur, ad incitas omnia vergunt, cum aut pretia monetæ ,proportionata vi stabiliri debeant, aut commercia intercidere. Quis mul-,tum instabit operi, ubi vel modicum lucrum vel magnum subsequetur de-,trimentum? Quis militiæ nomen dabit, si arma, vestes, victusq; non ni-,si carò, imò carissimè steterint? Nonne artifices operâ manuum viventes ,aut immenso pretio omnia vendere, aut à labore cessare cogentur? Quo-,modo Nobiles cum improba moneta exteras invisent nationes? Nonne ,accisâ moneta rerum omnium sequetur diminutio? Decem millia re-,dituum in annos singulos tibi obvenerant, nunc vix quinq; obvenient. ,Decem millibus terrestria tibi stetère bona, nunc ad quinq; valor eorum ,reducetur. Hac monetæ depravatione ingens usurarijs accrescit emo-,lumentum, creditores depauperantur, cum moneta boni pretij mutua-,ta, pòst longè inferioris refundatur. Nemo hac se vana spe alat, pretia ,rerum fore diminuenda, fieri id nequit. Nihil in nobis hactenus, nihil su-,per nos portamus Poloni, quod sit proprium Regni Nostri, excepto cor-,pore, quod à Parentibus accepimus; omnia sunt exotica, quidquid etiam ,in cibo, potu, & vestitu est pretiosius, quod plus nimio amamus ipsi; ,nihil est nostrum nec nostræ jurisdictionis, & hoc comparari nequit mo-,netâ, quæ regnum nostrum inundavit. Nonne ergo aucto rerum pre-,tio damnum ingens promanat, lucrum ubiq; cessat, exinanitio oculis ma-,nibusq; palpatur. Ad quid tot Commissiones & statuta, in irritum ca-,dunt omnia, nisi sanciatur, ut hæc moneta aboleatur, priusquam de in-,trinsecæ bonitatis valore præscribat. Sancitum itaq;, commissumq; ne-,gotium Domino Thesaurario, ut pro munere suo cursum ejus inhibeat, ,neve in regnum importetur, omni conamine allaboret, cui etiam omnis da-,ta potestas, refractarios, & obedire nolentes ad pœnam poscendi.

Tertium punctum erat de Internuntio, quem abiens Viennam Il-,lustrissimus Nuntius reliquit. Porrectum nobis fuit scriptum, in quo ,inter puncta Senatûs consilij pro informatione antiquiora allegantur ,præjudicata, cujus hæc sunt formalia:

Internunti-atum non inducenda.

Illustrissimus Nuntius Marescotti ex certa ratione disgustatus, e-,um animi sui protulit sensum; posse Internuntiaturam in Poloniam in-,duci, sumptusq; qui pro Nuntio Apostolico expenduntur evitari: licet ,hoc antea practicatum non fuerit, cui propositioni subjunxit Cancella-,rius seu Notarius ejusdem: si usus ante non fuit, ergo nunc introdu-,catur. Et sic in abitu suo, Idem Illustrissimus Nuntius eò conatum su-,um intendit, ut ad praxim id deduceret, Carolum Sartischi titulo In-,ternuntij Regi proponendo. Verùm Rex renuit approbare: & cum eo ,Regni hujus Episcopi: non obstante tolerantia Archiepiscopi Prazmo-,vij, privatis bene notis rationibus pro tunc permoti.

Cùm in abitu aliorum Nuntiorum, nunquam relictus Internunti-,us, sed tantum Acta Nuntiaturæ alicui in dignitate constitutæ perso-,næ Spirituali custodienda, & novo Nuntio restituenda commissa fue-,rint. Cæterùm Archiepiscopi Gnesnenses velut Regni Primates & Le-,gati Nati Sedis Apostolicæ exercebant totalem Jurisdictionem, donec ,veniret Nuntius cum facultatibus de latere.

Statim inhibitio facta erat Auditori Sartischio post abitum Illu-

strissi-

,strissimi Marescotti, & Illustrissimus Archiepiscopus Primas piæ memoriæ A.C. 1696
,Nicolaus Prazmowski videns Dominos Episcopos contra Internuntium
,sentientes, literas à Collegio Episcoporum ex Comitiis Generalibus Regni
,ad suam Sanctitatem datas subscripsit, impugnando cum cæteris hanc In-
,ternuntij substitutionem.

Iterum Anno 1671 ex statione Nuntiaturæ Apostolicæ revocatur ad
,Nuntiaturam extraordinariam ad Aulam Imperialem Illustrissimus Fran-
,ciscus Nerlius, qui pariter ante abitum suum declaravit se velle Varsa-
,viæ relinquere Internuntium cum Jurisdictione Ordinaria Nuntij Apo-
,stolici, Grappi Cameræ suæ Magistrum, unde volebat eundem Grappi
,Regiæ Majestati præsentare, quatenus impositam sibi functionem, Regia
,probaret authoritas.

Nerlius abiens frustra conatur relinquere Internuntiū.

Rex tamen renuit admittere ejusmodi novitatem, allegando anteri-
,ora tempora, quibus nihil simile visum, quamvis Nuntij Apostolici ab Au-
,la abirent, quibus serò quandoq; dabantur Successores.

Mense Martio cum idem Illustrissimus Nerlius Viennam versus pro-
,ficiscens Cracoviæ Regiam Majestatem invenisset, obtentâ audientiâ
,eidem exposuit, reliquisse se Varsaviæ Internuntium cum memorata
,Jurisdictione petens id gratum & ratum haberi.

Cui Rex respondit nullatenus posse se admittere talem novitatem
,anterioribus non practicatam temporibus, nec unquam sub regimine
,Antecessorum suorum concessam.

Unde ad tollendam occasionem ulterioris in hac novitate pro-
,gressus commisit Mareschalco Curiæ Regni Regia Majestas, ut nomine suo
,colloqueretur cum Nuntio Apostolico, quatenus cœptis desisteret, aliàs u-
,niversis & singulis Advocatis inhiberet, ne quispiam illorum in præten-
,so Internuntiaturæ Tribunali comparere causasq; inibi promovere præ-
,sumeret sub pœna centum Aureorum & trium Mensium carceris, to-
,ties quoties contraventoribus alijsque arbitrarijs irroganda.

Hæc Inhibitio fuit publicata in Residentia & in Præsentia dicti Grap-
,pi & Advocatorum.

Circa Dominicam Palmarum post reditum Regium Varsaviam, pe-
,tijt Grappi admitti se ad Regiam audientiam, quam sua Majestas spe-
,cialem negavit, aditum tamen in publico unà cum cæteris Aulæ Comiti-
,bus concessit non tanquam Internuntio, sed velut Domino Grappi. Qua
,ille contentus declaratione, Regiam Majestatem in conspectu Aulæ cum
,alijs salutavit.

Eadem die visitavit Procancellarium Regni Olszovium, apud quem
,dum Extraordinarium Ablegatum Imperatoris audientiam habentem
,reperisset, tantisper in Anticamera substitit, donec Ablegatus abiret. Ad-
,missus post ejus discessum omni humanitate tractatus fuit, sine men-
,tione tamen ullâ Characteris Internuntij. Post abitum Grappi misit
,ad eum Procancellarius Domesticum suum Canonicum cum ea denun-
,tiatione gratam sibi fuisse illius visitationem. Sed idem per memoratum
,Canonicum significari fecit, aliter se non accepisse visitationem Grappi,
,quàm familiaris amici humanitatem, non verò Internuntij Apostoli-
,ci (: cum etiam idem Grappi non petierit audientiæ horam :) obstan-
,te vel maximè Regiæ Majestatis expressâ voluntate, ne pro Internuntio
,admitteretur. Et hæc est series facti cum suis circumstantijs.

Rationes verò propter quas sua Majestas inhibuit exerceri functi-
,onem Internuntiaturæ ejusdemquè Erectionem, hæ sunt:

Cur nō admittenda Internūtij Institutio.

Quia nemo potest publicam Personam inducere, multò minùs e-
,xercere Jurisdictionem sine debitis requisitis, quorum indubitanter præci-

A.C.1696, puum est Consensus Principis, in cujus Dominio prætenditur exercitium
,, Jurisdictionis.

Nuntij debent exhibere Breve Pontificiũ.

Quia ipsi Nuntij Ordinarij antequam incipiunt exercere Jurisdicti-
,, onem solent in recognitionem Supremi Dominij præsentare Breve Ponti-
,, ficium Legationis suæ, Regiæ Majestati & Principalibus Regni Ministris
,, & aliquibus primis Senatoribus sæcularibus ad latus Regium residenti-
,, bus. Sic obtinetur facultas à Regia Majestate aperiendi Tribunalis Nun-
,, tiaturæ. Quæ consuetudo jam amitteretur, si Jurisdictio successiva nec
,, interpellata à Nuntio ad Internuntium, ab Internuntio ad Nuntium,
,, velut per manus traderetur & continuaretur sine licentia & cum de-
,, rogatione ac postpositione Regiæ dignitatis.

Præjudicium ab Internuntiatura.

Sequeretur præjudicium, si sæcularis Persona judicaret Causas Eccle-
,, siasticas, quo exemplo, ut in Comitijs, ita in Tribunali Regni, præten-
,, derent sæculares Episcoporum & alias judicare Personas Spirituales & cau-
,, sas eorum, allegando exempla Sartischi & Grappi personarum merè
,, sæcularium. Inde quanti motus & collisiones nascerentur, facilis conje-
,, ctura. His igitur inconvenientiis Regia Majestas obviando damnosam
,, novitatem fieri non permittit.

Aliæ aulæ non præjudicant.

Quia rationibus allegatis per Illustrissimum Nerli in Polonia locus
,, dari non potest: quarum præcipua est: aliorum Regum in Aulis admitti In-
,, ternuntios in abitu Nuntiorum. Ad hoc enim respondetur: Aulas esse
,, varias, varium earundem interesse promovet Principes, ut hæc & illa
,, fieri permittant vel prohibeant.

Nec exemplum Prazmovij.

Sic videmus aliter se habere Nuntiaturam Hispaniæ, aliter Galli-
,, cam, aliter Viennensem, omnes diversis nituntur respectibus & usibus.
,, Unde unius Aulæ Regula non potest alteram regulare. Nec potest al-
,, legari acceptatio Internuntiaturæ per Archiepiscopum Prazmovium fa-
,, cta, cum idem Archiepiscopus subscripserit literas collegialiter scriptas in
,, contrarium, ac ejus factum & contrarietas non erat Norma cæterorum
,, Episcoporum, prout id expresse declararunt Illustrissimo Nerlio Illustrissi-
,, mi Cracoviensis & Culmensis Episcopi Cracoviæ præsentes, ubi Regia
,, Majestas ex rationibus Status, & instantia Prælatorum Regni sui,
,, qui prima occupant subsellia, hanc novitatem Regio suo impugnavit
,, dissensu, allegando pro tunc, quòd Nuntius sive Legatus aut deputat
,, Internuntium, postquam ejus legatio est revocata, aut ante revoca-
,, tionem?

Si post revocationem, non habet facultatem substituendi, aut dele-
,, gandi, quia cum ejus Jurisdictio expiraverit quoad se, multò minùs po-
,, test transferre in alium Jurisdictionem, qua caret, & nemo dat, quod
,, non habet.

Si ante revocationem? admisso quòd potuerit delegare, tamen finita
,, legatione per egressum ex Regno, sicut cessat ejus Jurisdictio, ita etiam
,, expirat Jurisdictio ab eodem Nuntio delegati, ut est conclusio certa a-
,, pud Legistas & Canonistas.

Rationabile igitur est sperare, suam Sanctitatem, postquam in præ-
,, senti negotio informata fuerit, præsertim ex justis Regiæ Majestatis
,, motivis, non permissuram hanc in Regno novitatem, quæ publicæ
,, tranquillitati est contraria. Potiùs benignissimè acceptaturam illa, quæ
,, communi satisfactioni studere censentur, obviando in posterum inconve-
,, nientijs plurimis, prout testatur anteactorum memoria de annatis & cor-
,, tesanis Romanis & de Electionibus Capitulorum.

Præmissa hac scripta Informatione Archiepiscopus Olszovius subjun-
,, xerat sequentes rationes:

Quia

Quia sui Antecessores ab Anno 1515 quo obtinuerunt prærogativam *A C. 1696.*
, Legati Nati erant in possessione totalis Jurisdictionis sine ullo exem- *Rationes Ol*
, plo Internuntiaturæ: *szovij, cur*

Illustrissimus Prazmovius non poterat præjudicare successoribus su- *non inducendus Internuntius.*
, is, nec renunciare prærogativæ, quæ non personam sed dignitatem
, comitatur.

Quemadmodum Illustrissimus Bonvisius Verbo & per epistolam su-
, am declaravit nolle se sequi exemplum Illustrissimi De Torre Nuntij in
, Polonia Antecessoris sui, ita Illustrissimus Archiepiscopus modernus se
, declarat non posse se sequi exemplum Illustrissimi Prazmovij sui Ante-
, cessoris.

Militat pro Archiepiscopis Gnesnensibus Jus publicum, usus continuus
, Pacificus à centum & sexaginta annis præscriptus, prout Illustrissimus
, Archiepiscopus modernus sufficientissimè probavit coram Nuntio Bonvisio
, Actis publicis Archiepiscopalibus, Historijs Polonicis, exemplis antiquis, &
, nostræ memoriæ pro Archiepiscoporum dignitate & Legationis Natæ
, sub absentiam Nuntiorum Apostolicorum exercitio militantibus.

Pœna promoventiũ causam in Tribunali Nuntiaturæ in absentia Nuntij.

Magno zelo ea materia, salva per omnia debita in Sanctam sedem veneratione, tractata fuit. Non habent status nostri in Ministrum Pontificis, majoris sit ille vel minoris sphæræ, potestatem sed in advocatos, Procuratores, Juristas (ut dicitur) habent, ac proinde ex prædicto præjudicato injunctum Mareschalcis Regni & M. D. Lit. ut illis publico edicto interdicant, ne ullam causam in Tribunali Nuntiaturæ promovere audeant usque ad Adventum alterius Nuntij, idque sub pæna centum Hungaricorum & trium Mensium carceris, toties quoties contraventoribus alijsque arbitrarijs irroganda, & pro Majori hujus executione Mareschalcus Regni Gvardias suas ante residentiam Internuntij constituit, ne quis Juristarum eò introiret.

Peracto consilio, meditabar reditum Pultoviam Ordinariam in Episcopatu Meo Plocensi residentiam, sed Regina moras injecit, quas tamdiu protrahere voluit, donec Regi serenissimo firmior rediret valetudo, cujus tamen, cum vix aliqua spes affulgeret, petijt à me futurorum provida, & plus quàm præscia ut quovis modo captata occasione Regi persvaderem, quatenus de condendo testamento, si nondum conditum esset, cogitationem admitteret. Non diu expectanda, aut captanda fuit occasio mandati hujus exequendi, cum die postero pro more meo juxta ac debito Regem adierim, qui seriò conquestus, Mercurium à se certo timore, incerta spe sumptum, qui animã forte elisurus est. Quod dum crebra inter suspiria exaggerasset, passiones & corporis & animi sui indicavit, hæcq; formalia non sine lacrymis & altùm suspirans (tanquam jam mœror solatia vinceret) dixit: & nullus erit, qui mortem meam vindicare volet?

Queritur Rex infirmus mercurium sibi datum.

Quanto illi affectu condoluerim, scit ille, qui nostros omnium dolores tulit. Quis enim hæc audiendo temperet à lacrymis? Princeps hic Magnus, votum & spes omnium non ex accidentali dono sed naturaliter bonus amorem extorquet ab omnibus etiam invitis; respondi (non ut debui sed ut potui, metus enim erat in nobis talia audientibus)

Colloquiũ cum Rege.

Immortali sæculorum Regi pro incolumitate suæ Majestatis plurimæ litantur hostiæ, bono sit animo, propitium habens DEum, quanquam omninò oporteat, æquo tolerare animo, quæcunq; de nobis ille, à quo solo est medela, statuerit. *Non* enim nostrum *est, nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, nec unquã venit ultima hora fato urgente, sed DEo potius ordinante. Multum deinde exhortans obsecravi, ut omnem apprehensio-

A.C.1696 hensionem, mœstasq; cogitationes amandet, ne earum oneri succumbat, & velut de præcipitio quodam clausis oculis se & sanitatem suam in discrimen conjiciat, afflictionem ejusmodi improbantibus medicis ac affirmantibus nihil impestivius agi posse. Resumat, ajebam Sua Majestas hilaritatem pristinam, nihil est melius, nisi lætari & facere bona in vita sua; memorq; sit illius: fac invalidum gaudere, sanatus est. Hæc & his similia in solatium; sed ille annuntians quæ præterierunt, & quæ ventura sunt præsagiens; iterum inquiebat: Sanitas mea erit, sicut hodie, sic cras & deinceps; sera nimium futura est ars & scientia medicorum, & altùm iterum suspirans, aliò flexit discursum, meq; allocutus: Dicas mihi, D. Episcope, inquiens quid facis Pultoviæ solus! quo occuparis, cur frequentius ad aulam nostram, quod Nobis gratum inprimis esset, non venis? cur in illa diutius non moraris? nunquid jam otium ita placuit, ut negotia publica relinquas? Atq; ego, ne diu responsum expectaret, reposui: unumquamq; rem ex causis spectari oportere. Scimus quàm insignis pietate est Majestas Vestra, fortissimus rerum Ecclesiasticarum, honorisque Divini Procurator, & defensor; ac proinde dum Episcopi Officio suo funguntur, ne opprobrio aut contemptui sint, gratum acceptumq; habere solet. Officium nostrum potius negotia appetere debet, quàm quietem. Quanta vero ea sint cujusvis Episcopi, si bene regere voluerit, S. Augustinus demonstrat, cum parvæ nec Nostris ullo modo comparandæ Diœcesis Hipponensis Pastor, uni ex intimioribus amicis, excusando intermissum literarum commercium scribit; tempus sibi etiam ad unius epistolæ expeditionem deesse. In specula Nos constituit DEus non otiosos alieni periculi spectatores, sed ita de salute Nobis commissi gregis solicitos, ut si quid vel in potestatem hostis venerit, vel lethali vulnere ictum fuerit, nostro sangvine, nostrâ vitâ, neglectæ custodiæ culpam eluere debeamus. Non dubito Majestatem Vestram audivisse, quæ Canonum sit mens de residentia Episcopornm in suis Diœcesibus; & quàm multa inconvenientia longiorem comitentur absentiam. Moyses etsi in vertice montis DEo commorans, ad quanta populum derelictum induxit? Cum ergo in eam præcipuè curam omnes incumbere debeamus, ut *conscientiam sine offendiculo semper habentes ad DEum & homines*, bene undiq; audiamus, solicitudinem nobis esse de grege commisso, *hoc enim magis permanebit, quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Curæ igitur mihi est, ne primæ contraveniam causæ, sed munus meum quantum in me est, fideliter exequar, firmiter injunctum & sæpius inculcatum sciens, quòd qui secus fecerit, judicium sit portaturus; ac proinde dum hoc fungor officio, otium non ago, non secus ac agricolæ, quibus dum per tempestatem ruri laborare non licet, domi quod agant, reperiunt. Liberior à functionibus publicis, libros evolvo, volvendo tædium levo, levando assequor, ut minimè sim solus, sed in præstantissimorum virorum cœtu, qui vocali silentio optima suadent & ab omni vanitate mundi abstrahunt. Ultimis verò hisce septimanis tædiosa quidem parum, nec omnino grata, necessaria tamen, honesta ac utilis me tenuit occupatio; nimirum perpendens conditionem humanam, adeoq; meam, memorq; illius: mortuus est Josocrates, mortuus & Plato; ac licet non ignarus, quandoq; fortunam, rectè cogitata & optimè constituta evertere, considerans nihilominus tot mihi esse Fratres & Successores ad levandam aliquam post fata mea dissensionem, facto omnium rerum mearum mobilium & immobilium inventario, testamentum confeci & quidem eò libentiùs, quòd materia circa quam, ea profectò sit, quæ spiritualem virum maximè deceat. Quod suo tempore fit, bene fit, magnopereq; laudandum est. Feci proinde quæ necessariò facienda credidi, & quæ omnibus

Munus Episcopi.

Captat occasionē loquendi de testamento condendo.

omnibus probis probari debent: qui posteritatis judicia ad se pertinere intelligunt, & ea re famam quærunt, quæ sola omnium ferè temporum injuriam ita effugit, ut ab ea vires etiam ac incrementa accipiat. *A C.1696.*

Non ampliùs loqui Me bonus Rex permisit, sed ridendo validè (ut ejus in similibus consvetudo erat) exclamavit: O! Medici mediam pertundite venam! Et pòst diligenter, stupentem me magis quàm mirantem inspiciens, mixto cum aliqua indignatione risu in hæc prorupit verba, frequentius ea repetens: Tu Domine Episcope, tu scilicet cujus ego prudentiam non minus æstimavi, quàm judicium, tu ad conscribendum testamentum accessisti? & quomodo tempus, cujus jacturam doles in alijs tam frustra in re non minus inutili, quàm minimè necessaria terendum duxisti? tu testamentum scribis ter vel quater eadem repetens verba; & ego cum me facere & justè facere iterum iterumq; dixissem; ille iterum iterumq; eò magis cœpit & illud Ruthenicum repetere proverbium: *Conflagret igne terra, comedat bos herbam, me mortuo nihil ista curo.* *Sed sine effectu.*

Ego verò tenebras menti ejus offusas, & lumini veritatis inimicas discutere, ac errorum devia monstrare volens, non omnia omnibus placere ajo, sed dum hic me bonum esse credo confundi non possum. Fiducialiter citra timorem dixi: cognoscere me, quanto inter se bonum & malum distent intervallo, nec indignantis animi motu pensandum, quod providè non temerè à me factum. Si id mihi laudi non datur, saltem in vituperium cadere non debet. Si apud Majestatem Vestram inter dignos habitus sum, me ipso inferior esse erubescerem. Fidele est consilium & omni acceptatione dignum atq; apud omnes tantæ authoritatis, ut ab ejus sententia nulla ferme possit esse provocatio; quamvis quispiam secum luctari, rationes omnes examinare, mutare, versare, volvere voluerit. Atque illud, quod semper fit, nemo futurorum providus, aliter futurum dixerit.

Veritati consentanea me dicere, Majestas Vestra asseret, ubi pro innata sibi prudentia rem ad exactiorem trutinam revocaverit, nec solùm dicta mea æquis auribus accipienda fuisse fatebitur, verùm etiam (quod verus & sincerus in Majestatem Vestram Domumq; Regiam optat affectus) facto citra moram insistere dignabitur. At ille: per amorem DEi, dicta ipse ad lancem revoca, an ne futurum aliquid boni nostrâ ætate arbitraris? cum vitia ejus ita creverint, ut vix apud DEum misericordiæ locum nobis relinquant. Non vides tantam in publicum erupisse nequitiam, sic in omnium pectoribus malitiam evaluisse, ut innocentia non rara, sed nulla prope sit, omnesque veluti signo dato ad fas nefasque permiscendum certatim convolent, jacent eversi mores, an tu illos erigere poteris? quasi sole gaudeas, priusquam diem videris, & crimina fortunatâ donare velles apotheosi? An non vides ferè certis conjecturis non infirmam modo, sed penè collapsam spem esse, quæ cum votis eluditur, ut executio post mortem nostram voluntati nostræ respondeat, jubemus viventes, nec audimur, & mortui audiendos Nos speramus? Illum judicarem beatum, supraque vota felicem, qui vivus de rebus suis disponeret, propriaq; elargiretur manu, quæ non securè post mortem concreduntur alienæ. Qui verò testamenta condentes de sapientia sibi blandiuntur, haud sanæ mentis sunt, contra spem enim in spem credunt & sæpè salutaribus consiliis spretis super alienum fundamentum ædificant, creduli se aliquid solidi extructuros, cum sit cassa nuce inanius, substantiam rerum suarum evidenti exponunt discrimini, in alienas id manus tradentes, quod in proximorum securius manere posset. Longum esset si vellem in memoriam reducere Sanctissimas dispositiones & *Cur nõ condendum Testamentum*

Regum

A.C 1696 Regum Anteceſſorum meorum & Epiſcoporum confratrum tuorum tam malè executioni traditas, vel ut melius dicam, minimè traditas fuiſſe; Madalenius Epiſcopus Vladiſlavienſis ante aliquot annos inter alia pia legata (quorum nullum ex integro executioni mandatum fuit) dederat ſummam 20 millium florenorum in Cenſum locandam qui in Comitiis daretur duobus vel tribus Nuntijs, quibus incumberet, indemnitati Eccleſiæ conſulere: & res Eccleſiaſticas defendere; & ego ſcio omnesque non ignorant hanc ſummam inter manus executorum hæſiſſe (quanquam optimos elegiſſe videbatur) nec unquam teſtamentum ſuum effectum fuiſſe ſortitum. Et iterum ſuper pravam & perverſam conſcientiam hominum ſermonem ſuum dilatando concluſit, non debere virum prudentem quidquam aliud cogitare præter ſalutem animæ, nec ſollicitum eſſe quæ poſt mortem ejus ſint eventura, eo addito: quòd nunquam etiam ſancta diſpoſitio executioni mandetur. Noſco ego multos & Vobis non ſunt ignoti, quorum alij apponentes iniquitatem ſuper iniquitatem per hoc executorum officium vix non ex mendicis divites facti, ex obſcuris clari, quorum aliqui privatas ædes publicis ſubſtructionibus ſplendidiores comparaverunt, & cœpit nonnullos numerare, ſed ego honori parco taceóque. Nihil ergo prodeſt, continuavit cum fervore, quod non nocere poſſit idem. Qui teſtatur non tantùm non obtinet intentum, quod ſibi animo proponit, ſed etiam occaſionem dat damnationis illorum, quos executores deſtinavit & veris legitimiſque ſucceſſoribus inde oritur tribulatio, unde conſolatio ſperari debuit; nihil Succeſſores juvat & executores perdit. Onerantur infamia rei malè geſtæ; ubi enim imperat aurum, judicat argentum, memoria Chriſtiani hujus obſequij aboletur, conſcientia ſilet, locum ratio & æquitas non habet. Quid ad hæc Domine teſtamentarie?

Madalenij Epiſcopi teſtamentum caret effectu.

Teſtamentarij alienis diteſcunt.

Teſtator occaſio ruina aliena.

Ego quanquam libentius ſuperſediſſem, ne credens placere Reginæ, Regi diſplicuiſſem; reverenter tamen reſpondi ſcire me quàm iniqua plerumque probis fortuna in hoc præcipuè ſit puncto; ſed ſi DEo Noſtro qui nos creavit ingrati ſumus, quid mirum eſt ſi homines fallimus. Ferre nos oportet quos DEus ipſe ſuſtinet; ſcio nos univerſos ſic circumſcriptos ut etiam quid in hoc puncto conſuli debeat, non ſit in promptu, nihilominus ſuaderem ego, etiamſi eventus ſit infelix frequenter (cuivis accidere poteſt, quod cuiquam accidit) ſtandum conſilio fortaſſe non malo, ut ex duobus malis minus eligatur.

Eſto aliqua teſtamenta executioni non mandentur, an ideo nullum condendum? à particulari non valet argumentum ad univerſa. Si facis teſtamentum, executores rapiunt, & ditantur; ſi non facis, omnes, qui rapere poſſunt, & majus eſt periculum ab omnibus, quàm à paucis; ſi multæ ſunt opes, multi, qui & comedunt eas. Non adfero excuſationes temporum. Et licet multi ſpem teſtatorum fallant, meliorum fiat delectus, quibus conſcientiæ pondus ineſt, qui fidem non ſervare longè turpiſſimum putant, quamvis effectus votis non reſpondeat, & fortuna eos invidiat, quos optabamus. Non fidamus niſi bonis, quia qui credit citò, levis corde eſt; & ſperare non ex vano poterimus, omnia vel ſaltem plurima executioni non dubiæ tradenda fore, Domino DEo cooperante; & bonas noſtras intentiones confirmante. Levabimus interim occaſiones futurarum injuriarum, & diſſenſionum. Ego quantum ad me pertinet, ita non me pudet feciſſe, ut & laudi quoque mihi ducam. Sed non profuit hic ſermo auditus Regi, ſuperaddidit enim: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum;* Cumquè igitur non eſſemus conſentientes, diſcurſum finivimus, intrante in conclave Srma Regina quæ libenter eventum

tum colloquij nostri scivisset, si illum non divinasset ex vultu meo qui *A.C.1696*
nihil læti præ se ferre potuit, eò quòd evincere non valuerim, quæ volebam, & cum intellexissem me operam ludere, eumq; omnino nolle testamentum facere, redij Varsaviam, D. Equitem Bicchi Cardinalis ejus nominis nepotem habui in prandio, cui in certis ejus negotijs, quæ sua non carebant difficultate, servivi. Jamq; hanc finire debui, cum vocor Villanoviam, deque ingravescente magis in dies Regis infirmitate certior fio, unde anxietas, horror, parum spei. Quam ut firmiorem tibi futuris deferre queam, enixè opto. Vale & me, ut ego Te, ama.

II.

CARDINALI RADZIEJOWSKI
Archi-Episcopo Gnesnensi & Primati,
Villanovâ 17. Junij. Anno 1696.

Nuntiatur mors JOANNIS III. regniq; cura commendatur.

HOC momento, id est circa octavam pomeridianam singulare Nostri Sæculi decus JOANNES III. Benefactor Noster (quotquot enim fulgemus ab ejus claritate accepimus) quâ die terrenam acceperat, hac eâdem cælestem, ut piè & firmiter credo, adeptus est coronam. Ipsâ Sanctissimæ Triadi *Moritur Joannes III. festo Sanctæ Trinitatis.* Sacrâ solennitate declaratus fuit à Polonorum & Litvanorum concordibus votis & animis Rex, hâc eadem festivitate libentiùs suo occurrit fato, quàm Regnum acceptaverat: triduo enim ibi deliberavit, hîc nec questus se mori, & Spiritu magno videns novissima coronam vitamque sanctissimè deposuit. Circa quintam à meridie horam invalescebat morbus cœpitq; sensim limini mortis appropinquare, circa octavam vivere desiit. Minimè mors humanæ sed æternæ legis subjacet imperio, & more suo facit, dum semper quod est bellissimum, carpit. Hæc rerum omnium vicissitudo est. Crediderat plus sibi vitæ superesse, sed deceptus pius & optimus Pater, ut mortales solent. Bonum amissum, dum perdidimus, plus amabimus. Medici in curanda valetudine ejus tum ipsâ sententiâ, tum etiam fidelitate satisfecerunt, nihilque neglexerunt, quod officium eorum concernebat, quamvis profuit nihil. Brevem langvorem per tot dies imò menses præcidebant, tollere non poterant; fortior quippe vis morbi erat, quàm eorum alibi probata scientia. Non dilato nec exaggeratâ narratione verbisque augere intendo dolorem omnium, qui casum hunc spectabant; quidquid enim diceretur, minus esset. Deserta hic omnis lætitia; translatum est gaudium nostrum; Afflictio Reginæ est tan- *Dolor Reginæ.* ta, ut injurius esset, qui magnam negaret; quanquam nihil ipsi adversi accidere potuit, quod in tam longâ infirmitate non præviderit; Extinctus enim profectò magis quàm mortuus; adeo longa ægritudine maceratus fuit. Suspiria, lacrymæ mœror & Principum singultus omnì momento ita crescunt, ut eâ morte conceptus dolor non modò renovari, sed augeri videatur; nec reprimi possunt, ne mœrori plus nimio etiam indulgeant; quanquam omnia hæc toleranda sunt, nec dolere consilium est, si dolor non adfert præsidiũ. Is sapiens est, qui ea vult, quæ voluisse DEũ novit. Dũ mœror comitatur abeuntem è terra gaudium excipiat advenientẽ in cælo.

*A.C.*1696 Interim Reſpublica tuum confugit in ſinum, orat, obſecrat, clamat, fidem tuam implorat, ut antequam publicæ ſalutis gubernaculo admoveas eum, qui juſtitiâ, authoritate, prudentiâ proſpiciat, ne in perpetuum pereat, Patriæ velut naufragio concuſſæ reliquias in tanto æſtu & tempeſtate tuearis. Dum Reipublicæ bene conſules, omnes tibi parere & parati & accincti ſumus, tanquam eam cauſam agenti qua nulli gravior pro Republica oblata eſt. Fac proinde Magne Princeps quod illi credis eſſe utile, venias huc, ubi tuâ egemus præſentiâ & rumpe moram.

Commendatur Primati regni cura.

III.

STANISLAO JABŁONOWSKI Caſtellano Cracovienſi Supremo Exercituum Duci,

Varſaviæ 19. Junij.

Animatur ad ſuccurrendum Patriæ. Attingitur diſſenſio Reginam inter & Filium Principem.

NON putavi fieri poſſe, ut mihi verba deeſſent, & tamen collacrymantibus omnibus, & ingemiſcentibus Regem Noſtrum 17. currentis iniquo tempore tam repente ſublatum eſſe, facilius eſt mihi miſcere cum alijs tam iuſtas lacrymas, quàm ſcribere. Manus torpere videtur ac vix audet calamum ſumere. Nulli ex miſerando præſenti rerum ſtatu gaudium, omnibus futurorum metus, cunctis præmatura hæc mors fletum ſubminiſtrat. Vivet quidem memoria ejus, atq; eò diutius quò æquiores poſteri virtutum ejus, quàm præſentes, erunt iudices, & ejus amabile Nomen per magnorum ſemper curret ora Virorum, ſed nos à mœrore temperare non poſſumus domeſticæ hujus calamitatis vulnere graviſſimè ſauciati. Scio Ego te vigilaſſe, feſtinaſſe, cuncta obijſſe, ex munere officioque & ultra ſemper pro Patria, quæ & primo Senatore & Imperatore digna videbantur; ſcio quod ſicut dies juventutis tuæ, ſic & provectior ætas Tua nihil prætermittit, quod permanere in te conſtanter virtutem & amorem in Patrium ſolum palàm teſtetur. Novimus Te declinantem à malo, adhærentem bono: Dignitatem tibi creditam non ornas modò, ſed plurimum exornas, dum ita te geris ut commune bonum privatis, ſive amicitijs, ſive utilitatibus præponas. Spartham, quam accepiſti, optimè tueris. Meliora quippe credis eſſe quæ propter ſe, quàm quæ propter aliud fiunt. Verbo obligantur omnes boni, ut te non ſolùm diligant, ſed etiam ament ardentius; Nunquam ego ad gratiam loqui ſoleo, quæ ſentio, ſimpliciter omnia ſine ulla tergiverſatione libereque dico, ac proinde cum me rectius, quàm alios prævidere ſciam non hæc modo tempora intuens, ſed & ſubſequentia conſiderans, quod debeo, ſcribo, facio quod valeo, & ſicut zeli mei in publicum dant teſtimonia, non verba tantùm, ſed & opera, ſic optarem ut omnes, & tu præcipuè, qui & in Senatu ſæculari Primus, & in bello Supremus Dux, rebus cæteris ſepoſitis, præſentem Patriæ ſtatum habeas ante omnia curæ. Spe enim ducimur inveniendi, in perſona tua non ſolùm conſilium, quid agere debea

Laus Ducis Jablonowski.

bea

beamus, sed & auxilium, quo perficiamus ea ex quibus & DEUS honorem habeat & nos salutem. Non deficias proinde in cursu gerendarum & regendarum rerum, faciendo ea quæ pro nunc è Repub: esse arbitraris. Quidquid fiet, sub Te erit & Te consule fiet, invenies, verò retributionem magnam & à Repub: & à Domino Dominatore Cæli & Terræ, & a futuro regnante, dum ei inconcussum tanto fato conservabis reddesque regnum. Ego omni conscientiâ meâ servivi Patriæ meæ usque in hodiernam diem, nec eam deseram, nec à tuo consilio discrepabo, quod semper optimum inveni. Si vis scire quod necessarium in præsenti afflictione credam? dico libenter, Te hic videre, & quidem citò cupio, sine quo nunquam, si fieri posset, esse vellem, sed tunc præcipuè, ubi facilius ore in medium conferre, quàm scribere & quandoque pereunti chartæ concredere. Cum prætertim plangimus, quæ pertulimus, dolemus quæ sentimus, sed etiam timemus, quæ expectamus. Non describo ultimum morbum & mortem Magni hujus Regis, quem piè & firmiter credo rectâ viâ cælum petijsse & iam in gloria ei servire fruiq; à quo cœperat esse. Non insinuo quæ hic iam aguntur, quæ ut possim emendare, prout volo, non habeo, sed alijs scribentibus aquam trado. Optarem tamen ut informeris quæ hic iam fiunt, & in conspectu omnium, quæ approbare minimè potes, cum forte causa facta non possit vel aliquatenus excusari. Non vellem conjecturas meas esse veras, sed vereor ne jam nimis in propinquo sit, ut Principes Nostri illâ calamitate moti quæ domum oppressit Regiam, totis viribus funem in diversa trahendo, rumpant. Cum rerum occasiones non expectent illorum discordiam, timendum proinde ne amisso Patre & alia amittant. Nisi Matri cum Filijs, Filijs cum Matre conveniat: Non vereor ut dictum sit odiosum, quod verum est, confido enim, si quis rectè consideret, fore ut me vera & ipso eventu comprobanda, dixisse appareat. Multi contendebamus, ingressum Principis Jacobi in arcem Varsaviensem, & expostulationem cum Serenissima Matre per DD. Posnaniensem & Livoniæ non ex re esse, cum hæc vel necessariis vel justis ex causis secretò potuissent componi sed vicerunt ij, qui non tantùm id prohibere noluerunt, sed etiam adjutores fuerunt. Non libenter hæc scriberem, & magis vellem, ea non accidisse; quòd scribo, in hoc positus, ut testimonium perhibeam veritati. Non est opus ut mores studiaque & Matris & Filiorum innotescant Tibi, melius enim hæc nosti, quàm alij; Sciens ergo scienti non loquor; Iusta quidem, sed nunc intempestiva est Matris severitas; Ita fieri solet, qui præ doloris magnitudine plerúmque sui non sunt potentes, nec quid dicant vel non dicant satis attendunt. Optimus Princeps testimonia quidem habet ab optimis, tam ab his qui intus, quàm ab alijs qui foris sunt, nihilominus plus eum Matri debere deferre, multi credunt. Sed his non moror, Veni Domine & noli tardare, quia hæc oportet fieri citò, & cum authoritate tuâ & diligentiâ nostrâ, in mora enim non parvum periculum. Interim vale & spem publicam imple. A.C. 1696

IV.

AMICO CONFIDENTI,

20. Junij Varsaviâ.

Excurritur in laudes JOANNIS III. Morbus ejus extremus, apoplexiâ tangitur. Agnus DEi INNOCENTII XI. ei datur. Refocillatur, Sacramentis munitus moritur. Simultas Reginam inter & Principem Jacobum.

DE firmiore valetudine promissum expectas, de præmatura morte tristem accipe nuntium. Nam 17 currentis grandem meritis animam reddidit DEo Rex Noster, diem suum obijt, vitam quam totam impenderat virtuti, ac Patriæ, finivit, clausit & omnibus mærorem, ut facta ejus celebremus cum gemitu reliquit. Vir plane aureus, nisi sæpius in ferrea tempora incurrisset. Vir cui bellatorum similem poterunt sæcula dare, nulla parem. Vir quem si quis Magnum dixerit, parum dicturus sit, qui maximum, aliquid tantum sui dicere conabitur. Factis ejus narrandis laborabit annalium fides, & centum jactabunda lingvis fama, cum jam ipsæ sæculi Nostri literæ obstupere videantur, quoties ad hæc repetenda (in quæ creditur mors juris habere nihil) ministerium suum applicant. Mirata est talem se dedisse natura, & nisi edidisset, desperasset se talem edere potuisse. Quanquam præverterat admirationem illius; nec mirari licuit illum maximum esse, nisi postquam fuisset? Jam certè nunc constat quantus fuerit, neminem enim probant omnes, nisi quem sciunt optimum, & ad omnium mentem exactum. Quanta ei Patriæ cura fuerit, inde patet, quòd non minus Atlantem se illi viribus, ac robore animi in sustentanda, quam Argum incredibili prudentia, & apertis magnæ mentis oculis, in servanda præstiterit; ipse magnitudinem suam non satis capiens, quia habuit humanâ majorem. Hoc unico omnibus injurius, quòd diutiùs non vixerit. Sed quid ago? de morte nuntiare debebam, & tristi ejus modo, singulaq;, ut facta sunt, narrare; & ego Panegyrim incepi, quamvis sciam, quòd ipsa facta Magni hujus Regis melius perorent, quàm verbosa loquacitas non sufffecturis unquam eloquentiæ periodis complecti aliqua præsumat.

Encomium Joannis III. Regis Poloniæ.

Dixi in præteritis, vocatum me fuisse Villanovam, quo dum veni statim Rex quæsivit à me quid agatur Varsaviæ, respondi; quod *oratio fiat sine intermissione ad DEum pro eo ab Ecclesia*, nec sit templum, ubi non fundantur preces, non tantum pro sanitate suæ Majestatis, sed etiam ob memoriam felicissimæ hujus diei, qua Serenissima sua Majestas in Regem Nostrum est inaugurata, & cum omnium liberas in se voces deflexerat, singulorum meritus elogia cum summum attigisset honorem. Majorem etiam mereri in Polonia visus, votis omnibus & precibus vocatus ad eam coronam, quam promeruit, antequam obtineret, & sicut illo tempore non jam, ut alios solent spes & omina, sed lætitia, ac desideria præcedebant, & vota sequebantur; sic nunc diuturnitatem fortunæ communis, Polonæ gloriæ Majestatem in incolumitate suâ precatur. Addidi pòst, tanquam in memoriam ei inducens, quòd credebam suam Majestatem idem facturam, & confessionem hac eadem die, secundando vota

vota fidelium subditorum absoluturam, ac me suæ Majestati in eo serviturum. Respondit Rex libenter se id facturum, nisi ad subveniendum debilitati jusculum sumpsisset: cum verò ego assererem, id non esse impedimento in hoc rerum statu, urgeremq; animum exomologesi expiandum ac sacra synaxi reficiendum, reposuit, id hodie fieri non posse, non solum ob sumptum jusculum verum etiam ob defectum requisitæ aliàs à se præmitti solitæ præparationis, annectens propositum in crastinum confitendi. Cum ergo non esse ullam debilitatem extraordinariam nec periculum omnino ingruens viderem, reverentia juncta timori à persvasione ulteriore abstinendum svasit. Sincera tamen illius me tenuit solicitudo, æquum enim est ut carus existam, per quem mea & domus meæ stetit fortuna. Vltra id quod majorum meorũ semper proprium fuit, ut tanquam membra capiti, ita suis Principibus viderentur adjungi. Rogavi proinde ut saltem in missæ sacrificio communionem spiritualem, mente sumeret in venerationem Sanctissimæ Trinitatis cum intentione cras confessionis absolvendæ. Nunquam vidi (quanquam semper cum insigni devotione quotidiano missæ Sacrificio adest) majorem fervorem, frequentiora suspiria ad DEum, quemadmodum tunc missam Patris *Vota* audivit, ita certè in eo nihil fuit, quod non summum esset, nec fas est humile dici, quod ille gessit. Post prandium quod vix non stante pede apud Cardinalem Darquien sumpsi, redij vocatus & jacente Regina in eodem cubiculo, propter debilitatem etiam propriæ sanitatis; assidebamus lecto Regis (cum Domino Abbate Polignac Legato Galliæ Regis) qui per unam horam & alteram nobiscum locutus, ex improviso tactus fuit apoplexiâ ut vocarunt imperfectâ, quæ dum incipiebat, clamavi ego voce magnâ, ut doleret de peccatis, & ut mihi signum daret, actum contritionis ei insinuanti, quod dum fecit oculis in me conversis & manum mihi premens, dedi ei absolutionem applicando indulgentias in articulo mortis à sancta sede eum in finem mihi concessas. Viva mortis istius recordatio adhuc quatit animum & ipsum confundit stylum. Ex lecto deinde, vestitus enim erat, sensim collabescentem, dum ego succollare vellem, vix non sum pondere corporis ejus oppressus; Taceo cætera, ne iactare me videar. Surrexit Regina & clamore fletuque cubiculum implevit, unde ut educeretur petii Dominum Legatum, & ut confessarius, medici, chirurgique quantocius venirent, qui dum comparuerunt omnem artem suam exerere ad restaurandum Regem voluerunt, sed frustra. Notandum multos ex aulicis comparuisse, sed casu ex illis vix aliquem sobrium. Cum verò unam horam integram in terra extensus, pectore inquieto totoque corpore laboraret, salivam in quantitate emitteret: Venit mihi in mentem ut Agnus DEI Innocentij XI. ipsi daretur, cucurri in cubiculum Reginæ in lecto suo ejulantis, & petij, utrum haberetur, statim datus est, & particulam vino impositam, præsentavi Patri Scopovio Ordinis Dominicanorum Reformatorum Ordinario Regis confessori, tanquam viro longe me sanctiori Regi imponendum, quod dum ille suspirio ad DEum facto fecisset, & Rex non tantum in os immisisset, sed etiam per gratiam DEi ulterius eum promovisset; statim eâdem DEi gratiâ opitulante, qui dives est in misericordia, & faciens omnia superabundanter, quæ petimus, implevit gaudium Nostrum. Nam tanquam ex somno excitatus, immotos hactenus movere oculos, fortius respirare & cum suspirio ingenti, quærere quid secum actum fuerit?

Apoplexiâ tactus.

Labitur in terram.

Agnus DEi Innocentij XI. ejusq; virtus.

Terror ille mundi territus est, quantumvis illud fulmen fatumque Turcarum naturæ debita solvere & ingentem illam animam reddere o-

A.C.1696 porteret, insignem semper & imitandam pietatem ad firmiora incitabat consilia, ut veteranis virtutibus innutritus mentem silice pene duriorem constanter in devotione Rege digna conservaret. Iterum ab assistentibus quærebat quid actum fuerit? nihil enim se meminisse dixit. Ego respondi vestra Majestas non turbetur, imò gratias agat DEO, quòd eam ad pristinam sanitatem ex summo periculo revocaverit; Hæc enim prior potiorque desudabat cura, mens & cogitatio laborabat, intentaque solicitudo vigilabat. Addidi proinde, necessitas est necessitans, ut eo nomine non amplius differendo, gratitudinem Sanctissimæ Trinitati palàm faciat, & statim confiteatur. Nec expectans responsum immediatè clara voce dixi omnibus adstantibus, exeamus Domini Mei, Rex enim vult confiteri, & relicto solo confessario omnes exivimus, uno quadrante & medio confessio hæc duravit, & nunquam cum majori devotione cum ferventiori de peccatis dolore, cum validiore amoris in DEum expressione id eum fecisse fide boni viri (ut certè est) Pater Confessarius nobis pòst narravit. Absoluta confessione positus est in lectum & aliqua medicamenta adhibita. Interim Dominus Suszycki Principum Præceptor ad Ecclesiam Parochialem, cum tempus cunctationem non admitteret, pro quærendo Sanctissimo Sacramento ivit, nos interea omnia præparamenta faciebamus ad tantum hospitem excipiendum, loquendo semper res pias coram & cum Rege, sed infortunium ingens, quòd Parochus non fuerit inventus, nec clavis ad Ecclesiam, ac proinde dum tardius adferretur viaticum, iterum eadem infirmitas idemque casus qui prius ante confessionem fuit, cum summo dolore Nostro rediit, & per unam quasi horam duravit. Venerunt Domini Posnaniensis & Livoniæ Episcopi, eorum unus in articulo mortis absolutionem ac Extremam Unctionem dedit, Rex verò animam agere cum summo Nostro nec explicabili dolore cœpit; intraq; horam octavam & nonam vesperi Magnus Heros obijt. Diu sæcula cum cælo contendent, antequam similem, non dico extorquere à Superis, sed voto concipere licebit, qui plures sibi laudes agendo scripsit, quàm ullus vel comminisci valeat. Potest ille obiter laudari, non potest satis, ut universo natus erat, ita saluti omnium vixit. Quidquid egit (egit autem ingentia, prope infinita) admiratio complecti potest, non potest epistola. Non exprimo lacrymas Reginæ, Principum, & Nostras, ne aut nimius videar aut parcus. Lugere plurimi, plangere omnes, formidare futura cuncti tum demum cœperunt: Si dolor vires suas exerit, da veniam justus est, si tacerem, iniquitati, silentium annumeraretur. Beneficia enim tam in publicum quàm in privatos tam ampla erant, ut in toto Poloniæ orbe vix ullus reperiatur, de quo non sit bene meritus, ac proinde in ætates proferet gratam sui memoriam. Postquam expiravit, ea facies rerum subitò fuit, ut mutati homines, ac cælum ipsum tristius & turbulentius videretur, subitò in aëre mirabiles ac verbis superiores tempestates, mutationesque incredibiles extiterunt, solis enim lumine obscurato noctem ingruisse crederes, nequaquam quietam & placidam.

Confitetur.

Post extremam Unctionem.

Moritur.

Obviando qui fieri solet in similibus disordini, sigillare cubicula, plena ut scis varijs raritatibus, cistas pretiosiores ad Reginam portari, omnibusq; rebus securitatem providere, debito & affectui duxi, usque dum Dominus Mareschalcus Regni, cui id officij incumbit Varsaviâ venisset. Pòst ad Reginam ivi, eique adhuc de fato ultimo nescienti (cujus non potuissem lacrymas compescere, nisi prius pressissem meas) factum hoc triste annuntiavi; Non ausus fuissem ire obviam dolori ejus, cujus omnes nos quoq; pleni, & justè quidem sumus, nisi jam id prævidisset. Coquebat

Reginæ mors nunciatur.

A.C. 1696

quebat quidem animam afflictio, dolor consumebat, mœstitia cor depascebatur, unicum contra infortunium hoc, telum erant lacrymæ; cum nihil facere posset, sola dolendi copia in facultatibus exstabat. Nimirum suis se lacrymis oblectat infelicitas, quasi ultura infortunium, si posset ingemiscere. Ut ergo moderaretur dolori, compesceret lacrymas petij. Insinuavi, statim sinè mora & dilatione facienda, quæ recentem afflictitionem aliquo modo distrahere possent. Et cum sequenti die Villanoviam venissem afflictioni à DEo immissæ, alteram reperi à Principe Jacobo superadditam, qui arcem Varsaviensem occupaverat, & DD. Posnaniensem ac Livoniæ Episcopos, illud absurdum, quod Princeps intendebat, haud augurantes, cum contestatione primò affectûs ad Reginam Matrem miserat, sed expressis verbis insinuando, ne se in arcem reciperet, eò quòd necessitate compulsus, aditum eidem sit impediturus. Mirantur id omnes, sed ille non prævidens, quæ nec agere licebat, nec jam liberũ erat inchoata relinquere, ea agit quæ vult, non tamen effecturus, quæ optat. Quid tantos juvat excitare motus, & proprium fatum solicitare manu? Super hoc populi rumores & dissonas multiplicesque sententias piget reminisci. Horum autem causa ille cui Turbonis nomen esse posset. Quæ pestis efficacior ad nocendum, quàm ille, qui semper ea insinuat quæ effectum sortiri nequeunt. Ita sine præsidio non sunt amici, quos non virtus, sed fortuna cumulat. Interim post illatas contumelias ingesta nota semper manebit. Regina ingentis animi Princeps non consideratis hisce minis, etiam cum periculo reditûs, Varsaviam ivit, cum resolutione, ut si filius in arcem ingressum denegaret, ad Palatium Primatiale descendendi, ibique adventum Cardinalis opperiendi. Præcessimus aliqui senatores, Palatinus scilicet Lancicienſis Lesczynski Mareschalcus Reginalis; Supremus Thesaurarius Regni & ego, conducente interea corpus defuncti Domino Miączynski Thesaurario curiæ Regni, quod à chirurgis exenteratum manifesta signa nimij mercurij dabat, qui absumpsisse eum, facile credebatur, & Judæus medicus non ex arte Galeni ipsi propinasse arguitur, ita forte illius gentis manibus occisus esse Rex creditur, in quam singulari gratia non sine admiratione ferebatur. Cum verò in arcem venissemus, occupatam magis quam possessam, difficultas aliqua suborta, cum portam pandere nollent milites & custodes corporis defuncti Regis, à quibus jam juramentum in personam sui receperat Princeps exempris eis ab obedientia Domini Matczynski Palatini Russiæ sub qua vivente Rege fuerant; sed cum nonnullos indignantis animi motus exhibuissemus, reserata fuit, ast parum abfuit, quin ingressum nostrum tumultus subsequeretur, cum Dominum Subdapiferum Regni Lubomirski scrupulus militum in nobis admittendis ægrè habuerit. Princeps Iacobus unà cum Principe conjuge ac tota familia primo diluculo diei mortem Regis subsequentis in arcem se receperat, eamq; occupârat, qui ausus interregni tempore non minùs Reginæ quàm multorum Senatorum stomachum movebat. Consulturus; præterea idem Princeps securitati ac indemnitati thesauri hîc depositi, precibus à Mareschalco & Thesaurario Regni Sigillorum suorum appressionem impatrârat: Hic igitur Principi in medio arcis reperto seriò innuimus ab æquo & justo abludere, nec ex tempore esse ejusmodi agendi modum. Quid ad hæc Polonia, ubi audierit, nullo jure arcem occupatam? non intromissum contra pietatem corpus magni Regis pro consvetudine publico conspectui exponendum? exclusam serenissimam Matrem, nec permissam adesse corpori mariti, quod nulli negatur viduæ? contemptui habitos Fratres quasi non æquali jure gauderent ad hæreditatem Paternam. His optimus alias

Princeps Jacobus occupat arcē Varsaviensem, à cujus ingressu vult Matrē Regiā prohibere.

Signa nimij mercurij à Iudæo medico porrecti in defuncti Regis corpore

Thesaurus Regius obsignatur.

Princeps Iacobus minationibus permotus arcē pandit.

A.C.1696 alias Princeps emollitus, pudore ſuffuſus, facti pœnitens, totius arcis à Matre ac Fratribus adeundæ, nec non corporis defuncti Patris admittendi, copiam fecit; & nos lento greſſu adventanti Reginæ obviam progreſſi, repertæque eis Palatium Dominæ Cancellariæ Regni Wielopolſka Sororis ſuæ, ſtatuta retulimus, ac in comitatu plus quam viginti rhedarum, equitum ac Ianczarorum cohorte corpus ſtipante proceſſimus; opperiebatur Princeps Reginam ad ſcalas Palatij, brevi ad invicem habito ſermone, hæc in conclave ſe recepit, ſolius alloquium petenti Principi negavit Sua Majeſtas, nec niſi in præſentia Epiſcopi Poſnanienſis & Meâ conceſſit. Adſuimus teſtes veræ ſubmiſſionis in Principe erga magnam *Excuſat factum ſuum* Matrem & Benefactricem, nonnulla in excuſationem attentati ſui adducebat, quòd ſcilicet Sereniſſima ex integro eum à ſucceſſione excludere intendat, quod omnes expenſas etiam in nuptijs factas, & inſuper aliquot millia hungaricorum Principi Conjugi ſuæ pro luſu, ut vocant, chartarum, data in jam perceptis velit numerari. His in cautelam ſibi relatis, dolore tactus intrinſecus, ajebat ſe ad ea deveniſſe, quorum ſe non minus pudet quàm pœnitet. Nunquam cum majore fervore ac zelo affectus Materni, debitæq; ſibi venerationis atq; auctoritatis Reginam audivi loquentem: Utinam colloquium hoc eum ſortiatur effectum, quem omnes boni optant. Sed eo finito, videre erat non ſat quietum utriuſq; animum, cui pacando non conducebat, quòd Princeps paulò pòſt prætenderet, ut vocant, Guardiam & Reginæ & theſauro conſervando aſſiſtere debere, cui omni conamine contradixit Regina, aliquotq; dies huic diſceptationi impenſi, donec res ſtetiſſet à votis Reginæ. Pluribus non immoror, diſces ex alijs, odioſa enim ſunt. Satis eſt, quòd Matrem inter & Filium poſtea tanta exorta ſit ſimultas, ut nunquam majore odio certatum fuerit, ijs etiam diſcordias alentibus, qui ſimilibus ali & augeri conſueverunt, ultra id quòd commota ſemel excuſſa mens eò feratur, quò impellitur. Zolkieviam & in alia loca ubi theſauri Regis erant, miſſi ſunt tam ex parte Reginæ, quæ non in totum oblita ſui, quàm & Principis. Abire hodie ex debito cogor Pultoviam, pro peragenda craſtina Corporis Chriſti proceſſione. Brevi ſi DEo placuerit, redibo, & quæ ulterius fient, denuntiare tibi non gravabor.

V.

CARDINALI CAROLO BARBERINI, Protectori Poloniæ,

die 23. Junij.

Deſiderat, ut Principes Filij Regis defuncti Nuntio Apoſtolico commendentur, in electione promovendi.

CUM nullibi melius ſe dolor Noſter inclinare queat quàm in ſinu Tuo, communico eum cum omni veneratione, tanquam & Regni Noſtri Protectori, & meo ſingulari Patrono. Veniebas ſæpius *Eminentiſſime Princeps* in conſortium felicitatis Noſtræ, idcirco in eam fiduciam bonitas Tua Nos erigit, quòd quaſi ſpectans mala feſſæ & pene collapſæ Noſtræ Reipub. poſt præmatura Sereniſſimi Regis fata ſolatium columenq; ſuppeditabis. Ruens quippe fortuna Regni in ſinum paternum Sanctitatis ſuæ per validam tuam

tuam promotionem ſeſe inclinat. Amiſimus 17 currentis Regem non nobis modò, verùm toti orbi regendo ritè ſuffecturum. Grata poſteritas virtutum non ignava miratrix priſcis Heroibus nomen ejus adſcribet, & medium inter Orbis vindices ponet. Nec immeritò ſanè, an enim huic Regi defuére uni, quæ in multis collecta miramur aut deſiderata dolemus? Genus illi avitum & Polonæ nobilitati coævum, ſi altiora initia ſpectemus, Leſcorum ſangvini conterminum. Victorijs ante & poſt acquiſitum Regnum clariſſimus, primus lædi poſſe, primus vinci docuit Turcam. Ingentibus prælijs Kaluſſienſi, Chocimenſi, Zoravienſi ac demum Viennenſi, Orienti confeſſionem extorſit, maximè ſe Polonæ ſuccumbere virtuti. Tandem humanæ viciſſitudine ſortis in ſummo molimine rerum vivere deſijt. Non retexo hîc (epiſtola non poteſt multa complecti brevis) mærorum & malorum, quorum non eſt numerus, narrationem, quæ ex hac morte certo certius eventura non ex vano timentur ab his, qui vident & longe fines proſpectant videndi. Polonia Noſtra Sedi Apoſtolicæ firmiter adhæret, ſincerè favet, humiliter paret, verum Petri Succeſſorem fideliter recognoſcit. Facias proinde nobis *Eminentiſſime Princeps* aures Pontificis benignas, ad preces noſtras, ut in tutelam adeo ſublimem recipiamur. Poterimus certè miſerrimum ærumnæ nomen amittere, & in ſinu Paterno creſcent ſpes Noſtræ non humiles, ſi animorum unitatem per Illuſtriſſimum Nuntium procurare dignabitur, nam per hoc unitati conſilia, conſilijs rationem, rationi addet pondus. Augebis amplitudinis Tuæ incrementa, & erit hoc inconcuſſum Polonæ rei utique labentis columen, ſi id ab optimo Patre pro non malis filijs evinceris. Permittet interim innata benignitas Tua, ut verum rerum noſtrarum ſtatum, ſub quovis ac præcipuè hoc interregno paulò fuſius, quod purus in Patriam ſuggerit amor, pro neceſſaria adjungam informatione. Scis inprimis, quæ fuerunt merita defuncti Regis, & quàm juſtus ſit dolor extincto. Primus, ſi quis unquam, Regum langvida manu regnavit, nullius ſubditorum per vindictam ac pœnas legum ſangvine fuſo. Vaſtiſſimo ingenio exoticas lingvas, patrias externaſq; leges, curſus ſiderum, terrarum fluminumq; tractus, & omne literarum arcanum abſorpſit, ſervantiſſimus æqui, fidem ſanctè coluit ac protexit. Schiſmata ad unionem Orthodoxæ Eccleſiæ, alia in totum reduxit, aliis reducendis immortuus. Merita hæc & tanta alia omnem de ſucceſſore adimere deberent dubitationem, nec locum alicui relinquere diſputationi, ſed rem arduam, quanquam glorioſam ſortiri videntur Poloni, liberum ſcilicet eligendi Regis arbitrium, quod toties miraculi obtinet vicem, quoties in tot electorum millibus in unum votum coaleſcit. Cæteris gentibus cæca ſorte naſcendi proveniunt Reges, nobis Polonis in arcto labor eſt, quoties eliguntur, nam ſi is, qui eligitur, amicum virtutibus animum habet, Patriæ felicitatem; ſi in probra vitiaq; proclivem, caſum ruinamq; portendit. Ita ſanè bono meliorem, meliore optimum DEoq; ſimillimum Principem labor inſtat legendi, utpote penes quos ſola eligendi gloria relinquitur, vel dedecus & ignominia, & pòſt perpetua infelicitas ſubſecutura. Qui verò nunc ſit regalis genius ille, quibus lateat locis, noſtróne an alieno debitus cælo. Quis tandem in ſortem pulcherrimi terrarum Imperij voce concordi vocabitur! in DEi manibus ſitum eſt. Ut verò arenam iſtam multi ante hac externorum Principum aut obtinuerunt per palmam, aut deſeruerunt repulsâ; ſic nec modo ambigendum admiſſo certamine in dubiam aleam nomina daturos, aderunt certè qui eorum agonem, voto, voce, plauſuq; juvabunt. Quanquam inter Principes Noſtros Regios certè invenimus, ſi veris coloribus virtutes judi-

A.C. 1696

Merita Regis defuncti.

Polonia Sedi Apoſtolicæ cõmendatur.

Laus Joannis III.

Libera electio.

Cõmendantur Principes promovendi.

*A.C.*1696 judicare velimus, quo bellaces exterorum spiritus, prudentiam domi, felicitatem in armis, non tantùm exæquare, sed etiam superare possunt. Hæc demùm Magni Joannis raritatem sapit felicitas, ita ortum fuisse, ut non occidat; ut virtutis suæ non degeneres ita & dignitatis reliquerit capaces. In alijs bona non nisi fortunæ in legitimam filiorum transeunt possessionem, virtutes & merita non semper successiva in filios gaudent descendere hæreditate, in quibus sæpius quandoq; Paternus annihilatur ad magna animus, non quòd injurius Parens plenum successori non cedat genus, sed quòd à recta linea Paternorum morum aberrantes filij se ad eandem ipso facto inhabilitent. Nostrorum verò Principum animis inest Patrij candoris & virtutum imago; Et cum non annorum ordo in Electione nostra spectetur, cum transcendat hunc eligendi libertas, illa conciliantibus fatis quemcunq; communi complectetur amore, ultro ac etiam in gratijs faciet Regni Poloni potentem.

Encomia Jacobi. Jacobum Principem ut inter fratres maximum gradu ætatis, primũ publicæ famæ obiicit, quæ arbitrio auræ popularis in diversa studiis acta jam illum sæpe præfert, sæpe æquat, sæpè etiam posthabet Regni candidatis. Est ille certè æstimantibus rectè, ætate & ingenio sceptri non incapax, copiosus lingvarum, experientiâ rerum non modicus, favore potentium validus, conjugio claro subnixus, indeque multis sed immeritò formidolosus. Patri in prælijs adfuit multis, vultus illi blandus, liberalitas prompta, & multa alia quæ Principem decent. Si quosdam ejus errores in tempus, quosdam in fortunam, reliqua in pravam consulentium solertiam derivare velimus, pauca quæ corrigantur manebunt, imò plura quæ ultro sceptrum invitabunt.

Alexander Princeps decora facie, proceritate venusta, ignotis etiam *Alexandri.* oculis incutit Majestatem, vultu propius Matri admotus, vastitatem ingenij, & in consilio pondus, mutuatus à Patre, calamo & ore disertus, ubi ex proposito res tractanda venit, lingvarum & scientiarum non inops. Liberalitas in promiscuum astricta, ex merito laxa, arcana scrutantibus clausus, in æquitatem maximè propensus, sobrijs sensibus vigil, nec ultra naturale desiderium in potum cibumq; projectus, juvenis manu & consilio alacer, flagrans belli laborum, nondum matrimonio sibi aut in publicum gravis, nec ejus voti nimium præcox.

Constantinus Princeps os humerosque similis Patri & vera virtutum *Constantini.* ejus imago. Nihil humile unquam puer adhuc promisit, vultu incessuq; gravis, animo senex, responsis argutus, fortunæ in quam editus est, inter infantiles etiam lusus semper manifestus. Fructum jam non spem in herba ostentat, affatu blandus, aditu facilis, in omne humanitatis effusus officium, ad oblivionem sui liberalis, naturali ingenio felix, artibus egregijs, & usu lingvarum variarum suffultus.

Sed quid prodest Regem felicem, Patrem fæcundum, ipsum denique DEum in publica munera nostra abunde largum fuisse, si tot tantique Principes egregijs dotibus sui jam quorundam obliquam sentiunt invidiam.

Habes Eminentissime Princeps veram Principum Nostrorum imaginem, ut verò eum affectum, quem vivo Patri palàm testatus es, Filijs conserves, ego pro meo singulari affectu, tanquam tot nominibus obstrictus humiliter peto. Meretur id rerum nostrarum, Fortunæ Christianæ stator, ne imaginem quoque Regalem in posteris perdat, cui non tantum Roma, non tantum Vienna, sed Barbarum etiam Bizantium statuas ponere deberet laureatas.

Timeo

Timeo ego (quanquam hactenus nullus in theatro patet) ex multis circumstantijs, ne ipsius Regiæ domus sive culpâ sive fato ad aliquem exterum Respub. Nostra desciscat, sed tristi fato suo (absit omen) ac novitate, præluderet, & ab avito libertatis gradu ad insvetam servitutem procul omni dubio devolveretur; Nec ratio quidem, nec consvetudo hoc habet. A conditore Lecho ad memoriam Nostram extremaque tempora ita sanctè usurpatum, ut posteritas Regum servato liberè eligendi jure successerit Regno, quæ fugitiva etiam in Casimiro Primo; invita in Casimiro tertio, pervicacibus Polonorum studijs ad Thronum quærebatur trahebaturque. *A.C.*1696

Ut ergo novas in præcordiis Polonorum erigas Tibi aras, Princeps Eminentissime ope operaque tua calamitates nostras subleva, & ut opportuna media mandato Sanctissimi Domini Nostri instructus Illustrissimus Nuncius ineat, & arripiat, procuras: Unde semper honos, nomenque tuum laudesque manebunt, & ego sacram Purpuram, veniam liberiori & longiori stylo deprecatus, reverenter exosculor.

VI.

JOANNI MAŁACHOWSKI
Episcopo Cracoviensi Duci Severiæ,
Varsaviâ 26. Junij.

Queritur de calamitoso reipublicæ & Domûs Regiæ Statu.

ACcepi tuas, quibus res Nostras afflictas & vix jam non perditas pro amore in publicum defles. Non dubito, quòd hæ domûs Regiæ dissensiones tibi displiceant, cum nemo sit, cui placere possint, & qui indignitatem rei ferat patienter. Nec desunt qui posse rem ad compositionem perduci opinentur. Posset inter Matrem & primogenitum facile pax, coalescere sed hæc spes mera est, pro ea stabilienda laboratum multum, elaboratum nihil, & quatriduanum laborem Nostrum sola demum secuta est ruina spei. Ne concordia coalescat, operâ eorum fit, quibus ea dissonantia questum præstat, qui more ingenij humani, quò plura habent, eò ampliora cupiunt. Qui beatum Principem dicunt, si ipsi eum decipiant.

Iustè decessum tam præmaturum quantumvis jam speratum doles. Cecidit Epaminondas Noster, cum quo (sim falsus vates) vires quoque Reipub. ceciderunt, ut non tam amisisse illum, quàm cum eò omnes interijsse ita videri possimus, ut manifestum sit Patriæ gloriam & natam & extinctam cum eo esse. Ita ille Regnum gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati Regiæ visus sit & sic cum ejus morte timeo, nec ex vano, ne virtus Polonorum intercidat. Utinam provocatus peccatis Nostris Dominus misericordiæ suæ non obliviscatur. Miseriæ enim Nostræ, si quis præteritorum non obliviscens, præsentium non negligens, futura prævidens maturiùs consideret, modum non inveniunt, quo circumscribi possint, nec captus hominum, quo concipi, ideoque fit ut quòd à nemine exactè capi potest, capiat comprehendatq; omnes. Actas in diversum mentes, strepentia magno ambitu studia, quæ obganniunt, specie publicæ libertatis, quis non videt? quis non timet? *Status Reipublicæ calamitosus.*

 opta-

A.C.1696 optare facilius quam consequi possumus unitatem animorum, & hujus spes non est. Rerum novarum & fortunæ quisque melioris nisu in adversum pertinace corrumpitur. Studio rei priuatæ negligentiâ reipublicæ quis non laborat? Nobis certè crimini vertetur imbelle silentium, posteritatique haud injuriâ in opprobrium, imus omnes Episcopi: si longiore patientia probare multorum videbimur facta, si ad unitatem (prius nos uniformes, unicordes) non movebimus voce, & exemplo. Unita resistent fortius, adversæ publicæ fortunæ disjunctorum fatiscunt vires. Non dubito verba mea fore approbanda ab eo qui reip. bene vult consultum, cum præcipuè dicta veritate nitantur. Et hæc ratio præcipuè me movet; ut tibi ea insinuem, ne silentium meum in consensum ijs quæ hîc facta sunt, & quæ adhuc fiunt, ducas, & credas approbari à me quæ non vides improbari: Quanquam decretissimum mihi est, coram alijs nihil de his vel dicere, vel scribere, quamvis ea suasi, suadeo, prædicavi, prædico, quæ visa optima: nam utilitatem juvandi præfero gratiæ placendi, sed non est hactenus inventus modus, ut hæc domesticæ & nocituræ possint componi lites.

Episcoporũ est discordes conciliare.

Quia vero vis, & jure tuo imperas, ut tibi confidenter omnia quæ fiunt, fieriq; poterunt significem: quamvis quæ faciat, feceritque Domus Regia, ex aliorum te literis vellem cognoscere; cum eam non æqua nec ferenda agere persticuum omnibus, & quod nihil peritius neque opportunius quidquam ad sibi nocendum excogitare possit. Nihil invenires tam manifestæ utilitatis, quod non in contrarium illius transferat culpa: sic ventos quoque natura bonos futuros invenerat, ipsi illos contrarios fecimus, ut alibi dici solet, sed hic proprie debet. Scis jam bene quod extincto acerbissimas inter omnium nostrorum lacrymas Serenissimo Ioanne tertio, uelut sublato repente de cælo sole, nox atra Reipublicæ incubuit, aperuitque ingens theatrum compluribus umbris tuendæ per fas nefasque libertatis. Videmus enim jam multos qui admiratione rerum nostrarum suspensi, cum de præsenti statu sermo incidit, alia obtrudunt, ne deprehendantur, quid sentiant. Omnes interim Regem eligendum contendunt, sed nemo unum, omnes alium.

Ita sane quando DEus vult alicui populo infortunium immittere, disponit ut pericula non intelligantur, neque considerentur & tanquam degeneres mundi accolas posteritatis cura non tangat, ut non unam sequantur viam, quin imò per multas vagentur.

Dissensiones in domo regia.

Non credas dissensiones Domus Regiæ intrinsecas fuisse: non erant opertæ ut saltem esse poterant & debebant, sed apertæ. Inter tot oculos nullæ sunt latebræ, tam divulgatum hoc arcanum est in animis hominum, quàm ulli non est in ore. Serunt sibi (proh dolor) occant sibi, metent sibi. Quasi non pudere parum sit, etiam utraquè pars suos explicando dolores gloriatur: Convenit proinde mihi cum sensu tuo, immanem fore duritiem, obscuratam in prole defuncti Regis, (in quo, in colendo DEO pietatem sine simulatione, in regendis nobis severitatem sine superbia, in administrandis negotijs sine festinatione diligentiam, sine tarditate venerabamur gravitatem) virtutem videre & non flere, super hæc non ingemiscere, his non commoveri. Quo enim affectu sincerius & religiosius prosequebamur Patrem, eo studiosius & magis ex animo sangvinem ejus colere, commodisque ejus invigilare tenemur. Sed quando acerba, & perpetuis lacrymis deploranda mors, non tantum totius Regni statum in ultimum discrimen adduxit; sed etiam Domum Regiam tam magnis involvit procellis; ut in varias sententias divisa, nullo firmo ac stabili fundamento subnixa, commenta opinionum malitiosarum

rum

rum sequatur: hac illac tanquam incertis agitata tempestatibus & desultatoria quadam levitate in contrarias sibi opiniones, easque omninò nocivas fertur. Exprimo veritatem, & bonitati tuæ confido potius, quàm censuræ severitatem timeo, quòd cum omni fiducia dicam quæ sentio. Divinum nobis auxilium vehementer implorandum est, atque expetendum ut oculos animosque aperiat, & tandem querulis dissensionibus metam ponat. Impune nunquam sprevit ullus parentes. Honorent Filij Parentes suos, & Parentes ad iracundiam filios non provocent. Non est prudentis postponere firma caducis, veraquè quæ bona sunt spernere, falsa sequi. A.C.1696

Et hæc sunt quæ nunc scribere possum: ex quibus fatorum mensuram, seu præsagium pro prudentia Tua cape. Mali concludes augurij esse pro Domo Regia, tantos in principio lapsus. Non arguo quenquam cum nemo sit mortalium, quem non aliqua pars vitij attingat, hanc contagionem ex ipsa mortalitate traximus: nam homo dum errat, humanitus errat, errorem autem in homine calumniari, est toti ipsi mortalitati convicium facere. Nollem tamen ut temere utraq; pars iis quæ dicuntur credat, & cæco ruat impetu, ut tales potiùs quærat, & inventos conservet amicos, qui verum loqui constanter audeant, nisi ad malum alia sibi consarcinare velit mala. Res aliquando venit, ad aures parva, & statim animi dolor magnus est. Usq; adeo variat sors variatq; cito. Induuntur vestimentis ultionis, & operiuntur quasi pallio zeli. Non desunt qui bona loquantur, sed non credunt iis, & quasi incircumcisæ aures eorum audire nolunt: vana interim captant opera eorum risu sæpius digna. Ego qui semper ita Domui Regiæ devotus sum, ut secunda adversaq; omnia, quæcunq; illi eveniunt, semper credam mihi esse communia: nunquam & Matri & Filio nisi salutaria propino consilia, quiescentibus aliis, qui mihi auxilio esse deberent, insto, urgeo, accelero, (cum quæ justa & honesta sunt, nolint moras) nec quidquam omitto ex his quæ necessaria credo: sed non sunt hi, qui veram devotionem, à simulatione dignoscere velint, & malunt audire adulatores, domesticam, veram & assiduam pestem. Ut ergo apertè loquar, & hanc aliquando finiam, dignitati eorum vehementer timeo: hi viderint qui talia struunt. Vale dilectissime Princeps, & fer confidenter respondentem, quem confidenter provocasti.

VII.

AMICO CONFIDENTI,

26. Junij.

Cardinalis Primatis adventus Varsaviam, ibiq; acta pro tollenda dissensione in domo regia, &c. referuntur.

Literas tuas accepi non tanquam beneficium, sed tanquam creditum. Profiteor gratitudinis verum sensum. Nullus est gratus nisi statim sit: in præsenti verò tempore meæ abundantia epistolæ, tuæ inopiam supplebit & decisionem propositis ambiguitatibus adferet, in his quæ tibi ordine quo res aguntur, in plena defero fiducia.

Reducem Me Pultoviâ rogavit Regina, ut Radzieiovicios, septem leucis Varsaviâ dissitos, pergerem ad Cardinalem Primatem, precibusq; huc

adventum ejus accelerarem, sperans in eo consolationem in tempore opportuno. Reprehensione carent, quæ consilio ordinantur amicorum. Bene est quòd id non distulerit, ne in luctu nimio damna lacesseret. Bene itidem, quòd ita sibi devincire Cardinalem voluerit, ut eum primum habeat, cujus protectionem in locum demortui mariti subroget; & erant multa quæ ad eam stimulabant, nec repulsam metuebat ejus petitio, Quia quà Christianus, velle debebit, quà Primas & Primus Princeps est, poterit esse amicus; cum præcipuè per secreta pacta, non alienum aliquid suis commodis extrahet, qui semper finis ejus est. Spina etiam grata est, ex qua spectatur rosa.

Mortuo Regi coronæ loco imponitur pileus.

Interim cum delatum ad arcem Varsaviensem corpus Regium & solitâ pompâ apparatuq; in ferali theatro superadditis excubiis repositum esset, statim occurrebat illud notatu dignum, quòd scilicet loco coronæ quæ ex pretiosis aliàs fieri solet adamantibus, pileo tantùm caput Regis fuerit coopertum; timere enim se Regina confessa est, ne Princeps consilio malevolorum ad accipiendam eam induceretur. Inveni jam faciem Regis valde marcidam, unde evidens argumentum operari Mercurium plus nimio propinatum. Posita est suprà facies depicta. Celebrata interim Missæ Sacrificia plurima, ego post Posnaniensem Episcopum uti loci ordinarium pro affectu meo juxta & debito cantavi hodie: Et post nulli succumbens tot tantorumq; laborum molestiæ, verùm omnia celeriter tanquam unum aliquod opus absolvens, memor mandati Reginæ 23 Junij in consortio D. Thesaurarij Supremi Regni, ivi ad Cardinalem, cui tam de morte, quàm de omnibus ijs quæ illam subsecuta sunt, exactam feci relationem, quam usque in eum diem non habuit. Expedivi proinde quam à Regina habui commissionem, ad quam civilissimè respondit, quòd reputans quantum Regi mortuo deberet, quibus beneficiorum vinculis ei sit devinctus, fidem intemeratam & relictæ Conjugi, & Filiis non tam promittere, quàm effectu ipso palàm facere intendat.

Primas bene affectus Domui Regiæ.

Svadebam deinde, & exhortabar non minus viriliter, quàm confidenter, ut in hoc interregno quærat gloriam, & famæ pretium, ut acceptum Nomini suo hoc Reipub: ferat donum. Nunquam gloriosius finiri potest vita (ultimus enim est de familia) quàm dum utilitas Reip: & salus procuratur. Addidi gloriam ipsi integram mansuram non secus ac Castori accidit, qui cum templum cum Fratre suo Polpuce commune haberet, solius tamen Castoris dici consveverat. Non ne ad hoc illum DEus in sublimitate posuit, ut tanto majore Ecclesiæ & Patriæ utilitati vivat, quanto in ea eminentiori authoritate præest? Agat ergo pro loco, quem tenet, pro ea, cui præsidet dignitate, viriliter & prudenter, exerceat, qui in illo est, zelum fidei, gloriam DEi, plurimam utilitatem, ut dicere possit, quia gratia DEi in me vacua non fuit: Nos verò sanorum consiliorum adiutores, dignitatis fautores, omnibus in rebus sibi amicissimos cognoscet, nullus (præcipuè me) gravabit labor, quem causâ ejus suscipiam, modò eam confidentiam mihi præstet, quam spero. Inveni in omnibus promptum animum, & certiores nos reddidit, quòd sicut Nos bonum publicum, pro solo intentionum & futurorum laborum objecto habere intendimus; sic & ille ad eandem metam omnia sua opera sit directurus & allaboraturus, ut augeantur in dies incrementa exactæ & diligentioris solicitudinis suæ. Quis enim tam inhumanus esset, qui sic periclitanti Reipub. non succurreret, si posset; non consuleret bene, si nosset? Cum verò non ambigat ibi plurimam salutem esse, ubi plurima sunt consilia, eaque propter & Moysen quanquam Spiritu Divino plenum 70 Seniores rebus administrandis, idoneos propulsandis injurijs, atque

atque periculis indefessos, procurandis commoditatibus publicis juxta ac *A.C.1696* privatis diligentes adsciverat, nihil absque consilio nostro se acturum promittit. In quam autem partem favor ejus inclinet nescimus adhuc, nisi cognoscat causam, partes audiat, indicare fortè non vult, quamvis cum idem de jam factis sentiat, quod omnes, putandus est, id decidere quod omnes. Incusat enim clarè consilia eorum, qui semper Tantali, semper novis cupiditatibus inhiant, & toties intestina, hæc dissidia commovent, quoties è re ipsorum sunt, propter privatam utilitatem etiam jus publicum infringendo. Scias minus me dicere, quàm ille prædicabat, nihil ex ijs quæ nunc fiunt approbando, sed sæpius iterando: Inexpugnabilis est civitas, quam unitas populi tuetur. Addidit adhuc se velle, ut inprimis Regina objurgationi semper aliquid blandi admisceat, facilius enim penetrant verba, quæ molli vadunt via, deinde ut tam Reginæ, quam Principum sit frons aperta, ligva parca, mens clausa. Ut Regina & Princeps tenaciores sint secreti, nec statim in affectus erumpant. Multi cum alijs maledicunt, sibi ipsis convicium faciunt. Quod verò tacitum esse velis, nemini dixeris, nam si tibi non imperasti, quomodo ab alio silentium speras, cum præsertim privati eorum sermones malignitate aliqua interessatorum parum sint tuti. Cum autem insinuassem Principes minores natu, venturos brevi ad Suam Eminentiam, sicut enim Mater, sic & hi Filij sub protectione ejus vivendi desiderium nunquam mutandum habent. Noluit ille absolutè hoc genus officij Radzieiovicijs recipere, & ut ab eo abstineant, multis deduxit rationibus gratias agens, policitusq; non perituram apud se oblatæ gratiæ memoriam, sed tardius id erat, nam Serenissima Regina impatiens moræ miserat eos immediatè post abitum meum, & redeundo, in via eos propè Radzieiovice inveni.

Sensus Primatis de Legato Galliæ. Parum affectus visus est mihi Cardinalis Primas Abbati Polignac Legato Galliæ, dixitq;, palàm non posse eum hic morari, nam suas literas credentiales Reipublicæ nondum reddidit, & non nisi coram Rege jam demortuo characterem suum legitimavit. Quid sibi velit hic discursus nihil dico, sed tu pro scientia divinabis, idq; facillimè. Spendida promissa reconciliatura, nulla re segnes intenti semper ad omnia sumus.

Eadem die qua iveram redij, sed quod tardùis in crastino relàtionem Reginæ feci actorum; 24. autem circa quartam pomeridianam, fecit *Primas Varsaviam ingreditur.* publicum ingressum Cardinalis Primas honesto comitatu non minus quàm (ut amat) splendido, cuiquè ad Wola quotquot erant Senatorum & ex equestri Ordine nobilitatis, obviam ivere. Intravimus Varsaviam præcedentibus, Crucifero & Mareschalco, expansis vexillis, & tympano sonante. Posnaniensi Episcopo, Palatino Lencicienfi, & Me lateri Cardinalis assidentibus, & rectà in arcem; ubi visitato imprimis corpore defuncti à Mareschalcis Regni & Litvaniæ ibi tum præsentibus exceptus, à Domino Palatino Lencicienfi uti Mareschalco, ante cubiculum Reginæ salutatus, & ulterius ad decumbentem in lecto doloris Reginam conductus; Ubi adfuit etiam Princeps Iacobus, jam redux ex loco quo iverat, obviam Cardinali, ibique eum salutavit, se suaq; recommendando. *Visitat Reginam.* Post reciprocas expressiones affectus cum dolore mixti, unius horæ spatio, absentibus omnibus conferentia cum Regina duravit, qua finita visitavit omnes Principes, & Serenissimi Iacobi Uxorem, dum verò rediit Ille in suum Palatium, retulit Mihi Regina promisisse eum omnem assistentiam rebus ejus. Declaravit præterea non prius se Senatûs Consilium convocaturum, nisi integra in Domo Regiâ pax & concordia coalescat, ne ea materia in illo agitetur, quæ est nimis delicata, ex quo Respublica quoq; suam ibi invenire potest utilitatem.

Vidi

A.C.1696 Vidi etiam Illustrissimum Nuntium Apostolicum *Davia*, si tantum sinceritatis, quantum spiritûs & intellectûs haberet, certè nobis bona ab eo quævis promittere possemus,

Davia Nuntius Apost.

Eodem die quo venerat Cardinalis, scripsit statim Castellano Cracoviensi, & Palatino Vilnensi, primo exercitus Poloniæ, secundo Litvaniæ Ducibus; Regina quoq; ad lenimentum gravissimi doloris sui, varias, in eodem argumento literas ad exteras Europæ Principes, ut in plures alveos divisus mœror, decresceret, scribere me jussit, quod & libenter feci; quarum copias Tibi adjungo. Nec Principes Regij in orbitate suâ luctuq; incomparabili diu tenuerunt calamum, quin dolorem præcipuis quibusdam in Regno communicarent Proceribus, nonnullas hujus argumenti literas, quæ vel ad meas venerunt, vel per meas manus expeditæ sunt, adnecto.

Die 25 post dictam Missam ad corpus Regium Cardinalis Primas inter sacra & vota pretiosam capiti ejus imposuit ex adamantibus coronam, accepta prius à Principe Jacobo assecuratione, eam iterum Reginæ restituendam. Eadem die invitato Mareschalco & Thesaurario Regni ad Palatium in præsentia multorum Senatorum Regina, & Principes gratias egerunt pro eo, quòd Sigillis suis Thesaurum Regis signaverint, & sicut pro securitate gazæ Regiæ id fecerant, ita nunc levare illa sigilla ne gravarētur, institerunt. Respondit cū solita gravitate Mareschalcꝰ, petijtq; à Cardinali, & alijs Senatoribus, ut eum evincant coram Republica, si ab ea impetitus fuerit, & ut habeat testimonium, quòd ad hanc obsigillationem tanquam privatus accesserit amicus, quia si tanquam Minister id fecisset, expectare hoc in puncto totius Reipublicæ debuisset decisionē. Resolvimus hunc scrupulum authoritate svadendi magis quàm jubendi potestate, judicium animi citra damnum affectûs proferentes, quod hæc sit privata Domus Regiæ fortuna, nec ullo aresto subjacere possit, extantibus alijs tam opimis & diffusis possessionibus, omissa proinde inanium specie, de re judicemus ex re ipsa. Altera ratio erat, quòd janua aperiretur ad res novas, & modus culpæ ex pecuniæ modo constitueretur, & qui esset locuples, fuisset & nocens. Nemo auderet coronam Nostram ambire & ad possessionem ejusdem concurrere, similia cum derelictis suis justè metuendo. Post multas proinde controversias & contestationes, iverunt Principes Regij, Cardinalis Primas, Mareschalcus, & Thesaurarius, sigillaque sua ruperunt, & Reginæ Principumq; imposita. Interea dissensiones crescebant internæ, res anteriores posterioribus normam præministrabant: & cum cogi nubes has videmus; timendum ne brevi sequatur tempestas. Petijt, Princeps Iacobus Cardinalem, ut sessionem Amicorum decernat, in qua jura Reginæ & defensiones ejus disquiri possint. Propositio hæc displicuit Matri, & etiam si queri non poterat, tamen indignabatur. In mare enim disceptationum lata patebat via.

Corona defuncto Regi imponitur.

Thesaurus Regius resigillatur.

Nova dissensionum materia in domo regia.

Acceptæ interim literæ Zolkiewiâ à Domino Castellano Cracoviensi qui omnem securitatem depositis ibidem providisse se scripsit contra certæ personæ intentiones, quæ plenipotentiam obtendebat ab omnibus Principibus ad deoccupationem integram illorum depositorum. Sed cum principes juniores excepto primo nunquam se plenipotentiam ad id faciendum dedisse asseverarunt, scriptæ sunt literæ eam retractantes. Assignata pòst eadem die in domo Cardinalis Sessio omnes nos congregaverat, in qua Episcopus Vladislaviensis, Mareschalcus Regni, & alij Amici Nomine Principis Iacobi summam Matris venerationem, humillimam submissionem declarârunt, tacitè nihilominus advitalitatem Reginæ impugnando; Tenebræ sunt quas non illu-

illustret ipse Phœbus; volebat quippe Princeps scire instituta legum pro qua parte sint potiora, ut quod instituère maiores, posteri imitentur. Sic facere solent homines in spem suam proni. Dedi vindicias propositioni huic, advitalitatem authenticam legi, quamvis instigator Regni tanquam in privata fortuna inscriptam impugnaverit, quoniam reformatio per Comitia publica facta, illam tollere & annihilare videtur. Visum est proinde supplicare suæ Majestati, ut amorem suum Maternum in Filios suos palàm faciat. Gratum spero tibi fore, si rationes pro & contra habueris, quæ nobis sunt in scripto datæ. *A.C.1696*

Et quoniam Principi Iacobo in expensis pro parte ejus ostensus est, etiam pro Nuptijs sumptus, qui ultra 473169. millia extendebatur, in quo etiam pro depingenda Senatoria Camera, & pro similibus expensa numerabantur; petij Reginalem Majestatem, ut in eo discretionem suam Maternam non dedignetur testari, quod & promisit. Et pòst petijt Palatinum Calissiensem Stanislaum Malachowski & Me, (haud id est abs re, neque susceptа narratione procul) ut Principem Iacobum adiremus, quidque tandem desideret exquireremus; qui reposuit petere se Majestatem suam, utrum cedere advitalitate velit, aut non? quia si perlistit, tum Filijs ejus nulla restat spes hæreditatis Paternæ; si autem illa cedit, facillimè concordia coagulabitur. Addidit misisse se suas propositiones ad Cardinalem, qui brevi pòst in Regia comparuit, dixitq; confidenter mihi, quòd Principes desiderent, ut aliqua notabili summâ tam pro advitalitate, quàm pro omnibus alijs prætensionibus contentare se Regina velit. Nullum enim hoc convenientius & efficacius medium esse potest, in tanta eorum confusione. Eadem die miserat Princeps ad Cardinalem, (ita fit plerumq; ut nemo sciat & omnes affirment) denuntiando quod Canonicus Suszycki ex mandato Reginalis Majestatis iverit Villanoviam, indeq; 4. vel 5. currus ex pretiosissimis quibusdam mobilibus Varsaviam duxerit. Tactus erat ingenti doloris sensu Cardinalis, relationem non fidem ducem habens, & inania pro solidis quandoq; captans, & statim D. Castellanam Lencicìensem ad Reginam cum expostulatione, & indignatione misisset, nisi ego casu venissem & quamvis verebar, & si ita vis, etiam timebam, ne verum esset, quod objiciebatur, cum certum sit nihil, omnia ex suspicionibus habeantur, & hanc legationem, quædam etiam admiscens nobili libertate digna, dissuasissem, usq; dum melius sciatur. Missus nuntius Villanoviam intra duas horas redijt, & falsam fuisse relationem retulit. Bonum erat à veritate vinci, nam quòd voluerit nescimus, quòd non læserit scimus. Ac perinde ut nubes à radiis solaribus, & à vento subsolano glacies brevi temporis spatio disjiciuntur; sic hæc sinistra relatio, quæ flammam novo alimento nutrire potuit, cum ulterius progredi non valuit, retro cessit & cessavit. Timendum autem ne vereri incipiat Princeps, quam desiit revereri. Unde Amici Principis pudore affecti, quanquam queri non audebant, secreta tamen indignatione fremebant, & damnabant, ut inconsultum, quòd scilicet calumnijs contra Matrem ageretur, & Mater non ex merito haberetur, ita vel consilium sequitur pœnitentia. Instat die crastino Consilium Senatûs à Cardinali Primate destinatum, pro quo me præparare aliquatenus debeo. Pravum Reipublicæ Civem Demosthenes declaravit, qui imparatus ad dicendam pro Reipublicæ utilitate sententiam accedit. Finem epistolæ pono, ulterioribus occasionibus tibi more meo significaturus. DEus te incolumem servet, Nobis & Patriæ, quàm diutissimè superstitem.

Falsus rumor de avecto thesauro Villanovià.

Copia Literarum Cardinalis Primatis
AD CASTELLANUM CRACOVIENSEM GENERALEM EXERCITUS DUCEM.

Commendatur eidem cura Regni, militibus stipendia promittuntur.

Retulit publica fama Illustrissimæ Dominationi Vestræ tristissimam Reip. orbitatem, occumbente 17 currentis Rege illo, cujus paternâ curâ securi dormiebamus, vigilante pro Nobis Antipatro. Non incuso Fata; nam flere etiam tam ingentem Reip. jacturam, & omni irreparabilem ævo non licet metu reliquorum. Magnitudo oneris occurrendi singulis periculis super humeros meos devoluta, qui plus bonæ voluntatis habeo, quàm virium & facultatis, & grandis difficultas remedij, forti indiget succollatore. Hunc non alibi quærendum, invocandumque existimo, nisi ubi illum Leges publicæ indigitant. Quare non tantum ex vi muneris & officij mei, verùm etiam ex instinctu præsentis hic & nunc Senatûs, cujus sententiam more Patrio in hoc Reip. luctuoso sanè casu appellavi; recurro præsentibus ad Illustrissimam Dominationem Vestram, quatenus dignetur non tam inchoare, quàm continuare laudatissimum semper bene de Patria merendi studium, in tuendis præsertim Regni finibus, & fortalitiis, in quorum integritate, securitateq; promovenda tot tempora gloriosè semper implevit. Optabam equidem infelicis hujus, mihi verò onerosissimi Interregni tempore illum ad manus habere nervum, quo emeritam militiam sub prudentissimo Illustrissimæ Dominationis Vestræ regimine, felicissimè hactenus prælientem, excitare possem ad fortia; Verùm quia ex ratione statûs nostri, necessitatibus illius compati possumus, succurrere non valemus, reliqvum est, ut ab Illustrissimo Regni Thesaurario obtineamus, quatenus fortalitio Ss. Trinitatis quàm primum pro viribus suis dignetur succurrere, nec non Illustrissimam Dominationem nomine præsentis, numerosique Senatus, securam reddere de solvendis, ubi primum licuerit, emeritis toti militiæ stipendiis. De quo Illustrissima pariter Dominatio Vestra potest indubitatè certum reddere universum Exercitum, utiquè fratres Nostri sunt & os ex ossibus nostris, adeoque clarè videre possunt, quòd hic & nunc bona tantum verba illis dare possimus, sed sinè dubio res sequentur, ubi DEO favente Comitia Convocationis felici fuerint exitu coronata, in quorum denunciatorijs præcipuè emerita Polonæ militiæ stipendia commendavi. Nihil ambigo velle Illustrissimam Dominationem Vestram litare operam suam amori boni publici, quam illi hucusq; gloriosissimè impendebat, ut communicatâ operâ, mutuóque consilio non minus amicis, quàm hostibus demonstremus; optimos Nos esse, dum infirmi

infirmi sumus & Rempublicam futuro Regnanti, quemcunquè DEUS destinavit, reddamus, qualem accepimus. Quanquam ego pro gloria nominis Illustrissimæ Dominationis Vestræ & merito in Rempublicam adhuc meliorem optarem. A.C.1696

EJUSDEM AD PALATINUM

VILNENSEM EXERCITUS M. D. L. SUPREMUM DUCEM

Commendat curam Litvaniæ, stipendia militi promittit

V*Enit ad aures nihil dubito Illustrissimæ Dominationis Vestræ tristissimus nuntius, qui totius Regni intima penetravit, nunquam satis deplorando Regis nostri occasu, qui postquam in diem Iunij 17 incidit, aperuit nutantem Reip. fortunam. Ab extra enim bellum eò difficilius imminet, quò minus est domi virium, tot annorum exhaustis Marte; ad intra verò Civilibus dissensionibus premimur, quas omni bello periculosiores existimo*

Tam ingens per intima Regni viscera serpens malum non exaggero; neminem enim esse puto publicæ infelicitatis ignarum. Non licet tamen in medijs fluctibus laborantem, luctantemquè cum extremo suo Fato Reip. fortunam deserere. Quod ergo muneris mei, & antiqui moris ratio præscribit, ago, præstarequè amplius contendam, minimè dubius quòd pariter Illustrissima Dominatio Vestra non modo immortalibus suorum Majorum, sed magis proprijs, illisquè recentibus in Patriam nixus promeritis, antiqua Illustrissimæ Domûs decora novis in præsenti rerum statu confirmare amplificarequè dignabitur documentis, in omnes invigilando partes, ne oblati occasione Interregni Vicinus quispiam hostis aliquod Statui præsenti construat discrimen, semper Majoribus nostris formidandum. Quod non tam privato meo, quàm frequentissimi apud me Senatûs nomine precor, oroque, ut ante omnia emeritam M. D. L. militiam, quam gloriosissimè hucusquè moderatur, certam reddat de enumerando quàm primùm rebus compositis, stipendio. Obtinebit nihil dubito charissimæ Patriæ amor apud suos filios illam commiserationem, & tantillam patientiam, ut tantisper præmium sibi debitum præstolentur. Ego interim communicato cum Illustrissima Dominatione Vestra consilio, laborabo, ut sinè mora datam fortissimo Exercitui promissi fidem exsolvam integerrimè.

A.C.1696

COPIA LITERARUM
à Srma Regina Vidua ad Imperatricem.

Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Principi Dominæ Dominæ D. G. Romanorum Imperatrici ſemper Auguſtæ, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Reginæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, Duciſſæ Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Vittembergæ, Comitiſſæ Tyrolis, Sorori Cognatæ & Vicinæ Noſtræ chariſſimæ, Maria Caſimira eâdem gratiâ Regina Poloniæ &c.

Salutem ac mutui affectûs continuum incrementum.

Sereniſſima ac Potentiſſima Princeps Cognata & Vicina Chariſſima.

Immenſus dolor ex inopinato de hac vita deceſſu Sereniſſimi Regis Domini conjugis Noſtri Dilectiſſimi ipſa etiã Nobis verba eripit, quibus Majeſtati Veſtræ præconcepti doloris magnitudinẽ deferre ac repræſentare poſſimus; vim tamẽ quantumvis dolentiſſimo inferentes pectori, ut luctus in plura diviſus corda, minuatur, illum Majeſtati Veſtræ non ſinè graviſſima novi doloris amaritudine communicamꝰ, certã ſpẽ habentes, quòd in partẽ permiſſæ à Supremo Numine orbitatis, benignè accedere, rebúſque noſtris, partim ex jure viciniæ, partim ex affectus ſui conſvetudine, toties erga Nos demonſtrati favere Majeſtas veſtra non gravabitur. Quod Nobis procul dubio inter recentes, illosq; moleſtiſſimos ſauciati animi noſtri angores à Majeſtate Veſtra pollicentes eidẽ proſperiores rerũ ſucceſſus, quàm Nobis frui liceat, diuturnamve à Deo Optimo Maximo incolumitatem impensè apprecamur. Dabantur Varſaviæ die 10 *Menſis Iunij Anno M DCXCVI*

EJUSDEM AD SERENISSIMAM
REGINAM HISPANIARUM

Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Principi Dominæ Mariæ Annæ Dei Gratiâ Hiſpaniarum, utriusque Siciliæ, Caſtellæ, Legionis, Arragonum, Hieruſalem, Portugalliæ, Navarræ Indiarúmque Reginæ Catholicæ, Sorori & Cognatæ Noſtræ chariſſimæ.

Recens luctus quo Nos dextera Domini tetigit, per mœſtiſſimum Regis Domini Mariti Noſtri Dilectiſſimi ex hac vita exitum non permittit, ut Majeſtati Veſtræ totam doloris Noſtri magnitudinem explicemus. Verùm quia Majeſtatem Veſtram, quemadmodum humanæ viciſſitudinis optimè memorẽ eſſe non dubitamus, ita certâ erigimur fiduciâ, eandem ad compaſſionem præſertim ſtatûs noſtri facilè acceſſuram, ut eò leniùs tanti doloris moles ferri poſſit. In reliquum fauſtiores rerum eventus, proſperámque valetudinem à Supremo Regnorum moderatore Deo Majeſtati Veſtræ animitùs vovemus. Dabantur Varſaviæ eodem, ut ſupra die & Anno.

EJUS-

EJUSDEM AD REGINAM SVECIÆ

Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Principi D. NN. DEi Gratiâ Svecorum, Gotthorum, Vandalorúmque Reginæ, Magnæ Principi Finlandiæ, Duci Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ, & Vandaliæ, Principi Reginæ, Dominæ Ingriæ, & Viſmariæ, nec non Comiti Palatinæ Rheni, Bavariæ, Iuliaci, Cliviæ, Montiumq; Duci, Sorori, Amicæ, & Vicinæ noſtræ chariſſimæ ſalutem, & mutuum continui affectûs incrementum.

Quæ cuncta communi mortalitatis lege, verſat & immutat viciſſitudo, eadem Nos quoque ingenti mœrore per inſperatum de hoc vitæ theatro deceſſum Sereniſſimi Regis Domini Noſtri Conjugis Dilectiſſimi, graviſſimè affecit. Ille quidem ex arbitrio Supremi Numinis ſuis perfunctus fatis, Nobis verò vix ferendum dolorem & lachrymas in miſeræ orbitatis ſolatium pro ſui reliquit memoria. Quæ propter præſentem Mariti Noſtri exceſſum è vivis communicantes, minimè ambigimus eandem ad lenienda, dolentiſſimi cordis noſtri vulnera pro ſolito eoquè Chriſtiano erga Nos affectu allaboraturã ut tã intimꝰ profundi animi ſenſus fidâ ac ſincerâ Majeſtatis Veſtræ compaſſione leniri, componiquè tantiſper poſſit. Noſtra verò intererit pro hac benevolentiæ mutua conteſtatione Majeſtati Veſtræ proſperos rerum ſucceſſus, diuturnamq; à Superis incolumitatem ex animo precari. Dabantur Varſaviæ.

EJUSDEM AD REGINAM DANIÆ

Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Principi Dominæ NN. DEi Gratiâ Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gotthorúmque Reginæ, Duci Slevicij, Holſatiæ, Stormariæ, & Ditmariæ, Comiti in Oldemburg, & Delmenhorſt, Sorori ac Vicinæ Noſtræ chariſſimæ.

Luctuoſiſſimus ex hac vita deceſſus Sereniſſimi Regis Domini Mariti Noſtri chariſſimi, tantâ doloris magnitudine intimas cordis noſtri fibras pervaſit, & concuſſit, ut niſi Majeſtati Veſtræ eundem pro aliquo tantiſper animi Noſtri levamento communicaremus, vix humanis viribus tam triſtis viciſſitudinis orbitatem & Regni cladem ferrè poſſemus. Hoc proinde calamitatis noſtræ exemplo permota Majeſtas Veſtra non gravabitur pro ſingulari ſua erga Nos propenſione in partem doloris accedere, atquè eo ferri ſtudio, quo ſors tam profundi doloris Noſtri valeat temperari. Cæterùm in luctuoſiſſimo hoc ſtatu Divinâ manu poſiti, feliciores Majeſtati Veſtræ rerum curſus, cum longæva à Deo incolumitate ſincerè, conſtanterquè precamur. Dabantur Varſaviæ.

EJUSDEM AD PALATINAM RHENI.

Sereniſſimæ Principi Dominæ NN Comiti Palatinæ Rheni, Romani Imperij Architheſaurariæ, & Electrici Bauariæ, Neoburgi, Juliæ, Cliviæ, Montium Duci, Comiti in Veldentz, Sponheimb, Ravensberg, Dominæ in Ravenſtein, Sorori & Cognatæ Noſtræ Chariſſimæ.

EAm eſſe humanæ viciſſitudinis ſortem nullis unquam ſæculis violatam, ut infauſta proſperis, læta triſtibus frequenter permiſcendo jus ſuum non ſinè grauiſſimo mortalium ſenſu, & communi calamitate exerceat; Idipſum à mæſtiſſimo de hac vita Sereniſſimi Regis Domini Conjugis Noſtri Dilectiſſimi diſceſſu, plusquam in Nobis ipſis ſentientes, nullatenus ferre poſſumus, quin Serenitati Veſtræ triſtiſſimum hunc de tam inſperato obitu feramus nuntium. Ingens hic & propè vix ferendus animi Noſtri mæror quòd in amico pectore, ac ſolita erga Nos benevolentia Serenitatis Veſtræ juſtam inventurus ſit compaſſionem, ſicut nullatenus dubitamus, ita optatos eventus cum integerrima valetudine Serenitati Veſtræ apprecamur. Dabantur Varſaviæ.

COPIA LITERARUM

SERENISSIMI PRINCIPIS JACOBI AD EMINENTISSIMUM PRIMATEM.

INexplicabili circumventus dolore, poſt luctuoſum ex hac vita deceſſum Sereniſſimi Parentis mei, in tam dolenda orbitate, tremulâ ad Eminentiā Veſtrā manu præſentes exarare cogor, enarrando fatalē hunc ictū, quem Divina manus Domui Noſtræ inflixit, adeo ut ad exquiſitæ infelicitatis cumulū, nihil præterea addi posſit, cogitariquè. Mihi præcipuè cui geminata imminet calamitas, ex occaſione infenſæ nonnihil Sereniſſimæ Matris meæ, de cujus affectu in me, quantū vis Eminentiæ Veſtræ abundè aliàs conſtare poteſt, clarius tamen corā quàm per literas decet exprimere. Sufficiat interim Eminentiæ Veſtræ nôſſe, quòd hucusquè eâ uſus ſim moderatione, quam & filialis obſervantia & profunda ſubmiſſio requirebat. Non vanam ſpem pono fortunæ meæ in Eminentiæ Veſtæ Authoritate, quòd ubi Varſaviam attigerit totam hanc procellam & motos componet fluctus, mihi verò paterno ſuo affectu adeſſe, & laboranti patrocinari cauſæ dignabitur. Quod ubi præſtiterit, implebit leges æquitatis, & afflictū depreſſumquè ſtatum Noſtrum eriget, quem iterum iterumquè Tutelæ Eminentiæ Veſtræ, ac protectioni impenſiſſimè commendo æternum obligatus.

Jacobus Ludovicus Princeps
mpp.

COPIA

A.C.1696

COPIA LITERARUM

SERENISSIMORUM ALEXANDRI ET CONSTANTINI PRINCIPUM AD EMINENTISSIMUM PRIMATEM.

AD quem in tam fatali naufragio post tristissimum Serenissimi Parentis & benefactoris nostri obitum, ad quem, inquam, portum securius vertere proram possumus, quàm ad sinum probatæ toties erga Nos Eminentiæ Vestræ benevolentiæ, quam Nobis proximi sangvinis necessitudo tam intimo nexu illigavit; quòd interea temporis tantò fiducialius testamur, quantò sumus certiores, quòd ultra sangvinis jura gravissima orbitas nostra omnia consueta erga Nos inclinationis conciliabit facilè, & disponet officia. Vota deinde nostra mutua brevis sunt mensuræ, quia unum hoc intendimus omnes, ut Serenissima Parens Nostra in Juribus & prærogativis Personam suam concernentibus secura conservetur, cui Nos ex præcepto Divino & mandato piè defuncti Serenissimi Genitoris & ex obligatione pro beneficijs plusquam maternis assistendo, sic speramus, quòd Eminentia Vestra pro Inter-Regis officio coronatam illius dignitatem, & nostrum simul honorem tueri protegeréque dignabitur. Nos pariter conjuratâ unione pollicemur Eminentiæ Vestræ æternam grati animi memoriam.

Alexander Princeps
Constantinus Princeps.

SERENISSIMO JACOBO

RESPONDET EMINENTISSIMUS PRIMAS.

PRæmisi nuper Serenitati Vestræ per Reverendissimum Nominatum Chelmensem vivi doloris mei sensum supra tam luctuosũ Serenissimi Regis Nostri, & Vestræ Majestatis Parentis fatum, qui non modò Serenissimã Domum suam, sed totam Remp. gravissimo calamitatis vulnere sauciavit. Quod Serenitatis Vestræ attinet privatum interesse, explicui meam mentem eidem Reverendissimo Nominato, commendavique diligentissimè, ut securam redderet de antiqua mea inclinatione, nec non obligatione, & recenti in tanta orbitate compassione. Confirmabo præsentibus documentis, ubi primũm venero Varsaviam, quòd, qua promptitudine omnia Serenitatis Vestræ mandata recipio, eâ facilitate, diligentiaq; exequi contendam. Insuper solatia desuper precatus omni cultu & veneratione testor.

Idem

A.C. 1696 Idem Eminentissimus Primas respondet Serenissimis Principibus Alexandro & Constantino.

EX duro marmore cor illud sit, necesse est, quod tam publica orbitas in lacrymas non resolveret, & ad debitam compassionem supra deplorandam Regiæ Domûs sortem & tenerioris ætatis dolendam fortunam non provocaret. Omnes vires conatúsque impendam, ut primam hanc scintillam domesticæ dissensionis quàm primùm extingvam, ne in publicum erumpat incendium. Quoties enim hoc profundiùs recogito, omnes in me passiones concentrantur. Et quia me sors nascendi in eo gradu sangvinis, & gratiâ Serenissimi Parentis Serenitatum Vestrarum, eò authoritatis, dignitatisque loco posuit, sentio me obligatum, & jure gratitudinis erga Serenissimam Reginam ex titulo conscientiæ, ne tantum scandalum innotescat; domi verò concors harmonia innati affectus tam inter Fratres, quàm Filiorum erga Matrem prædatur. Omnes proinde impendam curas, & studia eò vertam, ut non verbis sterilibus, sed opere, obsequio, & applicatione testari possim &c.

Michaël Radzieiowski Primas.

mppa.

ALEXANDRI ET CONSTANTINI PRINCIPUM

AD EPISCOPUM CRACOVIENSEM.

ETsi habeamus præ manibus certissimum pignus indubitati erga Nos affectûs Celsitudinis Vestræ Illustrissimum nimirum Palatinum Calissiensem tantum fortunæ & domûs Nostræ fulcrum, nec non præsentissimum solatium; inter gemitus tamen parentales, quos Serenissimi Parentis nostri pijs manibus infelices posteri exsolvimus, juvat etiam Celsitudinem Vestram præsentibus compellare, precariq; ut pro illius, quam Serenissimo Parenti Nostro constantissimè testabatur, benevolentiæ suæ amplitudine Nostras quoque spes Magni Regis miserandas reliquias Paternâ gratiâ tueri, & orbitati Nostræ securum præstare asylum dignetur. Nos vicissim certam Celsitudinem Vestram facimus, quòd quidquid in Nos ex plenitudine affectûs Celsitudinis Vestræ augmenti redundabit, totum cum Illustrissima Domo Celsitudinis Vestræ erit Nobis commune.

EORUNDEM AD PALATINUM

SANDOMIRIENSEM.

AD quod al??ud post naufragium inter scopulos mortis Serenissimi Parentis Nostri allisi bonæ spei promontorium cum tristissima orbitate Nostra recurrere possumus, quàm in sinum constantissimæ semper Illustrissimæ Dominationis Vestræ bene-

beneuolentiæ quam tot argumentis Regiæ Domui Nostræ, rebus integris testabatur. Unde in spem indubitatam erigimur, quòd tanto efficacius fortunæ Nostræ tam acerbo inclinatæ casu succurrere dignabitur, quantò fortius & miseratio sortis nostræ, & grata Serenissimi Parentis memoria Illustrissimam Dominationem Vestram ad hæc pia stringet officia. Quod dum iteratis uotis postulamus, minimè dubitamus, quòd hanc fiduciæ Nostræ contestationem, quam in simplicitate cordis Illustrissimæ Dominationi Vestræ deferimus, ad intima cordis sui admittet. Nos vicissim securam reddimus Illustrissimam Dominationem Vestram, quòd omni momento simus futuri grati & memores, quocunque demum modo id Nobis testari licuerit. A.C.169.

Alexander Princeps
Constantinus Princeps.

EORUNDEM

AD CASTELLANVM

Sandomiriensem.

I*Ndubitatâ Illustrissimæ Dominationis Vestræ erga Serenissimum Parentem Nostrum gratæ memoriæ freti fiduciâ commendamus orbitatem Nostram, & naufraga regalis fortunæ fragmenta, eidem Illustrissimæ Dominationis Vestræ affectui, qui tamdiu gloriosâ erga Domum Nostram suæ benevolentiæ dabat documenta. Hic fortè, si nondum plenas debitæ gratitudinis recepit vices, reliquit Nobis, & quasi supremis tabulis inscripsit ingens ille Serenissimi Parentis Nostri genius meditationem implendi ea, quæ nondum ex integro persoluta. Agnoscet Illustrissima Dominatio Vestra hujus gratitudinis non desides animos Nostros, modò Illustrissima Dominatio Vestra succrescentem florem spei Nostræ ulterius gratiæ suæ subsidio fovere dignetur, & decus hoc, quod vindicijs oppressorum toties consecrat, ad Nostram etiam orbitatem convertat.*

E AMICO

A.C.1696

VIII.

AMICO CONFIDENTI,

30. Junij Varsaviâ.

BEne facis, quòd me felicem esse velis, dum tuum conservas amorem, quem intelligis mihi deberi, mea erga te studia intuendo. Illud tantùm dolere ego sæpè cogor, quòd ita fortuna ferat, ut disjuncti vivamus, & eripiatur utriq; nostrûm suavitas illa, quæ sine dubio cum unà sumus, longe major est, quàm cum aut ego tuas, aut tu meas epistolas legis. Conjungantur tamen animi quanquam locorum intervallis disjuncti.

Incepit consilium die 28 Junij, propositio facta à Cardinali Primate intimi animi sui exprimente dolorem, super immaturo Magni Regis fato, qui suo fortasse tempore (cum non parum ætati, gloriæ plurimùm vixerit) nobis tamen & universæ Reipublicæ alienissimo, vitam quam gloriosissimè gessit, immatura morte finivit. Et cum semper id egerit, ut nulli quidquam deberet, nullum saluti libentius debitum solvit quàm supremum. Excurrit non nihil in laudes defuncti dicendo: *Ejus potentiam nemo sensit, nisi aut sublevatione periculi, aut accessione dignitatis. Annos ejus si rebus gestis recenseas, non è mensibus, sed seculis crederes esse conflatos. Cum fuerit in nullo non maximus, dubites, in quo major esse potuerit. Virtutes ita colebat singulas, ac si non appeteret universas, qui cum omnes voluisset optimos, se omnibus ostendit meliorem. Ita sibi vacans, ac si cæteros neglexisset; ita alijs, ac si se ipsum non curaret. Quàm verò sit assidua eminentis virtutis comes, invidia, altissimisq; adhæreat, quò propius ad metam accesserat, eò melius sensit; sed in hoc mirandus, quòd nunquam injuriæ memor, nisi ut condonaret, magis ulcisci se nollet, quàm quòd posset; quod sic agebat, quasi unum hoc ageret.* Et conclusit: *in Joanne hoc maximum fuisse, quod neq; ante illum, quem ipse imitaretur, nec post illum, qui eum imitari possit vidimus, & nunc in amisso dolemus. Cùm verò omnis subita mutatio rerum non sine quodam quasi fluctu contingat animorum; medicina nunc potius tempus est, quàm querelæ. Nunc demum tantum onus magis sentio, quàm dico.*

Encomium Ioannis III.

Cum autem magna negotia magnis adjutoribus egeant, amicos advocabat quos plures habere multis gloriosum, reprehensioni nemini fuit. Petijt à Senatu, cum sit res digna magnitudine illius & cura, ut in tantis Reipublicæ necessitatibus communi consilio eum adjuvemus, appromittens, quòd sibi non nisi utilitatem publicam intuendam sequendamq; esse proponat. Quidquid publicè salutare non judicaverit, privatum & alienum sit existimaturus. Nihil contra leges acturus, nihil præter leges formidaturus. Ut errorem, si aliquis irrepserit, corrigere dignemur, iterum requisivit, & conclusit in Nostra post DEum situm, manu, qualem nobis formare malimus fortunam. Deinde lectæ sunt literæ Domini Castellani Cracoviensis, qui de periculo fortalitij Sanctissimæ Trinitatis præmonuit, præsidium Cracoviense in memoriam reduxit, suum jus allegando. Exercitûs numerum extenuavit pro futuri anni expeditione.

Ex occasione harum literarum more suo non bene perpensis consequentijs, Stanislaus Dambski Episcopus Vladislaviensis aggressus, (quasi lapides pluerint, flumina steterint, iverintq; à mari sursum) quanquam absen-

absentem Castellanum satis injuriosis verbis, tanquam hoc sit proprium ejus fatum, ut ex candore nimio oriatur etiam aliquando ignis, petijtque, non quia opus, sed quia odium in Castellanum inducebat ad hæc prima & callida sua desideria, ut hæ literæ in quibus aliquid tanquam nodum in scyrpo invenisset, retinerentur. Sed Palatinus Lenciciensis & Plocensis ut Generi Castellani alijque colligati, tum de illo pendentes, & eum respicientes amici, fortiter famam falsè & insidiosè petitam læsumque honorem, quem omnes norunt (scimus & ideo virtutes dotesque ejus æstimamus) Castellani defendebant non sine ingenti Episcopi confusione. Incepit dein Palatinus Plocensis querulari, quod arx Varsaviensis quæ jurisdictioni ejus tanquam Capitanei subjecta est, à personis quibusdam illegitimè possessa sit, directè impugnando Marcum Matczynski Palatinum Russiæ, Regis defuncti confidentem; & primum domesticum, qui nunc abundè gustat, quid fellis aut mellis est in rebus humanis, & nunc potissimum cum in cursu institutorum suorum progredi maximè vellet, consistere est coactus. Ejusmodi mortalium sunt res, ut in eodem nihil duret statu. Mareschalcus tamen magnus Regni & alij impugnabant jurisdictionem Palatini Plocensis, quam ipse ut Capitaneus Varsaviensis solus prætendebat, unde ortæ erant controversiæ, sed fuerunt absque conclusione. Disputabatur pòst de tempore, & Convocationis & Comitiolorum, quæ eam in Palatinatibus præcedere debent; Omnes in id conveniebant, ut quantocius expediretur, hoc præcauto; ut tamen detur spatium veniendi ad hæc consilia Nobilitati: Propositum autem erat, Primo, ut sine ordine vota nostra absolvamus Senatores, sed tandem pro facilitando consiliorum fine, ex turno dicere debuimus.

A.C.1696

Defenditur

Querela circa occupationem arcis Varsav.

Compatiebatur quisq; fatis Reipub: dolebat mortuum; prudentiam Cardinalis laudabat in tam periculoso rerum statu, ulterioremq; invocabat. Ex occasione verò Domini Nuntij, qui his diebus comparuit, Dominus Palatinus Lenciciensis rogavit omnes ut qui rectè sentiunt, rectèq; faciunt, eum adjuvent, in insistendo defuncti Regis declarationi, ut novo Nuntio audientia à Repub: denegetur, usq; dum prius in juribus Patronatus habeat suam satisfactionem, & ut monstraret conservandorum jurium Reipub: non humdem zelum. Scripta quædam de juribus Patronatûs Regum nostrorum&Reip: ab eodem Nobis præsentata fuêre, asseverante, se causam hanc suscipere & potuisse, & debuisse; sed illa tibi non adnecto, nec volo ob metum offensionis publicari. Certatum pòst de præsidio Cracoviensi, utrum illud ad Generalis exercituum Regni Ducis, an Gubernatoris, seu Capitanei Cracoviensis pertineat jurisdictionem? Credebamus nobis liberum esse in utramquè partem judicare, sed leges in favorem secundi disposuêre; Cum verò nox approximaret, dilata est Sessio in crastinum, interim ut jura humanitatis conservarentur, missus est cum solatio in tam magno dolore ab hoc consessu Episcopus Posnaniensis, & Palatinus Calissiensis, tam ad Reginam, quàm ad Principes Regios cum sincera veræ compassionis super fata Regis expressione.

Contra Nuntium.

Jurisdictio præsidij Cracoviensis.

Hac eadem die, quod prius dicere debebam, fuit solennis Processio, Octava enim Corporis Christi celebrabatur. Sumptuosissimè, pulcherrimè præparari antè in area Varsaviensis arcis solebat altare, ubi pro more Evangelium canebatur, sed nunc nihil ex apparatu sumptuoso apparuit. Omnia enim clausa & sigillata fuerunt; fuit verò tam vehemens sub tempus Processionis ventus, ut Baldachium quod Principes Regij Alexander & Constantinus super Ss. Sacramentum portabant, in manibus Constantini ruptum fuerit, parumq; faciem ejus læserit & piliolum (iamulka vocatur apud Nos) secundæ intentionis, quem in capite

Acta in processione.

habuit

A.C.1696 habuit Episcopus Posnaniensis, in terram dejecerit, sed hæc missa facio, si non ingrata, saltem intempestiva.

Dilata fuit die sequenti, in crastinum Sessio consilij Nostri, cum id diligentissimè Regina non diffidentiæ causâ, sed metu temporum magno curarum fluctuans æstu procuraverit, (sperans quòd tandem res & consilia habitura sint exitum meliorem, cum nunc hæc labuntur & nisi DEus sistat, jam ruunt) vereri quippe eam cogebat dubitatio multorum, quam cupiebat falsam & inanem, ne Princeps Jacobus desperatione de affectu Materno inductus, in consilio Senatûs ex consuetudine bonitatis suæ declararet, quòd partem hæreditatis suæ in commoda Reipublicæ cedat, incertum quidem, utrum verus erat metus, quia graviora metuebantur; sed tamen id ipsum in literis ad Episcopum Vladislaviensem datis, qui Principem consilio regebat hæsitantem, expressis verbis insinuavit, tanquam desiderans, ut optimam causam tolerantiâ suâ meliorem efficere cum posset, præcipitantiâ pœnas suo det deniq; damno. Unde his ex causis in spem metumq; certissimum adducebantur multi, perpetuam domûs Regiæ majoremque in dies futuram esse discordiam. Timebatur adhuc, ne Princeps querelas suas contra Castellanum Cracoviensem, quas privatim faciebat, publicè deponeret, quòd scilicet ille in literis suis ad Cardinalem datis paucitatem militum incusaverit pro conservatione fortalitij Sanctissimæ Trinitatis necessariorum, & interea 600 homines ad occupationem arcis Zolkiewiensis, cum Domino Castellano Camenecensi, & Castri Leopoliensis Officialibus miserit, ut ejusdem Nomine Reginæ & Principum Juniorum possessionem adirent, Dominumque Stephanum Potocki Venatorem Regni commoda Principis Jacobi procurantem impedirent, ne quid violentè fieret. Post inceptum verò consilium die sequenti Dominus Promaczki ex Palatinatu Sandomiriensi nobilis (dixi omnia cum hominem nominavi) aggressus est, temerario motu nullaque causarum connexione Thesaurarium Regni, præcavendo indemnitati Reipub. protestandoque, quòd nisi ille ex munere officij sui, thesauros Regios conservaverit, in quibus tantum jus Respub: prætendit, ipse cum bonis suis omnibus hæreditarijs Palatinatui Sandomiriensi, & toti Reipub. respondebit. Ideoque ad id faciendum olim consilio, nunc necessitate cogitur. Quanquam propositio hæc, non minus acriter facta, quàm fideliter refutata. Quid verò quisquè in hoc puncto sentiat, videmus ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, silentio; sordidè verò hæc dici omnes prudenter agnovimus, nec verba satis placebant, nec sensus. Plebs imperita licentiæ cupida, si peccat minùs mirùm; Senatores Viros rectâ viâ sensibusq; euntes offendere, & labi, quis non argueret? Quod non modò injustum, sed nec usitatum antea fuit, id postea ne novum videretur nunc facere deberemus, ac proindè de his differere consilium non erat, talis namque materia est, ut una dubitatione succisa, innumerabiles aliæ velut hydræ capita succrescant.

Orta erat quæstio quomodo præsens Sessio vocari deberet, an Senatûs consilium? an colloquium, & conclusum; quod sicut in omnibus præteritis literis universalibus ab Archiepiscopis Gnesnensibus sub interregno editis, expressum fuit Senatûs Consilij Nomen, sic & hic fieret.

Fuit ibidem quæstio quomodo Dominus Thesaurarius providere deberet Aulæ Regiæ, quæ corporis defuncti assistentiæ serviebat, cum non exstet ulla mentio, quomodo id fuerit factum inter fata Regum & convocationem. Voluit quidem Dominus Thesaurarius, ut ex consilio hoc Cõmissarij ad combinandum illi destinarentur, sed unanimiter negatum,

cum

cum hoc ad dispositionem totius Reipublicæ pertinere videretur; liber- A.C.1696
tas nihilominus ipsi relicta, ut aliquos Senatores pro consilio sibi adsciscat, cui, & quantum solvere deberet. Dominus Joannes Odrowąż Palatinus Siradiensis mirari se dixit, obviandum credidit, ne hi qui tantas fortunas à Rege defuncto habent, amplius sumptibus Reipublicæ nutriantur, quæ dicta credebantur contra Palatinum Russiæ & alios.

Repetita iterum fuit cum zelo & fervore materia de Domino Nuntio, sed hoc negotium accepit in se Cardinalis Primas promittendo favorabile Româ responsum.

Ablegatos itidem ad vicinos & amicos Principes missurum se promisit Cardinalis, cum ea extarent præjudicata, quòd non expectata Convocatione missi in alijs interregnis fuerint, uti & ego post mortem Michaëlis immediatè non expectata convocatione in Hispaniam & Portugalliam fuerim ablegatus, à Principe Czartoriski Archiepiscopo portunc Gnesnensi.

Disputatum pòst de tempore Convocationis, & tandem Comitiolis ultimi Iulij, Convocationi ultimi Augusti dies destinati. Accipe copiam eo nomine expediti universalis à Primate. Fac me velim ames, & si par pari referre vis, amore non vulgari.

CARDINALIS PRIMATIS
LITERÆ CIRCULARES AD OMNES REGNI ORDINES DATÆ VARSAVIÆ

Datum 27 Junij Anno 1696.

Universis & singulis quorum interest &c.

Divinæ dispositioni, quæ perpetuâ vicissitudine purpurâ induit, & exuit Reges, ita placuit ut ad summum culmen provectam Reipub. hujus gloriam fortunamq; sub triumphali manu Serenissimi Nostri JOANNIS III. noluerit esse immortalem, sed communi mortalitatis lege, illo Nos orbavit Principe, qui meritis in Patriam dives, & triumphis computando annos, omnibus Regnis admirationi, hostibus terrori, toti Christianitati ornamento, Patriæ singulari in prosperis æquè, ac in adversis fuit præsidio. Quantò igitur grandior est jactura, tantò acerbiore dolore omnium nostrum animos, & corda vulnerat, præcipuè cùm in medio ardore continuandi sacri fæderis amiserimus subjugandæ domitorem Agamemnona Trojæ. Et quantumvis toto orbe celeberrimi Principis hujus occasus vix mortis nomen meretur ob immortalia non minus in Patriam, quàm in Imperium Christianum merita, quæ indubitatè vivent in memoria hominum, in æternitate rerum. Nihilominus ex officio Primatialis dignitatis meæ, & antiquarum usu legum, nec non ex consilio Senatûs non pauco numero Varsaviæ præsentis, universis Ordinibus tam Regni, quàm Magni Ducatus Litvaniæ præsentibus significo, quòd gloriosissimæ Princeps memoriæ, & Dominus Noster Clementissimus,

A.C.1696 *plenus curarum, & solicitudinis circa boni publici integritatem conservandam in ipso procinctu itineris, quod ideo parabat in Russiam, ut tempestivè pro futuro vere expeditionem militarem ordinaret, adornaretquè, Villanovæ die 17 Junij horâ nonâ à meridie, supremum Vitæ tributum solverit. Quare insistendo consvetis legibus Regni, & consilio præsentis Senatûs, pro Comitiolis per Palatinatus, terras, & districtus tam in Regno, quàm Magno Ducatu Litvaniæ celebrandis, assigno diem 17 Mensis Julij, Anni currentis 1696. Terræ verò Oswiecimensi, & Zatoriensi, nec non Haliciensi diem vigesimam ejusdem Mensis. Palatinatus porrò Masoviæ particularia sua Comitiola in locis consvetis die 17 Julij simul cum Palatinatu Podlachiæ celebrabit. Generalem verò congressum Varsaviæ habebit die 27 ejusdem Mensis, Palatinatus item & Terræ Pruthenicæ juxta placitum Illustrissimorum Episcoporum & Palatinorum suorum particularia sua Comitiola instituent. Jam verò generali Comitio earundem Terrarum Prussiæ 27 diem Mensis Julij Mariæburgi assigno. Comitia porrò Generalis Convocationis habebunt diem 29 Augusti Anni currentis, quæ præsentibus circularibus universis Regni Ordinibus Varsaviæ destino. Et quia publici consilij felicitas unanimi Ordinum consensu, & multâ innititur fiduciâ unicè desidero, & per amorem Patriæ obtestor, ut depositis simultatibus & læsionibus privatis velint universi æquè, ac singuli suas offensas donare bono publico, ex quo unusquisque æqualiter participat, & totum illud spatium temporis integritati Patriæ, securitati, & conservationi Ecclesiæ, ac immunitati libertatis sangvine Majorum Nostrorum partæ immolare exemplo Spartanæ Reip. quæ amisso ad Themopilas Duce gloriosissimo, mutuo totius Reip. consensu publicum illud vulnus Reip. felicissimè sanavit. Non modicum ad mutuæ fiduciæ restaurationem & conciliationem momentum addet, si unusquisque diligenter præsentis Reip. statûs speculum respiciat, & in illo non obiter labentis Regni faciem videat, præcipuè considerando tam diuturni, tam periculosi belli mollem quod hucusquè sinè omni neruo trahitur verius, quàm geritur. Militia per aliquot annorum spatium debitis vacua stipendijs, rarusquè apud signa miles, nullâ Ducum severitate in confinio, omni annonâ destituto, sine emerito stipendio diutiùs potest retineri. Fortalitium Sanctissimæ Trinitatis efficacissimum frænum Camenecensis præsidij, & totius viciniæ antemurale certissimum, ob penuriam annonæ, & debitæ provisionis (ut monere dignatur Illustrissimus Castellanus Ductor vigilantissimus) præsidiariorum alere, & servare justum numerum non valet. Idem defectus premit alia quoquè præsidia Valachiæ, qualia sunt Szocava, Nemec, Soroca, Campelong, Dragumer, quibus sine mora necessaria omnino provideri debent. Non minorem meretur respectum Artilleriæ Regni conservatio, quæ solitâ Quartæ contributione*

tione

tione nullâ ratione subsistere potest. Continentiam Cosacorum in A.C.1696
obsequio Reipub. singulari considerationi pariter & respectui commendo, idquè ex ratione competentis hucusque Dominij, quod sibi hucusque Resp. meritò prætendit supra Nationem Cosaticam, similiter præsidium Metropolitanæ Cracoviensis Civitatis, Mariaburgensis, & Puczkiensis fortalitij commendatur, siquidem thesaurus Regni ex ordinarijs proventibus sufficere tantis expensis nequit. Quare universos æquè ac singulos tam Senatorij quàm Equestris Ordinis ex munere Primatialis dignitatis per amorem Patriæ oro atque obtestor, ut inprimis in privatis Comitiolis, deinde in Generalibus Convocationis comitijs de efficacibus cogitare velint medijs, quibus tempestivè non modo Patriam tueri sed privatas etiam fortunas possimus conservare. Hæc autem media sinè dubio efficacia inveniri poterunt, si Illustrißimæ Dominationes Vestræ pro futura Convocatione terrestres ad Comitia Nuntios cum facultate approbandæ Contributionis publicæ sufficienter instructos expediverint, juxta praxim antiquam Confæderationum. Interim ubicunquè demum locorum retentæ sunt Contributiones pro stipendio militiæ persolvendo, rogo per amorem Patriæ, ut quàm primum extradantur, ad languidas spes infirmi sinè belli neruo militis erigendas, & animos aureâ cote in bello acuendos pro futura expeditione, quæ Nobis ex obligatione percussi fæderis semper incumbit. Ad quod executioni mandandum necessariam existimo in privatis Comitiolis calculationem, cum Magnificis Dominis Exactoribus (vulgo Poborcami*) ut nimirum exactam reddant rationem perceptorum, expensorum, retenta vindicent sine mora, & Deputatis ab Exercitu in tempore emeritam laborum mercedem persoluant. Et siquidem sub tempus Inter-Regni silent alia Tribunalia sub Nomine Regis celebrari solita, ideo moribus antiquis eligi debebunt in prædictis Comitiolis Judices in unoquoquè Palatinatu, Districtu, & Terra ad justitiam omnibus administrandam in Judicijs Capturalibus, quorum securitati & integritati nec non Ordini librorum & Actorum Capturalium conseruationi in futura Deo auspice Conuocatione prouidebitur. In ijsdem Comitijs securitati limitum Regni, & M. D. L. consuletur, simul Pacta cum Colligatis & Vicinis per Internuntios confirmabuntur, ut cum majori tranquillitate futuri Regnantis Electio possit celebrari. Quare ibidem ipsius Electionis Ordo, & securitas prouidebitur, & quidquid demum ad correctionem siue Ordinis, siue Jurium, quidquid ad emendationem exorbitantiarum, quidquid ad conseruationem legum, & immunitatum nostrarum pertinebit, in ijsdem Conuocationis Comitijs ex communi consensu decernetur. Interim si aliqui communi paci, tranquillitatiquè rebelles aut insolentes turmæ quæpiam, antiquis legibus proscriptæ, ad offensam publicæ securitatis, quocunque demum Regni loco comparerent, oro atquè obtestor Illustrissimos Palatinos, & Gubernatores, uulgo Starostas*

A.C.1696 *tam Regni, quàm M. D. L. ut ex munere officij sui ad coercendam frenandamq; similem licentiam sint parati. Imò & hoc pariter considerationi Illustrißimarum Dominationum Vestrarũ diligentißimè commendo, ut in futuris Comitiolis, quæ per singulos Palatinatus, Terras & Districtus celebrabuntur, inveniant modum efficacem, quatenus ejusmodi insolentia poßit coerceri sub ratihabitionibus futuræ Convocationis. Oro similiter Illustrißimos Palatinos,, & Gubernatores limitaneos tam Regni, quàm M. D. L. nec non Civitates in confinijs constitutas præsentibus admoneri volo, ne externis hominibus sinè literis testimonialibus vulgò passa porto, fines Regni, & M. D. L. prætergredi concedatur. Legati similiter Exterorum Principum, quàm primùm in limitibus comparuerint, sinè mora mihi significetur, & tamdiu in confinijs retineantur, quamdiu mea super ea re non pervenerit informatio. Porrò quidquid circulari hac continetur Epistola, desidero ut veniat in objectum & materiam consiliorum in privatis Comitijs, & ne ad alios conventus, congressusquè detur occasio, ex munere mei Primatialis officij, oro Illustrissimas Dominationes Vestras. Quemadmodum verò pro fundamento publicæ felicitatis, & Consultationum posui concordiam, & amorem mutuum, sic iterum, atque iterum obtestor, ut Illustrißimæ Dominationes Vestræ sepositis offensionibus privatis, & dißidijs tanquam exitialibus omnium Regnorum pestibus, dignentur puram mentem & animos privatâ paßione vacuos, boni publici curæ studioq; consecrare, & eò penitus convertere, ut ea in integro serventur, quæ ad belli & sacri fœderis continuationem, quæ ad conservationem utriusque militiæ in obsequio Reip. ad hostes deterrendos, & Majoris DEi Gloriæ spectant incrementum. Ego verò pro muneris mei ratione Divinæ Majestati supplicabo, ut omnia consilia, omnes curas, & studia Illustrißimarum Dominationum Vestrarum boni publici integritati litata, felicissimo coronet exitu, & orbatam optimo Principe Remp. Paterno suo favore, & divinâ suâ gratiâ tueatur, abstergátque lachrymas populorum, quas illis acerbißima defuncti Regis gloriosißimi Mors elicuit. Quod ut universis tam Regni, quàm M. D. L. incolis clarius constare poßit, præsentibus literis palàm facio, illásque per universos Palatinatus, Terras & Districtus publicari; actis Castrensibus inseri more antiquæ consuetudinis desidero, & quibusvis Magistratibus, quorum interest, iterum, iterumquè commendo. Has verò universales Literas cum subscriptione manus meæ & sigilli appositione ex sententia Illustrissimorum Dominorum Senatorum tam Spiritualium quàm sæcularium protunc præsentium, Illustrißimi scilicet & Reverendissimi Stanislai de Lubraniec Dąbski Vladislaviensis*

sis & Pomeraniæ, Stanislai Witwicki Posnaniensis, Andreæ Zaluski Plocensis, Joannis Stanislai Zbąski Varmiensis & Sambiensis, Nicolai Poplawski Livoniæ & Piltinensis Episcoporum; Illustrissimorum DD. Stanislai Malachowski Calissiensis, Capitanei Lucoviensis Joannis Odrowąz Piniązek Siradiensis, Raphaëlis Leszczynski Lenciciensis, & Generalis Majoris Poloniæ, Martini Kancki Kijoviensis Generalis Artilleriæ Regni, Marci Matczinski Russiæ, Capitanei Belzensis, & Rubiesoviensis, Joannis Corvini Kraszinski Plocensis, Capitanei Varsaviensis, Alexandri Zaluski Ravensis, Francisci Felkersheimb Livoniæ, Capitanei Kaigrodensis, Francisci Zaluski Czernichowiensis Palatinorum; Francisci Galecki Posnaniensis, Capitanei Bidgostiensis, Alexandri Felicis Lipski Siradiensis, Capitanei Ravensis, Georgij Towianski Lenciciensis, Francisci Grzybowski Inovladislaviensis, Hieronymi Zaluski Ravensis, Joannis Czyrnij Sandecensis, Jacobi Bleszynski Medirecensis, Christophori Skarbek Haliciensis Castellanorum; Illustrissimorum DD. Stanislai Lubomirski M. Mareschalci Regni Capitanei Cepusiensis, Dominici Principis Radziwilij Cancellarij M. D. L. Capitanei Radomiensis, Caroli Tarlo Procancellarij Regni, Caroli Principis Radziwilij Procancellarij M. D. L. Capitanei Premisliensis, Hieronymi Lubomierski M. Thesaurarij Regni Capitanei Ricovoliensis, Alexandri Sapieha Mareschalci Curiæ M. D. L. Capitanei Volpinensis ad acta Castrensia mando, & insero. A.C.1696

COPIA LITERARVM

MARESCHALCI REGNI AD CASTELLANUM CRACOVIENSEM.

IN hoc rerum statu, quando Resp. orbata Principe, integra tamen Juris sui Domina nondum ante Convocationis Comitia, legitimè pro Juribus suis, & prærogativis agere potest, intervenit novum emergens, nimirum dispositio substantiæ post Principem relictæ & quod majus intestatæ, cujus cognitio soli Reip. reservata respectu pacificandæ Domûs Regiæ. Quare ne Resp. in prærogativa decidendi negotia domestica, & in moderatione prolis Regiæ deficiat (quod Jus & palmam præripere Nobis privatis nec decet, nec licet) consignavimus ex munere officiorum Nostrorum instante Serenissimo Principe Jacobo omnes Thesauros Regios in Arce Varsaviensi usque ad adventum Eminentissimi Primatis. Verùm quia visum est postea ex Consilio, ut propter majorem securitatem connotarentur omnium mobilium Regiorum inventaria, quæcúnque in thesauro Arcis continebantur, iterum sigillum

A.C.1696 *nostrum in præsentia Senatûs foribus detraximus, eâ nihilominùs conditione, ut post diligentem revisionem rerum, & connotationem inventariorum iterum prædicto thesauro Regio motum imponeremus sigillum, cui intentioni Nostræ non respondit eventus. Nam Reginalis Majestas, Regiæq; Serenitates dictæ conditioni satisfacere, & sigilla apponi renuerunt, eáque omnia, quæcunq; mobilium ibi reperiebantur non observatâ lege publicâ inter se distribuerunt. Quâ de re coram Eminentissimo Primate tanquam Inter-Rege solennem fecimus manifestationem ex officio Nostro, præcavendo indemnitati prærogativarum Reip. Modò verò occurrendo, ne similis dispositio substantiæ Regiæ inconsultâ Republicâ contingat iterum Zolkewiæ, ubi potissima pars continetur, servaturq; bene conscijs, quòd sub custodia Illustrissimæ Dominationis Vestræ tanti Senatoris detineatur; sicut nefas est dubitare, quòd hoc depositum sit ad decisionem Reip. servaturus, ita & ex munere officiorum Nostrorum postulamus, non minus ut propter majorem legis & Reip. securitatem Thesaurarij Regni sigillum apponi possit. Interim confidendo, quòd illibata fides Illustrissimæ Dominationis in Remp. neminem ad intima Thesauri Regij admittet ante decisionem Reip. Quod cum debitâ observantiâ, dum ex consilio, & consensu Eminentissimi Primatis Illustrissimæ Dominationi Vestræ defero, fraterna obsequia mea testor.*

JVS PVBLICVM
CONTRA PRÆTENSIONEM SERENISSIMÆ REGINÆ VIDUÆ.

Licet etiam antiquitus per Antecessores Nostros in quodam Capitulo statutum sit, quòd Marito mortuo Uxor Donationem & Dotem & quælibet paraphernalia (videlicet in gemmis argento, vestibus & pe-,cuniis) habeat, & teneat, tamen quia non modica damna per hoc pu-,eris evenire solebant; quapropter de consilio & consensu Prælatorum ,& Baronum Nostrorum omnino statuimus; quod uxor Marito mortuo ,solùm circa Paraphernalia domestica permaneat; thesauro videlicet, pe-,cuniis & argento, equis magnis, cum omnibus armis equinis exceptis, ,quæ omnia ad pueros devolvantur; Declarantes insuper, quòd talis Mu-,lier circa omnia pecora, & quævis alia, quæ in dote sua, & dotalitio ,fuerint, unà cum equis vectigalibus, quibus tempore Mariti sui ve-,hebatur, remaneat, demptis vestibus, & equis parvis in valore trium ,marcarum Mariti defuncti, quæ in æqualem sortem, seu proportionem ,Dominæ cum pueris cedere debebunt, & dividi cum effectu.

LEX CONTRARIA PRO SERENISSIMÆ REGINÆ PRÆTENSIONE.

EX statuto Sigismundi Regis Petricoviæ Anni 1523 fol. 46 evidenter sub Titulo: Forma inscribendæ advitalitatis, sic deducitur. Comparentes personaliter coram judicio Nobiles N. de N. & N. de N. conjuges, sani mente & corpore existentes, & usi amicorum consilio

,consilio publicè & per expressum recognoverunt, quia omnium bonorum A.C.1696
,suorum hæreditariorum, & obligatoriorũ, mobilium & immobilium, quæ ,nunc habent, & in post habebunt, invicem & mutuò concesserunt si- ,bi usum fructum ad tempora vitæ suæ, tali videlicet modo, quod si præ- ,fatum N. prius, quàm prædictam N. mori contigerit, ex tunc ipsa N. ,bona omnia tam mobilia, quàm immobilia prædicti N. obtinebit, & ,possidebit cum omni jure, & Dominio, & proprietate nihil excipiendo, ,illisq; fruetur, ad tempora duntaxat vitæ suæ. Post mortem verò ,prædictæ N. bona præfata, tam mobilia, quàm immobilia, totaliter ple- ,no jure ad successores prædicti N. devolventur. Sine quovis impedi- ,mento & contradictione Successorum præfatæ N. & similiter, si conti- ,gerit, prædictam N. prius mori, quàm ipsum N. extunc præfatus N. ,bona omnia tam mobilia, quàm immobilia præfatæ N. obtinebit, & ,possidebit cum omni Jure, Dominio, proprietate, & omnibus eorundem ,bonorum pertinentiis, illisq; uti fruetur ad tempora duntaxat vitæ suæ, ,post mortem verò prædicti N. bona præfata quæcunq; ipsam N. con- ,cernebant, ad Successores prædictæ N. totaliter devolventur, sine quo- ,vis impedimento & contradictione, præfati olim Mariti Successorum.

RATIONES QUIBUS PROBATUR BONA DERELICTA AD SERENISSIMOS PRINCIPES FILIOS PERTINERE.

JUra & publicæ Regni leges securitatem Inscriptionum Uxoralium caventes tantùm respiciunt, & afficiunt illas, quæ merè subjacent Juri terrestri & per omnia gaudent æqualitate ac paritate cum alijs ejusdem Regni Civibus. Nam Constitutio Anni 1631 fol. 3. tit. de bonis ,terrestribus hæreditarijs illis omnibus, quæ extra eandem æqualitatem ,censentur, & quoad suas Personas, quâcunq; supereminent dignitate ,præclusit viam ad acquirenda bona Terrestria hæreditaria. Capita ve- ,rò coronata sunt extra paritatem, & æqualitatem, consequenter id o- ,mne quod in æqualitate & paritate statûs constitutis convenit, eo i- ,pso præeminentiæ Jure Coronatis capitibus non quadrat. Inscriptiones ,verò advitalitatem continentes ceciderunt eodem instanti, quo Serenis- ,sima Regina, Regni suscepit diadema, quia præeminentiam altissimam ,per Coronæ Regiæ possessionem adepta est.

2. Per pacta Conventa Anni 1674 Serenissimus gloriosæ memoriæ Rex ,JOANNES III. prævidendo, quòd ex vi allegatæ Constitutionis Anni ,1631 posset Resp: in Comitijs exæquationem illius promovere, cavit sibi ,retentionem bonorum suorum hæreditariorum. Nam absq; Pactis & ,Consensu Reip. non potuit illa retinere, quia eo instanti quo in Regem ,est electus, & coronatus, incepit esse supra Jus terrestre, & æqualita- ,tem ac paritatem Juris. Quare si bona hæreditaria sine pactis & con- ,sensu Reipublicæ non licuit Serenissimo Regnanti possidere, quomodo ,Serenissimæ Reginæ Viduæ regressus ad eadem Jura advitalitia patere ,potest? quando per præeminentiam Regalem extincta, neque consen- ,su Reipublicæ ratificata.

3. Starostiæ seu Capitaneatus & aliæ possessiones Regni in manuten- ,tione Regiæ Domûs consistentes immediatè post electionem subja- ,cebant Juribus Majestatis, propter Præeminentiam Regalem, & spe- ,ctare debuerunt ad distributivam Gratiam. Quare Resp. volendo in

A.C.1696 eadem possessione Capitaneatuum, & aliorum bonorum hæreditariorum „Majest: suam conservare speciali constitutione 1676 fol. 24 Capitaneatus „hæreditati nostræ subjacentes, sancivit, ut penes Jura & possessiones u- „traq; Majestas relinquatur, pro hac sola vice dispensando cum Consti- „stitutione 1631. fol. 4, de Vacantibus. Habuit Serenissima Regina Vi- „dua existendo in æqualitate statûs Jura communicativa à gloriosæ me- „moriæ Conjuge suo pro Starostiis seu Capitaneatibus, quemadmo- „dum & Serenissimus Rex habuit Privilegia ab Antecessoribus suis, nihilo- „minus in Regem postea coronatus sine consensu Reipub. Omnia enim „Jura & Privilegia antehac ipsi faventia conciderunt, & solâ Reip. ap- „probatione poterant relevari. Sicut ergo Seren. Regina habet Jus plenum „ad Starostias per præfatam Constitutionem sibi attributum; ita necessa- „rium, ut simili lege Jura advitalitia publico consensu firmarentur. Quod „quia non est factum jura illa pro extinctis censenda, & bona tam mo- „bilia, quàm immobila Serenissimis Principibus filijs absq; ullo onere „Jurium prætensorum à Serenissima Regina possessioni tribuenda.

4. Respublica bene conscia omnia Jura aduitalitia Serenissimæ Regi- „næ Viduæ propter præeminentiam Regalem, totaliter concidisse, ex vi „Constitutionis Anni 1678 fol. 3. titulo Advitalitas. Serenissimæ Reginæ „Viduæ in bonis suis reformationem ducentorum duorum millium Hun- „garicalium usq; ad sera fata inscripsit, & assecuravit. Hac inscriptio- „ne præfatæ Constitutionis fecit recompensam decessorum Jurium Uxo- „ralium in æqualitate Statûs quæsitorum. Quando ergo Regni Consti- „tutiones in lege publica fundatæ Serenissimæ Reginæ Viduæ Jua uxo- „ralia in æqualitate Statûs quæsita per Eminentiam Regalem penitus „extincta esse declarant, sequitur quòd bona omnia tam mobilia, quàm „immobilia ad Serenissimos Principes Filios post obitum Serenissimi de- „relicta pleno Jure pertineant.

RESPONSA AD PRÆDICTAS RATIONES.

AD *primum.* Præeminentia statûs & promotio ad Thronum ex æqua- litate Regum & Reginæ debet facere, sicut defacto facit melio- „rem conditionem non deteriorem; Eo verò ipso deterior esset conditio „Regum, si post Regiam præeminentiam abjudicari deberent Bonis hære- „tariis naturalibus, in quorum pacifica possessione fuerunt ante inaugu- „rationem, & cum illis Thronum Regium conscenderunt.

Ad secundum. Constitutio 1631 non concedit Regibus & Reginis aliisq; „quibusvis personis supra æqualitatem constitutis, de nova radice Bona „terrestria hæreditaria, comparare emereq; sed antiqua, quæ ante Thro- „num Regium possidebant nulla ratione illis prohibet adimitq; imò, (quod „inferiùs deducetur) sinè ullo dubio concedit.

Ad tertium. Si Status præeminentiæ deberet confundere Jura Natura- „lia hæreditaria Uxorea, tunc Serenissimi Principes Filij non possent a- „dire hæreditatem Paternam Bonorum Hæreditariorum Serenissimi glo- „riosæ memoriæ Regis, & Parentis sui, quandoquidem supra paritatem „& æqualitatem Statûs censeri debent, juxta Constitutionem Pactorum „Conventorum. Verùm sicut disputare de hoc nemo potest, quòd Se- „renissimis Principibus Filiis hæreditas Paterna & Materna post sera fata „Serenissimæ Reginæ Viduæ jure naturali competat; ita & Jura uxorea „Serenissimæ Reginæ nulli possunt subjacere dubio, aut publicæ legis „discrimini.

Ad

Ad quartum. Quantum ſcire licet ex totius orbis praxi nonniſi poſt ſolos *A.C.1696*
„Romanos Pontifices, quando in Vicarios Chriſti eliguntur, Bona illorum
„publicæ cedunt direptioni, an conſolationi. Verùm Reſpublica Polo-
„na ſuorum Regum ſemper reverentiſſima nunquam electis Regibus, &
„Reginis bona illorum hæreditaria per Reverentiam Majeſtatis audebat
„hactenus repetere. Utiq; & Sereniſſimus Michaël I. nunquam à Repu-
„blica fuerat obligatus, ut bonis ſuis hæreditarijs renunciaret, quin imò
„poſt fata Celſiſſimæ Principis Matris ſuæ illorum poſſeſſione ſecura frue-
„batur, ſimul cum Ordinatione Zamoſtienſi.

PRO JURIBUS UXOREIS SERENISSIMÆ REGINÆ VIDUÆ.

QUandoquidem Conſtitutio Pactorum procul omni Controverſiâ reliquit Sereniſſimum glorioſæ memoriæ Regem circa hæreditariam poſſeſſionem Bonorum Hæreditariorum, tunc omnia Jura & præ-
„rogativæ Inſcriptionum uxorearum ad eadem Bona lege naturali per-
„tinentes ſpectant ad Sereniſſimam Reginam Viduam, quæ ſequitur con-
„ditionem Mariti ſui, & cõmunibus cum illo gaudere debet Iuribus, ac
„prærogativis. Neque ad ſecuritatem poſſeſſionis expreſſus Reipublicæ con-
„ſenſus neceſſarius omnino fuit, ſiquidem hoc ſufficit, quòd bona hære-
„ditaria circa Regiam Domum relicta, in quibus jura conjugalia Sere-
„niſſimæ Reginæ, ſicut habuerant expreſſam extendentiam, ita etiam im-
„plicitum conſenſum totius Reipublicæ, ſiquidem ſuper ea re nunquam
„eſt diſputatum. Utiq; ſi Sereniſſimus glorioſæ memoriæ Princeps ſu-
„pervixiſſet Sereniſſimæ Reginæ, procul dubio poſt fata illius vigore ſui
„Juris advitalitij gauderet poſſeſſione omnium prorſus bonorum Sereniſ-
„ſimæ Conſortis ſine ulla prorſus contradictione Reipublicæ Ac proin-
„de in mutuis, & reciprocis debet omninò ſervari eadem, & ſimilis ra-
„tio Jurium uxoreorum Sereniſſimæ Reginæ Viduæ.

PRO JURIBUS SERENISSIMÆ REGINÆ AD STAROSTIAS ET ALIA BONA.

QUod ſpectat poſſeſſionem Staroſtiarum & aliorum bonorum magna eſt diſparitas inter Bona Terreſtria. Nam quando Sereniſſimus glorioſæ memoriæ Princeps Regni Poloniarum accepit dia-
„dema, accepit Oeconomias lege publicâ, & uſu ad menſam Regiam
„pertinentes, quaſi conſuetum Regum patrimonium, ſuſtentationi ſuæ
„accommodatum, par erat Staroſtias, & alias poſſeſſiones, tanquam pa-
„nem benè merentium reſtituere Reipublicæ, & tradere diſtributivæ Ju-
„ſtitiæ. Atq; ideo neceſſarius fuit publicus conſenſus totius Reipubli-
„cæ ad præfata Bona ſecurè retinenda, quod factum eſt per Conſtitu-
„tionem Anni 1676. Bona deinde Hæreditaria Terreſtria, & Jura in illis
„hærentia uxorea Sereniſſimæ Reginæ non requirebant ejusmodi Conſti-
„tutionem Reipublicæ, ſiquidem per Pacta Conventa jam fuerunt ſine
„ulla diſceptatione penes Sereniſſimam Domum glorioſæ memoriæ Prin-
„cipis expreſsè relicta, non derogando Juribus Conjugalibus Sereniſſimæ
„Reginæ, quæ iiſdem bonis jure fixo & individuo inhærebant, & in-
„hærent non mutando habitum poſſeſſionis.

PRO IJSDEM JURIBUS SERENISSIMÆ REGINÆ

QUod attinet ad Contradotem Sereniſſimæ Reginæ Viduæ Conſtitutione Anni 1678 approbata; parva hæc nimis foret recompenſatio pro Juribus Uxoreis Sereniſſimæ Reginæ, ſi non niſi ducentis millibus æſtimaretur Reformatio in Staroſtijs inſcripta, ſiquidem Sereniſſima Regina trecenta millia in bonis Hæreditarijs glorioſæ memoriæ Principis priùs inſcripta habuit, & præterea advitalem uſum fructum omnium prorſus bonorum & quarumvis ſummarum Sereniſſimæ Conjugis. Non poſſet ergo Reformatio à Republica aſſecurata congruè reſpondere Juribus uxoreis Sereniſſimæ Reginæ. Quanquam prædictam Reformationem non fecit Reſpublica reſpectu recompenſationis, ſeu in ſublationem Jurium uxoreorum Sereniſſimæ Reginæ, ſed laudabili conſuetudine & exemplo aliarum Sereniſſimarum Poloniæ Reginarum, quibus hoc Reſpublica in pignus conſociati throni, & tori, & in ſolatium mutui laboris, curarumq; circa bonum publicum teſtari conſuevit. Quemadmodum Jus hæreditarium Sereniſſimi glorioſæ memoriæ Regis ad Bona hæreditaria per Eminentiam Statûs Regij extingvi non potuit, & Sereniſſimi Principes Filij, ſunt legitimi ejuſdem Juris Hæredes, ita & Jura uxorea Sereniſſimæ Reginæ parem cum Marito conditionem habentis per eandem Regiam Eminentiam retractari, extingvi & labefactari nullatenus poſſunt.

IX.

AMICO CONFIDENTI,

Varſaviâ 12 Julij.

Tractatum cum Regina; Palatinum Ruſſiæ pecunias ſuas Regiis immiſcuiſſe; Juniores Principes nolle ſubeſſe tutelæ majoris natu; reviſionem ſcriniorum, & inventorum exdiviſionem &c. refert.

SCribo frequenter, ſed ſcribam adhuc ſæpius & libenter, quia id te velle novi, & juſtè ut mihi videtur cum tibi ſuſpicionem creent, res modo longè diverſo ab hoc, quo hic eveniunt, ad te delatæ, ego verò ſincerè ſcribo, quod enim quiſq; novit, id eſſe aliter, ac notum eſt nequit; Tu mihi certè jucundiſſimum præſtas, quoties aliquid tui causâ ſuſcipiendum demandas. Lectu fortè & intellectu difficiles nunc meas literas reddit nimia feſtinatio, à pluribus, quàm unquam eſſe poſſunt, cauſata negotijs, & ſcribere exactè ut vellem non ſinunt occupationes. Quare ſæpiùs multa ſcribo, quæ aliquando à propoſiti Noſtri tramite non nihil abludunt, ſed tamen cognitu utilia, nec vereor ut devijs fatigatus, ad emetiendum rectum iter ſufficere non poſſim.

Hac eadem die qua meas ad te miſeram, convenimus veſperi iterum ad Cardinalem, ubi Aula defuncti Regis pro aſſiſtentia corporis fuit ordinata, quidve cui ſolvendum ſit? determinatum eſt.

Lectæ poſt literæ univerſales Cardinalis ad Palatinatus, ubi quia non fuit appoſitus in titulo Fraternitatis terminus, & hæc res nunc in populo delicata eſt, evici, ut poneretur. Venit

Venit eodem tempore ad Cardinalem Princeps Jacobus, si negligentia miseros facit, ille ut nunquam miser sit, necesse est, de rebus enim suis satis solicitus; sed in eo infelix, quòd multi sint, qui compatiantur, pauci qui sincerè succurrere velint. Nequeunt enim oculos tenebris assvetos ad lucem perpetuæ voluntatis attollere, similesq; avibus sunt quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat. Ivimus pòst ad Reginam & seriò tractatum incepimus, primò illi tres milliones florenorum Polonicalium oblati sunt, & cum voluisset cedere, erant, qui dicerent non licere. Absolutè igitur Regina (quæ ut in gaudia interdum surgit & spem ex præsenti metitur, ita adversis non frangitur sermonibus) consentire in eam summam noluit & quamvis quartum millionem contra scitum permissionemq; Principis concesserunt, sed nec hoc satis erat, voluit enim Serenissima, ut supra quatuor milliones in numerata pecunia, quintus in Oeconomia Schavelensi, & nova Aula inscriberetur, quo prævio nec ad immobilem, nec ad mobilem substantiam pertinere se velle declaravit. *A.C.1696* *Tractatus cū Regina.*

Etiamsi multa contra expectationem accidunt, nunquam futurum putavi, ut tantum requireret. Cum autem serò esset, in crastinum dilata res est.

In crastino verò dum apud Cardinalem essemus, ex zelo in bonum publicum intulit Dominus Palatinus Siradiensis, certam se habere notitiam, nec meram esse opinionem, sed realitate potiùs nixam cognitionem, scilicet, pecuniis defuncti Regis immiscuisse suas Dominum Palatinum Russiæ, ut sub favore Principum suas è Regno exportet; Cum verò prætensiones suas Respublica contra eum habeat, nondum enim secundùm legem & morem apocham, (vulgus quietationem vocat) obtinuit ex Thesaurariatu à se administrato. Petiit Cardinalem Primatem & alios Senatores, ut indemnitati Reipublicæ providendo ad sigilla Reginæ, & Principum Primatiale quóque apponeretur. Iterum res turbari & fortius quidem, quàm ante inceperunt: Declaravit Princeps Iacobus idquè in scripto dedit, quòd Reginæ Matri ex sorte suâ millionem trecenta & tria millia, partem Schawel & Albæ aulæ ad se pertinentem daturus sit. Propterea verò seorsum ex sorte sua id faciebat, quia Principes Juniores Cardinalem & alios Senatores rogarunt, ne Princeps, quæ nomine proprio concludit, id nomine eorum concludere præsumat, utq; ego cum Palatino Calissiensi adirem Principem Jacobum, petierunt, quærendo inprimis à Principe dicto, quâ ratione prætendat tutelam eorum? & cur ad substantiam eorundem se ingerat? Ad quod respondit inprimis Reginam coram Episcopo Vladislaviensi declarasse, (tanquam discedant omnia à priori statu) quòd Principes eligant sibi Dominum Castellanum Cracoviensem, & Palatinum Russiæ tutores, quæ cum graviora, quàm insperata eveniant, posse se ajebat tanquam natu majorem, saltem contutelam cum aliis prætendere, deinde non tantùm posse, sed & debere præcavere, quomodo tantæ summæ à Principibus elocabuntur, in quo ut suam æquanimitatem monstraret, paratum se exhibuit ad acceptandum promissum, à quo ob respectum Filialem erga Serenissimam Matrem abstinuit, ut scilicet communes dijudicent amici, utrum ille possit dissimulare, nec inquirere, an evehantur extra Regnum tantæ summæ, quæ per casum mortis alicujus Principis perirent. Facta hac in præsentia Principum relatione exarsit Regina, nobis amicis cogitantibus, quæ tanta vos fert ira, cum una Stirps idemq; sangvis sitis! vel quæ furiæ in mutuum sangvinem agunt? Responsum est imprimis, quòd tutelā nullatenus sibi prætendere debeat Princeps Jacobus, qui tacitis ardens curis, sublimia semper mente agitat, quoniam Principes habent competentes annos, *Palatinus Russiæ suas Regijs miscuit pecunias.* *Juniores Principes detrectant tutelā Principis Jacobi.*

ut

A.C.1696 ut ſe ipſos gubernent. Si verò adſciſcunt ſibi non tutores, ſed amicos ad conſilium, faciunt id cum his, ad quos maximam confidentiam habent. Quantum ad ſummas, ubi illas locaturi ſint? facile eſt judici domeſtico ſatisfacere, non teneri ſe reddere rationem Principi. Liberum enim illis erit vel in prætorio Pariſienſi, vel ubicunq; voluerint eas locare. Amicos vel judices compromiſſoriales admittere nolunt, quia ſicut ſunt ſubſtantiæ ſuæ Domini, ſic neminem cognoſcere volunt arbitrum. Reſponſum retulimus Principi innuendo, propoſita noſtra & ſpes in ventum eſſe ſparſas; Qui hoc audito, repoſuit modeſtiſſimè, homini expectanda eſſe omnia, DEum multa præter ſpem facere & ſperata quandoq; non evenire, inſperatorum autem eventum ab ipſo permitti. Cum igitur Principes à conſilio amicorum ſtare renuunt, nihil ſe ſine illis facturum intulit. Et quoniam Epiſcopo Vladiſlavienſi dixit Regina de locatione harum ſummarum potiùs Reipublicæ quàm ipſi diſquirendum eſſe, ideo (ceſſent mira videri) ſenſum & Primatis & Senatorum præſentium exquiri debere, an liceat tantas pecuniarum ſummas ex regno evehere, & alibi locare? ne populi loquacis ſuſpiciones moveat, qui ſimilia ſpargit, primo unicuipiam narrat velut arcanum ſilentio premendum, deinde fama ſerpit, alio alijs per manus tradente, ne ergo inde invidiam contrahat ab illis, qui acuti ad innocentiæ vulnera inferenda, ad profligandum honorem ingenioſi, quòd in eo Reip. bono non conſuluerit, oculatus tamen magis ad ignominiã quàm ad pericula, Cardinali cæteriſq; ea à ſe ajebat proponenda. Favore tamen Numinis ſuperficialis ſaltem die poſtera ſtetit concordia, ut inprimis in præſentia Reginæ ac Principum interiora ſcrinia, ſcriptaq; in iis contenta revideren-

Reviſio ſcriniorum occaſio Palatino Ruſſiæ depoſitũ ſuum recipiendi.

tur. His ex theſauro deportandis deſtinati fuerant Epiſcopus Poſnanienſis Caſtellanus Lenciciensis Towianſki, Culinæ Regni Præfectus Szczuka & Canonicus Suſzycki. Captavit hanc occaſionem, cui tum pro virtute erat felix temeritas, Palatinus Ruſſiæ, tanquam ex condictamine, ut ſupponitur, & diſſimulantibus iiſdem deputatis, ſuas ut vocabat capras, aureis impletas inde extraxit, ac per ſubordinatos in eum finem homines transportari in domum ſuam juſſit. Accuſatus fuit de condictamine & ab omnibus reprehenſus Epiſcopus Poſnanienſis, cui multum ſemper fuit ingenij, minus cordis; & alio ſe excuſare non potuit, niſi eo: mirabar; non putabam; ego illi negare quidquam poſſem, cui nihil negare poterat ante Respublica? unde patet, feliciores eſſe qui faciunt, quàm qui patiuntur injuriam.

Præter ſcripta in illis ſcriniis inventi erant multi aurei, quorũ valor ad centum, ducentos imò trecentos ungaricos, in multis ſpeciebus extendebatur. Multi annuli pretioſi, ex quibus non mediocriter Cardinalem participaſſe aſſerunt, qui viderunt. Quis ab hiſtorico juratos exigit teſtes? Dictum eſt hac eadem nocte, (quæ die illuſtrior eſt) in ſecreto Principem Jacobum Reginam ſibi fletu reconciliaſſe. Lacrymæ pignora ſunt nolentium, & repugnantis animi vultus eſt index. Licet inſinuare quod explorata authoritas vulgari famæ tradidit, quòd Regina & oculo benigno exceperit & plena mente, ſed quomodocunq; id accidit, ſtatim quærebatur, quo nam comportari debeant, pro conficiendo regeſtro & reviſione illa mobilia, quæ hic ſunt Varſaviæ? Interim ante omnia ad diviſionem contentorum, in uno ſcrinio aureorum, acceſſerunt. Ubi in quatuor partes facta diviſio eſt, & cuilibet quadraginta millia trecenti & tres ungarici in ſpecie ceſſerunt. Moneta autem argentea necdum numerata.

Inventorũ in ſcrinijs exdiviſio.

Iratus pòſt, neſcio cur pro more ſui ingenij violentus Epiſcopus Vladislavi-

dislavi-

dislaviensis præcipiti passu abivit. Propria voluntate vincimur, qui alienis consiliis non tenemur. Id summè afflixerat Principes timentes ne hic insperatus & non sine indignatione abitus ipsis præjudicaret, sed erant qui consolarentur; affirmantes, quòd magna cadant, inflata crepent, tumefacta premantur; & quamvis superbus minores despiciat, majoribus invideat, ab æqualibus dissentiat, tantum tamen absit, ut timeri debeat, cum sciatur quibus mediis, iisq; facillimis, iterum restitui & revocari possit. Dicitur de illo publicè quòd res gerat in animo magnas, sed fortè aliquando Reipublicæ calamitosas. Abiit & Palatinus Siradiensis, facta tamen prius protestatione contra extractum à Domino Palatino Russiæ depositum, declarando nullum se in hoc nisi commune bonum considerare, nec quenquam posse eum à jure ad injuriam detrahere. *A.C.1696*

Mareschalcus autem cum Thesaurario Regni summo conatu persvadere conabantur Reginæ, ut quæ retro sunt videat & ad exdivisionem argenteæ monetæ non accedat nisi prius consulat Rempub. brevi convocandam, sed id negabat omnino Regina, nec quidquam evincere potuerunt. Fui hac eadem die apud Palatinum Russiæ qui deducebat insontem se esse, nec se ante defensionem securitate debere privari, desinet forte colere innocentiam, per quam non potuit retinere fortunam; Habere se sufficientia terrestria dixit bona, ut in prætensionibus Reipublicæ respondere possit. Et cum infortunium suum pertimescens, ne rei, cujus jucundus usus est, sit tristis amissio, exarsisset, dixi confidener: si fortunam putat erga se esse mutatam, errat. Hic semper est ejus genius, hæc natura, servat certè illa propriam potiùs in ipsa sui mutabilitate constantiam. Talis erat cum blandiebatur, cum sibi falsæ felicitatis illecebris illuderet. Et quæ nunc ipsi tanta mœroris est causa, hæc eadem tranquillitatis esse deberet, si semper deserit, quis est securus, non etiam more suo facturam. Nunquam pretiosa abit felicitas, & quibus chara est fortuna præsens, non est manendi fida, & cum discesserit, adfert mœrorem. Venit ad illum diu felicem sua portio, quidquid ergo intra fortunæ aream geritur, æquo eum animo tolerare oportet, qui semel ejus jugo colla submiserit. Deprehendisti cæci numinis ambiguum vultum, quo se se velat alijs, nec tota tibi adhuc innotuit. Res tuas stabilitate fortunæ in omne tempus firmatas ne putes, quæ ex arbitrio veniunt, non coguntur necessitate. Quid si manendi, abeundiq; scribere legem fortunæ velit, injurius erit in eam quam Dominam elegit & impatientiâ suâ sortem exacerbabit, quam permutare non potest; si ventis vela committes, non quo voluntas peteret, sed quo status impelleret, promoveres. Si arvis semina crederes, annos inter se steriles pensare deberes, si te fortunæ regendum dedisti, Dominæ moribus oportet obtemperes.

Tu verò volventis rotæ impetum continere conaris? sed scias si cursum sistere incipit, sors esse desistit. Non illa miseros audit, haud curat fletus, ultroq; gemitus, quos fecit procurat. Quod ipsum verius est à me cum Severino, quàm ornatius dictum; Et cum observaverim à multo tempore, illum longâ imò perpetuâ desidiâ eò deductum, ut nihil curare vellet, nihil posset præter pecuniam, suasi ut omnia gubernet, & moderetur prudentiâ suâ, ne se auferant aliorum consilia. Nemo est qui tibi sapientius suadere potest, te ipso, nunquam laberis, si te audies, & spem potissimam in tempore & opinatis fortunæ vicibus colloces, inde enim virtus vocatur, quod suis viribus nitens non superetur adversis.

Acceptis literis à Castellano Cracoviensi ex improviso Principes Juniores undecima currentis, memores quod antequam facias, consu-

A.C.1696 conſulito, ubi conſulueris mature facto opus eſt, veſtitu Polonico ſumpto, abierunt citatis paſſibus Zoſkieviam; Hodie autem Regina (facit ſæpè, quæ cum geſſerit, non fuiſſe gerenda decernit) illos contra ſenſum & conſilia multorum, qui damnare factum nolunt, probare tamen non poſſunt, comitata eſt, habita prius per ſpatium 4. horarum cum Legato Galliæ conferentia. Hactenus geſta prudenter ne? an virtuti, an fortunæ computanda ſunt? habet res controverſiam; quæ præterita ſunt, omninò fortunæ in acceptis referri debent. Invitabar & ego; (vocato atq; non vocato eſt locus ſemper) ad hocce iter, ſed pars conſilij cenſetur, conſilijs ſe non miſcere. Quibus ineſt ratio, ipſis etiam ineſt nolendi volendique libertas, & cum mihi illud ipſum iter abſolutè non placeret, evitaturus invidiam publicam, & offenſam illorum quorum res agebatur, & quibus veritas ſine fuco dici debebat, excuſavi me, & potius iter ordinarium Pultoviam cras arripio, ſcio te rationem unius itineris omiſſi, alterius arrepti, probaturum, cujus cauſa pietas. Faciam enim ea quæ debeo in Diœceſi cui diligenter invigilare volo, nec velle unquam deſiſtam & in eo curam omnem, operam, induſtriam collocare cupio. Interim opto tibi ſecundiſſima omnia, & cum optata contingent, vehementer gaudebo.

X.

CASTELLANO CRACOVIENSI
Exercituum Duci,
Pultoviâ 25. Julij.

Cur non ſit comitatus Reginam & Principes Regios in Ruſſiam; affectum ſuum declarat erga domum Regiam; refutat famoſum libellum.

Miratum te fuiſſe dicis, quòd videndo Reginam & Principes Regios in Ruſſia, me non videris, unde argumentaris, quòd ſi non mutavi adhuc animum in Domum Regiam, ſaltem langvidius commoda ejus promoveam, quàm ante, ad quæ reaſſumenda iure tuo magis imperas, quam hortaris. Reſpondeo ad haſce more meo breviter, & tibi, uti ſoleo, confidenter. Et inprimis.

Non mirare quod viſâ procellâ iniquiſſimi temporis, in Ruſſiam Majeſtatem; & Principes comitatus non fuerim, & me aperto diſcrimini lentè ſubduxerim ad Bugi Narvæque littora, nam ſatius contra periculum, quiete fruendum putavi, non otij cauſa, ut credis, ſed ut calamum ſtudiáque reaſſumam, quod publica Reipub: negotia rarò mihi concedebant. Et dum interea temporis, alij aut ſuis particularibus commodis inhiant, aut ſpargendis in publicam auram levioribus folijs, ſine ullo diſcrimine tempus impendunt, Andabatarum more in umbra cum larvis decertando; malo ego eorum, quæ acta me vivente ſunt, & quæ adhuc aguntur, deſcribendorum curam ſuſcipere, & ex mente Cordubenſis otiari, quàm nihil agere, aut aliud à Repub: meditari, in tanta rerum caligine. Tu qui inter purpuratos Patriæ Patres Cato, inter Sagatos Alcides es, & ita emines, ut qui videri poteſt in alio apex honoris, in Te tantum honor ſit, ſi maturè conſideraveris, invenies, quod in veris laudibus numeres. Et quamvis vulgi opinio, ut dicis, ignara, atq; indocta aliter

aliter sentiat, tamen ego dico, quod hæc opinio sit fallax, & longè à scientiæ veritate dissita quæ suo demoveri loco haud unquam potest. Precor proinde, ut totus ad virtutem natus, & ipse vitio nullo laborans, nec mihi inesse ea in hoc præcipuè puncto credas. Libenter & Reginæ & Principibus (si voluissent) astitissem, & nunc si possem succurrerem, tam efficaciter, quàm mihi ipsi, imò longè melius, multoq; plus; sed ipsis sic volentibus, ad id sum redactus, ut ab alijs curis liber, illum tantùm qui omnia scit, & omnia potest precari possim, ut in cunctis eorum necessitatibus succurrat & consulat. Talis quippe est æmulationis invidia, tanta odij malevolentia, tam perversum omnia bona in mala convertendi studium, ut non modo falsæ criminationes congerantur, sed & rectissima consilia, & honestissimæ actiones vel negentur, vel prætereantur, vel sceleris etiam labe ac suspicione contaminentur. Testis est mihi DEus, cui servio, & in cujus conspectu omnia nuda, quòd coram te, qui Ducalem clavam, & Senatorium clavum utraque amplecteris manu, non mentiar, imò procul etiam esse debeo à suspicione lædendæ veritatis. A.C.1696

Maximi nomen retines magnitudine tuæ dignitatis & optima communicatione, qua aliena bona quæris magis quàm tua. Agnosco justitiam tuam, quam allegas, quòd per alienarum facultatum ruinam ad opes non contendas. Et confirmo, jam semel tibi scripta me semper alijs ingerere quod Ioannes ipse Rex verè maximus ingenio, prudentiâ, fortitudine, pietate, alijsque insignibus Regum dotibus, crescere mihi in fama ex te videatur, æstimatione Regiæ dignitatis, quòd tales, qualis Tu es, & habuerit, quibus imperaret, & habere potuerit. Itaque nec ego rerum similitudine captus, nec à veri cognitione exclusus, imitari te & sequi in affectu in Domum Regiam desinerem, nisi ab ea desertus fuissem. Ita in hanc diem res à me gesta est, ut nihil vero zelo, nihil conscientiæ & sinceritati, bonorum consiliorum soliditati addi possit, & ipsa invidia obstructis faucibus id ipsum fateri cogatur. Ad serviendum, ad reddendum dilectionis officium, beneficijs Patris, & Matris provocor, utq; recentem memoriam teneam, quæ fratribus meis, imò quæ mihi contulit, nec immemor esse debeo, nec ingratus. Dum rescivi à te, quod constanter Domum Regiam manu tenere velis, magna sum voluptate affectus, & magnis gaudijs exultavi. Nec dico, sed Tibi cogitandum relinquo, cui plùs quàm alijs notum est, atq; perspectum, quantum tibi tribuam, quamq; Domui Regiæ utile & necessarium existimem, non solùm à te diligi, laudari, ac sæpius literis, amoris, officijq; plenis promoveri, cui similes si plures haberet, bene certè cum ea ageretur.

Neq; certè & ego (testor DEum) quanquam fortissimas habuerim rationes, & evidenti contemptu ad id provocatus fuerim, debito meo injuriam feci. Omnis ante acta vita est mihi testimonio, cui meritò debet plus fidei haberi à te, quàm isti suspicioni, quæ nunc in me conjecta quidem est, sed probari, & demonstrari nequit. Fuit quidem apud me Legatus Galliæ (quis negare introitum venienti solet?) sed scias eum adhuc latere sui Principalis intentiones, ac proinde nihil solidi loqui posse.

Crederem ego, eum cujus magnam ante æstimationem habuimus, non disgustandum, imò omni meliori modo, in hoc quem mihi clarè explicuit in Domum Regiam affectu confirmandum, cui addictus omninò mihi videtur, excepto Principe Jacobo, qui offensæ occasionem, ut bene nosti dedit. Principes vicini sint, sive remoti, aliquando juvare, semper si volunt, nocere possunt. Melius est habere omnes amicos, quàm unum inimicum. Recordor me legisse Catonem Romanum in an-

A.C.1696 nulo portasse hanc inscriptionem: amicus unus, inimicus nullus.

Habet charitas zelum, sed adhibeat pro tempore modum severitas, & nolimus ei ad contradicendum vires legitimas addere. Quantum verò ad me, non fallam spem aut vota, vel potius decreta de me tua, sed vel implebo, vel superabo, & tuæ prudentiæ parebo, tuo consilio obsecundabo, proprio cedam judicio atq; sensui tuo obsequar.

Crevit meus in Principes hos, crescentibus illis coævus amor, & quoad in me facultatis erit non deerit voluntas. Invenies me semper constantem, si voluerint, nec mutabo sensum nisi coactus. Hoc dico, ne quid clausum in mente retineam, quod calamo non vellem promere, quod vera inter te & me recusaret amicitia. Id unum opus ut illis benefiat, mente ago, id totis sensibus complector. Nihil unqnam audio modò, nihil audiam in posterum libentiùs, quàm dum ex voto illis cuncta succedunt. Et quoniam à natura, à dignitate, & ab ætate mentiri alienum est; dictum hoc semel, semper crede, quod semel dictum est, id nunquam indictum erit. Et peto suppliciter, peto instanter, peto instantissimè, non prius damnes, quàm judices, non prius judices, quàm diligenter singula intelligas, non cuiq; mihi detrahenti credas. Evanescet falsitas, luce veritatis oborta, si falsitate potest aliquis seduci, cur veritate non debeat reduci? si ergo volunt ut serviam benè, audiant consulentem benè. Beatum S. Hieronymus vocat, qui loquitur ad aures audientis.

Ad ultimum literarum tuarum punctum & quæstionem, utrum viderim illum dialogismum, in quo privatum Serenissimæ Reginæ colloquium cum Principe Jacobo continetur? respondeo, vidisse me, & indignatum fuisse tam enormi, tamq; injurioso Persij cujusdam manuscripto, in quo non solùm palàm falsa, sed etiam non cohærentia nuntiat, in quo Serenissimæ Reginæ honorem, ex cæco Triphonis antro in lucis publicæ pupillam projecit, & ne malè affectos Majestati adeoq; facilè credulos in suspicionem excitet, vera ne sint, quæ obscurus & malevolus spargebat scriptor, (nam observavi fidem fallissimæ huic narrationi in multis conciliari cœptam) debiti mei duxi, ut fideli apologiâ (quam tibi subjicio) pro scientia & conscientia silentium imponam, omne abrumpendo excæcandoq; dubium, in quod intaminatus honor, & Serenissimæ Reginæ, & aliorum malitiosissimè insertorum vocatur. Prodit defensor ipso officio ducente, desinant odij ignes, & ardorem ibi fingere, unde nullum fumum usq; in hunc diem quisquam viderit. Affectum tuum in me non verbis solùm premas, sed rebus palàm proba.

RESPONSUM AD QUODDAM
SCRIPTUM SUB TITULO COLLOQUIUM REGINÆ CUM PRINCIPE JACOBO.

Audire mihi priùs, hodie tandem etiam legere contigit, viperino tinctam calamo anonymi cujusdam scriptoris satyram, quâ arcanum Serenissimæ Reginæ cum Principe JACOBO Colloquium adumbravit, quasi scire ipsi licuerit; quid Juno Jovi noctu in aurem dixerit. Prodeat ergo læsi honoris Reginalis in lucem publicam Apologia, ipso pietatis officio, & debitâ Majestatis

tis

tis reverentiâ manuducente, & calamum meum moderante. Et A.C.1696 quia neque mihi otium, neque negotium est, litigare, nolo ad singula respondere objecta, quæ potius respuenda, quàm solvenda censeo; quem delectaret cum larvis colluctari? da leonem & certabo, stringo nihilominus calamum, ne tam audax invalescat per moras malignitas, eátque in tam fœdi criminis patrocinium, imbelle silentium. Placet hic & grati animi pietatem testari erga Principem optimam, quamvis immensa sint, quæ debeo, levia, quæ rependo. Novi equidem heroicam Serenissimæ Majestatis mentem talibus pridem assvetam cupedijs, novi humano majorem animum, aut hæc vulnera non sentire, aut in corde aperto patientis Servatoris nostri cuncta sepelire, ex consvetudine fortissimæ suæ pietatis. Non decet tamen dissimulare vindicias depalmatæ Majestatis, non quia dolet, sed quia necesse est. Quantum ergo publica negotia otij concedunt, ad id obsequij libenter devoveo, ut deposito larvati Dialogismi sipario, palàm faciam veritatem, & elidam calamum maligni Authoris, cui plus odij, quàm judicij propinavit, cum scriberet, imponendo innocenti populo, qui facilè decipitur, quoties illi, quasi popularia proponuntur.

Atq; inprimis morum, falsique discursus inventor malitiosissimus, & accusator acerrimus, in omnes plusquam duplicatus partes, plusquàm critico petijt calamo innocentiam, quando non contentus involare in Honorem Serenissimæ domûs, miscet quadrata non quadrantibus, morbo ingenij aut affectûs sui populare putat Regi-nalem Majestatem, quâ ille demum unus non contentus vivit, qui suâ quoque opinione minor est, adeoquè suâ culpâ contigit, illius gratiâ caruisse, ad quam facilis accessus fuit universis. Debuit ergo vel non mereri gratiam, vel prorsus non procurare, quicunquè ad illam non pervenit. Proinde solus ille secreta indignatione fremit, qui palàm queri non audet. Inducit Scriptor anonymus, queri Serenissimam Reginam contra Principem Jacobum, quòd Jus Advitalitium Serenissimæ Matris suæ disputationi Jurisperitorum exponat. Jam verò procul dubio sole meridiano Jus hoc clarius est Serenissimæ Reginæ, etsi probatione indigeret, facilè posset vindicari. Nam nullâ ratione deterior esse debet conditio Regiæ Majestatis quàm cujuscunque Nobilis Poloni, quoad Jus hæreditarium in Bonis quibuscunquè inscriptum Neque constitutio 31 huic Juri contraria. Verùm ego super ea re non disputo, quandoquidem Serenissima Regina ex Materno suo affectu, Juri suo, quod clarum habuit, renunciavit, omnia bono publico concedendo, quamvis non sinè præjudicio privatæ fortunæ, modò in integro substantia Regia Serenissimæ Proli possit cedere. Nec Filio imputavit, quòd Mater pati cogebatur. Quia probè noverat, quòd timore magis præsumptivo, quo incalescentem sangvinem nonnulli succendebant, quàm aliquâ pervicaciâ certabatur, siquidem intra limites submissi-

Refelluntur calumniæ petitæ à jure Advitalitio.

A.C.1696 onis filialis tota res volvebatur. Quidquid ergo Eminentissimo Primati videbatur, facilem utriúsque partis consensum obtinuit. Proponebantur initio milliones, quibus Principes Filij Jus Advitalitium Serenissimæ Matris suæ redimere poterant, sed ne res illa criminationibus, & obliquis suspicionibus viam apud malevolos commentatores aperiret, generosissimè à dicto pretio recessit Princeps Serenissima, ut palàm esset omnibus, quàm procul distaret à vero hæc nocendi prodiga narratio, adeòque quòd Serenissima Regina longè esset à proposito illo, quòd Thesauros post fata Serenissimi sive in Serenissimæ suæ Stirpis, sive in Reipublicæ discrimen vertere cogitaret, prout vana murmura sinè ullius probationis argumento jacta per invidiam & nefas vulgabant; quasi palàm faceret, quòd regnandi amor usu vilescat, non utendo amittatur. Clausum proinde os iniqua loquentium, quando enim totus orbis videt, quòd Serenissima Regina numerandis millionibus abstinuerit, facilè advertit deesse fidem vocabulis ambitiosè tumidis, & subdolo instructis ingenio, unde decedit scribenti Authoritas. Dicit: quod Serenissima Regina, cogitet aut se, aut chariorem cæteris Filium (quantumuis omnes sinè ullo discrimine pari affectu complectatur) ad Thronum Regium subsidio prædictæ summæ promovere. En abstinuit à præfatis millionibus pro Advitalitio Jure numerandis, adeóque hoc ipso euanuit malitiosa illa satyricæ in Principem dicacitatis illatio; Neque inveniet fidem apud Palatinatus Regni, quam sibi cum Momo illo pollicebatur, qui tam sibi noceri ne à Joue quidem posse, quàm se nocere etiam Joui præsumebat. Nam quando toto cælo diuersum Regni Ordines tractatum legent scriptoris anonymi ab optimæ Matris Patriæ proposito, quando audient Iuri suo renunciasse, penes Advitalitatem immobilium tantùm sponte suâ mansisse, longè aliud de Serenissimæ Reginæ erga Patriam affectu, formabunt judicium. Simul illud quoquè punctum refellitur, quòd non iram, sed feritatem optimæ Principis nomen complectitur, quando totius Regni honestati detrahentem Reginam mendacissimus Author introducit. Cui enim potest esse animus in illo nido suam defigere stationem, quem contemptui habet, quem odio Vatiniano prosequitur, cui fidere non securum censet. Omnia contraria Vaticinio prædictæ Satyræ contigerunt, quando & milliones paratos, non struendo contra fortunam auxilium, & cuncta mobilia cessit Serenissima Princeps, & penes sola Bona Hæreditaria sinè spe melioris fortunæ mansit. Quid enim hæc actio clarè significat, nisi quòd huic Patriæ, in qua educata est, omnibúsque fortunis aucta, non tantùm optimè uelit, & noueat, uerùm etiam ominetur. Conuictus ergo tam publicæ malevolentiæ Author Anonymus omnem apud lectores manuscripti fidem perdidit, nec habebit, quod optauit, quia plus sperauit, quàm debuit. In memoriam deinde reuocat malitiosissimè, quomodo Serenissima Princeps Vidua Thronum Regi-

ab affectato Throno subsidio pecuniæ

à læsa libertate.

Regium sic consecuta, quomodo in illo posita vixerit cum injuria quadam Polonæ libertatis. Deficeret, dicendo; si probare deberet, potius meminisse debuerat tot tantorúmque in Remp. meritorum Reginæ, non factionum, & Divinæ referre gratiæ, quòd non perierimus in finem, quòd Poloni Nominis gloriam ultra fines Patrios protulerimus, per electionem gloriosæ memoriæ Conjugis illius Joannis III, quæ electio singulari activitate Serenissimæ Reginæ perfecta est. Utinam verò hæc quæ imminet futuri Regnantis nominatio possit Antecessoris sui felicitatem, & gloriam æmulari? cui etsi nunquam speremus similem, semper tamen optamus. Dominationem verò, seu Regni usum, siquis ad libram æquitatis expendat, profectò plus beneficiorum in publicum sparsorum inveniet, quàm injuriarum in privatas personas, quas Scriptor à semetipso exorditur; si tempus faveret, revocarem hìc in memoriam Maternam in Patriam Serenissimæ Reginæ benevolentiam, cujus tota vita nihil nisi perpetuus fuit in Patriam amoris actus. In continua meditatione fuit amplificandæ quotidie felicitatis publicæ, in cujus incremento dies noctésque consumebat. Quis odia civilia? quis privatas simultates, & publicas aversiones Civium, mutuásque Regni Procerum dissensiones in primis illis Grodnensibus Comitijs; imò ubiquè componebat? quis propriis impensis toties, non modo tempore Viennensis expeditionis, & Budziacensis, sed aliarum quoquè occasionum tempestate ordinabat, expediebátque acies, quis cum tanta applicatione pro tuitione boni publici desudabat? verùm hoc non istius temporis, neque enim apologia, quam Reginali honori defendendo consecravi, historia est vel panegyris. Non mihi promptum in adulationem ingenium, satis enim suæ Majestatis integritatem laudaret, quicúnque fideliter ejus actiones enarraret; sed mittamus publica in Patriam suæ Majestatis merita, quæ gratæ posteritatis rependet memoria, interrogo nunc, quis ita fuerit oppressus pondere suæ Majestatis, ut ne vestigium quidem priscæ in Regno hoc libertatis relictum fuerit? Profectò nemo comparere potest, cui Serenissima Princeps aut non facilem veniam concesserit aut cujuscúnque injuriæ umbram munificentissimè non rependerit. Quòd si interdum justo zelo, vel provocata indignatione, quam illorum stimulabat interdum delatio, quorum plenum est Principis aulæ theatrum, cuncta hæc umbrâ citiùs præteribant, & redijsse in gratiam nova beneficia, palàm faciebant. Nimirum Serenissima Regina non vindicabat injurias, quia non sentiebat. Graviter hoc afficit malignum optimarum actionum commentatorem, quòd Illustrissimi Palatini Russiæ, necnon aliorum Aulæ Regiæ Prælatorum benevolentiam sibi conciliârit, servâritquè; verùm ignorat malignus Author id Serenissimam Reginam fecisse, ut grati animi memoriam illis testaretur, non eo fine, ut vel minimo Civi nocere, obesséque posset facilius. Nunquam enim potens esse volebat, nisi cum prodesset. Exprobrat

à conciliatò aliorum affectu

A.C.1696 probrat anonymus Cavillator, ex instinctu Serenissimæ Reginæ venales fuisse hactenus Regni dignitates, & quæcúnque demum Resp. censet subsellia. Novumne hoc insolensque sæculo nostro acciderit, si velit discere, evolvat annales prioris ævi, advertat non profanas tantum, sed sacras etiam dignitates immunes olim istâ notâ extitisse. Cur Reges, Principésque spontaneas subditorum oblationes dedignari debeant, non video, cum etiam ipse Deus O. M. qui bonorum nostrorum non eget, munera subditorum suorum consueverit acceptare. Revocat in memoriam piæ memoriæ Primatem Reverendissimum Widzga, post cujus obitum pia quædam legata Majestatibus suis oblata sunt à gratis executoribus, & successoribus. Unde patet quòd Author Anonymus, non ratione, sed passione agatur, velitq; illos imitari, qui cum multum acceperint, injuriæ loco habent, plus accipere potuisse.

à venditis dignitatibus

Hic jam quasi argumentum ad hominem format, objiciendo Serenissimæ Reginæ; quòd luctuosissimis gloriosæ memoriæ Regis fatis minimè indoleat. Hac criminatione quid iniquius potest cogitari? Externi populi mortem optimi Principis deplorant, & Regina, quæ in delicijs illi erat, quomodo Parentalibus lachrymis, luctibusque parcat. Profectò tam injuriosa objectio ne memoriam quidem merebatur. Quis enim non fuit spectator, cùm non tantum doleret, sed etiam sentiret tam profundum vulnus, si solus dolor mortem inferre posset, superstitem jam non habuissemus. Vidimus enim, quotquot præsentes aderamus, dolorem Reginæ, ita adversus omne remedium contumacem, ut si lecto assurrexit, non ad ornatum Reginalem, sed ad necessitatem vestiretur. Præterea nihil fecit, nisi impulsa, nihil cogitavit, nisi coacta, ingeminando toties se amisso Rege omnia perdidisse. Quantam verò, quamq; recentem defuncti Regis prætulerit recordationem, tam grandis summa in suffragium animæ erogata testatur, & Cavillatorem convincit falsitatis. Par vulnus per mendacium inflictum est, circa Adamantinum diadema, ornando defuncti Regis capiti affabre elaboratum iterumq; eidem subtractum. Profectò enim Serenissimæ Reginæ integritatem, etiam me tacente ipse metus cadens in virum constantem potest absolvere. Frustra ergo latam ostendendæ malignitati nactus materiam, id objecit anonymus Author, quod tantò majorem arguit malevolentiam illius, quantò minus est veritatis. Instat deinde & fulminat, quòd Serenissima Regina Illustrissimum Mareschalcum Regni & Thesaurarium arte quâdam deluserit, ut resignaretur Thesaurus Regius, qui fuerat obsignatus. Quemadmodum enim ad instantiam Serenissimi Principis Jacobi appositum fuit sigillum Regio Thesauro, ita detractum est eodem postulante. Utiq; Naturæ Parenti rerum consonat, ut unumquódq; dissolvatur eodem modo, quo colligatum est. Si non parum interest publicæ felicitatis, libertatisq;, ne Principibus fas sit impunè grassari in privatas fortunas, multò minus licet,

à non deplorata morte Regis

à resignato thesauro

cet,

eet, ut priuati liberè manus injiciant fortunis Principum. At Resp. **A.C.1696** *(inquis) prætendit Jus suum ad Thesaurum Regium post fata Principum; sit sanè, prius tamen demonstrari debet Jus reip. an non erunt opimæ possessiones Principibus relictis Filijs, in quibus repetere Jus licebit. Decetne: ut legis publicæ uerba afferam, etiam proprium mantellum ui repetere? Justusnè ex alterius damno questus? licetnè ab executione tam insolenti consuetudines exordiri specie imò & amore boni publici? an potest æquis oculis spectari tanta in alienam fortunam libido? Verùm difficultatem hanc soluet olim, decidetque respublica, neq; spero auerso id animo laturam, quòd aliquis permittatur jure suo uti, & hoc, quod illius est, possidere, & omni spatio temporis pro se respondere paratus. Laudandus zelus Jllustrissimorum Regni Ministrorum in prædicto puncto, in quo non de illorum tantum fide publica, apud populum suspicacem, verùm etiam de bono Patriæ agebatur. Exhausta enim tot bellis Respublica libenter aliquid in hoc Regni turbido piscari vellet, & in suum litus ex Regij Thesauri profundo trahere. Sed nunquid desunt alij modi, citra publici scandali discrimen, quibus & exacta Magnorum statûs Ministrorum diligentia probari, & palmaris injuria vitari possit, quam tantopere urgere videtur Zoilus non tam propriâ, quàm alterius sententiâ animatus. Minæ & fulmina otiosa sunt, quæ in Jus Reformatorium Serenissimæ Reginæ detorquet. Non convincit enim argumentum, quod in simili casu Serenissimæ Eleonoræ bona fuerant adempta, diversa siquidem ratio, hoc suasit, illa enim post fata Michaëlis primi extra fines Patriæ se extulit, hæc intra Regni viscera nobiscum vivere & mori parata est. Quid stabile in Republica, si jus hoc non foret solidum securúmque. Igni potius omnes tradi Constitutiones Regni expedit, si hoc nullum robur habet, & valorem. Memores verò sumus, quanto motu scripta approbatáque sit in Grodnensibus Comitijs præfata Serenissimæ Reginæ reformatio, adeóque non insciâ, neque invitâ Republicâ. Differentiæ inter Majestates frustra adferuntur ab anonymo. Nam idem Regni diadema etsi diversis incubuit capitibus idem tamen Jus habuit, adeóque Natales Regios intactos, illibatosq; malevolus Author venerari debuit. Pari malevolentiâ Principes in hoc Regno familias ad vindictam Author provocat, & intempestivè canit classicum, quasi non sit semper minuti, infirmi, exiguiq; animi voluptas, ultio. Ita enim opinor, quòd etsi nonnulli reperirentur, accepti vulneris non immemores, id tamen demonstrare volent, quod est proprium veræ magnitudinis, nimirum non se sentire percussos. Et sic intemperantis ingenij Zoilum sua spes eludet, quando ejus farinæ nullum reperiet, qui loquaci & ingenioso in contumelias discursu accendi excitariq; possit. Reginam nomine Bonam memorat, sed nimis otiosè, illa enim tot terrarum spatijs dividi*

à Jure reformatorio in Regina Eleonora & Bona

A.C.1696 vidi voluit à Polonia, hæc verò Domina nostra clementissima Patriam, quam semel assumpsit, dimittet nunquam, adeóque carebit illo aucto solatio, quo implevit vota sua. Susceptum deinde à Serenissima Regina Zolkieviam iter satyrico carpit calamo anonymus, quod non aliâ intentione obliquâ ingressa est Serenissima, nisi ut plura pro Jurium suorum defensione posset ibidem invenire munimenta, præcipuè verò supremæ voluntatis Testamentum, quod nonnulli latere Zolkieviæ indicabant, ante Budziacensem expeditionem à Serenissimo Rege conscriptum. Quo quid optabilius esse poterat? hoc enim modo, disordini & disputationi Domesticæ itum fuisset obviam, sed quemadmodum ultima voluntas gloriosissimi avi sui Zolkievij, ita & hæc sæculis fuisset ad eruditionem. Deinde cur Serenissima Regina, postquam ob bonum pacis nihil prætendebat ex mobilibus, deberet abstinere ab immobilibus, fundamentum non video. Palàm equidem est, Nobiles Matronas, à Defunctorum suorum virorum manibus non solitas discedere aliò ante funus, sed illas tantùm, quæ sub tutorum cura sanguine junctorum sunt securæ, quia illarum indemnitati fortunæ providebunt; quæ verò per mortem mariti etiam tutorum protectione spoliatæ sunt, mutare solent stationem, & nihil profuturum mærorem in alia locorum spatia secum transferre. Nulla enim lex publica hoc imperat, ut in uno eodemq; loco vidua parentali luctu manes sui marti prosequatur. Anima magis est ubi amat, quàm ubi animat, adeóque spatijs terrarum non distingvitur. Ad reliqua non respondeo; sicut enim Divi Felicis Martyris sputo eversas idolorum statuas, meminimus; ita ipso contemptu totam istius satyræ machinam credibile est ruituram. Illud Eccli. 35 memoriæ nequit excidere: Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt & exclamatio ejus super deducentem eas, à maxilla enim ascendunt usq; ad cælū. Descendunt nimirum viduarum lachrymæ ex oculis in terram, sed de terra in cælum clamant, & vindictam extorquent. Silet viduæ lingva, sed oculi loquuntur, & grandia vocis pondera in aures Diuinæ justitiæ adversus oppressores iniquos emittunt. Huc seruit, quod Doctor Angelicus notat, nimirum longè graviorem inflictam fuisse pœnam illis, qui Moysi detrahebant, quàm illis, qui aureum vitulum conflauerunt, adorâruntq;. Hos enim ignis de cælo descendens deuoravit, illos gladius percussit Leuitarum. Deinde si ex mente Doctorum Ecclesiæ diues ille in inferno sepultus epulo grauissimas in lingua patiebatur pænas ideo, quòd manducaret carnes crudas, hoc est, quòd famam alienam intemperanter laceraret, quæ quantaq; manum hanc tormenta manent? quæ ausa est tam enormia, tam falsa, tamq; pudenda scribere, quæ nemo puri oris proferre auderet. Justus enim Judex, talia non citò tantùm, uerùm etiam diu consueuit uindicare.

À via Zolkievienſi.

Refelluntur calumniæ. Jam finem responso imponere detreueram, sed non puto decere, ut illi prætereantur à me, quos quasi complices in suo manuscripto perstrin-

perstrinxit Author maleuolus. Quantumuis illi omnes, quos petit innocenter, ætatem habent, & vocem in Capitulo, respondebunt pro se, tamen expedit insinuare, non nihil discutiendo errorem, qui apud facile credulos augeri posset. Impetit inprimis Regni Referendarium, quid iniquius secretò offensum esse & palàm irasci? falsò magnum illius nomen aggreditur, quasi seruilibus in Tribunali Regni obsequijs, optimam ætatem expenderit, & rem Domi angustã, illius Palæstræ artibus promoverit, auxeritq;. Sed errat toto cælo malignus Author; possum enim fide illibatâ testari, quòd usitatâ apud majores nostros praxi illud studium arripuerit, ut primam ætatem jure Patrio erudiret, quod nulli unquam probro, aut dedecori fuit. Utinam verò Nostri Adolescentes huic studio aut militari disciplinæ darent operam, majus adferrent Reipublicæ decus & ornamentum. Applicatus deinde ad Cancellarij Regni Palæstram, sigillum tunc moderante Celsissimo & Reverendissimo Antistite moderno Cracoviensi, tandem Illustrissimo Gninski, & sic non interrupto ordine eas qualitates, quibus illum Divina manus cumulavit, Regi suo & Patriæ consecravit, ingentia ubiq; virtutum, prudentiæ, rerum aulicarum, & status politici experientiæ dando specimina. Quodsi verò crimini vertitur ingenium perfectum, & ad omnes fortunæ industrias sinè præjudicio tertij vigilans diligentia, profectò novum hoc est accusationis genus. Gloriæ potius, quàm dedecori imputari debet, quod omnium laborum Curiæ, & expeditionum moles illius ingenio, curæq; incubuerit, quæ non modicam ævi illius partem diu noctuq; vigilanti absumpsit. Frustra igitur sicut honor illius petitur (nam par cuiq; ab origine) ita errores quidam commissi tribuuntur, quorum procul dubio redderet rationem, si publicè quæreretur. A.C.1696 Contra Regni Referendarium

Provehitur ulterius projecta in omne nefas temeritas, cum ingeniosa malitia aggreditur Illustrissimum Castellanum Cracoviensem & ex priuata injuria publicã contumeliam parat, imponendo illi malignè, de quo vir tantus extra omnem ambitionis suspicionem, etsi non extra gloriam positus, vir inquam antiquæ, & non fucatæ probitatis, & amore in Patriam plenus ne quidem somniavit unquam. Arguit deinde Scriptor malevolus Illustrissimum Castellanum Cracoviensem, quòd ex lege cujusdam gratitudinis erga Domum Regiam tot centurias militum habuerit, ad Zolkieviensis Arcis, & Regij Thesauri custodiam, defendendis verò finibus Patriæ cohortes defuêre. Verùm fallitur Censorius hic Cato, tam enim modica manus, quæ custodiendæ Arci Zolkieviensi par fuit, non hostibus propulsandis, facilius eo loci adduci poterat, utpote intra Regni viscera substitura, quàm ultra fines Regni omni nervo & stipendio destituta, adeóque magis fugæ, quàm prælio expedita. Etsi hic malignus calamus nodum in scirpo quærit magis, quam inve- Contra Castellanum Cracoviensem.

 nit;

A.C.1696 vidi voluit à Polonia, hæc verò Domina nostra clementissima Patriam, quam semel assumpsit, dimittet nunquam, adeóque carebit illo aucto solatio, quo implevit vota sua. Susceptum deinde à Serenissima Regina Zolkieviam iter satyrico carpit calamo anonymus, quod non aliâ intentione obliquâ ingressa est Serenissima, nisi ut plura pro Jurium suorum defensione posset ibidem invenire munimenta, præcipuè verò supremæ voluntatis Testamentum, quod nonnulli latere Zolkieviæ indicabant, ante Budziacensem expeditionem à Serenissimo Rege conscriptum. Quo quid optabilius esse poterat? hoc enim modo, disordini & disputationi Domesticæ itum fuisset obviam, sed quemadmodum ultima voluntas gloriosissimi avi sui Zolkievij, ita & hæc sæculis fuisset ad eruditionem. Deinde cur Serenissima Regina, postquam ob bonum pacis nihil prætendebat ex mobilibus, deberet abstinere ab immobilibus, fundamentum non video. Palàm equidem est, Nobiles Matronas, à Defunctorum suorum virorum manibus non solitas discedere aliò ante funus, sed illas tantùm, quæ sub tutorum cura sangvine junctorum sunt securæ, quia illarum indemnitati fortunæ providebunt; quæ verò per mortem mariti etiam tutorum protectione spoliatæ sunt, mutare solent stationem, & nihil profuturum mærorem in alia locorum spatia secum transferre. Nulla enim lex publica hoc imperat, ut in uno eodemq; loco vidua parentali luctu manes sui mariti prosequatur. Anima magis est ubi amat, quàm ubi animat, adeóque spatijs terrarum non distingvitur. Ad reliqua non respondeo; sicut enim Divi Felicis Martyris sputo eversas idolorum statuas, meminimus; ita ipso contemptu totam istius satyræ machinam credibile est ruituram. Illud Eccli. 35 memoriæ nequit excidere: Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt & exclamatio ejus super deducentem eas, à maxilla enim ascendunt usq; ad cælū. Descendunt nimirum viduarum lachrymæ ex oculis in terram, sed de terra in cælum clamant, & vindictam extorquent. Silet viduæ lingva, sed oculi loquuntur, & grandia vocis pondera in aures Divinæ justitiæ adversus oppressores iniquos emittunt. Huc servit, quod Doctor Angelicus notat, nimirum longè graviorem inflictam fuisse pœnam illis, qui Moysi detrahebant, quàm illis, qui aureum vitulum conflauerunt, adorâruntq;. Hos enim ignis de cælo descendens deuoravit, illos gladius percussit Leuitarum. Deinde si ex mente Doctorum Ecclesiæ diues ille in inferno sepultus epulo grauissimas in lingua patiebatur pœnas ideo, quòd manducaret carnes crudas, hoc est, quòd famam alienam intemperanter laceraret, quæ quantaq; manum hanc tormenta manent? quæ ausa est tam enormia, tam falsa, tamq; pudenda scribere, quæ nemo puri oris proferre auderet. Justus enim Judex, talia non citò tantùm, uerùm etiam diu consueuit uindicare.

(Margin: à via Zolkieviensi.)

(Margin: Refelluntur calumniæ.)

Jam finem responso imponere detreueram, sed non puto decere, ut illi prætereantur à me, quos quasi complices in suo manuscripto perstrin-

perstrinxit Author maleuolus. Quantumuis illi omnes, quos petit innocenter, ætatem habent, & vocem in Capitulo, respondebunt pro se, tamen expedit insinuare, non nihil discutiendo errorem, qui apud facile credulos augeri posset. Impetit inprimis Regni Referendarium, quid iniquius secretò offensum esse & palàm irasci? falsò magnum illius nomen aggreditur, quasi seruilibus in Tribunali Regni obsequijs, optimam ætatem expenderit, & rem Domi angustã, illius Palæstræ artibus promoverit, auxeritq;. Sed errat toto cælo malignus Author; possum enim fide illibatâ testari, quòd usitatâ apud majores nostros praxi illud studium arripuerit, ut primam ætatem jure Patrio erudiret, quod nulli unquam probro, aut dedecori fuit. Utinam verò Nostri Adolescentes huic studio aut militari disciplinæ darent operam, majus adferrent Reipublicæ decus & ornamentum. Applicatus deinde ad Cancellarij Regni Palæstram, sigillum tunc moderante Celsissimo & Reverendissimo Antistite moderno Cracoviensi, tandem Illustrissimo Gninski, & sic non interrupto ordine eas qualitates, quibus illum Divina manus cumulavit, Regi suo & Patriæ consecravit, ingentia ubiq; virtutum, prudentiæ, rerum aulicarum, & status politici experientiæ dando specimina. Quodsi verò crimini vertitur ingenium perfectum, & ad omnes fortunæ industrias sinè præjudicio tertij vigilans diligentia, profectò novum hoc est accusationis genus. Gloriæ potius, quàm dedecori imputari debet, quod omnium laborum Curiæ, & expeditionum moles illius ingenio, curæq; incubuerit, quæ non modicam ævi illius partem diu noctuq; vigilanti absumpsit. Frustra igitur sicut honor illius petitur (nam par cuiq; ab origine) ita errores quidam commissi tribuuntur, quorum procul dubio redderet rationem, si publicè quæreretur.

A.C.1696

Contra Regni Referendarium

Provehitur ulterius projecta in omne nefas temeritas, cum ingeniosa malitia aggreditur Illustrissimum Castellanum Cracoviensem & ex priuata injuria publicã contumeliam parat, imponendo illi malignè, de quo vir tantus extra omnem ambitionis suspicionem, etsi non extra gloriam positus, vir inquam antiquæ, & non fucatæ probitatis, & amore in Patriam plenus ne quidem somniavit unquam. Arguit deinde Scriptor malevolus Illustrissimum Castellanum Cracoviensem, quòd ex lege cujusdam gratitudinis erga Domum Regiam tot centurias militum habuerit, ad Zolkievienssis Arcis, & Regij Thesauri custodiam, defendendis verò finibus Patriæ cohortes defuêre. Verùm fallitur Censorius hic Cato, tam enim modica manus, quæ custodiendæ Arci Zolkieviensi par fuit, non hostibus propulsandis, facilius eo loci adduci poterat, utpote intra Regni viscera substitura, quàm ultra fines Regni omni nervo & stipendio destituta, adeóque magis fugæ, quàm prælio expedita. Etsi hic malignus calamus nodum in scirpo quærit magis, quam invenit;

Contra Castellanum Cracoviensem.

A.C.1696 nit; neque lucrari se quidquam putet; nam claritudinem virtutum, & famam semper integram infensus hic ex professo hostis non extinguet, neque obliterabit immortalia in Republica promerita falsis & malevolis oppositionibus suis. Non omisit inquietus, & vanus Author Illustrissimum Palatinum Russiæ prisci moris hominem, qui revelatâ fronte & pectore, ex præscripto Euangelij est, an non vitam agit dignam Senatore tanto? Verùm quia ille modicam fecit hujus Nominis memoriam, neque ego defensioni illius immorabor. Quicunq; enim habet fortunam ex frugalitate, vel parsimonia honesta collectam, debet illi dare vindicias, siquidem hæc Authoris censura, unicuique ejusdem sparta fortunæq; hominum quadrare potest. Junxit Magnis nominibus & sexum imbellem pridem Domûs Regiæ obsequijs addictum, nimirum Dominam Lettro, & Dominam Du Pont. Ad eam satyræ partem compendiosè cum Psalmista respondeo: Advenas non contristabis, neque affliges. Linguam Polonam ignorat, multis profuit, nulli obest; Filia modestissimè se gerit. Timendum est, ne præpropero in ultionem Deo, tam impia, & ad nocendum facilis magis, quàm potens, pœnas quam primum non ferat manus. Cogitabam seriam curam impendere, ut impium hoc manuscriptum in publico foro piacularibus flammis mulctaretur, sed postea vana hæc adversus chartam fore duxi supplicia, ne scilicet tam obscuri Authoris partus tanquam omni prorsus luce indignus, ab illo ipso, quo cremaretur igne resplenderet.

Contra Palatinũ Russiæ.

Contra sexum fœmineum.

Finem pono Apologiæ, quam fortè diutius produxi, etsi pro Justitia nunquam satis. Disceret tandem Conviciator Anonymus; non esse sapientis insectari convicijs Principes, præcipuè fœminas; Serenissimæ Reginæ Viduæ Majestati humi repens malignitas nullum affert nocumentum. Hæc enim postquam tot mala in Throno Regio tulisset, usum ferendi nacta est. In Authorem proinde pœna redire debet. Quo enim modo? quibus artibus tam palmari vulnere læsus Honor Reginalis primæ integritati potest restitui? quomodo tam profundum vulnus, & tam publicum, & quod omni vulnere gravius est, ab inæquali manu inflictum obducetur, cum cicatrix omni ævo mansura sit. Improperare Tibi mala non licet, mi Anonyme, nam ejusdem uniusq; Religionis Catholicæ vinculo Tibi me obligatum novi, certus nihilominus sum, quod plurima lux illa quæ tam infamis manuscripti tenebras produxit, in publicum, in supremo Tribunali pares debito rubore pœnas exiget.

CARDI-

XI.

CARDINALI BARBARINI,

28. Augusti.

Sparsa quædam in vulgus contra Regiam Domum, Reginæ constantia, Confœderatio in exercitu Regni, variorum in varios pro solio candidandos inclinatio, refertur.

Literæ tuæ expectatissimæ molestiâ me levarunt, utinam omnino liberassent, nuntiæ meliori te gaudere, quàm optimam & longissimam opto, valetudine. Quid verò suscipere libentius debeo, te præsertim exigente, quàm constantiam in scribendo tibi, cui tantum debere me intelligo, ut ne vitam quidem ipsam in mea magis, quàm in tua potestate positam esse velim. Itaq; imperare sit tuum pro voluntate, parere autem meum, facere omnia plena integritate, veneratione, & fide. Non sum ille, quem me facis, esse conabor, quia tuas laudes non tanquam judicia habeo, sed quasi monita, & incitamenta; Justè verò tanquam ex alto prospiciens vides & prævides, quæ tempestates immineant nobis, aut paulò tardius rupturæ nimbum suum, aut jam vicinæ. Præcurrunt jam folia virulenta, tanquam infelicitatis nostræ prænuntia, quæ libentius haberem, si laterent in scrinijs, & non in trivijs legerentur. Sparguntur & manibus singulorum diligentissimè volvuntur, tanquam de cælo forent delapsi codices. Interim (pudet dicere) de umbra asini sæpius cogitatio & sermo incidit, cum de Rege eligendo ac salute Patriæ cogitandum foret. Alij enim ut jam præteritis tibi insinuavi Serenissimam Reginam ex arce Varsaviensi imprimis deturbandam, (non est justa satis sævitiæ ratio) tanquam omnium factionum caput, privatim æquè ac publicè declamant, sed hæc, quibus deterreri eam putant, excitant, nam omnia sustinet, si non libenter certè patienter; totum id tantò magis contemnendo, quantò magis illi instant, omnino allegans se, non sui ipsius, sed Patriæ esse. Ex occasione tamen controversiarum, inter Reginam & Filium primogenitum exortarum, quæ non tam extinctæ penitus, quàm tantisper sopitæ erant, non modicam excitant procellam, contra Domum Regiam, contra quam jam rationes quas tibi adnecto in lucem publicam prodierunt, quibus domus Regia à numero candidatorum excluditur, non sine injuria palmari Principum, & parum grata Serenissimi Patris memoria. Parens erat omnium, à quo salus in populos omnes, cujus incredibilem virtutum splendorem improborum hominum malitia ferre usq; in hanc horam non potest. Non est meum accusare quenquam, aut reprehendere, sufficit mihi ut plangam dolorem meum, & desiderium excitem ut velint gradi viâ publicâ, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, Tibi verò & dolenda & erubescenda scribere cogor. Plerosq; nihil certum sequentes vaga & insons, & sibi displicens levitas per nova consilia jactat. Impugnando & bona terrestria post fata Regis derelicta, ad quæ jus pariter & advitalitatem Regina usurpat, & longè major a eriorq; circa bona Regalia est difficultas Prævideo ego, vix spem fortunæ melioris ullam superesse, sed cuncta spe suâ duriora eventura; quamvis Regina non citò his movetur, neq; terretur, & omnia fert, seq; casus componit ad omnes. Avida est periculi virtus & quo tendat, non

Scripta virulenta.

Constantia Reginæ.

A.C.1696 quod paſſura ſit cogitat, quandoquidem & quod paſſura gloriæ pars eſt.

Poſtulatus iterum aliquoties Reipublicæ Nomine Eminentiſſimus Primas, ut Reginæ in Ruſſiam, vel Pruſſiam iter perſuaderet, ſi vellet integram ſuæ Majeſtatis pupillam, & pacata Regni ordinum conſilia in incipiendis convocationis Comitijs. Verùm Sereniſſima velut Tarpejia rupes, aut Capitolij immobile ſaxum, contra multorum Procerum vota ſtetit, paucorum nixa ſuffragijs, qui non tam ſententiam ſuam, quàm fortunam ſeqvuntur & laborantem lunam obſervant. Alij ut faciliorem externis ad ſolium candidatis viam ſternant, omnem movent lapidem, ut Regiam Domum à ſuffragio procul deturbent, illi præcipuè, à quibus domus Regia meritò plus expectare videbatur. Adeo ut pleriſq; tam forti peſte afflatis, arduum jam eſſet non ſequi præeuntes, qui obvios quoſq; frequentiſſimo exemplo, non tam ducere in ſuam ſententiam, quam trahere, more magni fluminis videntur. Quare non quo eundum eſſet, legibus viam parantibus, ſed quo paſſim itur, pleno agmine tandem facilis ſequitur populus. Tanquam parum intereſſet, quàm magnâ causâ odium illud, (ſangvis omnis in alium viſcerum locum refluit) in Domum Regiam naſceretur, ſed in qualem animum incideret; quemadmodum non refert, quàm ingens flamma ſurrexerit, ſed in quo loco. Nam maximum etiam ignem ea quæ ſolida ſunt non admittunt, arida & corrumpi facilia, parvam quoq; ſcintillam fovent uſq; ad incendium. Addit robur popularibus odijs præter ea, quæ æmula ingenia in Sereniſſimo glorioſæ memoriæ Rege notaverunt, quòd Regina Varſaviæ moretur.

Svadetur Regina iter in Ruſſiam vel Pruſſiam.

Imminentis ergo convocationis comitia ordinare, & prævidere ea, quæ in re eſſent volentibus, præter ingratum ſuæ Majeſtatis propoſitum occurrerunt in ipſa fronte alia quoq; publici negotij impedimenta fortiſſima. Scilicet Vilnenſis Antiſtitis imprimis, deinde Kriſpinorum cum Palatino Vilnenſi Sapieha controverſia ipſo temporis ſpatio inveterata. Hac non dum compoſita venit fama Leopoli, quòd exercitus Polonus confœderationem ineat, exuto excuſſoq; belli Ducum imperio, & Reipublicæ obſequio. Addidit novus rumor popularis etiam M. D. Litvaniæ militiam eò collimare Nimirum unum ex alio malum naſcitur, quaſi una calamitas non ſatis nos premeret Interim in tanta rerum caligine, creſcente periculo creſcit metus, nec tota adhuc procella apparet, quia nondum totam ignotus turbo perfecit. Nam & ipſæ calamitates non temere in nos, neq; ſimul ſed per partes ſolent erumpere præſertim graviores; Habent ſuam mala noſtra moram, qua vires roburq; colligunt. Sicut irata nubes fulgur accendit ante fulmina, ſcintillas præmittunt incendia. Patet clarè ijs qui rerum noſtrarum annales diligentius evolverunt, & ſimiles prioris ævi caſus præſentibus componunt periculis, quòd alicujus æris argentiq; tinnitu nubem iſtam militarem placare poſſemus, ſed frequens difficultas, quæ iterum iterumq; redit bono publico conſulentibus, vix tam beatum indulget ſpatium, ut huic diſcrimini novo, adeoq; adhuc incerto obviàm eatur. Quamvis excitati ſunt omnium animi ad ſpem benè gerendæ rei, præſertim eorum à quorum animo privata ſtudia probantur excluſa, & ita omnis cura & intentio ad unum Reipublicæ bonum, diverſo tamen calle, nititur pervenire.

Confœderatio in exercitu Regni.

Interim omnium ſtudia rite componendis convocationis comitijs ita ſunt intenta, quaſi ſecundo illorum exitu ſalus, integritaſq; Reipublicæ nitatur. Timeo tamen ne cum ſive privatim ſive publicè plures certant rerum gerendarum ordine non conſervato, animam agere incipiat bonum

bonum

num publicum, caput præsertim erigente confœderati militis licentia. A.C.1696
Priusquam enim comitia convocationis componantur, confœderatio militaris Regni viscera depascetur, quibus quid liceat nescimus adhuc, sed cuncta licere credimus. Frequens de tam aperto periculo sermo, verùm nullus aut rarus de remedio. Omnes spectant Orientem, occasum nemo. Crescit indies procella & fœdam tempestatem omnibus minatur, nos tamen velut in medio Alcyonis nido positi, & de tranquillitate Regni securi, aliò mentem, curas aliò, vertimus; quasi non magno Reipublicæ negotio, tam insolens confæderatio resolvi possit in tempore. Inundabit procul omni dubio omnia fæderatus miles, & tributa à subditis æquè ac Dominis, pro arbitrio & absoluta antesignani sui potestate pariter imponere ac exigere incipiet, admirante Senatu, aut etiam non cohibente. Præliminaria interim ante Electionem futuri Regnantis comitia omnia quodammodo Senatûs studia sibi vendicant. Illa demum inter Serenissimam Reginam Viduam & Principem Iacobum controversia plurium Senatorum curas distrahit. Plurimum enim Reipublicæ tranquillitati intererit Domus Regiæ prætensiones componere, quas in dies jurisperitorum ingenia excitant. Solida verò amicorum consilia, in quorum numero me esse non invitus agnosco, clam in suspicionem obliquis artibus vocantur, ut callidi privatæ fortunæ aucupes plus in tam turbido rerum statu possint capere; plurimi querelas struunt, jaciuntq; ut læsi, atq; hæc ideo ut lædant, & ex privato fit publicus dolor & dira ultio.

Quanquam & illud sæculi nostri fatale malum, avara simulatio, non modicè rectas pro religione & libertate intentiones quotidie retardat. Videmus enim non sine publica prisci candoris Poloni probitatisq; injuria, cum diversa pro bono publico proponantur consilia, à plerisque alios palàm, privatim alios ad Regni solium promoveri candidatos, ut à pluribus aureæ libertatis pretium venum eat. Per tot ergo difficultates ad convocationis comitia, quæ cras (utinam feliciter) incipiunt, ad majus periculum sumus eluctati, & jam apparere incipit, quid Reipublicæ demum sperandum, quid metuendum est, in tanta diversitate & animorum profunditate. Ulteriora futuris, nunc precor DEum ut te servet, & longa cumulet felicitate, quàm ego voveo.

RATIONES CONTRA DOMUS REGIÆ CANDIDATURAM.

Ima. EX ratione Status & lege Cardinali jubente Regem in Polonia eligi, non nasci, quod in Bohemia & Hungaria, quamdiu fuit suî potens, sacrosanctè observatum. Nam post mor-„tem Georgij Regis Bohemiæ ex medio incolarum suorum electi nul-„lum ex tribus Filijs voluerunt Bohemi habere paterni Throni succes-„sorem, sed Vladislaum Regis Poloni Principem Filium. Ungari simili-„ter post fata Mathiæ Regis quantumvis naturalem, & artium regnan-„di capacissimum, & à Parente multis studijs promotum à Regno ex-„cluserunt. Proinde & Polonia argumentum habet, quando post fata „Michaëlis I. sine prole quidem decedentis, habentis tamen sangvine jun-„ctas Illustrissimas & Emeritissimas Familias jam Ducum Visnioviecio-„rum, jam Fierlejorum, Daniloviciorum &c: Nihilominus elegit So-„biescium additâ conditione in pactis conventis liberæ Electionis post fata „illius observanda.

Rex in Polonia eligitur non nascitur.

Secun-

A.C.1696 *2da* Electio in Regem Poloniæ alicujus ex Principibus Domûs Re-
Præjudiciū alijs familijs. „giæ Filijs, derogaret dignitati, & authoritati Nobilissimarum Familia- „rum Regni hujus, imò palàm esset, quod Polonia parem Sobiescio in- „venire non possit, si in Domo illius hæreditas regnandi subsisteret.

3tia Reges & Principes tam vicini Poloniæ, quàm remoti sub ea spe
Libera electio servat favorem vicinorum Principum „manentes, quòd in Polonia jus liberum eligendorum Regum posset illis „quoque servire, & rationes illorum erigere, facilius assistent Patriæ no- „stræ casibus, frequentissimè vicinorum consilijs, & auxilijs indigentis, quòd „si verò in successoribus numerosis, & quidem respectu Patris relinqui „Regnum deberet, sine dubio sicut spes omnes pro suo interesse, ita & „curas pro Nostro deponerent, utinam verò non nocerent.

4ta. Serenissimus gloriosæ memoriæ Princeps IOANNES III per totum
Joannes III nullum filiorū promovit ad Thronum „vitæ suæ ævum manifestè id præseferebat, quòd nullum ex suis Filijs „vellet ad Thronum Regium promovere augendo fortunas non Regni sed „Filiorum, quas aliàs augere non potuisset, neque bona terrestria com- „parare, neque debita œconomijs hærentia extingvere cum titulo pro „successoribus Regij sangvinis. Cum enim suos filios voluerit esse capaces „bonorum terrestrium, procul dubio voluit quoque illos habere cum cæ- „teris Nobilibus in æqualitate.

Principes filij ejus candidaturā non curant. *5ta.* Ipsi Serenissimi Principes Filij clarè demonstrârunt non curare se „Regnum Poloniæ, quando omnem curam abiecerunt suæ candidaturæ, „quia se exuerunt debitâ observantiâ præcipuè suæ Matris Patriæ cha- „rissimæ, in qua tantas opes congesserunt, sine ulla legum publicarum „dependentia; privatim enim inter se partiti sunt omnia bona post fata „Serenissimi Parentis derelicta, quo ipso renunciârunt omni respectui, „& prætensioni Reipublicæ.

6ta. Dato non concesso quòd aliquis ex Principibus Filijs in Regem
Etsi aliquis eorum eligeretur, esset regno perniciosū „eligeretur Poloniæ tunc sine dubio deberet observari ordo, & prærogativa „ætatis. Quòd cum quanto incommodo Reip: contingeret, facilè po- „test intelligi; Nam electo in Regem primogenito nihil prorsus per fæde- „ra connubialia in rem suam tractare posset. Quia iam tori sociam „habet insciâ Republicâ comparatam. Si verò pro Juris libertate aliquem „ex Minorennibus in Regem eligeret, quantum inde mali in visceribus Re- „gni nasceretur, clarè id sonant communicationes tam publicæ, quàm „privatæ Serenissimi Principis Jacobi impotentis tam apertam injuriam „æquo animo sustinere, si minor præcederet.

Neque potest incontra jure merito allegari respectus erga Regios
Non promovet sangvis Regius „sangvinis successores; iste enim tunc tantum observabatur à Polonis, „quando adhuc ex Domo Jagellonica, non modo Reges, sed Hæredes „etiam simul fuerunt Poloniæ Principes. Nihilominus tamen & Sigis- „mundum III, quantumvis ex sangvine Jagellonico tam proxime oriun- „dum non statim Poloni in Regem elegerunt, sed prius Henricum Vale- „sium, postea Stephanum Bathoreum, tandem Sigismundum III, ne vi- „deretur succedere in Regnum, & aliquod ius hæreditatis ad illud præ- „tendere. Casimiri verò III electio sicut per Cosaticæ factionis suf- „fragium stetit, & magis reverenter, quàm libenter à Republica ac- „ceptata est, ita cuncta illius Imperij tempora mille periculis Rei- „publicæ, mille bellorum discriminibus fuerunt obnoxia.

Amico

XII.

AMICO CONFIDENTI

28. Augusti Varsaviâ.

Negatum prius, postea concessum Principibus aditum Zolkieviam, inventorum ibidem exdivisionem, Ablegatum Viennæ proprio motu in publica audientia Imperatori nuntiasse mortem Regis, Reginæ non potuisse persuaderi abitum Varsavia, nuntiat.

AMare debeo diligentiam tuam, natam haud dubio ex fonte affectûs, vel potius amoris; liberâsti verò me ab omni solicitudine, cum significas valere te & si minus valuisses. Memor sis sæpius Tulliani moniti & valetudinem tuam cures diligenter.

Habui notitiam Zolkieviâ, Principes 14. Julij illuc venisse, & invenisse summa impedimenta, cum non tantùm ad arcem sed etiam ad civitatem aditus illis negatus sit ab eo, qui nomine Principis Jacobi intraverat, dispositis etiam majoribus tormentis ad defensionem, ne ingrederentur; dormiendum ergo eis hac nocte fuit in domo Domini Palatini Russiæ, miserunt interim Comitem Denhoff ad Castellanum Cracoviensem Leopoli residentem, à quo venit declaratio, quòd nihil facere possit in favorem eorum, stante à fisco Regni, supremo Mareschalco, & alijs Proceribus ac Ministris, aresto nomine Reipublicæ imposito, & propterea liberum ingressum permittere non posse. Missus iterum fuit Palatinus Calissiensis, ad officium sibi commissum non solùm aptus, sed & necessarius, & quæsivit à Castellano Cracoviensi, utrum quis omnium ferè Majorum institutis neglectis, contra bene possessionatos arestum ponere possit? antequam constet de realitate prætensionum, & cum in iisdem bonis possit eas repetere. Quantus pudor apud exteros erit, & ignominia æterna, quæ nunquam oblivione delebitur; erit scandalum grave, quo scandalisabuntur non pusilli, sed magni & perfecti viri, quod proles Regia tam asperè post fata Regis & Parentis tractetur, cum derelicta naturali jure ad se pertinentia sequestrantur; culpandus erit hoc & omni tempore Castellanus, si considerans quis est ille, & qui sunt illi, quibus bona arestantur, non faciet ea quæ juris & justitiæ sunt. Et sic convicit tandem Castellanum, ut prævia à Principibus securitate in omnem eventum, quod eum Principes coram Republica evincent in scripto data ab Alexandro & Constantino; (Jacobus verò eam dare nullatenus voluit) expediret mandatum, ut statim Principes, tanquam ad propria admitterentur. Cum etiam ex amore in defunctum non tantum civitas, sed etiam ditio illa arma parasset, Principibusq; assistere declarasset. Dominus Thesaurarius Regni præcesserat, & petijt se in arcem admitti, sed denegatum, nisi cum tribus personis, & data prius declaratione quòd tantum Palatium ingredi, & nullatenus thesauros Regis defuncti esset moturus. Sic ergo Reszoviam è longinquo salutata arce abijt. Tertio verò die intrarunt Principes, & à populo salutati, excepti apertis portis, ibidem expectarunt Reginalis Majestatis adventum, quæ brevi, hoc est 17ma comparuit, statimq; omnia mobilia sursum comportari jussit in sortes Filiorum dividenda.

Principibus junioribus negatur aditus Zolkieviam.

Conceditur ijs ingressus

Amplior

A.C.1696 Amplior erat certè peculij spes, quia vix centum millia aureorum, cuivis Principum obtingent. Dicitur aliquis ante adventum Principum Thesaurum visitasse. Quam rem & multi non ignorabant & fama loquebatur. Restant duo milliones ex variis retentis, quas sibi Regina prætendit, unde nova emicuerunt semina disputationum & motuum inter illam & prolem. Distributa sunt interea multis præmia, sed de his nihil. Existiment alij de alijs prout volunt, quòd empti fuerint pretio magno, ego de illis existimare non possum, nisi quod vicinum est rationi, & quod ad lineam pertinet æquitatis. Debet in spem qui arat arare, & qui triturat facit in spem fructus percipiendi. Nos quæ accepimus immutata referimus, veri periculum non assumimus, cum tantum amicitiæ eorum favebant Principes, quantum jure optimo fieri debet, propterea etiam contendebant multi sive absentes, sive præsentes placere ijsdem.

Inventorũ exdivisio.

Interea decimâ Augusti fuerunt apud me Pultoviæ Dominus Davia, & Dominus Legatus Galliæ, qui multa mecum egit, sed non credo quod sit ex me contentus, statui enim hoc ipsum apud me, & nolui ullatenus deserere domum Regiam quamvis multos ab ea deseri videã.

Habui literas à Cardinali Primate, in quibus inprimis nuntiat mihi & conqueritur, Dominum Equitem Melitensem Proski errorem satis crassum commisisse, quod scilicet non expectatis, ut moris est, denuntiatorijs literis à Primate, publicam Viennæ, ubi tunc Ablegatum agebat, petierit audientiam Imperatoriq; cum tota aula mortem Regis denuntiaverit, consuetamq; condolentiam à Ministris receperit. Missæ sunt ipsi tam ad Cæsarem, quàm ad Regem Romanorum literæ, quas publicè reddere debebit, & errorem suum priorem detegere. Scripsit etiam Mareschalcus Regni literas ad Primatem, quas tibi mitto.

Ablegatus non obtentis literis Viẽnæ nuntiat mortem Regis Imperatori

Veremur quoq; magnas dissensiones inter Palatinum Cracoviensem & Castellanum ex duabus præcipuè rationibus, quarum prima quòd Dominus Palatinus prætendit præsidium Cracoviense, & Commendantem ejusdem Urbis ad se pertinere, quod Castellanus negat; secundum est, quod Palatinus miserit ad Commendantem Zołkieviensem hominem naturâ infidelem, turbulentum, cujus animus multis repagulis continetur, qui omnia miscere ac turbare solet, nam assuetus est ex malis aliorum divitias remq; suam augere, calumniando, diripiendo, ac lacerando innoxios. Quanquam id audaciæ erat, quod tentavit, dementiæ, quod speravit, obtenturum se, quæ prætendit, manum enim suam mittere voluisset ad omnia desiderabilia portans mandatum à Domino Palatino ut sub pœna capitis obediat ei Commendans tanquam æqualem jurisdictionem à Republica sibi datam, cum Castellano habenti, quod nemo tribuere potest nec debet: Unde verò fastus venit, unde superbia facile divinabis; vulgò dici solet, omnes sibi malle melius, quàm alteri, sed hæc ambitio magis postea irridetur quàm impletur.

Semina dissensionum inter Palatinum Cracoviensẽ & Castellanũ.

Interim Regina causæ suæ ingenioq; præfidens, veluti cælestis Olympi fastigium ne tangi quidem his motibus videbatur, omniaq; pro antiqua potestate Majestatis agebat, cum præ solicitudine quiescere non possit, quemadmodum de Varsaviensi, sic de Zołkieviensi thesauro liberè disponebat, quam ut Zołkieviã redeuntem Mareschalcus Regni salutaret Varsaviæ, non potuit Eminentissimus Primas obtinere ob rationes, quæ in Epistola quam tibi mitto continentur. Adnecto etiam aliquas Palatinatuum instructiones, & aliqua circa Candidatos è Domo Regia pro & contra scripta, aliqua metuenda, aliqua quoq; optanda virulenta hæc folia, utinam adhuc laterent in scriniis & non in trivijs legerentur.

Vigesi-

Vigeſimâ 5ta Auguſti redijt Regina Varſaviam, & ego etiam ibidem comparui, ſed multa inconvenientia reperi, quia plures ex principalioribus Senatores, nec viſitare quidem eam voluerunt, ita illa in omnibus tribulationibus patitur, ſed non anguſtiatur. Diſputavi in hoc puncto cum Cancellario Dominico, & Procancellario Carolo M. D. Litvaniæ Radzivilijs, qui rationes dabant, quòd gratulari adventum Reginæ non poſſint, cum ei contrarij fuerint; tandem tamen multis rationibus evici, ne inania iſta ſolidioribus de Republ. conſilijs obicem ponerent, eoq; minus quod nullum jus, nulla ſatis juſta ratio id ſvadere videatur, perſvaſiq; ut ſi nolunt gratulari adventum, gratulentur ſaltem pro debita humanitate, (qua nemo peccat) bonam valetudinem. Cùm verò ego ſalutaturus veniſſem ſuam Majeſtatem, inveni Dominum Palatinum Varſicium, & Caſtellanum Bindzinſcium Sandomirienſem, in quorum medio inveni Reginam conquerentem cum lacrymis, amaro animo ſuſpirantem, & vix non ejulantem, illosq; illacrymantes, & ſtatim venit mihi in mentem Suſanna illa in medio ſenum poſita. Dixit pòſt ad nos Regina maximum ſolamen eſſe ægro animo miſerias ſuas amicis enumerare videreq; ipſos earundem participes. Propterea enim eligitur amicus, ut noſtris egeſtatibus ſit præſtò; addidit quòd noſtrâ tantò juſtius opem ferre illi interſit, quantò indignius opprimitur. Inſuper cum ijſdem lacrymis proſecuta, quòd ante peccatum pœnitentia ei deſtinetur. Quæretur tamen iniquitas Iſraël & non erit, & peccatum Judæ & non invenietur, in tempore illo, & in diebus illis, ſed juſta juſtus DEus adjuvabit. Dominus Epiſcopus Poſnanienſis & Palatinus Plocenſis venerunt eodem tempore ad Reginam, quamvis maximè eam prius impugnaverint. Quod fuiſſe dicitur factum ex inſtinctu Principis Jacobi, ſi credere fas eſt, ab omnibus requirentis, ne Regina reſidere poſſit Varſaviæ. In craſtino Palatinum & Caſtellanum Sandomirienſes inveni cum plurimis alijs apud Cardinalem, qui auditis zelantium rationibus, amplius ſe nolle aſſiſtere Reginæ declararunt, cum illa tacitos tantum audiat laudatores, & aſſiduos magnificentiæ præcones, qui confortant, inſtruunt, protegunt, ſed non ſatis bene provident omnibus. Omnes ergo jam reperi in eo concordantes, ut Cardinalis Primas directè cum Regina expoſtularet, ab eaq; peteret, ut abſceſſu ſuo quietam & tranquillam reddere velit Rempublicam quandoquidem hæc materia, ſi in diſquiſitionem imminentis convocationis venerit, multum difficultatis & plurimum dishonoris adferet, ſi hæc reſidentia Polonis non probatur, quid eſt quòd amplius laboret? cur ſe multis ſuſpicionibus exolvere non vult, & votis populorum morem gerere? quod omnium, quæ ſubſequentur cauſa unica malorum eſſe poteſt, & ſemina eorum quæ pòſt pullulabunt jaciuntur. Pravorum autem ſeminum pravæ ſunt ſegetes; Timendum certè ne hoc quod nunc credit bonum, ejus voluntatis ſit, poſt Reipublicæ poteſtatis fiat; Univerſi proinde, qui illam amant, vehementer expectant, atq; flagitant maturari. Sed cum Cardinalis petiit inſtanter, illa conſtanter abnuebat, neſcio an parcens ſibi, an hanc expoſtulationem ſpernens, quo magis hoc prohibetur eò magis in contrariũ accenditur. Non placent aſpera etſi recta & ſalubria, quia amara non ſapiunt. Addebat Cardinalis quod ſi his diſputationibus tempus convocationis tantum duarum ſeptimanarum ſpatio circumſcriptum extraxerit, tunc Nuntij redire ad Palatinatus volent, (non dicat ſibi id non prædictum, in locum quorum tota nobilitas comparere poterit, & cadet res longè aliter, quàm putatur. Non potuit expreſſius demonſtrare rationes validiſſimas Cardinalis. Sed ſicut quondam hoc fuit Romanorum fatum,

A. C. 1696

Viſitatur Regina à varijs.

Fruſtra ſva detur Reginæ abitio Varſaviâ.

A.C.1696 fatum, ut victi multò fortiùs resisterent, sic illa non considerat quæ nunc sit, sed quæ olim fuit, nec quidquam agit nisi quod libet. Quamvis videbantur illi sermones boni & justi, non eos audiebat, allegans pro se, ex eo tempore, usq; nunc nondum exemplum simile fuisse. Ego quæ eam concernunt seriò curo, & diligentiam omnem adhibeo, ut nihil à me ultra requirere possit, faxit DEus ut ea certitudine omnia eveniant, qua ego precor, & illa meretur. Et cum considero non per quem sed à quo immissa hæc sit tribulatio, tantum illi de præsenti molestia compatior, quantum de prosperitate vellem gratulari futura, ut in exhibitione operis liqueat meæ veritas dilectionis. Nihil enim est apud me antiquius gratitudine & pietate, in qua non minùs diligenter, quàm fideliter omnia gessi geroq; assiduè. Recordor quippe quid Divinus Plato, & bene quidem dixit, qui ex animo amat, neq; absentem amicum oblivisci, neq; præsentis non recordari, neq; in secunda fortuna tolli, neq; in adversa secernere, neq; propositis commodis moveri, sed amici rem totam, quasi rem suam, ac semetipsum tueri debet, ac propterea voluissem idem persvadere, nihil prætereundo, ne quis fortassè dicat, me non satis accuratè ea prosecutum. Sed plus ego dicebam, ut resistere amplius non moliatur, ne plenissimè demoliatur; illa quamvis compulsa ad ultimos metus, ab inceptis tamen non desistebat, faciléq; se à Republica credebat obtenturam, & omnino persvasum habebat ulteriorem penes corpus manendi esse potestatem. Interim nullam vitæ partem quietam esse illi fas est, nisi quam sibi somnus vendicat.

Venit etiam surda nec ex integro certa notitia, quòd confœderatio militum, aut jam facta, aut in proximo est ut jam fiat, & si fiet, currens obviam currenti veniet, & nuntius obvius nuntianti.

Comparuit etiam eadem die in magna assistentia Castellanus Cracoviensis, quæ nimium multis displicet, & jam incipiunt murmurare.

Vigesimâ octavâ fuimus iterum apud Cardinalem ubi inter alias, fuit etiam quæstio, de Electione Mareschalci Convocationis, cum alij alternatam majoris, alij minoris Poloniæ prætendebant, quæ quæstio, quamvis multæ fuerunt controversiæ pro & contra nullatenus hac die resolvi poterat.

Instat crastina die terminus designatæ convocationis, cujus postea exactam futuris habebis relationem? nunc adjungo aliqua curiosa. Interim quomodo valeas sciam, quantum me ames non ignorem.

EPISTOLA M. MARESCHALCI
REGNI AD EMINENTISSIMUM PRIMATEM.

Ab officiosa Reginæ salutatione se excusat, refertq; cohortem Varsaviæ comparuisse non dependentem à suo Imperio.

Respondērem votis Eminentiæ Vestræ, & salutationis officia Reginali Majestati debita persolverem, fortunæq; meæ singularem haberem gratiam, si hujus venerationis obsequium liceret mihi præstare. Verùm quia hujus reverentiæ solennitatem tot Palatinatuum Comitia vetant, & Serenissimam Reginam

nam viduam precantur, ut procul Varſaviâ tantiſper reſideat, A.C.1696
quamdiu tam convocationis, quàm Electionis Comitia celebrabuntur, dabit veniam Eminentia Veſtra, ſi me ab hac ſalutatione reducis ex Ruſsia Sereniſsimæ Reginæ excuſavero, quam tot cenſuris totq; obnoxiam querelis, & ſuſpicionibus nemo non intelligit. Quod ego quoq; cum alijs Regni Senatoribus, & Miniſtris Statûs per literas ab eadem Sereniſsima Regina per Eminentiæ Veſtræ Primatialem inſtantiam expetij: quatenus Sereniſsima Regina, pro ſumma ſua prudentia, & æquanimitate dignaretur illam teſtari diſcretionem omnibus Regni Ordinibus, ut illis liceat abſq; præſentia ſua, ejusq; arbitra Majeſtate mutuo de rerum ſtatu ſecum conferre, & procul omni ſubjectione de ſecuritate liberæ Electionis futuri Regnantis, nec non alijs immunitatibus claram proferre ſententiam. Hoc igitur obſtaculum prohibet, ne tam publicam venerationem Sereniſsimæ Reginæ exhibeam, quam in alijs circumſtantijs unicè deſiderarem conteſtari. Ne ſcilicet per ejusmodi obſequium videar tanquam director conſiliorum inordinato meo homagio confirmare, approbareq; Varſavienſem Reſidentiam Sereniſsimæ Reginæ. Potius poſtulanda mihi eſt nomine publico Eminentia Veſtra, ut digniſsimâ interpoſitione ſuâ velit efficere, ut Sereniſsima Regina publicum hoc poſtulatum ex graviſsimis rationibus tam illi, quàm Reipub. perneceſsarium dignetur grato animo, & procul omni mora exequi, quandoquidem & Sereniſsimi Reges Domini Noſtri clementiſsimi conſueverunt â Nobis gratis auribus excipere, etſi interdum parū grata ſvadentur, quoties id boni publici ratio ſvadet, expoſcitq;. Nam quemadmodum indecorum foret Sereniſſimæ Reginæ invita Rep. Ordinum incubare conſilijs, ita nequit eſſe honorificum nolle conſentire, quod omnes fermè Palatinatus Regni, Terræ, & Diſtrictus, boni publici ſecuritati, & tranquillitati Reip. cenſent omnino expedire, & quamvis aliquis publicæ ſententiæ vellet diſſentire, hæc tamen diſſenſio ipſa, deberet vel ſuggeſtioni, vel noſtræ conniventiæ imputari. Et nimis eſſet arduum animis publicis, cùm hac luctari opinione: cui magis ſit indecorum, an ſcilicet Sereniſſimæ Reginæ imperium? an Reip. obſequium? à quo diſcrimine procul eſſe exiſtimo, abſolutiſſimam Sereniſsimæ Reginæ prudentiam. Hoc præterea communico præſentibus Eminentiæ Veſtræ, quòd vix Sereniſſima Varſaviam attigit, ſtatim intra urbis hujus Pomœria comparuit militaris cohors non à Mareschalci Regni nutibus & imperio dependens, juxta conſtitutionum edicta, confœderationum & pactorum conventorum ſancita, contra Jus publicum, cogitat Arcem Regiam ingredi, non præſtito prius fidelitatis juramento Reip. & obedientiæ officio Mareschalci M. debitæ. Quod an conveniat Authoritati & Securitati conſiliorum, ut ſub hoc ferreo freno publicè legibus proſcripto, & ſub militari haſta de ſuis libertatibus cum oppreſſione

A.C.1696 *Jurisdictionum, & vocis liberæ Resp. ferat sententiam; subsit hoc altissimo judicio Eminentiæ Vestræ. Oro simul, quæsoque Eminentiam Vestram, ut animadvertere ad hoc dignetur tanquam supremus custos prærogativarum Reipublicæ, & ut constet Eminentiæ Vestræ me hujusmodi frenum potius, quàm præsidium, ex rationibus Status nullâ ratione acceptare, approbareque posse. Quare quicunque ex officialibus, aut Præfectus cujuscunque militiæ extra meam Jurisdictionem cum aliqua manu militum Varsaviam ingredi ausus fuerit, jubebo illum ad judicium meum citari, & subire legis sententiam; nam ista legio, quam huc destinatam esse audio, non ideo Polonæ militiæ numero adscripta est, ut publicæ leges violentur, & præjudicium Supremo brachio Reip. fiat, sed ut belli tempore in campum Martium prodeat, stipendium à Palatinatibus emeritum acceptura. Quidquid præterea militum sub titulo Regiæ cohortis, vulgò Gvardy, superest, juxta præscripta legum, & pacta conventa, ad gubernationem, & obedientiam Mareschalci M. sub juramento fidelitatis spectare debet &c.*

PUNCTA INSTRUCTIONIS TERRÆ VISSOGRODENSIS.

1. UT Serenissima Regina Vidua ante Convocationis Comitia in Russiam excedat Varsaviâ memor pactorum Conventorum, ne „se ingerat in materias Statûs, neque illas suis factionibus interturbet, atque de hoc diligenter authoritate Primatiali admoneatur. Quod „si id præstare renuerit, jusserunt Comitia, Ablegatos suos ab omni prorsus Reipublicæ consilio abstinere, cum ea declaratione, quòd „tota Terra Vissogrodensis viritim & sub militaribus signis Varsaviam „sinè mora contendet, arma civilia quibusvis factionibus pro libertate „& legibus publicis oppositura, ad quod sinè mora præstandum tota illius Terræ Nobilitas fide præstiti juramenti inviolabiliter se obligavit.

2. Ut subjecta gloriosæ memoriæ Regis à futuræ convocationis Comitijs similiter amoveantur.

3. Ut Cohortes Aulæ Regiæ (vulgò Gvardiæ) juramentum fidelitatis præstent coram M. Regni Mareschalco, & subjectione Reipubl. restituantur ex integro.

4. Deposita Regia, quæ contra legem publicam, & contra manifestationem M. Mareschalci, & Thesaurarij Regni per Domum Regiam „distracta, ut iterum sub sigillo eorundem illustrissimorum Regni Ministrorum Statûs comportentur sub succubitione Juribus, & exsolutione „totali. Nam illo pecuniarum nervo Jura Reip. Domus Regia oppugnare, impetereq; posset.

5. Ut legati Externorum Principum antiqui ante Convocationis Comitia expediantur Varsaviâ, juxta prisci moris consvetudinem, & leges „publicas in similibus occasionibus sacrosanctè observatas.

PUNCTA IN COMITIOLIS VISNENSIBUS PROPOSITA.

1. Exorbitantiæ, & alia vulnera Reipub. in futura Deo favente Convocatione ut componantur, lex repetundarum instituatur, & pacta con-

„conventa in eadem Convocatione tempestivè ad informationem Statûs *A.C.1696*
„conscribantur.

2. Serenissima Regina Vidua ne cum Regia sua Domo, conformando
„se legibus Regni expressis, Varsaviæ sub tempus Electionis resideat, &
„successionem ac proximitatem ad Regnum prætendat.

3. Concurrentia Piastorum ad Candidaturam Regni totaliter excluda-
„tur..

4. Thesauri & mobilia gloriosæ memoriæ Regis nuper defuncti ad de-
„cisionem Reipublicæ spectantia, quæ inscia Republicâ distracta sunt, in-
„quirent Ordines Regni, an legitimè in privatos usus conversa non at-
„tentis prætensionibus, non observatâ conventione pactorum, & aliarũ
„læsionum.

5. Addatur diligentia, ne Serenissima Regina Vidua cum Domo Re-
„gia Thesauros extra Regnum transmittere audeat.

6. Bona Terrestria, quæ Serenissimæ Majestates vivente Principe con-
„tra Jus publicum & fas compararunt, sint exemptibilia ad normam con-
„stitutionis de Bonis Lywiec scriptæ & approbatæ.

7. Contra quemvis ambientem Regnum per potentiam, & liberæ E-
„lectionis depressorem, per obliquas factionum artes, & molimina, per
„pretia, & introductionem tam domesticæ, quàm externæ militiæ, tan-
„quam contra publicum hostem omnes consurgere, & neminem, nisi li-
„berè electum nemine contradicente Throno Poloniæ imponere præsen-
„ti confœderatione obligamur, pollicemúrque ad futuri Regis & Domi-
„ni Nostri electionem Nos viritim sub signis Palatinatuum adventuros.

PUNCTA INSTRUCTIONIS COMITIOLI MARIÆBURGENSIS Stumij celebrati 24 Julij.

1 FUtura confœderatio firmetur ad exemplum illius, quæ consecuta est
abdicationem piæ memoriæ Serenissimi Joannis Casimiri.

2. Distractæ à Domo Regia, ac inter se divisæ pecuniæ, aliáque pre-
„tiosa ex Thesauro Varsaviensi evecta, ut in depositum & custodiam
„Reip. restituantur, ac in futuram ejusdem dispositionem pro emerito mi-
„litum stipendio asserventur.

3. Ut Civitatibus Pruthenicis præsertim Mariæburgo, Puczko, Elbin-
„gæ præsidia assignentur & commendantes seu Gubernatores illarum sint
„viri Nobiles, possessionati, & Catholicæ Religioni addicti. Idem & circa
„Præfectos Armamentarij Mariæburgensis & Pucensis observetur, cedatq;
„inspectio, & cura illi, qui commendam seu Gubernationem Arcis habebit.

4 Serenissima Regina cedat vel Advitalitijs vel Terrestribus Bonis, si-
„quidem & Reginali, & Nobilium simul jure Matronarum gaudere nequit.

5. Vacantes in Palatinatu Mariæburgensi dignitates ex arbitrio Pro-
„vinciæ distribuantur.

6. Cohortes Regij Palatij, corporisque excubijs destinatæ secundùm
„praxim antiquam cedant gubernationi M. Mareschalci Regni.

7. Depositum in Arce Mariæburgensi ne Commissarijs Serenissimæ Re-
„ginæ extradatur.

8. Inter Candidatos futuræ Electionis Piastus nec nominetur.

9. Pactis Conventis gloriosæ memoriæ Serenissimi Regis ex asse succes-
„sorum illius satisfiat.

10. Controversiæ ratione Palatinatûs Pomeraniæ in Generalibus ejus-
„dem Comitijs discutiantur.

II Con-

A.C.1696 11 Contributio approbetur.

12. Exactor, vulgo Poborca, Palatinatus Mariæburgensis, agragrias quoquè œconomicas colligat.

13. Supplex libellus Civium Mariæburgensiũ ratione subsidij ad restauranda valla illius fortalitij publico respectui diligenter commendatur.

QUÆDAM METUENDA REIPUBL. CAVENDAQUE

Ne proprietatem ad Thronum prætendat domus Regia

1 NE Domus Regia præsumat usurpare sibi propioritatem ad successionem Throni Regij, ideo per factiones liberæ Electioni obnoxias, & per venales voces audeat suffragia ad Regnum mercari. Nam Rex hujusmodi non esset Civibus obligatus, sed magis suæ fortunæ, non pateretur se admoneri, neque inclinari ad liberæ Reip. arbitrium. Putaret enim quòd præ illo nullus alius potuerit eligi, essetquè gradus hic indubitatæ prætensionis Dominij in perpetuum, quamdiu Domus Regiæ Linea superesset.

Ne Regina Vidua

2. Ne Serenissima Regina Vidua materna authoritate connaturale sibi Imperium prætendere supra Principes Filios præsumat, & ne prius in conclavi Reginali publica concludantur consilia, quàm in Senatu proponantur. Præterea ne Propositiones quoque Comitiorum Regni, ex arbitrio privato, & placito in eodem conclavi concipiantur, scribanturque atq; ut olim cupido habendi dominabatur ita sensim oblivio libertatis subsequatur, trahatque illos post se, qui tuta & præsentia potiùs, quàm vetera & periculosa præeligerent.

Ne eadem Throni & Thori socia velit imperare.

3. Ne ipsa Serenissima Regina Vidua velit iterum Nobis imperare cum subjecto promptiori ad agendum, & resolvendum, quàm fuerit Regnans præteritus, & in illum suffragia populi disponat, qui illam in Throni simul & Thori ducet sociam, atquè ideo non unum sed plures proponat, ut tandem alicui cedere possit in consortem, quemq, non Reip. sed sibi Regem eligat; cujus intentionis evidentiá palam sunt omnibus principia. Hæc enim privata thesauri Regij usurpatio contra manifestationem Ministrorum Statûs evidens videtur esse argumentum. In quo si tanta est audendi facultas, ante Regni certitudinem, quid sperandum, si iterum eligeretur in Reginam, si Authoritas Nominis Reip. sui Juris Dominæ non inclinavit ad reflexionem præsumptam illius in suo sensu pertinaciam, quid eveniret, si Respublica obsequio fidelitatis teneretur ad præstandam obedientiam. Quanta verò sit Serenissimæ Reginæ Viduæ celeritas ingenij, & activitas juncta pertinaciæ, vel inde palàm est, quod neque admonitio nomine Reip. facta, neque teneritudo doloris Parentalis, & Serenissimi Mariti in theatro ferali decumbentis, & justa suprema expectantis vinculum, in uno eodemque loco tenere potuerit. Quanta ergo tunc demum foret tanti volubilitas ingenij ad vindictam de illis sumendam, qui leges publicas & libertatum suarum indemnitatem propugnant, tuenturq;. Cujus habemus manifesta documenta in Illustrissima domo Sapiehana, quæ non modo fulminationibus Ecclesiasticis, sed publicis etiam mandatis & citationibus ad privata sua studia trahebatur, quantumvis hæsitante Principe prudentissimo.

Ne Elector Bavariæ promoveatur

4. Metuendum ne Serenissima Regina Vidua, si illam sors regnandi præterierit, illiusq; Principes Filios, persuadere velit Serenissimo Electori Bavariæ, ut pro suffragijs ad sceptrum Poloniæ concurrat, ex hac ratione, ut per filiam possit adhuc Nobis imperare, quæ illi promptius obediret in omnibus quàm quicunque demum filiorum. Quod fieri nullâ ratione potest propter incompatibilitatem & potentiam Electoratûs

„ratus Imperij cum Regno Poloniæ, quod ex vicinitate potenti formi- *A.C.1696*
„dabilis, & incompatibilis eſt cum Regno Noſtro. Nam eodem modo &
„pari ratione Auguſtiſſimus quoque Romanorum Imperator, & Rex Chri-
„ſtianiſſimus poſſet concurrere. Præterea verendum eſt, ne per ejuſmo-
„di Regis electionem immiſceamus Nos difficultati ineluctabili alicujus
„partialitatis vel diſſenſionis cum Imperio, innodemúſque Remp. hoſti-
„litati Familiarum Imperialium, à qua ſemper procul Majores Noſtri. Tan-
„dem ne Nos implicemus bello difficili, faciamuſque ex tam tranquillis
„vicinis hoſtes intimos; Cujus recens habemus exemplum in annalibus no-
„ſtris, electo in Regem Sigiſmundo III. Svecorum hæreditario Principe.
„Nemo enim eſt, qui non præſentiſſimâ teneat memoriâ; quantis quamq;
„difficillimis bellis Nos involverimus. Præterea diligenter conſideranda
„eſt activitas Sereniſſimæ Electricis Bavariæ Sereniſſimæ Reginæ Viduæ
„Filiæ Chariſſimæ, quæ omnibus in aperto eſt, quid, ſi præterea au-
„xilio materno utriuſque poteſtas niteretur, non ita facilè aut nunquam
„ex muliebri Imperio miſera eluctaretur Reſpublica, nacta Regem ex-
„tam potenti validáque Domo, qui ſe conſorti ſuæ tenerrimæ ideo ac-
„commodaret ad complacendum. Tandem videndum eſt, ne ejuſmodi
„electio videatur per vindictam inventa excogitataque à Sereniſſima
„Regina ad funditus evertendam Reipubl libertatem, & firmandam ſibi
„ſoli abſolutam poteſtatem; quamvis Sereniſſimus Elector & ex natura-
„libus Regijs & privatis virtutibus ſit digniſſimus quocunque Regno, ſed
„hæreditario, non electivo; Nam hic obſtant circumſtantiæ incompati-
„bilitatis cum Republica noſtra libera ex rationibus ſuperius inſinuatis.

5. Advertendum eſt, ne Sereniſſima Regina ſubſiſtendo Varſaviæ per
„illud temporis ſpatium, quo Generalis inſtituenda eſt Convocatio, ve- *Ne Regina*
„lit ſuis obliquis artibus, & magnificis promiſſis ſubjecta, & conſilia pu- *conſilijs ſe*
„blica in ſuam partem & intentionem trahere ante Electionem, & invo- *immiſceat. manens*
„lare in rationes Statûs, mediationes affectatas; illos verò pro hoſti- *Varſavia*
„bus habeat, qui ex cuſtodia legum & conſcientia talia debent prævi-
„dere proculq; avertere. Neque deeſſent ejuſmodi, qui obliti chara-
„cteris ſui, dicendis abſtinerent, ob reverentiam Reginalis Majeſtatis.
„Nam ſi Pactis conventis cavet ſemper Reſp. ne Reginæ immiſceant
„ſe in negotia Regni vivente Principe, quantò magis hoc obſervari par
„eſt poſt fata Regis ſtante Inter-Regno. Quando Reip. ſoli audacter
„ſibi conſulere, & omnino neceſsè eſt, & per leges publicas licet ſinè
„umbra, & arbitrio ullius Majeſtatis. Quodſi objiciatur alias olim Re-
„ginas Poloniæ manſiſſe Varſaviæ, Convocationis & Electionis tempo-
„ribus, facilè reſponderi poteſt, aliam tunc fuiſſe ſimplici illo ſæculo Re-
„gni faciem, & tranquilliora Reginarum ingenia. Neq; id inter injurias
„honoris ſui Sereniſſima Regina Vidua cenſere debet, quandoquidem &
„ipſi Principes, quantumvis regnantes, & quibus fidelitatem obedienti-
„amq; juratam debemus, tamen quoties in Judicijs, conſilijſq; negotium
„aliquod vel cauſâ Majeſtatis tractatur, ſolent cedere ad conclave, ne
„interſint publicis ſententijs. Tantò magis id Regina præſtare debet
„tunc, quando Reſp. ex omni parte ſecuritati ſuæ conſulere, & cuncta
„pericula indemnitati ſuæ imminentia, etiam ab ipſa Domo Regia pro-
„cul avertere, adeoq; omnino libera eſſe ab Arbitra Majeſtatis.

Neque id minùs metuendum, quòd cùm primum fermè exemplum
„liberæ Electionis fuerit, ut ex Domo Nobili in Regem Poloniæ pro-
„clamatus, primusq; ex æqualitate Prolem reliquerit, quæ, ſi candidatu-
„ram uſurpare, & per Polonam Nobilitatem formare voluerit, debe-
„bit prius ſubeſſe deciſioni, & circumſcriptioni Reip. quomodo erit

A.C.1696 tutum Polonos à Polonis, & ad Polonos fungi legationis officio, & simul Electorum prærogativâ gaudere. Quanta præjudicata inde metuenda, juvat Remp. maturè despicere in convocationis Comitijs, ne ex novo emergenti nòvum in servitutem libertatis malum tandem aliquando emergat.

Ultimò quòd si non declaraverit Respublica, deciderítq; an sub nomine Piastorum contineatur Domus Regia, necne, perturbabitur ordo legum Reip. Nam si non sunt ex numero Piastorum, tunc bonis Nobilium gaudere non possunt; si verò censentur inter Piastos, ergo non debent successionem Regni prætendere, quemadmodum alij quoque Cives Patriæ, sed expectare tantùm in silentio. & spe voluntatem, & suffragium Reipublicæ. In hoc ergo cardo periculi versatur, ne Reip. leges confundantur, si prædicta puncta non fuerint definita, & circumscripta, aliàs vel ad bona Nobilium conquirenda habilem declarabit, vel Regnatricem esse palàm faciet, quòd utrumq; præsenti Reipubl. statui formidandum.

OPTANDA BONO PUBLICO PROPONUNTUR.

Optandum 1. ut ante omnia per confœderationem declaretur, quòd nullus possit in Regem eligi, qui non sit Catholicus ex professione, aut vocatione.

2. Ne eligatur, qui ad Remp. aliquam prætensionem habeat.

3. Neque hujusmodi qui sit vicinus potens Dominium habens aut Regnum, nisi fortè illud Juribus libertatis Polonæ subijciat, quemadmodum fecit Serenissimus Jagello cum suo M. D. L.

4. Ne Poloni Nobiles putent sibi licere fungi officio Oratorum à Domo Regia ad Rempublicam, neq; commissionem ullam in hoc puncto suscipere, ob periculum dissensionis civilis, partialitatis privatæ, & assentationis, quæ omnes qualitates ab Electoribus procul esse debent.

5. Ne Generalissimi Exercitûs Duces Serenissimorum Regiæ Domûs Principum Jurisdictioni & Gubernationi ullas Reip. cohortes etiam ad instantiam Serenissimæ Reginæ, concedant

6. Pacta conventa ut in Generalibus Convocationis comitijs condicantur, subscribantur, & ad acta publica tradantur, ne in essentialibus punctis mutari possint, sed talia conserventur in integro, qualia Resp. in comitijs cum omnium ordinum consensu approbavit, subscripsitque

7. Ut Serenissima Regina tanquam prudentissima Princeps, & in libertatem Reip. æquanimis, propter vitandam omnem suspicionem, & majorem conferendi tractandique de præsenti Reipublicæ Statu omnium Ordinum libertatem amoveat præsentiam suam Varsaviâ sub tempus tam convocationis, quàm electionis saltem ad 30 milliarium intervallum. Quod ut efficacius impetretur à Serenissima Regina, æqvum est, ut Eminentissimus Primas suam interponat Authoritatem.

8. Ut Domus Regiæ conditio, accuratè circumscribatur, an & quomodo Candidaturam ad Regnum Poloniæ possit prætendere, tanquã rem novi exempli, & nondum hactenus in Republica practicati.

XIII.

EPISCOPO CRACOVIENSI

4. Septemb. Varſaviâ.

Murmur ob Baldekinum Primatis, diſſenſio inter domum Kriſpinianam & Sapiehanam, inſolitus auſus Epiſcopi Poſnanienſis in conclavi diſcordantium Nuntiorum, Electio Mareſchalci, collatio dignitatum in Pruſſia à Nobilitate.

NE tibi in aliquam fortaſſe neglecti officij ſuſpicionem veniam, (quamvis ſciam Palatinum Caliſſienſem digniſſimum Nepotem tuum non otiari) breviùs fortè quàm quod tua depoſcit intentio, ſed non planè quàm me occupationes ſinunt, ſcribo, ſi verò tardius videor tuis reſcribere, ſcito me tardè quoq; accepiſſe id, ad quod reſcriberem.

Auguſtus menſium Cæſar publici conſilij ſacrarium nobis aperuit. Convocationis enim comitia in diem 29 ejuſdem incidentia in florentiſſima Senatorum Regni & Nobilium frequentia inceperunt.

Pro felici conſiliorum ſucceſſu obtinendo ſolenniſſimâ pompâ Cardinalis Primas ad Baſilicam S. Joannis pro votivo ſacro deductus eſt, occurrerunt ingredienti Eccleſiam ſimul cum Capitulo Reverendiſſimi Poſnanienſis & Livoniæ Antiſtites.

Conſpecto autem ante majorem Aram Baldekino eo loci erecto, ubi Regibus ponebatur, murmur ingens, tanquam contra inſolitam Primatis ſolennitatem inter nuntios terreſtres exortum eſt; Ex quorum medio etiam in Eccleſia complures ſine mora (ita pravarum conſvetudinum flumina inundarunt) proteſtati ſunt. Præeunte imprimis Georgio Lubomirſki Subdapifero Regni. Expediti deinde nonnulli ad ſedentem jam Primatem à Mareschalco Regni, qui eum de hac novitate nomine ſuo compellarent. Ille nihil tale opinatus, legibus ſe Eccleſiaſticis in Romano Ceremoniali præſcriptis interpellantibus excuſavit.

Baldekinum Primatis in templo occaſio murmuris.

Regius interim prædicator Pater Gołembiewſki ex ordine D. Auguſtini compoſito ſermone hortatus eſt Regni ordines ad concordiam animorum.

Poſt votivi ſacri ſolennia itum eſt pari pompa ad arcem Regiam in conclave Senatorum, in quo pariter Baldekinnm more Regio quorundam Aulicorum (adulatores ſervûm pecus) aſſentatio Eminentiſſimo Primati contra hujus Regni à tot ſæculis uſurpatam conſvetudinem explicuerat. Muſſitante conclavi & deinde ita fortiter vociferante, ut cum nec ſpes remedij, nec dilatio periculi inveniretur, ſine mora deponi debuerit, ſed non ſine injuria Primatialis dignitatis, cui non ex deſtinato propoſita fluere cæperunt. Hac tamen procella necdum ſatis compoſita, ſurrexit alia, priuſquam adhuc ſubſellia conclavis Senatorij complerentur.

Baldekinū Primatis in conclavi Senatorum.

Privatæ diſſenſiones inter Domum Kriſpinianam & Sapiehanam induxerunt Palatinos Połocenſem Słuſzka & Trocenſem Vnichowſki, ut ſolen-

Diſſenſio inter domum Kriſpinia-

A.C.1696 nam & Sapiehanam. solenniter contra primos protestati fuerunt, parati etiam solenniori protestatione comitiorum nostrorum cursum abrumpere. Saeculi fatum est bonos opprimi, malos vivere, sic eunt humana, inconspicua collimatur. Fundamentum tanti motus, decretum quoddam in Tribunali M. D. Litvaniae in contumaciam obtentum.

Post tam arduas hinc inde ultrà quàm credi potest controversias, quae aliquot horas in otioso strepitu consumpserunt; evictum tamen fortissimis rationum instantijs, ne publica consilia privatorum odio tardarentur.

Incertus interim rumor advolat ad Cardinalem, Nuntios terrestres è suo conclavi discessisse, incertus inquam, quia Sessio ad quintam à meridie horam in conclavi illo contentiones inter protrahebatur, eò quod convenire partes non potuerint, utrum ex majori Polonia an ex minori deligendus foret Mareschalcus, Terrestres enim Nuntij ex M. D. Litvaniae deputati fortissimè contendebant id officij spectare ad Majorem Poloniam ideo, ut in futurae electionis comitijs, ea quoq; dignitas alicui ex M. D. L. possit contingere. *Disceptatio Nuntiorũ terrestriũ de eligendo Mareschalco.*

Huic Nuntiorum disputationi, incertum zelo ne, an calore post mensam correptus Episcopus Posnaniensis supervenit clero suo comitatus, praeferentibus accensas faces clericis aquâ benedictâ contentiones illas extincturus, succlamationibus attoniti ad rei novitatem totius conclavis coactus est à primo limine non servatâ Episcopali dignitate retrocedere. *Episcopi Posnaniensis ausus insolitus.*

Extremos Augusti mensis dies geminos pariter sibi usurpavit, pertinax de Mareschalci Electione imprimis; deinde Reginae Viduae in Arce Varsaviensi longiore mora, tandem etiam de Baldekini erectione frequens & acris disputatio, quae Primatem omnia circumspicientem ita commovit, ut generosam illam vocem in praesentia Mareschalci Regni expresserit: Ego quidem pro dignitate officij mei supra caput erectum habui Baldekinum, non tamen perinde, ut nonnulli Regiam coronam suo nunc ferunt in capite. Nam non deerant qui dictum hoc Primatis in personam Magni Mareschalci detorquerent, qui Baldekini erectionem imprimis oppugnasse per subordinatas personas videbatur. Quàm indecorum privatis odijs diffidere, qui publicè summâ juncti essent potestate. *Generosũ dictũ Primatis.*

Amici tranquillitatis publicae Senatores, ne optima pars temporis praeteriret, alij ad pacificationem optatam votis flagrantibus, undequaq; expetitam Castellani cum Palatino Cracoviensi; Alij Reginae negotium cum Principe Jacobo; Alij electionem Mareschalci componebant; Ut quàm primum terrestres Nuntij ad Senatorum conclave accederent. Huic difficultati quae taedium nobis, alijs nauseam movet, conciliandae varia media fuerunt proposita à Referendario Regni Szczuka, quem verbis quibus laudari dignus est, non laudo coram te quia bene scis, & dignitatem & ingenium ejus nosti; Pro tranquillitate publicâ studium omne suum propensio ejus in salutem Patriae tota inclinat, in paucissimis verbis plurimas res comprehendit. Non tam verò mihi verendum est, ne in laudibus ejus nimius apud te videar, quàm ne parcus & sterilis, cum paucos ei pares similesq; inveniamus uterq;; sed redeo ad lineam. Primum ergo medium dictus Referendarius proposuit, ut Divini Spiritus gratiâ invocatâ ille in Mareschalcum terrestrium Nuntiorum deligeretur, *Proposita à Referẽdario Regni pro tollendis dissensionibus.*

retur, quicunq; demum non attento legis antiquæ circa alternatam *A.C.1696* ordine, suffragia totius conclavis mereretur. Alterum erat (omnia præclara & prudenter si cum successu) ut idem conclave, etiam non electo pro hac vice Mareschalco in tanta animorum dissensione, & temporis angustijs, potius Senatoribus jungeretur, præsertim cum illa comitia titulo confœderationis eam novitatem tueri possent. Res dilata in consilium svasa, sed dissvasa, cum insolitus hactenus color iste, ex ea ratione compluribus displicuit, ne in exemplum ab alijs quoque Regni comitijs traheretur; præcipue tamen quia terrestres Nuntij ex M. D. L. deputati constanter abnuebant.

Tandem 1. Septembris finem hujus controversiæ imposuit, sic cum fata volunt, cuncta juvant, & concurrunt certatim, mediantibus nonnullis ex M. D. Litvaniæ melius de tanquillitate Reipub: sentientibus. Concordi proinde suffragio munus Mareschalci uni ex minori Polonia vota omnia destinarunt, (rara felicitas judicis dignitatem possidente) Stephano Humiecki viro ad eam Provinciam non modo sustinendam, sed etiam exornandam omnino pari & insigni. Et ille non exterritus est difficultate negotij non nescius, hac ad gloriam ac perenne nomen currendum esse, & pro collata dignitate gratias egit in hunc sensum. *Electio Mareschalci.*

Nemo debet ambigere, quod hoc libertatis nostræ Sacrarium habeat quidpiam ex Divino, quando jam pene deploratam istius Conclavis confidentiam, in priscum illum Patrumq; Nostrorum ævo dignum amorem transmutat, mutuamq; concordiam; quando mihi procul ab omni ambitione concurrendi, trahenti absq; strepitu dies meos, puro liberæ Electionis spiritu Mareschalci (pene invito) ingessit Scipionem. Jecistis Domini mei pro fundamento perennaturæ in sæcula molis, non rude quodpiam saxum, sed inæstimabilem, quia pretiosissimæ libertatis gemmam. Loco libertatis erit, quod eligi cæpimus. Unus ego inventus sum faventissimo Vestro suffragio, qui pretiosos Consiliorum vestrorum lateres, ex multorum arbitrijs elaboratos componam, unus inquam inventus sum, sed minus habens. Mediocritas enim ingenij & cœtera paria, nunquam eam mihi præsumptionem ingerebant, multò minus spem, erigendæ aliquando ad invidiam sæculorum, & imparibus humeris meis promovendæ structuræ hujus publicæ. Quando igitur minimè speranti honorarius iste Scipio dexteræ meæ ingeritur, qui per tres hactenus Regni hujus volvebatur Provincias, libenter illum accepto, non sine profundissima gratiarum actione securus omnino, quod sicut à præcipuis Vestris porrectus est affectibus selectorum de millibus, ita ipse me docebit omnia. *Gratiarum actio electi Mareschalci.*

Et sine mora ad Senatum cum denuntiatione electi Mareschalci Dziadusicium Capitaneum Zydaczeviensem, Ilovium Dapiferum Plocensem, Oginscium Palatinidem Mscislaviensem expedivit, qui dum finem dictioni in Senatu fecissent, mutuus honor ab illo conclavi Nuntiorum terrestrium reddi debebat, & electi è medio qui illos invitarent, ad societatem consilij, Fratér meus Palatinus Ravensis cum Moszevicio Mscislaviensi & Chomentowski Braclaviensi Palatinis cum gratulatione electi Mareschalci, & voto ut quâ virtute cæperunt, pergerent in unione fraternâ: Quid sperandum enim ex causa diversa, nisi ut Patria desoletur. *Nuntiatur conclavi Senatorũ electio Mareschalci.* *Ab hoc Delegati mittuntur ad cõclave Nũtiorum.*

 Non

*A.C.*1696 Non tamen fuit hinc quodam sensu terrestrium Nuntiorum, eò, quòd illorum ad Senatum ablegati non fuerint Subsellijs excepti in Senatu, sed stando peroraverint; verùm ea culpa M. Mareschalci Regni tribuebatur incuriæ. Congressus Nuntiorum terrestrium in diem lunæ ob imminentis crastina die Dominicæ celebritatem dilatus est.

Collatio dignitatū in Prussia turbat Senatores. Venit iterum notitia ex Prussia quod in Generalibus Mariæburgi comitijs ex privato nobilitatis placito, distributæ quibusdam Provinciæ illius dignitates. Nimirum Palatinatus Mariæburgensis Joanni Kos Culmensi Palatino. Culmensis verò Palatinatus Thomæ Dzialynski Regni Incisori, Succamerariatus præterea, & munus Vexilliferi alijs eodem suffragio cesserunt attributi. Turbavit ea novitas haud mediocriter omnes ad convocationem congregatos, quod tantum juris sibi Provincia Prussiæ contra leges Regni usurpasset, quare in Senatus consilio lata est sententia, ut Ministri status solenni protestatione irent obviam. Quanquam tunc venit mihi in mentem legisse me in Historia simile præjudicatum, ante electionem Stephani Bathorei contigisse, ubi Hieronymo Sianiavio Palatinatus Russiæ, Firleo Castellaneatus Sandomiriensis pari suffragio nobilitatis collatus fuerit, & pactis conventis insertum, ne futurus Regnans prædictos Candidatos suo moveret subsellio, tanquam optimè de Republica meritos. Unde similem eventum augurabar Electorum activitati, præcipuè tamen Incisori Regni, qui nuper ingenio suo id effecerat, ut Tribunali Regni electus fuerit Mareschalcus, quamvis obstante contradictione fuerat electus judex deputatus.

Disputatur usque in hanc horam in conclavi Nuntiorum, de residentia Reginæ, & DEUS scit quando finietur hæc difficultas in tanta animorum dissensione. Finio & à Mgano DEO Tibi valetudinem firmam, mihi benevolentiam Tuam deposco.

XIV.

AMICO CONFIDENTI,

Octava Septembris.

Diarium Actorum in Comitijs convocationis.

NOn est mihi necesse more multorum procemijs vel ambitu verborum, uti ad te. A re ipsa incipio.

Electus primà Septembris Mareschalcus Nuntiorum Terrestrium conjungere equestris ordinis conclave in crastino non potuit propter incurrentem diei Dominicæ festivitatem. Quo die non nemo ex antiqua Duninorum stirpe oriundus & recenti a mensa

A.C.1696.

sa mero fervens in Reginæ Viduæ conclavi in factionem Gallicam primò invehi, deinde lectum Reginæ lectum Reipublicæ nominare auditus est, facilemq; veniam temulentus obtinuit.

audax convicium.

3tia Septembris dies & 4ta varijs disputationibus consumptæ. Prævalent enim ut plurimùm semper hi, qui studijs privatis agitantur, qui spes habent in malis publicis reconditas, qui mellitis verbis & ad fallendum compositis multitudinem infatuant, eique gravissimis in rebus illudunt, aliosque eandem fallendi ac circumscribendi artem docent. Cicero in Cluentina causa gloriatus est, se tenebras iudicibus offudisse. Quantò verior esset gloriandi causa, si tenebras ab eorum animis discussisset, si omnem errorem eripuisset, si id, de quo judicaturi erant, in clara, ut ita dicam, luce collocasset. Non paucos tales in medio Nostrì invenimus, propter quod tempus teritur frustra & occasiones bene gerendarum rerum effluunt. Dies tamen hos compositioni Castellani Cracoviensis cum Palatino pariter Cracoviensi impendere Senatus voluit cum Primate, sed eo quem optabat eventu caruit, propter acriores objectiones quibus se mutuò ita utrinque impetebant, ut consultius videretur, si alijs è Reip. bono controversijs illud daretur spatium. Ad Reginæ viduæ in arce Varsaviensi moram etiam ventum est, quæ frementibus iam tunc oppositis partibus dissimulanda ferendáque interim censebatur ne potiora Regni consilia propter hæc ambigua semper & inania, minus ideo temporis sortirentur. Ut navis in malacia hæret, sic ingenium in hoc langvore.

Castellani & Palatini Cracoviensium dissensio.

Composita certa sunt negotia controversos Nuntios examinando & jam aliquid boni pro publico fiebat, futurumq; apparebat, verùm ùt nulla serenitas sinè atra nube contingit mortalibus!

Hoc plane ipso temporis intervallo quo non modicum hunc publicæ tranquillitatis obicem superavimus, advenit iterum ex Russia Nuntius, qui priorem de confœderatione militari famam non vanam fuisse clarius demonstravit, unde & conclave Terrestrium Nuntiorum distulit hâc die primam mutare stationem, & Cardinalis primas collato cum Senatoribus consilio decrevit universalibus literis totam nobilitatem ad communẽ pro publica securitate convocare defensionem contra militem fœderatum & de imminenti periculo admonere universos.

Confœderatio militũ

Tandem die Septimâ Septembris Terrestres Nuntij conclave Senatorum sunt ingressi non obstantibus nonnullis, qui id fortissimè impedire conabantur. Tundendum est ferrum, dum calet, semper nocuit rebus differre paratis. Allocutus Senatum Nuntiorum Mareschalcus in hunc sensum.

Ingressus nuntiorum Terrestrium ad conclave Senatorum

Si invicti olim Ducis Filius in libera gente natus aspecto optimi sui Parentis cadavere suamet lumina increpuisse fertur: oculos germane nocentes spectato Genitore fero; multo magis conclave Nostrum advertens Serenissimi Principis nostri mortales exuvias ad luctum Reipub: depositas in hac arce non oculos tantum verum etiam corda uberes resolvit in gemitus. Amisso Rege tanto qui amplificato gentis nomine monstratâ terris Magni Ducis gloriâ fulminis in morem cælestis hostes suos exterruit, Patriam immortalib9 actis exornavit, subditorum animos desiderio sui implevit: tandemq; fortunam & gloriam imperij hujus in ferali urna sepelivit. Quis talia fando temperet à lachrymis? Recondimus non in oculis sed magis

Oratio Mareschalci

A.C.1696 *magis in animis vivam Regis nostri imaginem tantò profundius quòd Poloni. Unum ille se esse ex nobis dicebat & eò magis excellebat, quia unus ex nobis erat. Auget vulnus monstrojo fato nata mala sors hujus Reipub. quando invictissimi Principis occasus in ipso nos æstu belli deprehendit, & contritus est ille, quo hucusque protegebamur clypeus, truces porrectus in hostes. Sed non est eloquentia quæ magnitudinem doloris exprimat, non sunt oculi qui pares luctus effundant, lachrymæ nobis prius deessent, quàm causæ dolendi. Substituit ergo suprema cæli providentia in tam fatali interregno vigilantissimum nec non prudentissimum & Majoribus suis majorem Primatem primumq; Regni Nostri Principem, nimirum Eminentissimum Cardinalem. Confidimus quòd in secundo flumine Poloni Jasones feliciter sub aureo Eminentiæ Vestræ vellere laceram quantumvis publicæ securitatis onerariam ad optatum littus deducemus. Ne metuas, Regni totius fortunam vehis. Auget spem pars optima Nostri Senatûs qui pares humeros sucollando bono publico non subtrahet & si fractus illabatur Orbis, impavidos ferient ruinæ. In hac proinde fiducia ponimus ante Patres Patriæ, læsas immunitates nostras & Romam lateritiam, securi quod in marmoream convertetur. Iam ergo se committit Regni hujus Lyburnica in mare tempestatum: implete remos, tendite carbasa Quirites, vestra tumeant ventis animisq; vela—*

Post mutuas equestris ordinis salutationes mota quæstio est, à quo puncto consilia exordiri deberet dies illa, cæteris hactenus felicior, sed diversitatem ingeniorum pariter diversi sensus sunt secuti. Alijs enim placuit à propositione Primatiali Ordinum auspicari sententias, alijs visum potius ea in medium evolvere desideria, quæ singuli Palatinatus suis Nuntijs proponenda commendarunt: Præcipuum erat ut Regina Vidua ex arce Varsaviensi procul à consilijs publicis sinè mora moveretur, quamquam illam addicti & mancipati ejus fortiter defendebant. Obibat ergo subsellia nuntiorum Terrestrium Mareschalcus exquirendo tacitè sensus singulorum. Longius tamen quàm sperabatur concordiam expectavit Post multas tandem controversias, nam sæpius impeditus est ne sensum publicum aperiret obstantibus Reginali Majestati præcipue Lubomirscijs. Cardinalis Primas fieri quid debeat cum multis tractans, quid facturus sit cum paucissimis, vel ipse secum nullis melioribus consilijs quàm
, incognitis. Hortatus inprimis multa movens animo Regni ordines ad
, sinceram mutuamq; fiduciam, deinde compendiosè & implicitè insinu-
, avit electionem futuri Regnantis ante hyemem nullâ ratione posse ce-
, lebrari; svadebat demum, ut pacta conventa tempestivè notarentur,
, considerarentur exorbitantiæ, confœderationis militaris initio iretur ob-
, viàm, sunt enim hæc gravia quæ omnes commovere deberent. Duces
, exercituum suis castris præsiderent, non comitijs, minaci armatoque
, suo militi imminerent, tanquam status Ministri & publicæ felicita-
, tis defensores, ne forte illis absentibus freno careret militaris licentia.
, Quod finivit se ad studia Nostra quibuscunque rationibus poterit pro-
, merenda omnes conatus, omnes cogitationes, omnia consilia directurum.

Hæc & his similia meliore causa quam eventu prudentissimè svadebat Regni Primas. Nec dubitavimus, quin hoc consilium ejus omnes æqui

qui & harum rerum intelligentes æstimatoresque probarent, sed parvâ *A.C.1696*
admodum interjectâ morâ Succamerarius Plocensis Mostowski postulavit, dicendi facultatem à Mareschalco Regni, quam tantò promptius indulsit, quantò magis aversus fuit animo à Domo Regia, non sine gravi censura Senatorum, eò quòd nuntius ille (cuilibet patebat ad calumniandum locus) contra Reginam plusquam deceret loqueretur, quòd multi tanquam temerè factum levitati atque malignitati adscribendum putarunt. Quanquam à compluribus Nuntijs Terrestribus stirpi Regiæ infensis, sermo illius solenni plausu exceptus est. Sed ego mearum partium esse existimans, (fides famaque illæsa ad hanc diem erga Reginā remansit, neque enim pudor est mihi vera fateri) ut sumpta voce im-
„probarem & rogarem, ne similibus & nos turbent & morbum prodant
„suum, sic consulentibus tanti discedent dies & utinam vita publici boni
„non avolet, dum non rationibus pro Patria sed querelis, & injurijs cer-
„tatur. Res nostræ non longas & acriores orationes, sed celerem exe- *Auctoris*
„cutionem desiderant. Frustra requirere Dominum Succamerarium & *votum contra Succamerarium Plocensem.*
„alios, rem nec lege comprehensam, nec unquam usitatam, nec omnino
„justam, cujus injuria ut indigniorem sic etiam notiorem Reginæ cla-
„ritas, Magni Regis Mariti ejus memoria facit. Cujus factis debetur
„æternitas & cui nihil est quod negare deberemus, neminem de suis (re-
„scripsit Traianus) divinare debere suspicionibus. Nos si damnamus Re-
„ginam, cur non inquirimus? cur non examinamus prius? cur opus tam
„magnum, tam necessarium præsentia scilicet consilia negligimus, & tem-
„pus tam necessarium in re non necessaria terimus? Hæc (index animi
„sermo est, & plura dixi, fecit enim indignatio versum) quia & tibi
„ipsi parum gratus esse viderer, & indignus ut ait Sophocles nomine
„viri boni, si dissimulassem pro beneficijs quæ me debere scio, & si com-
„pensare ea meis officijs adæquatè non possum, memoriā tamen semper
„tuebor, quam delere nulla oblivio potest. Tot annis Reginæ Cancel-
„larius existens à Majestate loquebar, cur nunc pro Majestate loqui non
„debeam?

Hic Senatus uterque moribus antiquis usurpare sibi voluit consvetum ordinem vota sua sententiasq; in medium proferendi. Sed postquam angustiæ temporis in obliquis consumpti contentionibus eam felicitatem negarunt, visum insinuare privatim ut à senatu postularetur silentium, & bono publico donaretur. Proponebat quidem Cardinalis Primas ut nonnulli saltem ex Statibus suam proferrent nomine ordinum Regni sententiam, sed neque hoc probatum est medium, propter discrimen futuri olim placiti, quòd ex minore causa, idem aliquando posset requiri à Senatu. Data igitur conditio ut nos Mareschalcus Terrestrium Nuntiorum nomine publico compellaret Senatores precareturque. Quod dum assentientibus cunctis Nuntijs facundo sermone fecit amore Reipubl: silentium suum Senatus uterque litavit, hoc est ut illum morem omitteret, quo quisque Senator ex ordine & turno suam sententiam dicere solet; relicta nihilominus sibi libertate toties, quoties occasio daretur cuivis ex Senatoribus sensum suum promendi, pro quo in publicum favore iterum idem Mareschalcus publicas egit gratias.

In varias iterum sine mora itum est sententias animo contra Reginā obdurato. Succamerarius Plocensis iterum iterumque contra illius in arce Varsaviensi residentiam non pauca profatus est, fretus aliorum suffragio, ut exclamare libeat, O! lingva lingva ut magna eges custodia! quæ & alijs sæpe & sæpe Domino noces! Non multum assequitur qui bene dedidicit loqui. Ita senibus vires defluunt, verba affluunt.

L Tandē

A.C.1696 Tandem de confœderatione Regni e publicis legibus componenda actum est. Sed Referendarius Magnus priusquam aliquid certi statueretur, censuit ordinanda esse illa (cauteque id fiat & circumspectè) quæ confœderationi universali in hac convocatione faciendæ deberent inseri observanda. Verùm alijs alia sentientibus soluta sessio in diem lunæ quia sequentem Dominicæ diem Augustissimæ DEi Parentis Solennitas devotioni populi vendicabat.

Ne tamen celebritas tanta sine singulari opere primis Regni Proceribus præteriret, sacris absolutis, reliqvum temporis impendere nitebantur Palatini & Castellani Cracoviensium componendis differentijs, sed eventus voto non respondit. Voveo ego hanc concordiam, quid sperem tamen nescio, cum sit res magis voti, quàm spei, quanquam sperare licet in rebus etiam omnino desperatis

Interim ego adivi consultò Principem Iacobum quem multa contra Matrem agere inaudivi, si hæc alijs non placuerunt, scio Deo pacis authori non placere, seriò itaque Principem petij, ut sedulam det operam, quatenus hæc omnia rixarum initia sopiantur, jungat animum Matri, cui tanto naturæ pignore conjunctus est, ut majore prorsus non possit, cujus prudentissimæ Mulieris consilijs & res ejus domi feliciores, & foris gloriæ Nominiq; suo maximæ accessiones fient, quod mihi spopondit & credo servabit, nisi aliqua nova (quod non erit novum) ingruat procella

Hoc eodem die frequentissimo comitatu ingressus est Varsaviam Palatinus Vilnensis, qui ob metum potentiæ compluribus displicuit. Sed quod semper erat esse non desistit.

Gratias tibi ago pro gratia quam in literis præstas tuis, idq; animo quàm verbis largius, quod verò petis à me libens faciam, & etiamsi tu non petijsses, ego fecissem.

XV.

EIDEM VARSAVIA

II. Septembris.

Continuatur diarium actorum in Comitijs Convocationis.

VAlde alienus à gratijs omnibus sit necesse, cui non & literæ tuæ gratæ. Dato tibi responso ad quæstionem, quomodo valeam? hoc est quod valeam, ut soleo, id est vivo magis, quàm valeo, accedo ad publica.

Petijt à me Eminentissimus Primas nomine Reginæ Viduæ, ut convocationis tempore Cancellarij Reginalis Officium continuarem, quod in tanta suæ Majestatis orbitate recusare non poteram.

Stanislai Lesczynski Nuntij ex Majori Polonia encomium.

Præsentibus Regni Proceribus & Nobilissimis Matronis data horis Pomeridianis 8. Septembris pro more audientia in conclavi Reginali Nuntijs ex Majori Polonia, qui dolorem ex morte Regis à populis conceptum deferebant per Stanislaum Lesczynski Capitaneum Odolanoviensem unicum Generalis Majoris Poloniæ filium. Deliciæ generis humani, decus Poloni, Patriæ communis amor, vocatur. Ponendus semel in superbiam Nostri sæculi, gaudium univer-

siæ

ſæ plebis, nam videre eum ſine amore, audire ſine admiratione nemo poteſt; virtutis privilegio ætatis limites tranſgreſſus; parem natalibus ſortitus indolem, nihil in tenera ætate tenerum, nihil puer immaturum exhibuit. Omnia in eo ſumma, genus, genius, ingenium, virtusq;, ſpes omnium & expectatio. Cui nomine Sereniſſimæ in eum planè ſenſum reſpondi. *A.C.1696*

Quod ſcilicet privatorum hæc fortuna ſit, dolores non poſſe *Reſpōdetur*
,temperare ſuos, & intimis amicorum ſolatijs irritari potius quàm le- *Nuntijs no*
,niri. Principum qui ex mortalibus quidem, ſupra hominum ta- *mine Regi-*
,men ſortem evehuntur, alia indoles, geniuſq;. Cum enim clarius *næ.*
,profundiusq; fati neceſſitatem intelligant, moderatius ea vulnera
,ferre ſolent, quæ nullâ vi humanâ arteq; poſſunt declinari. Dedit
,ſemper ejuſmodi fortitudinis vivas imagines Sacra Reginalis Ma-
,jeſtas Domina Noſtra Clementiſſima, hodie tamen ſupremum dat
,exemplum, ſecuturis ætatibus in difficilis virtutis occaſione, & do-
,lore planè incomparabili. Menſura enim doloris amor. Admit-
,tit peramanter, non modò ad aures ſuas, verùm etiam ad inti-
,mam cordis ſui Regiam, univerſa hæc amicorum affectuum ſola-
,tia capitq; inde præcipuum doloris lenimentum, quòd immortalia
,opera, & innumera in publicum merita, glorioſæ memoriæ Re-
,gis, tam gratâ mente recolantur, poſitiſq; populorum lacrymis,
,in conſpectu ſuæ Majeſtatis omnis ex corde luctus quodammodo
,abſtergatur. Et hoc demum præſentiſſimum ſolatium eſt, quod
,Sereniſſima Princeps tam recenter Patris Patriæ & ſui memori-
,am eſſe videat. Non inanes enim queſtus, ſed ſolidam veramq;
,compaſſionem, immortalibus in publicum & privatim ſuæ Maje-
,ſtatis meritis, impendiſtis. Quod benevolentiæ officium affectu lon-
,ge gratiſſimo, animoq; ad refundendas gratias paratiſſimo, Majeſtas
,ſua complectitur, quæ tot heroinarum ſuffulta exemplis, unicè o-
,ptat; omnem Reipublicæ hujus infelicitatem in uno cordis ſui vul-
,nere ſepeliri &c.

Eadem dies conceſſit felix intervallum componendis Ducum exercitûs controverſijs, quæ diu premebantur, ubi præcipuis difficultatibus diſſolutis ex integro non vana ſpes refulſit, mutuæ ſolidæq; in poſterum amicitiæ.

Dies altera hoc eſt 9na Septembris, horam nonam Seſſioni publicæ poſtulabat, ad quam Cardinalis Primas quòd horâ primùm undecima comparuiſſet, ingens murmur provocavit, adeo ut Nuntij terreſtres conclave ſuum repetere contenderent. Hoc quantumvis non obtinuerint, nihilominus parum tunc licet magno conatu egimus, pro bono publico, propter acres utrinque contentiones, aliorum pro Regina, aliorum contra Reginam, in arce Varſavienſi commorantem certantium. Antiſtes Livonienſis Popławſki vir verè ſanctus, ideo quòd in gratiam Reginæ in illa ſacri textus verba prorupiſſet: Popule meus quid feci tibi? pluribus fuit ſcommatibus & ſatyris impetitus. Non defuerunt tamen qui tacitè quantumvis, fortiter nihilominus, per ſubordinata ingenia Reginæ partes tuerentur. Reliqui quaſi æquitati cauſæ vel ferventioribus Ordinum acclamationibus ſpatium illud concedebant; quas ut diſtraheret & averteret Cardinalis Primas propoſuit Regni ordinibus Nuntium Apoſtolicum velle aliqua publicè præfari ad Senatum, nomine San- *Epiſcopus Livoniæ ſcōmata patitur.*

 ctiſſimi,

A.C.1690 ctiſſimi, ſed Palatinus Vilnenſis ratione negotij quod ſibi cum Vilnenſi intercedebat Antiſtite; & Terreſtres ex Majori Polonia Nuntij, ob Abbatiam quam ſibi Koſzanovius prætendebat, & hactenus obtinere non poterat, conſtanter reſtitêre. Moſchoviticus pariter Ablegatus publicè audiri eadem die poſtulavit. His ob temporis anguſtias non integrè compoſitis, fuerunt, qui contenderent promovere in publico controverſiam Palatini Vilnenſis & Kryspinorum, ſed tandem evici ut differretur in craſtinum. Poſtridie ſudavi, ut partes ad concordiam reducerem animorum, verùm auditis utriúsque prætenſionibus, arduum videbatur intra illud ſpatium tanti momenti negotium integrâ ſolidéque componere, ſatis erat obtinuiſſe pro tranquillitate illius diei ſeſſionis, ſilentium partis utriuſque.

Feci etiam, quæ potui, ſudavi & alſi rationibus & precibus evincere volens, ut Nuntius Apoſtolicus ante Ablegatum Moschoviticum audiretur, ſed tanta fuit contradicentium pertinacia, ut id abſolutè permittere noluerint. Admiſſus ergo Moschus cultiore ſupra modum gentis ſtylo celebravit ſui Ducis victoriam nuper ad Ozoviam partam. quo exemplo nos ad ſimilia agenda hortabatur. Alludebat deinde ad gentilitia arma Ducum Exercitus Noſtri. Porrecta tandem epiſtola à Czaro ſcripta querelam depoſuit contra Sereniſſimum glorioſæ memoriæ Regem, quòd contra pacta non omnes titulos in datis ad Czarum literis adhibuerit, hoc eſt quod Kyovienſem & Czerniechovienſem Palatinatum omiſerit. Reſponſum illi à Regni Primate generalibus terminis.

Ablegatus Moschoviticus audientiam habet.

„ Auditi poſtea legati à Polono Exercitu adhuc in obedientia Reipublicæ perſiſtente miſſi. Aſiatico planè & elato ſermone ſua poſtulata exornavit vexillifer Regni Alexander Iablonovius exaggerando Patris ſui bellicas actiones; reſpondit ſolitâ ſvadæ ſuæ modeſtiâ Mareschalcus Terreſtrium Nuntiorum, expreſſitque, quòd nihil charius, nihil optabilius Reipublicæ huic, nihil ſolidius continuâ bellorum ſerie exercito Regno nihil ſecurius in tanta orbitate populo, poſſit contingere, quàm obſequio veteranæ militiæ (quæ hucúsque natas in bello cicatrices inter emerita tantum numerat ſtipendia) ſecuram eſſe Rempublicam. Hæ veræ certiſſimæque baſes ſunt libertatis, & ſecuritatis publicæ. Ab armata quippe militia defenſio Regni dependet. Extollebat gloriam Poloni Nominis quod ferro & manu emeritæ militiæ propagatur & non circa miraculum id videri exteris, quod etiam ſine ſtipendijs, non rarus ad ſigna miles convolet. Agnoſcebat cum univerſo orbe incomparabilem pro bono publico Ducum ſolertiam & glorioſa eorum facinora quæ & ſi magnorum facta virorum iungantur in unum, excedunt numero. Agnoſcebat ex facie meritisque viros fortes, & pro defenſis Regni finibus, quos conſtantiſſimâ fide tuebantur gratias agebat nomine publico, promittebatque hanc primam conſiliorum fore metam, quæ merces meritis; quæ jura dabuntur &c.

Poſt hæc ceremonialia multa iterum verbis magis acerbis quàm liberis contra Reginam nihil flectentem, nihil fluctuantem, acriterque dicta ſunt, non commemorando quid fecerit, ſed in quo defecerit ſæpe eruditè, interdum vanè, ſed ut ego judico, ſemper indecorè. Ita ſanè unà cum imperantium mutatione ipſi ſubditi ſuos affectus mutant. Miraberis quando ſcies, quòd Referendarius Regni (cujus noſti cum limatiſſimo judicio plerisq; mortalibus ignotam ſinceritatem) Vir rebus magnis rectè adeundis, prudenter ſuſtinendis, feliciter perficiendis innutritus non ſine ſtupore omnium multa bona, more ſuo ſed non bene contra Reginam locutus eſt, & ſolidis cum Demoſthene tonabat rationibus, ut tanta facundia, (qua arte multum valet) non ſolùm multorum

torum opinionem tacitam, ſed etiam eorum admirationem raperet, argutè & ſolidè refutando ſingulas rationes, quæ pro Majeſtate Reginali adferebantur, culparunt hæc alij, ſed ſine ejus culpa, fecit enim id non ſinè ratione, quam quia bene ſcis, ego taceo. *A.C.1696*

Propoſuit deinde M. Regni Theſaurarius & Reipublicæ diligentiam compellavit, (communis enim utilitatis derelictio contra naturam eſſet) ut in authorem confœderationis militaris inquireret tempeſtivè. Audierat enim nuper Dominum Orzechovium ſparſiſſe in publicum, quòd inventi fuerint nonnulli, qui ſvaderent Principi Iacobo, ut exercitum Polonum liberali manu in obſequio ſuo ad electionis ſuffragium contineret. Promovit idem punctum & Caſtellanus Cracovienſis poſtulando authorem dictæ confœderationis, ſimulq; proponendo urgerì ſe, ut quàm primum feſtinaret ad componendam procellam iſtam. Orzechovius autem ne publicè in teſtimonij confirmationem vocaretur uſus opportunitate temporis, egreſſus eſt è conclavi. Idem pridie unum ex Nuntijs Terreſtribus interemerat, fortè ne illo ſuperſtite facilius convinci poſſet. Fortiſſima igitur, ſed ſine ordine diſputatio, ſuper ea, reſolvit Seſſionem.

Orzechovius inſimulatur author confœderationis.

Vale & cum in alijs tum in ſacris votis memor mei eſto.

XVI.

Eidem 14. Septembr.

Continuatio Diarij Actorum in Comitijs Convocationis.

CErtè peccares, ſi non ſcrìberes, non ne velle debes ad ſic volentem? Non aperis verò pectus, & affectum, ſed effundis quod gaudio, & ſolatio mihi eſſe in publicis privatìſque moleſtijs debeo fateri: Ad nova.

Jam conſtitutas tempus adduxit vices, & 12. Septembris dies advenerat, quæ convocationi finem impoſitura erat; præſcriptum à Primate; quare conſenſus omnium debuit explorarì, ut longius producere liceret Comitia illa, ne olim invaliditas à quopiam poſſit objici, quantumvis nulla ſit lex poſitiva de tempore Comitiorum convocationis & de termino eorundem, ſed ab arbitrio (& placito Senatûs & equeſtris ordinis dependeat ſpatium utriuſq;; ergo explorato omnium ſenſu, privatim prius audivit Cardinalis Legatos à confœderatis militibus deputatos, qui literas eidem modeſtiſſimè exaratas addito Sereniſſimi Inter-Regis titulo porrexerunt, publicam orantes audientiam in Senatu, quam illis ſe conciliaturum Primas pollicitus fuit. Nihilominus prius admiſſi auditique ſunt Nuntij ab Exercitu M. D. L. cujus nomine Subdapifer Litvaniæ Oginſki peroravit, & Mareſchalcus ex officio reſpondit in hunc ſenſum.

Protrahitur tempus comitiorũ.

Legatì à cõfœderatis militibus.

Nuntij ab exercitu Litvanico.

„Et hoc eſt demum ſingulare Reipublicæ ſolatium hoc Regni „totius unicum præcipuúmq; deſiderium, intelligere quantam ab e„merita militia Ducum ſuorum imperijs obſequente tam publica con„ſilia, quàm regni limites habeant ſecuritatem. Agnoſcit palàm con„clave hoc noſtrum M. D. Litt. militiam præſtare hiſce dotibus, qui-

Reſpondet eis Mareſchalcus.

A,C.1696, b..s præſens Reipubl. ſtatus ornari debet. Habet præſtò pro tuitione ,limitum Regni invictum antemurale, habet infractos Scipiones & Torqua- ,ta ſimul nomina legum, Duces inquam magnanimos æquè Sago atq; ,togâ Illuſtres, quaſi afflictis Reipubl. rebus ſervatos deſuper. Habet er- ,go ſingulares gratias conclave noſtrum magnis imprimis Ducibus quòd ,nulli unquam boni publici occaſioni deſint. Quos ſi bella vocabunt, Du- ,ces erunt; ſi pax poſitis togâ geſtient armis. Agit gratias ſimul & u- ,niverſæ militiæ M. D. Litv. quòd eam fidem Reipubl. ſuæ intamina- ,ta ſerie probaverit, & præcipuè illo tempore, quod cæteris periculoſi- ,us. Quare eò curas conatusq; vertet omnes, ut hic & nunc provide- ,at emeritæ militiæ, exſangvis quo ſe poſt bella ſenectus proferre ,poſſit &c.

Quem ſermonem Mareſchalci ſecuta eſt vox Primatis contendentis, ut more majorum hactenus obſervato iuramentum in facie duorum ordinum præſtarent Senatores illi, qui accepto diplomate non poterant ob fata Regis illud perficere, confirmaturi pòſt fidelitatem ſuam Regi eligendo. Promptus erat paratusq; ante alios dictum præſtare juramentum Caſtellanus Voinicenſis Szembek, ſed fuit oppoſitio ingens non propter eum, ſed propter Palatinum Volhyniæ Ioannem Iabłonovium, qui ad id juramentum propter privata domus ſuæ odia, non fuit admiſſus, & proinde actus ille ſequentis diei luci ſervari debuit. Mareſchalcus verò interim ſcribendæ confœderationis punctum promovit fortius adjecta excluſione Piaſtorum, quæ propoſitio totius conclavis excepta eſt approbatione. Voto Mareſchalci primus acceſſit Siradienſis Palatinus, cujus ,ſpectata in dubijs toties prudentia rebus, & promptâ paratâque ſvadâ ſuâ ,exaggeravit, imprimis quàm ſuſpecta foret, atque pernitioſa liberæ e- ,lectioni tam vicina reſidentia Sereniſſimæ Reginæ quæ poteſt quemvis ,flectere ad quodlibet. Allegavit tempora Sigismundi III. quo regnan- ,te inſtituta fuerant inquiſitionis Comitia in perſonam ejusdem Regis, ,ubi ſcriptæ ſunt conſtitutiones, ex ſenſu omnium ordinum ſub titulo: ,*Securitas liberæ electionis*. Idem tunc Palatinus revocavit in memoriam ,tempora Ioannis Caſimiri, ubi magnus Regni Cancellarius Ioannes Le- ,ſzczynius acriter in Comitijs contendens cum Mareſchalco Curiæ Bra- ,nicio inter alia fertur in illa verba prorupiſſe: Malo deprecari quàm ,perdere Rempublicam, atque inde concludebat, nihil eo lædi Regina- ,lis Majeſtatis honorem, quòd poſtuletur publico nomine, ut cedat Reipubl. non quod eſt poteſtatis ſed quod eſt æquitatis faciendo. Finem dictis imponente Palatino ego dicere cæpi volens inducere malignos ad egregium humani animi ab odio ad gratiam deflexum, nihil faciens quod non debeam, nihil prætermittens quod debeam. Atque im- ,primis imminentia Reipub. noſtræ pericula palàm feci quæ à confœ- ,derati militis licentia procul dubio & ſperari & timeri ex tot ſæculo- ,rum praxi omnino debent. Formidandum incendium agglutinata no- ,bis mala attulit, niſi ſcintillæ huic quæ tot ingenijs conflatur, quàm ,primum iretur obviam, nam ſi hoc ſerò, omnia opera ſerò faciemus; ,quod datur moræ accreſcit jacturæ. Clarè admonebam ſerò medici- ,nam parari, ſi mala per longiores moras invaleſcant. Media præte- ,rea & juſta & efficacia proponebam componendæ confœderationis mi- ,litaris, Quia verò quædam ceremonialia excludebant ſubſtantiam con- ,ſiliorum: Acceſſi ad apologiam & vindicias Reginalis Majeſtatis cujus ,munere Cancellarij per annos prope 19 functus eram? Ideoq; & mo- ,ram illius in arce Varſavienſi obligatus eram excuſare. Iuſte quippe ,defendi debet innocentia ejus, quæ prius damnatur, quàm fuerit judi-

cata

Exigit Primas juramentum ob non perfectum diplomα, ſed ſine effectu.

Vult Mareſchalcus excludi Piaſtum in electione.

Votum Palatini Siradienſis.

Votum Authoris

„cata. Si enim privatis quibuscunque conceditur intervallum, quo se pos- *A.C.*1696
„sint vindicare, multò magis id Majestatibus negare inglorium est, ne
„dicam impium. Id solum habet rationem, quòd habet justitiam, præ-
„cipuè quòd hoc genus injuriæ tam publicæ nulli hactenus post Reges
„natos defunctosq; Reginæ Poloniarum contigerit, neque urtica hæc te-
„tigerit unquam Majores Nostros. Cui verò bono his Consulibus ætas
„nostra pejor avis ea contenderet evincere, quæ secuturis ætatibus me-
„ritò certè displicebunt. Indecorum enim quacunq; demum ratione tam
„in Reginam Viduam, quàm in Posthumam Serenissimæ stirpis prolem,
„eniti ordines tot gratiarum parum memores. Nondum enim planè ex-
„cidit gloriosissimi Patriæ Patris recordatio, qui immortalibus Rempubli-
„cam meritis exornavit ad invidiam externorum. Neque mihi decora vi-
„debatur, aut digna voto publico victoria illa, quæ ex imbelli sexu tot
„contentionibus quæreretur, neque par gloriæ triumphus, quem odium
„adversus dominantes extrueret. Occurrebant præterea ipsius quoq;
„Reginæ in Patriam argumenta, quæ unice semper optabat vivere Polo-
„nos præsentibus rebus æquè felices, ac futuris securos. Obliti nimirum
„sumus quid pro Patria fecerit, hoc tamen examinamus, in quo defece-
„rit, implexæque luctui continuo afflictæque afflictionem addimus, mæ-
„rori antiquo novum adijcimus. Debet utique calamitatis ejus esse sa-
„tietas, cum sævimus in virtutem à fortuna destitutam. Vindictæ fæda
„species, vitare famam publicam gentis deberet, ne privata quorun-
„dam vulnera præsentibus sanari vellent Reip. malis, videtur ultio pri-
„vato odio magis quàm publicæ necessitati data. Quare acrius tunc in
„illos efferbui qui imaginarias suas offensas tam publica Serenissimæ Re-
„ginæ injuria vindicatum irent, cum non liceat privata vulnera Patriæ
„malis operire. Non debemus utique judicare ex præsumptione; non si-
„cut odi, non sicut amo, non sicut timeo, sed sicut audio, sicut video, de-
„cidendum. Faciet Nos mitiores si cogitaverimus, quantum & publico &
„privatis profuerit, cui irascimur, & mentis offensa redimetur, si æqui-
„tas feret sententiam, si pro frumento non orietur tribulus, pro hordeo
„spina; Quàm verò bonum tempus in re mala perdimus, perseverantes
„ne videamur cepisse sine causa.

„ Adhibui eo fine etiam sacri textus verba, quibus liceret obstinatos in
„sententia animos facilius expugnare Aiebam decere Dei servos, quod
„decuit Filium Dei, decere Christianos, quod fecit Christus, qui etiam
„interfectoribus suis concessit veniam. Danda proinde & Serenissimæ Re-
„ginæ indulgentia, si quid in privatos deliquit, ut simul parcamus bono
„publico. Otiosum deinde à Regina Vidua (quæ tot mala fert, quam-
„vis nondum usum ferendi nacta) in tanta illius orbitate id requiri à
„quibusdam mihi videtur, quorum in lege publica nullum hactenus e-
„xemplum legeretur & quod nuper Serenissimæ Eleonoræ pariter Polo-
„niarum Reginæ eadem Resp. concesserat liberalissimè, ergo dum id
„quod requirimus nullâ lege, nullâ consvetudine stabilitum est, non se-
„cundùm legem scriptam iudicare, sed secundùm quod sibi videtur inde-
„cens, injustum est stantibus in contrarium præjudicatis: Optimè doce-
„mur exemplis quæ id nobis ostendunt fieri posse ea quæ iam in simi-
„li casu facta sunt; Lumen proinde quod nobis Majores nostri prætu-
„lerunt, posteris præferimus. Gratius est nomen pietatis, quàm pote-
„statis.

Indignum certè censebam dolentissimum ex morte Regis Optimi Se-
„renissimæ cor, non una plaga exulcerare vulnusq; novum tam profun-
„do vulneri superaddere. Neque esse quod formidare merito posset inde
Resp.

A.C.1696, Respublica, si Regina diutius in arce illa moraretur, in qua vel ipsismet , gloriosæ memoriæ Principis cineribus ad majorem in Patriam amo-, rem excitaretur quotidie. Desistite, inquiebam, desistite fingere malum , medici, desistite vulnus suspicari, ubi percussor nequit inveniri, qui illud , Reipublicæ possit velitque infligere. Nemo nos lædere potest, si probi , esse velimus, nemo invitos depravare.

Sinistra semper erga eminentes interpretatio est, humiles metas feri-, re dedignatur livor. Arduum etiam supremam cunctis placere Majesta-, tem. Non omnibus vel ipse probatur Iupiter, sive spargat in terras, , sive cohibeat intra nubes pluviam. Alijs serenitas, turbidum alijs plus , arridet. In reliquo si puniendi causas haberemus, modum non habemus, , & si aliquid esset, quod reprehendendum inveniretur. Recordemur Ro-, manorum dicentium: Dignus Marius qui illa pateretur, Sylla qui iube-, ret, Catilina qui faceret, sed indigna Respublica quæ in corpus suum , pariter hostium ac civium gladios reciperet. Addidi compendiosam ad , Regni ordines parenesim exhortando universos, ut eo vires suas votaq; , flecterent potius, quod publicam securitatem fortius premit & vulnerat &c.

Votum Castellani Gnesnensis. Addidit robur sententiæ meæ Castellani Gnesnensis Melchioris Gurovij idem omnino apud se statuentis sermo, quo acriter, argutè tamen perstringere videbatur exauditam nuper in medio Referendarij Regni vocem, asserentis eum paulò altius liberiusque contra Reginalis Majestatis pupillam, sermonem suum extulisse. *Palatini Calissiensis.* Idem disertè censuit Palatinus Callissiensis qui virtutibus proprijs clarus est, alienis amicus & procul dubio absolutè tulisset in theatro illo palmam, si potius Oratoris quàm Satyrici partes sequi placuisset. Svada enim dicentis similior Iuvenali Persioque, quàm consulari Tullio, apparebat omnino aversa Calissiensis Palatini svadæ, qui cæpit succedaneo sermone illoque diserto, atque præparato. *Palatinatus Volhiniæ Legati.* Palatinatus Volhyniæ legatus Olyzar, qui cum composito supremis fatis regimini, quasdam lappas applicuisset, ut sepulto Regi parceret, in Viduam Reginam palam rejecit universas. Adeoque ab illius Varsaviæ vicinia timendum bono publico discrimen, liberè asseruit, allegans inter alia vidisse se in ipso vertice ingentis arboris depictum pomum, cum hac inscriptione: Quam sublime malum? ita Cæsar orbem, Cæsarem mulier regebat. Tunc velut agmine facto qua datâ porta ruere, & classico incepto complures Nuntij Terrarum in varios sensus vocesque erumpere; illi tueri, oppugnare illi Reginalem Majestatem, alij profundius sententiam suam recondere.

Inclinante verò jam non modò ad vesperam sole sed etiam luna noctibus prospectante, facile producendæ longiùs convocationi jus concessum, in crastinum tantum, neq; sine fortissimis utrinq; contentionibus eâ conditione, ut imprimis negotium Reginalis Majestatis in arce Varsaviensi subsistentis hucusque, interea ex integro componi posset.

Protestatio Cordissij & abitus ex conclavi. Verùm incitatum sententiarum cursum stitit protestatio Cordissij ex Braslaviensi Palatinatu Nuntij: Hic nigræ succus loliginis, hæc est ærugo mera, cum omnes attoniti super repentino casu admirarentur. Ille enim non prius rediturum se ad Senatum testatus est palam, nisi Regina Vidua ab arce discessisset, & sic non sine communi strepitu, ne dicam tumultu vocalissimo, in crastinum soluta Sessio. Sequentis lucis intervallum consumptum est, in investigando medio efficaci, quo posset Nuntius ille revocari, ut activitatem liberæ vocis Conclavi restitueret. Et hoc est quod obesse solet consilijs Nostris omnibus, & turbandis, & tardandis.

Venit

Venit tamen & asseruit publicè collega, non rediturum ad conclave Kordissium manente Regina ad latus publici consilij. Qui plura quoq; in Reginæ Viduæ nomen nec absimilia præteritis liberius spargebat. Tandem ad multas instantias nostras, redire posse inquiebat ille Kordissium, si Conclave Ordinum Regni vel externæ securitati suæ conservandæ, vel emeritis militum stipendiis numerandis incumberet diligentius. *A.C.1696*

Non integrè tamen placuit ea declaratio Nuntiorum subsellio, eò quòd per alium, non verò per ipsummet qui activitatem Comitiorum stiterat, restitutio ejus fieret, secus quàm lex publica poscere videbatur.

Votum Authoris.

Cum verò nihil in gratiam Reginæ possemus lucrari, repetij iterum medium, quod mihi videbatur efficacissimum, & toties non modò ipsi Reginæ sed per varios quoque Aulæ Sectatores, atque imprimis per Cardinalem Primatem Regni, proposueram, quamvis aversis semper exceptum fuerit auribus, ideoque honor Reginalis ita publicè flagellatus est, & majora quotidie adhuc vulnera parantur, etiamsi constantes amici sint præstò, & antiquarum recordatio gratiarum, svadebam nimirum (superba res est rei gerendæ occasio, semel contempta nunquam postea redit) ut Serenissima Regina redderet per suos Internuntios securam interim Rempublicam de eo, quòd exactis convocationis Comitijs Varsaviâ egredi & electioni futuri Regnantis interesse nollet. Quod maximè ab ordinibus Regni, nec forte temere timebatur ob felicitatem in tractandis negotijs publicis, & volubilitatem ingenij Reginalis. Hoc medium si successum habuisset, quem Reipubl. tranquillitati optabam, omnia sine ullo negotio fuissent composita & honor Reginalis illibatus. Verùm renitentibus illis qui privatim omnem securitatem Reginæ pollicebantur (& illa aurem præbet grata narrantibus) ego tunc voto meo, & Regina his consulibus debito honore excidit. Tentavit quippe aliam viam suæ tranquillitatis Regina per Palatinum Plocensem, nimirum ut Lubomirscios ad suum conclave invitaret palàm artibus suis cum singulis actura, sed brevi Mysterium quod absconditum fuit, manifestum erat, dum eventus bonæ spei non respondit, quantumvis & Eminentissimus Primas & nos alij pro Domo Regia desudaverimus, quia illi nullatenus comparere in præsentia Reginæ voluerunt, timendo nimirum varias in populo suspiciones, & interpretationes, apud quem integram fidem conservare volebant.

Post plures iterum votorum hinc inde erumpentium publicas collisiones intercessit Cardinalis vox exploratura sententias Ordinum, quo die quove tempore Nuntium Apostolicum in publico consessu placeret exaudiri; Verùm opponente difficultatem Palatino Vilnensi fortiter laborare coactus sum, ne audientia illa Sanctissimi Legato negaretur, sed exeunte jam inter acriores controversias commodi temporis intervallo, finis impositus est Sessioni, neque producendæ convocationis facta recordatio; Nihilominus cum spe reditus è Conclavi disgressi sumus universi.

Vale & tibi persvade neminem esse, vel unquam fore, qui tuam præstantem virtutem, aut magis amet, quàm ego, aut libentius prædicet.

 Eidem

XVII.

EIDEM VARSAVIA

17. Septembris.

Continuatur Diarium Actorum in Comitijs Convocationis.

AUgeri tua vetera erga me merita recentibus officijs non miror, imò vehementer gaudeo, quanquam veteribus contentus esse poteram; erant enim ejusmodi ut addi nihil posse videretur, sed tamen ut video tua nunc quidem ad ea permultùm addidit humanitas. Ad nostra.

Sanctæ Crucis solennitas, ita in integrum diem sibi vendicavit, ut nihil in ea actum fuerit in publica Sessione, quanquam exactis antemeridianis horis, in consvetæ religionis officio, reliquum spatium conciliandis Castellani & Palatini Cracoviensis controversiis interim consecrare nitebamur, ut publica negotia majus olim spatium sortirentur. At optimi temporis serenitas illa optato eventu caruit; Quippe Referendarius Regni (nihil gloriæ, cum verùm referam subtraho) illud sibi de bono publico meritum usurpare contendebat & sine strepitu, confidentiâ & Potociorum, cum quibus est colligatus & Jabłonoviorum usus, partes componere volebat & illorum divisa studia in diversáq; inclinata, & tractas voluntates conciliare, sed Cardinalis Primatis desideria eodem planè collimantis æmulatione succendit, & partes à se aversas in frequentissimo Comitatu ad se potius invitavit, non invitis tam Potocijs quàm Lubomirscijs. Sed calentibus recenti à mensa falerno, difficile fuit in scirpo nodum invenire & Castellanum Cracoviensem Mariavillæ in domo Castellani Vilnensis Josephi Słuszka præstolantem, ad ædem Primatis tunc deducere; ideoque non sine magno Nostro dolore tota illa lux elapsa est propter mensarum hilaria, bene cœpta malè cesserunt.

Referendarius Regni frustra dissidentes Castell. & Palat. Cracov. componere tentat.

Quinta decima Septembris dies vix non fatalis fuit, ut res in propinquum quasi adducta videretur discrimen. In eo falleris dum credis sursum, deorsum volvere & versare omnia & ad suum arbitrium trahere Cardinalem. Illo enim seriùs paulò comparente in Conclavi, quàm condixerat, ingens murmur exortum est contra ejus tarditatem, eo quòd illo absente diutius expectatam audientiam habere non possent fœderatæ militiæ Ablegati; Kordissius verò qui triduo ante activitatem suâ protestatione steterat sponte eandem restituit. Occupante tandem subselliũ Primate & sopito ingenti motu, concessione habitâ vocis, peroravit succinctè, & militari sermone unus ex Ablegatis dictus Popiel; lecta prius, pòst nobis porrecta est instructio per modum supplicis libelli, quam tibi cum adjunctis subjicio, ut scias quo se vinculo alligarunt. Respondit Primas, sed quòd nimiam latinitatem in responso militibus tunc minus scientibus miscuerit, vitio vertebatur. Mareschalcus autem omnia vulgari sermone & succinctè dixit, præcipuam fore Reipublicæ curam eorum, quæ Ablegati proposuerunt. Postquam verò egressi sunt, visum

Primas tardat ad conclave.

Kordissius restituit activitatem.

Fœderatæ militiæ Legati audientiam habent.

,visum est mihi in eum sensum proloqui. Audivimus brevem Sty- *A.C.1696.*
,lo militari sermonem, de quo illud sentire possumus, quòd plus si-
,gnificet, quàm dicat. Cujus cor non commovebit imminens & *Authoris votum de contentandis militibus.*
,tam vicinum periculum? quod nos non tantùm vincere, sed &
,obruere potest. Minima momenta Reipublicæ gravia, intus timo-
,res, ab extra metuendum, ne dum oblatæ occasionis propera vici-
,nitas de exuta audiet obedientia, concitet aliquam procellam, cui
,Duces Exercitûs, licet vellent, resistere non poterunt. Moschi
,qui maturè incipiunt, & finiunt tempus belli, (quod nobis o-
,ptandum esset: evitaremus enim stragem hominum & equorum) cùm
,rescient, de hac militum Confœderatione, forte nostra occupabunt
,fortalitia; nec Tartari hac eadem accepta notitia otiabuntur, &
,timendum ne Sanctissimæ Trinitatis fortalitium, quod tot hostili-
,tates tanquam ex equo Trojano egredientes removet, à Turcis oc-
,cupetur. Nam si illi præsidiarij contenti alias saltem cohibuisse,
,cum exercitu exiverint, quod factu facile credere debemus, quan-
,doquidem & obedienti militi gravis est in illa solitudine omnium
,rerum indigentia, tantò magis, quando obedientiam excusserunt,
,ac proinde nihil est, quod verendum non sit, imò quidquid vere-
,mur, erit. Quid ergo faciendum? nascente malo remedium omne
,tentemus, non differamus præsentem malo medelam, vehemens
,morbus lenta remedia respuit, venenata non patiuntur induci-
,as. Non multum loquendum more eorum, quos audivimus, sed a-
,gendum, sed operandum & quidem celeriter expedit, ne nos ini-
,mici dementes vocent, quod de vellere velimus inter nos disputa-
,re & ovem lupo devorandam permittere. Habeo in manibus Con-
,stitutionem Anni 1623. sub titulo *de dissolvenda confœderatione*.
,Inveniuntur ibi efficacia media ad id faciendum, sed illo tempore
,practicari possunt, quando ex insolentia miles confœderatur, & hinc
,hoc medio, ut quondam dictum est, & Siculorum animi erigeban-
,tur, & Pœnorum frangebantur. In hoc verò casu nostro, quan-
,do debemus, & non solvimus, alia quærenda media, id est media
,debitæ Satisfactionis, quam æquè magno Reipublicæ periculo,
,quàm damno, differre, nec licet, nec expedit. Libenter
,haberem & id intensissimis precibus ab omnibus & singulis
,hîc præsentibus peto, precor, rogo, ut dilatis in aliud tempus quæ-
,cunq; demum occurrunt, omnibus materijs; si interim ex miseri-
,cordia Divina, cura & sollicitudine Eminentissimi Primatis, non po-
,terunt ista aspera in vias planas redire, iterum eas reassumpturi,
,& nunc positis alijs curis hoc unicum ante omnia tractemus, nihil
,tam necessarium, quàm concludere, quid sit necessarium. Auge-
,tur indies numerus Confœderatorum, dum interim indies major
,crescit ad dissolvendum difficultas, & nobis parum videtur, nostrum
,si perdamus tempus, unde cavendum ne nos ipsos perdamus in tem-
,pore, quando audaci cuiq; ad perversa tantùm indulgemus tem-
,poris, quantùm sufficit ad nos & vincendos & obruendos. Roga- *Optat ad lucrandū tempus ut diversa materia diversis Senatoribus*
,vi toties & publicè & privatim ut Sessiones ex Senatu & Equestri
,Ordine destinentur. Crastina dies est Dies Dominica, ergo invo-
,cato DEi nomine multa bona fieri poterunt, modò seria & since-
,ra fiat applicatio. Tantus, & numero, & dignitate Senatus, in E-
,questri Ordine tot magnis pares videmus negotijs. Dividendi er-

*A.C.*1696 ,go, ut toties dixi, nunc dico, prædicavi, nunc prædico, hi ad hæc,
,illi ad alia negotia, ita, ut eodem tempore, quod fieri facile po-
ribus dev- ,terit, omnes materiæ trutinentur, examinentur, & perficiantur. In
tur excuti- ,memoriam iterum reduco, & expresse ut ante nomino, quæ mihi
enda. ,perquam necessariæ videntur, Sessiones hic & nunc instituendæ. Pri-
,ma Sessio necessaria ad inquirendum ex Legatis modo auditis, u-
,trum habeant jam Legati plenam potestatem tractandi & conclu-
,dendi cum Republica. Scimus quantum debemus, quid vero exol-
,vere simus obligati, loquendum & tractandum cum parte. Si
,autem hæc; quæ mihi in hoc momento occurrit, fuerit difficultas,
,quod isti Ablegati Plenipotentiam necessariam non habeant, matu-
,re crederem rogandos, & nominandos Commissarios, qui hoc i-
,ter absolvere, & cum Exercitu ubicunq; tum constitutus fuerit
,conferre possint nomine Reipublicæ. Omnem potestatem habeant
,tractandi, designato & realiter exoluto pro itinere sumptu, cujus
,defectu omnes Commissiones negligi, & non in tempore fieri so-
,lent. Qui Commissarij in Consortio Ducum securam reddant mi-
,litiam deservitorum, & certo solvendorum stipendiorum, quamvis
,in hoc infelici Reipublicæ statu stipendia illis non à Republica fla-
,gitanda essent, sed ab hoste quærenda, communisq; victoria com-
,munis præda esse deberet. Iidem Commissarij deducant Exerci-
,tui, quod discretè tanquam cum Patria agere debeant, & quan-
,tum illi sperare, nos dare possimus, concludant. Hoc vero ut fiat
,& finiatur ante Comitiola Relationis, optarem, ut in illis infor-
,metur nobilitas & Palatinatus universi de quanto. Serviet autem
,hoc, non tantùm propter hanc rationem, sed ut ad proportionem
,conclusæ summæ de tributis maturè cogitemus.

Altera Sessio apprime meo quidam judicio est necessaria, ut con-
,feramus dispositive de mediis satisfactionis in tam magnis debitis,
,quia credere non est possibile, ut subditi nostri tantum exolvere
,valeant, & est res Physicè impossibilis. Necdum ea debita, pro
,quibus jam sunt laudata tributa exolverunt aliqui Palatinatus, &
,jam alia statuenda omnino sunt.

Tertia Sessio sicut non minoris importantiæ ita certè non mi-
,noris est necessitatis, ut de notandis exorbitantijs, ordine electio-
,nis conscribendo, combinatione Pactorum Conventorum cogitemus,
,quanquam meo judicio fortè convenientius esset, ut destinetur ju-
,stus numerus & Senatorum, & ex Equestri Ordine, qui post fini-
,tam, utinam feliciter! hanc Convocationem, antequam tempus
,veniat electionis, in certo aliquo loco convenientes, materiam hanc
,digerant, & digestam Reipublicæ in Comitiis electionis compari tu-
,ræ ad approbationem proponant.

De tempore destinandæ electionis jam mentem meam explicui.
,Salvo enim judicio aliorum, iterum, iterumq; dico, quod crede-
,rem ego, & quidem maximis fultus rationibus, ante hyemem non
,tantum posse, sed etiam absolvi debere (si Rempublicam salvam
,volumus) electionem.

Tot sunt aliæ materiæ tam difficiles, quàm necessariæ, quæ
,facilius per dictas Sessiones absolverentur, quas habeo connotatas,
,& modo is sit omnium sensus libenter proponam.

Relinquamus ergo privata studia, particulares dissensiones, no-
civas

„civas dilationes, inimicitias reciprocas, indignas vindictas. Reas- *A.C.1696*
„sumamus antiquam fraternam & mutuam charitatem, quæ vita est
„Reipublicæ, ubi charitas non est, ibi nihil boni esse potest, &
„DEus benedicet eóq; nos peducet, ut dolorem præsentem, quem
„ex interitu Magni Regis habemus, futuri Regnantis dignitas, cu-
„jus unica debet esse cura, leniat, & nos ex infelicibus fortuna-
„tos reddat.

Placuit multis hæc mea Sententia, & itùm fuisset in omnia ejus puncta, nisi privatum prævaluisset interesse circa tempus electionis; quidam enim ut diutius dominentur, & sua philacteria dilatent alij ut inde vel Regios proventus, ut moris est, intercipiant, vel per capitulationes cum Candidatis commoda sua promoveant, contrarij fuerunt; in reliquis erat consensus, delectiq; sine mora sunt Commissarij, qui singulariter huic negotio incumberent. Primus ego fui, ex sæculari autem ordine Calissiensis & Braclaviensis Palatini, Gnesnensis & Lublinensis Castellani; ex Equestri autem ordine Duninius Tribunus Sandomiriensis, Vapovius Vexillifer Sanocensis, Menczynius Capitaneus Vielunensis, Zboinius Succamerarius Dobtinensis, Alexandrovicius Mareschalcus Grodnensis, & Pociejus Succamerarius Brestensis Litvaniæ.

Exauditis militum Legatis, atque à Senatu expeditis, primus dicendi facultatem obtinuit Kordissius, sed paulò modestius locutus est, quàm olim, Reginali tamen Majestati in amaritudine sua non pepercit. In cujus favorem locutus est Stamirovius Nuntius ex terra Halicensi cum ea declaratione, quod activitatem consiliorum sistere vellet, si quid amplius contra Reginam in publico dicererur, & si quis vellet oppugnare eam quæ nunquam expugari poterit. *Diversæ sententiæ de residentia Reginæ Varsaviæ*

Prævidendo autem paratas in contrarium acclamationes Cardinalis Primas, spopondit publicè Serenissimam Reginam non adfuturam electioni Regis. Interim hìc & nunc ex arce Varsaviensi tam propter angustias temporis, quàm ob decus gentis nullâ ratione posse cedere.

Perturbavit hæc Apologia sensum illorum qui contrarium evincere nitebantur; Cogitant enim semper consilia quæ non possunt stabilire abeundo unusquisque in sensum cordis sui maligni. Et non obstante Primatis sponsione fortissimè urgebatur abitus Reginæ præcipuè à Succamerario Plocensi, qui morbo suo morem gessit, miscens sententias sermone maligno, & non tam ratione agens quàm impetu; & à Capitaneo Trapensi Szymkievicio, qui facundo sermone omnes Reginæ Viduæ actiones memoravit, quibus Regni tranqillitatem olim turbaverat.

Tandem cum acrius pro & contra certaretur, placuit Mareschalco Nuntiorum contentionis illius telam præcidere & ea proponere ordinibus Regni, quæ ad prolongationem Comitiorum attinebant. Ordiri ergo sermonem cæpit, incusando imprimis infelicem rerum cursum, deinde ignorare se, quam tandem viam sequi foret securius, cum palàm videret inter abruptam contumaciam & deforme obsequium nullum medium apparere. Ad hæc verbà efferbuerunt nonnulli Senatores, præcipuè Posnaniensis & Calissiensis Palatini. Eminentissimus verò Primas non sine passione quadam, detecto capite & manu byreto suo (signum erat indignabundi) percussa interpellavit dicens: debebis nobis explicare Domine Mareschalce, quid per deforme obsequium intelligas. Quia verò cū publica impatientia hæc dicta fuerunt, indignari cœperunt Terrestres Nuntij, & tandem de vindicanda sui Mareschalci dignitate cogitare. Quare ingens fremitus in Primatem excitatur à Nuntijs Terrestribus acclamantibus (alium putavimus Primatem, alium experimur) adeo ut no- *Dictum Mareschalci.* *Ad impatientiam commovet primatem.* *Ob quam Nuntij Terrestres abeunt ex conv*

A.C.1696 clavi Senatorum. vo erubescendoque exemplo relicto Conclavi Senatorum suum repetierint renitentemque non nihil Mareschalcum unà secum per tumultûs exundantis violentiam traxerint. Solus ergo admirationem inter & tantæ indignitatem novitatis Senatus paucis admodum ex Majori Polonia, & nonnullis alijs Terrarum Nuntijs persistentibus sua retinuit subsellia, arrectis auribus ad ea, quæ in conclavi Terrestrium Legatorum interim agerentur; ubi continuabantur in Regni Primatem dolendo sanè exemplo, mille improperia, mille opprobria, ita ut nec quærere necesse fuisset, est aliquid quo tendis! & in quem dirigis arcum.?

Accessit ad societatem sententiæ Conclavis ejusdem Mareschalcus & composito tantisper populari strepitu hæc verba fecit. Eripit verba dolor quando inaudito tot sæculorum exemplo, nescio odióne personæ meæ

Oratio Mareschalci.

, magis, quàm obliquâ verborum quorundam interpretatione meorum, E-, minentissimus Regni Primas contra liberam officij mei vocem consur-, rexit & sermoni meo innocenti, objicienda aliqua putavit, quæ frustra, objecit, & quæ etiam opinor objecisse pœnitet. Satis graves seriæque, meæ curæ sunt in offició hoc laborioso & addam invidioso & in quo non, dico gratiam mereri sed odium vitare difficile est. Profecto rectissi-, mo me tramite contendisse arbitror, quia per medium veritatis. Nihilo-, minus ita graviter pupilla honoris mei vapulavit. Vobis verò lectissi-, ma Reipubl. pars, quas referre non possum immortales reddo gratias, , quod innocentiam meam extremo ictu prosterni allidique passi non fu-, eritis. Reliqvum est ut præsentis favoris vestri continuatio & imprimis, benignus ille Deus, semper Nostri tutor auxilietur &c.

Referendarius Regni eam confirmat.

Addidit sententiæ Mareschalci pondus non modicum, erexitque altius animos turbati ordinis illius, Referendarius Regni promovendo prolongationem convocationis ad aliquot dies, & ut non in Senatu (quod nulla hactenus viderunt sæcula, nec unquam similia attentabantur, quod quidem nos scimus) sed in Conclavi Nuntiorum Terrestrium confœderatio Regni notaretur. Licet cælo, proferre lucidos dies, eosque iterum tenebrosis noctibus contegere. Licet anno, terræ vultum nunc floribus fructibusque redimire, nunc nivibus frigoribusq; confundere. Ius est mari, nunc stato æquore blandiri, nunc procellis ac fluctibus inhorrescere. Nunc continuum ludum ludimus, rotam volubili orbe versamus infima summis, summa infimis mutare gaudemus, Ascendimus in Conclave Senatorum, sed eâ lege ut cum libertatis ratio poscit, descendere injuriosum putare nemo debeat; si præsertim injuriam nostram jure tueri possumus Cur non liceat nobis in conclavi Nostro legum conditoribus leges formare? occasióne à Primate Regni tam acerba ad id faciendum? cum præcipuè spe non otiosâ ducar etiam Senatores Regni depositâ authoritate suâ & relictis subsellijs inferiori ordini brevi accessuros. Prius tamen per ordinem Palatinatuum explorandos omnium Nuntiorum sensus svadebat. Et nimirum erat quod in tanto tumultu, strepitúque, silentio tamen altissimo uniuscujusque sermo audiretur, insolito omnium ad ea quæ nec ordinem tenebant nec tenebantur ab ordine, contraque leges publicas publico agebantur consensu. Priusquam

Contentio inter duos Nuntios

verò Nuntij Terrestres Conclavi Senatorum abscessissent, acris fuit contentio duos inter Nuntios exorta, nimirum Vexilliferum Terræ Czerscensis Sieninscium & Vexilliferum Ovrucensem Gizicium & prope erat ut ad manus & ferrum utrinque veniretur. In conclavi Terrestrium Nun-

Tumultus contra Primatem

tiorum non minori fervore & motu publico actum est in Primatis imaginarium fastum ab his, quorum dentes arma, & sagittæ & lingva gladius acutus, & eo quidem consensu animorum ut nemo fuerit qui auderet

auderet ejus dignitatem tam ſolenniter læſam vindicare, aut tueri; quin imo uno ore omnes omnia mala dicebant. Hæc dum aguntur in dicto Nuntiorum conclavi, veritus Primas ne fortè ad Senatum redirent Nuntij cum tumultu violento, voluit aliqua præfari ad Senatores, ſed vetante Regni Mareschalco propter ademptam activitatem abſentiâ Nuntiorum, continuit vocem tantiſper, ſed collecto tandem Spiritu quantumvis obſtante proteſtatione Mareschalci Regni facultatem dicendi ſponte ſuâ uſurpavit in eum ſenſum. *A.C. 1696*

Maledictus ſit in ſemine ſuo quicunq; præſentium Comitiorū curſum ,impedit. Ego nullis difficultatibus terrebor, ut manus remittam à ſecuri-, tate tranquillitateq; publicâ ſublevanda. Habeo aliquando remiſſum a-,nimum, nunquam ſolutum; neque famæ meæ ſeminator, neque ali-,enæ ſum invidus. Pericula etiam non appeto ut temerarius, nec formi-,do, ut timidus. Nam nihil timidum facit animum, niſi reprehenſibilis ,conſcientia. Quare pro die lunæ invito univerſos ad conclave, ut con-,fœderationem Regni legibus præſcriptam componamus, ne Reſpublica ,in tam aperto diſcrimine omni prorſus remedio deſtituta, & permiſſa ,fatis videatur. Ad eum finem circulares literas ad omnes Palatinatus, ,pro communi nobilitatis motu ſine mora expediam. Reclamavit liberè Palatinus Belzenſis Adamus Sieniavius, dixitque palàm, nullum ex nobilitate illis circularibus, eò quòd nullâ neceſſitate ad hoc ſtringeretur, obediturum, & ita ſoluta fuit miſeranda illa Seſſio tumultui quàm conſultationi ſimilior. Eminentiſſimus verò Primas cum Caſtellano Cracovienſi ſimul ad Conclave Reginæ Viduæ contenderunt, quòd ſingulari cenſura à pluribus notabatur. Deinde divertit, viſitavitque Epiſcopum Vladislavienſem fortè in ſuas partes illum tentaturus. Interim ex conclavi Senatorum ad Nuntios Terreſtres plures ex Senatoribus acceſſerunt. Quos inter præcipui fuerunt M. Regni Mareschalcus, ad quod ita præcipitanter motus mihi videtur non ex ratione, aut ſi ex ratione fortè plus quam oporteret. Procancellarius Litvaniæ, Theſaurarius uterque Major tam Regni quam M. D. Litt. & aliquot Caſtellani Inovladislavienſis, Breſtenſis, Lublinenſis Raziozenſis, ubi Magnus Regni Mareschalcus queſtus eſt, dicens multas amaritudines publicè de eo, quòd Eminentiſſimus Primas uſurpaverit vocem in Senatu, ſe pro officio ſuo vetante ob ceſſatam Senatûs activitatem. Indoluit deinde vicibus totius conclavis Terreſtrium Nuntiorum, quòd illorum Mareſchalcus ab Eminentiſſimo Primate, non cum debito honore fuerit compellatus. Reſpondit pariter Mareschalcus Nuntiorum in hæc verba.

Fruſtra vetante Regni Mareschalco Primas perorat.

Plures Senatores accedunt ad conclave Nuntiorum

,, Hæc eſt dies quam fecit Dominus, ille nimirum præpotens & , optimus maximus qui Regna Terrarum & imperia moderatur, non per-, mittit inclytam hanc Rempublicam ſuccumbere ſupremumque tandem , fatorum ictum ultimo caſu excipere. Habet immortales gratias tibi , excellentiſſime Domine Conclave Nuntiorum Terreſtrium pro eo in ,Patriam & æqualitatem animo, quod ſupra æqualitatem & prærogativam ,par Senatoribus huc declinare ſis dignatus. Accepimus non vanum au-,gurium felicioris conſilij, quòd ſub auſpicijs & Celſiſſimi Senatus Mare-,ſchalci conſpectu afflictis Reipublicæ rebus afferetur remedium.

Acceſſit proximo ſermone ſuo Vexillifer Sanocenſis Vapovius rebus agendis juxta idoneus & audax, & nihil non ſpe præcipiens ſupra vires, quandoque ambitioſus. Ubi complura ſatyricè præfatus eſt, tam contra Reginam Viduam, dicens expreſsè Mulieris Imperium, quia non admodum prudens, ſemper eſſe grave; quam contra Eminentiſſimum Primatem Regni.

Et

A.C. 1696 Et postea sine mora conclusum est communi omnium consensu, ut Episcopus Vladislaviensis enixè nomine publico rogaretur, quatenus Primatis loco fungeretur officio directioris Comitiorum. Hic jam sicut eversio statûs imminere cœpit, ita & publica Regni nutare tranquillitas, nisi diligentissimæ nonnullorum curæ & studia restitissent. Nihil enim omnino illorum quæ ad Reipublicæ securitatem spectabant, præteribatur.

In conclavi Nuntiorum petitur ut Episcopus Vladislaviensis officio Primatis fungatur.

Auditi confœderatæ militiæ legati privatim in Conventu Patrum Bernardinorum ubi clarè patebat Varsaviæ conceptam fuisse legationem illam. Neque enim instructionem authenticam, neque subscriptionem legitimam exhibere nobis poterant. Adnecto tibi supplicem libellum illorũ & alia pro informatione necessaria. Verùm majori obviando discrimini, omnem curam promisimus, ut debita militiæ stipendia quàm primum solvi possent.

Interea privatis eorum dissensionibus componendis, quæ inter multos erant, magnam temporis partem impendimus quæ à publicis negotijs superfuerat, præcipuè tamen ut Nuntij Terrestres, quod nec optare pudet, nec postulare pœnituit, ad Conclave redirent Senatorum, nihil intentatum relinquebatur, nec quiescebant corda die & nocte meditari, & prædicare legem Domini, quæ est charitas.

Dum vesperi fuissemus apud Cardinalem, incusavit multis verbis eos qui amicitiam ei testati sunt toties ore & nunc videt contrarios. Nihil apparet nunc nisi signum ante tabernam, ubi præter vinum acidum nihil inest. Ova satis alba, intus autem marcescentia, vulnus in cute consolidatum, intus autem pessimè affectum, pilula auro circumdata, quæ ad contactum lingvæ amara est, phiala confracta nova inscriptione insignita, bos fictus & homo è corio ad fallendas perdices contextus, palus glacie concreta, ubi totus pes consistere nullo modo possit, frons ædium conspicua ad interiora penitus dejecta. Ego addidi ulterius, qui vera dicere & ab omni abstinere mendacio didici, melius esse ubicunque, quàm cum talibus habitare. Quod enim pridem occulto conceperant animo, nunc in lucem venit & omnibus patet. Conclusit Cardinalis dicendo: sumpsisse se certam resolutionem, quæ nobis tamen ita displicuit, ut nec eam tibi nuntiare audeam, cum ejus ludicrum sit initium, sed fortè esset flebilis eventus; ac proinde nolo referre, quod invitus audivi, & quod erat auditu difficile, difficillimum re ipsâ, & executione inveni, quod prætereo, libet enim præterire odiosa, ita dum in dubio est animus pauco momento hac illac impellitur.

DEus te conservet longis temporibus ad meam præcipuè consolationem.

SUPPLEX LIBELLUS

A CONFOEDERATIS MILITIBUS REIPUBLICÆ

porrectus in quo emeritæ Militiæ quædam prætensiones clarè proponuntur.

IN aperto est omnibus, quàm fideliter, quantoq; fortunarum nostrarum dispendio sinè ullo prorsus stipendio hucusq; militaverimus, & adhuc parati sumus constantissimum nostrum probare obsequium, & illibatum in Patriam, quæ nos genuit, amorem, tuendo Regni fines, & intrepidum pectus telis hostium opponendo

nendo, quousq; cæli temporisq; clementia belli vices & continuati- A.C.1696
onem patietur. Interim tamen nonnulla puncta cum profundissima veneratione per compendium toti Reipublicæ veneratione proponimus, supplicamusq; humillimè.

1. *Ut Nomen Commilitonis prorsus jam extinctum, tantóque majorum Nostrorum sangvine, & meritis olim comparatum, primis restituatur prærogativis libertatis, dignitatisq;, nimirum, ut cuiq; Commilitoni libera vox concedatur, non in generalibus tantùm consilij bellici cœtibus, verùm etiam in privatis, ut tali ratione publica in illis negotia, non singularia quædam Personarum commoda tractari possint, præviâ Instructione, consultisq; Militiæ Ordinibus composita. Præterea ut singulis cohortibus fas sit, legionum suarum Præfectos vulgò Poruczników libero suffragio deligere ex Candidatis à Magistro Equitum ad eligendum propositis.*

Petunt restitui nomẽ Commilitonis.

2. *Ut emerita stipendia tamdiu, non sub æstivo tantùm, sed etiam sub hyberno Jove in siti, plerumq; & fame, vix gregario militi ferenda, extra Regni viscera in hostico expectata tam Polonæ, quàm externæ Militiæ persolvantur sine mora & sine consueta hactenus depactione cum palmari Commilitonum injuria, & contra expressas Constitutionum Regulas, nec non prisci moris usitatam olim consuetudinem.*

Stipendia postulant.

3. *Hybernæ Contributiones Leopolim devehi solitæ quia plurimùm deviârunt à recto, & moribus antiquis non sinè notabili tam Militiæ, quàm Reipublicæ damno, ut omnino aboleantur conformiter ad antiquam Regni hujus consuetudinem. Leges pristinæ Militiæ reassumantur, Hyberna stipendia, & consistentiæ restituantur. Præterea panis benè merentium emeritis in bello Commilitonibus conferatur præcipuè in anno gratiæ, quem mensium Militarium nomine compellamus. Damna per tot annorum spatia Commilitonibus illata, & in alias expensas immeritò erogata restituantur. Tandem ut Respublica diligenter dispiciat, quænam cohortes rarum sub signis militem habuerint, abominanda sanè culpa illorum, ad quos de lege spectabat completum militem in campum educere, supplicat pariter cum omni submissione toti Reipublicæ confœderata Militia, ut quidquid hactenus sive per Dominum Czacki sive per alios emeriti stipendij detractum est Commilitonibus restituatur in integro.*

Defalcatio stipendiorũ resarciatur

4. *Postulat utraq; Militia impensissimè, ut liceat illi singulare forum habere, in quo illius causæ discuti, decidiq; possint, imò nunc determinari certum subsellium, ne ad varia trahatur, & illa decreta, quæcunq; stante opere belli, & non attentâ exemptione authentica, lata sunt contra Commilitones, etiam in causa Juris, tunc cum obsequio Reip: impedirentur, omnino aboleantur.*

Petunt forum judiciale pro causis suis.

A.C.1696 5. Supplicat eadem Militia toti Reipublicæ, ut possit participare de illis quoq; summis, quæ à Beatissimo Patre in Militiam fuerunt numeratæ. Conqueritur contra Thesaurarios, quòd nunquam in illo valore pecuniam Commilitonibus distribuerint, in quo à Contribuentibus adferebatur, sed semper cum aliquo augmento non sinè notabili damno bene merentium.

Querela cōtra Thesaurarios.

6. Non minorem injuriam prætendit Confœderata Militia in eo, quòd post expeditionem Germanicam nihil sibi ultra assignationes Generalissimorum Exercituum Ducum concedendo, usurpandoq; in destinatis Consistentijs, nihilominus tamen in Judicijs coacta fuerit ad solvendum, quasi plus à Contribuentibus exegisset. Totum id tamen damnum suum donat amori Patriæ Confœderata Militia, neq; illos tuetur, si qui in hoc puncto, aut in alio quovis deliquerunt.

De solutione damnorum in consistentijs sibi imputatorum.

7. Externæ Militiæ Cohortes instant apud eandem Rempublicam, quatenus penes antiqua pariter jura & leges suas conserventur, & penes vigorem Judiciorum militarium. Ut vocem liberam habeant agendi in Generali Conventu Consilij bellici, & ut illorum Officiales ad recipiendas contributiones & stipendia, non privati Præfectorum Militiæ famuli destinentur.

Postulatum externarū cohortium.

8. Siquidem nonnulli fecerunt se nuper Nuntios ab Exercitu universo ad Rempublicam, certamq; pro hoc obsequio pensionem ex hyberna contributione ad totam Militiam spectante sinè consensu nostro sibi usurpârunt hactenus, neq; ullam fecerunt Commilitonibus suis relationem actæ legationis, humillimè supplicat Confœderata Militia, ut pro illegitimis Ablegatis censeantur, præsentes verò Nuntij, tanquam jure optimo, & unanimi omnium consensu deputati admittantur à Republica, per quos Regni Ordinibus defert, quòd continuis bellorum incommodis, & injurijs cœli ita sit penitùs attrita, ut emerita stipendia, nullâ ratione possit diutiùs expectare, ubi simul fortalitium Sanctissimæ Trinitatis suismet impensis huc usq; servatum, tanquam apprimè finibus Regni tuendis necessarium diligentissimæ Reipublicæ curæ commendat plurimùm.

Priores Nūtios pro illegitimis se pro legitimis haberi volunt.

9. Non minus tota supplicat Militia, ut assignationes hybernæ ad percipiendas contributiones à Thesaurario Regni sibi datæ, & tamdiu expectatæ tandem aliquando effectum suum sortiantur.

Hyberna petitur.

10. Instat pariter Confœderatus Miles humillimè, ut moribus antiquis numerus Commilitonum à Campestri Regni Notario, & non ab alio annotetur, describaturq;, liberq; sit à juramento.

Connotatio Commilitonum.

11. Prætendit pariter eadem Militia gravem inferre sibi injuriam in eo, quòd captis in bello, adductisq; ad Præfectos Militiæ hostibus modicum aut nullum pro hoc præmium referre soleat. Quare orat suppliciter, ut in posterum, postquam interrogatus fuerit à belli Ducibus captus hostis de ijs rebus, quæ ad illorum notitiam spectare videbuntur, restituatur illi à quo fuit captus in acie,

Captos hostes volunt cedere potestati capientis.

acie, ut major crescat Commilitonibus animus ad strenuè in bello decertandum. A.C.1696

PUNCTA CONFOEDERATÆ MILITIÆ AD QUÆ OBSERVANDA PUBLICO JURAMENTO SE OBLIGAVIT.

1. *Juravit obedientiam suis Præfectis, & Directoribus Confœderationis.*

2. *Juravit quòd nullus ab alio sit recessurus, sed mutuò se defensuri in justis occasionibus; quòd nomen Commilitonis sint vindicaturi, & stipendia emerita; quòd tamdiu Confœderationis vinculum continuaturi, quamdiu Respublica generaliter omnibus non satisfecerit.*

3. *Juravit idem Miles Confœderatus cum nullo extraneo habiturum se correspondentiam, quæ contraria sit securitati & integritati Confœderationis, quin imò sinè mora significaturum Præfectis Militiæ, si quid nocivum, vel contrarium intellexerit.*

4. *Quòd nullum privatum interesse ullius ex Proceribus Regni sint promoturi, sed totius tantùm Militiæ injuriam vindicaturi.*

5. *Quòd se conformaturi sint privatis Palatinatuum Comitiolis, & Instructioni totius Reipublicæ.*

ROTA JURAMENTI TOTIUS CONFOEDERATÆ MILITIÆ.

EGo *N. N. juro DEo Omnipotenti & Sanctissimæ ejus Matri, & omnibus Sanctis, quòd obedientiam sim præstiturus Superioribus meis in defendenda integritate nostra, & quòd mutuò Nos simus defensuri, quousq; tam Directoribus nostris, quàm etiam singulis Nostrûm ex æquo & justo non fuerit satisfactum. Similiter quòd omni studio sim vindicaturus nomen Commilitonis, non moliendo ullam fraudem contra integritatem Confœderationis, nullaq; donaria in vim corruptionis, acceptando, quin imò, si quid ejusmodi scivero sine mora revelaturum me obligo. Cui juramento, sit mihi in perditionem pretiosa Mors & Passio Salvatoris nostri. Sic me DEUS adjuvet.*

ROTA JURAMENTI OFFICIALIUM EXTERNÆ MILITIÆ PARITER CONFOEDERATÆ.

NOs *NN. Officiales juramus DEo Omnipotenti, quòd in obsequio Reipublicæ constituti, omni studio curaturi simus ut legiones Nobis commendatas in omni obedientia conservemus, nihil illis in damnum Militiæ, aut Reipublicæ concedendo, exleges & excessivos vel seriò puniemus, vel ad Mareschalcum Militiæ pro audienda sententia remittemus. Libertates Militiæ Polonæ con-*

A.C.1696 *cessas constanter tuebimur, emerita stipendia omni studio vindicabimus. Nullas coimelligentias nocivas Militiæ fovebimus, quousq; & superiores nostri, quibus omnem obedientiam non attendendo ad ullas alias ordinationes, præter solius Mareschalci militaris pollicemur, illisq; solis Nos obsecuturos constantissimè spondemus.*

ROTA JURAMENTI QUA SE OBLIGARUNT LEGATI CONFOEDERATÆ MILITIÆ AD CONVOCATIONIS COMITIA ABITURI.

NOs NN. juramus Omnipotenti DEo, Trino & uni, quòd suscepta functione legationis à Confœderata Militia nobis imposita [illegible] Rempublicam ne latum quidem unguem à punctis in Instructione descriptis simus discessuri, non movendi ullis corruptionibus, persuasionibus, & minis, nullumq; præterea tam nostrum privatum, quàm cujuscunq; alterius interesse promoturi, præter ea, quæ in publica Instructione Nobis sunt commendata, impositaq;, & quòd ad singula legationis nostræ puncta datum à Republica responsum fideliter simus relaturi. Ad quæ præstanda sub Conscientia Nos obligamus. Sic Nos DEus adjuvet, & S. illius Passio.

ROTA JURAMENTI CONSILIARIORUM CONFOEDERATÆ MILITIÆ.

EGo NN. juro Omnipotenti DEo, quòd in ea functione Confœderatæ Militiæ Consiliarij positus, fideliter, sincerè, integrèque omnia consilia mea dirigam ad integritatem totius Militiæ conservandam. Sic me DEUS adjuvet. &c.

ROTA JURAMENTI JUDICIS CONFOEDERATÆ MILITIÆ.

EGo NN. Omnipotenti DEo juro, quòd ex unanimi totius Militiæ Confœderatæ consensu impositam Generalis Judicis provinciam ita sim administraturus, ut omnia negotia ad subsellium meum spectantia juxta conscientiæ rationes æternas absolvam, non movendus ullis respectibus humanis, aut postulatis in ferenda sententia. Sic me DEUS adjuvet &c.

ROTA IURAMENTI QUA SE OBLIGAVIT NOTARIUS EJUSDEM CONFOEDERATÆ MILITIÆ JUDICII.

EGo NN. juro Omnipotenti DEo, quòd omnia Decreta à Supremo Confœderatæ Militiæ Judice lata fideliter sim scripturus, nihilq; illis additurus, nihil detracturus. Sic me DEUS adjuvet. &c.

Præmisso publicè & ab omnibus recepto, in prædictam Rotam juramento, ut solidius authoritatem suam firmaret Mareschalcus Confœ-

Confœderatæ Militiæ universos Commilitones his, quas adnecto circularibus literis compellavit. *A.C.* 1696

UNIVERSALES LITERÆ MARESCHALCI CONFOEDERATIONIS.

O*Mnibus & singulis, quorum interest, præcipuè verò illis, quicunq; nomine Commilitonis insigniuntur, illudq; sibi meritò usurpant, cum significatione fraternæ benevolentiæ nostræ denuntio, & impensè postulo, ut singuli ad sua signa, sub quibus militarunt, & stipendia meruerunt, sine mora confluant, & libertates Commilitonibus tot annorum praxi concessas, & jam nescio, quo fato Militiæ abolitas sub nomine Confœderationis Militaris, simulq; emerita stipendia possint vindicare, attenti nihilominus ad securitatem Patriæ, cui militamus, & defensionem limitum Provinciarum vicinarum hostibus; Aliàs refractarij & rebelles conscientiæ suæ obligationi post recepta stipendia utriusq; jacturam subire deberent. Excessivi verò sub prætextu Confœderatæ Militiæ, vel errabundi per Provincias Regni tanquam legibus Reipublicæ obnoxij capti, adductiq; ad obsequium cogerentur. Quod cum diligentissimè commendo universis præsentes literas meas per singulas Regni Civitates, & Parochias publicari volo. Ad quorum majorem fidem manum propriam sigillumq; appono. Dabantur in Castris 3. Septembris. Anno 1696.*

Petrus Boguslaus Baranowski
M. Conf. Militiæ.

NOMINA ILLORUM QUI FUERUNT A CONSILIIS CONFOEDERATÆ MILITIÆ.

1mus. *Consiliarius D. Bartoszewski Cohortis Regiæ Commilito & vices gerens Præfecti suæ legionis.* 2dus. *D. Gdeszynski pariter hastatæ Cohortis Vexillifer & Præfecti vices gerens.* 3tius *D. Horodynski Commilito Serenissimi Principis Alexandri hastatæ Cohortis Commilito, & vices gerens suæ legionis Præfecti,* 4tus *D. Zawadzski Serenissimi Principis Constantini hastatæ Cohortis Commilito, & vices gerens sui Præfecti.* 5tus *D. Perzanowski Illustrissimi Castellani Cracoviensis hastatæ cohortis Commilito, & vices gerens Præfecti ejusdem legionis.* 6tus *D. Czerwzenski Illustrissimi Palatini Cracoviensis hastatæ Cohortis Commilito vices gerens ejusdem.* 7mus *D. Trebienski Illustrissimi Castellani Sandomiriensis loricatæ Cohortis Commilito vices gerens.* 8vus *D. Ciolek Illustrissimi Thesaurarij Regni Commilito, & vices gerens.* 9nus *D. Jordan Perillustris Capitanei Olsztynensis levioris armaturæ Cohortis Commilito, & vices gerens.* 10mus *Winiarski Perillustris Notarij Regni levioris armaturæ similiter Commilito & locum tenens.* 11mus *D. Krzetowski Pocillator Braclaviensis Perillustris Capitanei Szczuroviensis hastatæ Cohortis Commilito, & locum tenens.* 12mus *D. Czeski Celsissimi Principis Janussij Visniovicensis loricatæ Cohortis Commilito, & locum tenens.*

Judex Generalis Confœderatæ Militiæ D. Jarzyna hastatæ Cohortis Illustrissimi Palatini Plocensis Commilito.

Notarius ejusdem D. Czechurski ejusdem Cohortis Commilito.

XVIII.

Eidem 19. Septembr.

Continuatio prioris argumenti.

AGnoſco in ultimis tuis amorem, quem jure tamen ſcio deberi mihi amanti. Et ego pariter per idem chartaceum æquor (quoniam cum Poëtis loqui tibi placet) ſæpe te adeo, ſæpe ſaluto.

Dies ſubſequens meas nuper ſcriptas Dominica erat, ac ideo publicas Seſſiones impedivit. Quærebamus nihilominus media quomodo res diſſonæ conciliari poſſent. Adjuncto proinde mihi in Societatem Caſtellano Gneſnenſi viro ad perſvadendum apto & ad convincendum rationibus valido. Imprimis fui apud Theſaurarium Litvaniæ Benedictum Sapieha, cujus motu totus planè Litvaniæ Ducatus volvebatur, illique omni meliori modo perſvadebamus, ut nos juvaret ad conjungenda iterum Senatus & Equeſtris ordinis conclavia. Promittebat quidem operam ſuam ſed difficulter id fieri poſſe palàm aſſerebat, in comperto habens, multos ex Nuntijs juraſſe amplius ſe non comparituros in Senatu.

Cum eodem Caſtellano Gneſnenſi fui apud Cardinalem volens ſcire inclinationem ejuſdem, aut averſionem in tam neceſſaria combinatione, ut diſrupta duorum ſtatuum ſtudia iterum jungi poſſent.

Adivimus Theſaurarium M. Regni, ubi quidquid rationum eſſe potuit, omnes ad perſvadendam unionem, nihil intentatum relinquendo, adhibuimus, ſed ubique ſpem felicis exitus, & tam neceſſariæ combinationis planè perdebamus.

Non omiſimus inviſere Epiſcopum Vladislavienſem expiſcando ſenſum ejus. Retulit nobis rogatum ſe fuiſſe per deputatos ad Conclave Nuntiorum & invitatum, ſed indifferenter deſiderio huic reſpondit, eo addito, quod ſi fecerit quæ deſiderant, alio fine certè ſe non compariturum ibi, niſi ad perſvadendam reunionem, & ad moderationem animorum, qui per ſciſſuram præſentem publica turbant conſilia.

Adivimus iterum Cardinalem deferendo mentem Epiſcopi Vladislavienſis & hanc quam deputatis à Conclavi Nuntiorum dedit declarationem. Cardinalis ea mens fuit ut privatim invenirentur media redintegrationis ejus cum Mareſchalco Nuntiorum, & ut id quod privatim concludetur, in publico ad executionem deducatur.

Reginæ diſvadet ne filiorum ſuorũ aliquis in Regem eligatur.

Hâc eâdem die triſtis miſeranda & (ſim falſus vates) diu pœnitenda accidit res in Conclavi Reginæ. Plenum illud (pro more) ipſo veſperi fuit ita, ut præ multitudine congregatorum latis à præſentibus ſufficientibus datum. Diſcurrebat Regina cum nonnullis Senatoribus non nihil ſecretius, ſed ex improviſo affectum ſuum vel nolens, vel non valens continere, altiore voce imò ita alta ut omnes quicunque aderant ex Senatoribus & Equeſtri ordine audire facile potuerint, in hæc verba proſilijt. Domini Poloni ſcitote, quòd ego quanquam non ſim natione, ſum tamen ex toto corde Polona & magis hoc Regnum amo quàm propriam meam Domum, ideoque effundo cor meum coram audientibus me. Conſiderate, perpendite per amorem Patriæ, quem eligere in locum Mariti mei deſideratiſſimi debeatis. Ex domo mea Regia non eligatis, melius ego noſco ſangvinem meum, quàm vos noſcere poteſtis, præcipuè autem ſi eligitis Filium meum Principem Iacobum, peribitis, peribitis. Inclytũ hoc Regnum brevi immatura Iuvenis temeritate cadet. Ego paululum à tergo ſtans clam petebam, per totum id quidquid eſt ſacrum, ut ab his abſtineret dicendis, & ſe in poteſtate haberet, infallibilis enim & bre-

& brevi dictorum pœnitentia subsequetur. Ego clam, & illa iterum publicè, & adhuc clarius quàm ante. Non mihi hoc dicas Domine Episcope non me pœnitebit unquam, quòd videns Reipub. nocivum, etiam cum præjudicio propriæ Domus meæ præcaveo, præcustodio & iterum iterumq; moneo ut satius Polonum Nobilem eligatis vel quemcúnque demum alium & non ex meis. Habetis Palatinum (qui tum erat præsens) Kioviensem virum omni exceptione majorem, nihilque in illo virtutis non reperietis, quod in Principe desideretis, qui totis gloriosæ vitæ passibus plena bellicæ gloriæ meritorumq; serie contendit, non opus est solem monstrare digito, qui ejus lucem quærit. In hunc satius conjicite oculos animosque. Sed ille (generosa mens tam bene novit spernere honores quàm mereri) cúm naturali modestia & prudentia hæc formalia reposuit: Serenissima Regina ante paucos menses vàcantem exercitus Poloni clavam ego quoque inter alios prætendebam & Majestas Vestra illo tempore me non invenit dignum hoc munere, imò mihi scienti formalem dedit exclusionem, quomodo ergo majori dignitate me dignum censet cum minori nuper indignum æstimaverit. *A.C.1696*

Non tibi explico motus animorum, hos audientium discursus, & murmur, nam hæc facile divinabis, & mecum indignaberis. Sunt & in magnis errores sui, in quos obtusa interdum mente impingunt plus infantibus. Erant nonnulli qui credebant illam dominationem pro se, non libertatem poloniæ quærere. Interim etiam si hæc probabilia tantùm essent, apud infensos tamen pro veris habebantur, & non tam consilium quam author displicebat.

Die lunæ circa Octavam secundùm nuperam limitationem incepit Conclave nuntiorum congregari, ad quos comparuerunt etiam multi Senatores, Cracoviensis Felix Pototius, Vilnensis Sapieha, Siradiensis Pienigzek, Kioviensis Kąncius, Lublinensis Tarlovius, Belzensis Sieniavius, Palatini; multi Castellani cum illis Ministris, qui Sabbato in conclavi Nuntiorum etiam comparuerant, ubi per totam Sessionem sociatim consilia sua sub regimine Mareschalci Nuntiorum absolvebant, & exacuebant, ut gladium lingvas suas, contra Reginam & sagittabant eam. *Aliqui Senatores in conclavi Nuntiorum*

Incepit etiam in conclavi Senatorum Cardinalis Primas Sessionem, in magna Senatorum copia. Erant enim 30 ex ordine equestri Majoris Poloniæ, Mazovia, Prussia & etiam ex Litvania ita ut numerum Nuntiorum 28 in universum implerent. Proposuit Cardinalis ut mitterentur Deputati ex senatu ad Nuntios invitando eosdem ad conscribendam insimul confœderationem. Non est visum multis, inter quos fateor me quoque fuisse, ut delegerentur illi deputati, antequam prius resciamus, an & quomodo illi acceptabuntur. Misit ergo Cardinalis Primas privatim ad Mareschalcum Nuntiorum expiscando, qui id declaravit, quod sicut non agnoscimus legitimam activitatem Conclavis Senatorum, ita per consequens deputatos ab illis acceptare non possumus. Acceptâ itaque ac auditâ hâc declaratione Cardinalis in hunc sensum dixit: Quoniam Conclave Nuntiorum tam crudum, & crudele in contemptum Senatus dedit responsum, nolendo deputatos quos è medio Nostri missuri eramus, ullatenus acceptare allegando cessasse activitatem Nostram, ergo si loqui non licet, liceat saltem super sortem conclavis nostri flere. Cum verò alia desint media, nisi ut ad conscribendam confœderationem accedamus, sicut nuper ad eandem DD. VV. invitavi, ita & modo invito, ut die crastino horâ præcisè octavâ conveniant, spem non dubiam habens, quod Senatus ex authoritate sua non se patietur degradari. *Conclave Nuntiorum non acceptat Nuntios Senatorum.*

Solvit

A.C. 1696 Solvit ergo Sessionem. In conclavi verò Nuntiorum frequentissimæ voces, tum contra Reginam tum contra Cardinalem. Dominus Thesaurarius Regni Supremus longissimo sermone omnes prætensiones Reipub: ad Reginam & inconvenientia ejus Regiminis deducebat. Tribunus verò Sandomiriensis Sventoslaus Dunin persvadebat conscriptionem confœderationis, sed Generalis, deducendo quòd in singularitate non possit inveniri generalitas, nec confœderatio subsistere nisi tantùm ex integra duorum statuum Reipub: conjunctione, inter quos inpracticata nunc videtur dismembratio; An volumus (adjunxit) omne legum excutere jugum, & solâ animi libidine ferri præcipites? Tunc demum verè liberum unumquemq; & interritum esse sciamus, dum pudore legum afficitur. Facessat procul talium hominum sinistra opinio, qui indomitam quodvis patrandi licentiam pro libertate usurpant, cum ad solas hæc cum legibus concordes actiones respiciat, & in omnibus rebus agendis, rectum rationis judicium & positivam sequatur legem.

Audiebantur postea varia in contrarium judicia interim unus ex domesticis Cardinalis Grabscius notatus est venisse & cum aliquibus clam contulisse, unde pars adversa fortiter contra eum insurrexit & vix mortem evasit. Unde post sedatum tumultum solvit quoque Sessionem Nuntiorum Mareschalcus.

Aliqui Senatores adeunt conclave Nuntiorum pacificationis gratiâ. Tandem in crastino ne nobis Episcopis objiceretur illud, quod infirmum fuit non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, quod confractum non alligastis & quod abjectum non reduxistis & quod perierat non quæsistis, ut facilius è vicino incendium illud extingvi posset, post mutuas conferentias, nonnulli ex Senatu Spirituali Conclave accessimus Nuntiorum. Vladislaviensis, Posnaniensis, Premisliensis & ego Plocensis Episcopi cum multis sæcularibus, partim colligatis, partim amicis, non eâ intentione, ut illum consessum approbaremus sed ad persvadendum id quod videbatur, ad redintegrationem, & universalem statuum reunionem necessarium. *Ibidem acta.* Primus locutus est Episcopus Vladislaviensis Senatorio verè stylo, amplissimè deducens quæ mala causaret, dismembratio inter Status, invitando ad unionem animorum, & excusando Cardinalem Primatem, quòd non ex aliqua offensione, sed ex primo impetu impediverit sermonem Mareschalci; locutus sum & ego ea, quæcunq; amor in Patriam, zelus in tam necessariam concordiam, svadebat, faciens mentionem distinctam certaminum, & accuratam gravium periculorum, hoc unicum pro objecto sermonis mei habens, ut disrupta coeant, & interruptis consilijs optata redeat malacia. Factumne est istud in diebus Nostris? aut in diebus Patrum Nostrorum? Propinavi hoc efficacissimum & præsens medium ut ad pacificandos animos & combinationem Cardinalis Primatis, cum Mareschalco Nuntiorum deputarentur tam ex Senatoribus præsentibus, quàm ex equestri ordine, per tres ex qualibet Provincia; Exhortatus tandem sum non sine fervore, nos non debere eo tempore iras & injuriarum memoriam resuscitare, quo maximè ea deponi deberent. Sit ut ante semper erat hoc conclave instar sacrarij, certet cum Senatu tanquam Fratrum Seniorum authoritate libertas Nuntiorum. Qui quo destinat pervenire vult, tritam sequatur viam, non per multas incognitas vagetur, non ire istud, sed errare est. spem habemus non dubiam & credimus videre adhuc bona, si iste recessus eorum, qui nec lege nec consvetudine est receptus non approbabitur, vel reditu corrigetur, dum has difficultates compescet lenitas. Quàm pulchrum videre est purpuram libertatis monumentis impallescere, primatialem tyaram non magis capiti suo quàm cordi-

cordibus vestris incumbere. Quid quid in Eminentissimo Primate nomine fastus vocabatis totum id præsenti per Nos humanitate edomuit. Nunquam sublimius eminuit quàm dum ita se dejiceret &c. *A.C.1696*

Expiscabatur (ut consilium esset in unum) pro more Mareschalcus omnes adeundo Palatinatus, sensum illorum quomodo respondere nobis nomine publico deberet? Gratias proinde egit quod ex zelo boni publici & tuendæ libertatis accesserimus ad stationem conclavis Nuntiorum & pro eo, quòd in hac scissura, non omittimus quidquam, imò porrigimus dexteras ad sublevandam ruentem iam mole discordiarum Patriam. Declaravit & DD. Palatinatuum Nuncios omnia eo converturos studia, ut disunio redeat id unionem, nec se in hoc muneri suo defuturum. Audiebantur post multi iniquitatem magis quàm æquitatem proferentes, tanto studio Cardinalis dignitati & laudibus derogare, ut horum bellatorum adversus Cardinalem lingva fuerit tanquam gladius acutus in ore, & in labijs loquentium. Adscribebant fastum, animum superbiâ tumentem, & supra mortalium fortunam, tantùm non super omnia luctantem, & multa crude objiciebant etiam cum commemoratione Patris. Solus tantùm erat Rzevuscius Capitaneus Chelmensis qui prudentiâ nulli secundus, quamvis fortunâ multis inferior, qui modestissimo sermone neminem lædebat, sed nullo modo permittere se posse, ut confœderatio in conclavi Nuntiorum scribi possit, declaravit. Nullus illic libertati locus est, ubi nullæ sunt leges, aut si essent ita sunt ordinatæ ut magis aliquam alerent licentiam, quàm coercerent.

Mareschalcus Nuntiorũ respondet Senatoribus

Nuntiorum clamores contra Primatem.

Excepto Rzevuscio

Interim Dominus Episcopus Vladislaviensis quasi ex mente Cardinalis Primatis declaravit, quòd Serenissima Regina nolens ulteriores difficultates & motus, vere rectè ex Ecclesia, ubi pro tunc inveniebatur abituram se promittat, Magnum plausum his impensis captum, hæc vox habuit. Reginam enim non tam oderant quàm metuebant, & ab ea sicut infirmiores quadrupedes volucresque à Leone vel ab aquila cavebant, & unus ex Nuntijs (quem non nomino) disertis verbis dixit: quòd illam iterum crederent protervè & petulanter dominari velle, & non alibi felicitatem suam, quàm in oppressione & servitute multorum collocatam esse putare.

Episcopus Vladislaviensis nomine Primatis promittit abitũ Reginæ

Ut verò certius constaret declaratio Episcopi Vladislaviensis, Mareschalcus petijt, ut aliquis ex nobis pro recipienda securiori declaratione Cardinalem Primatem adiret. Rogatus ergo ego, dum Cardinalem in virtute hujus legationis meæ, requisivissem, respondit mihi clarè & distinctè nihil se de eo scire nec unquam Episcopo Vladislaviensi id, quod nomine ejus declaravit, commisisse. Cum id à positiva solius Reginæ planè dependeat voluntate. Audito ergo tam dissono à declaratione Episcopi responso adivi Reginam, & omnia ut acta sunt retuli, illa sine ulteriori reflexione, neque mora, ut levaret scopulum consiliorum, non tantùm facilitatem, sed & celeritatem promisit, & re ipsa hac eadem hora itineri se accinxit; & Varsaviâ movit. Ita multa quæ uno impetu confici non possunt, paulatim possunt. Retuli hanc Majestatis suæ determinationem, qua audita, visum est tantisper pro meliori securitate, suspendere consilia. Quibus in crastino reasumptis cessavit occasio impugnandi Reginam, & tantum in materia confœderationis Nuntij promovendæ loquebantur, non obliti nihilominus aculeorum contra Cardinalem, & circumscriptionem domus Regiæ insinuando. Post aliquot voces veteranus Nuntius Szymanovius, Tribunus Varsaviensis loqui cœpit, multis deducendo hanc dismembrationem nec inter ordines factam sapere inversionem status; in conclavi Nuntiorum nullam esse activitatem nisi solo respectu læsi honoris Mareschalci Nuntiorũ, & in persona ejus oppressæ liberæ vocis, cætera sibi non placere. Proclivior

Negat Primas se id dixisse Episcopo Vladislaviensi

Regina tamen id resciens abiit Varsavia

Szymanovii votum

A.C.1696 clivior est usus in peiora. Quod confœderatio Generalis in hoc Conclavi, absente intermedio ordine, & tot Nuntijs (quia & hic sicut in primitiva Ecclesia videmus qnosdam esse cum Iudæis, quosdam cum Apostolis) præcipuè Palatinatuum Majoris Poloniæ, qui collegialiter in conclavi Senatorum manserunt: Hæc novitas maximè esset nociva, si in hac dismembratione aliqua formari deberent consilia, quæ alibi junctis simul ordinibus tractari solent & debent.

Succamerarij Vysʒogrodensis. Locutus post Succamerarius Vyszogrodensis & indoluit tantæ vicissitudini exaggerando iura libertatis, quæ sibi vendicat omnem zelum, ad sananda vel minima vulnera, dispensatq; cives ad arripienda ibi media, ubi facilius provideri possunt. Reduxit in memoriam consessus & confœderationes Andreiovienses & alias scissiones probando quòd non sint nova inter ordines dissidia.

Episcopus Livoniæ permovet Nuntios ad unionem. Dum hæc aguntur venit Episcopus Livoniæ in virtute jam conclusorum privatim punctorum à Cardinali Primate, ad conclave Nuntiorum deputatus zeloséq; ut solet locutus, incusando hanc dismembrationem quæ vix jam non ultimam Patriæ minatur ruinam. Si distingvimur, extingvimur. Excusabat pòst actum Cardinalis, qui credit nec ex claritate dignitatis, nec ex purpuræ & Tyaræ fulgoribus, nec ex titulorum pompa, tantum dedecus colligere, quantum gloriæ proventum ex conservata libertate posteris. Et quòd nullam intendebat læsionem Personæ Mareschalci Nuntiorum, nec acceptæ vocis in præjudicium Mareschalci Regni. Utriusque ergo data competenti satisfactione invitabat Nuntios ad reunionem; rotam circumagens, ut animos & transversum raperet, & rapuit. Tunc enim publica expectatio consensit in plausus, faustaque admurmuratio, palàm circumvexit, dum propriam domuit arrogantiam, dum toties nominatum in conclavi fastum in triumpho duxit & in victimam obtulit. Et Mareschalcus requisitis sensibus omnium Palatinatuum condignè respondit quod sicut non pullulat verus honor ex inani pompa, & ambitu, sic ille honorem suum & vitam propriam immolare sit paratus bono publico, & quod gratè accipiat has fascias, quæ ligant & sanant læsæ libertatis vulnera. Audiebantur multæ voces Nuntiorum, quasi majorem requirentes satisfactionem, sed quando omnes quasi Senatores abituros se ab eis declararunt cessavit murmur & discordia. Dum ergo quæsissent an consentirent in reditum ad conclave Senatûs, unanimis fuit consensus. Quod diu voluimus, posse debuimus, sed his conditionibus. Ut Regina ad Arcem Varsaviensem non rediret. Ut domus Regia circumscriberetur. Ut voces Nuntiorum Terrestrium, non impedirentur in Conclavi. Ut post concordiam utriusque Conclavis de nulla re alia agatur in publico, nisi prius confœderatio Generalis componeretur. Ut nullæ objiciantur difficultates, quando sermo incidet de circumscriptione Domus Regiæ & prætensionibus ad eandem. Ut Cardinalis Primas circularibus suis literis invitet totam nobilitatem ad electionem futuri Regnantis. Acceptatæ conditiones, & Episcopi Livoniæ gloria fuit, quòd nuntios isthinc ubi sine intentione exeundi fluctuabant extraxerit. Ita Respublica Nostra cum jam quasi cecidisse videretur, non collisa, quia Dominus supposuit manum suam & ita spem bonam civium animis reduxit Deus, ne deploratam planè rem Polonam putarent. Locutus est post Mareschalcus Magnus, asserendo se semper veneratum fuisse & venerari Personam Cardinalis & non ex aliqua privata offensa denegasse se ei vocem, sed ex ipso officio, & in fundamento eo, quòd jam cessaverat activitas per abitum tot Nuntiorum Terrestrium, non tantâ igitur præsumptione utendum ut sibi soli plùs, quàm cæteris omnibus

tribuat

tribuat authoritatis, & omnes sui inveniet cultores. Utrumque ergo Conclave die jam ad vesperam inclinante separatum est. *A.C.1696*

Et ego promissor brevitatis, jam teneor esse prolixitatis exhibitor. Non enim possum, quæ audio, quæ video, non scribere, cum nihil tibi vel si velim, celare queam. Vale & ut diu terris luceas, meum est & omnium bonorum votum.

XIX.

CARDINALI BARBARINI,

1. Octobris.

Insinuat rupta esse Comitia, præcipuè urget cum electione Regis properandum, modumq; suggerit exolvendis militibus sine aggravatione pauperum.

Quantum me delectarint literæ tuæ, quæ plenæ sunt humanitatis & benevolentiæ, facilius tu Eminentissime Princeps colligere quàm ego explicare possum. Meretur hoc animus in me tuus tot hactenus experimentis mihi cognitissimus, ut eum conservare nitar non meritis quidem, quæ nec in me sunt, nec à me præstari possunt, sed perpetuo cultu, & magni nominis veneratione nunquam intermittenda.

Cum verò tanquam solicitum nostri libenter te legisse jam scripta, & omnino velle video, ut quidquid accidit novi, faciam ut scias, obediam libenter.

In primis ergo defero quòd nos circumdederunt mala, quorum non est numerus, quòd res maneant & ferantur illâ viâ, qua cœperunt, id est pessima. Nuntiavi jam quòd attonitus super repentino casu, & certè miratus es de inopinata equestris ordinis à Senatu separatione & de medijs conveniendi iterum adhibitis, nunc tam tutâ certitudine, quàm nulla veritate, ad ea quæ subsecuta sunt accedo.

Venit tandem vigesima Septembris ad executionem conclusa concordia. Conclave Nuntiorum accessit Senatoribus. Cardinalis Primas reconciliatus utriq; Mareschalco. Prolongatio Convocationis permissa, de medijs solvendæ confœderationis militaris diu infirmiter tamen sudatum, propter diversitatem sententiarum. Exercituum Duces inter se mutuo & Thesaurarij cum Eminentissimo Primate compositi; Mareschalcus Magnus casu an consulto eunti ad Senatum obviam venit Cardinali, & illic post factas contestationes mutuas reconciliatus. Mareschalcus Nuntiorum ad sedentem in stalo suo Primatem accessit & justificationem, simulq; satisfactionem dedit & accepit & in publico prius Mareschalcus certum reddebat Cardinalem, quòd non verbis sed factis particularem inclinationem suam in obsequia Cardinalis testaretur. Qui postea utrique Mareschalco civilissimè respondit. *Nuntij accedunt Senatoribus.*

Feci pòst ego relationem actorum cum ablegatis confœderationis & nullum superesse aliud medium fortiter asserui, nisi ut quantocius paratâ pecuniâ aliquam partem debiti Militiæ exolvamus. Quærebantur ergo media acquirendæ pecuniæ in eum finem. Iam cessura bene

O 2 omnia

*A.C.*1696 omnia sperabamus, sed omnia irrita & vana fuerunt, cum improborum consilia impediverint omnia media quæ ad hunc finem collimabant. Inter alia verò pro satisfactione facienda exercitui confœderato fuit propositum, ut Oeconomia Samboriensis in summa duorum millionum invadiaretur, cui propositioni obstitit Referendarius Regni dicens: certa media esse in fronte plausibilia in exitu vitiosa, non videbatur ipsi invadiandas esse Oeconomias, ne Princeps futurus egeat. Insuper si futurus Regnans erit externus & proprio ære insistendo pactis conventis redimet eam, variæ inde (ut est evidens & certum) subsequi possent consequentiæ. Aliud autem propinavit medium ut scilicet illæ summæ quæ pro pane hyberno (uti vocamus) solvuntur exercitui, cedant in solutionem deservitæ mercedis, & consistentiæ pro hyeme in spiritualibus & Regalibus bonis concedantur; sed hoc medium multis non placuit, præcipuè autem statui Ecclesiastico. Certabatur ulterius multis verbis ut possemus crescentem extingvere flammam impediendo quorundam vicinorum Nostrorum studia, qui nos vellent esse inermes, ut facilius lædant. Cum autem Nuntij Poloniæ Majoris nullam aliam materiam tractandam permittere vellent, alij autem Nuntij tanquam ex arte diversas arriperent, unus ex illis Capitaneus Borzechoviensis Potulicius, videns, quòd id non sine mala intentione agitaretur, exivit cum protestatione, non ut rumpetet actum præsentem, sed ut devios in rectam viam reduceret, quo prætextu illi, qui rumpere convocationem hanc volebant, ut Mareschalcus valediceret, urgebant, sed dum dictus Borzechoviensis Capitaneus rediisset, activitatem restituisset, inventus est alius ex Palatinatu Czernichoviensi Nuntius Horodinscius, qui supremum obicem consilijs publicis posuit, & filum præcidit bonæ spei, declamata protestatione contra prolongationem Comitiorum convocacialium, qua vetante non potuimus quidquam loqui. O! quæ dolori verba sufficient nostro, cum sua quemque moveant & publica dolorem Omnium Patriam amantium, verba nihil aliud fuerunt, quàm eadem mens quæ nostra, ingeminando sæpius: Iupiter ut ferus qui horum est causa malorum! Fortunam jam acusare cœpimus quæ talem rerum eventum voluisse credebatur. Cæterùm si re statim auditâ Cardinalis contra callidas machinationes animadvertere voluisset principio; fortasse deceptus non fuisset. Sed de his non dico per singula solicitè curando, ut rectè tractem verbum veritatis. Scribo tibi præcipuè Princeps Eminentissime corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Miratur quis, quod qui monetam adulterant capite mulctentur, & non miratur quod ijs qui totam Rempub: adulterinam & infidam reddunt, dicendi fiat potestas. Nonne melius perire unum quàm unitatem.

Rumpuntur comitia

Convenimus in crastino hoc est die 27. Septembris ad Senatum, sed de abitu Horodinscij non sine ingenti dolore rescivimus. Tunc planè verificabatur illud effatum: Parvæ curæ loqvuntur, ingentes stupent. Diu enim altum fuit silentium, & cum nulla affulsisset spes restituendæ activitatis, & multi invenirentur bene poti, visum est Cardinali (exaggerata prius infelicitate Reipubl. quòd per diffidentias in consilijs succumbat suis) solvere Sessionem.

Non multis agendum erat, ut causæ ruptæ confœderationis revelarentur, passim spargebantur; quæ non aliter se habent, abscondi non possunt, quamvis alij ineptas esse & aniles fabulas putabant, quòd metus confœderationis occasionem præbuerit, ut in ea convocatione circumscriptio Domus Regiæ & prætensiones ad eandem Domum includerentur, & ideo ruptam fuisse. Quod quidem quanto cum periculo illorum

lorum qui fecerunt, factum fuerit, tu pro tua prudentia facile judicabis. Cum ex natura mea non inveniar unquam in sermone adulationis, laudare hæc nullatenus possum, quia quod est per se turpe, Domui Regiæ indecorum est. Sexcentos Imperiales Horodinscio datos asseveratur. Ingenium ejus semper (ut fertur) ad similia flexile. A.C. 1696

Vigesimâ Octavâ ejusdem convocati à Primate ad Conclave ordinarium senatûs fuimus, & ab eodem invitati ad componendam Generalem Confœderationem, quod unicum restabat medium, ut ruptâ Convocatione non rumpantur ordines, quin imo per hanc confœderationem, quæ est tanquam unicum medium sanandarum diffidentiarum colligemur, coagulemur. Per hanc enim providebitur securitati tam internæ, quàm externæ. *Confœderatio instituenda.*

Lecta est ergo Confœderatio jam à nobis in ædibus Cardinalis Primatis combinata à Pokryvnicio Cancellario Gnesnensi & Regente Litvaniæ, quoniam Mareschalcus Nunciorum cessante activitate suâ per ruptam Convocationem deposuit directionis suæ Ministerium. De tempore Convocationis multa & longa fuit disputatio, ego essentiale hoc punctum conservandæ integritatis Reipublicæ esse credidi multisque rationibus accelerationem electionis persvadere intendebam. Fidelis sermo hic & omni acceptatione dignus (sine vanitate dico) esse deberet; nam illum neque erubesco, neque erubescam unquam, neque ea quæ à me publicè dicta sunt, non dicta esse vellem, quia hæc è Republica esse iudicavi.

Sed prævaluit sensus aliorum utinam effectus non probet quæ ego prævideo. Declaratum ergo fuit tempus post innumeras controversias Decima quinta Maij dies instituendæ Electionis condicta, ut sonant circulares literæ Cardinalis. Plura fortasse de ijs & accuratius scriberem nisi mihi hæ literæ magna cum festinatione finiendæ essent. *Tempus Electionis*

Et sic September desiit lugendúsne magis an laudandus? Octobris pariter imaginem si vixero habebis. Et cum mihi jam pridem adempta ac præcisa spes sit omnis, quidquam excogitandi, quod tuis erga me innumerabilibus meritis ulla ex parte respondeat, nihil restat nisi ut finiens hanc cum Homero voveam longævam tibi Eminentissime Princeps Valetudinem. Dijque Deæque meis omnes attendite votis.

P. S. Non possum abstinere quin tibi Eminentissime Princeps transcribam sensum meum quem captato nuper opportuno tempore Reipub. in publico consessu proposui in materijs hic & nunc necessarijs, inter alia de tempore Electionis, quam qui bene sentiunt & bene volunt Reipub. ante hyemem svadent, alij qui ut diutius dominentur & philacteria sua dilatent, alij ut proventus sub interregno diutius quoq; teneant, alij demum ut maius spatium conveniendi cum candidatis habeant, diversi sunt sensus & jam deterior pars meliorem vicit. Dixi ergo hæc formalia·

„ Quicunq; vellet maturam reflexionem super præsentem Statum „Reipubl. Nostræ facere, succedantne, an concurrant infortunia, haud „facile decideret, & hoc ipsum facilius plorando, quam loquendo. Pro„rumperent quippe lacrymæ antequam verba. Non describo coram sci„entibus circumstantias, cum omnes sciant, quòd veros imperet planctus „jacturæ magnitudo. Perdidimus Regem, qui ita Patris, ita Domini miscebat officia, ne alterutri deesset, aut obesset. Amisimus hunc Regem, qui viscera sua in usum Patriæ nunquam clausit, sæpius effudit. Extinctus in oculis nostris expletâ mortalitate hic Rex, qui ita Maximus e- *Properandum cum electione.*

A.C.1696, rat, ut Optimus quoque haberetur. Non exaggero dolorem, qui cujusvis occupat cor qui considerat quod laborent in ruinam Nostra fata. Non eo in Panegyres demortui Principis, quas æquitas postulat. Meruit enim tantum, & obligationes meæ sincero affectui junctæ requirerent. Relinquo id Historiæ quàm paro, ibi devotam Regi meo mentem procul ab omni assentatione, ipsissimam exprimendo veritatem, fusius sine præjudicio pretiosi temporis monstrabo palamq; faciam, quòd & post fata plus amem eum, qui dedit, quàm quod dedit.

„ Accedo ad Propositionem Cardinalis Primatis in literis suis universalibus propinatam & imprimis ex statione mea debitam eidem testor gratitudinem, non tantum pro solicitudine quæ est incomparabilis circa bonum publicum & inimitabilis, sed præcipuè pro eo, quòd in primo statim puncto hoc instanter, instantius, instantissimè recommendare non desistit, quod debet esse fundamentum & objectum curarum Nostrarum unde spes felicitatis Nostræ, utinam sanè tantum Primatiali authoritati, & animadversioni deferamus, quantum ipsa necessitas cogit, bene eum sequuntur omnes, qui ducit omnes bene. Certus sum & sperando firmiter, & credendo constanter, ejus exactam circa emolumenta boni publici diligentiam non fore vanam. Videmus enim plus in corde ejus, antiqui Poloni candoris quàm purpuræ in veste. Spectamus quod sine intermissione impendit se & superimpendit prosperitati & posteritati. Utinam ad vota, & ad pijssimas intentiones omnium bonorum præsens convocatio absolvatur & ut alij actus subsequentes feliciter succedant, ut sint similes illis in sacra litera expressis. *Convenitq; universus Israel ad Civitatem quasi homo unus eadem mente, unoq; consilio.* Alteram bonus quodam Dominus cordis iubilo decantabat in Sion; *Principes Populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Utinam dico iterum, quia optare non desinam unquam, utrumq; hoc in convocatione præsenti verificari possit. Ut ante omnia congregati cum Deo non novo agendi modo (modam vocamus nos Poloni) superficialiter Patriæ serviamus verùm attendendo ad Petram, de qua excisi sumus Polonorum antiquorum more & ritu cum Deo Abraham, ut antiqui illi Patriarchæ, avi, avitæque Religionis Præcessores Nostri non ad speciem, sed fundamentaliter, non disertis & compositis verbis sed solidis Consilijs juvare nosmetipsos velimus & possimus, Nonne ita egerunt Patres Nostri? legamus in simili casu præteritarum ætatum acta, coibant statim, scribebant Confœderationes in ordine ad salvandam Religionem, ad sustinendam Remp. Providebatur securitati externæ, & internæ, si fuisset aliquis qui liberam Electionem impedire voluisset, pro hoste declarabatur, propalabatur. Omnis in eo cogitatio, ut gloria Dei, leges, æquitas, aurea libertas, caræ indemnitates, publicum bonum, fama Patriæ, in integro manerent. Cum DEo Abraham qui ambulavit in vijs Domini rectâ viâ non semitis procedendo.

„ Inspiret proinde D. Deus eam nobis Omnibus mentem, avellat & abstrahat à privatis commodis de quibus nec somniare quidem etiam inter pulvinaria DEorum antea licebat. Secuti sunt privatum interesse, particularem gustum primi Parentes Nostri. Quid postea subsecutum? cognoverunt se esse nudos Longè diversum exemplum ipse barbarus reliquit Nobis paganismus. Non cognoscebant altaria Romana illa vota quæ non fuissent pro communi bono Dijs sacrificata. Inter frequentes & continuos ignes, qui diu noctuq; coram Iove Statore lucebant, sola & unica circa bonum publicum Religio eminebat, quidquid privati affectus odorem alebat, ingredi inter thura publica nunquam poterat. Nemo-

,mo suo privato nomine Capitolino Jovi votum solvebat omnia pro Patria *A.C.1696*
,dedicabantur. Cunctis bonum publicum, & in corde & pro meta e-
,rat. Cur ergo hoc exemplum tam clarum, tam imitatione dignum
,nos non movet? Filij sumus Reipublicæ & hæc Mater, hocce tem-
,pore audacter dicere possumus, ex Nobis ipsis nascitur, ex nobis
,componitur, expectans consolationem suam, Mater me genuit, ea-
,dem quæ mox gignitur ex me. Infirma, debilis cuivis ex Nobis di-
,cit: *Fili mi omnia mea tua sunt.*

,,Æterna spientia verbo tam pulchram & magnificam mundi
,Machinam produxit, verbo virtutis suæ conservat. Venit iam tem-
,pus, quo Nos & conservare & perdere, avertat DEus, Patriam No-
,stram vocibus nostris possumus, si more Græcorum, qui lingvâ, non
,Romanorum, qui corde loquebantur, id non cogitabimus, ut possi-
,mus ædificare domum, in qua, ut quondam arca Arca Domini qui-
,escebat, ita libertas Nostra securam suam inveniat quietem,? non
,attrahamus contra nos justam indignationem antiqui Ecclesiæ Do-
,ctoris: Tota rerum natura deperit bonum commne, Nos miseri
,toto ingenio & facultatibus à Patria acceptis adversus eam decer-
,tamus, si prioribus temporibus publicum maluimus videre disordi-
,nem, quàm privati alicujus desiderij Nostri contrarietatem; si pri-
,us potius invenisses frumentum sine arena, vitrum sine macula,
,aquam sine luto, quàm Consilium sine proprio emolumento. Tan-
,tùm ex malis publicis sentiebamus, quantum ad res privatas
,pertinebat; si prius præferebatur libertas in ore, sed non in corde.
,Si prius pane hoc quo nos impingvavit Patria Nostra, contra illam
,spiravimus & illa in caput suum, ut quondam Annibal cecutam ale-
,bat, cum lachrymis tot miserorum hominum, cum planctu tot
,pressorum fratrum, cum suspirijs tot Civitatum, & Villarum, ad
,incitas redactarum. Plangerent certè ipsi cineres Antecessorum No-
,strorum oculos si haberent, exaltavi te, & tu fecisti tibi Deos alie-
,nos, quia sua cuique utilitas. Demus initium meliori consve-
,tudini Congregati sumus nunc in hunc locum, ut charam Patriam
,vix jam spirantem in communi periculo salvemus. Ergo agamus id
,non ementito boni publici zelo, non includamus in coopertam
,publicorum commodorum privata nostra, omnes discordantis ani-
,mi motus in partem retrahamus, saluti publicæ auxilium, non
,impedimentum afferamus. Fuit in Arca Noe concordia, quanquam
,inter tot inimica subjecta. Quare? quia erat viva apprehensio u-
,niversalis tunc totius mundi ruinæ. Audiebant illa occlusa anima-
,lia lachymas, planctum, ploratum, ululatum pereuntium inter a-
,quas hominum, arripiebat, quicunque poterat arcam, sed fru-
,stra quia tardè. Videbantur natantia passim, & frequenter cadave-
,ra, & propterea saluti suæ intenta mirabiliter illa concordabat in
,Arca multitudo, naturales suas passiones, affectus, inimicitias obli-
,viscebatur. Nonne simile quid & apud Nos invenitur? Abstineo
,ab odiosa narratione, sufficiet dum dicam, quòd simus similes ijs,
,de quibus nuper legi: Nihil sciebant, quid cum illis deliberaret for-
,tuna, nihil quid agi deberet, nisi quod omnia pessimè agerent. Non-
,ne in hoc Nostro disordine accidit, ut non tantum nesciamus,
,quid agatur in Patria, sed an ipsa Patria perstet. Comitia, non
,dicas Comitia, pudet enim illa eo Nomine vocare. Excisæ leges

quondam

*A.C.*1696, quondam in lapideis tabulis erant, quia cereæ non debent esse, ,ut cito molescant, & defluant, sed sculptæ. Quomodo vocabimus leges ,Nostras? folia sine fructu, quia rarus est, qui illis obediat. Compara- ,vit eas optimè aliquis ad araneæ expansas insidias, in quibus minutiores ,muscæ incarcerantur, & fortiores rumpunt fila. Ad quid lex? ina- ,nis certe est, quam detrectat populus servare, Nobis certè verba illa ,scripturæ sanctæ directè conveniunt: *Nonne Moyses dedit vobis legem & nemo ex vobis facit legem.* Nunc ergo, ut jam dixi est tempus ac- ,ceptabile, ut demus initium meliori consvetudini, filum prioris abrum- ,pamus, Nónne bona consvetudo exuere debet, quod mala instruxit ,Nunc tempus salutis ut omnia, diligentiâ, non tantùm curativâ, ,sed & præservativâ corrigamus, ut totum id, quidquid vel amisimus ,fortunæ, vel admisimus infortunij in libertatibus & juribus emende- ,mus. Statuendum Nobis salubriter, cavendum providenter, memoresq; esse ,debemus, quod in rebus humanis sæcula & personæ intereunt, causæ & eventus ijdem recurrunt

,, Nunquam respublica ad sanandas infirmitates suas commodius & con- ,venientius habuit tempus, quàm illud, dum sibi relicta, libere & ma- ,la sua eloqui, & remedia propinare & providere potuit. Evolvamus om- ,nia statuta & Jura Nostra, & videbimus optimas legum Nostrarum In- ,terregnis Nos debere. Inveniemus, quòd nunquam magis libertati pro- ,spici potest quàm dum sine Principe sumus. Positis igitur alijs curis ad ,id potius vertamus animum. Pridie caveamus, ne faciamus quot pigeat ,postridie. Ante omnia tamen tempus Electionis decidamus, quia ante- ,quam hoc concludamus, errabunt consilia Nostra, quia non habebunt, ,quo dirigantur. Diversa certè res est, dicere sententiam, & consilium ,dare, si Electio non nisi primo vere erit, aut si citius, quia ignoranti, ,quem portum petit, nullus suus ventus bonus est. Et hoc est funda- ,mentum, super quod omnes aliæ materiæ inædificabuntur. Aut enim ,Reipub: placebit, ut quantocius etiam ante hyemem ad Electionem ac- ,cedamus, aut non? Si primum, tunc hoc casu cogitare debemus quàm ,primum circa exorbitantias, circa conscribendum ordinem futuræ Ele- ,ctionis, circa componenda dispositivè pacta conventa, ut mala prohi- ,beantur, præcipiantur bona, quia si totum id ad Electionem differemus, ,tunc sim falsus vates nihil inde erit, ob rationes, quas non audeo in ,publicum proferre, quia quandoq; incautus Confessor peccare docet. ,Legi acta præteritarum Electionum, & sunt bona, pulchréque conscri- ,pta, sed ad quid serviverunt? Conscribitur Ordo Electionis, & hic ad Ty- ,pographiam imprimendus datur post Electionem. Crederem proinde ne- ,cessarium, ut hîc & nunc de omnibus istis conferamus, & talem vel si- ,milem, ut ante fieri solebat, rigore juris adhibito conficiamus, Exorbitan- ,tias hîc & nunc corrigamus, pacta conventa sine mora conscribamus, ,quale Regnum & Remp: Electo trademus, tale recturus, & habiturus est. ,Et ita dum tempus Electionis veniet, cum sit actus privilegiatus pro so- ,la tantum Electione Regis, & omnia Consilia cessant, aut non bene fini- ,untur, ad executionemque deducuntur, ut Nos toties rerum magistra ,experientia docuit. Dum inquam tempus veniet Electionis post auditos ,legatos, tam vicinorum & amicorum Principum, quam Candidatorum, ,dum omnia parata erunt, quæcunque ad internam salutem pertinent, fa- ,cili negotio omnia procedent. Provisis enim quæ tempus & necessitas ,monet, sola tantùm restabit nominatio. Fieri autem hæc omnia & præ- ,parari facile poterunt, modo inter Nos sit mutua confidentia circa tem- ,pus Electionis, votum meum & sententia mea concordat cum multorum

Palati-

,Palatinatuum & Districtuum instructionibus, ut Electio ante hyemem A.C.1696
,adhuc expediatur.

,Esse potest, quòd in tanta luce alium singuli videant solem.
,Deprecor contrarium, & magis pro interesse Reipublicæ eligo, ut
,ex integro ruentem omnino sublevantes ex tarditate pericula vi-
,tare possimus. Liberum est cuivis pro suo genio loqui, pro voto
,sentire. Ego non indecorum puto, etiamsi res aliter cadat, & ali-
,ter Reipublicæ visum fuerit, nec vanitatis famam metuo, quando-
,quidem id ipsum videtur; verbo, sentio, non pugno.

Ne verò videar absq; rationibus loqui, quæ ad persuadendum
,faciunt, non ad extorquendum, brevibus illas complector, quæ non
,persuaserunt, sed convicerunt & me ipsum ad id consilij dandum.

Omnia Regna & Imperia eo modo reguntur, quo suprema illa,
,cui non licet contraire, ducit dispositio. Non memoro hic abso-
,luta Dominia, in quibus præsumptivi hæredes simul cum vita in
,possessionem veniunt Imperiorum. De Polona loquor Republica
,quam DEus ex tribus Ordinibus compositam esse voluit, & à tan-
,to tempore mirabiliter, & miraculosè, quia in tanto Nostro disor-
,dine conservat. Non est igitur ejus voluntas, ut diu sine primo
,ordine maneamus, si fatiscentes Patriæ spes, & attritam ejus for-
,tunam volumus sublevare.

Non dormit securè Regnum, nisi Princeps excubet. Dum no-
,bis deest Rex, nec externæ securitati tantum, quantum necesse es-
,set, nec internæ providere valemus. Externa securitas consistit vel
,in bello, vel in pace cum vicinis. Habemus bellum, cœpimus,
,ut proverbium Polonum sonat Scytham, videtur esse in Nostra po-
,testate, & tamen duci se à Nobis non vult, imò retinere nos vi-
,detur. Per experientiam patuit non bene constare belli rationes,
,nisi cum uni redduntur, & periclitari omnes, ubi plures regere,
,quàm obsequi cupiunt.

Quomodo ulterius prosequi cum fructu volumus bellum in hac
,tarditate, & mirabili renitentiâ exsolvendorum tributorum, quam
,maxime Dominans paupertas causat, & in hoc disordine nescio an
,poterimus unquam illud finire, & prosequi, nisi Regem habeamus
,sine quo nihil auspicati geri, tot ingentibus damnis præteritis sæ-
,culis Respublica sentit. Si proinde nolumus esse & foris inglorij,
,& domi inutiles acceleranda Electio prævalente in tranquillitatem
,publicam voto, ut Rex de bello cogitet, consulat, ducat illud non
,trahat. Quod multi curant, nemo curat, nisi velimus illa pericu-
,lorum inconsultò arripere remedia, si non intelligantur.

Ibitur obviam omnibus hisce rebus, ubi idoneum Electio Nostra
,invenerit. Si Regem jam coronatum primo vere haberemus, in-
,iret modos aut boni belli, aut stabilis & utilis pacis. Novis au-
,spicijs, ut fieri amat, saltem acribus initijs vellet sibi famam pa-
,rare; cogitaret, ut lapis offensionis finis forsan & fructus unicus
,tam dispendiosi belli per receptum Camenecum revolvatur. Unde
,ex equo Trajano tam frequentes erumpunt hostilitates. Optaret &
,desiderij sui explendi quæreret modos, ut conciliet sibi affectus ad
,intra, subditorum famam, & reputationem, ab extra aliquid gene-
,rosi ex illa parte faciendo, in alios se reflectendo, quorum intenti-
,ones tam pro Nobis retinere bonas, quàm contra Nos repellere
,malas conveniens est.

A.C.1696 Conservaretur per hanc celeritatem securitas externa; Nam ces-
,sarent periculosæ concurrentiæ pro acquirendo hoc Nostro pomo.
,Si pax concludetur, quæ est satis vicina in Christianitate, nolo lon-
,gius me extendere, quid fieri possit contra Nos adversi, & vellem,
,ut nihil dicendo possem id explicare, ad quod satis claræ videntur
,apparentiæ.

Si liberam per omnia optamus & habere desideramus Electio-
,nem, si salvam Rempublicam volumus, in similibus actio in cele-
,ritate consistit, assequimur omnia, properando; verendum, ne a-
,mittamus cunctando.

Conservaretur & interna securitas, quia ultra id, quod utilita-
,tis specie illabantur candidati, quo diutius de illis cogitabimus. Ju-
,stitiâ stant, & durant Regna, bellicæ occupationes, debilis vale-
,tudo sub finem Regni S. memoriæ Regi non permittebant tantum
,ut necesse fuisset vacare judicijs.

Manserunt tot causæ non decisæ & ex deliberatione sunt ha-
,ctenus dijudicandæ, facile his mederi poterit futurus Regnans, si
,is eligetur qui se serio ad officium suum exercendum applicabit.
,Tribunalia & reliqua judicia reassumentur. Vacantia officia tam-
,diu cum magno præjudicio etiam justitiæ detenta & non distributa
,cedent bene meritis. Promptior Exercitui satisfactio, cujus dimi-
,nuere numerum omnino expediret. Melius enim, ut sit numero
,minor & certior. Habemus numerosum, sed in papyro & nihi-
,lominus secundùm illum computum solutionem suam expectat.

Dicere certè cogor tam liberè, quàm verè quòd mille sint com-
,moda acceleratæ electionis, & plus adhuc incommodorum dilatæ,
,quæ antevenire omnino expedit. Confœderata Militia magnam in
,Nobis excitare deberet apprehensionem, non tantum ut desinant
,hæc mala, sed ne Nos etiam obruant.

Celerior Electio salvare Nos potest à conspectu malorum, quæ
,Nostra tot per annos videt ætas, & liberare publicam expectatio-
,nem, effectu solari, dum citius evenient, quæ eventura optantur.

Confundentur sinistræ Exterorum de Nobis opiniones, quòd
,non simus concordes, dum monstrabimus, optimos citò convenire.

Quò diutiùs, Dominus etiam à privata domo abest, eò major
,disordo, eo copiosior multa resarciendi difficultas in reditu. Cur
,non esset nobis coram Regnaturo gloriandum, quod sine mora, si-
,ne dilatione eum elegrimus, non imitando pessimos illos bonorum
,Administratores, qui serò vel nunquam proprium Dominum vide-
,re vellent. Cur non accedimus citius ad hunc Regem, quem No-
,bis DEus ab æterno destinavit, Nostram & illius inter spem anxi-
,am non retinendo fortunam.

Quò diutius parentes in ædibus suis divitem tenent Hæredissam,
,eò plures numerant Procos, & vidimus frequentius accidisse, eam,
,quæ diu & cum scrupulo quodam multis rejectis elegit, deceptam,
,pessimum non optimum invenisse.

Satisfaciemus accelerando necessitati publicæ, temporibus peri-
,culosis, tædio & expectationi communi, si diu sine Rege, sine de-
,fensione, sine efficaci justitia esse noluerimus. Exprimit hoc ipsum
Kobierzycius Palatinus Pomeraniæ. ,Historicus Noster Senator dicens: Tædiosum sine Rege vivere, dum
,in libero Populo apud potentiores libertas in licentiam absente su-
,premo Rectore amat degenerare.

Provo-

Provocat Nos ad celeritatem amor Patriæ, quæ diu vidua sine *A.C.1696*
,sponso esse secura non potest, secundùm amantis Patriam ejusdem
,Senatoris sensum. Circumsepta est Respublica varijs Gentibus cum
,rapace manu paratis, datur occasio Universis absente Pastore po-
,puli, desolatum gregem opprimendi, qui vel libertati ejus invident,
,vel Imperium affectant. Deducit ille clarè & fusè graves in vici-
,nia potentias libero populo inimicas & concludit, non posse regi-
,men diu subsistere sine Rectore, nec præsentia periculorum reme-
,dia haberi absente medico, ac proinde, quicunq; prudenter ea o-
,mnia considerat, conveniet & cum illo, & mecum, tardum non de-
,bere esse consilium arctis in rebus.

Dum deest caput, membra omnia, & debilitantur & vivere
,desinunt. Negotia Nostra, difficultates tantæ, pericula inenarra-
,bilia caput desiderant, capite egent, sine quo corpus ægrè move-
,tur, vigorem ullum habere nequit.

In præsenti conjunctura sumus similes illis qui navigando vel-
,lent quàm primum videre, & accedere portum; quibus tardi ven-
,ti, & omnis pigra velocitas.

Concedit Nobis ex bonitate sua infinita Dominus DEus per di-
,ligentem Ducum Nostrorum utriusq; Gentis curam, quòd sit talis
,qualis in limitibus tranquillitas. Quibus ex Statione mea gratias
,refero immortales, gloria in potestate, & grata memoria rependet
,zelum & amorem in Patriam. Concedit inquam tantum spatij &
,temporis DEUS. Memores ergo simus, cui tempus est, tempus
,non expectet.

Scimus, & fortè cognoscimus omnes eos, qui concurrunt ad Coronam.
,Jam natus vivitque, quem Nobis DEUS destinavit, ergo haud diu pro-
,crastinandũ, ne ignorare videamur eligere, aut concordes fieri ut eliga-
,mus. Quin imo quare non possumꝰ gratificari ei,cui hic honor cedere debet,
,bis dat beneficium qui dat celeriter, cum præcipuè non desint Candi-
,dati, sufficiens est illorum numerus, ex quo per gratiam Dei habeamus,
,quem eligamus. Non sceptro digni, non huic Viduæ desunt proci,si, quod
,avertat Deus (& tamen vivente Principe nonnunquam factum scimus)
,incursiones Tartarorum solitæ & aliæ Paganorum hostilitates ingruerent,
,nonne sangvinem tot perditarum animarum de manu Nostra justus
,Iudex & vindex ex æquo requireret, si differamus hanc Electionem?
,Quia his incommodis & authoritate, & libertate facilius obviare potest
,Rex. Admittuntur multa tarditate quam res Nostræ, si unquam tunc præ-
,cipue nunc nullatenus ferre possunt.

,,Minima momenta Reip. gravia imò secura, nullâ invidiæ formidine
,dico, si hanc rem serò fecerimus, omnia opera serò faciemus, quia un-
,diq; oblatæ occasiones propera & diligens vicinitas nutantes in hanc vel
,illam partem quod in varietate liberi Populi esse solet, videndo animos
,tamdiu de Nobis imò contra Nos cogitabunt, quamdiu Nobismet ipsis
,providere cunctabimur. Quare ergo volumus mala, quæ nos & vince-
,re & obruere possunt. Jam est notatus in cœlo, qui in hoc Throno ses-
,surus, qui liberæ Genti cum Ordinibus conjunctim jura sit daturus: Qua-
,re ergo resistere volumus voluntati DEI, & pertinaciter, quod ab æter-
,no constituit.

Considerandum insuper, spatio aliquot Mensium summam injuriam
,Reip: imminere, quis enim hic tanto tempore residere volet. Exercitus
,licentiosus, ut solet, in visceribus vivet, si ad ver Electionem differemus

A.C.1696 ,Verùm quidem eſt, quòd non longum videatur tempus ad primum ver,
,ſed videtur parum eſſe, noſtrum ſi perdamus in tempore, quando cui-
,que audaci & potenti ad perverſa conſilia campum aperimus, cum un-
,dique circumſtent pericula, ſi conſiderentur.

Dicitur ergo quod tempus ſit nimis breve, jam in menſe Septem-
,bri verſamur, venient frigora, campus electoralis erit incommodus,
,convocatio non citò finietur, ſi bene finiri debet. Ubi præliminaria an-
,te comitia Electionis? Pons in viſtula, & alia præparamenta quomodo
,fieri poterunt &c? Brevibus ad hæc, quod ſentio, quodq; complures a-
,lios mecum ſentire ſcio. Temporis imprimis ſatis eſſet, ſi illud in ma-
,terijs minus neceſſarijs, per quæ clam tacitum tempus abire ſolet frequen-
,tius non tereremus. Faciamus, ut incepta non relinquantur, relicta non
,repetantur, tunc illius ſatis, ſuperq; habebimus. Incipimus unam materiam
,non eam relinquamus, donec finiatur; aut enim conſenſus omnium e-
,rit, tunc habenda tanquam concluſa; aut non erit, tunc dum evinci non
,poteſt per rationem libertatis vetandi, relinquenda, nec de ea amplius
,loquendum. Lazarus non reſuſcitandus, Jericho non reædificanda. Bene
,ille: ſi me nolueris per devia ducere, celerius ad id quo tendo, perveni-
,am.

Loquamur tantùm preſsè de eo, quod maximè nunc ad conſervati-
,onem Univerſi pertinet, agamus conſilia, non trahamus, applicemus nos
,ad ea unicè, quæ ſunt boni publici; ſit inter nos mutua & perfecta cha-
,ritas & confidentia, tunc certè hæc Comitia Convocationis non jam
,eo modo, ut legimus factum fuiſſe, ante Electionem Stephani Regis,
,quia illa intra unum diem terminata eſt, ſed intra tres hebdomadas
,terminari poſſet, & terminari bene & ordinatè. Providerentur, uti pro-
,videri debent omnia illa, quæcunque ſunt ad Electionem neceſſaria. Et
,ita cum omnes materiæ hic & nunc trutinatæ & concluſæ fuerint, po-
,terit ad initium Novemb. incipi, & circa Feſtum S. Martini Electio
,finiri. Non enim habemus legem poſitivam, ut ſex ſeptimanas durent
,Comitia Electionis, imò ſunt præjudicata, quòd duraverint tantum tres.
,Pro equis commoditas major, & melius eſſet pro publico Nobilitatis mo-
,tu, facilius enim hæc congregaretur, ſufficiens fœnum, avenæ leviori
,pretio, & alia ad commoditatem neceſſaria venirent, commoditas ma-
,jor. Utiq; Chocimenſe prælium eodem plane fuit tempore, & crede-
,rem hoc anno commodius adhuc fore, pluvioſa erat æſtas, Deus dabit,
,quod & Aſtrologi promittunt, Autumnum diu ſerenum. Si verò frigus
,ingruerit, calefaciet Nos zelus in publicum, melius eſt unâ & alterâ ſe-
,ptimanâ ferre aliquid incommoditatis & longiorem publico providere com-
,moditatem.

,, Grave erat Majoribus Noſtris bimeſtre Interregnum, antiqui mo-
,res, & conſvetudines, quoties ita bonæ ut hæ ſunt, in pretio eſſe debe-
,rent. Nam certitudini eorum non opinio, ſed experientia ſubſcripſit. E-
,lectio Stephani deſtinata fuit pro quarta Novembris, Electio Vladislai
,finita Octava Novembris, Electio Caſimiri terminata 17 Novembris. Cur
,& Nos ſecuturæ ætati monſtrare non debemus, quòd ſicut cunctas a-
,more Patriæ leviores ponimus curas, ſic aliqua incommoda ob amorem
,Patriæ ferre, & ſufferre velimus, cum præcipuè non ita ſit res operoſa
,volentibus. Si pons in Viſtula & domus illa, ut vocatur Szopa procom-
,moditate Senatorum, moribus Antiquis tam citò ædificari non poterunt,
,quanquam nota omnibus & exemplaris dominorum Theſaurariorum a-
,ctivitas, facile id quoquè promittit etiamſi transfretare Viſtulam in ſo-
,litis navibus deberemus, modò ad portum feliciter perveniamus, utiquè
& ven-

„& ventus dum directus non est, captatur obliquus. Quantum ad Szo- *A.C. 1696*
„pam illam pro senatoribus attinet, Electio Stephani, & Sigismundi, sub „papilionibus absoluta. De Electione Stephani legimus in Historia. Erat „tempus anni alienum, & tractandis consilijs sub dio & papilionibus in„eptum insuper, si aliquis esset, qui intemperiem cæli vereretur, memi„nerit monitum Democlis; vide ne dum cælum consideras & times, ter„ram amittas.

„ Cæterùm cur omnes materiæ ad Electionem pertinentes non de„berent in Ecclesia aliqua absolvi ex consensu Reip. quæ est sui Domi„na & Arbitra, & ipso die Nominationi destinato in campo Electorali „more Majorum compareremus. Admittuntur quædam mala minora, ut „propellantur majora. Quælibet statio tempestatem fugientibus pro por„tu habenda est, id agnoscendo esse legitimum (verba sunt utique legis „Nostræ) quidquid pro salute agitur Reip. quæ sola & hominibus & tem„poribus dominatur. Ut ergo secundùm confœderationis Andrejoviensis „quasi Nobis præscriptum consultò præjudicatum exemplo Antecessorum „Nostrorum, libertatem & indemnitates Nostras & maximè hanc, quæ est „fons omnium aliarum, Electionem scilicet Regis in tanta temporis e„gestate manu teneamus, velimus tantùm omnes, & certè poterimus ac„celerare, si nos ad id unicum applicuerimus. Maledictus qui facit opus „Domini negligenter. Magna spes in Deo sita est, quòd per ejus grati„am adjuvantem in favorem nostrum opus suum agent fata.

„Quod reliqvum est, dixi quæ mihi coram Deo dicenda videbantur, „considerans plura esse quæ terrent, si differemus Electionem,quam quæ „prement, si illam acceleraverimus, si autem aliud Reip. toti videbitur, „in memoriam mihi reducens Apostoli verba, servum Domini oportet es„se docibilem, sensum meum pertinaciter urgere nolo, sciens bene quòd „non tantum ea consilia pro bonis habeantur, quæ approbantur & e„vincunt, sed etiam ea, quæ vel fato, vel infortunio dicentis improban„tur, modò amor, fides, & zelus pro Patria palàm fiat, ea protuli, quæ „meliora credo. Paratus sum & ulterius, si tempus & occasio foret, a„lijs etiam rationibus ultra jam expressas, disputationis ingredi campum.

Et ita quod ad tempus electionis pertinet dum pro sensu meo, & „publico bono dixi, accedo ad alia puncta & eâ, quâ possum brevitate, „quod in mentem venit, pro emolumento Reipublicæ suggero. Res „verbis explicari potest, non est longus sermo, ex quo nihil demi „debet, vel potest.

Exolutio Exercitui de necessitate providenda est in tantis & evi„dentibus periculis, quæ Nos undequaq; circumdederunt. Aman„dus miles & emendus, sed quomodo id in egestate Nostra facien„dum? Adhuc antiqua in præteritis Comitijs laudata tributa non „sunt exsoluta, & mirabilem quandam renitentiam in exsolvendis „videmus, & jam de novis cogitandum. Tantum debemus, & tam „egentes sumus, subditi Nostri, ut toties dixi, (res etiam physicè „impossibilis) non sunt pares exsolvendis & quamvis ad proportio„nem deservitæ Exercitûs mercedis hic & nunc laudabimus tributa, „verendum, & sicut ante rei non bonæ consuetudo pessima, Nosmet „ipsos fallamus. Ac proinde ex necessitate virtus facienda, si volu„mus, ut DEus Nos liberet ab omnibus periculis imminentibus, ut „talem Regem monstret, qui sit par oneri ut sub eo tempora feli„cissima redeant Vladislaviana. Incumbamus in eam curam ut in„sensibilem aliquam modo æqualem pro tota Polonia à pauperibus

Exolvendũ militibus sine aggravatione subditorũ pauperum.

A.C.1696 ,Nostris subditis exsolvendam constituamus contributionem, reliqua ,in nos & luxum nostrum rejiciamus. Non desunt nec deerunt ,media, ut hæc debita exsolvamus. Proposueram ego aliqua in ul- ,timis comitijs Grodnensibus; non enim alia hactenus habuimus, quæ, ,quia infeliciter rupta erant, dolui me proposuisse, cum audivissem, ,quod contra illi, qui privata commoda publicis anteponunt, se ,præparaverint. Rogo proinde, ut toties feci, Eminentissimum Pri- ,matem, ut ad resolvendam hancce materiam singularem destinet ,sessionem in qua unicè id tractetur, quomodo sublevandi sint pau- ,peres nostri subditi, quomodo exsolvenda sint aliunde tanta debita: ,ut conferamus ad referendum Reipublicæ semotis Arbitris. Venit ,in memoriam Leopoliense Regis Casimiri votum publicè in Eccle- ,sia Cathedrali in extremis Patriæ periculis oblatum, in quo, & ,Rex, & Senatus, (non erat enim tempus Comitiorum) in univer- ,sum se obligant, quòd pauperem populum nolint aggravare, sed ,ejus defensionem publicam capere. Vix hocce votum redditum est, ,& statim Dominus DEus benedixit, & suspirijs pauperis populi de- ,bemus, quod non fuerimus (à quo non longè aberat) protunc con- ,sumpti. Si similem desuper optamus nobis benedictionem, idem ,faciendum crederem. Cadunt in terram lacrhymæ paupe- ,rum & ex terra clamant ad cælum, & vindictam extorquent. Si- ,let lingva eorum, sed loquuntur oculi, & ex illis egrediuntur gran- ,dia vocis pondera ad aures justitiæ Divinæ, & sunt tanquam vapo- ,res, qui levant se à terra, & subito densantur in nubes, ignescunt ,in fulgura, cuduntur in fulmina. Contra aggravationes pauperi- ,orum (ubiq; enim potentiores evitant illas) ascendit clamor ad DE- ,um. Utinam sequamur exemplum illius Ægyptij Regis, qui redux ,ex bello feliciter gesto multa templa diversis exstruxit Dijs, omni- ,busq; inscripsit: Sine subditorum sumptu hoc ædificavi, & non i- ,mitemur illos, qui Cyreneum ad portandam Crucem coëgerunt, ,quia & hunc, ut nostri subditi, legimus venientem de villa.

,, Pro Artileria, pro conservandis fortalitijs, pro retinendis in obse- ,quio Cosacis, habemus in Historia nostra quomodo provisum fuerit in ,casu simili, quod scilicet quarta pars redituum mensæ Regiæ in stipendi- ,um militibus fuerit concessa, cum aliter hic & nunc non est mo- ,dus hujus sumptus inveniendi, quartam partem ex Oeconomijs Rega- ,libus impendere optarem. Utique in volumine legum reperiemus antea ,similiter factum fuisse. Etiam si citius (quod toties quoties insinuo me ,optare) eligeremus Regem, non posset ipsi esse grave, primo anno par- ,tem hanc redituum suorum commodo & necessitati cedere Reipub:

Quarta pars redituum mensæ regiæ impendenda

,, Ad exorbitantias combinandas, ad ordinem Electionis concinnan- ,dum, ad pacta conventa conscribenda, ad modum contribuendi inve- ,niendum, ad tractatum cum Exercitu perficiendum designandos esse ,deputatos iterum iterumq; dico,, quantum Exercitui debeamus, scimus, ,sed quantum solvendum sit ex æquo & justo, scire non possumus, nisi ,inter partes conveniat, Remp. scilicet & Exercitum. Quod, ut fiat quan- ,tocius optarem, ut, ultra alias rationes prementes, & indispensabiles re- ,gnare volens maturè se reflectat, quali summâ pro satisfactione Exer- ,citui indigentiam nostram sublevare velit. Inter alias enim pro Thro- ,no Nostro recommendationes & liberalitas Candidati non postremo po- ,nenda loco. Maturè id necesse est scire, cautè credere, & diligenter pro- ,videre, ne solo ostentatorio, & nudo promissorio seducamur, quod in simili-

,similibus fieri solet; plus scilicet offertur, quam affertur. Faciamus le- *A.C.* 1696
,gem sub rigoribus, nequis aliquid in privatum accipiat, ut quod divi-
,dere debeat inter plures publico cedat. Omnibus enim dabitur aliquid,
,cum publicas contributiones sublevabit, & in commune à Regnante obla-
,ta eant.

,, Optarem & id, ut convocationis præsentis tempus decidamus, & ,tanquam trabalem clavum ponamus non plus ultra, quia scientes de,terminatum tempus frustra illud non perdemus, nec otiabimur. Tu ,stas & tempus tuum ambulat. Sumere & insumere frustra tempus pec,catum est grave. Communis sententia & decisio Theologorum ad re,stitutionem eum cogit, qui illud à quolibet tacita subtractione surripit, ,restitutio verò est difficilis, satisfactio impossibilis. Quod ire non videmus ,ivisse cognoscimus. Quidquid verò sumptuum impendimus, quivis enim ,tempus suum amittit, tempus suum perdit ex lucro cessante, damno e,mergente cuilibet exsolvere deberet is, qui artem difficultatis didicit, & ,minus necessarijs Remp. occupat, & planè opprimit materijs.

,, Ne verò de frustra impenso tempore loquendo illud ipsum sermo,ne meo diutius occupem, ne factum arguam, & arguendo faciam, , differendo alias materias, cum ex ordine tractandæ venient, finio sup,plicibus ad Majestatem Divinam precibus, quæ in Diæcesi mea inge,minantur, ut misereatur nostri, potens enim est. Adjungo illas & ad , Cardinalem Primatem, ut eo modo, quo incepit, Regem non solicitu,dinem Regis abesse ulterius, ostendat. Omnes & eunctos ex vobis oro, ,precor, postulo, ut sitis memores gloriæ Dei, libertatis & boni publi,ci, ut in concordia & amore fraterno in consilijs ulterioribus proceda,tis, si vultis, & velle omnino necesse est, ut reliquiæ Israel salvæ fiant.

XX.

EPISCOPO CRACOVIENSI,

3. Octobris.

Refert votum Palatini Siradiensis de Confœderatione quoad certa puncta, & nonnulla acta post rupta Comitia.

QUòd admones, gratias ago, quòd rogas queror, admoneri enim debeo, ut sciam, rogari non debeo, ut faciam.

Rupta esse Convocationis Comitia per Nuntium Palatinatus Czerniechoviensis Horodnicium jam inaudivisti, nunc resolutionem, acceptam à Senatu & Equestri ordine ne Resp. tota per unius malitiam divisis præsertim invicem, neque pro libidine rei privatæ, qua quisque agebatur uniendis multorum animis, magnum & irreparabile pateretur damnum, itum est in eum sensum ut confœderatio Generalis uniretur. Summa & ultima ratio est quæ pro salute Reipub: facit. Pro malignitate temporis transire debet in necessitatem arbitrium. Multa dicta sunt pro & contra præcipuè verò an à Mareschalco convocationis præteritæ, legi & subscribi deberet. Hic enim sensus erat Palatini Siradiensis, qui eo modo dixit.

,, Si quod sæculum unquam, istud profectò quod decurrimus fidem *Palatinus Siradiensis Confœderationem ratam habet*
,illi facit diverbio: libertas libertate perit. Comitia Generalis convocationis
,sunt summum & maximum arcanum libertatis. Convocatio & con-
,fœderatio Regni ordinum indissolubili nexu connectuntur & unum ab

alio

A.C.1696 ,alio dissolvi nequit, ex natura status hujus Reipublicæ neq; aliâ ,intentione, quæ in positiva & Cardinali lege sita est, post denunti-*quoad certa puncta.* ,ationem defuncti Regis universi Reipublicæ Ordines eo loci conflu-,xerunt, nisi ut suâ convocatione & confœderatione stabilirent li-,beram Electionem, nimirum ut nullis obliquis artibus, nullo adver-,so legibus molimine, aut privato respectu sed unius boni publici ,intuitu futurus Regnans libero non violento suffragio eligi, Thro-,noq; imponi posset. Eo fine ut privatæ Confœderationes, quæ in ,varijs Palatinatibus Terrisq; coaluerunt in hac Generali Reipubli-,cæ Confœderatione, ad eandem massam reduci possent, pro obti-,nenda liberæ Electionis integritate, pro tuitione antiquarum le-,gum hujus Reipublicæ, pro aversione eorum omnium, quæ-,cunq; mutationi vel aversioni pristini moris & status Reipublicæ ,& securitati internæ & externæ ex adverso imminere viderentur. ,Ad ejusmodi ergo Confœderationem componendam omnes & singu-,li eò loci confluximus. Verùm quia prima hæc Generalis Confœ-,deratio per sacrosanctum Jus vetandi dissoluta est, iterum ad no-,vam, & extraordinariam studia conatusq; nostros vertimus, & vox ,publica ubiq; auditur, ut quicunq; demum illi adversari nitere-,tur inter hostes Patriæ censeatur. Quæro nunc rationem, cur à ,Confœderatione Generali, quæ in positiva lege & unione duorum ,Reipublicæ Ordinum fundabatur discesserimus? Cur ad juramen-,tum quod unionem animorum conciliare & publicæ concordiæ fun-,damentum ponere debuerat, non acceptavimus? Cur læsiones pu-,blicas & privatas a Domo Regia prætensas cùm publica lege jam jam ,circumscribi, & vindicari possent, tot tantisq; difficultatibus invol-,vimus, obtrudendo immensum chaos toto cælo diversarum proposi-,tionum & quasi aperto nisu à fine proposito declinavimus? Cur ,non quæsitus diligenter primus Author tam insolentis confœdera-,tionis militaris, & quare alia multa prætermissa, contra parti-,culares Confœderationes & Instructiones à variis Palatinatibus ,porrectas? forte (nisi fallor) ut cuncta in casum abirent.

,Et sic in optimo legum pristinarum cardine fundata in vanum a-,bijt Confœderatio. Nunc primum quando Terrestrium Nuntio-,rum Conclavis cessavit activitas, cum ejusdem Mareschalcus & Di-,rector jure suo excidit, cum nulla Authoritas Equestris Ordinis, ,cum passivè tantum mutuam Nobis vocem sentiendi impertimur, ,quomodo activè ad Confœderationem scribendam accedere possu-,mus? Quomodo activitas & passibilitas in eodem subjecto salvâ li-,bertate subsistere possunt? Quomodo Senatus excluso Equestri Or-,dine potest sibi jus consilij totius Reipublicæ usurpare, & sine se-,cundo Ordine aliquid firmum statuere sub eodem titulo totius Rei-,publicæ? Ego Confœderationem probo & intimis votis exambio, sed ,talem quæ lege publica descripta est, hoc est in unione Ordinum, ,& talem calamo meo manuq; firmare sum paratus, quam scilicet ,Mareschalcus Nuntiorum Terrestrium & universi Palatinatus una-,animi consensu approbabunt. Non sum enim tam pertinacis sen-,tentiæ, ut videndo in extremo discrimine Rempublicam, cum ha-,beam Jus Naturale defensionis, quod est supra omnes leges manum ,meam subtraham à subscriptione Confœderationis Generalis, verùm ,in his tantum punctis: Nimirum, ut futurus Regnans nemine con-

tradi-

„tradicente eligatur, ut terminus Electionis assignetur, ut in Comitio- *A.C.1696*
„lis privatis Palatinatuum omnium Terrarumq; emerita militibus stipen-
„dia provideantur, modusq; dissolvendæ quàm primum confœderationis
„militaris statuatur, ut Piastus à numero Candidatorum excludatur.
„Sed ut Confœderationi Generali ex placito Senatûs illa inserantur, quæ
„ad Equestris Ordinis spectant authoritatem, nullâ ratione consentio &
„ejusmodi Confœderationem approbare nequeo. Hoc enim foret sta-
„tum in veterem transformare & novam formare Rempublicam. In hoc
„puncto & manus ligatas & conscientiam juramento Senatorio adstri-
„ctam habeo. Convocatio enim nuper elapsa eo fine instituta fuit, ut
„antiquam Rempublicam tueri, & leges ac libertates ejus in integro ser-
„vare, ac confirmare possemus, & universa quæcunq; ex orbita legum
„exciderunt pristino statui reddere, & non novam formare consensu il-
„licito Rempublicam.

Audita hâc magni & prudentis Senatoris voce, plures erant qui manibus pedibúsq; in eam irent sententiam, sed Mareschalcus præteritæ convocationis tenacius hærens in proposito, declaravit, stante protestatione Nuntij, ejus activitatem cessasse, nec ullo modo se injurium sicut juri vetandi (populo in eam diem libero) ita conscientiæ esse velle, cùm juramento se in eum finem, ex more & lege obligaverit.

Cum omissum esset id in confœderatione rogavi, effeci, & evici, ut Cardinale illud Jus de Rege non nisi Catholico eligendo reassumatur, addito etiam puncto, quod nuper sub tempus Electionis Michaelis Regis cura & solicitudine Andreæ Olszowski Procancellarij tunc Regni in leges Patrias insertum fuit, ut non dubito te bene horum recordari, ut scilicet & Regina sit Catholicâ professione vel vocatione.

Rex & Regina sit Catholica.

Protestatus quidem est Dominus Iosephus Potocki Haliciensis Capitaneus contra totum pactum sed cum protestatio contra similes Confœderationes, nihil agat, non considerata ea accessit Primas cum alijs Senatoribus ad subscriptionem lectæ Confœderationis, quam tamen Palatinatus Cracoviensis subscribere noluit. Multas interim dissensiones sopire voluimus, ut Ducis Radzivilij Caroli Procancellarij Litvaniæ cum Domo Sapiehana; Procancellarij Regni Caroli Tarlo cum Thesauraria Regni Anna Zamoyska; Comitis Dönhoff, cum Palatina Mariemburgensi itidem Dönhoff.

Protestatio contra confœderationem non attenditur

Per mediationem etiam Nuntij Apostolici Davia reassumpsimus concordiam Episcopi & Palatini Vilnensis, cujus initio cum Palatino Trocensi Unichovio, satis calidum certamen habui, quod cum declinasse voluissem invito occurrit; cum ille ex pessimo in clerum affectu ausus fuisset & præsumpsisset effutire, quòd conveniens esset Reipub. ut aliquem ex dissidentibus in Regem eligamus, ut clerum coerceat. Ad quam imprudentem æquè ac insolentem propositionem zelo ductus reposui, quod nemo honestus hoc optare ac loqui deberet. Et ille cum se honestum esse dixisset, iterum à me audivit, quod nunquam fuit nec est nec sit capax eo nomine vocari.

Palatini Trocensis nefarius affectus in clerum.

Princeps Alexander & Constantinus facta plenipotentia in castro Varsaviensi & Zakrocimensi, quam tibi annecto in copijs in personas multorum Senatorum, ut negotijs eorum assistant, quinta currentis Parisios abierunt, qui parem cælo de magno Genitore excelsi magnitudinem animi cum intra limites Patrios continere non fuerint contenti, exterorum etiam eam infundere volebant latifundijs. Polonorum quippe est uno non contineri polo, cum præstantiores plantæ quamvis dulce Patriæ experiantur solum, transplantari tamen ad tempus volunt; non

Principes Alexander & Constantinus abeunt in Galliam

Q quod

A.C. 1696 quod alienæ humoribus indigeant terræ quam ut dignos etiam in Polonia de sua propagine progenerari fructus demonstrarent.

Episcopus Vladislaviensis offenditur facto Reginæ.

Accedit etiam (quod ridebis) ut dum Episcopus Vladislaviensis semper amicitiarum jura non fide sed successu ponderans, Principem Iacobum ad reconciliationem Reginæ ad Bielany duceret & casu euntem Reginam ad Palatinum Russiæ Varsaviæ tunc degentem in via invenisset, dum ei locuturi descendissent; & illa magis certè ex oblivione quàm ex contemptu larvam, quam solis ardorem à facie sua declinans portabat, non deposuisset, ea res ita ad iram & indignationem Episcopum commovit, ut multa verba, quæ injuriosa esse nemo dubitavit, contra Reginam dixerit, nosti hominem satis est insinuasse. Mitto tibi quæ eo nomine scripsit Cardinali, quid ille responderit, & reliqua satis curiosa.

Episcopus & Palatinus Vilnensis conciliantur.

Tandem in Palatio meo sextâ currentis desideratum finem concordia Episcopi Vilnensis Plenipotentiariorum (qui anxij & tam ambiguo periculo incerti, quid agerent, consentire debuerunt certis conditionibus, quod alias non fecissent) cum Palatino Vilnensi accepit.

Tam gravi controversia per Nuntium Apostolicum diligentissimo Nostro studio, utcumq; composita aliquot dies negotio Domus Regiæ cum Capitaneo Borzechoviensi Potulicio impendimus.

De summis ingentibus auri & argenti Parisios avectis audivimus & multi murmurabant.

Interim Cardinalis Primas, Majestatis utique vel loco tenentis ejus titulus laboris obligatio. Non enim Primatialis dignitas, ut vulgus æstimat deliciarum nomen, sed assidua pro populorum incolumitate occupatio, quam blanditiæ nominis erigunt, ne moles ponderis opprimat. Cardinalis inquam Primas nihil eorum prætermittebat, quorumcunq; illum Interregis officium & leges publicæ admonebant. Post prærupta convocationis Comitia sine mora mandat circulares literas ex cancellaria ad omnes Regni & M. D. Litt. ordines expediri, quarum tibi exemplar adnecto. Habui etiam copiam literarum Episcopi Vladislaviensis ad comitiola relationis, erit unius reverentia solius, ubi alter comparet, quamvis uterque ita eminere vult, ut alium nolit. Dispares magis Eminentissimi Primatis circularibus? aut conformes sint tu judicabis.

Causæ autem studijs Civium in diversa abreptis interruptæ Convocationis ut clarius cognoscantur, videmus hic projecta quædam manuscripta post soluta Convocationis Comitia. Ego ut ingenuè fatear non concludo, plus ne illa fidelitatis habeant amorisve in Patriam, aut in quenquam odij? Ex eventu rerum actarum facile poterit patere alterutrum vel utrumque. Certè manum non verterim hoc sit, verum an illud? satis est, quod Rhodi & Syracusis, nunquam tanta nubila obduci audivi, ut non aliqua hora sol cernatur, hoc quisq; censet quòd in rem suam esse videt. Nos attigimus metam & hæremus in declivi via, deplorat præsens ætas factum, sed timeo ne & posteri lachrymantibus declament querelis. Ego interim ut de valetudine tua sæpius significes precor, literas quàm valde me amas tam sæpe scribas.

ACTUM IN CURIA NOSTRA VARSAVIENSI
feriâ tertiâ post festum S. Michaëlis Archangeli proximâ Anno 1696.

Ad Officium & acta præsentis Castrensis Capitanei Varsaviensis personaliter accedentes Alexander & Constantinus Principes Regij, Fratres Germani Serenissimi piæ memoriæ JOANNIS III. Poloniarum Regis

Regis vitâ nuper functi Filij, requisiverunt ab eodem officio, quatenus Instrumentum Originale Commissionis, seu plenipotentiæ infra scriptæ ad acta Officij sui susciperet, & in eadem inseri demandaret. Quorum officium præsens requisitioni annuendo hoc idem instrumentum seu actum plenipotentiæ suscipi, & actis præsentibus inscribi procuravit de tenore talis: *A.C.1696*

NOs Alexander & Constantinus Principes Regij olim Serenissimi Joannis III. Poloniarum Regis non ita pridem luctuoso fato defuncti Filij, & nostro pro intereße succeßores legitimi, notum testatumq; facimus præsentibus, quorum interest universis; quòd cùm in animum nostrum induxerimus opportunam ad exteras nationes proficiscendi viam non alio capeßere studio, quàm ut indolem nostram otiari nesciam ulteriori scientiarum cultu, exoticarum rerum notitiâ, atq; omnimoda gentium, morumq; cognitione reddamus perfectiorem. Consultum proinde cupientes rebus, fortunisq; nostris, ne aliquid sub absentiam nostrî in hoc Regno patiantur detrimenti, ad curam & superintendentiam omnium negotiorum publicorum & privatorum, Personas, bona, fortunas resq; nostras concernentium generaliter omnium Eminentissimum Principem S. R. E. Cardinalem Archi-Episcopum & Regni Primatem, Tutoremq; naturalißimum, Illustrissimos & Reverendissimos Stanislaum Dąmski Vladislaviensem, Stanislaum Sbąski Varmiensem, & Sambiensem, Andream Załuski Plocensem, Georgium Dönhoff supremum Regni Cancellarium Premisliensem Episcopos; Illustrißimos Stanislaum Jablonowski Castellanum Cracoviensem Supremum Regni Exercituum Ducem, Casimirum in Bychow, & Dąbrowa Sapieha supremum Exercituum M. D. L. Ducem Vilnensem, Albertum Constantinum Breza Posnaniensem, Michaëlem Varszicki Sandomiriensem, Stanislaum Malachowski Calißiensem, Raphaëlem à Leszno Leszczynski Majoris Poloniæ Generalem Lanciciensem, Marcum Matczynski Russiæ, Jablonowski Volhiniensem Palatinos; Josephum Słuszka Campi Ducem M. D. L. Vilnensem, Stephanum Bydzynski Sandomiriensem Castellanos; Alexandrum Sapieha Mareschalcum Curiæ M. D. L. Perillustrem & Reverendissimum Joannem Uladislaum Przeremki Referendarium Regni, Magnificos ac Generosos Albrachtum Matczynski Thesaurarium Curiæ Regni, Andream Gelgud Notarium M. D. L. Stanislaum Godlewski Regentem Cancellariæ Regni Capitaneum Nurensem, Casimirum Dąmbrowski Succamerarium Vilnensem, Andream Zydowski Vexilliferum Cracoviensem, Joannem Rudski Notarium Terræ Cerscensis præsenti Commissionis seu Plenipotentiæ nostræ actu invitamus, atq; pro Commißarijs pleni juris designamus ac constituimus dantes & concedentes eisdem, Eminentissimo, Illustrissimis ac Reverendissimis nec non Magnificis supra memoratis plenariam facultatem, atq; omnimodam potestatem de omnibus negotiis in absentia nostri publicè & privatim intervenientibus disponendi, occasiones omnes, atq; prætensiones quasvis ad Nos, Bonaq; & Fortunas nostras modo quovis emergentes, ubivis locorum excipiendi, discernendi, ac decidendi, vicissim quoq; Jura, & Prætensiones nostras ad personas cujuscunq; Eminentiæ &c. &c.

ACTUM IN CASTRO ZACROCIMENSI
feriâ Sextâ in crastino Festi S. Francisci Confessoris.
Anno 1696.

Ad Officium & Acta præsentia Castrensia Zacrocimensia personaliter venientes Serenissimi Alexander & Constantinus Principes Serenissimi piæ memoriæ JOANNIS III. Poloniarum Regis nuper vi-

A.C.1696 tû functi, Filij requisiverunt ab officio præsenti, quatenus Actum seu Instrumentum literarum infra scriptum in rem, & Personam Serenissimæ Mariæ Casimiræ DEi Gratiâ Poloniarum Reginæ serviens & competens susciperet, actisq; sui officij inscribi demandaret; quorum requisitioni Officium præsens semet accommodando Instrumentum hocce literarum illico suscipi, & actis suis inseri voluit, & curavit, idq; de tenore tali:

NOs ALEXANDER & CONSTANTINUS Principes Regij olim Serenissimi JOANNIS III. Regis Poloniarum non ita pridem luctuoso fato defuncti, Filij, notum testatumq; facimus præsentibus, quorum interest universis, quòd licet, præconcepto in exteras Nationes itineri nosmet accingentes jam certos ad curam & tutelam fortunæ nostræ designaverimus Commissarios, & Plenipotentes, nihilominus prospectum tantò magis indemnitati nostræ cupientes, generalem superintendentiam, & dispositionem bonorum nostrorum mobilium & immobilium generaliter omnium Serenissimæ Mariæ Casimiræ Poloniarum Reginæ Parenti & Benefactrici nostræ gratiosissimæ committendum esse duximus, prout quidem præsentibus committimus dantes & concedentes supremam eidem potestatem de bonis nostris generaliter omnibus mobilibus & immobilibus, summisq; tam in scriptis, quàm in deposito ubivis locorum existentibus disponendi, divisionem pro interesse nostro attentandi, summam levandi, res mobiles recipiendi, de levatis & perceptis quietandi, debita quævis & prætensiones urgendi, eaq; omnia, quæ personas, res, & fortunas nostras spectabunt nomine nostro subeundi; & implendi, recipimusq;, & obligamus Nos transactiones quasvis, inscriptiones & quietationes per eandem Serenissimam Reginam Parentem charissimam nostro nomine peragendi, & recognoscendi, tanquam per nosmetipsos personaliter forent peractæ, pro gratis & ratis suscepturos, & omni modo approbaturos. In cujus rei fidem præsentes manibus nostris subscriptas & sigillo communitas actis insuper authenticis inscribi voluimus. Dabantur 15. Octobris. Anno 1696.

(LS.)

Alexander Princeps Poloniarum.
Constantinus Princeps Poloniarum.

CAUSÆ CONVOCATIONIS

dissolutæ & Compendium actorum in ijsdem Comitijs, referuntur ab Anonymo.

NOn videbatur mihi hactenus integrum volante tabellario præsentis Convocationis actiones singulis hebdomadis Dominationi Vestræ describere; ne entia pene chimerica approbarem. Quod enim una dies feliciter construebat, evertebat secunda; Quod hac nocte uno nitebatur capite, postridie pluribus capitibus e-,minebat. Lernæam paludem, non publicæ securitatis theatrum illud ,credidisses. Quare nunc primum totam rei seriem effundo in paginam ,duobus terminis, hoc est compendio, & veritate.

,, In primo statim convocationis limine haud mediocriter displicuit *Baldachinũ Primatis* Regale tumens fastus Eminentissimi Primatis Regni ordinibus, qui ad ,votivum sacrum celebrandum se conferens, ceremonialia sub baldachino ,ante majorem aram Ecclesiæ eò loci, quo Reges considere solent, exerce-

,ercebat, quod adeo ſtatûs Miniſtros, compluresq; alios Nuntios terre- *A.C.1696*
,ſtres permovit, ut præ indignatione, non ſinè ſtrepitu digrederentur.
, Idem accidit eodem die in conclavi Senatorum, in quo vix in loco pa-
, riter Regio explicatum Baldachinum conſpexerunt ordines, ſinè mora
, animadverſione factâ abrumpi, tolliq; è medio inſtiterunt. Exordium
, deinde operis in conclavi Nuntiorum terreſtrium in ordine ad eligen-
, dum Mareſchalcum pluribus difficultatibus fuit obnoxium, non tan-
, tum ex ea ratione, quòd diverſi Palatinatus è medio ſui eligendum *Difficultas in eligendo*
, Mareſchalcum cenſerent, vi ſubalternæ legis, poſt tot comitia Regni *Mareſchalco*
, continuâ ſerie infelici quodam Reipublicæ fato diſſoluta, verùm etiam
, ideo, quòd duæ ſibi mutuò adverſæ forent partes; alia Majeſtatis, li-
, bertatis alia, contentione authoritatéque non impares, quæ in eo dili-
, gentiſſimè deſudabant, ne vel in minimo puncto convinci poſſent. Pro-
, inde vir integerrimæ fidei, & abſolutæ prudentiæ invitatus eſt omnium
, ſuffragijs, ad hoc Nuntiorum terreſtrium conclavis miniſterium Ste-
, phanus Hurnicki Dapifer Podoliæ, qui eodem die juramentum corpo-
, rale diſtinctâ claràque voce implevit in eam rotam, quæ Mareſchal-
, cis Nuntiorum ſolennis eſt. Conſecutæ ſunt Electionem voces, ſen-
, tentiæq; publicæ Nuntiorum & alia ceremonialia, ſeu potius prælimi-
, naria, quæ plurimum temporis exhauſerunt; vix enim poſt unius ſe-
, ptimanæ intervallum ab Electione Mareſchalci conclave Nuntiorum
, terreſtrium acceſſit Senatoribus. Prima dies congregatorum ordinũ
, decoram habuit Regni faciem, & nihil niſi tam internam, quàm ex-
, ternam defenſionem imprimis meditantem. Et non alio reſpectu pretió-
, que ſenatûs à votis in medium proferri ſolitis abſtinuit, niſi ut plus
, temporis concederetur conſilijs. Verùm major pars Palatinatuum, ter-
, rarum, diſtrictuúmque niſi inſtructione in comitiolis ſibi data, & decli-
, nando dependentiam in ferenda ſententia, propoſuit deſiderium populo-
, rum, ut Sereniſſima Regina Vidua ſine mora excederet palatio tam vi-
, cino conſilijs publicis. Allegabat; quòd ſi jam prius ex arbitrio privatæ *Urgetur abitus Reginæ Varſaviâ.*
, voluntatis diſceſſiſſet ſemel, meritò id facere iterum non graveretur ex
, conſenſu Regni ordinum id unicè præſtolantium ex rationibus ſtatûs,
, & ex reſpectu facilitandorum conſiliorum, præſertim quòd ſuſpicaciſ-
, ſimus metus invaſiſſet univerſos, ſereniſſimam Reginam benè conſci-
, am datæ à Palatinatibus Inſtructionis de neganda ſibi longiore Varſa-
, viæ mora; nihilominus biduo ante convocationis comitia non fruſtra
, Varſaviam repetiiſſe; ſed ut diſpoſitioni publicæ palàm reſiſteret, vel
, ut orbi demonſtraret; conſilia Reipublicæ Polonæ abſolvi non poſſe in-
, conſultâ Reginâ.

,, Fuerunt verò ad juga faciles populi, & ſæva volentes pati Regna,
, qui præteriti aſſveti deſpoticiſmo Regiminis, inter puncta honoris re-
, ponebant, ut Sereniſſima Regina Vidua ad latus publici conſilij, om-
, ni quacunq; demum arte poſſet retineri. Aſſerebant Reginalem ſuam
, Majeſtatem nihil minus velle, ſcireq;, quàm in publicas ſtatûs materi-
, am involare, imò id unicum intimis ambire votis, ut illi tandem ali-
, quando liceat dulci quiete poſt viginti & amplius Regni tædia recre-
, ari. Non deſiderabantur tamen, qui reſponderent illi, præſertim qui
, penitius norânt Sereniſſimæ Reginæ Viduæ ingenium, par rebus per-
, turbandis, adeòque meritò formidare videbantur novum ab illa diſcri- *Acta quædam à Regina vivente Rege.*
, men quæ ultimam manum ad thronum Regium præterito Regnanti
, impoſuerat, & inſcio Marito notabiles ſummas, ad ambitionis ſuæ tro-
, phæum diſpenſaverat. Quis Gedanenſem Civitatem alias non medio-
, criter in rebus Politicis verſatam Simoniacis, ſacrilegisq; muneribus ab-

 ſolvit,

A.C. 1696, solvit, à tam palmari illa Eucharistici Dei injuria, quàm Insolentissimo „ausu populi non sinè Christiani orbis scandalo passus est. Quis contra „leges & solennem inclytæ hujus gentis consvetudinem plus offerentes „optimè meritis Patriæ Civibus præferre Reges Polonos docuit? ut il„le optimus censeretur, qui opimus? Quis jura gentium in legato ma„gni Regis Galliarum Marchione *de Vitri* ultra morem Gentis religio„sissimum per Incisorem M. D. L. insolenti ausu violavit? Quis postea „prætextu repetendi Cameneci, & re ipsâ intuitu disponendæ suæ Do„mûs, infinitorum bellorum impensarumq; fœderi Nos illigavit, ut Filia „Romanorum Imperatoris semper Augusti in thori sociam, & Regnum „Hungariæ Principi filio Serenissimo Jacobo in dotem cederet. Hac con„ditione dilapsa parùm abfuit, ne Regni nostri cum Augustisimo Leo„poldo fœdus evanesceret ad instantiam ejusdem Serenissimæ Regnatri„cis, nisi desponsatio Serenissimi Jacobi cum Neoburgica, & Serenissi„mæ Filiæ cum Electore Bavaro intercessisset. Et hic demum est fru„ctus ille, quem Regnum Poloniæ tot Provinciarum bellorumq; redemit „impendijs. Quis Illustrissimum Palatinum Vilnensem illibatâ semper fide, „immunitatem libertatis Polonæ propugnantem Ecclesiasticis subjecit ful„minibus? occasionemq; præbuit, ut tot Regni Comitia procul omni con„silio solverentur, nisi fæcundissimum in omnes casus Serenissimæ Re„ginæ ingenium? Quanquam & interea temporis velut inter ignes lu„na minores in conclavi Senatorum relucebat tam proxima publicis con„silijs Serenissimæ Reginæ vicinia, cum essent quotidie præsto, qui con„tinuò ad conclave suæ Majestatis referrent fidelissimè, quæcunq; demũ „in Senatorum, & Nuntiorum conclavi agerentur.

„Opponebatur pro partibus Serenissimæ Reginæ Viduæ opprobri„um Gentis, si Regina suo conclavi moveretur, quòd barbaris etiam „Gentibus raro usurpari viderunt sæcula. Ad hoc repositum est à plu„ribus inter politissimas censeri nationes Galliam pariter & Hispaniam, „ubi Reginæ Viduæ aliæ ad Religiosum claustrum discesserunt, aliæ ad „exilium. Quod contigisse memorant annales aviæ Christianissimi Re„gis hodie gloriosissimè imperantis. Quanquam etiam desponsatis inibi mi„nimè parci vidit orbis in Delphini consorte similem pænam luente, „quòd arcana consilij bellici prodidisset. Tandem habitâ facultate pro„ferendi sententiam pro securitate publica Mareschalcus Nuntiorum ter„restrium vix loqui cœpit; quòd mediâ viâ, hoc est, inter abruptam con„tumaciam, & deforme obsequium incedere niteretur, Eminentissimus „Cardinalis Primas motus subsellio, in ea verba prorupit, quæ istius pro„positionis interpretationem insolitâ authoritate exquirere videbantur.

Abitus Nuntiorum ex conclavi Senatorum

„Imò insolitus Primatis Regni fervor eum in ordinibus motum concita„vit, ut à subsellijs Senatorum accepto per confertæ multitudinis inpe„tum Mareschalco Nuntiorum terrestrium conclave repeterent.

„Iterum Eminentissimus Regni Primas datâ prædicto motui occasi„one, plenus præconcepto calore, voluit in præsentia solius ordinis Se„natorij liberam vocem, sententiamq; sibi usurpare; verùm respondit Il„lustrissimus Regni Mareschalcus jam omnem expirâsse activitatem exe„untibus Nuntijs terrestribus ex conclavi Senatorum. Hoc tamen non at„tento Eminentissimus Regni Primas inquit paulò ferventius, quan„doquidem mihi Illustrissima Dominatio Vestra non concedit fa„cultatem loquendi, egomet illam mihi concedam, & in prima Sessione „agam de confœderatione, expediamq; circulares literas pro communi „Nobilitatis motu evocando, & his similia non sinè stomacho Re„gni Primas proferebat.

Primas vocem usurpat propria auctoritate

Verùm

„ Verùm iterum se opposuit magnus Regni Mareschalcus, & factâ *A.C.1696*
„protestatione digressus est è conclavi, cum benè sentiente comitatu se-
„natûs. Paucis admodum Nuntijs terrestribus ex Palatinatu Posnaniensi, *Ideo Mareschalcus Regni cum protestatione abit*
„Calissiensi manentibus in conclavi Senatorum. Qui ad insultum facien-
„dum in Mareschalcum conclavis Nuntiorum terrestrium occasionem de-
„derant Eminentissimo Regni Primati. Cæterum in conclavi Nuntiorum
„condignâ veneratione à Mareschalco excepti sunt Senatores, qui ex
„superiori conclavi ad Nuntios descenderant. Ubi unanimi omnes consensu
„sunt polliciti Mareschalco, quòd illius honorem & prærogativam Nun-
„tiorum tueri vellent constantissimè. Et sic per triduum penè integrum
„continuabantur ibidem exaggerationes fastûs Primatialis, quæ vix tan-
„dem persvaserunt Primati Regni, ut Episcopum Livoniæ ad conclave
„Nuntiorum terrestrium expediret, qui suo nomine omnem satisfacti-
„onem utrique Mareschalco declararet, & Nuntios terrestres assecura-
„ret, quòd Serenissima Regina Vidua jam esset parata ex Arce Varsa- *Reditus Nuntiorum ad conclave Senatorum*
„viensi discedere; quòd & præstitit sinè mora. Hac præmissâ satisfactione
„freti Nuntij terrestres iterum ad senatus conclave redierunt Verùm
„loco tantum non animo motam à proposito suo Reginam invenerunt,
„per subordinata nimirum ingenia publica consilia perturbantem. Qua-
„re eo desperatius agebatur à partibus, quòd medela doloris non inve-
„niretur alia, nisi ut convocatio solveretur, ut Reginæ Viduæ intenti-
„onibus eo pacto iretur obviam. Et sic qnibusdam Ducibus Comitio-
„rum Sredensium, & Antesignanis Litvanicis in momenta fortius peri-
„clitabatur convocatio.

„ Nihil illis ad gustum, nihil ad palatum accidebat; neq; illis con-
„fœderatio, neq; juramentum, neq; exclusio Piasti, neq; militaris con-
„fœderationis dissolutio arridebat; uno verbo nihil concedebant, probabant-
„que quod erat populare, sed tantum publicus totius Nobilitatis motus
„petebatur, quasi in oppositionem confœderationi militari, ut sub hoc
„prætextu ad campum Electoralem descendere, & alijs inscijs Regem
„designare facilius liberiusq; possent. Quod ubi aliæ Provinciæ Palati- *Tempus Electionis*
„natusq; adverterunt, sinè mora ad determinationem Electionis diem
„15tam Maji assignarunt, hoc est, ut commodius posset Nobilitas sub si-
„gnis comparere in campo electorali. Quo ubi ventum erat, metus in-
„cessit universos domus Regiæ asseclas, ne circumscriberetur progenies
„Regia; quo jure in posterum deberet gaudere, neve ad examinandas
„prætensiones tam publicas, quàm privatas aliqua ex consensu ordinum
„destinaretur commissio, qualem mos ante actorum, & præsens necessi-
„tas requirebat Regalistæ igitur assveti Tyrannidi nihil nisi jacturam pu-
„blici consilij meditabantur, palámque jam erat, quòd Domino Horodin- *Horodinski pecunia illectus*
„ski Nuntio Czernichoviensi sexcenti Imperiales offerentur, ut convoca-
„tionis comitia suâ protestatione dissolveret. Quod ubi clarè cognovit Ma-
„reschalcus Nuntiorum terrestrium, detulit sinè mora Illustrissimo Pala-
„tino Vilnensi, venundatam esse Rempublicam, petijtq, instantissimè, ut
„occurreret destinato subjecto, quod sub signis Domini Gregorij Oginski
„vexilliferi M. D Lit. militabat. Applicuit se diligentissimè ad id præ-
„standum Illustrissimus Palatinus Vilnensis; quod ut facilius consequere-
„tur, obtulit prædicto Nuntio duo millia currentis monetæ, ut revela-
„ret candidè, à quonam ad tam nefanda tentaretur; respondit quòd à
„ Serenissima Regina Vidua fuerit in hoc puncto compellatus, addiditquè
„amplius nolle se tam pernitioso consilio aures dare, & exitio esse Reipub:
„Ergo Mareschalcus Nuntiorum ejusmodi confisus declarationi, cùm
„securiùs agere in partem Reipublicæ adnititur, erexit iterum ca-
put

A.C.1696 ,put; idem Fabricios inter servatoresq; Camillos repertus Eutropi-
Abrumpit Comitia. ,us, & negatâ prolongatione Convocationis totum consiliorum ab-
,rupit cursum. Ne verò etiam spes restaret, revocandi illius ad con-
,clave, sine mora alieno impositus equo excessit Varsaviâ. Postri-
,die à nonnullis visus fuit in assistentia Vexilliferi M. D. L. ad bre-
,ve tempus rediisse Varsaviam, & subitò iterum disparuisse. Su-
,spendebatur tantisper à Mareschalco Nuntiotum Terrestrium ab-
,ruptæ Convocationis declaratio, & ferme per triduum trahebatur,
,sed postquam nulla spes relucebat revocandi ad saniorem mentem
,Nuntij protestantis, clarè aperuit universis Regni Ordinibus abru-
,pta esse consilia, suiq; officij jam expirâsse ministerium. Quare
,expetebat consilium ab Eminentissimo Regni Primate, quid in tam
Primas scribit Confœderationē. ,dolendo Reipublicæ casu agendum censeret? Arripuit casum in for-
,tunam Regni Primas, cuncta ad se trahendo, & statim intimavit
,confœderationem oppressaq; Nuntiorum Terrestrium activitate,
,legi à [illegible]ostico suo Prælato Confœderationis seriem, quæ conscri-
,pta erat, mandavit. Quia verò non ex integro fuit adhuc com-
,posita reliqvum quod desiderabatur, per aliquot dies inserebatur.
,Non consultis præterea de consensu Regni Ordinibus, prædictam
,Confœderationem ipse imprimis Regni Primas subscripsit, & alios
,ad id faciendum invitavit.

Motus indignitate rei Illustrissimus Palatinus Siradiensis, inva-
,lidabat per omnia actum hunc, tanquam illegitimum, addiditq;
Invalidat eam Palatinus Siradiensis. ,nunquam se subscripturum, nisi priùs videat Mareschalci Terre-
,strium Nuntiorum propriâ manu subscriptum, sed prædictus Ma-
,reschalcus publicè declaravit, se nullâ ratione tali instrumento,
,quod confundit jura ordinum, quod convellit prærogativam Nun-
,tiorum, & inaudito exemplo, rem ad unum transfert, vellet co-
,operari. Addidit præterea ligatum se in conscientia esse, ut nemi-
,ne contradicente agat omnia, nihilq; subscribat, nisi explorato con-
,sensu ordinum. Horum quia nihil hîc observatum fuit, decla-
,ravit actum pro irrito, & inani cassabilique apud Rempublicam.

EPISTOLA RESPONSORIA

Ad prædictam de data 4. Octobris quâ pariter Respondet Anonymus sequentibus literis, quas subjicio.

Recepi Epistolam Varsaviæ datam 4. Octobris sub coopeata boni publici & sub titulo spetioso. Sperabam ergo, quòd revelatâ larvâ, quæ ementitum boni publici zelum tegebat, pan-
,dere deberet veritatem, quæ cum nuda sit, non amat tegi. Cùm
,igitur cum magno desiderio, quamvis non tam legendam, quàm lu-
,gendam abruptæ Convocationis historiam, cum spe non dubia, quòd
,in compendio & veritate scripta foret, evolvere incipio; ecce sub
,hac revelata larva novam invenio, quando aliud in titulo, aliud
,in pixide reperio. Aliud pollicetur superficies nimirum veritatem
,aliud intus exhibet, hoc est mera mendacia. Quando scilicet po-
,sito in meta suæ satyræ honore alieno, contendit imponere popu-
,lo innocenti, qui etiamsi ignorat; tamen est capax veri, cui o-
,mnia contraria tot spectatorum, auditorumque non minùs o-
culi,

„culi, quàm aures irrefragabili tuentur, probantq; testimonio. Frustra er- *A.C.* 1696
„go & pervertere, & commovere vult fratres specie veritatis. Nam si
„amaret Patriam, utiq; non erubesceret palàm facere affectum suum
„& dum unam deponit larvam, aliam non imponeret. Si honesti curam
„haberet, utiq; alienum honorem non impeteret. Qui enim suis præstat
„virtutibus, etiam alienas veneratur. Si vera scriberet, profectò sciri no-
„men suum non refugeret. Manum enim porrigere prostratæ, aut la-
„benti veritati, est tanti pretij meritum, ut uno cælo possit adæquatè
„præmiari. Uno verbo; si vera sunt, quæ scripsit, cur publicum timu-
„it? si falsa, cur scripsit? Prorsus tam titulus, quàm exordium non ab-
„simile illi, de quo Poëta: amphora cœpit institui, currente rotâ cur ur-
„ceus exit? Quod verò ita se res habeat, eamus per singula scripti pun-
„cta, melius observando compendium & veritatem.

Quemadmodum Nos ab invocatione Divinissimi Spiritus consvevimus
„nostra consilia auspicari, ita malignus Auctor manuscripti, à materia
„Ecclesiastica sumit exordium, insimulando regale tumentis fastûs Emi-
„nentissimum Primatem Regni, cujus umbram etiam ille demum in Re-
„gni Primate videt, qui illuc nunquam vidit. Baldachinum jussit in tem-
„plo explicari, quia ita fieri debuit. Quilibet enim Episcoporum in sua
„Diæcesi ex præscripto Romani Ceremonialis liberum habet usum Balda-
„chini, si cui difficile videtur ad credendum, adeat ipsum Romani Cere-
„monialis volumen, edifcet clarius. Utebatur Baldachino Reverendissimus
„Antistes Vilnensis in sua Cathedra, nemo tamen id illi exprobravit;
„si verò id repugnasset legibus, profectò suis non caruisset censoribus.
„Cardinalitia dignitas prima est, post supremam in Ecclesia, & par Re-
„gibus ex consensu & consvetudine totius Christiani orbis. Immeritò i-
„taque sæcularis potestas contra hoc assurrexit, & indignum quorun-
„dam zelum excitavit contra; tanquam id sit plus posse in libertate, plus
„levitatis ac licentiæ habere, qui fortè hac de re non somniassent quidem,
„& in modestia templis debita finem devotionis expectassent, ni fuissent
„excitati.

Cur Baldachino usus Primas.

„Quod spectat Baldachinum in Senatorio etiam conclavi explica-
„tum, hoc ultra mentem, imperiumque Eminentissimi Primatis actum est;
„nam id officij ad alium spectabat. Quanquam & hoc pro dignitate Reip.
„non pro aliquo fastu fieri decebat, cùm sit Serenitatis indicium. Præ-
„tendimus sub inter-regno titulum Serenissimæ Reip. & tamen nosmet
„ipsi illum nobis adimimus. Quid nocuisset bono publico hic scenicus ap-
„paratus ad demonstrandam saltem exteris de longè venientibus, quòd
„& si Regem non habemus, sunt tamen nobis residua Majestatis insi-
„gnia, etiam in hac Reip. orbitate, præsertim cum nunquam in cor E-
„minentissimi Cardinalis ascenderit, qui semper publici decoris, quàm
„privati studiosior, quòd vellet sub Baldachino subsellium ponere, imò
„ut probè intellexi, in intentione ipsius erat, ut sub illo aram exstrueret
„ad quotidiana sacrificia, pro felici successu comitiorum offerenda, ante
„exordium consiliorum. Sine animadversione verò Illustrissimi senatûs
„(quod falsò ab Anonymo Authore allegatur) sponte ipse Eminen-
„tissimus Primas obviando nonnullorum scrupulis deponi jussit prædi-
„ctum Baldachinum, nihil sibi ex Cardinalitia dignitate usurpando pom-
„pæ. Nam quicunq; erectâ palpebrâ actiones illius respicit, sinè fuco
„fateri cogitur, quòd ita purpuram ferat, ut suum erga Patriam can-
„dorem gerat in animo. Utiq; Regium sedile retroversum sub Baldachi-
„no in signum publicæ orbitatis, utiq; & alia tam Eminentissimi Prima-
„tis, quàm aliorum Regni Senatorum subsellia in circulum sub gradi-

Erectio Baldachini in conclavi Senatorum excusatur.

A.C. 1696, bus throni Regij disposita manifestè cuique demonstrabant, quòd bal-
,dachini apparatus, non pro fastu privato, sed pro publico decore adhi-
,beri potuerit, quem nihilominus Eminentissimus Primas unà cum gra-
,dibus moveri, tollique imperavit, ut plus daretur spatij subsellijs Sena-
,torum, quod angustum videbatur ob insolitam hominum frequentiam.
,Eo jam cum larvato Scriptore ad conclave, & cum probè sciam regu-
,lam honesti viri; ne quid veri non audeat, ne quid falsi dicere præsu-
,mat; fateor & ego plurimum temporis consumptum in otiosis conten-
,tionibus, quæ majorem inter & minorem Poloniam ortæ fuerunt, ex
,occasione alternatim eligendi Mareschalci, neutra tamen pars alteri ce-
,dere voluerit. Neque defuerunt, qui ex M. D. L. eligendum cense-
,rent Mareschalcum. Non intelligo tamen, quid Author velit, *dicendo*
,fuisse Majestatem inter & libertatem luctam, prorsus enim non memi-
,ni, cum tamen semper interfuerim, vel minimam hujus materiæ fuis-
,se memoriam. Fateor præterea, quòd Mareschalcus vir priscæ probita-
,tis, & prudentiæ singularis, si adeo diligentes non dedisset aures ijs,
,quorum pleriq; famam, conscientiam pauci verentur, quive boni sen-
,sûs pro Republica nunquam Authores, semper interpretes fuerunt, as-
,sveti jacturâ publicâ privatam agere fortunam, ut ipsis bene sit, optant
,alijs malè esse.

,, De exclusionibus illegitimè electorum quorundam Nuntiorum
,terrestrium nihil ago, nam & hoc sole meridiano clarius est, quan-
,tum temporis inutiliter extraxerint.

,, Conclave Nuntiorum terrestrium Senatoribus sociatum, in primo
,accessus sui limine fortiter eò curas vertit, & studia, quod pro primo
,& ultimo objecto consiliorum esse debuit, nimirum diligenter agere cœ-
,pit de securitate interna & externa. Primoq; statim die in illo ar-
,denti affectu populorum in Remp, solidi aliquid fuisset statutum, si Il-
,lustrissimus Palatinus Trocensis non objecisset impertinentissimam ma-
,teriam Illustrissimi Palatini Vilnensis, privatam controversiam concer-
,nentem, quæ plurimum temporis exhausit ex promotione eorum, *qui ve-
,nalem svadam proferebant*. Incidit postea acris concertatio de urgen-
,do abitu ex arce Varsaviensi Serenissimæ Reginæ Viduæ, pro quo ob-
,tinendo, cùm neque lex publica, neque usus consvetudine firmatus pro-
,ferri posset, solâ pertinaciâ certabat odium, convicia jaciebantur. Fuerunt
,multi pro sensu libertatis ex rationibus status, & decoris Reipublicæ, ne
,illi exteri objicerent aliquando, quòd in Regno Poloniæ tam male co-
,ronata capita tractarentur; afferebantur in publicum præjudicata, quæ
,contrariũ demonstrabant. Proponebãtur justitiæ leges; nihil enĩ ejusmodi cla-
,rè probari potuit Serenissimæ Reginæ, ob quod tã palmarẽ notam mereretur.
,Patuit præterea quòd non ex contemptu Instructionis à quibusdam
,Palatinatibus datæ Varsaviam redierit Serenissima Regina Vidua;
,quia de hac nihil prorsus inaudierat, imò & literas per Reveren-
,dissimum Posnaniensem Episcopum ad Serenissimam in hoc puncto
,datas Solcci primùm, unde jam reverti grave fuisset, recepit. Im-
,meritò verò anonymus Scriptor appellat; ad juga faciles populos il-
,los, qui Reginalem Majestatem tuebantur, cùm id non ex amore
,despotismi, qui compluribus sub tempus regiminis displicuerat, &
,directè impugnabatur, sed ex justitiæ amore, quæ sola rationem
,habet, Reginæ honorem propugnabant.

Ad reliqua quæ idem Author adfert inferiùs, & quasi ipsa sibi
,plaudens crepitante ciconia rostro ingeminat, nihil respondeo, tan-
,quam à nemine audita, quamvis non difficile mihi, ea oppositis ra-
tioni-

,tionibus confutare; sed non immoror huic puncto; quod enim scri- *A.C.*1696
,bo, non sunt vindiciæ honoris, sed ipsiusmet veritatis, præsertim ,quòd Serenissima Regina satisfecisset voto omnium per suum ex arce abitum, & præterea per Eminentissimum Primatem publicè de,claraſſet, se non adfuturam electioni. Perturbavit non mediocri,ter ea declaratio nonnullos, quia omnem prætextum obliquorum ,consiliorum dissolvit. Non ita enim exitus Reginæ ex arce Varsa,viensi urgebatur, quàm ipsius præsentia futuræ electioni timeba,tur; quod sicut callidè vulgatum fuerat, ita temere à compluribus ,sperabatur. Cui cùm contrarium omninò Regina declarâſſet, mi,rificè turbari cœpit pars adversa. Tandem quando Mareschalcus ,Nuntiorum Terrestrium (sive ad tranquillitatem, sivè ad motum ,publicum ex effectu patuit) cœpit præfari ab encomio suî, quod ,inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium medius ince,deret, videbantur ea verba directè petere illos, qui non privatum ,bonum sed decus publicum tuebantur. Proinde Eminentissimus ,Primas non proripuit se ex subsellio (uti asseruit) sed more solito, ,quia immediatè antè, vox Primatialis aliquoties impedita, inter,rogavit clariore voce præfatum Mareschalcum; quid per deforme ,obsequium intelligeret; quod paulo altiùs extulisset vocem Regni ,Primas, videbatur id merito fecisse, præsertim cùm de pupilla ho,noris ageretur, utq; melius à Mareschalco longiùs distante, & à ,toto conclavi audiri posset. Captatâ igitur hac occasione sciendum ,est, quòd privatim complures ex zelantibus, uti se asserebant, con,cluserant omnino redeundum sibi esse ad conclave Nuntiorum ter,restrium, & tunc primum ex illo ad Senatores eundum, ubi Re,gina Varsaviâ discessisset, casus in fortunam cessit, & una inter,rogatio illa Eminentissimi Primatis de verborum & rerum signifi,catione tantùm excitavit motum, uti indebitum, ita minimè spera,tum novo exemplo excitando. Nam sicut olim solenni majorum ,consuetudine, ad judicandos tantùm quosdam excessus ab aliquo ex ,Nuntiis terrestribus perpetratos descendebatur ad conclave illud, ,ita tunc ad dijudicandam vocem Primatis, & ad inversionem statûs ,properatum est, minima siquidem mutatio facti, maxima Juris; ,Quod evenit instigantibus illis, quibus Reipublicæ tranquillitas o,dio est & turbidum in amore. Magna simul pars illius conclavis ,suis commota est subsellijs, ut plerumq; contingere solet, quòd po,pulus faciat, quæ, cur faciat, ignorat.

Rapuerunt fermè exeuntes, & penè reluctantem secum traxe,runt Mareschalcum Nuntiorum terrestrium (ut in re simili fieri so,let) bonum publicum obtendentes. In conclavi Nuntiorum terre,strium, quid aliud sperari poterat ex hoc motu nisi major motus, ,qui tantò fortiùs invaluit, postquam Magnus Regni Mareschalcus ,in comitatu sex aliorum Senatorum ibidem comparuit ex hac oc,casione. Post abitum Nuntiorum ex conclavi Senatorio, non o,mnium tamen, quia Palatinatus Majoris Poloniæ, Pars Palatina,tûs Masoviæ, Pars Palatinatûs Ravensis, Pars Terrarum Prussiæ, ,Pars notabilis ex Palatinatibus M. D. L. mansit in conclavi Senato,rum, neq; diffidentes comitari voluit, & eâ dignitate characteris ,sui eam pati indignitatem, cùm Eminentissimus Regni Primas de ,rei eventu priùs admonitus nonnihil perturbatus, quòd non die lu-

A. C. 1696. „næ, sed sabbatho hoc est celerius ea res contigisset, & præsertim „quod sub prætextu innocentissimæ illius vocis..... Nam quicunq; rei „actæ seriem prudenter examinabat, intellexit clarissime causas præ„cipitati discessus alias fuisse, & alias videri potuisse. Ex consensu „complurium Senatorum voluit idem Eminentissimus Primas, in her„ba statim tantum inconveniens suffocare per Internuntios, ut mo„ris est in similibus, ex Senatu, vel per aliud, quodcunq; videre„tur, medium. Initurus ergo rationes, sententiamq; aliorum explo„raturus facultatem dicendi a Mareschalco pro more postulavit, qui „tanquam conscius rei factæ, majorem quærendo prætextum distra„hendi consilij respondit; omnem activitatem exspirasse exeuntibus „Nuntijs terrestribus è conclavi Senatorum. Quanquam tantus Re„gni Minister in principiis erravit, demonstravitq; sententiam suam „inter propera & parùm excocta censeri potuisse. Nam Senatûs a„ctivitas non cessat, & practicatus bonæ Reipublicæ mos obtinuit, „ut abruptis etiam Comitijs Regni exquirantur consilia Senatorum, „quibus medijs revocari possit Author abruptorũ Comitiorũ. Tantò ma„gis in hoc casu plus licuit, cùm adhuc Nuntij terrestres suam in „conclavi continuarent activitatem. Cur enim elinguis Curia Pa„trum esse deberet, inferiore Regni Ordine tam disertè rem suam „agente. Cùm igitur Eminentissimo Primati & Inter-Regi incon„sultè vox negaretur à Regni Mareschalco, dixit, quod dicere debu„erat, ex Privilegio dignitatis; ergo ipsemet facultatem mihi dicen„di in eo casu tam onerosò Reip. concedam. Hac voce permotus „Regni Mareschalcus protestatus est, verùm contra quod punctum, „nemo sanè intelligebat; certè enim & Consul, ubi ad iniquum lo„cum ventum erat, sistebat aciem, & Eminentissimo Primati ex of„ficio Dignitatis inprimis incumbebat quærere media, quibus aspera „in vias planas reduci possent. Orsus igitur sermonem suum, quo „tam infausti moliminis conscios authoresq; penetrabat gladio anci„piti fortius, & quasi malleus petram conterebat his mortalibus; „Quicunq; demum hujus Convocationis Comitia Reip. adeo perne„cessaria insolenti ausu contendit abrumpere, quicunq; tam præsen„tis periculi fontem aperit, maledictus sit in semine suo &c. Ad„didit præterea quòd non liceat in tanto discrimine versantem dese„rere Patriam, atq; adeo si Conclave Nuntiorum terrestrium ali„am, & magis convenientem juribus non apprehenderit viam; invi„tabat pro die lunæ sequentis universos ad idem Conclave Senato„rum, ut de confœderatione publica scribenda cogitarent. Literas „verò circulares pro communi Nobilitatis motu urgendo dixit se „negare non posse ad tantas tot Palatinatuum instantias, & requisi„tiones. Durus hic sermo videbatur ijs, quibus communis Nobilita„tis motus displicebat. Et sic iterum contra hanc propositionem „protestati sunt præeunte Protestantibus Magno Regni Mareschalco. „Videre illos erat per stagnantes ubere luto vias, inter obstantes „Equitibus quadrigas non tam ire, quàm præcipitari ad libertatem, „conclaveq; Nuntiorum repetere. Salutati sunt civilissimè à Mares„chalco Nuntiorum, & in defectu subselliorum, nudæ trabis assere ex„cepti, ubi exposito dolore suo contra Eminent: Primatem concepto „zelo Nuntiorum terrestrium, inter ferventissimos clamores fuerunt „recreati. Tueri igitur honorem sui Mareschalci, & prærogativam

Con-

„Conclavis inprimis propositum, non interrogatis prius illis Nuntijs, qui A.C. 1696
„ex Conclavi Senatorum non discesserant, & in tam evidentem everſio-
„nem Status consentire noluerunt. Iidem producendam Convocationem
„longius censuerunt, ab illis tantum obtento consensu, qui præsentes
„Conclavi adfuerunt. Et sic soluta sessio. Priusquam tamen finis im-
„poneretur sessioni delegati fuerunt nonnulli ex conclavi Nuntiorum ter-
„restrium ad Illustrissimum Episcopum Vladislaviensem, invitando, ut
„ad illorum Conclave descenderet, dignitatem Primatialem exerciturus.

„, Die lunæ etsi nonnulli omnino Confœderationem statu-
„endam prædicarent in Conclavi Nuntiorum terrestrium, nihil ta-
„men ibidem conclusum super ea re fuit. Flagellationes tantum, &
„gravissima Honoris alieni convicia passim audiebantur. Cogitabat
„eodem die Eminentissimus Cardinalis etiam seposita interim dignitate
„Primatiali una cum alijs Regni Episcopis ad conclave Nuntiorum ter-
„restrium descendere dicturus si propter me cœpta est, propter me
„desinat ira, simulq; invitaturus ad Senatum dissidentes; verum malè
„compositus stomachus, optimas etiam cupedias consuevit vertere in venenū
„præmonitus ab amicis, quòd neq; hoc profuisset, supersedit à proposito.

„ Die Martis cum Nuntiorum terrestrium conclave in via erraret,
„nec sciret progredi, comparuerunt quatuor Episcopi una cum nonnul-
„lis Senatoribus, invitando ad concordiam conclave Nuntiorum inva-
„liditatem consiliorum objiciendo. Verùm hæc omnia nihil movebant Nun-
„tios, eò, quòd intento suo non potirentur, quamdiu Regina Varsaviæ
„moraretur. Cum igitur nulla omnino media succederent, tandem Se-
„renissima Regina Vidua consilio Eminentissimi Primatis, cessit bono pu-
„blico, & prius per Reverendissimum Cujaviensem, postea per Plocen-
„sem Antistitem abituram se Varsaviâ promisit, tandemq; inclinato ad oc-
„casum sole ex arce disparuit. Satisfactum ergo videbatur eo Reginæ
„discessu pertinacissimis Partibus, cùm, quod vellent jam fuissent conse-
„cutæ; verùm inquieta malignitas convertens bonum in malum, in E-
„minentissimum Regni Primatem assurrexit, & nescio quam satisfactio-
„nem ex ejusdem Persona cœpit prætendere. Hæc verò procella inde su-
„um fontem habuit, quòd cum ante paucos dies vehementius, quàm ju-
„stius Serenissimæ Reginæ abitus urgeretur, respondit Eminentissimus
„Primas, quòd libenter in illorum sententiam iret, si hoc desiderium mo-
„vendæ ex palatio Reginæ, ex timore aliquo lædendæ libertatis nascere-
„tur. Sed quia libertas hæc videtur esse palliata, se nulla ratione posse illo-
„rum votis consentire. Præterea in prolixiori discursu nescio, cujus am-
„bitionem perstrinxit, dicendo quòd licet Baldachinum supra se explicatū
„haberet, nunquam tamen illum habuisse in capite, perinde atque non-
„nemo habet. Ita ergo prudentiores censuerunt, quòd eâ propositione
„ille se læsum sensit, cui ulcus inerat, & hoc erat principium, hoc ca-
„put, adeo enormis per calcata jura Cardinalis vindictæ. Eminentissi-
„mus verò Cardinalis factis intentus, verborum licentiam condonans, in-
„gens pacandæ Reip. desiderium constantissimè tuebatur, quando & per
„Reverendissimum Episcopum Livoniæ ad conclave Nuntiorum terrestri-
„um delegatum, & ipsemet in conclavi Senatorio majorem præstitit, quam
„debuerat satisfactionem.

„ Huc intervenerunt nonnulli ex Palatinatu Posnaniensi, & insimulâ-
„runt quosdam ex Nuntijs terrestribus, quasi neque de Confœderatione,
„neque de Juramento, neque de exclusione Piasti, neque de dissolvenda
„militari Confœderatione unquam cogitassent. Quod directè veritati re-
„pugnabat; ex nullo enim Palatinatu tanto zelo, contentioneq; tantâ præ-

A.C.1696. „ dictæ promovebantur materiæ atq; à Posnaniensi, præcipuè tamen dis„solutio vinculi militaris, & circumscriptio Domûs Regiæ.

„ Abrupta Convocationis Comitia, quemnam Authorem habuerint „ Deus optimus Maximus novit clarius. Ego neminem accuso, excuso ne„minem. Nam quæ realiter nescio, silere amo, multa falsa in ore famæ, „ otio credentium occulta probationem exigunt. Hoc unum liberè asse„ro, quòd injustè impetatur in hoc puncto Eminentissimus Primas, qua„si abruptis convocationis comitijs cuncta ad se trahere cogitaret. Nam „ evidens fuit, quòd Mareschalcus Nuntiorum terrestrium ipsemet spon„te suâ, activitate Mareschalci se exuerit, cum nollet Confœderationem „ apud se scriptam, compositamq; legere, Eminentissimus verò Primas Re„gni non nisi coactus uni ex Prælatis suis legendam tradiderit.

„ Scio quòd Illustrissimus Palatinus Siradiensis dixerit, nam & ser„mo illus prælo impressus est, nec arguo liberum sensum, vidi tamen plu„rimos mirari, quòd prædictus Palatinus qui fortissimè Confœderationem „ universalem divisâ Republicâ promovebat, idem eandem integrâ Repu„blicâ improbaret. Præterea cur idem Palatinus uno terrestri Nuntio e„xeunte, & prolongatione convocationis contradicente cessasse activita„tem affirmavit, & manente magnâ parte Nuntiorum in Conclavi Sena„torum & si pro consilio convocationis nondum fuisset concessa, tamen pro„secutionem negotiorum Reipublicæ suasit. Ac proinde audivi inexcusa„biliter illum errare, qui publicâ errat viâ, nec inveniri possit ratio, quæ „ convincat, quòd hoc instrumentum publicæ Confœderationis confundat „ Iura ordinum, convellat prærogativam Nuntiorum terrestrium aut rem „ ad unum transferat: quin potius concludere cogor scriptum hoc non „ larvatæ veritatis, quòd Confœderatio publica optima foret, si è re esset „ illorum, qui jactantius, quàm verius scripta protrudunt in publicum, „ quibus nihil placet, nisi quod omnibus displicet, qui alijs severi sunt, sibi „ indulgentissimi, qui id, quod neque est, neque fuit populo imponunt, „ qui nolunt solui Confœderationem militarem, qui optant habere indefen„sam Rempublicam, qui volunt in turbido piscari, qui ut dent venenum, „ addunt mellis aliquantum, ut per id, quod dulce est, lateat quod ama„rum est, & bibatur in perniciem. Verùm optarem ne ille, qui spinas se„minat; audeat nudo pede incedere, & qui domum habet vitream, ne „ in illam saxa projiciat. Qui verò pluribus respondere velit; si quærantur „ vera, dicent optimi, & mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus „ credatur.

EPISTOLA CUJAVIENSIS
EPISCOPI AD EMINENTISSIMUM REGNI PRIMATEM.

Reginam de Principis Jacobi & suo aliorumq; adventu certiorem factâ, viæ se accinxisse, quæq; in viâ contigerint, refert.

SPerabam equidem, quòd ad gravissimam Eminentiæ Vestræ impositionem non tantùm Serenissimum Principem Jacobum materno suo Regina Parens Serenissima complecti deberet affectu; verùm Nos quoq; non paucos Senatores, qui Principem illius comitabamur Filium, benigniore vultu respicere. Sed non respondit spei nostræ eventus, ita enim omnes à Regina sumus indignè

dignè accepti, ut arduum sit singula describere. Inprimis Serenissima Regina Vidua præmonita de nostro ad se adventu, in negotio non minùs Principis Jacobi, quàm suo, sinè mora ex æde Bielanensi discessit, nostrum ultro declinatura occursum. Interim jam unâ propè leucâ distantem, citatisq; passibus abeuntem in via deprehendimus. Verùm & ejusmodi occursus noster novo rubore non caruit. Cùm enim Nos iterum, iterùmque admoneremus vectorem, ut subsisteret, frænarétque effusos ad cursum jugales, Regina econtra aurigam subsistere Nobis audientibus prohibebat. Vector nihilominus numerosi comitatûs nostri, sive conspectu, sive minis perterritus, equos, rhedámque continuit, præsertim, quòd Serenissimum Principem Jacobum cum Senatoribus ad Reginæ currum euntem advertisset. Quanquam ego prius cum Palatino Culmensi accessi Reginam, ubi pauca præfatus indignabundam reperi, cum Serenissimum Principem Jacobum illi præsentarem, qui non lætiore fronte à Serenissima Parente sua exceptus est, & quantumvis Reginales plantas profundâ veneratione fuisset complexus, nihil tamen solatij retulit, præter brevissimum illud, & obliqvum responsum, quo paratam se ad obsequia Principis Jacobi Serenissima Mater testata. Recedente obortis lachrymis Serenissimo Principe Jacobo à curru Reginali, ego iterum semotis arbitris Reginam accessi inflexurus cor Maternum tantoperè aversum à Principe Filio. Hic Regina, quidquid unquam contra me filiumq; suum præconceptum habuerat, cum summa impatientia & indignatione deprompsit, effuditq; in publicum, solâ facie velatâ, clausâq; toto colloquij illius intervallo. Ego pariter tantâ indignitate rei permotus conclusi sermonem in ea verba: Serenissima Majestas Vestra satis habet hostium in Polonia, satis invidiæ, ejusmodi tamen modo agendi nobiscum plures habebit malè affectos, cum neq; Principem Filium, neq; Nos, eâ quâ par est, tractet ratione. Impendebamus Majestati Vestræ omnem venerationem & obsequium, quoúsue Regni sociam habuimus, verùm jam nunc aliter venerabimur. Profectò enim turpe, & vix ferendum Senatoribus, quòd tanto temporis spatio cum Principe Filio in via publica sub aperto Jove, ante currum Majestatis Vestræ, steterimus. Satius expectare Nos in ædibus suis debuerat Majestas Vestra, & de rebus tanti momenti non in aperto campo, sed in privato conclavi agere. Vestra verò Majestas eò loci tam indignè tractat Principem Filium, quem Nos in Regem Poloniæ eligere contendimus; quē si Regni nostri solium præterierit, profectò nulli alteri ex Principibus Majestatis Vestræ Filijs continget. His dictis omnes à Reginæ curru abscessimus. Quia verò Eminentia Vestra huic Nos confusioni exposuit, omnes intimè dolemus. Nam & Serenissimæ Reginæ idem insinuavimus, quòd Nos Eminentia Vestra securos reddiderit, longè aliter à Regina Matre Principem Filium acceptandum fore, cui Regina reposuit, se nihil plus Eminentiæ Vestræ dixisse; nisi quòd libe- A.C.1696

AC 1696 liberum sit unicuiq; ad suam venire Majestatem. De quo si fuissemus clarius præmoniti, nunquam ad illas Reginæ furias, & indignationem audiendam descendissemus, quia non fuit mentis nostræ Serenissimum Principem Jacobum novo vulnere affligere. Videat igitur Eminentia Vestra, quo imperio & superbiâ laboret Regina, tam despoticè unumquemq; tractando, quamvis jam Nobis non imperet, sed sub tutela sit Reipublicæ. Unde facilè patet, quòd non meditetur aliud, nisi ut etiam per abrupta regnet, & sumat vindictam. Exprobabat Principi Jacobo, quòd illam Varsaviâ expulisset, de quo ille nec cogitabat quidem. Ego ut verum fatear, non intelligo exilium istud, cum Regina perpetuò Varsaviæ commoretur, & suas quotidie conferentias habeat. Expedit proinde futura comitiola de omnibus his melius informare, & Nobilitatem instruere, cur, & quomodo possit tam perniciosis molitionibus obviare, quando Serenissima Regina cum paucis admodum Amicis suis, & Reip. non mediocriter suspectis, nescio quas fabricas molitur, Candidatos proponit, promovetq; Proceres Regni, ab unione animorum distrabit, trahendo illos in suas partes.

Quantam verò in illis spem suarum intentionum reponat, advertet (utinam non serò) Respublica in futuris comitiolis, in quibus vel gravi odio illos propinabit, quicunq; muliebribus assistunt consilijs, & tantis adhærent malis; vel ad ipsammet Reginam singulares instituentur legationes ab ijsdem Comitiolis, ut quietius, longiúsque se contineat à publicis Reipublicæ negotijs. Nam à talibus Reginæ actionibus, & scissis in varias partes Reipublicæ Civibus, quid sperandum in futura electione, nisi cædes, jurgia? validior debiliorem opprimet & liberam electionem unà cum legibus patrijs tollet. Unum per potentiam, vel duos simul per scissionem Reges eligendo.

Cùm ergo ad me ex vi legis post authoritatem Eminentiæ Vestræ spectet, ut in omnibus Rempublicam informem, cogor in hoc puncto sinè omni respectu exsoluere conscientiam, maloq; unius vel alterius offensam eligere, quàm omnium perniciem. Jnterim Eminentiæ Vestræ manum deosculando maneo.

HUIC EPISTOLÆ SINE MORA RESPONDIT EMINENTISSIMUS PRIMAS IN EA VERBA;

ET ego istius omnino spei eram, quòd hæc deprecatio civilioribus medijs absolvi deberet, non ijs, quibus peracta est. Quanquam (nisi me meum fallit Judicium) parum profectò fuit & Reginam ad residentiam Bielanensem venisse, & de adventu Principis Jacobi in tot Senatorum comitatu, ex fama publica rescivisse. Sed omnino debuit per certum ex aula Nuntium de aduentu hoc Principis admoneri, & quantumvis prima fronte auerti uideretur, decebat

decebat tamen justo dolori Materno breue laxamentum concedere. A.C. 1696
Hoc uerò neq; mihi, neq; ulli sanæ mentis placere potest, quòd abeuntem & omnino præterire obuios uolentem in medio itinere imperiosâ impatientiâ præconceptum iter abrumpere, & gradum sistere coegerit. Utiq; illi, qui læditur, deprecationem admittere, uel refugere est liberæ uoluntatis actus, ad quem nulla prorsus lex cogere quenquam potest, præter solius dictamen conscientiæ. Cur illam potius abeuntem non placuit sequi ad locum destinatum, ubi decentia Reginalem Majestatem placamina facilius adhiberi potuissent, non uerò in medio itinere ueniam extorquere nolenti. Si hoc illustrissima Dominatio nouissimo etiam Nobili cuicunq; faceret in aliquo fortunæ gradu constituto, nônne haberet pro se aliqua legum præsidia? Coronatum verò Reginæ caput tanto lacessitum ludibrio debitum apud Illustrissimam Dominationem Vestram non habet (video) respectum, & compassionem, imò plures adhuc illi per varia comitiola Regni evulgandas parat componitq; puncturas. Afficit hoc Illustrissimam Dominationem Vestram, quòd Mater Filium justo dolore sanciata tristi vultu exceperit, hoc verò Illustrissima Dominatio Vestra pro sua prudentia non expendit, quòd Filius tot maledictiones Matris in se prouocauerit, quòd illi lachrymas elicuit, quare prius lustralibus aquis liberaliter expiari deberet, eluiq;, si illum Illustrissima Dominatio Vestra in salutem Gentibus erigere optaret. Nam quid in illum peccavit Serenissima Parens, nisi fortè, quòd illum plus cæteris similioribus sibi, & obsequentioribus filiis dilexerit. Meminit Illustrissima Dominatio Vestra & ut delicatæ conscientiæ Senator publicè fateri debet, quòd Serenissima Regina circa componendum Principis Jacobi matrimonium plusquam maternum impenderit studium, & solicitudinem, quas deinde ea repulsa à Ducissa Radzivilia passa fuerit extases, postea demum gravem jacturam, honoris illius ex prædicta repudiatione promanantem meliori sorte reparaverit. Cùm ex zelo quidem retinendæ Christianæ fortunæ ad ruinam sub Vienna inclinantis, sed non minùs, ut per hoc officium viam sibi ad Austriacæ Domûs conjunctionem sterneret, sacri belli fœdus ideo composuerit, quòd illi brevia Apostolica clarè imputant. Quando deinde ad contractus matrimoniales ventum est, cum eadem Domo Austriaca; advertendo, quòd gloriosæ memoriæ Princeps, & absolutissimæ prudentiæ Parens nonnihil hæsitaret in hoc puncto, ut in proportionatam omnibus Filijs, neq; potiorem uni præ alijs Hæreditatem relinqueret, quantum Serenissima Regina desudaverit non modo Maternâ sollicitudine, sed propriarum etiam fortunarum impendio, ne dictæ Colligationis Matrimonialis cum domo Austriaca contractus Principem Jacobum præteriret. Tandem in hac quoq; ad Regnum Poloniæ promotione, quæ oro, manus fortius, sinceriùsque ad solium ducere poterat nisi Materna? si

A.C.1696 gratus acceptorum beneficiorum animus ingenuè, & procul omni fuco fateri velit. Revocet sibi in memoriam Serenissimus Princeps Iacobus tanquam Primogenitus, quomodo illi minores natu Principes in Prussiam abeunti propriâ manu, & tantum non sangvine subscripserunt, quòd illum ad Candidaturam Regni non modò ullâ ratione impedire, verùm etiam omni conatu possibili promovere parati essent. Commemoret sibi idem Serenissimus Princeps Jacobus, vel si non potest meminisse, intelligat ex sua consorte quomodo Serenissima Regina ad initium Convocationis (in absentia illius) invitatis Reverendissimo Episcopo Posnaniensi, Illustrissimo Braclaviensi Palatino, Ablegato Cæsareo & Domina Legata ad lectum infirmantis tunc Serenissimæ Conjugis Principis Jacobi caput suum diris obstrinxerit, quòd illum, à throno Poloniæ nullâ ratione deturbare cogitaret, & in omni candore Materni cordis præmoneret, ut sibi in hoc negotio caveret à falsis amicis. Dicat quæso Illustrissima Dominatio Vestra legeritne aliquando vel unam literam contra Serenissimum Principem Jacobum à Regina Matre exaratam? audivitnè vel unum verbum in depressionem illius ab eadem Regina Matre prolatum aliquando, nisi fortè in ijs, quæ libertati Maternæ licebat reprehendere.

Econtra verò ineat calculum Illustrissima Dominatio Vestra si potest, numerétque omnes disgustus, omnes machinationes in exilium Matris excogitatas, præcipitationesque aliarum actionum. Optimè Nobis perspectæ sunt arces illæ singulæ, quæ Serenissimum Principem Jacobum, per odium Maternum crescere docent in populo; verùm pœnitebit illum suorum consiliorum; nam ejusmodi industriæ inter præcipitia approbatæ veris coloribus mox indicabuntur. Non multum Illustrissima Dominatio Vestra eo quoq; lucrata est, quòd sua præsumptio apud inobedientem Reginæ aurigam tantùm authoritatis invenerit, ut vetante quantumvis Majestate ad vocem Illustrissimæ Dominationis Vestræ subsisteret. Hoc demum fuisset miraculum, si jugales Reginæ (quibus non est intellectus) ad solam Illustrissimæ Dominationis Vestræ Pastoralem inhibitionem substitissent. Serenissima enim Regina tam novo prodigio convicta fuisset manifestæ temeritatis. Quid ergo miratur Illustrissima Dominatio Vestra, quòd Serenissima Regina per totum illius temporis spatium velatam faciem suam aperire noluerit, quandoquidem propositum illi firmum fuerat neq; tunc loqui, neq; Illustrissimas Dominationes Vestras respicere. Nam etiam tunc jam illam regale tumens fastus à longè afflabat, proinde insvetum Majestati ferre impotens odorem obturare nares debuerat; Ego pro mea pristina in Illustrissimam Dominationem Vestram propensione & observantia

tia, vereor ne Illustrissima Dominatio Vestra reputationem suam, quâ inter Cives singulari pollet, tam pertinaci protectione Principis Jacobi sensim non imminuat. Fama enim jam publica, frequensq; volat per ora vulgi, quòd sicut Illustrissima Dominatio Vestra à Serenissimo gloriosæ memoriæ Rege assecurationem pro Cracoviensi infula extorserat, ita & nova recensq; ejusdem Episcopatus pollicitatio, & nescio quod præterea ab hoc Candidato promissum additamentum ad hunc zelum Illustrissimam Dominationem Vestram provocat, & calamum non sinit quiescere, qui tam frequenter Comitiola Regni circumvolat. Illud quoq; non mediocriter displicet compluribus rectè judicantibus, Illustrissimam Dominationem Vestram clarè in Epistola sua concludere, quodsi Princeps Iacobus Throno Polono exciderit, nullus ex alijs suis Comprincipibus ad illum sit promovendus; scilicet Tu egóque DEOS facimus, ut inquiebat, olim Calisthenes. Satis superq; fuerit Illustrissimæ Dominationi Vestræ ex magnis Galesij gestis pro sorte sua in Republica sentire, & non absolutam sibi communis libertatis dictaturam usurpare. Hoc demum tantùm Regni Senatorem pusilli animi redarguit, quòd unius Mulieris indignationem tantopere reformidet, præcipuè in silentio & innocentia, multorum testimonio ad modicum Regni angulum morantis. Pollicetur Illustrissima Dominatio Vestra quòd Reginam exagitare velit, varijs legationibus ex comitiolis Regni ordinandis; moneo inefficax hoc fore medium. Si enim illam Illustrissima Dominatio Vestra Regni hujus sedibus velit exturbare, omnium, quotquot in Taurica numerantur Getarum vires in societatem essent advocandæ prius ad id præstandum. Interpretatur Illustrissima Dominatio Vestra, injurioséque notat omnes illos, quotquot afflictæ Viduitati aliquod suâ conversatione adferre student solatium, & qui Illustrissimæ Dominationis Vestræ neglectum agunt pietatis officium, quantumvis omnes illi publico omnium judicio non sint Illustrissimæ Dominationi famâ & æstimatione non impares. Profectò enim ad Illustrissimam Dominationem Vestram tanquam ad Pontificem per os Prophetæ à DEO dictum existimo; Orphano tu eris adjutor. Ita omnino Illustrissima Dominatio Vestra credat, quòd omnes illos ad præstanda hæc Reginali Viduitati officia, ubertim ex oculis manantes exstimulent lacrymæ, non aureus imber ille, qui ad captivam Danaen Jovem deduxerat. Reliqua puncta per transennam acta mitto, orando Illustrissimam Dominationem Vestram, ut ea, quæ pacis sunt, pro Republica agat, & velut Aquila magnarum alarum non captet muscas, ut ex illis faciat elephantes. Interim maneo &c. A.C. 1696

A.C.1696

EPISTOLA CVJVSDAM NVNTII AD EPISCOPVM VLADISLAVIENSEM

Contigit mihi nuper legisse copiam literarum Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ Eminentissimo Regni Primati inscriptarum. Fuimus tunc aliquot ad eandem mensam ejusdem Epistolæ auscultatores, ubi inter amica epularum hilaria penè obriguimus universi ad indignitatem illius manuscripti. Imprimis verò ad conformes prædictis literis sermones super ea re Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ; & cum sparsas per complures plateas, ædesq; copias audiremus, ita ut penè ipsorum quoq; puerorum manibus versarentur, difficilè prorsus fuit continere vocem, quin in illud ipsius veritatis erumperet oraculum, & cùm malefecerint, gloriantur. Nescio profectò apud quemnam Iudicem non rea impotentis animi Illustrissima Dominatio Vestra censeretur. Episcopus & Regni Senator cum una fœmina digladiatus est gladio acuto in arena viarum, gladio inquam, sed non illo D. Pauli conversionem animarum quærente, verùm Majestatis Reginalis, obligationis Pastoralis, Senatoriæ Dignitatis injuriam moliente. Filium enim à Matre, Matrē à Filio ejusmodi actione avertit magis, quàm convertit Illustrissima Dominatio Vestra. Si Roma de tanta informaretur levitate, certè illam non probaret. Profectò quantum ad me attinet, optarem Illustrissimæ Dominationi Vestræ, ut à tam præcipiti actione deinde abstineat. Nam similis levitas quæ ex paribus fabulis Illustrissimæ Dominationi Vestræ de Serenissima Regina inter complures invaluerat, Episcopalem & Senatoriam Illustrissimæ Dominationis Vestræ dignitatem paucis ante diebus in conclavi Nuntiorum terrestrium depresserat, & quasi unius labij voce promulgaverat, Illustrissimam Dominationem Vestram (non populari convicio) esse subjectum garrulum: Semel tamen ad lingvam, bis ad limam ea referri deceret, quæcúnque in publicum referuntur.

Neque illud omnino probari potest, quòd Illustrissima Dominatio Vestra hunc Nobis & non alium Regem dicit, & quod ad omnes Regni ordines spectat. Optare licet Regni Nostri soliū ex candidatis, sed nullum licet ex ijs securū facere ante suffragiū omnium Regni Ordinum, præcipuè cùm palàm sit, (pace dixerim) quod nummus loquatur per Illustrissimā Dominationē Vestrā. De reliquo timeri debet ille, corā quo terrarum cardines contremiscunt, neq; miserabilis hic Princeps deludi amplius vanis pollicitationibus, aut si illi Thronum Regium polliceri præsumitis, profectò securitati Reip. malè prospectum vultis. Quod utrúmque quàm sit vitiosum, nemo sanæ mentis non videt. Hoc indubitatum est, quòd relegatio Reginæ ab arce Varsaviensi, ad æquiparantiam consortis Serenissimi Principis Jacobi negari non possit, quòd non ex alio fonte promanâret. Et hic demum fortè præcipuus fructus erit tot mil-

lionum

lionū quos Serenissimus Princeps Jacobus in privatos erogavit. Uno A.C.1696 *verbo; parturiunt montes nascetur ridiculus mus. Et quod Illustrissima Dominatio Vestra Serenissimam Reginā Viduā jam non regnantē appellat, dicit tanquam inscius statûs Reipublicæ. Quia apud Nos Regina etsi nunquam regnet tamen sicut vivente Rege, ita pariter & defuncto indelebilis est illius Majestas. Promittit sibi Illustrissima Dominatio Vestra magnalia quædam à privatis Regni Comitijs, aderimus Nos quoq; illis præsentes, & fallitur Illustrissima Dominatio Vestra, quòd singulas istas politiæ vestræ artes probè non calleamus. Confœderatio militaris, quo motore coaluerit, clarè novimus, & ne Scythæ quoq; in viscera Regni deducantur, veremur non mediocriter. Deus det veniam Principali Illustrissimæ Dominationis Vestræ, sed ut verùm fatear, extremis ad Regnum vijs nititur pervenire. Jus Divinum & naturale in Serenissima Matre sua, humanū in Patria violat, & quòd vult, maximè vult. Neq; tamen Illustrissimæ Dominationes Vestræ tantùm habent animi, ut illum à tam violentis medijs suaviter reducant; ego pro candore meo rogo Illustrissimam Dominationem Vestram ne unus id sibi præsumat usurpare, quod omnium est Ordinum officij, neque scandalisetur inde, quod Serenissima Regina non revelatâ facie Illustrissimam Dominationem Vestram fuerit allocuta, utique Pontificium est, religiosas tueri consvetudines, quæ velis utuntur, præsertim cùm loci Ordinarius non in claustro, sed in arenis variarum (more puerili) Serenissimam Reginam moraretur; præterea afflictissimus status Vidualis non permittebat emaceratam luctu faciem revelari; Episcopalis quoq; modestia per suas leges non poterat, neque debuerat apertum Reginæ vultum appetere. Satius proinde existimarem mitius cùm Republica agere, Eminentissimum Regni Primatem serijs intentum negotijs, tam levibus fabulis literisq; non compellare amplius, ac tandem verum Episcopum agere. Interim ego me pristinæ Illustrissimæ Dominationis Vestræ gratiæ iterum iterúmque impensè commendo &c.*

LITERÆ PRIMATIS
REGNI CIRCULARES.

U*Niversis æquè ac singulis, quorum scire interest, præcipuè verò Illustrissimis Senatoribus, Dignitarijs, Officialibus, & universo ordini Equestri Dominis & Fratribus meis gratiosissimis cum intima propensissimæ benevolentiæ significatione præsentibus hisce communico. Quemadmodum in proximè præteritis innotescentialibus pro munere officij mei retuli tam Regno universo, quàm M. D. L. fata, gloriosæ memoriæ Principis Joannis III. Domini Nostri Clementissimi & sinè mora omnia illa, quæcunq; ex lege publica & usu recepto muneris mei spectabant rationem pro viribus adimplere sum conatus. Ita in proxima Convocatione cum Ordinibus Regni hoc præcipuè in votis habui, ut in hac orbitate nostra suo redditâ juri Republicâ non tantùm in-*

A.C.1696 ternæ & externæ securitati solida providerentur media, sed omnes pariter exorbitantiæ, quæ enervant Statum Reipublicæ omni meliori modo componi possent. Quia verò occulta vis fatorum præcidit desiderium, & studia mea, protestor inprimis coram DEo Omnipotente, & tota Republica Patria nostra charissima, nec non coram universis in genere & specie Palatinatibus tam Regni, quàm M. D. L. quòd ex statione mea omnes possibiles conatus semper eò verterim, ut in concordi animorum fiducia, & charitate non ficta, illi inprimis malo, quàm primùm occurreretur, quod fortiùs premit; imò jugulat Rempublicam, hoc est, ut Confœderatio militaris, quàm primùm solveretur. Præcipuè cùm simus omninò destituti adæquatis medijs componendo huic fœderi. Suppositâ veritate & sincerâ promptitudine ad eum finem Illustrissimorum Exercituum Ducum. Cùm enim in hoc puncto desudabatur, copias armatorum, & causas hujus fœderis expendendo, considerabatur inprimis primus fons istius procellæ modicus admodùm, deinde intra breve tempus immodico auctus numero, alijs per vim eò accedentibus. Deinde apprehendebatur fortissimè, quòd præsens Confœderatio plùs coloris, & prætextûs præseferret, quàm realitatis in repetendis emeritæ Militiæ stipendijs, siquidem non expectato eventu Convocationis, quæ modum solvendi stipendij debuerat invenire, coaluit. Et inde non vanus metus animum meum incessit infelicium consequentiarum. Non defuissent fortè remedia, si non subtraxisset eam felicitatem invida fatorum series, superadditâ in perniciem Reipublicæ externa calamitate exhaustarum Regni Provinciarum & omni graviore Regnorum exitio, scilicet immedicabili civium discordiâ, propter quam sæpiùs non modò ad simultates, & contentiones, verùm etiam ad dismembrationem consiliorum (proh dolor) veniebatur, adeoq; uno ictu tota consulendi bono publico cecidit activitas. Et quamvis in eo statu non defuêre desperationis rationes, pietas in Rempublicam in bona spe retinebat zelosos boni publici animos, & nihil dissimulabatur mediorum, quæcunq; ad reunionem animorum spectare videbantur. Secundaverat DEus, erexitq; in spem meliorem consilia publica per concordiam utriusq; Conclavis tam Senatorij, quàm Nuntiorum terrestrium, sed breve hoc fuit solatium spei publicæ, quando in medio consiliorum tractu per Magnificum ex Palatinatu Czernichoviensi Nuntium producendæ longiùs Convocationi renitentem & publicè protestantem Convocationis Comitia præcisa sunt, & Respublica omni destituta præsidio sinè omni spe felicis & efficacis consilij relicta in ludibrio. Quamvis enim ex una parte prosecutionem consiliorum ipsa urgeret imminentis periculi necessitas, ex alia vetabat Religiosa vocis vetandi observatio. Ac proinde concidere, prolabiq; debuerunt graves & pernecessariæ in publicum & privatum materiæ ad actum Convocationis pertinentes. Sola tantùm naturalis defensio agitari debuit, circa quam iterum infelici quodam Reipublicæ fato gravissimæ quædam occurrebant difficultates, boniq; consilij cursum morabantur. Imminebant iterum novæ scissiones, & cives bonæ spei pleni ad desperationem adigebantur. Vix tandem felicior hora, & desideratum affulsit momentum, quo propter Confœderati militis discrimen concesserunt Regni Ordines, ut juxta pristinam legum praxim subscriberetur Generalis Regni Confœderatio, cujus contenta clarius de statu moderno informabunt universos Regni Ordines, sicut & ipsimet Nuntij ad Comitiola Relationis deputati, quæ ex mente eorundem in loco solito die Mense Anni currentis celebrabuntur, per amorem Patriæ, legum, immunitatum, libertatum nostrarum obtestando universos, ut innatum boni publici zelum, & curam salutis publicæ, atq; conservationis propriæ sibi imprimis proponant, exemplo majorum nostrorum, sicut suo sangvine limites hujus Reipublicæ produxerunt, ita Nos propter aureæ libertatis securitatem, fortunas & vitam nostram, imò etiam, si quid cari-

carius datur, litare parati. Et siquidem futura (utinam verò felix) suc- *A.C.1696*
cedentis Regnantis electio, publico totius Nobilitatis motu vigore Instrumenti Confœderationis Generalis est determinata, conformando me sensui quoad hoc punctum, omnium penè Palatinatuum, oro, obtestorq; omnes Regni hujus Ordines per amorem Patriæ, ut ad omnem casum sint parati, præsentesq; literas meas pro geminis acceptare dignentur, si necessitas defendendæ Reipublicæ id postulaverit. Interim ego D. O. M. orabo ut consilijs nostris manum dignetur porrigere. Has verò literas manu meâ subscriptas, & sigillo munitas cum consensu Deputatorum tam ex Senatu, quàm Equestri Ordine, ad latus meum pro communi consilio ordinatorum mitto; ut castris omnium Palatinatuum more patrio inserantur. Dabantur Varsaviæ die 2. Mensis Octobris. Anno 1696.

LITERÆ EPISCOPI VLADISLAVIENSIS AD PALATINATUS.

Relatione facta de ruptis Comitijs, Confœderatione militari & modo illam solvendi, nec non obtrusis nonnullis candidatis, inclinat in domum Regiam.

QUando jam tandem supremum penè Reipublicæ nostræ impendet exitium, frustra DEos incusamus, cùm simus inexcusabiles ipsi, nulla ex prævisis jaculis acceptando media, quibus possemus „avertere noxia, & rebus succurrere lapsis. Poterátne quid funestius, & „tristius afficere Rempublicam & in ferales ictus porrigere, morte Regis „gloriosissimi, postquam, quasi cadente quercu ligna quisq; colligit, ad „omnes ictus & vulnera expositâ Republicâ. Nos verò alienæ mortis „sopore ita in lethargum incidimus, ut in consilijs publicis vitales spiri„tus ignorentur, tam enim alieni à sensu, quàm ab unione remoti sumus.

„Abrupimus Convocationis Comitia, scripsimus per Convulsionem ju„rium Conclavis Nuntiorum terrestrium, Confœderationem, Classicum „canimus, communem Nobilitatis motum provocando. O miseram Rem„publicam ubi divisa Imperia, scissaq; in partes consilia. Alij in Sena„tu, alij apud terrestres Nuntios conservandæ libertatis studia versant „in diversa, quando Conclave Nuntiorum terrestrium in suo Directore „læsum, & quasi ad actum cum magna parte Senatûs & Ministrorum „statûs transfert consilia à Patribus in campos martios; occupato Con„clavi Nuntiorum terrestrium, quæ translatio sicut universos fecit at„tonitos, ita in varios traxit sensus. Tunc enim visa Respublica „destituta Rege magis, quàm ullâ lege dirigi.

„Ergo in illo animorum & sententiarum æstu à conclavi Nuntiorum Per„illustris Potocki Crasnostaviensis Gubernator, non sinè alijs quoq; viris „insignibus, venit ad me cum invitatorijs, ut vices geram Primatiales in „conclavi Nuntiorum suffultus lege publicâ; Cui modestissimo respondi ser„mone, & loco Conclavis Nuntiorum Senatum adij, cùm verò postridie „idem à me ferventioribus precibus postularetur, ut descenderem ad con„clave Nuntiorum terrestrium; resolvi me ex consilio Eminentissimi Pri„matis, & multorum sensu Procerum, invitatis unà mecum Illustrissimis „Posnaniensi, Plocensi, Premisliensi Episcopis, ubi magno Nuntiorum nu„mero stipatum vidimus eorum Mareschalcum, & potiorem senatûs par„tem Potoccios, Sapiehas, Lubomirios, Radzivilios, nec non alios quoq; „ex præcipuis Senatoribus, qui sepositis suis curulibus ad scabella æqualita-

tis

A.C.1696 „tis deſcenderunt pro decoro & in Patriam amore id reputantes, quòd „ad cunabula redirent libertatis, unde illa prima ſumpſit exordia. Ibi ob- „tentâ dicendi facultate, qualia fatorum neceſſitas verba dare, & ra- „tiones componere voluit, hæc unà cum alijs in medium protulimus, per- „ſvadendo, ne per tam inaudita, nec ullis ſæculis viſa vel lecta exem- „pla ipſimet ſponte Nos perderemus diviſo imperio, ſed potiùs ut con- „clave Nuntiorum terreſtrium more Majorum uniatur Senatui, & com- „munibus conſilijs, unanimi votorum animorumq; conſenſu Patria muni- „atur. Non fuimus tamen ita felices, ut recentia curaremus vulnera, „ſed aliquot diebus in æmulatione conſumptis tandem offenſionis lapidem „amovimus, poſtquam Eminentiſſimus Primas per ſuum Internuntium „ſuaviter perſuaſit conclavi Nuntiorum, ut ſenatui uniretur, appoſitâ con- „ditione, ut Sereniſſima Regina Vidua ſub tempus conſiliorum Varſaviâ „longius excederet. Quòd ſinè mora Sereniſſima Princeps adimplevit, „& pridem ſine dubio præſtitiſſet ob amorem boni communis, niſi pa- „rum provida nonnullorum conſilia reſtitiſſent, eorum præcipuè, qui ma- „lebant jacturam boni publici pati, quàm Reginæ diſplicere. Utroq; igi- „tur Conclavi feliciter tandem ſociato in ſpem erigebamur meliorem, „interim funeſtior Nobis tempeſtas incubuit, ſimultates nimirum, facti- „ones, & prævaricationes nonnullorum tantæ, ut omnia eſſent confuſa, „nec ſuo ſtarent ordine. In tanto conſiliorum turbido, & Convocatio „abrupta inſolentiſſimè, & Patria mille periculis expoſita, præſertim cùm „jam intra viſcera Regni graſſaretur miles fœderatus, externo hoſte pe- „riculoſior, & fortè crudelior. Quare ſit, oro, primæ curæ Dominatio- „nibus Veſtris, ut quàm primùm occurrant tanto diluvio, ne fortè pri- „ùs fortunas noſtras deglutiat, & everſo ſtatu Reipublicæ illum Nobis „Principem per inſolentis militiæ intrudat miniſterium, contra Cardi- „nalia liberæ Electionis jura, qui thronum conſcendat per conculcatas „leges patrias, & Regnum liberum hucuſq; tyrannicâ olim imperandi „vi vertat in abſolutum. Exiſtimarem ergo efficaciſſimum fore malo re- „medium, ut quàm primùm contributiones regni in ſtipendium eme- „ritæ Militiæ numeremus, ipſi verò ad omnia repreſſalia parati ſimus. „Etſi Illuſtriſſimi Exercituum Duces in magna ſpe Nos poſuerunt, quòd „authoritate ſuâ, & perſvaſionibus confœderatam militiam obſequio Rei- „publicæ debeant retinere, modo illi certa provideantur ſtipendia. Et „jam dedit hujus documenta laboris Illuſtriſſimus Caſtellanus Cracovi- „enſis, Me enim ſpectante ponderoſiſſimis rationibus & amore in Pa- „triam militiæ Præfectos ſimul mecum menſæ adhibitos obteſta- „tus eſt, ut non violandâ fide Patriæ ſuæ chariſſimæ potiùs, quàm ad- „verſæ Confœderationis partes ſequerentur. Quod feliciter illi ceſſit. „Univerſi enim ac ſinguli Polonæ Militiæ Præfecti convivio Illius præ- „ſentes illibatam fidelitatis conſtantiam nobili & militari verbo promiſe- „runt, nihilominùs tamen exiſtimo, ut omni excluſâ morâ pecuniarum il- „li feramus ſubſidium, ut poſſit impedire, ne Confœderationis malum „ingraveſcat, vireſq; colligat; ſed potiùs ad obedientiam quàm primùm „redeat, & Patriam metu liberet inſolentiæ militaris. In quantum verò „confœderatus miles nollet ad obſequium Reipublicæ & obedientiam „ſuorum Ducum redire, ſuaderem pro hac ipſa contributione novas co- „hortes deligi, ex quibus quando formabitur nova militia unà cum ro- „bore totius Nobilitatis non modò Confœderatos, verùm etiam alios „quoq; libertati electionis inſidiantes exterrebit, & præconceptos auſus „præcidet, adeoq; cogentur ad pacaciora & honeſtiora deſcendere me- „dia, cùm impares fuerint & viris, & viribus. Per lauda verò privato-

rum

„rum Comitiorum certæ pœnæ ſtatuantur contra eos, qui nova ſigna *A.C.*1696
„ſequi detrectarent, deinde contra non obtemperantes parentibus &
„conſangvineis, ut omni hæreditate & ſucceſſionibus careant, & in
„ſuorum caſtrorum quibuſcunq; ſubſellijs judicentur tanquam rebelles
„Patriæ. Verùm unâ ſublatâ malorum cauſâ, facilè nova repullulat,
„quæ Nos non poſtremè ad præſens afficit, quando Gallica factio ſu- *Gallica factio.*
„mit faſtigium, in cordibus Procerum, Civiumq; adeo, ut vix jam non
„fruſtra ad cunctos transferatur Electio. Magnis enim præmiſſis lar-
„gitionibus, & miris modis trahuntur multi in partes Principis *de Con-*
„*ti.* Hoc quàm perniciosum foret Reipublicæ habere Regem & Regi-
„nam ex gente Gallica, quivis ſtatiſta ex præmiſſis infallibiles inferre po-
„terit conſequentias. Non poſſumus Nos expedire ex factionibus Galli-
„cis, quibus ita innodavimus Regnum, ut ob illas non modò fortunas
„noſtras in diſcrimen projecerimus, verùm etiam vitam ipſam, & ho-
„norem, priſcum etiam candorem Polonum & integritatem liberta-
„tis, Galliæ in depretiationem ſubdiderimus, & antiquam realitatem
„per dehoneſtamenta morum, in omnibus ferè mutaverimus. Quid oro
„bono publico commodi noſtra Galliæ præſtita obſequia, & tot im-
„penſæ attulerunt? Unus & alius fortunas inde ſuas auget, & Pa-
„tria viribus, ſolidiſq; conſilijs deſtituitur, corruptelam morum & ani-
„morum in lucro referendo. Exoſi jam ſumus vicinis noſtris propter
„nimiam hanc ad Gallos inclinationem, quorum moribus regimur. Quid
„ſi Regem Gallum haberemus, quis non in mores Principis iret? Pro-
„pterea cenſerem, quàm primùm expediendas eſſe ex comitiolis hiſce ad
„Eminentiſſimum Primatem literas ut legatum Gallicum præmoneat, qua-
„tenus velit reſilire ab hac promotione, & tam pernicioſis ſtudijs non
„præoccupet Procerum & Civium mentes, omnemq; ſpem ejuſmodi E-
„lectionis deponat.

„Sereniſſimum quoq; Electorem Bavariæ non minùs Sereniſſima
„Regina ex ratione nexûs promovet, ſed & hunc dejicit ex ſpe Electi- *Bavarica.*
„onis diviſum Imperium. Quia ſinè dubio majorem curam Hæreditario
„Dominio conſervando impenderet, quàm noſtro electivo. Eſt etiam
„intrinſecatus Regi Hiſpaniarum, & obligatus parte Belgij ad bellum con-
„tinuandũ, quod cõmittere minorenni Filio nequit, adeoq; fortè utrumq;
„vellet moderari, & ſic neutrum teneret, & ex abſoluto Imperio liberæ
„genti dominari, vix ei eſſet tolerabile ac proinde Reipublicæ Polonæ pe-
„riculoſiſſimum, ne per tam potentem Principem vertatur in abſolutum.
„Experti ſumus ſub Henrico Valeſio, quid ſit habere gemini Iuris & im-
„perij Dominum, qui tædio hæreditarij Regni correptus noſtram poſt-
„poſuit libertatem; Vladislaus quòque Varnenſis maluit hæreditariam
„tueri Hungariam, quàm Poloniæ conſulere, potiuſq; elegit in illius con-
„finijs perire, quàm in throno Poloniæ ſecurè vivere. Et hic eſt fru-
„ctus gemini Imperij, & diſtracti per Regna Regis. Optarem igitur
„Sereniſſimam Reginam Viduam admoneri, ut connaturalius in prolem
„Regiam Materno feratur affectu, quàm externum Principem Electio-
„ni liberæ obtrudat, contra jura Materni affectûs & pietatis. Cùm pro-
„bè conſtet, quòd ex ratione ſtatûs, & alijs circumſtantijs, imò etiam
„propter hanc ipſam promotionem imperare nobis non poſſit Elector
„Bavariæ. Urgeor proinde obligatione conſcientiæ meæ, ut prædictos pan-
„dam aperiamq; Candidatos, quorum fabricationibus & promotioni niſi
„præſentia occurrant tempeſtivè Comitiola, certò ita Reſpublica pertur-
„babitur, & ſubjecta in varia ſtudia dividentur, ut in futura Electione
„non liceat olim ſecundùm præſcriptum legum Principem deligere quem

A.C. 1696 ,cuncti volent, sed illum in turbido piscari, & throno inferre, quem ,non liberæ voces verùm servilia ingenia ambitu lucri innodata promo- ,vebunt, non tam in conservationem libertatum & immunitatum, quàm ,ad privatam utilitatem, ut nimirum, per ruinam Patriæ abundantiùs ,habeant. Et ideo totum ante-brumale tempus interceptum est, ut ,diutiùs utilitati privatorum serviret electio, & morâ temporis illis plus ,utilitatis, Patriæ verò plus periculi adferri posset. Quare salutariùs e- ,xistimarem Reipublicæ, more Majorum testari propensionem ad Domum ,Regiam, quam per concurrentiam externorum prævaricationibus Re- ,gnum corrumpere, & divisis in partes civibus bello civili Patriam vel ,externo implicare. Quæ porrò inde seqvuntur consequentiæ, si tot ,cives regni, proceresq; post pollicitationes auri & argenti abibunt, & ,tempestivè ab pso appetitu non arcebuntur, nisi certissimæ sub tem- ,pus futuræ electionis scissiones animornm, ita ut per abrupta unusquisq; ,olim suum velit eligere Regem, & sic unum vel duos eligemus ad majus ,Patriæ periculum. Satiùs ergo tam externi legati, quàm Serenissima ,Regina Vidua seriâ expostulatione præveniri debet, ut omnem pror- ,sus curam de futuro Regnante eligendo dignetur deponere; Cui ex vi ,legis & statione sua Eminentissimus Regni Primas invigilare tenetur, ne ,quid Resp. per conniventiam patiatur. Siquidem Serenissima Regina ,post suum ex arce Varsaviensi abitum, quem pro injuria reputa- ,vit, ob quorundam subjectorum ingenia, quæ sibi fortiùs adhæserunt, ,quiete suâ frui non potest, propter continuas illorum visitationes & ,conferentias, quibus quemadmodum se, ita & Reginam in obliquas Rei- ,publ. trahunt suspiciones. Cuncta hæc pro vinculo obligationis meæ ,Senatoriæ, & amore Patriæ in Fraternum Dominationum Vestrarum ,sinum depono, optoq;, ut D. O. M. pro bono publico consultantibus e- ,am impertiatur benedictionem, ut inde universitas salutem, leges, & li- ,bertates Patriæ tuitionem, Ecclesia Romana propagationem, immuni- ,tates Ecclesiæ defensionem sortiantur, & in præmium laboris hujus, ,quem Magnificæ Dominationes Vestræ amori Patriæ litant, cum ad- ,jectione longitudinis dierum impleatur singulorum Domus benedictione ,Divinâ è voto meo quo testor &c. Dat. 15 Octobris. Anno 1696.

EPISTOLA AD EPISCOPUM
VLADISLAVIENSEM EX COMITIIS SREDENSIBUS.

Datam ab Illustrissima Dominatione Vestra Epistolam, eâ, quâ par est, observantiâ legimus, & cum attentione illa, quam meretur Antistitis tanti & Senatoris Authoritas. In eam enim spem erigebamur universi, quòd ex contentis illius in hac orbitate Reip. & confuso rerum statu debita referre deberemus solatia. Verùm inanes fuerunt spes nostræ, & expectationes, ubi legimus prudentissimos sensus, vota senatoria, & præjudiciorum Reipublicæ reprobationes, arduum Nobis fuit non agnoscere æquanimitatem, & debitum conservandæ Reipublicæ zelum Illustrissimæ Dominationis Vestræ. Singula enim hæc enituerunt in turbatis publicis consilijs inaudito à condita Republica exemplo, cùm status Regni hujus non tantùm mutatus, verùm etiam ex integro, imò plùs quàm eversus apparuit tunc, quando (ut in Epistola legimus) non parva pars Senatûs è loco consiliorum, legibus instituto, & usu accepto depositâ statûs sui dignitate ad Conclave Nuntiorum terrestrium consilia sua transtulit in evidentem confusionem Reip,

Reip, nullâ prisci moris formâ relictâ, & quod dolendum magis, quòd à custodibus suis jura Regni Cardinalia enormem passa fuerint læsionem, & hoc tantùm ad integrum exitium legum, immunitatum & libertatum nostrarum desiderabatur, ut Illustrissima Dominatio Vestra postulationibus quorundam Nuntiorum terrestrium contra directas leges publicas concederet assumendo Primatialem dignitatem. Quò majorem numerum ex literis Illustrissimæ Dominationi Vestræ magnorum nominum & Ministrorum status in ea dismembratione præsentium colligimus; tantò profundiùs infelici Reip. nostræ fato indolemus, cum ea declaratione, quòd circa tuitionem status & jurisdictionis Primatialis Eminentissimi Cardinalis constantissimi esse velimus, indefessos illius conatus, delicatissimam in libertates nostras teneritudinem, curas, studia, & solicitudinem circa bonum commune omni gratæ mentis officio rependere. Habent quo glorientur Palatinatus nostri, quòd in tam turbido rerum statu integram inter se confidentiam, & indissolubilem animorum unionem mutuò conservaverunt, atq; adeo cùm inde probatas perspectasq; tam Senatorum, quàm etiam Nuntiorum nostrorum virtutes, & invictum candorem habeamus, indubitatè credimuss, minime ad nostros Palatinatus pertinere, insinuatas literis Illustrissimæ Dominationis Vestræ assentationes Serenissimæ Reginæ Dominæ nostræ Clementissimæ ab aliјs sinè dubio exhibitas, non à nostris. Omnes enim qui in his Palatinatibus censemur, servamus debitam erga immortalia gloriosæ memoriæ Principis defuncti merita, venerationem, & grati animi memoriam, illibatum gentis nostræ honorem in debito erga Majestates respectu reponendo. Neq; illo literarum Illustrissimæ Dominationis Vestræ puncto convincimur, quòd abitus Serenissimæ Reginæ ex arce Varsaviensi primò apud prudentes Regni nostri Cives, deinde etiam apud exteros dignitati Reip. injuriosus, novoq; exemplo extortus possit habere candidas boni publici rationes. Quin imò ad evincendas Reip. ad Domum Regiam prætensiones opportunam censemus Serenissimæ Reginæ in arce Varsaviensi moram. Credimus enim nonum extinctum esse penitùs in corde Reginalis Majestatis pristinum illum erga boni publici integritatem animum, amoremq;, quantumvis nullam sibi apud Regni Cives, dolendo sanè omnibus sæculis exemplo confidentiam post tot merita comparaverit. A.C.1696

Materiam instituendæ Electionis, tanquam ad omnes spectantem Regni Ordines probè intelligendo, pro fundamento habemus Majorum nostrorum instituta, & expressas quoad hoc punctum legum authoritates ac rigores, qui hoc severissimè vetant Civibus, & pro crimine censent, si id sibi usurpare præsumant, quod ad integram spectat Rempublicam, hoc est, quicunq; demum illi privatas Confœderationes, & factiones Palatinatibus & Provinciјs suggeret. Ejusmodi enim promotiones ad totam Rempublicam remittuntur publicis Regni legibus. Quod unicuiq; clarè legere licet in Generalibus Reip. nostræ Confœderationibus Annorum 1573. 1587. 1687. 1674. Proinde ad hoc punctum Epistolæ ab Illustrissima Dominatione Vestra datæ, compendiosè cum legibus respondemus sinè offensa quorumcunq; demum candidatorum, qui, quò plures suo tempore comparebunt, tantò felicior erit Reipublicæ inter plures electio, ex decore, & utili publico. Præcautionem tandem Illustrissimæ Dominationis Vestræ, quòd reperiantur nonnulli, Reip. hujus Cives prævaricationi obnoxiј profundâ animadversione admittimus referendo nocentes ad prædictos, & in præteritis Confœderationibus clarè descriptos rigores &c.

XXII.

ALEXANDRO ZAŁUSKI
Palatino Ravensi Fratri suo
5. Octobris.

Insinuata ruptione Comitiorum & Confœderatione Generali, refert aliorum judicia de quibusdam Candidatis.

NOn quòd abieris, sed quòd nondum redieris queror, quanquam mutationem nullam videt Respublica post abitum tuum. Ruptâ Convocatione accessimus ad Generalem Confœderationem, quicunq; autem ad hanc consilij dissolutionem ansam dedit, quicunq; auxilio, consilio juvit, causam dicet sæculis & DEo Judici & Vindici nostro respondebit, dum inclinatas & dispositas res ad formandam Ordinum Regni compagem, si quando, tunc maximè in præsentibus interregni circumstantijs, summè necessariam destruxit, impedivit, pessimdedit, quid restat? tantum Confœderatio Generalis, sed & hæc non potest sperari talis, qualem stricta lex jubet, quomodocunq; enim eam instituamus, semper solœcismum impingemus in statum, sed quod pejus est, & hanc ipsam Confœderationem, præter quam nihil jam amplius excogitari in rem Reip. potest, sunt qui velint impedire, ut facilius possint piscari in turbido, si id quoq; fieri posset.

Exiit etiam sermo de Candidatis. In capite libri ponitur Princeps Jacobus, quem quoniam nosti, non descendo in exaggerationem qualitatum ejus. Alter est Elector Bavariæ, quem ut palàm est, fortissimè Regina promovet. Habet hic à multis multas recommendationes, & ego nosco Personam verè omni throno dignam, nosco & qualitates, supremo quovis Imperio capaces, inveniuntur tamen, (ut in istis quas subnecto, videbis rationibus) qui sunt contrarij & omninò impedire volunt, non ex alia ratione, tantùm ut muliebre evitent regimen Matris & Filiæ. Propositus est etiam à Legato Galliæ Candidatus Franciscus de Borboun Princeps Contius, de quo quia nondum audivisti, non possum melius illa exprimere, quæ in favorem ejus dicuntur, quàm si misero Tibi literas, quæ occasionem ad explicationem dederunt Episcopi Vladislaviensis, & responsum Legati Gallici.

Urget me, ut operam meam in hac Electione impendam, vestram invocem, sed grave mihi esset si Domus Regia, cui tot obligationes profitemur, deberet defraudari.

Reliqua lator præsentium, à quo fideliter exprimente præclarè cognosces, quæ hic aguntur, & quod præsentia tua sit hic quantocius necessaria, ante finem Confœderationis qui est proximus.

DISCURSUS IN LUCEM PUBLICAM EDITUS,
utrum Serenissimus Elector Bavariæ in Regem Poloniæ possit eligi, atq; inter Candidatos imprimis censeri?

An Elector Bavariæ eligendus?

„Respondetur. Domus Bavarica à tot sæculis, inter primas Eu„ropæ familias celeberrima, & ipse Serenissimus Elector, actionibus Heroi-

,Heroicis insignis, & affinitate Domus Regiæ par sceptro & diadema- *A.C.1696*
,,ti, utrum tamen illum in Regem Poloniæ eligi censeriq; expediat? liceat
,mihi tanquam libero Patriæ hujus civi sensum meum in compendio
,aperire.

Inprimis si tanquam externus Princeps Serenissimus Elector Bava-
,riæ vult inter Candidatos ad Regnum Poloniæ censeri, debet omnino,
,non tantùm Reip. verùm etiam externis Principibus ea de re signifi-
,care: alijs præterea campum pariter concurrendi concedere, ut Resp.
,maturè dispiciat, cur Domum Regiam à Candidatura excludere debe-
,at, & quisnam ex concurrentibus utilior, aptiorq; Regno videatur.

,, Quodsi verò tanquam colligatus cum Domo Regia pari cum illa
,suffragio ad thronum contendit Poloniæ, timendum ne aliqua col-
,lisio Domum inter Regiam & Serenissimum Electorem Bavariæ inde
,oriatur. Nam & si minorennes videantur Regiæ Domus Principes,
,jam tamen prætextas posuerunt, gloriosæ memoriæ Parentem suum ad
,bella euntem comitabantur, ita supponunt, quòd sint viciniores ad thro-
,num Poloniæ ob immortalia Patris sui merita, quam Serenissimus Ele-
,ctor Bavariæ ex ratione connubij. Quæ concordia Domus Regiæ cum
,ejusmodi Candidato foret, facilè concludi potest, si Principibus filijs ex-
, ternus Princeps suffragium præriperet ad coronam? de qua olim jam,
,minorennes adhuc inter se disceptabant.

,, Comitijs rite peragendis, stat res Polona virisq;, quæ Comitiorũ
,consultationes quanti constant Regibus Polonis nolunt intelligere exter-
, ni concurrentes, ubi verò rem penitius perspexerint, repetent Henrici
, Valesij sensum: O verè isti Domini Poloni, volunt me facere causidi-
,cum, vel pertæsi inordinatissimi nostri ordinis, introducent mutatio-
, nem status, vel impares vindictæ præeligent Regno excedere, & Ma-
, gistratu abire.

,, Sit Serenissimus Elector Bavariæ par Regimini, & addictus No-
, stris moribus legibusq;, nihilominus imperitus sermonis Patrij, ita no-
, stris Comitijs præsideret, ut neq, ille nos, neq; nos illum intellige-
, remus. Nunc Serenissimus Elector gubernat suum Dominium absolutè,
, taliq; modo regendi assvetus est, paucis admodum consiliarijs adhibe-
, ri solitis ad consilium cameræ; hic verò in regno libero deberet pa-
, rere arbitrio tot personarum, & frequenter non sine stomacho liberas
, Civium sententias sibi contrarias audire.

,, Serenissimus Elector in suis Dominijs unicum tantum bellum ad
, Rhenum habet, de cætero omnia ubiq; pacata. Præterea in varijs Ci-
, vitatibus superba planeq; Regia habet Palatia & ædificia, non tantùm
, ad commoditatem Principis aulæ, verùm etiam ad luxum & splendo-
, rem. In Poloniæ verò Regno ex omni parte inveniret suspectam vi-
, ciniam, & cives ipsos internis diffidentijs planè distinctos, inveniret
, mensæ Regiæ proventus non tantos, quàntos sperabat; residentias im-
, pares suo fastigio & expectationi, & sic pertæsus tam molesti Imperij
, nostri præcipuè verò comitiorum, non illa Majestate dignitateq; qua
, par est tractari hodie solitorum forte ad suam Bavariam obtento Re-
, ipublicæ consensu ad instar Sigismundianæ in Sveciam expeditionis,
, sine spe reditus aliquando abiret, ideoq; Nos Regnumq; universum
, varijs discriminibus objiceret, ac per Proceres subordinatos gubernan-
, do Rempublicam suum Dominium externâ interim potentiâ confirmaret.

,, Adeoq; eodem planè modo gubernaretur Polonia, quo guberna-
, batur nuper sub Rege Ludovico Poloniæ simul & Hungoriæ. Habere-
, mus iterum Proreges vel duodecim Palatinos, quorum placitis dicto

 citius

A.C.1696 „citius obsequi cogeremur. Sed supra universos primas regnandi partes „sub umbra & potentia Serenissimi Electoris & simul Regis Poloniæ u„surparet sibi Serenissima Regina Maria Casimira, cui quantum displice„at regimen Polonorum, clare demonstrarunt docueruntq; præsentis con„vocationis Comitia. Et quamvis Serenissimus Elector vellet semper ad „clavum Reipublicæ residere, & ex præscripto legum Regnum mode„rari: nihilominus Serenissima Regina Casimira per filiæ suæ ingeni„um, & filia per potentiam Mariti plurimum Reipublicæ probatis jam „artibus obesse posset.

„Præterea Serenissimus Elector Bavariæ, incapax videtur Poloni„arum Regni, ex ea ratione; quòd sit Sacri Romani Imperij compars, „nisi forte renunciare vellet Dominio Bavarico & Ministerio Imperij. Tan„dem hoc quoq; placet addere, quodsi non unanimi consensu Regni Or„dinum constaret illius Electio, sed vel per partem Nobilitatis vel per „Confœderatæ militiæ suffragium, tunc stante Dominio Serenissimi E„lectoris possent meritò excitari aliquando ejulationes & Civiles motus „per introductionem invitationemq; Scythicæ aut alterius externæ mili„tiæ, faceremusq; theatrum bellorum Rempublicam.

„Serenissimus Elector Bavariæ cùm habeat suas necessitudines cum „colligatis, involveret nos procul dubio sensim sine sensu in lites & tri„cas colligatorum & posset nos ad controversias aut bella cum adver„sa parte pedetentim introducere. Crimini fuit, aut saltem quasi Cen„soriâ virgâ severius notabatur in Rege Michaële, susceptum à Catho„licissimo Rege vellus aureum quasi hac via inauthoraretur ad universa „negotia Domus Burgundiæ & Austriacæ & tantum valuit prædicti vel„leris in Regiam importatio, ut Regni Primas non illo tantum quo vi„xit, sed aureo etiam dignus ævo Nicolaus Prazmovius inter causas exi„mendi, ab obedientia illius populos, principaliter illud referret. Quodsi „ergo Serenissimus Elector Bavariæ in throno Poloniæ consideret, quibus „Nos non innecteret obligationibus, aut necessitudinibus? Omnibus re„tro sæculis diligentissimè refugiebat, formidabatq, vicinorum potenti„am Polonia. Quia proxima Germania obliquo semper oculo, auream „nostram respiciebat libertatem, atq; ideo nuper sub nomine tituloq; Cru„cigerorum Poloniæ fines & viscera depascentium, complures ex Germa„nia, Bohemia, Hungaria Principes cum sua militia in oppressionem Gen„tis nostræ convolabant. Hoc omnino Regno Nostro sperandum foret „metuendumq;, ne tam potens auro viribusq; Princeps plus nimio gravis „sit pristinæ nostræ libertati, cum tam intimas habeat affinitates, cum „omnibus penè vicinis nostris, qui nos omni parte cœli terræq; circum„stant. Cuncta igitur sive absens, sive præsens in Republica nostra pos„set evinceretq;, sicut alijs Regnis Hungariæ, scilicet Bohemiæq; con„tigisse meminimus.

„Iam ejusmodi Electio gradus esset ad absolutum Dominium, & non „vanus metus hæreditatis instituendæ, si post illam nascerentur diffi„dia inter Domum Regiam, cui se opponendo Serenissimus Elector „aut saltem firmando throni sui securitatem, induceret certam lanienã „inter discrimen libertatis, & publicæ integritatis apertum periculum.

„Præterea non potest Serenissimus Elector Bavariæ censeri inter „legitimos candidatos, quia per illicita media ad Regni Poloni thronum „videtur contendere, nimirum per Serenissimam Reginam viduam, illi„usq; adhærentes, per clandestinam Electionem in mense Novembri in„scijs nobis & inconsultis. In hunc plane scopulum impegerat nuper Se„renissimus Princeps de Conde, per Reginam Ludovicam, per proscri-
ptiones

„ptiones Civium, per collisiones vicinorum, per bella Civilia ad thronum Poloniæ contendens: ita ut per legem publicam incapax Regni debuerit declarari. Apud nos enim non Reginæ viduæ Reges, imposito liberis cervicibus jugo eligere consveverunt &c &c. A.C.1696

COPIA EPISTOLÆ EPISCOPI CUJAVIENSIS AD LEGATUM GALLIARUM.

Dissuadet, ne promoveat Principem de CONTI ad thronum Poloniæ.

VOlens submissionem meam Excellentiæ Suæ unâ & alterâ testari vice, ab ipsa illius residentiæ porta redire debui, absentem publicisq; curis à statione sua evocatum reperiens. Quare in levamen frustrati desiderij mei obsequiiq;, præsentibus (urgentissimis enim repentinisq; casibus jam Varsaviâ evocor) ultimum vale Excellentiæ Suæ mitto, illud unum flagrantissimè postulans, ut quem dignata est Excellentia Sua, ante omnia mea merita, humanissimâ prosequi benevolentiâ, eundem foveat constanti gratia, quam mereri omni obsequiorum conatu allaborabo. Et quoniam Excellentia Sua, eo me fiducia obstrinxit pacto, ut quæ sentirem circa futuræ Electionis progressum, illa liberè pro ingenito candore meo Excellentiæ Suæ explicem, audeo hisce Excellentiam Suam per boni publici commoda studiosissimè obligare, quatenus à promotione Principis de Conti *resilire velit, quem etsi eximia talenta, bellorumq; vocales triumphi supparem Regiæ faciant coronæ, metus tamen nominis hujus per Regnatrices Majestates ex rationibus status nostri, in animis civium pridem excitatus, & modò conservatus, remotiorem videtur à throno Regni facere. Neq; enim uellem Serenissimi Galliarum Regis promotionom in aliquod uenire discrimen, sicut & Excellentiæ suæ impensas laboris periclitari, quæ si optatum sortientur effectum, licebit mihi gratulari; sin minus, uix possem tantorum conatuum motibus condignè compati, quoniam non temerarium Excellentiæ Suæ exprimam sensus mei judicium etiam ex multis depromptum. Si quid uerò singularitatis communicandum mihi Excellentia Sua habuerit, pari ac mecum, cum Theologo meo Domestico fiducia agere potest. Maneo.*

Non promovendus Princeps de Conti.

RESPONSUM EXCELLENTISSIMI LEGATI.

SUmmo animi mei dolore intellexi suam Excellentiam ad me venire dignatam, semel & bis, quo tempore valedictiones huc & illuc defe-rendæ, me domi sedere non permittebant, nec minus etiam hoc me „ affixit: quòd Excellentiæ suæ conatus iterum obsequia mea præstare tamen idoneum ad hoc mihi tempus non sit inventum. Etenim humanissimis excellentiæ Vestræ literis ore proprio satisfacere volebam, & quid

quid

A.C.1696, quid priori Nostro colloquio defuerat, uberiore sermone aliquantulum
, supplere. Verùm ubi publica vel Serenissimi sui Candidati negotia tan-
, topere distrahunt Excellentiam Vestram, ut difficile possit alijs aures at-
, tentas præbere, ideo scribendum satius duxi, ut non modò benignissi-
, mis ejusdem characteribus, sed etiam consilijs, ut par est, respondeam.
, Et quandoquidem minimè dubito, quin eâdem me, meaq; omnia be-
, nignitate prosequi semper velit, quam mihi & verbis, & scripto tam e-
, ximiè testata est; ego cum maxima veneratione ex vi confidentiæ il-
, lius quam in me reperit, & approbavit, intimos mentis meæ sensus
, aperiam Excellentiæ Vestræ.

,, Rem arduam sanè, & supra meas vires longè positam Excellentia
, sua mihi præcipit, dum invitat, ut à promotione Serenissimi Principis de
, Conti resiliam. Ego enim, hic non propriæ voluntatis interpres aut
, Dominus sed Christianissimi Regis minister, quid aliud facere possum,
, quàm quòd jubeor? Præterea cum nihil mihi possit esse antiquius, quàm
, Serenissimæ Reipublicæ meam infinitam propensionem, & studiosissimam
, promptitudinem ostendere, quo pacto liceret mihi hanc unicam occasionē
, prætermittere, in qua servitium illi certè majus, quàm quilibet è propri-
, is civibus præstare possum, promovendo in Regem futurum, talem Prin-
, cipem, quem ipsa favente Excellentia Vestra, fatentibusq; omnibus, cu-
, juscunq; gentis aut factionis hominibus, eximia talenta, bellorumq; vo-
, cales triumphi supparem Regiæ faciunt coronæ. Quid enim in hac
, proxima electione quærunt Poloni? nonne Regem optimum, Regem
, maximum, Regem bellicosum, sapientem, magnanimum, liberalem, mo-
, destum, affabilem, qui tot eximiis talentis Rempublicam ad pristinum
, opulentiæ, splendoris, & famæ statum reducat, bellorumq; vocalibus
, triumphis, ut propriis Excellentiæ Suæ verbis utar, hostes Patriæ de-
, bellet, æmulos terreat, & vicinos in æterna societatis atq; amicitiæ ne-
, cessitate contineat? qui regat populum suum exemplo potiùs, quàm au-
, thoritate, qui sit in bello primus bellator, in consilio primus consiliari-
, us, ubiq; norma cæterorum, quem nemo aut Polonus oderit, aut con-
, temnat, qui sceptrum sibi, nec lege, nec consvetudine, sed amore &
, æstimatione delatum dignè ferre studeat, & quibus acquisiverit, vir-
, tutibus ijsdem conservare necesse habeat, qui si à recta via recederet,
, & liberrimæ genti vellet aliquam jugi aut servitutis speciem impone-
, re, non habeat à vicinis Principibus auxilium, nec invenire possit asy-
, lum præsens ab aulis sangvine conjunctis, qui deniq; in primo regi-
, minis sui ingressu, qualem reperit Rempublicam, adjuvet, non perso-
, na tantùm sua, sed & opibus. Namq; duobus eget Respublica Do-
, mine mi Excellentissime, viro & subsidio; viro, qualem modò descripsi,
, subsidio quod reale sit ac præsens. Consideremus statum poloniæ, e-
, xercitum confœderatum, stipendia militi ad summam enormem debita,
, bellum quoq; 14 annorum, sine fructu gestum, nec finitum, imò tan-
, tò periculosius ardescens, quantò majores addit Imperio suo vires no-
, vus Imperator Turcarum, exhaustas Provincias, comitia rupta, factio-
, nes & divisiones domesticas tantùm ex illa parte grassantes, quæ non
, publicū sed privatum commodum quærit, & serias ac urgentes nobilitatis
, universæ querimonias eludit. Ergo nihil ad ista reflectendum, ergo
, consvetudini serviendum, ergo personarum acceptioni non utilitati Rei-
, publicæ studendum? absit.

Cur promovendus Princeps de Conti.

Cur enim Polonia jus eligendi Regis tam strenuè sibi vendicavit, tam
, fortiter & intactè servavit, nisi ut eum creare posset, quem rebus su-
, is opportunum atq; accommodatum judicaret. Si corona ista foret

Hæ-

,Hæreditaria, gemerent fortasse populi, eam tali jure deberi minus di- *A.C.1696*
,gnis & utilibus, quam dignioribus, & utilioribus dari posse exoptarent.
,Ecce res in integro est, potest dari cui libet. Non ergo dignior est re-
,jiciendus, ut adulatoriè præferatur alter: quod quidem bonâ veniâ can-
,didatorum omnium dixerim, quos suggillare, nec meis moribus conve-
,nit, nec Regis mei voluntas est. Illud enim unicè probare Excellentiæ
,Vestræ, merita spectanda esse tantùm & commoda Reipublicæ, cœtera
,planè sperni oportere. Quòd verò Excellentia Sua mihi amantissimè
,scribit, nolle se promotionem Regis Christianissimi in aliquod venire
,discrimen, ac metum esse nominis Gallici per Regnatrices Majestates
,ex rationibus statûs hujúsce in animis Civium pridem excitatum & mo-
,do conservatum. Unde remotior Princeps Gallus candidatus aliunde me-
,ritissimus, à throno Regni fieret hoc, diligenter & maturè consideran-
,dum venit.

,, Videtur enim metus iste veris fundamentis carens inter vulgares,
,errores numerandus. Ille autem de tota Republica non bene sentiret,
,qui putaret eam vacuis hujusmodi phantasmatibus, & impressionibus du-
,ci, non solidis evidentibusq; argumentis, & in tam grandi negotio, u- *Refellitur*
,bi de spe & salute civium agitur, & vereor, ne qui metum illum exci- *ratio à me-*
,tatum supponunt, excitare potius velint, aut sopitum, aut nullum. Di- *tu desumpta.*
,cat enim mihi sua Excellentia quæ tam acri, tamq, prudenti pollet ju-
,dicio: Mulierem fortem quis inveniet? de viro forti nunc agimus, &
,quæ comparatio potest institui bona viri cum muliere? si quid per Re-
,ginam Mariam peccatum est, unde cives illam amplius regnare nolint
,vel per se, vel per filios. Nunquid Serenissimus Princeps *de Conti* filius
,ejus est, at sunt ex eadem gente Gallica? Nunquid omnnes in Gallia sunt
,ejusdem indolis & complexionis? an omnes Poloni similes? Rex Michaël,
,Rex Ioannes sub eodem cælo nati, toti dispares fuêre. Cur ergo con-
,fundemus eos bone Deus, quos naturalia, educatio, sexus ipse tanto-
,pere discriminant. Et siquæ timenda, nonne potius in proprio sangvine
,quàm in alieno vellet Excellentia sua datis in publicum motivis uti con-
,tra Nos, quæ Serenissimo suo candidato nocerent magis, & partes illas,
,quas ipsa tam studiosè tam apartè tuetur, unici hujus argumenti retor-
,sione subvertere.

, ,Videamus autem quibus impulsa consiliis Serenissima Regina, tan-
,tam in se suosq; concitaverit invidiam, an Gallicis, an Austriacis? *Regina Vi-*
,Quemnam audivit, aut cui placere voluit, cùm ituros in Hungariam *dua factio-*
,milites dissipavit, cùm Poloniam solenni Confœderatione voluit alliga- *nis potius*
,ri Germaniæ, sine restrictionibus ullis, cum ejecit Gallicum Legatum *Austriacæ*
,*de Vitri*, cum Serenissimum Principem Jacobum Serenissimæ Palatinæ *quàm Gal-*
,Neoburgensi conjunxit, sunt ne isti Gallicæ an Austriacæ factionis *licæ.*
,partus? Attamen Galla fuit Regina. Sed quid amplius in rem Austri-
,acam Germana facere potuisset.

, Nolebamus nos tam arctis, tamq; inextricabilibus vinculis Rempl.
,vicinæ semperq; ut ajunt Illustrissimi Zamoiscius & Fredro, metuendæ
,potentiæ non addictam modò, sed quasi emancipatam fieri. Vicit nos
,Galla Regina, sed quid inde acciderit Reip, testes miseri cives, quo-
,rum imminuta substantia, quorum devastati fines, quorum nomen in
,aula Cæsarea, etiam post ipsam Viennæ liberationem ac Germaniæ to-
,tius ab imminente servitute redemptionem, tantùm vilipenditur, quan-
,tùm apud nos in honore, & veneratione est.

,Sciebamus, nec obliviscemur quod majores Vestri, per quos ste-
,tit libertas, de vicinis illis dixerint, & posteris suis tradiderint, eorum

A.C.1696. vestigijs insistebamus. Neq; illum negare cupimus in Polonia, qui vel „sit Austriacus, vel Austriacæ domui tam specialiter addictus, ut illi suam dignitatem, coronam, authoritatem omnem referat acceptam, ne „tandem aliquando de Polonia fiat, quod factum est de Bohemia, & de „Hungaria. Sunt autem illa tantæ, tamq; compertæ veritatis, ut etiam apud Polonos in commune adagium transierint. Dicet Excellentia „Vestra: sed neq; volet Imperator ut hic regnet Gallus, ergo par utrobiq; ratio, nequaquam, imò valde dispar. Etenim est hoc Axioma „notum omnibus. Cæsarem esse proximum, ergo timendum. Christianissimum autem remotum, ergo prodesse posse, nocere nunquam. Qui „timendus, & suspectæ ambitionis est, non audiendus; qui non timendus, semper consulendus. Non videbit Excellentia Vestra bellum inter longinquos sed inter finitimos. Poloni cum Gallis, Hispanis, Italis, „& Persis non decertarunt, sed cum Germanis, Hungaris, Svecis, Turcis, Tartaris, & Moschis. Amplius dico: Non debet Serenissima Resp. „considerare quid isti vel alteri displiceat, sed quid sibi bonum. Si Germanus talis offerretur, qualem Galli offerunt, ijsdem præsentibus auxilijs egestati publicæ, belloq; infructuoso subvenientem non consulito „Galliam, accipite illum vobis, dum modo ille non sit periculosus, nec Germanicis viribus ad opprimendam Patriæ libertatem uti possit.

Cur potius Gallo quàm Germanus promerendus ad Thronum.

„Si Gallus Princeps omni virtute præditus & dives cum summa utilitate vobis proponitur, accipite illum inconsultâ Germaniâ. Non enim „illa vult res suas ad vestram voluntatem dirigere, nec vestras ab illa pendere necesse est.

„Quid ergo dicet Cæsar? Dicet Polonos Hungaris & Bohemis esse sapientiores, dicet eandem à vobis in eligendo Rege vestro adhibitam esse prudentiam, quàm ille adhibet in eligendis Magistratibus suis. Dicet illum in Polonia factum esse Regem qui florentissimæ huic „Reipublicæ Provincias avulsas & antiqua decora restituere unus valet; „de quo vos tantò magis lætari debebitis, quantò minus ipse lætabitur.

„Sed arma in Poloniam inferet, si Galli Regis fiet Electio; quæ arma? illáne quibus Hungariam, Rheni litora, stationes in Italia tueri vix „potest, nec verè tuetur? & si per hujusmodi minas incutitur timor Reipublicæ; jam ubi est libera electio? Igitur à vicinis erit petendus Rex „non eligendus? & quo fine ducti Germani nollent hic regnare præstantissimum Principem? nonne ut Reipublicæ vires magis ac magis corruant, & ipsa tandem fiat aquilæ bicipitis præda.

Non timenda arma Cæsaris

„Non ille metus invaserat majorum vestrorum animos cum Henricum Gallum Ernesto Austriaco prætulerunt; Erat eadem tunc temporis „vicinitas, quæ nunc est, eadem utriusq; domus æmulatio, ijsdem minis & „futilibus motivis Ernesti defensores utebantur; quibus hodie videmus non „dari sed affectari creditum, quid profuit? eò magis in suo proposito perstitit Respublica constans, quò vehementius illam dimovere tentabant. „Et si per inopinatam Christianissimi Fratris sui mortem Henricus, culpâ quidem magnâ sed excusabili in hæreditatem suam bellis civilibus quassatam vix non deperditam, se nimis properè citèq; recepit, certè quanto fuerit amore dignus, vel ipsæ prosequentium Polonorum lacrymæ „testatæ sunt, quod illum non elegisse sed amisisse pœnituerit.

Henricus Rex Gallus

„Nihil tale à nostro Principe metuendum, qui cùm Henrico nec splendore generis à sæculis octo regnantis, quod unum & idem est, nec virtutum famâ cedat, habet hoc singulare, quod in successionis ordine sit „decimus Princeps, è Regio sangvine Galliarum.

„De Regina Ludovica non loquor. Fuit enim illa quamvis in Gallia.

„lia nata, non tamen ex gente nostra oriunda, sed ut omnes sciunt ex *A. C.* 1696
„familia Gonzaga Ducum Mantuanorum, quæ Itala est. Pios ejus cine-
„res ne commoveamus multa bene gessit, multa fortasse minus. Quid- *Ludovica*
„si placuerit bona nobis attribuere, cœtera sexui. Porrò jam monui esse *Regina Itala*
„quæstionem de viro, non de muliere. *Melior est iniquitas viri, quàm*
„*mulier bene faciens* inquit sacra scriptura. & quamvis uxorem habeat Se-
„renissimus Princeps *de Conti* ex eodem Regio sangvine Parentibusq; Se- *Vxor Principis de Conti non metuenda*
„renissimo Duce Angvianensi & Serenissima Rhenensi Palatina Electo-
„rali Principissa natum, nihil tamen de ipsa metuendum, cum illa sit no-
„tæ apud omnes mansvetudinis, & ita marito subdita, ut partem nul-
„lam in Regno sit acceptura, præter eam, quæ Reginis verè competit,
„nempe ut cœtus aulicos, præsentiâ suâ & magnificentiâ decorare cu-
„ret. Non enim ex alio fonte derivatur, istud muliebre, quo non Polonia
„modo, sed multa Regna plerumq; jactantur, nisi ex otio Principum.
„Sit ergo Rex strenuus & sedulus, amans gloriæ suæ, negotijsq; atten-
„tus, iam Reginæ non imperant. Unde accidit ut in ipsa Gallia, uti o-
„lim exteræ Reginæ rixas moverunt in minorennitate Regum, ipsæ postea
„nec auditæ fuerint, statim atq; Deus concessit nobis Regem verè ma-
„gnum.

„„ Ultimum est quod diluam, scilicet Excellentia vestra dicit: Esto sint
„Rex & Regina omni exceptione majores ut statim atq; Gallus, ad so-
„lium Polonicum evectus, fuerit quatenus in eum nihil moliretur Cæsar,
„attamen ille in Cæsarem moliretur bellum & Rempublicam ad pericula
„ista deduceret, ut placeat Regi Christianissimo.

„ Respondeo *imo* non placiturum nobis Regem novum Poloniæ, qui *Metus, ne*
„Poloniam, se ipsum, & gloriam suam tam apertè contra status ratio- *Rex Gallus*
„nes præcipitaret, præsertim ubi jam pervenimus ad limen pacis uni- *inferat bel-*
„versalis in Europa Christiana concludendæ, quàm fortasse DEus dabit *lum Cæsari*
„ante electionem. *2do* Si quid contrarium hac super re timeretur, fa- *excutitur.*
„cillimè per pacta conventa novi Regis præcaveri posset, ut ipse jura-
„mento se obligaret, non tantùm ad observationem in genere omnium
„tractatuum, fœderum, & pactorum antea initorum, inter Prædecessores
„Reges ac Remp, ac alios quosvis Principes sed etiam in specie illorum,
„quæ nuper contra Tyrannum Orientis sancita sunt. Nonne hoc re-
„medio sanatur subito metus.

„At inquit Excellentia Vestra, pacta conventa fortè non observabit.
„Iterum respondeo: Si hoc timetur, de quo Candidato justiùs? an de
„illo qui nullas in vicinia copias aut affinitates habet, an de illo qui vi-
„derit coronam è familia minus observatrice promissorum delapsam, ta-
„liq; semper exemplo terrebitur, an de illo, qui hanc nihilominus à Pa-
„tre collegerit? Ista directè contra Serenissimum suum Candidatum mi-
„litant, cur objiciuntur nobis? Deinde possunt executione debita pa-
„cta conventa defraudari, si Rex erit ita sui ipsius immemor in ijs,
„quæ à sola ejus voluntate dependent, ut sunt largitiones munerum,
„officiorum, &c. sed in ijs quæ nunquam facere nec tentare potest si-
„ne consensu Reip. quomodo potest fidem frangere? Jam hoc certum &
„indubitatum, quod bella sine unanimi nobilium suffragio in Comitijs
„congregatorum non possunt declarari. Rex itaq; novus si vellet ali-
„qua suscipere, deberet antea proponere Reip. Dicat mihi Excell: Sua qua
„fronte proponeret ille palàm id cujus contrarium jurasset, & quid tunc
„facilius quàm propositionem, si fieret, rejicere. Quidquid ergo hinc ti-
„metur Chimæra est.

A.C.1696 ,Quod verò dicitur illum munera & beneficia Reip, ſolis nobilibus ,debita, conceſſurum exteris, alia Chimæra eſt, hoc enim eſt lege vetitum, & in praxim abſolutè redigi nequit à quocunq; regnante.

,Opponet profectò mihi Excellentia Veſtra, quòd à multis partium ,ſuarum audio, rationes haſce meas apud ſapientiores quidem valitu-,ràs, non autem apud multitudinem nobilium, qui cæco, ut illi dicunt, ,impetu, ſoliſq; anticipatis opinionibus ducti, non attendunt ad tot, & ,tantas rationes ſtatûs, ſed Regem ſuum ſinè conſideratione ulla pro-,nuntiabunt. Id enim procul dubio intellexit Excellentia Veſtra, quan-,do Principem noſtrum Borbonium confeſſà digniſſimum, attamen de ,hoc nomine Gallico vulgare phantaſma certo certius ruiturum de-,claravit.

, At verò non ſum ego in hac ſententia, pluris æſtimo Polonos No-,biles, ſive qui divitijs & muneribus cumulati orbem frequentant, ſive ,qui reſident domi: etſi enim non ſit inter eos fortunæ, at certè nobi-,litatis & magnanimitatis eſt æqualitas. Omnes ad libertatem & conſi-,lia Reip. nati, probè norunt, quid expediat, quid non. In ijs ſpem ,omnem noſtram collocamus, ijs tantum placere volumus. Alij partem ,Reip. ad ſe vijs neſcio quibus, & magnis oblationibus allicere præſu-,munt, nos totam Remp. ritè congregatam expectamus. Alij Regnum ,affectant, ut regnent, nos ut bene ſit regno. Alij confœderant exer-,citum, nos Confœderationi illi volumus ſatisfacere. Alij Provincias à ,corpore Reip. conantur avellere, ut ab exteris in ambitu ſuo prote-,gantur, Nos amiſſas recuperare & fines Reip. promovere.

,Cum igitur audient centena millia nobilium in equis, jam eos ,privatis factionibus excludi velle, qui ſoli poſſunt utiles eſſe Reip, pro ,tali tantoq; Candidato qualis eſt noſter, offerri tot milliones floreno-,rum non in promiſſis, ſed in præſenti numerataq; pecunia ad ſatisfactio-,nem Exercitui Confœderato debitam, expugnatioem Camenecì propriis ,ſumptibus ante Coronationem datis obſidibus, & ſub nullitate Electi-,onis, reſtaurationem monetæ, rei frumentariæ, commercijq; Gedanen-,ſis quæ omnia noſtris in manibus ſunt, nec quivis alius efficere poteſt; ,præterea nullam pro futura Regina reformationem ne panis bene me-,rentium alio diſtrahatur, & alia bene multa, quæ ſuo tempore mani-,feſtabimus. Credat mihi Excellentia Veſtra tunc melius ſibi conſulturos ,Nobiles quàm ut anicularum fabulis adhæreant, umbras pro corpore ,arripiant & ambitum privatorum publicæ utilitati, tumq; certis & evi-,dentibus emolumentis anteponant. Perſvaſio illa non libellis, non la-,boribus, non vigilijs, non induſtria, non eloquentia, non terriculamen-,tis perficietur, ſed re ipſa & veritate.

Conditiones propoſitæ à principe de Conti.

,, Ex his omnibus videt Excellentia veſtra non adeo me cauſæ meæ ,diffidere, quæ totius Reipublicæ eſt, quàm Excellentia ſua exiſtimat, vel ,ad diffidentiam incitat. In cœteris omnibus obedientiam meam probare ,poterit, in hoc neq; Rex meus, neq; Reſpublica ſinent obtemperare me ,mandatis Excellentiæ Veſtræ, quæ cum ſit arbitra ſui ipſius, ac proprij ,ſenſus Domina, poteſt à propoſito ſuo facilius quàm ego reſilire. Nec ,tamen hoc exigo, niſi inquam tum Reipublicæ commoda videntur exi-,gere,. De cœtero maximâ cum Veneratione & gratitudine maneo.

CON-

XXIII.

CONSTANTINO BRZOſtOWSKI Epiſcopo Vilnenſi, Romæ tunc exiſtenti,

7. Octobris.

Hortatur ad compoſitionem cum parte adverſa, puncta compoſitionis & literas Primatis ad Pontificem mittit.

NOn reſpondi ad tuas, quas mihi Canonicus Szaniavius reddiderat ad initium Convocationis: Studio enim diſtuli reſponſum, ut ſimul de executione mandati tui, & obſequij mei certiorem redderem. Nullum omiſi punctum, nec conjuncturam, ut quàm optimè & quàm ſecuriſſimè & Eccleſiæ & tibi inſervirem. Dolendum ſanè, quòd anno præterito, (ſcias hoc quod nihil dici verius poteſt, nec huic ullo modo quisquam contradicere) quod ſcilicet anno præterito non hos, qui ſincerè & bonum Eccleſiæ & honorem tuum conſervare deſiderabant, ſed illos, quibus perinde eſt ſtare aut ruere Patriam, audiviſti. Non veniſſet enim Eccleſia DEi in tam grave periculum, in quo tam difficillimis temporibus vix non eſt præcipitata, & ſi Convocatio in alia materia non fuiſſet rupta, nihil certius, quod graviſſima ſtatûs noſtri Eccleſiaſtici circumſcriptio, à foro incompetenti coacta fuiſſet; aut Nos de ruptura Comitiorum invidiam, quàm ſatis ſuperq; experimur, non evitaſſemus; cuncta enim firmiſſimis nixa rationibus conſtabant, quia directiſſimè excommunicationem annihilare, & in futurum eandem circumſcribere omnino volebant, & ex parte tua nemo, qui ſe opponeret, comparebat, & illi incentores, qui te conſilijs ſuis ad hos induxerunt terminos, nec in eo activitatem ſuam oſtenderunt, ut ſaltem unum Nuntium contra omnes, unam vocem contra tot alias, præſtò habere potuiſſent. Cùm verò Convocatio jã rupta & in Confœderatione, etſi id contra uſum, non erat poſſibile hanc eandem materiam declinare, & vix, idq; cum magno ſudore evincere potuimus, ut per receſſum ad Comitia electionis materia hæc differretur, uti ex copia ejuſdem Confœderationis intelliges. Igitur, cum quid pertranſiverit, viderimus, quid futurum ſit, certitudini non opinio ſed experientia ſubſcribat; viſum eſt Spiritui S. Cardinali Primati, Nuntio Apoſtolico & nobis Epiſcopis, ut iterum media pacis tentarentur. Quælibet enim ſtatio tempeſtatem fugientibus pro portu eſt. Parva proinde vel nulla differentia à præteriti anni propoſitionibus invenitur, quinimò ante, aliquot Litvaniæ Cohortes in Epiſcopatu Vilnenſi pro ſtativis deſtinari debebant, nunc tantum medietas Cohortium ad deciſionem competentis definitionis, quæ etiam declinari poterit, quando animi combinabuntur, ad quod omnem facilitatem hac ex parte adverto, de meo ſenſu novi, & atteſtor vis omnibus nocere ſolet, nemini voluntas. Mitto tibi puncta cum Plenipotentiariis Tuis concluſa à Nuntio, qui ſtrenuè & prudenter ſe geſſit, adjungo & literarum Cardinalis

A.C.1696 ad Pontificem copiam, ut ſcias quid concluſum, quidq; Romam ſcriptum. Interea ſumo audaciam ut te rogem, & per amorem Eccleſiæ conjurem, quatenus concordiam hancce, (qua meliorem in hiſce præcipuè conjuncturis nec ſperare quidem licet, non obſtantibus quibuſve à latere impedimentis, hæc eſt infelicitas noſtri ævi, turbare, invocare, pugnare & id ſpecie pietatis) velis acceptare & reddere tibi & Eccleſiæ exoptatam tranquillitatem. Habes conſilij noſtri ſummam, quam iterum rogo probari à te imò & adjuvari: Quod ex affectu ſincero, & nunquam immutando dum defero &c.

Puncta ſuper materia Excommunicationis latæ per Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Conſtantinum Brzoſtowski Epiſcopum Vilnenſem, contra Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum Caſimirum Comitem Sapieha Palatinum Vilnenſem Supremum Ducem M. D. L. authoritate Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Joannis Antonij Davia Archi-Epiſcopi Thebarum per modum amicabilis compoſitionis concluſa:

Damnorū reſtauratio

1mo. *Cum prætendantur damna à milite Litvanico in bonis Eccleſiaſticis Diœceſis Vilnenſis illata fuiſſe, ideo & declarat Illuſtriſſimus Dux, quòd in relevationem ſubditorum per duos futuros annos ex bonis Eccleſiaſticis hybernam pecuniariam non exiget.*

Eliberatio à ſtativis.

2do. *Declarat quòd ex octo cohortibus militum, quæ pro nunc habent ſtativa in bonis Epiſcopalibus & Capitularibus, pro ſequentibus duobus annis, ſubtrahet quatuor cohortes. Bona verò Eccleſiarum Parochialium ad idem tempus relinquet libera à ſtativis.*

Declaranda innocentia Ducis.

3tio. *Illuſtriſſimus verò & Reverendiſſimus Dominus Nuntius Apoſtolicus offert & declarat ſe adhibiturum ſtudium & curam, ut Sanctiſſimus Dominus Noſter per Breve ſuum Apoſtolicum honorificis verbis declaret innocentiam Excellentiſſimi Domini Ducis.*

Non ferenda excommunicatio ſine conſenſu SSimi.

4to. *Ut in futurum præcludatur via motibus in Eccleſia & Patria iſta, propter Excommunicationes, ſpondet idem Illuſtriſſimus Nuntius, ſe parem curam & ſtudium unitim cum Eminentiſſimo Domino Cardinali Primate Regni impenſurum apud Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, ut Sanctitas Sua more Regni Galliarum impertiri non dedignetur Breve Apoſtolicum, de non promulgandis Excommunicationibus, contra Miniſtros & Officiales ſupremos M. D. L. niſi de expreſſo conſenſu Summi Pontificis:*

Non datū Duci mandatum ad Comitialia Judicia.

5to. *Spondet & cavet præfatus Illuſtriſſimus Dominus Nuntius Apoſtolicus pro Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Vilnenſi, quòd idem Illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus, utpote qui modo degit Romæ in Romana curia perſonaliter, deinde redux in Patriam coram actis Caſtrenſ: aut terreſtribus, vel Tribunalitijs aut Capturalibus M. D. L. recognoſcet ſe nullum porrexiſſe mandatum Illuſtriſſimo Duci Exercituum M. D. L. ſupremo, ad judicia Comitialia Reip. illudq; agnoſcet, nullum fuiſſe & eſſe, nec eidem amplius inſiſtet, prout jam antea ipſe Illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus ſuper hoc circa tentatas compoſitiones conſenſiſſe ex fide Illuſtrium perſonarum perhibetur.*

Religioſis obtinenda benignitas Sanctiſſimi

6to. *Et quia ordines Religioſorum intra Diœceſim Vilnenſem conſiſtentes, eâdem causâ Excellentiſſimi Domini Ducis Exercituum, & patiebantur hucuſq;, & adhuc patiuntur, promittit Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Nuntius ſe ijſdem Apoſtolicam ſuæ Sanctitatis benignitatem quàm primum obtenturum.*

7mo.

7mo. *Offert & spondet Illustrissimus Dominus Nuntius Apostolicus operam in adigendo Illustrissimum Dominum Episcopum Vilnensem ad revocandum ad Cancellariam suam per publicum processum, quasvis in hac causa emanatas è sua Cancellaria scripturas & instrumenta, & eadem consignandum in manus Illustrissimi Domini Nuntij, & etiam ex actis suis Episcopalibus, sive ex Consistorialibus eliminandum sive per se, sive per suum Dominum Officialem Generalem à data præsentis intra medium annum. Actum Varsaviæ hâc die sextâ mensis Octobris Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto præsentibus Illustrissimis ac Reverendissimo Domino Episcopo Plocensi & Excellentissimis DD. Trocensi, Siradiensi, Plocensi, Palatinis atq; supremis Regni, & curiæ M. D. L. Mareschalcis, tum supremis Regni & M. D. L. Thesaurarijs.* A.C. 1696 *Acta Cancellariæ Vilnensis consignāda Nūtiaturæ.*

J. A. Archiepiscopus Thebarum
Nuntius Apostolicus.

LITERÆ CARDINALIS PRIMATIS AD PONTIFICEM.

Post oscula &c. Negotium Illustrissimi Episcopi Vilnensis cum Supremo Exercituum M. D. Litvaniæ Duce, si quando aliàs, nunc profectò, in tam afflicto rerum Nostrarum statu, non modo totam Rempublicam, sed immunitates quoque Ecclesiasticas tempore Convocationis mirum in modum perturbavit. Quando pro honore tuendo Illustrissimi Palatini Vilnensis initâ confœderatione Magnus Ducatus Litvaniæ inaudito hactenus motu civili Constitutionem, quæ vim legis habet, quæ Jurisdictionem imprimis Ecclesiasticam impugnabat, gravissimè obtinere in ijsdem Comitijs Regni pertinacissimè contendebat. Tam fortibus, quia armatis M. D. Litv. postulatis resistere non licuit, nisi abruptis violentissimè consilijs publicis, quod Ordini Ecclesiastico ex multis rationibus, sed præcipuè ob quorundam Illustrissimorm Episcoporum errores novissimos, publicæ tunc invidiæ obnoxio non expediebat. Cum ergo prorsus neminem, ex utroque Senatu Nuntijsque terrestribus Episcopus Vilnensis habuisset sui Nominis honorisq; defensorem, precibus illius causam tueri coacti sumus. Ego verò pro illa authoritate confidentiali, quam cum Domo Sapiehana semper integerrimè colui, conservoq;, impetravi ut legi publicæ parceretur. Sed dilationem totius negotij examinandi, & ultimatè à Republica decidendi in Electionis Regiæ Comitijs nullâ ratione potui impedire. Mitto Sanctitati Vestræ processus publici copiam unà cum exemplari literarum, quæ mihi nomine publico porrectæ fuerunt ad subscribendum. Tandem ruptis veriùs quàm actis Comitijs versabatur ante oculos, quantum præcesserit, quantúmve sequeretur, tam negotio huic Vilnensis Episcopi, quàm toti clero & Ecclesiæ, si ab armata, & mirum in modum exacerbata, judicaretur decidereturq; Nobilitate Polona, sub tempus Electionis Regiæ, providendum censui *Vrgetur constitutio contra Iurisdictionē Ecclesiasticā*

sui

A.C.1696 *sui, & in animum induxi reassumere concordiam, anno proximè evoluto tentatam, potius quàm aperto discrimini totam causam obijcere. Successit conatus felicissimè incomparabili dexteritate Illustrissimi Nuntij Sanctitatis Suæ & seriâ applicatione Illustrissimi Plocensis Episcopi. Accommodatæ enim sunt partes certis conditionibus quarum sensum mittit Sanctitati Vestræ Illustrissimus Nuntius, non restat ergo, nisi ut Sanctitati Vestræ humillimè supplicemus, quatenus tam difficilis negotij compositionem approbare dignetur, animumq; Illustrissimi Vilnensis Episcopi ad complectendam hanc concordiam flectere, ne majores deterioresq; motus nascantur, qui nullâ ratione declinari vitariq; possint. Præsertim cum alij quoq; Episcopi hujus Regni, & M. D. Litvaniæ in similia impegerunt, odiaq; accenderunt populorum & senatûs. In futurum demum consultum ducerem rei & securitati Ecclesiasticæ, ac publicæ quieti conciliandæ, si Sanctitas Vestra expediri mandet Bullam, ne ex hac occasione similia fulmina timeantur inposterum & quidquid demum pro solatio publico expedire videbitur. Confidimus universi quia Sanctitas Vestra pro Paterno suo in Poloniam affectu reddet nobis tranquillitatem exoptatam per impositionem silentij. Aliàs timendum est ne iterum ijsdem, quibus perinde est stare atque cadere Rempublicam totam, novis procellis exagitent & immunitates Ecclesiasticas penitus evertant. Quod ne Nobis contingat supremam Sanctitatis Vestræ manum expectamus.*

XXIV
AMICO CONFIDENTI,
19 Octobris Varsaviâ

Refert sermonem legati Gallici, quæsitam concordiam Reginam inter & Principem Jacobum, Confœderationem Regni & M. D. L.

NOn quidem irascor sed dubito an irasci oporteat? In hac curiositate temporum tu ne tribus verbis ad me? cum ego præcipuè tibi soli omnia arcana concredere soleam, usque ad nascentes cogitationes; sed cum ita facis pro more tuo, imò natura, quia eam nosco, ignosco.

Decimâ Octobris fuit senatûs consilium apud Cardinalem circa ponenda præsidia in fortalicijs, sed præcipuè disputabatur, utrum accedere deberemus ad colligationem à Cæsare conclusam cum Moschis ad triennium? & in id sine ulla difficultate totus Senatus consensit.

Colligatio cum Moschis

Interim Regina contra sensum multorum ex Bielanis in arcem Varsaviensem redijt.

Reditus Reginæ

Decimâ quartâ consecrabat Ecclesiam S. Crucis Cardinalis Primas, cui solennitati adfuit quoque Regina, sed illi nec Nuntius assistebat, nec Legatus Galliæ, qui quoniam publicam audientiam in senatu habere stante Convocatione non potuit, in scripto sermonem suum promulgavit, cujus erant hæc formalia.

Consecratio Ecclesiæ S. Crucis

Non

,, Non ſine religione quadam huc accedo. Cum enim orbata capite *A.C.1696*
, ſuo Reſpub Sereniſſima quærat unde tantam poſſit reſarcire jacturam,
, & malis quæ vel ab hoſte ingruunt, vel aliunde irrepunt occurrere, Ve- *Sermo Legati Gallici*
, ſtris conſilijs importunitatem aut moram afferre nefas exiſtimavi. Ve-
, rùm ubi venit in mentem, quanto ſit apud Vos in pretio Chriſtianiſſi-
, mi Regis Domini mei Clementiſſimi Nomen ac ſtudium minimè dubi-
, tavi, quin gratus acceptuſq; venirem, juſſus ea ſignificare palam & con-
, teſtari verbis, quæ Majeſtas ſua proprijs ad Vos literis expreſſit.

,, Ac primum quidem quanto dolore, quibus lachrymis audita Sere-
, niſſimi Regis Veſtri Ioannis III fata proſequi cœperit, non eſt cur fu-
, ſius eloquar. Fuit is Principum omnium admiratione, dum viveret, poſt-
, quam occidit, deſiderio ſummè dignus, at nullius tamen æquè ac Regis
, mei, cui ut probè noſtis, erat non modò iure fraternæ amicitiæ, ſed
, & heroicæ laudis ſocietate, ſic unicè conjunctus, ut jam hoc extincto non
, habeat ille alterum ſibi aut bellicis laboribus aut trophæorum varie-
, tate parem, ne putetis tamen ô Sereniſſimæ Reipublicæ Proceres! cum
, tot amiſſis in Veſtro Rege virtutibus, amiſſam quoque Regis Mei ne-
, ceſſitudinem, quæ partus illarum erat, neque enim ſoli Principi fuit ad-
, dicta, ſed in totam diffuſa Gentem, per quam ille regnavit, vicit, tri-
, umphavit. Non eſt unius anni aut unius occaſionis amor ille, quo
, Nos invicem diligimus. Annales utrorumq; legenti crebra illius ac ve-
, tuſta veſtigia paſſim occurrunt, nulla odij ac ſimultatum nec ſine ſtu-
, pore videre eſt, ne unum quidem in Europa populum eſſe, qui No-
, biſcum aliquando non decertaverit præter Polonum. Adeo voluit eſſe
, DEUS Omnipotens integram & caſtam ſi non armorum ſaltem animo-
, rum confœderationem, cujus vinculo Poloni Galliq; velut gens una ſunt
, & eſſe debent. Quod quidem non ideo ſolùm exiſtimaverim tam pro-
, ſperè factum, quòd inter diſſita regna vix ullus unquam eſſe poſſit æ-
, mulationi prætextus, ſed ex innata potius & mutua propenſione. Scio
, jam pridem hoc à meis anteceſſoribus notatum, ſcilicet eam inter Nos
, morum, indolis oriſq; ſimilitudinem ſemper fuiſſe, ut ambo ſermone tan-
, tum ac veſte diſcrepare videremur, id unum adijcio, plus profuiſſe huic
, florentiſſimæ potentiſſimæq; Reipublicæ Noſtram, quàm aliorum omni-
, um ac præcipuè vicinorum amicitiam. Ex quo pacis Olivenſis Media-
, tores Galli fuerunt ac fide-juſſores, hinc pax æterna, quà parte bellum
, vehementius exarſerat, ubi verò cum reliquis inita fœdera, nihil niſi
, ſumptus inutilis, belliquе inextricabilis difficultas acceſſit Poloniæ. Quid
, plura? ſatis ſuperq; Vobis compertum eſt, quantæ ſint Chriſtianiſſimi
, Regis & potentia, & conſtantia, nec minus eum in tuendis amicis, quàm
, in vincendis hoſtibus invictum. Ecce quaſcunq; vires habet, Veſtræ ſunt,
, quodſi nulla prætermiſit hactenus interregna, quin rebus Veſtris atten-
, tiſſimè proſpexerit, & conſulere ſit conatus, iſtud ſanè non prætermit-
, tet, quin Vobis opes omnes ſuas, auxilia & quidquid ipſi carius & anti-
, quius eſſe poteſt, lubens offerat, unde priſtinus hujus fortiſſimæ Gen-
, tis ſplendor reſtituatur & creſcant in perpetuum pretioſiſſima jura libertatis
, Ego verò felix mihi videor, quòd tandem aliquando ad conſpectum Ve-
, ſtrum adduci potuerim, quem per tres annos fruſtra ſuſpirabam, ut tam
, eximia Regiæ benevolentiæ teſtimonia proferrem, luculentiora certè nec
, non evidentiora demonſtraturus, cum in electorali campo fortè licebit,
, (ut non vanè mihi polliceor) florentiſſimam hanc & Sereniſſimam ite-
, rum iterúmque alloqui Rempublicam, quæ una ferme inter omnes to-
, tius, qua patet orbis terrarum, reſpublicas ſingulari quodam Divinæ pro-
, videntiæ privilegio ad invidiam tot regnorum ſervavit ſibi liberam eli-

X gendo-

A.C. 1699 gendorum Poloniæ Regum & coronandæ virtutis facultatem.

Fecerat convivium magnum Cardinalis post confectam Ecclesiæ consecrationem in Refectorio S. Crucis, ubi omnes fuimus, Regina vero ad Carmelitanas ivit, ibiq; prandit, & pernoctavit, ubi cum concordiæ veræ & sinceræ non tantùm author, sed adjutor primarius existere voluissem, in crastino in præsentia omnium Religiosarum captata optima occasione, commoditatem habui non levem exercendæ charitatis, dum rationibus convincebam, ut aperiret oculos suos, & videret ruinam domus suæ jam jamq; imminentem. Initia malorum sunt hæc, graviora timenda, nunquid non prope interitum sunt? si persistunt. Ut consideret quia non tantùm propter æternam animæ salutem, sed & propter præsentis temporis necessitatem indispensabilem opus sit diligere inimicos & neminem offendere.

Colloquiũ cum Regina.

Et cum inexhaustam ejus virtutum copiam paulò longius dilatassem, quod omnes de illa dicant plurima, nemo tamen omnia, audacter asseruissem, tandem excitare volui, ut monstret palàm harum virtutum monumenta, adque posteris ad eadem imitanda incitamenta. Quod commodavit fortuna, tollit, quod donavit natura, repetet, quod paravit virtus, manebit. Ergo quo inclinent se fata prævideat, quantum humano ingenio potest & quo ipsa ad illa. Persuadere hæc ex affectu vero volui, sed etiamsi persuasissem, non persuasi, cum prævaleret semper passio omnibus etiam urgentissimis rationibus.

Post dicta hæc (quod oculo lux est, id est animo veritas) Matri, adivi Principem Jacobum, iterum novas offensas & amaritudines lenire volui pluribus deducens, has continuas rixas, non tantùm præjudicium ipsi non cum minore dedecore quàm periculo sed & scandalum adferre, quòd Matrem non honoret. In publico cum hæc faciant, ubi quid timetur, cautio nunquam nocet. Incusabat ille infortunium suum & palpabiles demonstrabat injurias & præjudicia, quæ faciebat mater, scutum ille modo præferebat, gladium non stringebat, rogavitq; me ut seriò vellem me applicare & interponere omnem curam loquendo veritatem, quam Democritus in profundissimo puteo demersam latitare dicebat. Fui ergo apud Carmelitanas iterum (modò me Thebis modò ponas Athenis) ibiq; prandium ex eadem ratione sumpsi cum Regina, & omnia ea dixi, quæcunq; in eum finem necessaria dictu credebam, suadens ut inirent viam alteram huic qua eunt contrariam, quæ impendij minus habet, compendij non minus, quin imò me judice multo plus. Sed nec illo tempore felicior fui: Creditur vulgus muliebre, nunquam consilij micam acceptare profuturi, sed rapi affectu penitusq; sana mente carere. Si audivisses ad propositiones meas plena in domum Regiam affectûs responsa, non exquireres, unde fulgura, tonitrua, imbres fierent. Talis ea est, nisi erro, & certa nec lenta via quâ imus in præcipitium. Si verò assequi id non potui, quod volui, veniam & apud omnes, qui bene volunt ipsis & apud ipsam etiam domum Regiam aliquando promerebor, cum videbunt, sed vereor ne tardè meum sermonem opere compleri & id quod accidit, meritò accidisse.

Cum Principe Jacobo

Iterũ cum Regina.

Prævalebat semper ingens dolor, quem monstrabat contra Filium, cui video est pessimè affecta perseveratq; irasci, ne credatur cœpisse

pisse sine causa cui obviando dixeram ego: Alibi constans sit, hic mutari virtus est. *A.C. 1696*

Debebant transportari omnes res Villanovâ Varsaviam & jam Regina ad conscribendum inventarium ex parte sua Dominum Bartholomæum Sardi virum probum & honoratum destinaverat, sed iterum vitium est prius alias prætensiones sopire & in eum finem conveneramus in arcem Varsaviensem, Princeps Jacobus petierat a me ut partes ejus tuerer, si verò id facere non possem, cum mihi non liceret Reginæ deserere obsequium, ut saltem non ita zelosè contra eum agerem, non ita fervidè pro ea.

Interea venit notitia Leopoli quod Confœderatio militaris in dies augeatur aufert vim præsentibus malis qui futura prospicit. Tam fœdam procellam eoq; graviorem quod ex improviso publicæ tranquillitati imminentem ut averteret Cardinalis Primas simul cum Senatoribus ad latus ejus destinatis omnem movebat lapidem. Verùm nimis arduum erat sine belli nervo, qui tam fortiter armatis precibus exigebatur, motam illius fœderis tam intimi componere tempestatem. Nihil enim Legati ab exercitu fœderato missi præter speciosa promissa & diligentem persolvendi quàm primùm stipendij curam ad sua castra in literis Primatis referebant, ad quem Mareschalcus Confœderationis ejusdem in eum sensum scripserat qui in punctis & prætensionibus superius allatis expressus fuerat. Hoc est, testabatur se ab obsequio Reip. ne latum quidem ungvem velle cum sua Confœderata Militia recedere, nihilominus emerita tot annis tamq; diu expectata stipendia jure merito debere requirere. Deinde querelas quasdam contra Duces Exercitûs eorumq; officiales proponebat. Tandem expectare se inquiebat decisionem in hoc puncto totius Reipublicæ. Aliàs non recessurum se à præconcepto Confœderationis proposito humanissimis verbis minabatur, si Resp. debitum militiæ tot meritis stipendium differre vellet ulterius. Respondit Cardinalis accepisse se literas ex Castris 3. Septembris datas, communicasse se illas Reip: auditos diligenter Legatos ab illo & Confœderata Militia expeditos ad Generalis Confœderationis Comitia. Gaudere se quoq; non mediocriter imprimis, quòd se ab obsequio Reip. emerita Regni Militia non excuset quam hucusq; invicto suo sangvine & pectoribus Spartano muro fortioribus constantissimè tuebatur, sub quorum virtute & robore nunquam Polona nutavit felicitas, nomen Equitis Poloni stipendia sub signis militaribus promerentis, non minori apud Remp. respectu versari, quàm olim apud Romanam Remp. commilitonis nomen quod signa & aquilas Romani Imperij unicè exornabat. Emerita totius militiæ stipendia in recenti semper apud Remp. fore memoria & in publico consilio omnes vires conatusq; intendere, quatenus tanto sangvini pro meritis desiderijs satisfiat. Unum ex Legatis retro mittere ad castra visum esse cum nuntio festinandæ solutionis, reliquos ideo longius retinere ut testes oculati sint diligentissimæ applicationis totius Reip. quæ ad hoc negotium ex integro componendum deputavit Commissarios, præsertim cum prædicti Legati militiæ non ostenderint authenticam plenipotentiam ad tractandum. In reliquo non dubitare se eosdem tanquam ejusdem Matris Filios in tanta orbitate Remp. non contristaturos

Cõfœderatio militaris stipendia urget.

Eadem stipendia urget Mareschalcus Confœderationis.

Promittit Primas.

A.C. 1696 ,ros precarique eos obtestariq; ut velint potius abstergere quàm pro-
,vocare lacrymas populorum & sicut à majoribus affectum in Patri-
,am acceperunt sic eum posteris palàm faciant.

Cum autem illi Legati qui manere debebant antequam missus unus ex ijs rediret, videntes rupta Comitia & considerantes, quod vacuis manibus redeundum ad exercitum esset, cum nullam apparentiam vel possibilitatem solutionis viderent, omnino abire voluerunt, nec illos retinendi modus erat; ne tamen sine certa assecuratione abirent, scripsit iterum Cardinalis Primas, referens se respon-
,disse ad literas Mareschalci per Modzelevium omnimodamq; ad per-
,solvenda militiæ stipendia nomine publico declarasse solicitudi-
,nem, cum adeo æqua postulaverint, ut ultro deferenda à Rep. fue-
,rint, ita communis causæ omnes multum solliciti cogitaveruntq; bo-
,na, sed cogitata hæc bonus sequi non potuit eventus. Nihil non
,tentatum ad inveniendа efficacissima media & expectantes hîc ul-
,timam resolutionem Legatos non sine certa spe accelerandæ solu-
,tionis quàm primùm expediendos; Quia vero hæc consilia atroci-
,ori fortuna prævertente rationes libertatis, sub qua illi quoq; pari-
,ter cum omnibus merentur, ita habere voluerunt, ut ea rumpe-
,rentur, justa est exceptio ex impotentia promittentis, quòd non
,potuerint tam citò expediri, donec id remedium adhibeatur quod in con-
,simili rerum discrimine semper parit Patriæ incolumitatem, ut scilicet
,alia Confœderatio instituatur, quæ addet robur assecurationi persolven-
,dorum quamprimum stipendiorum, secundum repartitionem Palatina-
,tuum, & prævijs liquidationibus. In eam spem erigi omnes, quod ex-
,ercitus omni candore & æquitate in expediendis his procedet liquida-
,tionibus in hac communis Matris orbitate, & optare se ut consilia sua
,illorum conformentur judicio. Ad puncta per legatos missa nullum in-
,terim responsum dari ex eo, quod subscripta non fuerint, & plenipo-
,tentia ad tractandum defuerit. Verùm Commissarij Reip. ubi Leopo-
,lim advenerint singulas resoluturi sunt propositiones, omniáque studia
,ad tranquillitatem collimabunt publicam, si illi amore cum Patria cer-
,tare voluerint.

Sed non secuta ob rupta Comitia.

Præcipua erat omnium bonorum cura & studium, ut Confœderatio hæc tam pernitiosa Reip. sine mora dissolveretur, sed ut fit in libera Repub: obstabant obliquæ variorum sententiæ Procerum, quorum intererat, ne vinculum illud solveretur, & illorum qui abominationem hanc opere perpetratam defendebant

Imprimis tamen Domus Regiæ, hoc est Principis Iacobi cum Serenissima Matre Vidua, quædam differentiæ publica negotia morabantur, & longo consumebant gaudia voto, querelam enim semper habent, unde mutua solatia vel auxilia sperare debebant.

Iam inter se feliciter compositis tam exercitus Poloni Ducibus quàm Domo Sapiehana cum Episcopo Vilnensi. Laborabam certè ego pro viribus meis, ut eam altum publici scandali lapidem, à Domo Regia dimoverem, quo faciliùs feliciúsque gravissimæ Reip. difficultates componi possent. Adibam toties Reginam ut illam summè aversam ad Serenissimi Principis Iacobi paratam submissionem inclinarem: sed difficultas nova occurreret in eo, quòd Episcopus Posnaniensis dixerat se habuisse à defuncto Rege certum diploma, dum in legatione pro quærenda Principi Iacobo Principe Neoburgica fungeretur in quo certa bona Czemierniki, Markuszow, & Bludow Principis Iacobi Uxori inscribebantur, quòd diplo-

Nova dissensionis causa Reginam inter & Principem Iacobum

diploma reddidisse se Reginæ, & illam illud combussisse constanter affirmabat, unde ingentem injuriam prætendebat sibi Princeps Iacobus. Cum ergo hac de re discursus institueretur in certa sessione, monstravit Cardinalis hoc diploma, de quo res erat, sed in illo diversa his, quæ narrabantur ab Episcopo, inventa sunt, quia ibi in casum tantum viduitatis, & non aliter dictæ Principi proventus ex illis bonis destinati erant. Hoc verò diploma non tantum manu Regis, sed etiam Adami Sarnowski Secretarij quondam Regis ab annis duobus demortui, subscriptum tunc fuit. Cum verò idem Cardinalis ab Episcopo quæsivisset, quando illud diploma reddidit Reginæ? respondit reddidisse se eo ipso tempore, quo Neoburgo redierat, & in cooperta ejus sigillo obsignata, scriptus erat ab eodem dies quarta scilicet Februarij Anni currentis, & sic confundi omnino debebat, parvæq; memoriæ argui. *A.C.1696*

Puncta prætensionum, quæ nunc sunt sub incude à Principe Iacobo nobis ad concordiam hanc faciendam destinatis exhibita sunt, quæ tibi communico & quæ tacere melius erat, quàm afferre, ut refellantur, ut in re non ubique satis clara habeatur exercendi ingenij materia, nollem tamen aliorum dissensiones in me recipere, nam ut ipse non dissimulo, displicere mihi quædam, sic in quibus taceo, in ijs & mihi meum, & cuivis suum judicium liberum relinqui cupio.

Usque adeo ovibus concordia nulla lupisq; sed semper cupiunt malum, seque odisse vicissim. *Confœderatio in Litvania*

Venit interim Nuntius ex Litvania factam esse ibi etiam confœderationem militarem. Mareschalcus declaratus Oginscius Vexillifer Litvaniæ, ita ignis ubique terrarum nunquam calere desistit. Consiliarij Pociejovij, Crispinus Palatinus Vitebscensis, alia ex parte exercitum fomentat, & Castellanum Vilnensem. Minorem exercitûs Ducem famam scilicet plus æquo negligentem, nec ullam posteritatis habentem rationem, tanquam confœderationis hujus authorem, in literis suis ad Cardinalem accusat Palatinus Vilnensis. Fit hominum more, ut in suópte quisque negotio longè sit attentior, quàm alieno. Addebat idem quod pecuniâ Reginæ omnia hæc facta sunt, quæ multis infortunijs jam hæc consecuta, ut omnes similes sive fabulas, sive veras relationes didicerit contemnere, cum illud sciat transijsse tempus, quo facta ejus cogebatur populus & ferre, & laudare. *Cujus causa conijcitur in Reginam*

Vt verò originem primumque fontem clarius perspectum habeas, mitto tibi copiam literarum Palatini Polocensis ad frarem suum Castellanum Vilnensem, in cujus animo immota ac fixa, quidvis fingendi libido nec multum mireris, est ille, quem nosti. Non possumus ob honores reverentiâ dignos iudicare, quos ipsis honoribus judicamus quandoq; indignos. Qui nihil habet proprij decoris, opinione multorum nunc splendorem accipit nunc amittit. Affirmare falsa, detrahere vera religio illi non est, sed suo tempore melius omnibus, quàm singulis credetur, singuli decipere possunt, omnes non possunt. Multa cadunt inter calicem supremáque labra. Quo monemur nihil tam certum, & credi, & sperari, nec quidquam tam esse vicinum, ut non repentinus aliquis casus interveniat, adeoq; non esse tutum sibi fidere, & relationibus fidem adhibere, cum vix etiam illa sint certa, quæ manibus tenemus. His itaq; literis, neq; denegare fidem, improvidi est, neq; adhiberi.

Ut ultimo tuo respondeam literarum puncto, quod omnibus alijs brevissimè scriptis longissimum meo quidem judicio mihi videtur, & est quòd mihi eo nomine gratuler, videns sensum de me tuum, quamvis vix fieri posse arbitror, ut respondere possit industria mea his, quæ de me tam abunde prædicas, tamen sive rectè sentis, gaudeo, sive erras, error quo-

A.C.1696 que tuus ut verè dicam mihi perjucundus est. Is eloquens est, qui & humilia sublimiter, & magna graviter, & mediocria temperatè potest dicere. Cœterùm ego verum dicere consvevi, & tu libenter audire.

Vale & scito me id unicè optare, ut ea potissimum jubeas, quæ me decent vel sponte fecisse.

EPISTOLA ILLUSTRISSIMI PALATINI POLOCENSIS AD CASTELLANUM VILNENSEM FRATREM SUUM.

Dehortatur à Confœderatione in M. D. L.

VIX movi jugales meos Varsaviâ in Litvaniam iter promoturus, cùm publicorum ore ad aures meas perferebatur etiam Pragam nondum supergresso, quasi insolens quædam conspiratio „(quæ appellari potest congregatio impiorum) in Exercitu Litvaniæ „comparere incipiat. Non dabam vulgi rumoribus fidem sæpius ea „de re mussitantis. Credebam enim eas aniles tantummodo fabulas „extitisse. At postquam profundiorem ingredior Litvaniam certiora „nova accipio simul cum probatione, quòd nimirum sub Pruzana „impiæ Confœderationis vinculum coaluerit sumpto initio ab hastatis Cohortibus Illustrissimæ Dominationis Vestræ sub auspicijs Per„illustris Domini Vexilliferi Gregorij Oginski, qui parum est, quod „se tam infamis actionis authorem Ducemq; fecerit, sed præterea „cum Dominis Pocieis Vexillifero Brestensi & Trocensi disseminat „per totum Ducatum Litvaniæ, quòd prædicta Confœderatio mili„taris ex imperio & assensu Illustrissimæ Dominationis Vestræ com„ponatur, quod testantur probabilia documenta manu eorundem „subscripta, dolendum sanè mihi Germano suo Fratri talia oculis u„surpare. Utinam liceret privatim intra domestici laris parietes „extremum vitæ mortalis ævum agere potius, quàm ea nunc spe„ctare publicè quæ toti mundo admirationem movent insolitam & „non tantum inter primos Regni Proceres, sed in humilibus etiam „casis locum habere non deberent, quicunq; virtutis amo„re trahuntur aguntùrq;. Tandem hoc quoq; disseminat præfatus „author quod Illustrissima Dominatio ad eum finem notabilem æris „argentiq; summam ex propria gaza submiserit. Per DEum im„mortalem? cui bono impensa hæc erogatur? Profecto justam cau„sam tam enormis facti non video. Utiq; cum simul moraremur „Varsaviæ memini me ex ipsiusmet ore accepisse, quantum sibi dis„plicuerit Confœderatio militaris in Regno composita. Quare er„go ipsamet Illustrissima Dominatio tam publicè quàm privatim o„re prædictorum Commilitonum author & motor istius Confœdera„tionis dicitur? Tam publicâ facti hujus formâ consternato non au„res erigere ad audiendum ea (quæ Oginscij Pocieiiq; plenis buccis „spargunt per ora vulgi) sed mori mihi promptius est consideranti „præsertim diligenter, quòd omnem majorum nostrorum nostrisq; qui„buscunq; meritis comparatam hucusq; gloriam ejusmodi actio (mo„do vera) penitus sit eversura. Non inveni tantum fidei, Germanus

,nus Frater apud Illustrissimam Dominationem Vestram, ut me præ- *A.C.*1696
,moneret de tam publica infelicitate & Confœderatione Militis in-
,solentis, profectò dissuasissem allatis rationibus, de reliquo humil-
,limè ad fraternas plantas procidissem enixéque fuissem precatus, ut
,ruentes in Confœderationem sisteret potius quàm ad ingloriam
,hanc actionem animaret, & quà consilio suo quà impensis in tam
,iniquo proposito confirmaret. Attulissem præcipuas inter ratio-
,nes illas quæ unumquemq; sanæ mentis facilè possunt convincere:
,quod si Confœderationes componantur pro libertate componi de-
,bent præcipuè vivente illo Rege qui libertatem subruere nititur:
,quanquam & hoc non omnino succedit quia machina hæc passim
,in caput illius recidit, qui author est primúsque inventor. Nunc
,verò cum publica necessitas intimam animorum colligationem e-
,xigit inter cives unius Patriæ, ut in summa suffragiorum concordia æ-
,qvum rectumque Regni throno Principem inferamus, quicunq; demum
,ille tam perniciosam confœderationem machinatur, audet sanè viperino den-
,te viscera suæ matris corrodere. Quia ad quem usum Reipublicæ præ-
,dicta Confœderatio possit cedere, prorsus non intelligo. Profectò enim Con-
,fœderatio hæc non solvet sibi emerita stipendia inconsultâ Republicâ. U-
,tique ipsimet Primipili & Authores istius Confœderationis semper con-
,trarij fuerunt contributionibus imponendis pro exsolvendo stipendio mi-
,litari, præterea commilito Perillustris Domini Vexilliferi M. D. Litv. Co-
,mitia Convocationis insolentissimè abrupit, quem ille ipsemet Vistulam
,versus pro sua securitate non erubuit comitari. Videat tandem Illustris-
,sima Dominatio Vestra, quid Respublica pro tam abominabili Deo ho-
,minibúsque universis opere debeat: quámque profundas agat cicatrices in
,corde fraterno vulnus hoc, quod toties mihi infligitur eligenti millies po-
,tius mori, quàm tanta audire Nominis Nostri & Domûs probra. Plu-
,ra ingens dolor vetat loqui: obtestor igitur Illustrissimam Dominatio-
,nem Vestram iterum iterumq; per Sacrosancta vulnera Dei hominis
,& Servatoris Nostri, deinde per amorem Patriæ, tandem & Domus
,Nostræ respectum, ut dignetur hos Deo Patriæque suæ rebelles con-
,silio suo coercere, nulla ratione illis suffragari. Videat orbis quòd Illu-
,strissima Dominatio Vestra quemadmodum semper erat amans Patriæ
,& libertatis à prima Majorum Nostrorum origine, ita eandem pieta-
,tem probitatemq; integrè tueri velit & nociva avertere. Ego verò quan-
,tum ad meam Personam attinet, clarè confiteor Illustrissimæ Domi-
,nationi Vestræ quòd etiamsi omnes prorsus aliæ cohortes ad prædi-
,ctæ Confœderationis vinculum accesserint, ego cum meæ militiæ manu
,hæreditarijs meis bonis immorabor tueborq; pro viribus traditam mihi
,à Majoribus Nostris fidem & pietatem in Patriam & malo in victimam
,haustum à Parentibus sangvinem litare Reipub. quàm adeo ignominio-
,sa omnibus retro sæculis notari apud posteros cicatrice legique olim cen-
,serique pudendo vocabulo, inter rebelles Patriæ Catilinas. Cum hac
,ergo declaratione sisto me in præsenti epistola, securus de facili venia
,apud Illustrissimam Dominationem Vestram obtinenda, quando uni-
,versis his Reipublicæ turbatoribus & ne dicam publicæ tranquillitatis in-
,cendiarijs perinde atque Turcis Getisq; hostem me ubiq; opponam,
,Multò minus tam insolenti Confœderationi adhærebo, memor obligatio-
,nis meæ & amoris in Patriam. Interim quia plura scribere dolor ve-
,tat, non exprimo fusius sensum meum, oro tantum obtestorque Illustris-
,simam Dominationem Vestram, ut velit quàm primum insolentiæ hu-
jus

A.C.1696, ic occurrere & os iniqua loquentium obturare. Gloriantur enim se ha-
, bere Illustrissimam Dominationem Vestram protectorem, motorémq;
, hujus confœderationis. Soletur me tandem Illustrissima Dominatio Ve-
, stra jam tantum non exanimem ad tam apertæ ruinæ Nostræ specta-
, culum. Utique ego nullo alio in hoc puncto respectu agor, nisi solo
, puncto honoris Domus Nostræ & publicæ integritatis, neque ullo alio
, motivo impulsus præsentes scribo literas nisi fraterni amoris, quo erga Illu-
, strissimam Dominationem Vestram feror, stimulis permotus. Deus in
, cujus conspectu sto, iudicet, quàm sincerè desiderem omnia fausta de
, Illustrissima Dominatione Vestra domoq; Nostra audire, & ulterius tam
, acerbo dolori qui me sine dubio conficiet, Illustrissima Dominatio Ve-
, stra levamen differet? nec dissvadebit rebellibus tam impij fœderis colliga-
, tionem palámque demonstrabit quòd non ex Illustrissimæ Dominationis
, Vestræ persona tempestas hæc exorta fuerit? Concludo testorque.

PUNCTA PRÆTENSIONUM
PRINCIPIS JACOBI

NOn intrat Serenissimus Princeps Iacobus in disquisitionem jurium, inscriptionum Reginalem Majestatem concernentium, merè tantum suas evincere contendit prætensiones, quæ sequuntur.

1ma *Domina advitalitia, juxta præscriptum legum debet providere subsistentiam proli suæ, non tangendo vel minuendo capitales summas, quæ ad solam prolem spectant, præcipuè verò illas quæ in statu Regio sunt collecta.*

2da. *Domina Advitalitia, juxta consvetudinem, & leges publicas, debet omnia debita solvere, non remittendo creditores ad hæredem. Quare in fundamento prædictorum horum punctorum exigit Serenissimus Princeps Iacobus subsistentiam, quæ illi vivente Serenissimo Parente ex salis fodinis obtingebat, nunc verò jam recisa est fato Serenissimi Genitoris, quæ tamen subsistendi ratio, quia innititur Inscriptionibus à gloriosæ memoriæ Parente factis in Personam Serenissimæ Reginæ Matris, inter pacta Matrimonialia ratificatis, & per diploma cum consensu Serenissimæ Reginæ Specificatis super Bonis Czemierniki, Markuszow, & Bludow. Igitur Serenissimus Princeps Iacobus realem præfatorum possessionem Bonorum desiderat, & tanto magis quòd prædicta bona jam regnante Serenissimo Parente acquisita, minus Iuri Advitalitio Serenissimæ Matris servire deberent.*

3tia, *Siquidem Domina Advitalitia juxta praxim omnia onera debitaq; debet exolvere, tunc quæcunq; Serenissimus Princeps Jacobus persolvit, ea omnia jure illi debent refundi Præsertim cum sit testis syngrapha Eminentissimi Cardinalis, quòd persoluta certa summa Serenis: Reginam concernente, pro qua realiter numerata quietationem obtinuit Seren: Princeps Jacobus, non tenetur amplius ad persolvenda illa debita.*

4ta. *Et quia juxta eandem syngrapham Cardinalis, ad nulla bona mobilia Serenissima Regina se se ingerit, examinari debent, & ad juramentum adigi, omnes illi, quicunq; demum prædictorum bonorum mobilium curam attendentiamq; habuerunt. Utrum omnia illa mobilia ac in integro inveniantur, excipiendo non nulla palatij ornamenta Zolkieviæ relicta, & argumentum mensæ Regiæ, quod Germani Principes Serenissimæ Reginæ cesserunt donaruntq;.*

5ta. *Quantum ad retenta quæ tam in bonis Hæreditarijs quàm in Oeconomicis sive in grano, sive in ære, sive demum in debitis inter subditos hærenti-*

rentibus, inveniuntur utrum debeant recidere sub Jus advitalitium Serenissimæ Reginæ (quod non nisi à die Regiæ mortis incboatur) submittit boc Serenissimus Princeps Iacobus arbitrio judicioq; amicorum, ad boc negotium dignoscendum deputatorum, cum bac informatione, quòd plus supra ducenta millia florenorum non permittat ex remanentibus repeti à Serenissima Regina. A.C.1696

6ta. *Quando post finitum calculum Serñmus Princeps Iacobus, in omnibus prætensionibus suis componetur, tunc summam Margieburgensem in manibus Illustrissimi Episcopi Cujaviensis depositam & alias restas, quæ inveniuntur apud Serñmum Iacobum Principem (& ex quibus calculus reddi debet) comportabit, vel respectu aliarum summarum in manibus Serñmæ Reginæ bærentium computabit in acceptis.*

7ma. *Equorum greges siquidem ad bæredes spectant, postulat Serñmus Princeps Iacobus, ut fiat exdivisio in sortem suam.*

8va. *Quoniam mediante Eminentissimo Cardinali Primate Regni, ita statutum est, ut Serenissimi Principes Germani sui proventibus Szavelensibus, Pucensibus, Fygenosensibus & alijs, prætereaque parte proventuum ex Ducatu Olaviensi concernentium, ita sint contenti, ut illos inter se partiantur, igitur Serenissimus Princeps Jacobus pro efficaci istius rei executione instat impensissimè ut clarè intelligat quænam bona determinatè suam personam concernant, quia in communi, & ex communi vivere non desiderat.*

9na. *Et quia non tantum in bonis mundis debet assecurari summa Consortis Serenissimi Principis Jacobi; verùm etiam æquivalens reditus in locum centum millium florenorum Polonicalium, quæ ex salis fodinis punctualiter Serenissimo Principi Iacobo numerabantur; igitur & prædicta summa pariter debet assecurari. Postulat ergo Serenissimus Princeps Iacobus, ut debita si quæ in prædictis bonis bærentia comparerent, aliunde componantur & deportentur, quæ juxta intentionem gloriosæ memoriæ Regis permisceri non debent.*

10ma. *Siquidem expensæ, & expeditio Serenissimi Principis Iacobi ante Sacramentum Matrimonij, ad Serenissimos Parentes attinebat, postulat Serenissimus Princeps Iacobus, ut illos Creditores, si qui invenientur Serenissima Regina tanquam Domina Advitalitia contentos reddat in suis prætensionibus neq; illos ad Serenissimum Principem Filium pro debitis exsolvendis remittat.*

XXV.
AMICO CONFIDENTI,
26 Octobris.

Modus deservitam mercedem militi confœderato solvendi.

QUoniam non semper tuta mihi offertur occasio scribendi, præsentem nactus Nuntium, nolui differre quin per illum mitterem tibi quæ nuper in multis materijs necessarijs, sed præcipuè in materia accelerationis comitiorum electionis fusè fortè ad fastidium multorum, sed pro utilitate in publicum dixi, & quin te facerem certiorem quod impendimus aliquot dies in conventu Patrum Bernardinorum excipiendis illis propositionibus, quas militia confœderata per suos Nuntios nobis attulit. Laboris nostri & operæ diligentis brevem & sine cura verborum feci heri relationem, quia plus laboris habuimus, quàm fructus in publico potuimus ostendere. Hoc enim est familiare malum in hac Republ, quod optima etiam consilia in essentialibus dis-

A.C.1699 solvi debent, quoties inveniendæ & numerandæ pecuniæ occurrit necessitas, cum eam difficilius sit, quàm cœtera alia media invenire. Objectum sessionis nostræ illud erat, ut media adinvenirentur ad dissolvendam confœderationem, quæ cuivis sunt in promptu. Nam bene consideratâ naturâ ejus, profundiùs in intentiones, causas, concausas, penetrando, facile est intellectu, quod hæc confœderatio coadunata sit in defectu exsolvendæ deservitæ mercedis, detentæ per aliquot annos, nec dissolvi potest, nisi per executionem & satisfactionem.

Imprimis ergo aggressi sumus calculationem, quantum debeamus, postea qualis modus hic & nunc esset, antequam ad exsolutionem veniatur aggrediendæ integræ ejus resolutionis, & ad obedientiam Ducum reductionis. Non exaggero minutatim quantum debeamus, terribile tamen est id, quod dicam, nihilominus quia necesse & opus est dicere, dico, quod scilicet triginta & tres milliones, quadringenta sexaginta & quatuor millia, & quatuordecim florenos debeamus.

Tam magnum debitum in tanta nostra paupertate & si ex integro immediatè exsolvere non valemus, laudanda nihilominus ex integro esse tributa, multis rationibus fuit deductum, præcipuè cùm natura confœdetationis sit juramento ligata, ne ullus alium deserat, usque dum omnibus satisfactum fuerit, satisfieri autem illis aliter non potest, quia aliqui in his, aliqui in alijs quartualibus deservitam suam mercedem numerant, quovis secundum suum inceptum obsequium computante merita, ac proinde certi quartuales sunt antiqui, alij recentiores, timendum ergo ne deficiente sufficienti nervo, prætextus inveniatur continendi se in confœderatione. Exhorruimus super istum computum, qui unumquemq; perstringere debet. Impossibile est, ut subditi nostri, dicam plus & dicam verè, ut nos etiam ipsi tantis expensis sufficere valeamus.

Est hoc certò certius quòd magnum numerum exercitûs in charta habeamus & nunquam in campo completum viderimus. Imò ex informatione Ducum & officialium hoc habuimus, quòd minor fuerit sæpius exercitus illo hyemali tempore quo sub tecto manendum erat, quàm in campo, quia in illa solitudine & omnium rerum indigentia, impossibile omnes detinere, & multæ tales inventæ sunt cohortes, quæ nec primum officialem habere potuerunt, & in Ecclesia signa sua militaria reliquerunt. Unde multum ex hoc debito decedere potest, & in eum finem propositum est, ut ad justam liquidationem media efficacia invenirentur, ut tribunali Rademiensi, sine quo nihil bene finiri poterit, detur regula, composita juramenti rota, in quam & Duces ibi præsentes, & omnes commissarij nemine excepto corporaliter jurent quod sine respectu & *pro* conscientia judicaturi sint. Hoc enim ad hoc serviet, quod ibi sedentes Duces & Cōmissarij ab exercitu qui melius sciunt, extra invidiam erunt, quando juramento obstricti pro conscientia, quis fuit præsens, aut absens sine respectu iudicare obligabuntur.

Ingens est injuria Reipublicæ, quam sibi ipsa attraxit per novellam constitutionem id declarando, ut per deputatos à cohortibus juratos tota militia se liquidet, quæ ante præsentationem coram Notario Regni Castrensi liquidare se solebat, quoniam videmus evidentia, & planè palpabilia perjuria. Optandum sanè esset, ut officiales, sicuti sunt loci tenentes exsolvant itidem juramentum, quia cum quivis eorum sit tanquam paterfamilias cohortis suæ, optimè scire potest de præsentia vel absentia cujusvis. Sed contrarios se monstrant timendo læsionem conscientiæ, quando per tam longum tempus res difficilis & planè impossibilis memoriâ comprehendere omnes præsentes & absentes. Si Respublica pun-

ctuali-

ctualiter solveret duo quartualia exeundo in campaniam, duo alia rede- A.C.1696 undo, uti promisit, facile in id juramentum consentirent, quia recens memoria, ut de subscriptione vera, sic & juramento justo certiores redderet. Altera ratio negandi id, eorum est, quòd leges scribantur in futurum, & non teneantur nunc ad id, ad quod illos contractus cum ijsdem initus non obligat. Non renuunt nihilominus medietatem quartualium subscribendo addere, quòd sub conscientia vera regestra subscribant, super quæ insuper deputati à cohortibus juramentum explebunt, super illa verò quartualia, quæ sub tecto aguntur, illi iurare deberent, qui pro superioribus cujusvis cohortis destinati sunt. Ut verò ad sumptus nimios in longis itineribus non adigantur ad explendom juramentum, tunc permittendum esset, ut in quolibet castro viciniori id exsolvant.

Tanti autem scrupuli ad hoc juramentum exsolvendum inter Dominos locum tenentes exoriuntur, ut sextam partem, ut vocant, quartualium cedere mallent, & fortè adhuc plus, cum ad tractatum cum Repub. venerit, de quò, ut quantocius non tantum cogitemus, sed realiter etiam accedamus, optarem. Si hunc tractatum differre volemus, æquè magnum inde Patriæ damnum, quàm periculum evidens est. Quia tamen ad hunc tractatum, non tantùm assecuratio deservitæ mercedis, sed & parata pecunia, sine qua nihil, est necessaria, cogitavimus hoc & locuti sumus, sed tantùm locuti sumus, quia ibi nulla finalis esse poterat conclusio, cum nihil ex nihilo fieri soleat.

Hæc ergo essentia est non tam finitæ, quàm pro more solito inceptæ sessionis, cujus cùm genuinam fecerim relationem, debui ex obligata Patriæ conscientia hoc addere, quod reflexione factâ super necessitate constituendæ solutionis pro omnibus istis quartualibus, non relinquendo prætextum confœderationi ullum, in ea persistendi, & cogitando absolutè impossibile esse subditis nostris tam gravia exsolvere tributa; quærenda essent alia media efficaciora, & non jam à subditis nostris, qui vix hiscere possunt, sed à nobis, ut jam idem non semel insinuavi pro fide, & conscientia jurata à luxu nostro exsolutionem incipiamus, si volumus & à confœderatione & à tantis liberari gravaminibus.

Consului iterum, ut laudemus illud tributum, quod est facillimum, quia ab ultimo consumentibus exigitur, solutionem scilicet certæ à cerevisia summæ, generalia vectigalia, accisas in molendinis, monopolia diversa ad usum, elevationem pretij, uno vel altero floreno in rem Reip: cujusvis dolij salis, & alia quæ occurrere potuerunt efficacia media; cuilibet subscribere paratus, modò quantocius id concluderemus. Amittuntur multa tarditate, quam res nostræ, si unquam nunc certè non ferunt.

Fuerunt apud me Domini ablegati confœderationis cum hac declaratione, quòd longius expectare nolint, nec possint, vident enim eludi vel præscindi spes suas, & ne in suspicionem apud exercitum incurrant & ideo abire sine ulla expeditione volunt. Hâc factâ relatione interrogavi, & ut se reflecterent petij, quid sequeretur? Quærenda esset omnino parata pecunia, destinandi commissarij, ut saltem aliquid agere videamur, & ut maturè sciant illi, qui sunt expediendi, & se pro itinere parent, qui noluerit suo sumptu hoc obsequium Reipub. acceptare, providendum illi. Nemini enim debet esse officium suum damnosum. Rarus est qui sumptu suo hoc itineris absolvere velit, præcipuè quòd frequentius deest publica gratitudo. Nemo aperit ostium gratis. Consilium futuri ex præterito venit.

Irascor occupationibus meis, quibus impedior ne plura scribam. Precibus tuis adjuva nos, ut quod animo volumus, re ipsa possimus.

XXVI.

CAROLO DUCI RADZIVILIO M. D. Litvaniæ Procancellario.

Pultoviâ 9. Novembris.

Hortatur ut mediatorem agat inter partes discordantes in Litvania, additq; se restiturum incursioni Confœderatorum alterutrius gentis.

ACcepi literas tuas eo ipso tempore, quo meas ad te parabam, non ut nova significarem aliqua, hæc enim Sarneccius nuper tuus, nunc meus, exactè more suo exarat, ad præsentem tantum temporum statum breviter & confidenter.

Quælibet Confœderatio quocunq; demum nomine vel prætextu vocetur, nullo modo laudari nec à quopiam approbari potest: Sed præcipuè hoc miserando tempore, dum sumus absq; capite, quia idem est confœderationem incipere, vel illius authorem esse, ac tragœdiæ hujus actorem, omnis enim talis jugulat Remp. Quo enim fine incipit? nisi ut liberam evertat electionem, quam quivis Patriam amans æquè cum vita defendere tenetur. Non intro ego in rationes præsentis in Litvania confœderationis, hoc tantùm me angit, quod timeam effusionem sangvinis, cujus non leve jam sub Breste Litvanico incitamentũ & initium. Tros Rutulusve ruat, perinde nobis, qui in eo nullum interesse particulare, nisi publicum habemus; sangvis ille ex una & altera parte est Christianus, quis effusionis ejus causa? si non ij authores & fautores, sive oppressionis ab una parte sive aggressionis nunc ex alia intempestivæ. Non intro, ut dixi in rationes utriusq; partis, Domino Krispino sinceræ compatiebar, seriò concordiam ejus tractabam, sed dum à Palatino Trocensi puncta nimis gravaminosa habuissem uno tantummodò perlecto, alia relegere nolui, de illis tantùm insinuaveram Domino Episcopo Samogitiæ Palatini Fratri, quæ ut acceperat sic mihi reddidit, & ego non amplius ingerere me nolebam in cognitionem hujus negotij. Vidi enim impossibilitatem inveniendi finis.

Novi bonitatem naturalem Palatini Vilnensis, cum Domino Oginski Litvaniæ Vexillifero amicitiam semper colui, utriq; servivi, quando id in mea erat potestate, ac proinde nullas causas odij, vel proprij commodi habens, eò gravius indoleo his, quæ facta sunt, vel quæ fient.

Hinc est, mi Princeps, quòd te enixè rogo, & propono (quòd summam gloriam nomini tuo parere potest) ut ad componendos animos prudentiam tuam applicare velis. Majorem famam & existimationem antiqui illi reputabant Imperatores in servatis civibus quàm debellatis hostibus. Cogita majores tuos quidquid in Republ. Polona magnum, idem aliquando Radzivilium fuit. Palmarium illi ducebant bene alijs suadendo Patriæ optimè consulere; Ergo discordes

des animos concordi fœdere jungas. Amoveantur illi ab utraq; *A.C.1696*
parte, qui toto vitæ curriculo elaborant circulos sed semper vitiosos.

Cum Palatino Vilnensi tanta intercedit tibi necessitas, Nepti propriæ ejus conjugali es fœdere junctus; cum Domino Oginski constans semper amicitia, in exercitu tam obsequente quàm confœderato magna authoritas. Noscunt te etiam, quod in summa fortuna nulli sis gravis, in summis opibus nulli injurius, in summis honoribus nulli fastuosus; liberalis tuus vultus, facilis accessus, comis sermo, cõmunẽ te omnibus fecerunt sine detrimento gravitatis, omnes tibi sine præjudicio authoritatis. Impendis benignissimè affectus, ut rapias, indulges amori, ut ameris. Non frustra ergo suscepta bonorum omnium vota, ut tu ad formandam hanc concordiam seriò te applices. Magnum nasci fortunæ munus, magnum vivere virtutis opus. Remunerabitur DEus laborem, quem huic publico impendes obsequio. Memor enim Patria erit solicitudinis, quam saluti ejus litabis. Insuper magna merita sola plerumq; sibi fiunt pulcherrima merces. Cur ergo mi Princeps invitato in consortium in vicinia manente Palatino Siradiensi viro tam magno in Rep, cujus consilia oracula, mediationem inter partes non arripis? cur ignem hunc civilibus medijs non extingvis? Opto proinde id & ferventissimè precor, ex mero & puro publici boni zelo, ex affectu in te sincero. Nosti mi Princeps necessitatem publicam concordiæ, scis omne quod est, tamdiu manere atq; subsistere, quamdiu est unum, interire atq; dissolvi pariter, si unum esse destiterit. Si distributæ segregatæq; partes corporis distraxerint unitatem, desinit esse quod fuerat, fundamentum salutis publicæ in unitate esse dixi; etiam culmen est.

Ingens autem gloria non tantum intra, sed etiam extra te manet, cùm præcipuè ego credam facile id componi posse, modo partes sine dependentia aliunde sincerè componi vellent. Darentur verò media & honoris restituendi læsis, & damnorum compensandorum illis, qui sunt injuriati. Si quis usus mei, libenter & ego excurrerem in illam viciniam, vel Grotkum vel Brokum, bona Episcopatus mei veniam certè equis ventisq; citius, & in consortio tuo magno ferar æquore, plenaq; optimæ mentis vela dabo; quanquam incomparabilis activitas tua sufficeret, ad perficiendum hoc negotium, velis tantum.

Venit aliquis rumor, qui alium perstringere posset, me nec tangere valet, quòd scilicet non diu Episcopatus meus eâ utetur malatiâ quâ nunc gaudet, & quod aliqua incursio ex hac Litvana vel illa Polona confœderatione illi immineat. Sed ego in defensionem bonorum Ecclesiasticorum in eò me collocabo statu, ut securè & tranquillè nunquàm dormiant illi, qui illa aggrederentur. Non sumam arma (avertat DEus) sum enim Ecclesiasticus & Christianus, contra Fratres, sed tantùm defendam subditos meos, & defendam fortiter viriliterq;. Eóque nomine scribo ad Cardinalem Primatem ut mihi liceat vicinam convocare nobilitatem, ad dandas vindicias, in quantum vellent hac iter suum dirigere &c.

XXVII.

SEREN: REGINÆ CASIMIRÆ

10. Novembris Pultoviâ.

Solatur eam, ob devolutam in se causam Confœderationis

Accepi literas cum summa veneratione & respectu Majestatis Vestræ, & mandatis ejus obsequendo mitto copias quas credo firmiter Varsaviæ (hinc enim ad me venerunt) inveniri. Utinam hæc confœderatio non tantùm excrescat, ut scribitur ,quamvis audiverim cujusdam melius scientis hæc formalia O? præclara potentia, quæ nec ad conservationem quidem suî satis efficax invenitur! An tu potentem censes, quem videas velle quod non possit efficere. Forsitan ex ejusmodi collisione pulchra quædam veritatis scintilla desiliet. Utinam hæc nova de authore ejus non sint vera? Primus enim, (ut nuper in præsentia Majestatis Vestræ Domino Sapieha Mareschalco Curiæ M. D. Lit. declaravi) in illum proijcerem lapidem.

Certiorem interim reddo Majestatem Vestram, quòd sicut injuria Patriæ anxium me reddit, ita innocentiæ aggressio sincerè tangit, scio enim, quid sit innocenter accusari & pati.

Cognosco me, nec in numero amicorum colloco, sed inter devotissimos & Majestati Vestræ mancipatos fidelissimosq; servos, quotiescunque id Majestas Vestra desideraverit, defendere honorem Majestatis Vestræ in eo puncto, si videro, ut ex animo videre desidero, quòd injustè lædatur & opprimatur, mascula fortitudine adnitar, quandoquidem M. V. declarat se curas suas circa bonum publicum, ut ante sic & nunc non populi rumore, sed conscientiæ suæ veritate metiri. Et hoc solatur, ut video, animum. Majestas Vestra sit plena spei & fiduciæ, quod qui in alterum mittit lapidem, super caput ejus cadet, & plaga dolosa, dolosi dividet vulnera, & qui foveam fodit incidet in eam, & qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo, & qui laqueum alij ponit, peribit in eo.

Quare nemine accusante excusant se, quod nec jota unum ex originalibus literis Palatini Vitebscensis sit mutatum? cur in nomen M. V. invehuntur multi, aliena conferentes in eam, sua sibi detrahentes.

Ad quid certitudinem asserere, quòd interceptus ille cum literis omnia fateatur, si id ipsum cum veritate non convenit?

Ego uti maximum capio inde solatium, quando liber à publico in eremitorio meo procul ab omni strepitu tranquillitate gaudeo, hîc enim mihi requies laborum, hîc portus, placida mentis quies; ita ex toto corde compatior quod M. V. eâ non gaudeat, quam sibi unicè optare scribit. Nunquam M V. tam libero fuisse animo, quin aliquid semper angeret, reminisci queo, semper enim vel aberat quod abesse non voluisset, vel aderat quod adesse noluisset, M. Vestra quidem quiescere volebat, fortuna non volebat, omnia quippe ingentibus & temporis & laborum & molestiarum sibi impendijs constiterunt.

Precor in reliquo Majestatem Vestram, ut credat quod obligationes & meæ & Domus meæ sint eæ, quas nunquam liceat nec libeat oblivisci & quod non tantum calamo, sed & corde & opere testari volo, quòd &c.

PAV-

XXVIII.

PAULO PRAZMOWSKI
Capitaneo Łomzensi,
II. Novembris Pultoviâ.

Animat ad obviandum incursui militis Confœderati.

QUando varij ad aures nostras veniunt rumores, qui cor perstringunt, quòd simus destinati in hoc Palatinatu ad tumultuantis militiæ prædam, si tamen militem appellare fas erit, quem non magnanimitas pulchra, sed furor execrabilis in extrema scelera præcipitem agit, contra quem non tantùm Divina, sed humana etiam arripienda media, quibus bona Ecclesiastica & hæreditaria defendi, ac illis & vindiciæ & præsidium securum provideri debent, cum jam nos malus genius à malis ad deteriora transtulerit. Mitto mandata ad eam nobilitatem, quæ à me dependet, in advocatijs & bonis Episcopatûs degentem, ut sit, nisi à tam scelerato & temerario ausu descisant, in casum necessitatis prompta.

Te verò qui non animo minus in rebus agendis, quàm corpore es promptus, ut magnum Præsidem hujus oræ precor, ut in defensionem tuorum, nostrorum, & meorum bonorum, contra hos plus terroris quàm virium secum ferentes, expeditos tuos habeas homines, & alios excites vicinos nobiles, ut simul sistemus, & DEus nos juvabit, dum junctis viribus non ibimus obviàm, puderet enim cum cive conseruisse manus, sed venientes arcebimus. Constantiam meam ut naturâ rebus adversis imperterritam nihil lassabit aut detinebit, nec jam non nihil deficiens ætas, nec periculorum succedentium vicissitudines. Si verò hic turbo noluerit nos transire, conferam libenter suo tempore tecum, & de tempestate hac non intermittam præcustodire, maturè occurritur incommodis, si consulitur in futurum &c.

XXIX.

HIERONYMO LUBOMIRSKI
Magno Regni Thesaurario,
12. Novembris.

Queritur de gravaminibus à milite Confœderato.

AB eo tempore quo domû abiisti, ita ad delicias, ut dicitur, camini, amicorum es oblitus, nec ego quietem tuam interpellare aliquando vellem, nisi me ad hoc faciendum cogeret necessitas. Confidenter proinde angustias meas defero & fraternum requiro consilium. In te confido, non erubescam, universi quos tu sustines non confunduntur.

Nemo te melius scit, quo studio & quâ applicatione circa quodvis interesse publicum desudaverim semper & ubique, quâ solicitudine curaverim in ultima hac convocatione. Non repeto superiorum Comitiorum acta, ut sangvine deservita merces exercitûs, non tantùm in recenti apud Remp. esset memoria, sed ut in effectu & non intra verba plenam haberet satisfactionem. Magna optimæ voluntatis documenta sæpissimè dedi, majora etiam dare cogito, me enim exercitus

ſi perdere debeo omnia, malo perdere generosè. Ad quid pati eas *A.C.1696*
aggravationes, niſi ut tanquam ex facili tolerantibus majora imponantur? Expecto per hùncce expreſſum non tantùm conſilium tuum, ſed etiam auxilium, minime dubitans quod per jura amicitiæ, neutrum mihi denegabis. Sed quidquid eſt quod effici poterit, ſpero ſymbolum ſummi amoris erga me tui, ut non ſupergaudeant mihi, & revereantur ſimul, qui gratulabantur malis meis, induantur confuſione &c.

XXX.

CARDINALI PRIMATI,

12. Novembris.

VEniunt Romani & non incipiunt myſteria, ſed res ipſæ; tribulatio proxima eſt, non eſt qui adjuvet. Jam ad aliqua bona Epiſcopatûs venerunt deputati ab exercitu confœderato. Mitto tibi copias aſſignationum, precor ut ſuper illas te reflectere digneris. Si ulteriora ſimilia ſequentur, quid ſperandum? Petij & quæſivi à te prioribus literis quid agendum? & nunc iterum iterûmq; exquiro conſilium Primatiale. Non perdo animum, nec vires deſunt ad reſiſtendum, ut ſciant ſubditi mei, nihil ſibi à me defuiſſe. Nollem tamen ex vi characteris mei, vel ſolus incipere, vel primus. Univerſales literæ, quas à te requiſivi, ſaltem aliquomodo poſſent adjuvare, concurrunt ad me & certatim conveniunt præcipui ex Nobilibus, ad fortiaq; omninò excitant. Et ego quid facto ſit opus, necdum me determinavi, nec determinabo, antequam de tuo ſenſu omninò ſciam. Prævidi ego hæc omnia, ne illa acciderent, quæ nunc eveniſſe video, timui, & toties inſinuavi, ut omnes provideremus. Pulchrum illud, quod præſeferebant, defendendæ libertatis nomen in ore illorum erat, ſed in factis minimè apparet, & quantò majore libertatis imagine teguntur, tantò magis trahunt nos in ſervitium. Timendum ne bonis ex falſis vera eveniant mala, pacificè loqvuntur & dolos cogitant.

Aut ergo omninò obediendum ijs, aut ad defenſionem capienda arma, ego ad utrumq; paratus. Nec erit vana, quia cum viribus, ira, dum omnes in unum conveniemus; Si ſaltem ſcire poſſem ſenſum aliorum Coepiſcoporum, quod ſinguli faceremus, ſi ædes propriæ deflagrarent hoc publico incendio, nunc facere recuſamus, dum commune periculum communibus propulſandum eſſet ſtudijs, putare debent idem poſſe omnibus contingere, beneficium tantum eſt ordinis, ſi omnibus hæreret quod omnibus diſplicet. &c.

XXXI.

MARTINO KANSKI
Palatino Kiovienſi, 13. Novemb.

Exquirit conſilium in irruptione militis confœderati.

DUm jam eo res devenerit, ut obedire, vel ſervire, quod tamen nollem, militiæ confœderatæ debeamus, quæ animo meo ſum meditatus, eadem nunc confidenti tibi calamo ſcribo velociter ſcribentis, nihil diſſimulans nullo verita-

A.C.1696 tem artificio tegens, quod scilicet tantum virium comparaverim quantum satis est ad defensionem Episcopatus mei.
Præsto sunt tot & tanti ex primoribus, qui assistere mihi, communémque aggredi defensionem non dubitant, jam vix non classica ubique in hac vicinia canuntur, ego tamen memor vocationis meæ, non prius ad arma prosilio, quàm Cardinalis imprimis Primatis, & nonnullorum amicorum requisivero consilia, inter quos tu, quem (rectos decet collaudatio) bellicosis empta laboribus coronat gloria, occurris mihi, ut amicum & fidele des consilium. Non mihi quicunque demum venerint, excutient vires, nec incutient metum, nullum periculum vereor, quando defensionem Ecclesiæ meæ contra injustos aggressores præ me fero. Hæc mea ergo consilia tibi communico, quibus, ùt debeo, antepono tua, depono voluntatem meam, & suscipio eam, quam necessitas feret; vincit enim semper & intentiones meas potestas eorum, quibus ut æqvum est, non minus libenter, quàm necessario parere soleo &c.

XXXII.
AMICO CONFIDENTI
25 Novembris.

Appromittit se consilijs ejus adhæsurum; probat Episcopum, temporalem bonorum Dominum posse contra invasores arma sumere; literas Primatis non omnibus placuisse refert.

QUod sæpius tibi non scribo, ab occupationibus meis est, non à voluntate. Accedit quòd inter angustias & amaritudines, quas ex una parte compassio movet super populum, in mœrore & apprehensione constitutum, propter appropinquantem militem, cujus nomen terribile plebi, & alia ex parte inter cogitationes, quomodo demum succurrere debeam subditis meis. Mira præcautio tua monstrat mihi quæ sequenda sint, & quæ vitanda vicissim. Authoritas tua, quam à tanto tempore supra me habes, non debet timere, ut offendat, nec credat auriculas teneras mordaci radere verbo. Qui monet ipse adjuvat. Certum est, quòd causa hæc pluribus probatur, compluribus fulcitur rationibus, nititur æquo, dictatur à legibus, sed tamen didici nunquam dirigere brachia contra torrentem, & quamvis voluntas à me est, atque etiam in me est, vindicias dare populo meo. Miseri qui aut nolunt, aut id negligunt; miserandi, qui cum velint non possunt; mihi autem per gratiam Dei nec velle nec posse deest, nec majoris animi, quàm consilij est resolutio hæc mea. Convenio tecum in eo, quod dicis non esse bella in pace quærenda, certè avidissimum me esse pacis una tecum confiteor. Nemini adeo pax optanda, adeo formidanda sunt bella, quàm mihi, qui naturâ ad id ipsum fortissimè inclinatus sum, nec prudens volo in periculum cognitum ruere. Nec vanissimis, ut credis, relationnum verbis contra vera discrimina ab aliquibus excitor. Sed cum Deputati, qui jam comparuerunt, nec rationem patiuntur, nec æquitate mitigantur, nec ulla prece flectuntur, quid sperandum, cum alij mora diuturniore suspensa potentiores venient, & multò insolentiores. Si committetur aliquid ab his, qui eo nomine à me sunt congregati, nónne hoc alienâ & non meâ culpâ fiet?

Quòd verò leves & obscuri homines sequiùs de me sentiant, aut loquantur, non esse mihi valde laborandum existimo, cum semper animo

operam

operam dederim ut nunquam à plerisq; malevolis nobis id vitio datum *A.C. 1696* fuerit, quod dum humanitate, benevolentiâ, charitateque nihil profecerimus, ad acriora quandoque descendere debeamus, prævidendo etiam ex fundationibus neglectis ob defectum proventuum Majorum sepulchra suspiratura.

Sunt semper præclari conatus, in defensionem armari subditorum, etiamsi non succedant. Scio ego bene, quod unum sapiens consilium multas vincat manus; sed verbis devincere similes homines, non tantum difficile, sed & impossibile, cùm jam pene tentata sint omnia humanæ artis, verum sine effectu, nec spe meliorum. Inutiles proinde sunt sermones, ubi opus est factis. Non arcentur conscientiâ & in extrema impietate omnem Dei hominumq; respectum abjiciunt, sævitia illorum, furor & vesana libido, cunctis aperuit calamitatibus fores. Hortaris ut attendam diligenter, & considerem cum animo meo, adhibitâ in consilium ratione; faciam certè & jam aliquot amicorum expiscor sensus, ut opinionem ac sermones de me tuos, re ipsâ confirmem, quod scilicet nihil sine solida incipiam reflexione. Tutiora sunt, quæ lentis consilijs prævidentur, quàm quæ præpropera determinatione præcipitantur. Multis malorum est causa præcipitantia. Ergo nec temerario consilio, nec segni providentia utar, nec quidquam virtute mea indignum committam aderitque Deus, cujus eximia benignitas præclaris conatibus, & optimis studijs deesse nunquam solet. Nihilominus cur tibi aliquid à me negari æqvum putem, cur non obsequar amplissimis, cur non credam sapientissimis, cur non gratificer consilijs amicissimis? semper juxta Simonidis doctrinam apiculas imitari soleo, quæ præteritis reliquis ad ea duntaxat advolant, unde possint aliquid ad mellificium idoneum excerpere, nec aliud colligunt, quàm quod sit usui futurum. Sic ego utilia consilia arripio, inutilibus relictis & sæpius neglectis. Et sicut hi pro hostibus omnia, ita ego pro Ecclesia & Patria omnia. Cognosces tamen non præcipitanter hæc me incepturum. Habui consilium Theologorum pro decidenda quæstione, an Episcopus qui est temporalis & absolutus Dominus terrarum Episcopatûs sui, possit injustos aggressores, aut deprædatores dominij sui vi repellere? & ex Dominio suo eijcere citra periculum incurrendæ irregularitatis, quamvis & effusio sangvinis & cædes sequantur? Et responsum est mihi affirmativè, tribusq; probatum rationibus.

Episcopus non fit irregularis arma sumens contra invasores bonorum suorum

1ma. Ex usu & exemplo Episcoporum, qui sunt Principes in Germania, præsertim Electorum, qui pro Dominijs suis non pauca bella gesserunt, & gerunt, & tamen nulla in eos censura irregularitatis inde redundat. Imò ipsi summi Pontifices, quàm plurima gesserunt bella pro Dominio Ecclesiæ Romanæ, uti liquet tum ex Historijs, tum ex Iure Canonico in decreto Gratiani parte 2da causa 23 Quæst 8. Cap. 7. 9. 10. 17.

2da. In ejusmodi Episcopatu nobiles non aliter primordialem bonorum investituram acceperunt, quàm ut pro ratione equitem, vel equites armatos expediant, quoties opus fuerit ad defensionem Ecclesiæ, idque non paucæ ejusmodi investituræ sunt authoritate sedis Apostolicæ confirmatæ. Ergo absque ullo periculo incurrendæ irregularitaris potest Episcopus nobilitatem ex advocatijs & gratijs evocare ad defensionem Ecclesiæ. Consequenter idem potest præcipere alijs subditis. Si enim defensio Ecclesiæ etiam per arma est licita Episcopo citra discrimen incurrendæ irregularitatis, licitum est illi quosvis modos adhibere ad defensionem Ecclesiæ etiam aliunde conducto exercitu. Confirmatur in juramento Episcopi ejusmodi. Inter alia puncta fuit olim, quod nulli perso-

,DEi non essem. Et Confœderatio hæc militaris invenit plausum *A.C. 1699*
,apud aliquos, quanquam alij omne malum ei imprecantur, quidam
,pane vescuntur, alij miserorum lacrymis. &c.

Non potui non approbare hoc responsum, quod nec tu ut credo argues. Verba enim rebus gestis congruenter attemperata sunt.

Varsaviâ scribitur, jam omnino Matrem cum Filio convenire, frequentissimas varijs in locis conferentias habere, & ab utrinque consilia amicorum in differentijs illis primis detegi, propalari, Reginam legato Galliæ pessimè affectam esse, misisseque ad illum ut Iconem suam manu Samuelis depictam, quam ipsi quondam dederat, incessanter ei restitueret, quod dum ille facere renuebat, ac se excusaret, quòd scilicet maximo residentiæ ejus esset honori & ornamento illa suæ Majestatis pictura. Dum Regina incerta animo hac illácque fluctuaret, ac de absentia ejus rescivisset, ipsa in domum ejus se contulit, ex pariete eandem jussit abstrahi, ubi cum à tergo multæ essent inventæ scripturæ, revideri eas jussit, dicendo; videamus quid Legatus scribat Polonis ex responsis eorum, sed nihil ibi repertum, præter publica nova impressa & scripta; accepta proinde Icone abijt & eam secum in Regiam portavit. *Pictor egregius*

Sed ne aliud ex alio dicendo à proposito excidam, prætermittam alia, hæc tamen addam: Comitiola relationum planè omnia finita tam in Polonia quàm in Litvania ruptæ Convocationis causas in Reginam reijciunt, & ubique honorem Domus Regiæ carpunt, futuris prætensionibus obices concurrentiæ ejus ponunt, & talia impedimenta, quæ superare difficile erit. *Ruptæ convocationis causa rejitur in Reginam*

Urget Cardinalis Primas, ut quantocius Leopolim eam, ut illum jam ignem, non scintillam à milite Confœderato excitatum, quoquo modo extinguere possim, sed cum determinatum tempus commissionis illius non nisi 21 Ianuarij sit, nolo anticipare, cum præsertim non desit mihi occupatio in præsenti conjunctura, & modò non otiosus in otio, nec in solitudine solus sim. Sum quidem per omnia extra dilationes positus, consultisque facta jungo; nihilominus tamen tempestivam celeritatem, cum prudenti tarditate rectè miscebo, & nihil tam exactâ diligentiâ, uti hoc negotium Reipub. inprimis necessarium conficiam.

Mei vive memor, memor usq; tui vivam ipse vicissim.

XXXIII.

CONSTANTINO WAPOWSKI
Vexillifero Sanocensi,

I. Decembris.

Defendit Reginam Regemq; defunctum contra acta in Comitiolis Palatinatûs Russiæ.

Accepi literas tuas, quæ fuissent gratiores, si gratiora attulissent. Relatio expeditorum Comitiolorum Palatinatûs Russiæ placere mihi non potest, nec cuiquam bono, cui bona tantùm placere possunt, & quoniam promittis, quòd etiamsi dissentiendi à meo sensu causas haberes, non tamen dissenties & etiamsi conspectu abes, avelli tamen mente à me non potes, & omnino urges, ut quid sentiam, dicam, quasi requireres, ut ventosis hisce ausibus levem saltem committam calamum. Leges ergo forte quæ non velles.

Odium in domum Regiam, quod de compacto conatu non solùm

vano

*A.C.*1696 vano, ſed & damnoſo excitatur confutis dolis, plus apud vos videtur & palam eſt, quàm charitas in Patriam. Si errores aliquos notatis, nonne hoc habet Majeſtas cum ſole, quòd rarò ſit ſine macula, hoc ſingulare, quòd ſpectabiliores ſint ejus notæ, quàm ſolis. Reginam accuſatis, quòd ſcilicet dum fuſo locare deberet manum, immiſceat ſe publicæ adminiſtrationi pro ſexu audentius; & non meminiſtis, quòd nihil magni in Regno ſine illa, imò niſi per illam fuerit geſtum, quod nos judicio noſtro illo tempore approbavimus, gratulatione etiam proſecuti ſumus, amavimus amore dignam. Hujuſmodi etiam reprehenſionem, veſtra jam conſvetudo ſuſtulit. Nónne videtis per totam Poloniam in domibus privatis (examina & tuos lares) devolutum in fæminas rerum imperium; ſi eſt iniquitas, cur ſuo patrocinio non deſtituitur? Et Regina (quaſi tempus ſit malos pejores fieri) in hoc arguitur, accuſatur, & nec poteſtas datur cauſæ dicendæ, imò neque ſibi defendendi commoditate datâ, neque ullâ certâ inquiſitione habitâ multifariam, multiſque modis dicitis, ſcribitiſq; convicia, & jactantius, quàm veriùs multa ipſi tribuitis (hic hamus capiendo populo) quæ nec cogitavit, & quæ ſolus in omnes fraudes expeditus illorum, qui ſtudio privatæ rei avidius incumbunt, invenit dolus. Quomodo ergo conſcientiæ libertatem, hoc eſt licentiam lingvæ, vel calami, non me vis impugnare, cum præſertim & accuſationes & ſimultates me non lateant, & à quo veniant, ſciam.

Demoſthenem ſummum fuiſſe Oratorem, Phocionem autem ad dicendum efficaciſſimum, memini me legiſſe, niſi quod Phocion verba vera & ad rem pertinentia loqueretur, cùm Demoſthenes multa ſimularet in gratiam populi. Scis quid & de quo dicam? Erit fortè tempus, cum culpam omnem in fortunam pervicaciter reijcient, ejus innocentiæ & ipſi accuſatores olim erunt teſtes. Sed nunc ut aliàs natura eſt, deteriora potioribus ſubmittere, fama tale malum eſt, oritur, ſurgitque facillimè, verùm grave eſt ſedare coortam, cum nonnulla quidem prorſus perit irrita fama, nihilominus per populos quocunq; volat, illi à quo venit coram Deo & hominibus erubeſcenda, huic in quem profertur injurioſa, cum quaſi numen & ipſa ſit. Quamvis quiſpiam, à promulgatis deſiſtat, illa tamen perſeverat.

Quomodo per Deum confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant? intendentes fabulis & mendacijs hominum, averſantium veritatem ſervientiúmque deſiderijs varijs in malitia, contra charitatem Chriſtianam. Iudicabit Dominus populum ſuum. Nemo mihi moleſtus ſit, quòd juſtitiam Dei non abſcondo in corde meo, cum videam legibus æquè ac rationi modum iſtum adverſari, Cur ergo tibi alijſque quod credo neceſſarium ad vitandum ſcandalum dicere non debeo? Quàm libenter vellem ut vias Domini ſimpliciter, ac per hoc confidenter ambuletis omnes, neque pœnâ à Deo afficiamini, illudque ſentiatis væ, de quo annuntiatur illi, qui in terram ingreditur duabus vijs. Poteſtisne boni viri fide illâ dicere, quod Regina neque ſibi, neque Reip: felicis ſit uteri, cum videamus Principes Regios tot tantarumq; virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, quorum vicem mirificè ego, neque minus publicam juſtè doleo, nam beneficium domus hujus cum alijs, tu, & ego ſenſimus, & tu quam dies aliquando afferet, ratione tandem convinceris. Non eſt quod hic repetam dicta toties tibi, ad oſtendendum deſiderium, quo feror, hoc præſertim tempore ad bene ſerviendum domui Regiæ.

Promittis, quòd gaudeo, velle te eſſe Leopoli, meque videre, audies certè

certè multa, quæ tibi confidenter suggeram, de quibus forsan tibi meum non admodum placiturum credo sensum, sed quid ad me, sufficit quòd rerum istarum clarior conditio exhibetur. Taceo alias materias nec respondeo omnibus ijs, quæ mihi confidenter significas. Video apud vos neminem, tam propitia natum esse sideratione, ut se sinistrum horoscopo astrum non immisceat, nec serenum ire diem patimini innocentibus. *A.C.1696*

Ne tamen tanti momenti res felici, Deo favente, Electioni, aliquod facessat negotium, obligor in conscientia, ut vindicias mittam & tibi, & per te alijs, sine mora, istius prætensionis, quam tam zelosè propositam fuisse, & proponendam ulterius fore in comitiolis vestris denuntias, quanquam ego in turpi voto mutandum esse censeo sensum, & in hoc injurioso promisso rescindendam fidem. Facile subit animum eorum fastidium, quorum erit semper successus infelix. Servient verò ad justitiam evacuandarum repetundarum monstrandam, tot rationes, ne & publicè & privatim magni Regis nomen, nuper immortalitati consecratum, & sacri sangvinis ejus religio, planè Theonino dente amplius laceretur. Currunt, volantque cuncti eò, ubi pecunia est. Inducit me ad exaggerandas eas tibi fusius, ut videas imprimis nullo fuco illitam, sed sinceram veritatem, deinde ut consideres honorem gentis, quem non tantùm pro infami censu, sed pro totius etiam felicis Arabiæ aurifodinis mercari nolle deberemus honesti, nisi utilia justis præferamus, & consilia saniora nunc tandem videremus.

Quia verò in tuis literis explicas & publicas & privatas prætensiones tanto zelo in consilijs vestris propositas, & certiorem me reddis constantissimè easdem promovendas à quibusdam (non credo enim omnes tam injustos fore) nec ab ijs nisi publico & privato realiter satisfiat existimas desistendum;

Ego quem multa ætas multum docet, ingruente tempestate graviori, non manus prius remo, quam gubernaculo admovendas censeo, & si casus emergentes nova amant consilia, insisto, inquiróque, cui rei hoc facere possit, & usum aliquem præbere, cum factum vulnus haud ullum scio, & ut ordinatè negotium hócce expediam, à minori ad majus procedendo, cum privatis imprimis ad calculum pro domo Regia, sic pro conscientia & justitia descendo.

Queruntur privati, quòd officia, proventus, dignitates, quæ illis à gloriosæ memoriæ Rege conferebantur, insolito in hac Repub: pretio nundinari, solveréque debuerint, verùm meminerint oro prædicti prætendentes, quo pretio Reges eligantur & clarè advertent, quòd nullam patiantur injuriam, quoties pro collatis dignitatibus aliquid liberali in se Majestati Regiæ tribuunt offeruntq,, cũ hoc faciant ex contractu innominato. Nã si Rex summæ potestatis debet magno plerũq; pretio apud subditos Regnũ cõparare, quare vice versa subditi quoque non debeant, apud eundem Regem distributivæ facultatis præmia sibi oblata, nonnullo pretio æstimare? in hoc præsertim Regno, in quo Princeps etiam bene meritis ante primas in Rep: familias, vix aliquando conferre potest, quia illis potentiores familiæ repulsam in suis postulatis passæ, in comitijs & comitiolis, more nostro, non modicum negotium facesserent. Quòd verò gloriosæ memoriæ Princeps non modico pretio Regnum sibi Poloniæ comparaverit, clarè id probo magni Senatoris, cujus vita per virtutem acta, qui nunquam locutus Dominis suis malè, Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Cujaviensis literis ad Eminentissimum Regni Primatem datis, ubi expresè affirmat, quod Serenissima Regina inscio marito nota-

Pretiosa electio Regũ pretium posuit dignitatibus

A. C. 1696 notabiles summas pro electione illius erogaverit, ut maritum Regem faceret. Tanto Senatori integra fides omninò dari debet, tanquam melius scienti, & in ea arcana intranti.

Accedant deinde huc illi omnes, quotquot ex singulis Palatinatibus Regni, suas annuatim ex Regio ærario numerabant pensiones, atq; tam in generalibus Comitijs, quàm in privatis Comitiolis oblatas largitiones, non aliâ intentione erogari solitas, nisi (quod magis dolendum est) ut darent assensum ijs, quæ in bonum & salutem Reip: debebant statui.

Regina impedit ruptionem Comitiorum. Rem dignam risu narrabo, cujus ipsemet testis exstiti oculatus, in illis memorabilibus Comitijs Regni, in quibus expeditio Viennensis & sacri fœderis colligatio cum Augustissimo Romanorum Imperatore componebatur. Hanc ergo complures atrocissime & pertinacissimè impugnabant tantopere, ut unus ex Nuntijs terrestribus ausus fuerit dicere palam, se prius mori potius paratum esse, quam in ejusmodi colligationem consentire. Ad quam vocem Serenissimus Rex attonitus, non sine risu ad circumstantes dixit: requiescat in pace. Cum igitur arduum esset, quantumvis in tam laudabili proposito niti contra torrentem, explorato prius illius Nuntij terrestris spiritu quo animabatur, curavit Serenissima Regina Palatinum quendam simul cum illo ipso Nuntio ad conclave suum invitari, qui interea temporis ad aulam Regiam morabantur, admotas foribus aures diligenter arrexerant, ut colloquij illius eventum perspectum haberent. Ibi Serenissima Regina revocavit imprimis in memoriam Palatino non pauca quædam beneficia sua in illius personam collata, atq; inter cœtera annualium decem millibus floren. Polonicalium æstimatum, filiæ suæ pro actu nuptiali oblatū, quod si tamen plus præterea desideraretur à Palatino in promptu esse dixit, & telonium Regni fluminum illi offerendum. Nuntio deinde terrestri contrariam sententiam tam fortiter propugnanti unius cohortis præfecturam paratam. Vix ad Senatorum Conclave uterq; post illum Reginalis Majestatis exorcismum redierunt, unus illorum suam orditur in publico sententiam, priori omnino contrariam in hæc planè verba: *Posui custodiam ori meo.* Nos interea quotquot conscij eramus rei gestæ, tantùm præ risu non crepuimus. Et hoc tandem adminiculo stetit, conclusaque est cum Augustissimo Imperatore sacri belli colligatio.

Ex uno casu hoc, milleni formentur, simulq; satis responsi habeant privati prætendentes.

Munera Regia. Provoco huc alios quoq; qui Regnante gloriosæ memoriæ Rege nostro solenniores nuptias celebrarunt, ineant omnes pariter, & singuli verum secum calculum, & advertent sole meridiano clarius, quòd Regia sane munera pro matrimoniorum suorum Hymenæo ex ærario regio exportârint. Memini etiam audivisse me hisce auribus meis, ex ipsiusmet ore Principis ante suprema illius fata: deponunt contra nos publicam querelam nonnulli, quòd interdum quædam ab illis munera acceptemus, revocarent utinam sibi in memoriam, quot quantaq; illi pariter à nobis singulis annis dona referant, non memoramus, ne videamur exprobrare quotidianas ferme largitiones nostras. Testis est illarum Wolczinius primus Notarius thesauri Nostri, & alij, per quorum manus prædictæ distributiones toties fiunt.

Hi

Hic & nunc in recenti mihi adhuc est memoria, quod singulis *A.C.1696* quibusque mensibus, sedecim millia florenorum Polonicalium in egenos nobiles, & consecratas DEo personas pariter pauperes, ex ærario Regio erogata. Exploratores præterea per Turcarum Imperium & Scytharum Provincias, nec non per suspectas vicinias illius sumptibus pro securitate publica conservati quantum constant? Illati sunt thesauro Regio Chocimensia, Viennensia, aliaque hostibus erepta spolia, inferebatur singulis annis ex bonis hæreditarijs unus ferme millio florenorum, non memorando alios reditus. Debuerunt certè in ærario Regio, & hæreditaria percepta toto Regni spatio per viginti & aliquot annos collecta aliquot supra viginti milliones post optimi Principis mortem inveniri; ecce verò quàm pauci milliones cum admiratione exterarum Gentium posthuma proles reperit. Reliqua pompæ Regiæ splendor absumpsit, quo purpuræ nostræ paupertatem tegebat.

Quoad publicas prætensiones, jam cum Repub: reverentissimè rationes publicas ineò, potiùs veniam, quàm judicium nomine Domus Regiæ precatus, quædam tantùm debita apud arbitram rerum suarum Remp: modestè attingo.

Poterat Serenissimus gloriosæ memoriæ Princeps quibusdam pactorum conventorum punctis non satisfacere Reipub: & jurijurando, sed repetamus memoriâ singulas præteritorum annorum electiones, & universos retro Reges consideremus, inventúsne vel unus fuit inter tot Regum nomina Princeps, qui id servaverit ad amussim, quod Reip: promiserat? Legatus Henrici in electione etiam pontem ex auro in Vistula promisit, modò sit non ex Hungarico, sed Rhenensi. Sic ludimur Poloni! Quamvis non sine risu & in Mexicana legi historia, morem esse ut cum Regem alium consecrant, is jurat in hæc verba: Iustitiam se administraturum, nullum è subditis oppressurum, fortem bello futurum, effecturúmque ut sol cursum splendorémque suum teneat, nubes pluant, rivi currant, & terra omne genus frugum producat. Non accuso hic Ægyptiorũ fatuitatem conditiones rectoribus futuris miserabiles assignantium, ut eo se excusent, quòd sub bono Rege velint omnia extrema etiam bona. Ergo & hic Divæ memoriæ Princeps ex obligatione pactorum conventorum jure repetundarum condemnari non debet, imò tot tantisque illius promeritis, & singularibus virtutibus pusilla hæc concedi donarique debent.

Prætensiones ob non servata pacta conventa.

Promisit Serenissimus Rex, ut verum fatear palæstram militarem ad Polonæ juventutis exercitium. Nónne si gloriari licet, omnibus palæstris par fuit aut majus omnino theatrum, ubi invictissimus Princeps Polonam Iuventutem immortali suo exemplo ad bellicæ gloriæ fastigium erudiebat, & per ardentes Scythicis incendijs campos, in Bessarabiam victrici manu ducebat. Mittamus procul nugas istas, & imaginarias palæstras castráque hæc mentalia, satis foret Polonis interim, si moribus antiquis rudique majorum nostrorum arte illas ab hostibus repeteremus Provincias, quas illi suo sangvine manúque procul magistro scenico, & imaginaria palæstra nobis acquisierant.

Palæstra militaris.

Idem Serenissimus Princeps vi pactorum conventorum debuerat quædam fortalitia erigere. Ego verò pro candore meo censerem antiqua etiam fortalitia diruenda potiùs, quàm nova erigenda, quoties disordinem nostrum Polonum & egestatem publicam profundius expendo, propter quam nullam prorsus munitionem in bono ordine conservamus, quin imò ostendimus tantam hostibus opportunitatem, fortalitia nostra capiendi, ut illam postea externis opibus cum publico illoq; ingenti damno inde deturbemus.

Fortalitia.

 Ita

A.C. 1696 Ita expugnationem Mariemburgi, Thorunij, imò & Cracoviæ diu vicinis noltris, qui auxiliares nobis, suppetias tulerant, annuis proventibus coacti sumus exsolvere.

Meminêre hujus non minus Regni fluminum censuales reditus, quàm salis fodinæ Vielicenses. Tandem antemurale illud Podoliæ Camenecum in quid aliud nisi in æqvum Trojanum desiit Poloniæ fatalem, ex quo in nos ignes & arma quotidie Mars Turcicus jaculatur.

Quanquam Divæ memoriæ Princeps exsolverit obligatam in hoc puncto Reip: fidem, quando fortalitium SS. Trinitatis, & alia non dissimilia erexit, ad quorum objectum barbari toties frangebantur assultus. Quod si tamen adhuc nonnulla quædam haud satis persolvisse Reip: invenietur, DEum Opt: Max: obsidem vademq; pro se habebit. Ipsa enim etiam fateri debet invidia, quòd ille non quæ sua erant quæsiverit, sed imprimis Divinæ gloriæ incrementum, & S. Crucis exaltationem; deinde boni publici & Patriæ conservationem, nec non libertatis, in cujus aureo sinu natus eJucatúsque fuit.

Tandem meminisse nos decet, quòd Proles Regia, quæ semper hactenus Reip. proventibus alebatur, educata sit privatis Regiæ domus impensis. Nunquam oneri fuit Reipub. Respiciamus quotidie Serenissimos domus Regiæ Principes, perinde, atq; imagines Herorum in aulæis depictas, quæ oculos nostros varietate colorum pascunt, & nullum à nobis exigunt alimentum. Quare etiam hoc titulo expedit, ut Resp: ex suis prætensionibus, non modicam partem remittat, quæ tot sæculorum usu receptâ consvetudine generosissimè semper non minus Reges ipsos, quàm familiam illorum posthumam sustentabat, ac proinde non habet eventus sordida præda bonos.

Proles Regia sumptibus Reipub. alenda.

Finio longiorem quàm credidi epistolam, sed necessitas promovit ultra opinionem & voluntatem meam provocante materia calamum.

Perseverantiam tuam in me amando non tantùm opto sed & spero. Teneberis certè à me, nec vel si angvis fias, elaberis.

XXXIV.
CARDINALI PRIMATI

3. Decembris.

Promptum se exhibet ad iter Leopoliense, præcautionem tamen movet. &c.

SOleo volente animo, libente manu & penna ad te scribere, nunc ille contrahitur & hæ resistunt in tantis angustiis existenti.

Accepi literas tuas, & cum ea, qua par erat reflexione legi. Non aliis assignationibus deferri debere nisi iis, quæ à potestate ordinaria veniunt, scilicet à supremo exercituum Duce & ego crederem, nisi major vis non ad ea quæ facienda de jure essent, sed ad ea quæ facere cogimur, aliud non tam persuaderet, quam extorqueret.

Si cum sensus tui explicatione simul venissent media quoq; rejiciendæ Confœderatorum prætensionis, quorum jam deputati, ut significavi antecedentibus, tanquam vacua dominantur in aula, & pro

pro libitu Episcopatus mei bona inter se partiri faciunt ea, quæ non *A.C.1696*
nisi vi repellenda essent, si aliter obviando malo publico potius quàm privato suasisses. Si Dominus exercituum Dux, cum assignationibus adæquatas vires, & media sufficientia misisset, & suggessisset, quomodo deberet fieri istud, quod optat? facilem in me & obediendi tibi, & placendi desiderijs suis invenisset resolutionem. Sed nec resistere confœderatis jubeor, imo manus ligatas habeo, nec quomodo ad executionem chartaceas assignationes deducere debeam doceor. Cum si unquam aliàs, tunc, præcipuè nunc, discendi sim magis, quàm dicendi avidus. Expecto proinde ampliorem, quid faciendum? quomodo procedendum? informationem, secundùm quam certè ulterius agam.

Iter quod urges Leopolim, judicio de me excitatus tuo, cui vereor equidem ut respondere possim, facis ex zelo in publicum, ex providentia futurorum, nec ego ita me excuso, ut ire nolim, cum jam id promiserim amori Patriæ, omnia mea privata commoda postponendo & facultatem forsitan requires, voluntatem certè meam desiderare non poteris, aliqui tamen scrupuli & quidem justi, nec à me ipso resolvendi occurrunt, quos tibi in fiducia proponam, qui scis tractare omnia, assvetus universis; non obstantibus tamen ijsdem, non me labor iste gravabit, vel ideo, quòd tibi ita placet. Æquore de magno nihil non summum, cujus authoritati dum parebo, nunquam magnopere, quid alij de me judicaturi sint, laborabo, nec exterrebor difficultate itineris, vel negotij, non tam quòd ad gloriam ac perenne nomen (ut dicis) currendum sit, sed quia scio prospiciendum malo, dum nascitur, postquam adolevit frustra remedium quæritur. Incendium facile oriri potest, si in tempore non extingvitur fomes.

Recordor bene nec te oblitum scio, quantæ controversiæ, & positivæ non tantum personarum, sed integrorum Palatinatuum fuerint contradictiones contra actum confœderationis nostræ, & excepto solo puncto temporis Comitiorum Electionis, omnia alia impugnata. Habemus jam notitiam de finitis Comitiolis Palatinatuum præcipuorum, & scimus quod in Cracoviensibus, Sandomiriensibus, Lublinensibus, nec Nuntios, nec deputatos, pro tribunali hoc Leopoliensi elegerint, expresseque punctum hoc improbarint. Quæro proinde, si aliquis (quod nollem ut sciatur etiam fieri posse) contra actus nostros in principio Leopoli protestetur, quid tunc ulterius faciendum erit, ne olim actus ille invalidetur, & ne nos frustra tempus insumamus, in vanum sumptus impendamus, & non profuturis littora bobus aremus. Fac proinde pro prudentia maturam reflexionem, edissere sensum, & ego faciam, quod promisi, agam pro Patriæ bono, cui me totum debere scio.

Non possum continere & animum & calamum, quin tibi gratuler. Nam id quoque sub auspicijs tuis, ut omnia bona fiunt, factum esse agno- *Confœderatio Litvaniæ soluta.*
sco, Patriæ imprimis & mihi gaudeo, quod confœderatio Litvanica, operâ non vanâ tuâ & authoritate, labore Ducis Radziwil Procancellarij Litvaniæ, & Palatini Siradiensis, liberalitate, & generositate magni illius Litvanici Exercitus Ducis Palatini Vilnensis sit dissoluta. Vellem ut hæc quantocius per Palatinatus promulgentur, omnium interest illa scire, quia in rem omnium sunt. Utinam Litvanus eques Polonæ aquilæ feliciter præeat, tam laudando, quàm imitando exemplo. Paribus legibus ambæ invictæ gentes æterna in fœdera junctæ.

Video te justum dolorem contra Reginam profiteri, quem mihi explicas. Si non nosceres mores illius ad mutationem quandoque inclinatos, succensere posses, & fortè deberes, sed cùm sciamus bene natu-

A.C.1696. æ hoc vitium esse non personæ, rogatum te vellem, ut indignationem tuam moderari, neq; eandem in passionibus imitari velis. Tanta populi Romani in Siculos beneficia erant, ut nec injurijs eorum offendi potuerint.

Non dubites quòd antequam Leopolim, abeam te prius visurus sim, quin imò ita tempus profectionis meæ moderaturus, ut prius te reverear. Sufficit autem mihi circa medium Januarij hinc abire, modò uno die imminens tribunalis hujus tempus anticipem, satis fore credo.

Vidi hæc, quæ scripsisti Mareschalco Confœderationis, ad quem ego quoque agnus alibi, hic semper aries non gregibus implendis, sed animis expugnandis, unum ex domesticis meis mittere in animo habeo, & cum illis vi me opponere ex consilio tuo aliorumq; impedior, animas & conscientias eorum aggredi volo, & jam in hac solitudine temporis satis habens in ijs desudo, quæ brevi ad limam, & correcturam tuam libens submittam. Lentis certè cum eo non agam machinis, validum protinus rationum admovebo arietem quamvis non sperem deditionem clamaturum submissis veritati fascibus. &c.

XXXV.
CAROLO DUCI RADZIVILIO
Procancellario Litvaniæ.
4. Decembris.

Laudat eum à sedata Confœderatione Litvanica, gratiasq; agit.

TAnta est voluptas mea, quasi bona omnia contigerint, ut cum ea vix puto voluptatem ullam posse conferri, dum tuas lego, in quibus de concluso tractatu Palatini Vilnensis cum exercitu confœderato Litvaniæ labore tuo, (non lusuro auguria utiq; mea) sumptu & impensis illius concluso. Decet bonum Ducem tam auri prodigum esse, quàm ferri parcum. Cumq; eam nec verbis possum nec calamo exprimere, rem tantùm debitam, utriq; rependam. Non eo in Panegyres tuas, quia magnis mentibus, minora quàm pro dignitatis exigentia, laudum tentamina crimina sunt, & detractum gloriosæ gestorum pompæ crederem, quidquid non adeptus gloriæ molem, calamo properante depromerem. Nam blandiente oculo, paucas attratæ sepiæ nequaquam deposcis guttas, cum tibi totos illimi incorruptoq; tractu virtus, fortuna, honor plenissimè fundunt latices. Habeant ergo debitam ex ipsa taciturnitate reverentiam, & in censu officiosæ mentis, tacitos numerent cultus, labores, sumptusq; tui, quia extra omnes sermonis provecti metas, etiam florentissimæ eloquentiæ superarent ornatus. Quomodo te non ament omnes, cum noscant, quam colas justitiam, quod per alienæ felicitatis ruinam, ad opes non contendas, quòd nunquam sub tuo sigillo pressa libertas, quod nunquam te judice innocentia ingemuit, ceris adamante durioribus, immutato publici studij vultu renitente. Est nempe summis innata viris in pectore virtus, qua eo usque ad generosa attolluntur facinora, donec antecedaneam majorum vitam, vel adæquent meritis, vel superent.

Cogno-

Cognoſcere intentiones Confœderationis illius, & perfectè illis *A.C.*1696 obviare non mediocris erat ingenij, ſed cum alia alijs deſint in te abundant omnia. Id quod accidit, meritò accidiſſe videtur, & prudentiſſimè caſum in fortunam vertiſtis, cum nec pugnandi quidem, quod forte optabant, data eſt occaſio, & quamvis non defuit, qui in Remp: duceret, defuerant tamen qui ſequerentur. Oginſcij quoque fortibus indolem nutritam pugnis, quem claris dextera factis commendat, optimè ut arma poneret, induxiſtis; Cum periculoſum ſit in ejus manibus reponere acinacem ut ſe ſe vindicandi poteſtatem nanciſcatur, ſi habet voluntatem.

Quid dicam de Palatino Siradienſi? (antiqua veniens de gente Senator) cum magna & palàm exercitata dexeritas ejus extorqueat à ſingulis opinionem, quam univerſi laudent. Sufficit quòd ambo animis, ambo præſtantibus actis inſignes optimè rem geſſiſtis. Ergo veſtrum immortalitate digniſſimum nomen, cum corpore extingvi vel hæc ſola actio non permittet. Vidimus te id voluiſſe, nunc non dubitamus pòtuiſſe efficere. Ea præſtare multi temporis, non exigui laboris, etiam alicujus artis erat, ſed in te ſumma facultas in optima voluntate non deerat. Nihil tam ſublimè natura inſtituit, quo virtus tua eniti non poſſit, cum animum parandæ cuivis gloriæ parem habeas tantúſque ſis, ut maximis adjungi poſſis, fortunam etiam pene majorem habes ab obſequijs, nec enim hæc, quæ modo egiſti, ſine maximo nominis tui decore, dum cum maximo Patriæ communis emolumento, perfeciſti, ut ſcilicet procul poſiti minus nocerent. Nullus tam manifeſtam veritatem obumbrare, aut tàm optatam non gratulari debet tranquillitatem. Hoc opinabamur, ſperabamus, & vovebamus, ſed tamen moram expectatione noſtrâ breviorem oſtendiſti, & id mirandum præſtitiſti, quòd ibi utriúſque partis amores collegeris, ubi alijs ſolent odia germinare. Non eluſit fortuna glorioſas tuas cogitationes, non felicioribus eventis oppoſuit ſe Deus. Ut aurum quæreret, ferrum exacuebat periculoſa hæc publico bono confœderatio, eundo ad extrema ibatur in præceps, res erat non exigui temporis, & maximi laboris ſpatium, nam quantum rei magnitudo ferret, vix ſuppetebat. Geminat ergo facti laudem celeris executio, dum in tanta rerum & temporis inopia, difficultates evellere, aut commodi ſpe, aut periculi dubitatione potuiſti nec deſtitiſti, donec bene faceres, quia gloriæ tuæ conſultum voluiſti. Quæris immortalitatem quam multi ſeqvuntur, tu iam pene manibus apprehenſam tenes, ipſis viam pandentibus fatis. Occaſio non deficit. Fortuna non eſt ſocia nihil conantibus. Non dubito, quòd non exiguis copijs, & ingentibus animis appropinquantem videns Ducem, confœderatis pacatiora, vel eâ ut dicis ratione perſvaſiſti: appropinquat Hector, haud tuta eſt mora. Opportuna hæc illi malo erant verba, principiumq; tractatui dederunt. In opere quovis ſi bonum eſt exordium, credibile finem quoque habiturum bonum. Iam ergo ignis obvias populaturus incendio ſilvas interveniente flumine abrumpitur, argumentumq; pacis bonâ fide ceſſantium armorum videtur.

Declaratam tam ingentem ſummam, quam nullus præter Sapieham bono publico impendere auderet, multum ad rem feciſſe, multum multumque potuiſſe non dubito. Sic meſſem cumulat qui ſemen ſpargit, id modo longè gratius eſt, quàm quæ juſtitiâ & legitimâ ratione contingunt. Dominus Palatinus Vilnenſis non minuit opes, cum effundit, augendi etiam eſt artificium, liberaliter erogare.

Times parum durabilem felicitatem, ſcilicet ut iſta concordia ſit di-

A.C.1696 uturna, & ego pariter vereor de insolentia fœderata. Amico reconciliato semper cum formidine credendum est. Fides enim ut anima unde abiit, nunquam redit. Sed expectamus à te exoptamúsque, ut qui istam mentem cum ista authoritate dedit (dedit autem omnium Author laudandarum rerum Creator Deus) idem velit insinuare tibi ea media, ut utriusque rei fructum facias maximè diuturnum, & hujus concordiæ spatium, eâ authoritate, quæ in te in omni negotio semper summa erit. Utinam utrique parti illud imprimis sit statutum, omnia extrema potius quàm mutationis notam subire communique necessitati deesse.

Sed ego non vana cordis gaudia coram te effundo. Viro qui recta facit, verba debentur bona, & cum tibi elogium debeam, de tuismet thesauris solvo, non de fucatæ eloquentiæ auxesibus, & satis ad laudem facio, dum tibi gratias ago. Tua est bene agendi perpetuitas, nihil in vita tua vanum, nihil flexibile, nihil mistum cognovimus. Nunquam te vel aliqua gratia delinivit, vel metus deterruit, ut amorem Patriæ exueres & curam ejus desereres. Plura ad magnitudinem & tui nominis & illorum, qui cooperati sunt, non addam. Pergas cœpto decenter tramite gloriæ, majora tentes, quantò felicius tempus quodlibet scire, quid simus & evenire secundùm id, quod sumus, tantò alacrius laudabilem actionum cursum peragere debemus. Ede & auge utilitatem nostram cum gloria tua. Servet te Deus, nostrî enim & meî imprimis pars altera est summéque necessaria.

XXXVI.

CASIMIRO SAPIEHA PALATINO Vilnensi Magno Exercituũ M.D.L. Duci

4. Decembris.

Laudat, quòd liberalitate sua dissolverit confœderationem Litvanicam.

EGi solennissimas gratias supremæ Divinæ Majestati post accepam primam notitiam, de finito tractatu cum confœderata Litvana militia. Patriæ vota, maximè Reip: expectationem, (animo tuo obsecutus) admirationem posterorum, famæ immortalitatẽ transcendisti. Natura incertis brevis ævi angustijs humano generi præscripsit, ut nihil beatius esse credat, quàm nominis famam immortalibus generosi animi momentis ad non incertam spem sempiternæ laudis extendere. Fuisti semper impendendæ salutis propriæ publico bono diligens, nunquam impensæ & sumptuum pœnitens. Gloriæ tuæ cedit, quòd cum Marte ferox, vinci nescius armis, his diebus monstrasti, nunquam te habuisse cruoris amorem. Te decet veniam dare, si quid impetu non provido factum. Nihil est felicius, quàm quod injurias obliviscimur. Non tuo commodo prospexisti, sed Patriæ, eundo per altæ culmina gloriæ. Dum ergo reddidi, quod est Dei Deo, quid tibi offerre possum? nisi parvum, imò illud ipsum vix titulum parvi meretur, si tuæ subeat comparationem magnitudinis, refero scilicet gratias, quas meritis immortales, & in quatuor mundi partes, & ad intra & ab extra promulgabo, magnalia tua, liberalitatem tuam ineffabilem, nec à quoquam imitandam, cum milliones in obsequium Reip: erogas, antequam eo nomine rogatus fueris; cum illos qui adstiterant omni viæ non bonæ ad cor tuum admittis, offensiones privatas publico bono condonas, & te qualis semper fueris, per id, qualis nunc sis, palàm facis. Nullus unquam

in tu-

tuam ante accesserat fortunam, qui in suam non incidisset, nemo invocaverat benevolentiam, qui vota plena non retulerit. Tanto intervallo prosperitas à commilitonibus tuis superabatur, quanto illi à tuî aditu; ita & nunc nulli deesse vis, nec dees cum adesse potes, duce apud te primum tua pro omnibus facillima, & liberalissima benignitate. Maluisti propriam profundere substantiam, proprias erogare opes, quàm sangvinem fratrum, qui consideratis Patriæ communis Matris commodis, visâ æquanimitate, & imitanda generositate tua, cùm publicas necessitates privato suppleres ærario ad meliorem mentem, ad saniora consilia, ad commune afflictæ Patriæ obsequium redierunt, & sunt reversi. Non murmurabunt amplius, sed Patriæ & Magni Ducis sui non minus ex officio quàm gratitudine debitâ honori litabunt. Antequam ergo publicæ vindex injuriæ publico plaudentis Patriæ saluteris triumpho, ego fratribus meis narrabo &c. A.C.1696

XXXVII.

PETRO THEOPH: BARANOVIO Mareschalco Confœderationis militaris.

20. Decembris.

Queritur contra excessus militum Confœderatorum.

SPerabam meliora tanquam bene meritus de exercitu in universum, gloriari utiq; licet non ex præsumptione, sed ex fiducia de multis, in quibus per omne vitæ meæ actæ tempus servivi, quantum potui, & possum dicere aliquando plùs quàm potui. Præbent testimonium eorum, quæ scribo, tot Commissiones, tot in Comitijs cum exercitu Sessiones, in quibus cum alijs imò præ alijs commoda militum procuravi. Quæ inde gratitudo? nullus adhuc ex confratribus meis Coëpiscopis hæc patitur, quæ me tanquam signum ad sagittam pati vultis, quid demerui? Venerunt Deputati cum tuis assignationibus, qui populationibus non contenti, licentiæ scelus addunt. Admisi eos sine difficultate in viscera Diœcesis meæ & tolero, quanquam & ab his qui propè, & ab illis qui longius sunt, compellatus fuerim Palatinatibus, ut primis conatibus obviàm iretur, ut non admitterentur aliæ assignationes, præterquam Ducum, tanquam lege publicâ factæ, ut rationes modosque inirem, quibus licentiæ militari obices ponerentur. Sed ego plenus spei quam mihi literis tuis dederas, quòd discretè cum Patria agere velis, id feci, facioque, quod moderatio svadet, quamvis & in charectere meo Episcopali ad defendendos meos subditos, ad vindicias dandas contra oppressores bonorum Ecclesiæ, dispensari viderer, cùm vos præcipuè ad hæc violenta contra ius, fasque, contra conscientiam, contra honorem oppugnantes Matrem propriam, quam defendere ex officio deberetis, accedatis; non tamen ad arma curro, sed prius iure legitimo, queri malo, ne silentium in conscientiam vertatur, & clarè scribo, quòd hujus insolentiæ fœderatæ maxima pars rapacitate lucrisque felicitatem metitur, perpauci virtutem amplectuntur, ad quod video movet multitudinis exemplum, & id specie quidem mercedis habendæ, in re autem sollicitante præda. Quisquis causa est horum motuum, culpa dissidiorum, confœderationis radix, omnium denique malorum origo, causa miseræ Patriæ calamitatum, timere debet, ne dicatur illi olim, abi ingrate à Patria, cujus charitatem exuisti, à civibus, quos oblivione sepelisti. Inhiat præsentibus, sed futurorum non est securus. Nunquam data

A.C.1696 data festa longa similibus. Longiori epistola non moror, nec timeo ut taurum tollat, qui vitulum sustulerit, quia spero in Dei justitia, vires vestras in perniciem mutuam conferendas. Audivi nuper unum ex veteranis militibus, pium, & honestum suâ experientiâ didicisse (misera hæc est sed certa veritatis schola) toties Deum non militasse exercitui nostro, quoties nec Deo militavit nec Patriæ. Mitto unum ex meis familiaribus Canonicum Arciechowski, cui fidem habeatis dicenti, ac referenti, quæ hîc aguntur, monenti pro officio, rationes conscientiæ alleganti, iura, & immunitates in legibus Patrijs expressas palàm facienti, si aliqua cura honoris, si aliqua memoria legum, si aliqua cogitatio salutis animarum vestrarum, in cordibus vestris manet. Provoco verò ad universam Nobilitatem, appello ad judicem competentem, invoco extremum vindicem sponsæ suæ Dominum Nostrum JEsum CHristum, ut si immemores & obstinati vivere vultis, vindicet lachrymas innocentium secundùm id, quod promisit. *Propter lachrymas pauperum nunc exurgam.* Plura dicet lator &c.

INSTRUCTIO D. ACHATIO ARCIECHOVIO CANONICO PLOCENSI ABLEGATO AD DD. CONFOEDERATOS MILITES SAMBORIAM Die ut suprà.

Curabit primò & ante omnia, tanquam spiritualis persona repræsentare DD. Confœderatis militibus, quòd hac sua Confœderatione seu nexu gravissimè peccent, & in certissimum animarum suarum salutem adducant discrimen, aliaq; mille incurrant pericula. Et quoniam non cognoscitur peccatum nisi per legem: miles autem præsumitur ignorare leges, conabitur Ablegatus eas ipsis ordine bene digesto repræsentare & explicare: si vacaverit, etiam typis Leopoli vulgari idiomate mandando, ut eò melius intelligantur, reflexioni mandentur, & memoriæ imprimantur. Et quidem primò leges Regni contra ejusmodi Confœderationes & nexus. In Comitijs Anni 1623 facta legitur Constitutio his formalibus verbis contra Confœderatos expressa:

Lex Regni contra nexus militares.

SI eos nulla alia media cohibere poterunt, tunc in eo casu vocatis certis Senatoribus, ac Deputatis ex Equestri Ordine, cum eorum consilio & consensu habebimus facultatem hos insolentes pro hostibus Patriæ, bannitis, & infamibus declarandi, ac omnia media assumendi, etiam non expectatis Comitijs, qualiter ejusmodi insolentes puniri, tolli, & exterminari queant. Imprimis igitur Duces Exercitûs cum omnibus militibus obedientibus, cum militia laneari, item Aulici Regiæ nostræ Curiæ, omnes Capitanei ac Tenuarij bonorum nostrorum, qui peculiariter beneficijs Reipublicæ sunt obstricti, contra hos Confœderatos insurgere, & respectu Capitaneatuum & Tenutarum suarum bellatorum numerum statuere debebunt. Quodsi omnes prædicti eis exterminandis sufficere non possent, Nos Rex sine divisione belli convocata nobilitate per Universales Restiam literas juxta antiqua statuta in persona no-

Modus exterminandi confœderatos.

stra

ſtra contra procedemus: & ad nos omnes ſtatus & ſubditi noſtri concurrere debebunt, ſub pœnis in expeditione bellica ſancitis. Civitates etiam noſtræ in eo caſu muneri ſuo legibus antiquis ſibi impoſito ſatisfacere erunt obligatæ. Præterea ſuperaddimus, quòd ſi quis aliquem ejuſmodi confœderatum, & inſolentem ac eorum aliquem directorem occideret, non tantùm impunè ipſi cedet, ſed etiam in bona ipſius ſucceſſionem eſt habiturus. Hanc etiam parentibus imponimus obligationem, ut in ipſis initijs gliſcentis confœderationis militaris filios ſuos ab ea avocare conentur, in quo ut eos magis morigeros habere poſſint, declaramus, quòd quilibet talis, quicunq; inſolenti confœderationi militari ſeſe immiſcere aut innectere auſus fuerit, non poterit pertinere ad ullas poſt parentes vel alios quoſvis conſangvineos ſucceſſiones, & quod ad ullas dignitates, officia, munera, & quævis beneficia Reip: nullum unquam habebit acceſſum: quin imò juxta Conſtitutionem Anni 1609 (ſub tit: Ordo Conſervationis Militis) *pœnæ capitis, Infamiæ & Confiſcationis bonorum ſubjacere debebit.*

A. C. 1696

Pœna graviſſima contra illos.

Quia verò hæc Conſtitutio ad unum tantum annum valitura erat: ideo creſcente inſolentia militum innovata eſt cum alijs omnibus eodem ſpectantibus in Comitijs Anno 1667. Titulo primo hoc tenore:

Volentes autem non ſolùm pro nunc pacificare Remp: ſed etiam impoſterum à ſimilibus confœderationibus & inſolentijs militum eam reddere tutam, omnes antiquas Conſtitutiones contra hos nexus & confœderationes ſcilicet annorum 1609. 1623 1624. & noviſſimam Anni 1662. legem in omnibus punctis & clauſulis perpetuam & irrevocabilem reaſſumimus. Addendo etiam quòd ſi quis impoſterum, ad tales & his ſimiles nexus, rebelliones, conſcriptiones, & confœderationes (quocunq; prætextu fierent) ſe ſe adjungere præſumpſerit, vel eos fovere, protegere, aut cum illis correſpondere auſus fuerit, tali nulla impoſterum Amniſtia danda erit, & ſi caſu quo daretur, pro vana ac nulla cenſebitur quin imò Nos Rex & Succeſſores noſtri contra tales jurium & publicæ pacis violatores inſurgemus, & nullo clementiæ loco relicto tales in vita, honoribus, ſubſtantiis puniendi obligationem conſcientiæ ex moderna lege in nos aſſumimus.

Similis lex regni contra eoſdem nexus.

Amniſtia illis nulla.

Quis ad hæc totis artubus non contremiſcat? quis tantis diris, periculis honorem, ſubſtantiam, vitam & caput ſuum objicere non timeat? niſi fortè, fronte, mente, imò corde carens.

Sed hæc magis elucidantur in Epiſtola cujuſdam Theologi, qui ad literas unius ex DD. confœderatis reſpondet doctè & fundamentaliter; eam proinde hîc annecto, ut D. Ablegatus copias ejus, conſiliarijs, & alijs primoribus nexûs diſtribuat, ac pondus ei verbis ſuis addere conetur, eſtque ejus tenor talis.

Exordium Epistolæ.

QUòd Dominatio Vestra innovat primam illam erga me servum suum confidentiam, ex qua rationes conscientiæ suæ directioni meæ spirituali olim commiserat, magnas pro eo refero grates, sed simul indoleo, quòd in tali materia D. vestra meum consilium exquirat, ,quam non nôsse melius fuisset, quàm super ea disquirere, præsertim cùm ,hoc meum consilium jam post rem petitur, in modum illius, ubi post exe- ,cutionem decreti capitalis quærebatur, justéne ille fuisset suppliciatus? ,Quærit D. Vestra utrum tutâ conscientiâ in hac confœderatione possit ma- ,nere? nónne melius erat ante aliquot menses interrogare? bonâne con- ,scientiâ in eam intrare, & Mareschalco illius jurare liceret? sed paulò ,altiora petendo principia (quanquam ego ab hoc puncto immunem D. ,Vestram suppono) quærendum erat, si liceret hanc confœderationem ,aggredi, fabricare, aut saltem cogitare de ea? hi esse debebant princi- ,pales articuli scrupulorum istorum, qui nunc D. Vestræ cor angunt, nam ,hæc erant prima semina, ex quibus hæc tinea in conscientia nata est. ,Iam verò ejusmodi quæsita resoluisse videtur seu inadvertentia, seu igno- ,rantia, seu forsan minus circumspecta Theologastrorum quorundam re- ,solutio, ea propter ego ad ipsam à Dominatione Vestra propositam quæ- ,stionem cathegoricè, clarè, breviter solum Deum, & meæ ac Vestræ Do- ,minationis animæ salutem præ oculis habens, ita respondeo, ut coram ,Deo summo Iudice, quando uterq; in ejus judicio comparebimus, non ,erubescam.

Nemo potest in nexu permanere ex tribus rationibus.

,Non potest D. Vestra quocunq; modo bonâ conscientiâ, absque vi- ,sibili animæ suæ jactura in hac confœderatione manere, præsertim, si e- ,andem fomentet, aut ad ejus conservationem, consilio, auxilio, aut a- ,lio quocúnque modo sese impendat. Cùm & quilibet simplex miles eo ,solo, quòd sit in nexu hoc, idem incurrat periculum, & eandem habeat ,obligationem deserendi nexum. Sensum hunc meum, licet possem latè ex- ,plicare, brevitati magis literarum studendo, omnes veritatis istius dedu- ,ctiones in tribus punctis innuam, supponendo quòd hæc sufficient, ad ,convincendam tenerrimam Dominationis Vestræ conscientiam.

Quia imò est contra præceptum Dei.

,*Primum punctum*. Quòd confœderatio ista sit Iure divino vetita & ,damnata; nam reipsâ inobedientia, tumultuatio, rebellio est potestati & ,superioritati, quæ habet authoritatem suam ex ipsa divina ordinatione, ,& expressum pro se jus divinum, quòd Deus mandato armavit, non mo- ,dò reverentiam, verum obedientiam omnem eidem superioritati debi- ,tam præcipiendo. Promulgavit hoc mandatum S. Paulus ad Rom. 13. ,*Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas ni- ,si à Deo;* ac, ut cuiquè notum sit, quòd hócce mandatum seu præce- ,ptum quemque obliget sub pecato mortali, addit idem Apostolus: *Itaque ,qui potestati resistit, DEi ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi da- ,mnationem acquirunt.* Si quidem ergo certum est in fide nostra Catholi- ,ca, quòd nemo condemnetur, nisi pro peccato mortali, hinc ejusmodi ,contraventio authoritati ordinariè peccatum est mortale. Contra tam ma- ,nifestam S. Pauli decisionem quid dicit conscientia Christiana? contra quam ,nec conscientia Manichæa inveniret, quod diceret, nisi eam ex sacris lite- ,ris eliminare vellet, prout asserit D. August. contra duas Epistolas Gau- ,dentij. Delete ista, si potestis, delete, contemnite, habete de his pessi- ,mum arbitrium, ne perdatis liberum arbitrium. Et adhuc expressius de ,Ducibus, tanquam exercitui dans cautelam S. Petrus ep. 1. c. 2. idem man- ,datum apponit: *Subjecti igitur estote omni humanæ Creaturæ propter De- ,um sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindi- ,ctam malefactorum, laudem verò bonorum.* Nullam super verbis istis scri-

pturæ

,'pturæ Sacræ] faciendo glossam ita prout sonant, Dominationi Vestræ A.C.1696
,]consideranda exhibeo, oróque ut mihi sincerè fateatur non tunc solùm
,quando una cum alijs DD. confœderatis ex isto ardore factionis defer-
,vesceт, sed & modò adhuc in æstu ejus existens, quidnam Dominatio
,Vestra sequi mallet? an tam evidentia duorum Principum Apostolorum
,istorum dogmata? an quorundam Pseudo-Theologorum Placentinorum
,imaginationes, ac commenta? Sed credo, quòd D. Vestra nollet sibi con-
,venire illud, quod de nonnullis dicitur 2 Tim. 4. *Erit tempus cùm sanam*
,*doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros*
,*prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas au-*
,*tem convertentur*.

„ Scio quòd D. Vestra allegare possit nonnullas rationes, quæ viden-
,tur esse ponderosæ pro obtinenda dispensatione super obedientia adeò divi- *Nulla rationes ab hoc præcepto observando excusant.*
,nis mandatis injuncta, quales sunt injuriæ à diversis superioribus illatæ,
,detenta tamdiu stipendia, imminutio nominis commilito, vulgò Towar-
,zysz & aliæ, quas ab alijs causam suam, ut fieri assolet, colorantibus, au-
,dire mihi contigit. Proinde ut Dominatio Vestra ulteriores meas dedu-
,ctiones liberiori legat judicio ex nunc volo præoccupatam mentem ex-
,pedire de istis ad speciem compositis prætextibus, & erranti, ut in viam
,redire possit, lumen veritatis accendere.

„ Imprimis: Estne clarum & certum Dominationi Vestræ quòd *Non defraudatio in hybernis vel stipendijs prætensa.*
,in hybernis, aut alijs militaribus stipendijs, ab illis sit injuriata,
,adversùs quos Confœderatio ista consurgit? potestne hoc Domina-
,tio Vestra contra suos Superiores documentaliter probare? quòd
,illas pecunias, quæ in stipendium cruentorum meritorum Domina-
,tioni Vestræ destinatæ erant, illi commodis suis impenderint? fecit-
,nè Dominatio Vestra aliquando justam inquisitionem? an non col-
,lectores, seu exactores contributionum, aut alius quisquam de his
,surripuit? vel etiam propter temporum calamitatem plenè colligi
,non poterant? si quid Dominationi Vestræ ad debitam exsolutio-
,nem non integrè datum? credo, quòd Dominatio Vestra, & mul-
,ti alij ex ipsa tantùm nonnullorum hujus nexûs capitum id habeant
,relatione. Si verò id ipsum Dominatio Vestra authenticè non ha-
,bet compertum? quæro, quo jure resolvisti te in conscientiam a-
,lienam intrare in hunc nexum, & alieno testimonio jura Divina
,infringere? Audivi non semel in privatis Dominationis Vestræ di-
,scursibus, quòd ei adeò non placuerint illa in Tribunalibus Regni
,in alienam conscientiam juramenta: & quomodo Dominatio Vestra
,se se resolvit in causa tam gravi, qualis est jugum excutere supe-
,rioritatis, alterius fidei inniti, & sequi exemplum alieni arbitrij, &
,jurare super hoc: quod vindicabo id, de quo non habeo certitu-
,dinem, utrum sim, & à quo, & quando, & in quo injuriatus? hoc
,solùm scio, quòd de hoc loquantur alij, quorum conscientiam non
,possum mihi statuere pro regula morum, sciens fortè de illis, quòd
,conscientiæ eorum non ex toto sint Christianæ, & forsan non in u-
,na occasione observatum, nec esse absolutè Christianas. Sed con-
,cesso, quòd Dominatio Vestra de his injuriis suis documentalem
,haberet certitudinem, ut audivi aliquos incusantes, quòd illis ex
,hyberna, aut pro Cancellaria, aut pro aliis expensis per aliquot
,florenos fuerit defalcatum. Ad hoc respondendo, ipsam Dominati-
,onem Vestram separatim accipio, & sciens, quòd Dominatio Ve-
,stra annos vix aliquot signa secuta, rogo ut accepto calculo com-

A.C.1696 ,putum faciat, quantam saltem ista defalcatio summam efficiet? experietur Dominatio Vestra, si non in aliquot tantùm, certè non ultra aliquot denos florenos per suum militare servitium apparebit damnificata. Obstupebit ad hoc excelsus Dominationis Vestræ animus, quòd pro tam parvo damno, tam magnos faciat motus, cùm non sit novum sub uno vespere ad ostendendam hospitalitatem plus multò profundi, ex hinc contremiscet tum primum Dominationis Vestræ conscientia, quòd pro tam modico interesse ausa fuerit persundare jus Divinum, miscere Patriam, publicam violare pacem, & tempore tam periculoso Rempublicam ultimæ admovere ruinæ.

,Scio, quòd ipsa Dominatio Vestra non magno sit damnificata. Sed ad hoc dices: si in unum regestrum de totius Exercitûs hybernis decimatio computata foret, notabilis summa proveniret. Quid, quæso, Dominationi Vestræ ad alterius detrimentum? unde hæc obligatio, ut pro eo zelum tuum exeras, quod centenus & millenus patitur; utiq; Vestra Dominatio suæ cohorti, aut fortè alteri non magis obstricta est, quàm Patriæ, quàm Reip, Ducibus; ex alieno utiq; interesse nihil participabit, nec jus ullum ad idem prætendere potest; quonam igitur jure pro eo teneris æmulari? Reminiscor (quòd à multis è medio eorum audivi) quòd in circulis militaribus vix non plures fuerant Commilitones, qui in istam diminutionem florenorum aliquot de hybernis gratanter consentiebant, quàm, qui huic contradicerent. Si inter primos Dominatio Vestra numeranda? quâ conscientiâ ob hanc causam in confœderationem intrare, & in ea hucusq; poterat perseverare volens tam iniquo modo id sibi repetere, quod donaverat gratuitò. Et quamvis in hoc magna, & non condonata Vestræ Dominationis fuerit injuria, quis per DEum vidit illam à Ducibus, à paupere plebe requirere velle? cùm hæc duorum, aut trium tantùm privatorum sit culpa, si ita nominari debeat, cùm potiùs sit debita gravissimis laboribus consolatio: Ex parte verò Dominationum Vestrarum larga gratitudo, ob quam nec Dominatio Vestra nec exercitus in ruinam aut inopiam, redactus fuit. Cur ergo ad tantam seditionem deventum? Hæc jam prima est injusta Confœderationis istius causa, nec quenquam ab ea obedientia potuit absolvere, quam jure Divino Superioribus debet.

Non detentio stipendiorum excusat. Quoad detentionem stipendiorum, is meo judicio maximus est prætextus, quem Dominatio Vestra potest allegare. Nam & naturali & Divino jure adeo rigorosa ista obligatio, ut sinè omni prorsus mora deseruita merces persolvatur. Tob. 4. *Quicunq; tibi aliquid operatus fuerit, statim & mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te non maneat.* Ad hanc itaq; apparentiam tam validâ ratione respondendo, casum unum adduco Dominationi Vestræ, ejusq; judicio ad ferendum decretum sisto. Commilito aliquis servos habuit aliquos, quibus, nescio, quâ de causâ non solvit aliqua quartualia; hi ob detenta salaria exacerbati, contra Dominum confœderati sunt, & unanimi conventione supellectilem omnem Domini diripuerunt, & inter se diviserunt, nec hoc contenti, quid pejus Domino minabantur, si ad novissimum quadrantem omne deservitum illis ex nunc non exolvisset. Quid Vestræ Dominationi hac de re videtur? quale judicium fert de isto famulitio? Mutato nomine de te fabula narratur. Si Dominatio Vestra id approbaverit

,baverit opto ut casus talis eidem contingat, & agerem famulis gra- *A.C.1696*
, tias, quòd ita fecissent; si verò (prout æqvum) talia reprehendet, quare
; in se ipso Dominatio Vestra similem excessum non arguit, cùm ista con-
, fœderatio servorum contra Dominum suum, confœderationem seu nexum
, vestrum refert, juxta stylum sermonis; Et re ipsâ omnis militia servit
, Reipublicæ; quæ aliquot istis calamitosis annis (quamvis ex corde vel-
, let) solvendo non erat DD. Vestris deservita stipendia. Non ejus erat hoc
, peccatum, sed privatarum factionum, per quas comitiola aliquoties rupta,
, unde, quemadmodum in alijs occurrentijs publicis, ita etiam in laudis
, satisfactionum exercitui debitarum, magna secuta confusio. Supervenit
, piè defuncti Serenissimi Regis debilis, & in dies magis ad mortem decli-
, nans valetudo, quæ jam publicis consilijs assistentiam non patiebatur, &
, sic paucorum culpa, unius impotentiâ misera Respublica debitis istis one-
, rata est; Exercitus verò illam infelicitatem non respiciendo initâ confœ-
, deratione exemplo Evangelici illius servi Matt. 18, jugulum Reipubli-
, cæ prendunt, suffocant vociferantes: *Redde quod debes*, ex quo multum
, timeo, ne immisericordes hi confœderationis Auctores à summo Patrefa-
, milias id quoq; audiant, quod illi in Evangelio exprobrabatur: *Serve ne-*
, *quam nonne oportuit & te misereri conservi tui.* Nonne adsunt alij decen-
, tiores, quod sibi debetur, repetendi modi? Erant utiquè ab exercitu de-
, stinati Nuntij, qui pro eo in convocatione agere debuerunt. Habuit Do-
, minatio Vestra cum alijs tantùm patientiæ, ut per aliquot annos in
, spe (quæ jam jam se expedire debebat) viveretis, ergóne adhuc per a-
, liquot menses, in ea, amore Patriæ grave erat perseverare? Et tandem
, si tam urgenter stipendia solvi debuerunt, cur pro eis vivente Principe
, non instabatis? in cujus assistentia facilius forsan citiúsque solutio fieri po-
, tuisset. Unde, nescio, an peccatum temerarij judicij committet? qui di-
, ceret, quòd expectatio DD. Vestrarum mortis Regiæ non vacat myste-
, rio. Et quandoquidem, ipsamet vestra Dominatio de hoc dicit, & in con-
, sessu Mareschalci audit, quòd confœderatio ista pro Patria sit formata;
, ecce videmus, quòd bona hæc intentio malum sortiatur finem. Manife-
, stè visus est iste pro Patria zelus in Tartarica non pridem in Volhyniam
, incursione, & usque per totam Poloniam videtur. Novus iste modus tu-
, endi Patriam, sinè Duce, sinè lege, sinè disciplina. Talem gloriam Patria
, nunquam desideravit, etiam nunc eam deflet. Quodsi liceret, cum tan-
, ta violentia stipendia petere, ad quid exercitus non tantum in Polonia
, apud nos, sed in toto orbe? quando magis in perditionem Patriæ, quàm
, ejus tutamen conscriberetur, si nollet ullam super afflicto Regno habe-
, re discretionem, & ita extorquendo detenta stipendia, causabit impossi-
, bilitatem exolvendi: nam quid pauper populus ad contributiones confe-
, ret? dum hybernans miles omnia illi aufert? Reminisci autem deberet
, miles, quòd, dum superioribus annis in limitibus juxta leges hyberna age-
, bat stativa, nunquam in illam consistentiam tam completa deducebantur
, vexilla, quàm se nunc ingerunt in viscera Regni; utique tunc deposi-
, tis plerique in Ecclesia tympanis & vexillis, omnes dilabebantur in do-
, mos suas; & ad companias deinde alij satis non tempestivè, quidam eti-
, am post tempus redibant, ita, ut aliqui ex anno sui prætensi servitij vix
, aliquot hebdomadas computare possent. Pro hócne ergo tam ardenter
, stipendia exigenda? ego tamen arbitror, quod & alij digni homines asse-
, quuntur, quòd sub hac confœderatione aliud latere debeat secretum. Quia
, si militiæ nexus agerent pro stipendijs, non abjudicâssent Duces & Supe-
, riores suos, qui eadem stipendia pari forsan sudore, longè autem majo-
, ri sumptu, & longiore tempore meruerunt. Colligere exinde Domina-

 tio

*A.C.*1696 „ tiò Vestra potest, quo jure, quâ conscientiâ, ob non soluta stipendia tam „ tempestuosa excitari debuerit procella.

„ Quod verò vindicationem honoris nominis Towarzysz seu Com- „ militonis concernit, fateor Dominationi Vestræ tanquam militiæ minus „ gnarus, quòd nesciam, in quo prærogativa illius consistit; hoc solum „ scio, quòd etsi nomini commilito esset aliquid derogatum, non ideo ta- „ men condignum pro eo derogare nomini Dux, Rotmagister, Optio, Præ- „ fectus, hæc enim in injurijs coæquatio est contra ordinem à Deo & na- „ tura præscriptum, an bona est consequentia: Pater reprehendit, castigat- „ ve filium, ergo & filius debet castigare Patrem? sed & in hoc, etiam mul- „ tum confœderatio ista peccavit, dum perdidit justum cum impio, & no- „ centem cum innocente Gen. 18 Ipsammet D. Vestram in hoc passu in testi- „ monium voco. Estne in hoc culpabilis Tribunus, Rotmagister vel Optio „ ille, cum quo Dominatio stipendia meretur? an non omni modo affectum „ fratrum & commilitonum sibi captabat? Idem de multis alijs in coborte „ sua benè meritis dicitur; multæ enim cohortes nec modò contra consci- „ entiam quidquam obijcere possunt suis officialibus, à quibus nihil unquam „ injuriarum acceperunt, pro quo ergo plectuntur non solùm tam terribili „ desertione, sed etiam abjudicatione panis, & insuper bonorum eorum de- „ solatione, quorum nullus apud militem respectus, quantumvis plus de ex- „ ercitu & Republica sint meriti, quam illi, qui nomine Commilitonis glorian- „ tur. Non nego ego, posse tales esse, qui aut vitio naturæ, aut datâ à Com- „ militone ansâ potuerunt in cholera (quæ pariter, ac ebrietas non facit ver- „ sus) aliquid effari in læsionem unius seu alterius Commilitonis, quando aut „ suæ obligationi non fecit satis, aut suo tempore in campania non compa- „ ruit, aut sese non ita expediverat, prout requirebatur; nunquid pro eorũ „ (si ita dici debeat justus zelus) excessu debent omnes pati? & inprimis „ Respublica? quæ horum nihil est rea, & vel maximè misera plebs, quæ „ non tantùm Commilitoni sed & infimo illorum servo titulos magnificos da- „ re assvevit. Consideret D. Vestra an in hac confœderatione sit aliqua um- „ bra justitiæ? quâ se tueri possent adversus jus divinum, sub æterna da- „ mnatione obedientiam cuivis superioritati demandans.

Non vindicatio honoris Nominis Towarzysz

„ Et, si Vestra Dominatio dicet, quòd propter mutuam omnium Com- „ militonum combinationem tenetur unus alterius læsionem tueri, licet in „ proprio honore non tulisset injuriam, parem tamen contemptum metu- „ endo, vindicare tenetur, quòd alterum tangit. Contra hoc præter illa ar- „ gumenta, quæ jam superius in primo puncto de injurijs innui, cum hac „ distinctione repono: verum & æqvum est vindicare sui collegæ dishono- „ rem, ubi ei innocuè irrogatur, ex eademq; occasione idem dishonor in „ totum collegium iniquè potest derivari, dum verò pro suo merito aliquis „ ex causa particulari confusionem patitur, nulla est obligatio pro eo stare, „ præsertim contra superiorem, cui jus est non satisfacientes obligationi suæ „ coercere. Utiquè D. Vestræ non pridem in certa conversatione contigit, „ quando unus ex cohorte aliquid exorbitavit, propter quod à Nobili de- „ bitè vexabatur, & tamen Dominatio Vestra ejus tuitionem non suscepit, „ quamvis sub eodem vexillo stipendia cum illo mereatur, imò animabat „ alterum, ut illum sic tractaret, prout ille meruerat, nec eo contenta Do- „ minatio Vestra urgebat adhuc, ut contra eum judicium institueretur; quod „ in Dominatione Vestra laudo, nam tunc non tantùm licitum est, imò te- „ netur quisque relinquere collegam, ubi justitiæ dandus est locus; ex hoc „ Dominatio Vestra inferre potest. *Primò*, quòd nullam justam rationem pro „ se habeat ista confœderatio, *Secundò*, quòd nulla ratio, quam pro suî tui- „ tione hæc confœderatio adfert, est universalis, nec omnibus Magnificis con- foederatis

Inferuntur ex his Tria

,fœderatis ſerviens. *Tertiò*, etſi aliqua ad ſpeciem, & juſtà, & univer- *A.C.1696*
,ſalis ratio eſſet, tamen juri & mandato Divino ob cauſas jam ad-
,ductas cedere deberet. Contingit non raro quod Dominorum, &
,amicorum noſtrorum reſpectu, noſtris licet juſtis cedimus præten-
,ſionibus; & cur DEus, & lex ejus talem apud nos non invenit re-
,ſpectum? Omitto eas hic reflexiones, quòd omnes Confœderationis
,prætextus in vindicta videntur eſſe fundatæ, & omnis vindicta le-
,ge Chriſtianâ eſt prohibita quæ Matt. 5. non modo Patriæ & fra-
,trum, ſed ipſorum inimicorum præcipit dilectionem. Omitto hoc,
,inquam, ne Dominatio Veſtra cum illis apud S. Hieronymum non
,veris Chriſtianis idem reponat. *Plùs præcipis, quàm natura ferat*: Hoc
,tamen ſilentio celare non poſſum, quòd de dilectione inimicorum,
,& non de quærenda vindicta in novo teſtamento tale ſit præceptum,
,qualia ſunt illa ſingula, quæ in veteri ponuntur Decalogo, & æquè
,peccatum eſt mortale ulciſci propriâ auctoritate quamcunq; injuriam
,(extra caſum naturalis defenſionis in periculo vitæ) ac transgredi
,quodcunq; præceptum Decalogi.

,*Secundum punctum*, propter quod in hac confœderatione non
,licet perſeverare, eſt hoc: quòd illam jura humana ſub gravibus *Quia 2do*
,pœnis, tanquam publico bono nocivam vetuerunt. Non propono *jura huma-*
,Dominationi Veſtræ jus Romanum, quo ita omnes gentes in civi- *na prohi-*
,libus, prout nos Scripturâ Divinâ in ſacris regulamur. Legeret *bent hos*
,ibi D. Veſtra, tam in Codice, quàm in Digeſtis, quòd ſemper con- *nexus.*
,ſpirationes, ſeditiones in militia, & damnabantur, & horrendè pu-
,niebantur; Unde illa famoſa apud Hiſtoricos *bellica decimatio*, quan-
,do omnes conſpiratores propter eorum multitudinem ſupplicio af-
,fici, non erat ex re, decimum quemq; in ordine, quem is tange-
,bat, capite plectendum educebant. Sed aliena hæc exempla Do-
,minationi Veſtræ, ſicut dixi, ob oculos non pono, noſtras potius
,conſtitutiones Polonas appello, & rogo, quatenus eas Dominatio Ve-
,ſtra perſpiciat, quàm ſeverè Reſp. ſuis edocta malis, leges exacue-
,rit, ne in perpetuum quiſquam auderet, vel inchoare confœdera-
,tionem, vel accedere ad eam. Et non dicendum, has eſſe leges
,tantùm pœnales, quæ ſub ipſa pœna obligant, conſcientiam nihil
,tangendo; ſed unanimis eſt omnium Theologorum ſenſus, quòd,
,quando quis leges ejuſmodi tranſgreditur, non tantùm ſuccumbit
,pœnæ, ſed & peccatum committit, obligatus pro eo dare rationem,
,non modò in judicio hominum, ſed & DEi. Siquidem legiſlativa
,poteſtas (quam apud nos in Polonia pro maxima authoritate Reſp.
,tuetur) data eſt à DEo, ejuſq; nomine ſtringit conſcientias huma-
,nas graviori aut leviori peccato, quod cognoſcimus aut ex ipſis po-
,ſitivi juris terminis, aut ex materia & occaſione legis, aut magni-
,tudine pœnæ, quam transgreſſoribus irrogat; de quo docent Theo-
,logi Tract: *De legibus*. Siquidem ergo confœderationem & tam ſe-
,verè, & ſub tam magna pœna, præciſâ omni Amniſtiæ ſpe, Reſp:
,prohibuit, ſub peccato mortali non licet eam facere, nec in eam
,intrare.

,Addo hanc rationem, quæ hujus puncti fundamentum erit,
,quòd quilibet Patriæ filius, ex juſtitia, quæ legalis dicitur, tenetur *Juſtitia le-*
,non tantùm ipſe nihil tale facere, quod pacem publicam poſſit per- *galis.*
,turbare, ſed etiam omni modo conſervationem iſtius pacis adjuva-
,re, ſiquidem is eſt finis propter quem quodvis Collegium conve-
nit,

*A.C.*1696 ,nit, ut unus ab altero habeat opem, ad felicem vitam, ita quemadmodum membra in eo conveniunt, ut in sua invicem conserventur integritate, in quo salus & vita corporis consistit; quod olim Mennius Agrippa Romanis intimavit in illa publica contra Senatum conspiratione. Sicut ergo Ministri statûs, & quisquis ad clavum sedet Reipublicæ, gravi peccato suam onerat conscientiam, dum ex privata factione agit quid tale, quod publicam pacem perturbat, & jura pro ejus conservatione constituta violat, ita omnes cives talis peccati fiunt complices, quando propter privata interesse confœderationes ineunt, discordias fomentant, quod eò est certius, quia Theologi cum D. Thoma docent 2.2. qv. 28 art. 6. quòd eadem sit obligatio justitiæ legalis in Principe & subdito, ac exinde tam ille peccat, qui præest, quàm qui subest; si ille malâ directione, hic quoque non paritione, & inobedientiâ pacem publicam miscent, quia perinde naufragij periculum, tam ab Architalasso, dum navem malè dirigit, quàm à nautis dum ei non parent. Contra istam rationem nullum prætextum vel injuriæ, vel contemptûs exercitus opponere potest; nam bonum privatum bono publico cedere debet, essetque perpetua ignominia Christianitati, siquidem Pagani lumine naturalis rationis in ea virtute tantùm præcelluerunt, ut aliqui vitam etiam pro publico profuderint bono. Nunquid Christiani ob eandem causam quantumcunq; non remittent, ex lumine gratiæ & præceptis fidei adstricti, non tantùm fratres, sed & inimicos suos diligere.

,, *Tertium punctum* propter quod nemo bonâ conscientiâ in confœderatione manere potest. Ejusmodi sunt consequentiæ, quas confœderatio post se trahit. Quales sunt arrogatio potestatis, superioritatis, & regiminis Ducalis, norma tyrannica contra omnia jura & usus.

Quia 3tio nexus pessimas trahit post se consequentias

,, *Altera* Distributio insupportabilium portionum cohortibus, cum gravi Regiorum, Ecclesiasticorum & Nobilium bonorum oppressione, qua in re nullam jurisdictionem confœderatio potest habere. Quæ quidem portiones non modo adæquant, sed etiam superant aliquarum cohortium stipendia. Multi quoq; DD. militum jam amiserunt jus petendi deservita, & sub onere conscientiæ tenerentur ex nunc cedere ex confœderatione, ubi etiam maxima jam cessavit prætensio (de qua dictum superius) vindicationis stipendiorum, quanquam etiam confœderatione excedentes, hoc quoque peccatum secum efferent, quod sibimet ipsi injusto solverint modo, dum nulli creditori, in proprio licet suo debito, invadere, spoliare debitorem, suum jus est, nisi in quantum lex permittit.

,, *Tertia* gravis obligatio restitutionis aut recompensationis damnorum & injuriarum, non tantùm in bonis, sanitate, sed & in fama, quas *DD.* confœderati tam stricto in se trahunt vinculo, ut absolutionem Sacramentalem in confessione obtinere nequeant, donec omnia restituerint quæcúnque iniquè acceperunt. In quo hoc considerandum, quòd obligatio ista non tollitur confœderationis dissolutione, & sub obedientiam Ducum reversione, sed eoúsque manebit, quoúsque plenaria satisfactio cuivis non fiet. De quo fusius infra.

,, Ex his igitur tribus punctis diligenter consideratis, ipsamet D. Vestra concludat, in quonam statu & conscientiam & animam suam posuerit, quando in confœderatione esse constituit, aut se resolvit. Accipiat & hoc in considerationem, num finis & dissolutio ejus sit expectanda, nesciens diem mortis, neque horam, & tamen per omne hoc tempus existens in gravi peccato mortali, à quo nemo potest absolvi, quoúsque à tali non Christiano non exeat statu, & interim major semper de illa absolutione difficultas nascetur per nova in tota Polonia damna, oppressiones, in pu-

Conclusio adhortans ad dissolvendum, vel deserendum nexum

„in publicis vijs deprædationes, debilitationes tam vitæ, quàm fortunæ, ul- *A.C. 1696*
„timam tot hominum depauperationem, & alias injustitias innumeras) ad
„quas licet Dominatio Vestra re ipsâ & effectu nil contribuet, ipsa tamen
„assistentia alijs nocentibus, quòd maneat inter eos, & juramento se cum
„eis manendi obstrinxerit, participationem omnium istorum scelerum in D.
„Vestram derivabit. Et licet Dominatio Vestra incidet in Confessarium
„qui omnes istas circumstantias expendere nesciens, aut nolens, admittet
„Vestram Dominationem ad Sacramentalem pœnitentiam, quæ erit uti-
„litas sacrilegæ hujus confessionis? nisi hæc, quòd ad multa alia D. Ve-
„stra novum peccatum conscientiæ suæ aggregabit, & sangvinem Christi
„sumet ad æternam damnationem, qui esse debuit in æternam salutem.

„Denique super præstito juramento in confœderatione non se fun-
„det, quia hoc ipsum contra Religionem grave erat peccatum, dum D. Ve-
„stra nomen Dei pejus, quàm in vanum sumpsit, hoc est Deum testan-
„do, quòd supra memoratarum injustitiarum aut causa, aut complex es-
„se voluerit; hinc istud juramentum nullam conscientiæ imponere potuit
„obligationem; dum nemini ad id se liceat obstringere, ut peccet. Tanto
„magis, sicut est peccatum jurare tali modo, eò majus est peccatum adim-
„plere istud juramentum. Mira tamen in ista confœderatione ceremonia,
„nam dum sub imperium Ducum ad defensionem Patriæ Commilito mili-
„tiæ dat nomen, nec Reipublicæ, nec Duci jurat, dum verò in confœde-
„rationem venit jurare Mareschalco debet; quasi ad servandam ipsi majo-
„rem fidelitatem, quam Patriæ, Ducibusque. Finio itaq; ipsius Christi Do-
„mini reflexione. ***Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ***
„***verò suæ detrimentum patiatur?*** & maneo.

Iuramenta non obligat Confœderatos ad manendum in nexu.

Quia verò Confœderati ac omnes ferè milites licentiam & quasi jus quoddam usurpare sibi solent maximè in bona Ecclesiastica debacchandi, & eorum proventus sibi appropriandi, consistentias hybernas stationes in eis prætendendi, ac diversimodis exactionibus, angarijs ea aggravandi, ideo Ablegatus deducet illis ex omnibus legibus & rationibus id vel maximè esse illicitum, & exitiale.

Militum licentia illicita aggravandi bona spiritualia consistentiis ac alijs modis.

Igitur aggravare bona Ecclesiastica seu Spiritualia consistentijs aut alijs quibuscunq; modis est contra jus Divinum, ac directe contra ipsum DEum. Quia notorium est bona Spiritualium non ipsis propriè sed DEo à piis Fundatoribus fuisse oblata, unde vocantur Patrimonium Christi & Barbosa insignis jurisperitus cum plurimis alijs evidenter dicit: ***Bona Ecclesiastica ex speciali jure sub Dominio Christi Domini constituuntur,*** nec per metaphoram, sed per omnimodam proprietatem ita ut tale Dominium Christi, in his bonis Ecclesiarum sit proximum & immediatum, illiq; dicatur acquisitum tanquam principali Domino; Sacerdotes verò sunt tantùm administratores illorum. Barbos. *De Jure Eccl.* l. 1. c: 39. Qui verò alicujus Domini bona aggravat, non tam Administratori illorum, quàm ipsi Domino injuriam facit. Quod ergo pius Fundator dedit Christo, hoc miles eidem tollit, ac cum Christi Crucifixoribus spoliat illum vestibus suis, ita ut sicut olim Christus gloriabatur, quòd eum Martinus miles sanctus veste sua contexisset, ita econtra modò lamentari cogitur, quòd milites nostri eum denudant. Si enim de quovis Christiano in Evangel. dicit: ***Quod uni ex minimis meis*** sive boni sive mali ***fecistis mibi fecistis,*** multò magis id dicet de ministris suis, quorum injuriam pro sua ducet; ac de ijs propriè alio loco ait: ***Qui vos spernit, me spernit,*** & consequenter, ***qui vos opprimit, me opprimit.*** Et quod olim

I. Contra jus Divinum.

Bona spiritualia sunt DEi.

A.C.1696 olim Saulo: id hodie cuivis oppressori servorum & bonorum suorum, dicit. *Quid me persequeris?*

Certè nemo est tam impius ut Ecclesias ipsas aggredi, violare, ornamenta ipsarum tollere audeat: & tamen non minus bona Ecclesiastica, quàm ipsæ Ecclesiæ ac earum ornamenta sunt Christi. Quis enim fidelium tam ampla bona huic vel alteri homini, Capitulo vel Monasterio donasset? sed illi, de cujus plenitudine omnes accepimus, non pigebat partem aliquam donatorum redonare. Hinc olim Christi fideles solebant bona sua Ecclesiis inscribere hac concepta formula: Offero & reddo DEo hoc, quod in hac charta est scriptum, in remissionem peccatorum meorum, parentum & filiorum meorum, ut hoc sustentati Sacerdotes Domino DEo serviant, sacrificia Missæ celebrent, Orationes absolvant. Si quis hoc sibi usurpare & ab Ecclesia auferre vellet, in judicio DEi respondebit uti sacrilegus. *Hæc* Baronius Anno 843. Unde & Leo Cæsar ita sanxit: *Ea quæ ad beatissimæ Ecclesiæ jura pertinent, vel posthac fortè pervenerint, tanquam ipsam sacrosanctam & religiosam Ecclesiam intacta convenit venerabiliter custodiri.* Oblationes seu offertas super altaribus à fidelibus positas accipere erubesceret quisq;, accipere verò eas ex granarijs, allodiis, caulis non pudet; quasi verò non æquè sit oblatio DEo alicujus villæ & alicujus solidi, nisi quod hæc sit minor, illa major, adeoq; illam auferre longè majus peccatum, ac gravior injuria DEo, non enim est attendendum in quo loco accipitur, sed quænam res, & cujus illa sit? Nemo audet attingere calicem sacrum, ob reverentiam sangvinis Christi, in eo consecrari soliti. Cum tamen miles expilat bona Ecclesiasticorum, quid aliud agit, quàm manus suas immergit sangvini Christi, eumq; ut olim Judæi spargit super se & super filios suos in condemnationem. Nam illa bona sunt pretium sangvinis Christi, ob eum copiosè effusum pro redemptione nostra in vim grati animi donata Christo. Longè igitur majus est peccatum extorquere ex bonis spiritualibus contributiones, quam attingere calices.

DEo sunt oblata.

Sunt pretium sangvinis Christi

Hanc ob causam non immerito à Ss. Patribus & Canonibus ejusmodi bonorum spiritualium oppressores vocantur sacrilegi. Nam sacrilegium est violatio rei sacræ. Quid autem est magis sacrum quàm sangvis Christi, qui hoc modo violatur. S. Bonifacius Papa præclarā olim tulit legem 16.q.1.c. In Canonib9. *Nulli liceat ignorare omne quod D. consecratur sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctũ Domino erit, & ad ejus pertinebit sacerdotem, propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Domino & Ecclesia cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel eripit, & usq; ad emendationem, Ecclesiæq; satisfactionem, ut sacrilegus judicetur, & si emendare noluerit excommunicetur.* Et Simachus similiter 17. q. 4 c. Sicut. *Valdè iniqvum & ingens sacrilegium est, ut quæcunq; vel pro remedio peccatorum, vel salute, vel requie animarum suarum unusquisq; venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, à quibus hæc maximè servari convenit, id est Christianis & DEum timentibus hominibus, & super omnia à Principibus, & primis regionum in aliud transferri & converti.*

Oppressores eorum sunt sacrilegi.

Huc pertinet quod in actis Apostolorum memoriæ proditum est, de Anania & Saphira, qui agrum suum vendentes, non integrum pretium S. Petro attulerunt, asserentes agrum tanti venditum esse; indignatus Christi Vicarius ait illis: *Non mentiti estis hominibus, sed DEo;*

DEo faciunt injuriam.

& eo

& eo instanti subitanea eos percussit morte. Idem verè potest dici bona spiritualia aggravantibus: Non nostra, sed Divina rapitis, non nos sed DEum ipsum opprimitis, adeoq, timete ne similem aliquando vobis infligat pœnam indignatione furoris sui Passim Ironicè imò blasphemè milites dicere solent: Pingvis est panis Christi; ita sanè Ecclesia canit de reali corpore Christi in ejus solemnitate; sed etiam deduximus, & ipsa bona spiritualia esse pretium sangvinis & corporis Christi: Unde sequi deberet, quòd ideo cum majori reverentia & respectu tractanda essent: illi verò ad exsugendam illam pingvedinem, & devorandam medullam tritici majore truculentia, illo suo dicterio animantur, & armantur. Unde metuendum, ne post buccellam illius panis intret in eos Satanas Qui enim manducat indignè panem hunc, judicium & mortem sibi manducat. *A.C.1696*

Jus Gentium magnam ubique habet authoritatem, quod scilicet communi omnium populorum consensu & judicio est introductum & observatum. Certum autem est, quòd bona Spiritualium majorem habent de facto respectum in omnibus nationibus, quàm apud nos. Cùm in Ægypto ob ingentem famem omnia Ægyptiorum bona pro frumentorum pretio fuissent Regi venundata, & servituti addicta, sola Sacerdotum, quamvis falsorum Deorum bona, erant libera, illisq; à Rege alimenta providebantur Genes. 47. Apud Romanos, Flamines, omnesq; Arioli cum suis bonis erant liberi ab omnibus publicis oneribus, ut testatur Livius & alij historici. Artaxerxes Rex Persarum licet Ethnicus, devictâ, & in servitutem suâ redactâ Judæâ, tale suis ministris in illa provincia dat mandatum 1. Esdr. 7. *Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, & Levitis & Cantoribus, & Ianitoribus & Ministris Domus Dei, ut vectigal, & tributum & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.* Vicinum est Regnum Hungariæ in quo anno 1557 tempore Ferdinandi Regis. Item anno 1596 sub Rudolpho II. rigidissima promulgata sunt edicta, inhibendo ne quis ex bonis Ecclesiasticis pro se vel jumentis suis aliquas annonas exigat. Et ante hæc S. Stephanus Rex Hungariæ lege sua mandavit, ac seriò commendavit suis successoribus, ut bona Spiritualium magis defenderent, quàm propria, hanc dans rationem: quia quantò Deus excellentior est homine tantò præstantior est divina causa mortalium possessione. Non procul etiam à nobis Silesia, Bohemia, Austria, in quibus nullæ videntur ejusmodi Spiritualium angarizationes, licet illi longè sint ibi opulentiores, quàm hic; quin imò ipsi hæretici, quamvis prædicantibus suis, non tantum exhibent honorem, quantum nostris Sacerdotibus Catholici milites, tamen ab eis nihil unquam exigunt, sed omnes punctualiter ipsis extradunt Dacias, ac omnia alia quæ constituta sunt pro ipsorum sustentatione. Moschi ditissima monasteria, & ampla suorum Vladicarum prædia nunquam attingunt. De Turcis etiam ac Tartaris referunt captivi nostri inde reduces, quòd eorum sacrificuli singulari gaudeant honore, & ab omnibus oneribus & exactionibus militaribus immunitate ita ut dum ex aliqua villa vel minimus reditus ad eorum templa provenit, tota villa etiamsi sit in possessione dominij sæcularis, maneat ab omnibus oneribus illæsa. Quam ob securitatem & nostri Christiani consveverunt in suis bonis aliquos inscribere census ad dicta Turcarum templa seu Moscheas. Quid est ergo, quòd nostri Poloni tam zelosi in fide Catholica, tam observantes Sacerdotum personas, tam pij erga Deum, sint tam immisericordes erga bona & subditos Sacerdotum, illorum rapinam pro unico objecto sibi proponentes, nec erubescentes esse in hoc deteriores omnibus gentilibus, Hæreticis, imò & Paganis. Proh Deum immortalem, quæ nos dementia cœpit?

2do contra jus Gentiũ

In omnibus nationibus bona Spiritualium, majorem habent apud milites respectum, quam in Polonia.

A.C. 1696 Jus Civile commune omnibus populis Christiano Imperio subjectis non aliud sonat; à primis fere Fidei Christianæ incunabulis Constantinus Magnus statuit l. *Omnis* de ep. & Cler. *Omnis à Clericis indebitæ conventionis & iniquæ exactionis repellatur improbitas.* Et alio loco l. *juxta* de Ep & Clericis, ad Clerum scribit: *juxta sanctionem quam dudum meruistis, & vos & mancipia vestra* (id est subditos) *nullis novis collationibus obligabimus sed vacatione gaudebitis, neq; hospites suscipietis.* Honorius & Theodosius Imperatores similiter statuerunt l. *placet* Cod. de Sacros. Ecclesijs. *Placet rationabilis Consilij tenore perpenso, districta moderatione præscribere, à quibus specialiter necessitatibus, singularium urbium Ecclesiæ habeantur immunes. Prima quippe illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia usibus cælestium secretorum dedicata, sordidorum munerum fæce vexentur. Nihil extraordinarium abhinc, superinductumve flagitetur, nulla translationum sollicitudo signetur, si quis contravenerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, exilio deportationis perpetuo subdatur.* Fridericus Cæsar Authentica. *Item nulla communitas, vel persona publica vel privata collectas, vel exactiones, angarias, Ecclesijs vel alijs pijs locis, aut Ecclesiasticis personis imponere, aut invadere Ecclesiastica bona præsumant, quod si fecerint, & requisiti ab Ecclesia, vel Imperio emendare contempserint, triplum refundant, & nihilominus Imperiali banno subjaceant, quod absq; satisfactione debita nullatenus remittatur.* Valentinianus & Martianus Imperatores ita l. *Privilegia* C. de Sacr. Eccl. *Privilegia quæ Generalibus Constitutionibus, universis Sacrosanctis Ecclesijs Orthodoxæ Religionis retro Principes concesserunt, firma & illibata inperpetuum decernimus custodiri. Omnes sanè pragmaticas sanctiones, quæ contra Canones Ecclesiasticos interventu gratiæ & ambitionis elicitæ sunt, robore suo & firmitate vacuatas cessare præcipimus.* Possent adhuc plurima similia jura adduci, sed hæc sufficient ad demonstrandum quo cultu & observantiâ ferebantur erga Christum, & sponsam ejus Ecclesiam, antiqui Monarchæ, & pijssimi legum latores.

3tio. Contra jus civile.

Quia verò & ipsa Ecclesia habet à suo sponso ac Domino Dominantium Christo potestatem ligandi & solvendi, varias statuit leges & pœnas in concilijs generalibus ac provincialibus contra eosdem bonorum spiritualium oppressores.

4to contra jus Canonicum.

Consilium Lateranense sub Alexandro III. *In diversis mundi partibus Consules Civitatum & Rectores, nec non & alij, qui potestatem habere videntur, tot onera frequenter imponunt Ecclesiis ut deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui legis Divinæ notitiam non habebat. Ille quidem omnibus alijs servituti subactis, sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & eis alimoniam de publico ministravit: isti verò onera sua ferè universa imponunt Ecclesiis & tot angariis eas affligunt, ut eis quod Jeremias deplorat, competere videatur: Princeps Provinciarum facta est sub tributo, sive quidem fossatam, sive expeditiones, sive alia qualibet sibi arbitrentur agenda; de bonis Ecclesiarum & Clericorum, & pauperum Christi usibus deputatis volunt ferè cuncta impleri, jurisdictionem etiam & authoritatem Prælatorum ita evacuant, ut nihil potestatis eis in suis videatur, hominibus remansisse. Quocirca sub Anathematis districtione fieri de cætero talia prohibemus. Si autem Consules, aut alij de cætero ista commiserint, & commoniti desistere noluerint, tam ipsi, quàm fautores eorum excommunicationi se se noverint subjacere, nec Communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem.*

Clemens V. Similiter Clem. *quoniam* de Immunit. Eccl. *Volentes, & firmiter statuentes illud contra quoscunq; Laicos exigentes seu extorquentes ab Ecclesijs, Ecclesiasticisque personis tallias, seu collectas, aut exactiones quascunq; & contra dantes ad id faciendum consilium, auxilium, vel favorem; nec*

non

non & circa præstandas subventiones Laicis ab Ecclesiarum Prælatis inviolabiliter observari, quòd super his à prædecessoribus Nostris in Lateranensi, & generalibus concilijs, quæ nos sub obtestatione Divini judicij præcipimus observari districtè salubriter provisum est. A.C.1696

Pius Papa similiter 12. q. 2. c. Prædia, *Prædia Divinis usibus tradita, quidam humanis applicant usibus ac Domino cui tradita sunt, ea subtrahunt, quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata à quibusdam irruentibus vexentur, quodsi, quisquam præsumpserit, ut sacrilegus habeatur.*

Stephanus Papa 12. q. 2 c. *qui sic*, definit: *Qui Christi pecunias & Ecclesiæ aufert, fraudat, & rapit, ut homicida in conspectu Iudicis deputabitur, sic enim S. Ambrosius audenter dicit de illo: qui alimenta egentibus non subministrat, quòd sit homicida: si non pavisti, inquit, occidisti, multò magis dici debet de eo, qui alimenta subtrahit necessaria. Unde non pauci per has tyrannicas militum exactiones, ad extremam redacti egestatem vel fame pereunt vel sibi ipsis præ desperatione, non habentes iam quo duro exactori satisfaciant, violentas manus inferunt, quod longè pejus est, quàm si manibus suis illi oppressores eos trucidarent.*

Consilium Tridentinum maximæ apud Christianos authoritatis & obligationis sic decernit. Sess. 12. c. 11. *Si quis alicujus Ecclesiæ, vel piorum locorum fructus, seu quascunq; obventiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates converti debent, per se, vel per alios, vi vel timore incusso, quocunq; quæsito colore usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab ijs, ad quos verè pertinent, percipiantur, is anathemati, tamdiu subjaceat, quamdiu bona, res, fructus, reditus, quos occupaverit, Ecclesiæ ejus Administratori non restituerit integrè ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit.*

Durus & ille Canon 12. q. 2. c. *Qui aliter quàm scriprum est Prædia Ecclesijs tradita pecierit, vel acceperit aut possederit, vel injustè defenderit aut retinuerit, nisi citò se correxerit; quo iratus DEus animas percutit, anathemate feriatur, sitq; accipienti & danti, & possidenti anathema, instituta pœnæ contubernium assiduum. Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui à Religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta, contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit.*

Gravis & illa excommunicatio Bullæ Cœnæ Domini, quam summus Pontifex Feria V. Magna fulminat cum magnis solennitatibus dicens. *Excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos, qui fructus, reditus & proventus ad quascunq; Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, seu quavis occasione vel causa sequestrant, quiq; Ecclesiarum & Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & proventibus, onera aliqua imponunt, & exquisitis modis exigunt, aut recipiunt. A qua excommunicatione nemo potest absolvere, nisi ipse summus Pontifex idq; præstita satisfactione.*

Synodus etiam Provincialis Polona Tit: *Spiritualis*, tale tulit Decretum ab Alexandro Rege approbatum, & inter statuta regni relatum. *Ij qui Decimas, possessiones, tributa, ac bona mobilia ad Ecclesias personasque Ecclesiasticas, ac eorum subditos spectantia rapiunt, invadunt, occupant, exactionant, injustè pignorant, extorquent: vel quovis sumpto colore gravant, aut in bonis eisdem notorium damnum, aut manifestam offensam inferunt, post tres dies (nisi satisfecerint) excommunicationis sententiam incurrunt ipso facto.*

Si quis ad hæc mandata, anathemata, & fulmina non expavescit, nec obedientiam Matri suæ exhibere curat, audiat sibi dictum à Domino Exercituum: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

A.C.1696 sto Contra statuta Privilegia & leges regni. Non aliud sonant & Regni Nostri statuta. Mieciflaus I. Rex Poloniæ teste Cromero lib. 3. Omnibus Ecclesiasticis omnium onerum, laborum, & pensionum Regi & Reipub: nostræ præstandarum immunitatem sempiterno jure concessit. Vladislaus Princeps Poloniæ Anno 1228 ita declarat: *Ecclesias in omnibus finibus illis constitutas in eò quidquid obtentum est ex antiqua consvetudine vel libertate concessâ à fratre meo Duce Lescone præmortuo illibatas conservare volo*. In alio item privilegio eodem anno dicit. *Ego Vladislaus Dux Poloniæ pro remedio animæ meæ, & in augmentum retributionis æternæ Ecclesiam Dei honorandam & decorandam privilegijs meis, devotè praelegi, animadvertens in illius honore ac libertate potissimè, ipsius altissimi filium per quem Reges regnant, qui ipsius verus Sponsus est honorari, cupiens gravamina Ecclesiasticarum personarum hactenus inolita relaxare; Ecclesiæ Dei libenter & liberaliter confero Canonicam libertatem, liberans eam ab omnibus gravaminibus, & exactionibus indebitis*.

Boleslaus Pudicus in suo Privilegio anno 1252. sic ait: *Cupientes libertatis participes fieri, qua Christus nos liberavit, volumus quantum ipso ordinante possumus libertatem Ecclesiasticam conservare, ac nostris successoribus trasmittere conservandam.* Idem in anno 1258 amplissimum edidit privilegium in favorem Ecclesiarum, ubi inter alia dicitur: *Decernimus & promittimus libertates & privilegia quælibet per nos aliàs, & per nostros Prædecessores concessas Ecclesijs & personis Ecclesiasticis quibuscunq; perpetuò inviolabiliter observare. Quin imò quæ à nonnullis nostris prædecessoribus, omissa, neglecta, seu etiam immutata sunt, supplere ac reformare volentes, Ecclesiæ Cathedrali Cracoviensi, cæterisq; collegiatis secularibus, Religiosis, & alijs quibuslibet Ecclesijs in nostro Dominio constitutis, hanc concedimus libertatem, ut in villis, possessionibus, & proventibus, & quibuslibet bonis suis, olim sibi acquisitis, & imposterum quocunq; titulo acquirendis, ab omni servitio, servitute Angaria, vexatione, telonii solutione, collecta, exactionibus generalibus vel specialibus, quocunq; nomine censeantur, sint perpetuo penitus liberæ & exemptæ*.

Præmislaus Dux Anno Domini 1284. *Prædecessorum nostrorum pios actus, prout possumus imitantes, imprimis libertates ab eis concessas Ecclesiæ Gnesnensi approbando Iure perpetuo confirmamus, omnes incolas ipsius Ecclesiæ ab omnibus Angarijs & præangarijs absolvendo videlicet ab omni solutione, exactione, servitute, ac jurisdictione, seu dominio totaliter liberantes*.

Simile est privilegium Venceslai Regis Bohemiæ, ac Ducis Poloniæ de Anno 1291. Item Casimiri Magni de Anno 1337 & 1354. Item Zemovitus Dux Masoviæ Anno 1361. simile edidit privilegium, in quo hæc sunt verba: *Liberamus ab omnibus exactionibus, ab expeditionibus quibuslibet intra & extra terram.* De Vladislao Iagellone ita scribit Cromerus lib. 15 *Bona Ecclesiastica ab omni onere, labore, pensione, & jurisdictione Principis, & profanorum quorumvis liberavit*. Ita privilegia ejus inter statuta Regni relata sonant, de Anno 1413. *Universas ædes sacras seu Ecclesias in omnibus eorum juribus immunitatibus, & libertatibus, ac metis & distinctionibus antiquis volumus omnimodè conservare.* Et anno 1433 Cracoviæ: *Intensis desideriis prædecessorum nostrorum exemplo tanquam tutor & conservator jurium, libertatum, & privilegiornm in Ecclesia, personarumq; sibi subjectarum, propagationem libertatis Ecclesiasticæ ex debito affectamus*.

Idem statutum innovavit, & confirmavit filius ejus Casimirus in anno 1458, uti & aliud 1457 à Casimiro magno conditum, & à Vladislao Iagellone innovatum, in quo hæc sunt verba: *Quòd omnes & singuli Regnicolæ ad expeditionem euntes, quocunque nomine censerentur, nunquam in Civitatibus, oppidis villis, allodijs, & alijs bonis Ecclesiarum & Monasteriorum, & secularium, quæ ædificia habent: sed in campis vel urbetis stationem facere, nullasque rapinas bonorum quorumcunque, & violentias inferre debent, sed omnia pretio sibi emere sub pœ-*

na

na Siedmnadziesta, vel majori illius terræ & refusione damnorum, & injuriarum. Quæ A.C.1696 *damna & injuriæ per illius solius juramentum cui illata sunt, quicunq; ille sit, coram nobis probari debent.* Et Capitaneis injungit, ut sinè ullis dilationibus transgressores judicent, condemnent, ad satisfactionem compellant, & puniant, præterea addit: *Quodsi vos, aut aliquis vestrum in exhibenda justitia, injurias aut damna passis, postquam per eos requisiti fueritis, negligentes ac remissi fueritis: poterunt personæ* Ecclesiasticæ *contra vos, & quemlibet Vestrûm pro hujusmodi negligentia, uti jure Spirituali & per judices* Ecclesiasticos *censuris Ecclesiasticis compellere, quibus vos subijcimus. Volumus tamen esse in opinione, & arbitrio, injuriam aut damnum passi: quòd possit, & valeat super damnis & injurijs sibi illatis ad* Ecclesiasticum *& sæcularem judicem pro justitia recurrere.*

Præclarum & illud ipsius statutum dignum aureis inserì literis confirmatorium sui Patris: IN NOMINE DOMINI AMEN.

NOs CASIMIRUS DEI GRATIA REX POLONIÆ &c. ad perpetuam rei memoriam significamus per præsentes &c. Etsi Regni nostri subditiis clementiæ Nostræ, & Regalis provisionis in augendis commodis ac juribus, immunitatibus ac libertatibus conservandis sinum extendimus: quantò magis Ecclesiis (unde laus & honor altissimo JESU CHRISTO omnium Creatori salusq; provenit animarum) nec non personis & membris Ecclesiasticis id facere & impendere convenit. Proinde felicis memoriæ serenissimus Princeps Dominus VLADISLAUS REX Poloniæ, & Progenitor noster charissimus & Prædecessor iniquitati hominum occurrendo & Ecclesiasticæ libertati ejusque membris & personis Ecclesiasticis & sæcularibus paci & indemnitati sui regiminis consultius providendo suas certas & patentes literas statui fecit & condidit hujusmodi sub tenore. In nomine Domini Amen. Vadislaus D. G. Rex Poloniæ &c. Etsi subditorum nostrorum sæculariū commodis de benignitate Regia libenter impendimus juraq; & libertates ipsorum contra detestandam malignorum pravitatem, ditionis nostræ præsidio fovemus: multò magis tamen Regis pacifici, Dominatoris universorum exemplo (per quem Reges regnant & Principes Dominantur) Ecclesiam suam sanctam & personas spirituales & sæculares sibi subiectas in juribus & libertatibus ac statutis, à sanctis Patribus editis conseruare & tueri convenit, & ipsas ab omni impressionum incursu præservare. Noscat igitur tam præsens ætas, quàm posteritas futurorum: quod quanquam sacris Canonibus salubriter sancitum, & lege humana utiliter sit provisum: quod quicunq; Princeps, seu Capitaneus, Baro aut Nobilis, miles aut vasallus, & generaliter quævis alia persona spiritualis aut sæcularis cujuscunq; status, dignitatis, gradus, & conditionis existat, decimas (quas Deus in signum universalis Dominii pro alimento servientium sibi reddi censuit) nec non domos, tributa, castra, villas, munitiones, possessiones, & quævis bona ac alias res mobiles & immobiles, ad Ecclesias & pia opera, ac religiosa loca personasque Ecclesiasticas spectantes, ac etiam pauperum hominum, in ipsorum bonis degentium rapuerit, invaserit, occupaverit, aut illicitè detinuerit, exactionaverit

A.C.1696 verit, tallias seu collectas imposuerit: seu injustè impignoraverit, aut occasione pignoris aliquid extorserit: vel quovis quæsito colore gravaverit, vel rapi, invadi, occupari, detineri, impignorari, seu exactionari, mandauerit, ordinauerit, seu ratum habuerit; aut raptorem, invasorem, occupatorem, & detentorem illicitum, cum re rapta, invasa, occupata & detenta conseruauerit, seu in defensionem susceperit, aut in bonis ijsdem notorium damnum vel manifestam offensam intulerit; nisi omnia & singula, rapta, invasa, occupata seu pignorata restituerit: nec non de injuriis & damnis illatis, ac manifesta offensa condignam emendam, & satisfactionem impenderit, cum ipsorum complicibus pœnis & censuris Ecclesiasticis debent subjacere. Tamen, quia nonnullarum personarum sæcularium regni nostri adeò irrepsit, & inolevit iniquitas: quòd pœnas & censuras in & contrà leges tam à Canone, quàm ab homine promulgatas in sensum dati reprobum, ultra annum, animo indurato, in contemptum clavium S. Matris Ecclesiæ, animarum suarum periculum, statutorúmque prædictorum vilipendium, & scandalum Christi fidelium plurimorum sustinere non formidant: propter quorum culpam Divinæ ultionis gladius sæpiùs perimit innocentes: unde etiam pullulant hæreses, variaq; insurgunt animarum pericula: Nos igitur VLADISLAUS (qui intensis desiderijs, prædecessorum nostrorum exemplo, tanquam tutor & conservator jurium & libertatum, privilegiorum in Ecclesia personarumq; sibi subjectarum, propagationem libertatis Ecclesiasticæ ex debito affectamus) ad executionem debitam statutorum hujusmodi procedere cupientes (cùm frustra conderentur leges; nisi executioni debitæ demandarentur, ex quo etiam, quos timor & mucro spiritualis à malo non revocat, pœna temporalis debet coërcere) præsenti nostro Regio Decreto, ac consilio & unanimi Prælatorum & Baronum nostrorum voto, scientia, & assensu volumus, decernimus & firmissimè, & irrefragabiliter perpetuò observari pollicemur, statuimusq;, & ordinamus per præsentes, ut, dum aliquis indigena regni nostri, cujuscunq; statûs & conditionis existat, propter raptum decimarum, vel aliarum rerum Ecclesiasticarum occupationem, aut ratione excessuum quorumcunq;, sive etiam in contumaciam de non parendo juri, & mandatis S. Ecclesiæ sententiâ excommunicationis justè fuerit innodatus, ipsamq; ultra annum legalem, pertinaciter sustinuerit; nec curaverit ad gremium S. Matris Ecclesiæ redire; & pro excessu, debitam emendam exhibere: Ex tunc anno ejusmodi elapso, omnia bona ejusdem excommunicati, mobilia, & immobilia, quæ tunc possideret, debent recipi per locorum Capitaneos, quibus subjacent, & apprehendi: tenenda & possidenda tamdiu, per Capitaneos hujusmodi: quousq; per eosdem excommunicatos, vel Capitaneos memoratos, de hujusmodi bonis, damna vel valor rei ipsis læsis, vel in-

juriam

juriam passis plenariè exsolvantur. Quibus solutis bona prælibata A.C. 1696
præfatis excommunicatis, nonnisi absolutis decernimus, viceversa restituenda, per Capitaneos prænotatos. Mandamus igitur omnibus, & singulis regni nostri Capitaneis, & vices gerentibus eorundem, quatenus ad compescendam talium excommunicatorum pertinaciam, duritiam, & temeritatem præmissa nostra saluberrima decreta executioni debitæ debeant demandari perpetuò & in ævum, toties, quoties per Prælatos, aliasq; personas tam Ecclesiasticas, quàm sæculares super hoc fuerint requisiti, & monitti. Quod si præfati Capitanei, Tenutariiq; nostri, aut loca tenentes eorundem, pro tempore existentes in executione præmissorum tardi fuerint, vel negligentes, extunc ipsos omnes pro hujusmodi negligentia per loci ordinarios jaculo anathematis indulgemus feriendos: Harum quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Actum Cracoviæ, Sabbatho proximo ante festum Purificationis MARIÆ Virginis. Anno Domini 1433.

Notanda hìc assumpti horum privilegiorum verba, quibus ostendunt isti Reges majorem sibi inesse obligationem tuendi, & ab omnibus injuriis defendendi bona spiritualium, quàm sæcularium quòd illa sint DEo dicata.

Joannes Albertus vestigiis Patris & Avi inhærens, non absimile edidit statutum, Anno 1496. apud Herburtum de stipendiariis. *Item considerantes damna plurima, oppressiones, rapinas & violentias in bonis & hominibus Spiritualium subditorum nostrorum per stipendiarios committi solita, atque solitas nullà satisfactione, aut mulctà compensari, statuimus ut in futurum stipendiati, undecunq; & quacunque necessitate in Regno nostro pro tempore existentes pro singulis damnis, oppressionibus, rapinis, violentijs & injurijs satisfactionem debeant omnimodam per Capitaneos aut locorum, aut Gentium cum ea, quà decet, severitate ad impendendum eam compellendi. Et insuper Magistri commilitonum, de quibus tales reperientur oppressores tanquam criminum conscij, ac illorum Duces improvidi, in turrim dejiciantur usque ad plenariam satisfactionem detinendi.* Similia edidit statuta ibidem Frater ejus Sigismundus. *Quia milites Mercenarij in Russia militantes consvevere post exactum servitium plurima damna in bonis tam Spiritualium, quàm etiam Nobilium committere, statuimus; quòd, qui ex ipsis militibus damna aliqua tam Spiritualibus, quàm etiam Nobilibus intulerint, ad ea resarcienda accepta à nobis stipendij solutione teneantur.*

Quilibet autem Præfectus non per substitutum sed solus per se ipsum ducere debet comites seu commilitones suos tam eundo ad terras Russiæ, quàm inde redeundo, & prospicere, ne damna fiant hominibus Spiritualibus & sæcularibus, aut eorùm subditis, néve ab illis stationes exigantur. Quæ damna si facta fuerint, ipse Præfectus pro illis conveniatur, & ad solutionem resarcitionemque illorum erit obligatus.

Idem Præfectus cujuslibet Palatinatus, duabus septimanis ante finitum servitium suum, & comitiva sua, de castris & terris Russiæ discedet: ut comitivam suam sub obedientia habeat, & in officio contineat, prohibereque commodius possit, ne damna hominibus & miseris colonis & Spiritualibus inferantur.

De militibus mercenarijs vel nobilitate ad servitium bellicum proficiscente, vel inde redeunte, Capitaneus exercituum Regni, & Palatinus seu Castellani locorum providere debent, ne subditis Spiritualium vel sæcularium aliquâ

A.C.1696 *damna vel violentiæ contra Regni Constitutiones & privilegia inferantur: & si illata fuerint, ut ad solutionem & satisfactionem damnorum & injuriarum illas inferentes compellantur.*

Extat Stephani Regis universale in Castro Cracoviensi anno 1580 oblatum, & ad milites directum. *Hisce literis nostris injungimus, ut fidelitates vestræ nemini hominum, præsertim verò subditorum Spiritualium personarũ, qui potissimum à vobis pravâ quâdam consvetudine impeti solent, quidquam per vim ac injuriam auferant nec à Spiritualibus, subditisque eorum ullas stationes exigant néve iram Dei in se & totum Exercitum nostrum lacbrymis miserorum hominum provocent.* Simile huic ibidem est oblatum IOANNIS CASIMIRI Anno 1649.

Et ne putet quis Regibus tantùm fuisse curam bonorum spiritualium; adducimus huc punctum tempore interregni post Stephanum à statibus Regni expressum in formula Iuramenti, quod Michaëli Herburto, tradendo ei protunc regimen exercitûs proposuerunt. *Pensiones tam ab Ecclesiasticis, quàm ab alijs personis quibusvis nullas omnino exigam, & ne milites mei exigant, efficiam.*

In sequentibus verò Comitijs usque ad hæc tempora nihil magis est recommendatum militibus, quàm ne bona spiritualia ullo modo aggravent, aut aliquid ab ejs exigant.

Anno 1591 in Comitijs Varsaviensibus titulo de disciplina militari, hæc est „constitutio. Consulendo ordini & disciplinæ militari cavemus & constituimus, ut milites Quartiani æstate habeant castra in campo ac fundis nostris extra ædificia, victualia tamen possunt sibi paratâ pecuniâ emere in vicinis villis, & ea proprio suo sumptu sibi convehere. Hyeme verò Dux eorum debet illis arbitrio suo distribuere, & designare consistentiam in bonis tantùm nostris Regalibus. Inhærendo verò antiquis legibus & statutis in hoc puncto statuimus, ne ulla damna, injurias, violentias, præjudicia cujuscunque statûs personis eundo ad castra sive redeundo, uti etiam in consistentijs quisquam audeat facere. Currus, stationes, victualia, tum à subditis nostris, quàm spiritualium & sæcularium exigere nemo audeat. Et gravi pœnæ subesse debebunt, quicunque præsumerent consistentias seu locationes habere in possessionibus tam spiritualium, quàm sæculariũ. In sequentibus Comitijs Varsaviensibus Anno 1593. prædicta constitutio reassumitur, & additur, ut milites consistentias hyemales habeant in bonis tantùm Regalibus Ukrainæ proximis. Item Anno 1601 ita constitutum. „Occurrendo huic ne Nobiles & eorum subditi, ac etiam spirituales à militibus graventur. Statuimus, ut in bonis nobilium & spiritualium hyemales consistentiæ à Ducibus Regni & M. D. L. non assignentur, sed tantùm in bonis ac Tenutis regijs. Néve militum famuli curias nobilium & spiritualium inequitare, & stationes aliquas exigere possint aut debeant. Anno 1609. Constitutio præcipit, ut milites victualia sibi comparent pretio ibidem constituto.

Anno 1626. Constitutio in hæc verba: Quoniam ex certa necessitate debuimus exercitum per aliquot hebdomadas insimul tenere, coacti sumus consistentias illi dare in bonis nobilium & spiritualium. Proinde pro hac sola vice à pœnis descriptis in constitutionibus milites pronunciamus liberos. Tamen si aliquis miles contra articulos militares aliquid egisset, violentias, injurias, damna aliqua hominibus cujuscunq; statûs in bonis nobilium & spiritualium intulisset, cum tali excessivo agendi in foro fori liberam relinquimus potestatem. Et mox sequitur ibidem Constitutio de disciplina militari. Providendo ut status nobilitatis, & bona nostra ac Dominorum Spiritualium per Rotmagistros, eorum locum tenentes

„nentes, ac commilitones in nullo aggraventur: Articulos & Constitutio- A.C.1696
„nes militares annorum 1591. 1593. 1601. 1609. 1620, & pœnas in eis contentas in toto reassumimus, & ut omnes milites juxta modos in eis descriptos se gerant, vigore hujus Conventus statuimus.

Anno 1624. Dux exercitûs disciplinam militarem conservet, non permittendo militi, ut aliquas faciat injurias, aut excessus, quibus Majestas Divina, & jus commune læditur, aut ullas stationes in bonis nostris, spiritualibus, & nobilibus exigat. In consistentijs & tractu stipendio protunc statuto sit contentus, victualia sibi comparet. Consistentias verò idem Dux in bonis nobilium & spiritualium juxta leges antiquas nullâ ratione assignet. Quod si quis Rotmagister & Optio hoc attentaret in prædictis possessionibus etiamsi cum assignatione Ducis, talis debet citari ad tribunal peremptoriè pro pœna mille marcarum, & singulariter pro damnis juxta antiquas Constitutiones.

Anno 1659. fol. 9. Si quis cum transeunte cohorte auderet in curiis spiritualibus, & nostris regiis se locare, aut in villa se locans ex holodiis, vel horreis spiritualibus & regiis ubicunq, existentibus segetes, vel quid simile per violentiam accipere, quilibet talis Rotmagister seu Optio convictus de hoc pœnâ capitis damnandus est per Duces nostros. Si verò in eorum judicio, injuriatus justitiam assequi non posset, reservamus injuriato salvam viam agendi cum inferentibus injuriam in tribunali regni inter causas militares.

Ex his cuivis liquere potest, quo respectu bona spiritualia tractaverint omnes Reges & status, ut mirum sit, unde in militibus contra tam manifestas leges tanta orta est sævities in bona spiritualia. Credendum sanè, quòd ab hæreticis qui in exercitu reperiuntur. Hæc enim est indoles hæreticorum, quæ est luporum, quòd sicut isti canes ovium custodes continuò persequvuntur, ita & illi. Hinc factum est, quòd dum pleriq; hæreseos labe infici cœperunt, mox etiam aliqua onera statui spirituali imposita sunt eorum operâ. Nam, cùm per omnes retro annos, non solùm ullis militum gravaminibus subjacebant, sed etiam nullas omnino contributiones, sive agrarias, sive fumales seu hybernas pendere solebant, primum Anno 1527. à Sigismundo I. est statutum.
„Et quoniam in omnibus palatinatibus, & districtibus, Domini Spirituales habent bona sua Ecclesiastica, seu fundos: quæ licet nunquam aliàs subjecta erant oneri bellicæ servitutis; ut quæ per Serenissimos Prædecessores nostros Poloniæ Reges & Duces sunt ab initio fundationis Ecclesiarum ad usum duntaxat & onera Ecclesiæ collata, multisq; immunitatibus & libertatibus donata: tamen in regni necessitate, & summo discrimine volentes ipsi Domini Spirituales sibi & Ecclesiis suis gratiam nostram regiam demereri: Fratribus suis Dominis sæcularibus gratificari, Reiq; publicæ (pro cujus bono statu orare tenentur) ope suâ non deesse: permiserunt etiam non gravatim bona sua Ecclesiastica, hactenus semper libera, cum his, quæ ad defensionem obligata sunt, in præsens taxari. Quæ verba benè perpensa & clarissimè probant libertates Ecclesiasticas, & explicant finem, propter quem data sunt personis spiritualibus tot bona scilicet ad usum duntaxat & onera Ecclesiæ, & ponunt initium contributionum agrariarum; ad eum enim finem instituta erat hæc omnium bonorum tam spiritualium, quàm sæcularium taxatio, quam etsi tunc urgente necessitate Reipublicæ sponte suscepissent spirituales, tamen ad hæc usq; tempora non recusârunt exsolvere has contributiones unà cum nobilibus. Imò volendo magis gratificari suis concivibus, etiam fumales, imò quandoq; capitales cum illis sponte assumpserunt: ac

*A.C.*1696 tandem plùs illis, in hybernam consenserunt, à qua usq; ad annum 1667. immunes erant. Nam, cùm anno 1662. constitutum esset in comitijs, ut bona consistentijs seu pani hyberno subjecta per Duces & Deputatos Reipublicæ dividerentur æqualiter cohortibus, ita tamen!, ut ex quolibet laneo viginti tantùm floreni penderentur, signanter in fine constitutionis hujus, hæc sunt formalia. *Quia verò ratione exactionis hybernorum ex bonis spiritualibus contradictiones intervenerunt, determinationem hujus negotij ad alia comitia reservamus, salvis juribus Ecclesiasticis.* Deinde in comitijs anno Domini 1667. sic enunciatur ,fol. 10. Bona verò spiritualia, quandoquidem respectu eorum ad ,præsens vigore constitutionis anni 1662 determinatio jurium eorum, ,quibus se tuentur in his comitijs fieri non potest, proinde ad se-,quentia comitia eam remittimus, nihilominus status Spiritualis at-,tentis necessitatibus Reipublicæ modernis in vim charitativi subsidij ,benevole summam centum viginti millium florenorum exercitui rati-,one hybernorum concedit,quam summam Leopolim pro tempore præ-,fixo convehet, & deputatis ad distribuendum tradet non præjudican-,do quidquam juribus ac immunitatibus Ecclesiasticis, imò ijsdem sal-,vis manentibus.

Anno 1670 tit: *Hyberna.* Dispositо, quomodo exigi & distribui debeat hyberna sic statuitur: Hæc verò Constitutio non debet præjudicare antiquis juribus & privilegiis bonorum Ecclesiasticorum de immunitate ab exactionibus & consistentiis militaribus. Nihilominus Status Spiritualis ex amore erga Remp. declaravit dandam à se pro exercitu subsidij charitativi titulo summam, quinquies centenorum millium florenorum.

Anno 1676 tit: *Hyberna.* Idem asseritur cum speciali præcautione ,his verbis: Status verò spiritualis præcavet sibi, quòd, etsi in vim ,subsidij charitativi summam ex suis Episcopatibus, & bonis spiritua-,libus juxta Tariffas suas inter se combinatas pro hybernis compor-,tant ad distribuendum exercitui; id tamen debet esse salvis immu-,nitatibus Ecclesiasticis, & bona spiritualia à consistentijs hybernali-,bus esse debent libera.

Tandem Anno 1677. Status Spiritualis in vim subsidij charitativi summam ter centorum millium florenorum ad priorem addere pro hyberna pollicetur, ita ut totalis summa faciat octies centena millia florenorum. Sed ea conditione & obligatione, quæ ibidem in Constitutione exprimitur Ut miles nullas inposterum consistentias, re-,crutas, stationes, respiria, victualia, equorum pabulationes, aut quo-,quo nomine appellatas exactiones in bonis in genere omnibus Re-,gni nostri prætendere possit: nec tractu eundo, milites legendo ,miseris hominibus ampliùs molestus esse: Nec Domini Duces assigna-,tiones pro eis extradere debeant. Et, quicunq; auderet sive cum as-,signatione, sive absq; ea, quocunq; titulo & prætextu bona quæcunq; ,Reip. infestare, exactiones qualescunq; exigere, talem lege præsenti, ,pro infami & hoste Patriæ declaramus, & terminum publicandæ in-,famiæ contra ejusmodi insolentes in capitanealibus judicijs, vel in ,supremo tribunali, ubi perpetratum esset delictum, assignamus. Et, ,si quis contumaciter illa decreta non curando exorbitare auderet, ,Palatinatibus & terris contra eos, uti hostes Patriæ consurgere li-,cebit.

Præclarè etiam ibidem in prima constitutione edicitur his verbis:

Et

„Et quia continuæ querimoniæ per Palatinatus intercedunt ratione into- A.C.1696
„lerabilium gravaminum à transeunte milite in bonis nobilium, & spiritua-
„lium stationibus non obnoxiorum, tum etiam in consistentiis in bonis no-
„stris Regalibus, & Spiritualibus illatorum. Proinde in hac commissione
„cohortes & regimina, quæ ultra assignationem DD. Ducum, & Deputato-
„rum in exactione hybernorum excesserunt. Item, qui ratione triduani tar-
„ctamenti certũ quid in singulos equos sibi statuebant & violenter retorquent.
„Item hi, qui ex castris ad suas eundo consistentias vias & tractus imper-
„tinentes sibi assumebant, excursionibus in hanc & illam partem, & ali-
„js oppressionibus & exactionibus homines gravabant, in eadem commissio-
„ne respondebunt, juxta constitutionem 1634 judicandi erunt. Et Domini
„Cõmissarij adjudicatas summas pro damnis ex stipendijs inculpatorum ex
„solvent. Si verò in aliquibus bonis ex occasione transeuntium cohortium
„perpetrarentur aliquæ violentiæ, homicidia, aularum invasiones, contem-
„ptuatio personarum spiritualium & nobilium, quilibet ejusmodi delinquens
„post sufficientem probationem & convictionem criminaliter judicandus erit.

Ex his evidentissimè colligi potest; quòd bona spiritualia ab ipsis initiis fidei Christianæ in hoc Regno, & per subsequentia tempora absoluta & liberata sint tot privilegijs Regum & legum ab omnibus oneribus militaribus, & quibusvis alijs ex ea ratione: Quòd ad alium usum scilicet ad Divinum duntaxat cultum illa bona sunt ordinata. Nobilium verò bona gravibus & varijs semper erant subjecta oneribus, à quibus liberata sunt primùm à Ludovico Rege cum certis tamen obligationibus, & præcipuè militandi pro defensione Patriæ. Verba sunt illius inter statuta Regni relata: Civitates, castra, possessiones, oppida, & villas, incolas villarũ „totius Regni Poloniæ inhabitantes, ipsorum Baronum ac nobilium omniũ „absolvimus, liberamus, & eximimus ab omnibus & singulis collectis, donationibus, sive tributis tam generalibus, quàm specialibus, quocunque nomine censeantur, & ab omnibus servitijs, laboribus, vexationibus, angarijs, præangarijs, in rebus & personis committendum, purè & simpliciter solutos & absolutos esse volumus, ac exemptos. Sed his tantùm volumus esse contenti, quòd duo grossi usualis monetæ in dicto Regno currentis (quorum quadraginta octo marcam faciunt Polonicalẽ) de quolibet manso, vel „sorte locatis, vel possessis, singulis annis, nobis & nostris successoribus, in „festo Beati Martini Confessoris, in signum summi dominij, & recognitionem coronæ Regni Poloniæ, exsolvantur: eo expresso; quòd si insultus hostium, in dictum Regnum invalesceret; tunc Nobiles ipsius Regni, ad repellendum eorum sævitiam, occurrant cum omnimoda eorum potestate. Hoc ipsum agnoscit, & fatetur Respublica in Comitijs anni 1635 his verbis. „Considerando quòd status equestris obtinendo ab Antecedaneis Regibus Poloniæ, Magnis Ducibus Lithvaniæ jura & libertates pro suis terrestribus „hæreditarijs bonis, assumpsit in se obligationem, servitij militaris ratione „eorundem bonorum, ut contra maxima pericula pectoribus suis tueatur „securitatem non tantùm Patriæ, sed etiam totius Christianitatis. Et de facto omnibus retro sæculis nulli erant conductitij milites, sed ipsimet nobiles militabant, & tot victorijs Patriam suam illustrârunt, & tot adjunctis Provincijs limites ejus ampliarunt. Sed pertæsi postea Nobiles laborum castrensium sub Sigismundo Primo maluerunt certas contribuere pecunias ad conducendum militem, ad quem finem etiam Sigismundus Augustus quartam proventuum bonorum Regalium partem deputavit: unde illi milites ex illa quarta stipendiati vocabantur Quartiani. Hinc sequitur, quòd uti Nobiles soli obligabantur ad militandum, ita illi soli militaria stipendia, & omnia onera procurare deberent. Sicut enim in corpore varia sunt mem-

A.C.1696 bra, quorum unumquodque suam distinctam habet functionem ad conservationem totius corporis necessariam. Non queritur oculus, quòd auris non videat, aut econtra; ita in corpore Reipublicæ diversi status, diversa habent munera, sed omnia ad conservationem & decus Reipublicæ pertinentia., Nobiles armis eam defendere, & dilatare tenentur, sacerdotes sua templa curare, ac benedictionem Divinam cælitus implorare; arma enim Clericorũ sunt orationes, & lachrymæ. Duo verò alij inferiores status prioribus, illis inservire; rustici quidem per agriculturam; cives per mechanicas artes, & mercaturam. Ita disertè Sigismundus I. in statutis Regni de Clero pronunciat: Cùm magna pars Reipublicæ nostræ in Ordine & statu Ecclesiastico consistat, Ecclesiæque Regni nostri per antecessores nostros sunt ampliter donatæ ad divinum duntaxat cultum peragendum, & manutenendum; hoc eorum est munus, hæc obligatio. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis* S. Paul. Heb. 5 Pontificis est sacrificijs ac orationibus placare iratum Numen: quod non semel *dixit ut disperderet Nos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.* Psal. 105. Idem in persona omnium sacerdotum cùm manus levâsset in cælum, populus vincebat, cùm demitteret, vincebatur, Exod. 17 ut non immerito S. Gregorius Nyss. vocet orationem Sacerdotum, corporum robur, Regni vires, belli trophæum; Nihilominus status spiritualis isthoc auxilio haud contentus, quamvis tot privilegijs & juribus exemptus ab oneribus militaribus, ex amore erga Patriam & concives suos sponte & liberè non tantùm contributiones omnes cum Nobilibus communes punctualiter pro milite exsolvit: verùm etiam ultra eas pro hibernis in vim subsidij charitativi quotannis ingentem summam octingentorum millium florenorum semper enumerat.

Quanta ergo injuria & injustitia irrogatur spiritualibus bonis? dum, non attento, quòd sint magis libera alijs omnibus bonis, vigore omnium legum, magis onerata ex bona voluntate & charitate spiritualium, majoribus tamen & majoribus in dies gravantur oneribus militaribus, consistentijs, respirijs, recrutis &c. Non jam mirari debet Propheta, quòd Ecclesia, Domina Gentium, Princeps Provinciarum facta sit sub tributo; sed potius obstupescat Apostolus super id vehementer, quòd cùm Clerus ex omnibus esset liber, fecitq; se benevolè omnium servum assumendo sponte tot onera, jam cogitur esse mancipium, & ferè ut populus Dei electus olim vix non similes Ægyptianis patitur persecutiones: quasi essemus alienigenæ & non os de ossibus vestris, vestri scilicet Patrui, Avunculi, Fratres. Si Patrui vel avunculi, imò Patres animarum vestrarum; ubi est honor noster? si fratres ubi amor noster? quare sic inæqualiter in æquali Republica tractamur? ex eadem Matre sumus geniti cum DD. Nobilibus sæcularis statûs, & quidem nati non de ancilla Agar, sed de libera Sara. Quare ergo saltem eâdem cum illis non gaudemus defacto libertate quoad hæc onera, cùm de jure major sit nobis concessa. Quare in eodem enutriti hujus liberæ Matris sinu, eisdem uberibus lactati abijcimur & addicimur servituti tanquam spuria proles! sentiunt DD. sæculares ex hac chara Patria omnia nobiscum commoda. cur solis nobis reijciunt incommoda? filij unius Matris æqalem debent habere bonorum ejus & onerum portionem. Præclarè Isocrates munimento reliquit: Non decet fratres (ut lances in statera) altero humiliato alterum extolli. Extulerunt quidem statum spiritualem omnia jura, immunem eum fecerunt ab omnibus oneribus: sed eum ad æqualitatem reduxit amor, quo urgente, acceptaverunt contributiones agrarias, fumales æqualiter cum Nobilibus; jam sistendum erat in hac bilance, & statera non eras transilienda juxta monitum Pythagoræ. Verùm instantibus DD. sæcularibus

laribus, instigante Hæresi, seu Pseudopolitia depresserunt, & humiliârunt se ad hyberna solvenda, jam lances non æquales. Sed nec hic ultimus nostræ humiliationis gradus. Majora indies & majora Domini milites imponunt, bonis spiritualibus onera, præsertim consistentias, vigore quarum binas, ternas, imò & denas aliquando extorquent hybernas, & plerumq; omnia jumenta, & alimenta miseris villanis tollunt, deprimentes tali gravamine lancem spiritualem, usq; ad abyssum nihili. Justum sanè est, quòd bona nobilium sæcularium, uti liberæ gentis non subjaceant his oneribus; sed maximè injustum, quòd subjaceant bona spiritualium, qui sunt magis liberi sæcularibus, non tantùm, quia & ipsi nobiles, sed præterea genus electum, gens sancta, regale Sacerdotium. Libertatem sæcularibus contulerunt Reges & leges regni ab ipsismet conditæ. Spiritualibus & hi ipsi Reges, ac leges, & præterea Ss. Canones, jus civile, jus gentium, jus Divinum positivum, & ipsum jus Divinum naturale cœteris fortius. *A.C. 1696*

Prohibuit DEus in Decalogo rem, aliàs jure naturali illicitam septimo, nono, & decimo præcepto. Rem alienam non solùm surripere, sed etiam concupiscere. De quo observando omnes viri justi ita semper fuerunt solliciti, ut inter eos Tobias licet oculis, & omnibus bonis privatus, ad summam egestatem redactus, & manibus uxoris suæ victum quærens: Cùm tamen semel vocêm balantis hædi audisset, in domo sua consternatus ait ad suos: Videte ne fortè furtivus sit, reddite eum Dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Utinam nostri milites se ipsos sæpe interrogent! vide ne ille bos, vitulus, agnus, imò eqvus & totus forsan vestitus furtivus sit, sicut illius cornicis omnium avium speciosis ornatæ plumis, quæ tandem furtivis nudata coloribus, movit risum. Sed Domini milites mox respondebunt: Absit ut apud nos sit aliquid furtivum; ingenuos homines non decet hæc vilis nota: quod habemus, accepimus hoc ex bonis spiritualibus vigore conscientiæ, triduani tractamenti, vigore constitutionis nostræ rotæ fraternæ vulgò Ustawa, vigore Recrutij, pabulationis, respirij &c. Compatiendum certè illis, quòd ita seipsos decipiant, oculos sibi claudunt, ne videant solem justitiæ, ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, dicunt bonum malum, & malum bonum, sed DEus justus judex, cujus judicium est in veritate, coram cujus oculis, nuda & aperta sunt omnia, videt benè cujus sit hædus, cujus sit agnus, cujus equi, ephippia tam splendida, vestes tam pretiosæ, imò, cujus gallina & ovum, cujus & minimus obolus, videt, quòd verè furtiva sint injustè adempta, ex alieno comparata. Jam enim clarè demonstratum est bona spiritualia esse bona aliena nimirum patrimonium, & hæreditatem Christi, ad ejus gloriam, ad sustentationem ministrorum ejus, ac decorem domus Dei data: hanc intentionem habuerunt, qui ea Ecclesiis fundarunt de milite, ut ex eis aliquid participaret, nec cogitarunt, imò diris tales devoverunt. Si igitur bona spiritualia sunt aliena, non licet ea contingere, nisi iis, quorum sunt, nisi pro quibus, & ad quem finem sunt Christo oblata. Miles ad ea nullum omnino jus habet, imò tollere quidquam ex eis, omnibus juribus prohibetur. Ergo si quid ex eis sibi usurpat, furtum, rapinam committit. Non audet miles prætendere consistentias, aut aliquid aliud in bonis nobilium sæcularium: & cur audet in bonis spiritualium? æquè hæc ut illa sunt aliena; imò magis nullum (ut ita dicam) habet jus ad hæc, quàm ad illa.

Bonorũ spiritualium aggravatio est contra Decalogum ac jus naturale.

*A.C.*1696 illa. Turpe esset alicui nobili formare sibi consistentias, aut aliquas collectas exigere in bonis vicini sui, etiamsi spiritualis. Cur non turpe idem debet esse militi? cur debet esse licitum militi, quod non licet cuiquam? Non tollit status militaris jura, sed defendit. Primarium autem jus est, ut meum sit meum, tuum tuum, alienum sit alienum: & super omnia, quod est Dei, sit Dei, ut nemo illud contrectare, aut sibi audeat usurpare.

Tueri se solent ordinariè DD. milites assignationibus Ducum seu Mareschalcorum suorum, sed istæ non excusabunt eos tam in foro fori, quàm in foro poli. Nam post tot jura adducta, & præsertim post constitutionem 1677, quando spirituales obtulerunt in vim subsidij charitativi pro hiberna octingenta millia florenorum, obstricti sunt DD. Duces, ne assignationes dent ad bona spiritualia, & si aliquo casu dentur pro nullis sunt declaratæ. Deinde quod summa rei est, DD. Duces ita dant assignationem pro consistentijs ad aliqua bona, ut ibi solo tecto, & hibernâ ex bonis iuxta Tariffam cujuslibet Diœcesis concernente, sit miles contentus. Quod etiamsi grave sit, quia conventum à spiritualibus cum Republica, ut Hibernam collectam Leopolim deveherent, tamen utcúnque tolerabile esset. Verùm dum miles accipit assignationem pro consistentia seu etiam quiete modica, veniens cum illa ad bona, putat sibi licere omnia, imò multi non erubescunt se Dominos eorum bonorum vocitare, & ut tales gerere, omnes labores, proventus sibi appropriando. Ordinariè verò cohors ab ipso initio consistentiæ suæ in unum congregata cœtum, rota ab ipsis vocatum, non attentâ assignatione Ducis, & ejus circumscriptione, quid prætendere, quove modo se gerere debeant; cudunt sibi statuta vulgò ustawy pro libitu suo, ut tantùm pecuniæ, tantùm avenæ ac aliorum necessariorum ipsis sit in singulos equos præstandum, quod semper summam pluriùm hibernarum juxta Tariffam & assignationem exsolvendarum longè superat. Quod ergo nec Rex, nec Dux, seu Mareschalcus, imò nec tota Respublica sine consensu omnium statuere poterat, hoc viginti vel triginta, imò sæpè decem milites audent omnibus proprietarijs bonorum illorum dissentientibus, ac frustra deprecantibus, & imprecantibus. Illas verò fraternæ (ut ajunt) rotæ leges, pro his exactionibus tam sacrosanctè observant, & reverentur, ut se eis excusatos in conscientia à contrectatione rei alienæ putare velint, suosq; paletos, tanquam liberos passus ad cælum arbitrentur. Plurimi tamen in designatis sibi villis etiam ultra illos paletos longè exorbitant. Et hæc est summa perversitas, injuria, injustitia enormis, quam milites à paucis retro annis attentare cœperunt, & per eam bona spiritualia, & Regalia ad incitas redegerunt, majorémque in eis ruinam & abominationem desolationis hi, qui dici se volunt Patriæ defensores, quàm omnes gravissimi quicunque hostes causârunt. *Plus affligunt hæc damna* (ait Cassiodorus) *quàm hostium arma: imponendo graviora onera succumbere faciunt populos fatigatos, nec quidquam relinqvunt successoribus suis præter luctus & lachrymas* l. 4 ep. 19. Hoc est, furtum, rapinam, sacrilegium committere. Hoc est denudare Christum, spoliare Ecclesiam, discooperire altaria. Hoc est perdere, & mactare tanquam oves miseros colonos, oppida & villas quasi per pestem in solitudinem redigere, sangvinem pauperum sugere & bibere. Hoc est omnes leges, & statuta Regni convellere, omnia jura Divina & humana conculcare, & susdequè evertere, ipsum lumen rationis extingvere.

7mo Exactiones de bonis spiritualibus nō Veniendum nunc est ad alia motiva milites à talibus ausibus dehortantia, quibus januam aperit Eugenius IV Papa natione Venetus scribens ad Franciscum Foscarum Venetorum Ducem. *Omnia divina, & humana jura disponunt. Sacerdotes Dei ab hujusmodi oneribus & exactionibus immunes esse debere*

debere, sicut fuerunt apud Patres veteris legis. Bona enim, quæ DEi ministri possident, Christi sunt, & quicunq; illa distrahunt, injuriam DEo faciunt. Nec putet nobilitas tua ex subsidijs pecuniarum hujusmodi taliter receptarum aliqualiter sublevari, ab oneribus tibi incumbentibus expensarum, cùm Divina Majestas talibus exactionibus irritata aliunde Reip. tuæ novas & incogitatas expensas permittet exoriri. Notanda hæc ultima periodus: quòd pecunia ex bonis Ecclesiasticis collecta non locupletat, imò qui sic colligit, dispergit, qui congregat taliter divitias, mittit eas in sacculum pertusum. Agg. 1. *A.C.1696* *ditant sed depaupe-rant.*

Hoc sensu & Petrus Gregorius Tolosanus eximius Juris Doctor in Gallia scribit Syntag. Jur. l. 33. c. 17. n. 4. Experti sunt plures Principes in Gallia & Germania, quantum posteris nocuit ex adipe Ecclesiæ domus paternas, & proximorum ditâsse. Ad tempus quidem modicum durârunt hæ sacrilegæ ex Abbatiis & Episcopatibus compilatæ opes, & cùm istarum ruinâ propriæ quoque evanuerunt, & qui ipsis usi sunt, aut eorum filij miserè perierunt, & plerumque. Quamvis enim sacrilegi ab hominibus non plectantur; non possunt tamen DEi effugere judicium. Sunt hodie tot illustrium virorum successores pauperrimi, & ferè errones & mendici, dicam, & audacter prædones & latrones effecti, quòd Ecclesias spoliârunt & brevi tempore cum illis & sua amiserunt, quæ majores virtute paraverant, & reliquerant, & malè parta, cùm malè dilabuntur, benè parta, sed à malè partis polluta, secum communione pertrahunt.

Et alter Hispanus Doctor Alphonsus Vilagut idem exprimit: Personæ graves ac prudentes observârunt, quòd, quando Principes (milites) cupiditate, vel aliâ justâ causâ apparente ducti manum apponunt bonis Ecclesiarum illa usurpantes, videtur nihil sibi conducere: imò quod non solùm ipsa bona Ecclesiastica sic usurpata evanescant, & è manibus elabantur, verùm & alia bona patrimonialia, vel acquisita proprio labore & industriâ &c. de reb, Eccl. non ritè alien. l. 3. p. 2. c. 5. n. 14.

Imò tales bonorum spiritualium exactiones non solùm in privatos, sed etiam in ipsa regna magnam DEi omnipotentis trahunt indignationem. Intentabat aliquando DEus Babylonijs minas Joel. 3. dicens: ***Citò, velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.*** Et quam ob causam? ***argentum enim & aurum meum tulistis,*** quasi diceret: Accepistis vos meum, ego accipiam vestrum; vos devastastis oppida, & villas meas, subditos meos depauperâstis, ac dispersistis, ministros meos spoliastis omni argento & auro ad redimendas maledictas consistentias, ego quoq; reddam vobis vicissitudinem. Idem cum vestris civitatibus, pagis, subditis, argento & auro fiet citò velociter. Immittam fortiorem in vos, qui vobis hæc auferet, & denudabit vos vicissim. *8vo. Etiam Reges & regna evertũt oppressiones bonorũ spiritualium.*

Dum aliquando Clotarius Rex Galliæ tertiam proventuum Ecclesiasticorum partem voluisset ad fiscum Regium convertere pro instantibus belli necessitatibus, S. Injuriosus sic eum ab hoc intento deterruit, dicens: Si volueris res DEi tollere, DEus regnum tibi velociter auferet. Quia iniqvum est, ut pauperum stipe, quos tuo debes alere horreo, tua horrea impleantur. Ita testatur Greg. Turon. l. 4. c. 2.

Hostis est Regis & regni, qui suadet ex bonis spiritualibus subsidia pro milite quærenda. Pondus hoc est, non subsidium gravans re-

*A.C.*1696 gna in interitum. Petrus de Vineis Secretarius Cæsaris Friderici II. orbatus ab eo luminibus, ac post in gratiam rediens, suasit Cæsari, ut pro bello ex bonis Ecclesiasticis ingentem pecuniam colligeret. Quod dum Cæsar perfecit, Petrus cæcus gloriabatur, inquiens; Jam modò condignam sumpsi vindictam de Cæsare, qui prius erat abominabilis hominibus, nunc ipsum feci hoc sacrilegio, odibilem DEo, qui ipsum perdet, & conteret caput ejus. Quod mox eventus probavit. Otto Frizing in Frid. II.

Non hac forte intentione quædam Comitia superinduxerunt contributiones hibernas, ac alia onera bonis spiritualibus, sed tamen pari eventu. Putabant illi consiliarij augendas vires Reipublicæ illis coactis spiritualium offertorijs & ecce videmus diminutas. *Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus. Intulistis in domum, & ego exsuflavi illud; Quam ob causam dicit Dominus Exercituum? quia domus mea deserta est*. Agg. c. I. Quod enim ad sarta tecta Ecclesiarum conservanda, vel reparanda, quod in lumina, ornamenta, Sacerdotum, & Ministrorum laudes Dei decantantium, Sacramenta administrantium, prædicantium, sustentationem impendendum erat, hoc in contributiones hibernas, in consistentias expensum; & sic domus Dei facta est deserta absque tot luminibus, ornamentis, ministris, quot esse possent ac deberent ex fundatione. Ita sanè aliqui sagaces, ac justi viri etiam sæculares status Reipublicæ nostræ periti observârunt, ac præsertim Smogulecki de Annatis pag. 26. quòd, ex quo tempore cœperunt extorqueri pro milite subsidia à spiritualibus, & aliquæ in comitijs factæ sunt constitutiones præjudiciosæ illis frustra obsistentibus, & protestantibus, ex eo omnia apud Nos in deterius vergunt, omnia pessum eunt; tot exercituum clades, tot variorum hostium irruptiones, tot provinciarum avulsiones, tot æstates à sumptuoso exercitu inaniter exactæ, tot comitia rupta, tot continuatâ serie calamitates, sterilitates, pestes, nullus in Republica ordo, aut salubre & efficax consilium: ut verè nobis Deus exprobrare videatur apud dictum Prophetam: *Seminâstis multum, & intulistis parum, comedistis, & non estis satiati: operuistis vos & non estis calefacti. Quam ob causam dicit iterum Dominus Exercituum? Quia domus mea deserta est*; per has consistentias & exactiones tam graves, quibus vos sperabatis esse locupletandos, & ecce facti estis magis egeni, miserabiles & nudi. Propter hoc dicit Dominus: *Prohibiti sunt super vos cæli ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum, & vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & quæcunque profert humus, & super homines, & super jumenta, & super omnem laborem manuum*. Vt jure merito possimus cum populo electo apud alium Prophetam Joelem c. I. lamentari: *Gens ascendit super terram meam fortis & innumerabilis, dentes ejus, ut dentes leonis. Depopulata est Regio; devastatum est triticum, confusi sunt agricolæ, ululaverunt super frumento & bordeo, quia perijt messis agri. Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit Bruchus: & residuum Bruchi comedit rubigo.* Quam ob causa ista? quia (respondet Propheta) *perijt sacrificium & libatio de domo Dei, luxerunt Sacerdotes, Ministri Domini. Nunquid non coram oculis vestris alimenta perierunt de domo Dei nostri, computruerunt jumenta, demolita sunt horrea, confusum triticum, greges disperierunt* (Sacerdotum) Joel. I. Et quid aliud in Regno nostro videmus & lugemus? nec mirum: eadem est nostra culpa, eadem necesse pœna. Eadem causa, eundem producit effectum.

Baronius in suis Annalibus notat, quòd anno 845 Episcopi Galliæ considerantes magnam Regni ejus devastationem per varios hostes ac præcipuè Normannos, convenerunt Meldam pro Synodo, ut aliquâ ratione miseræ Patriæ consulere possent, ibique indagantes causam tam gravium plagarum illi Regno inflictarum, hanc primam & maximam invenerunt, quòd bona Spiritu-

alia varijs oneribus, & exactionibus pressa erant. Dixeruntque: cum Pipinus & Carolus magnus ejus filius Ecclesias, & earum proventus tuerentur, habuerunt potentiam & fortunam contra hostes: dum verò successores eorum in bona Deo consecrata manus injecerunt, ac eorum proventibus fortiores & ditiores se reddere voluerunt, Deus econtra illos magis humiliavit, & ad has augustias dejecit; ac paulò pòst Rex Galliæ Gunteramus acceptã cladem à Rege Gottorum adscribebat militibus, quòd Deum non timuissent, Ecclesias & bona ipsius oppressissent, & spoliâssent, uti testatur S. Gregorius Turon. Hist. Franc. l. 8. c. 30. *A.C.1696*

Hoc idem agnoverunt & nostri Reges, dum in statutis supra citatis Casimirus Magnus, & Vladislaus Iagello exprimunt, quòd devastationes bonorum Ecclesiæ, & Monasteriorum, divinæ Majestatis offensam, Regnique nostri desolationem inducere videntur. Et Casimirus III in privilegio supra posito idem fatetur his verbis *Non sinè animi gravi molestia, ac divinæ ultionis metu spiritualium Regni nostri querelas lacbrymis etiam permistas audimus; quomodo ipsi per terrigenas & belligeros in bonis Ecclesiasticis præter morem terrestrem damnificati sunt. Volentes itaque ultionem divinam intercipere, nostrâque animadversione prævenire &c.* Acceperat is Rex paulò ante gravem à Cruciferis cladem ad Choyniciam: cujus causa quamvis ab aliquibus Ducum imperitiæ, à pluribus tamen (ait Cromerus) fletibus & ejulatibus Sacerdotum, Monachorum, & eorum agrestium quorum facultatibus Majores Poloni ad bellum proficiscentes, crudeles & sacrilegas manus non abstinuerant, adscribebatur, ideo proprio periculo edoctus Rex in illa prorumpere verba haud dubitavit. Nec mirum est, quòd hi, qui priùs cum Deo pugnant, per rapinam bonorum ejus non habeant à Deo benedictionem in pugna cum hoste. Ubi certum est, non tam numero exercitûs, fortitudine militum, aut peritiâ Ducum rem feliciter agi, sed auxilio desuper, & dispositione supremi Domini Sabaoth exercituum. Accidit non rarò teste S. Scripturâ, quòd persequatur unus mille, & duo fugent decem millia. Id, quòd experientiâ nostrâ plus quàm sæpe edocti sumus. Dum ante has bonorum spiritualium oppressiones pauci plurimos fugabamus, nunc fugimus plurimi à paucis. Imò experimur illam maledictionem divinam Lev. 26. *Corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini his, qui oderunt vos, fugietis nemine persequente.* Et Deut. 26. *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos, per unam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias; Filij tui, & filiæ tuæ tradantur alteri populo videntibus oculis tuis, & deficientibus, & non sit fortitudo, in manu tua. Oves tuæ dentur inimicis tuis, & non sit, qui adjuvet te. Bos tuus rapiatur in conspectu tuo, & non reddatur tibi, fructus terræ tuæ & omnes labores tuos comedat populus, quem ignoras, & sis semper calumniam sustinens, & oppressus cunctis diebus, & stupens ad terrorem eorum, quem videbunt oculi tui. Advena qui tecum versatur, in terra ascendet super te, eritque sublimior, tu autem descendes, & eris inferior, ipse erit in caput, & tu eris in caudam, & venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas, quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servâsti mandata ejus & ceremonias, quas præcepit tibi.*

9no. Clades exercituū inducit oppressio bonorum spiritualium.

& maledictiones divinas.

Respiciamus paululum retro, quid non ita pridem nobiscum fecerint, Sveci, Moschi, Tartari, Cosaci, quibus olim terribiles eramus, cadebantq; mille à latere tuo, & decem millia à dextris suis: postea verò etiã umbrã eorũ timebamus & trepidabamus timore, ubi non erat timor. Nunquid ipsi evaserunt fortiores, nunquid invulnerabiles? minimè. Ill ipsi sunt nos fugantes, qui fugiebant à nobis, sed nos nunc sumus graviores iniquitate, obduratiores in peccatis; hæc illis arma contra nos, animumq; ministrant; *Nostris peccatis,* ait S. Hieronymus: *Barba-*

A.C.1696 *ri fortes sunt: nostris vitiis noster superatur exercitus.* Et S. Salvianus eodem sensu: *Miramur, si miseri simus, qui tam impuri sumus: miramur, si ab hostibus vincimur, qui honestate superamur. Nemo sibi aliud persuadeat: nemo aliud arbitretur: sola nos morum nostrorum vitia vicerunt.* l. 7. de Prov: DEi.
,Præclarè hæc omnia confirmat Rusticus ille Germanus perorans in Se-
,natu Romano: Nolite existimare Romani, quòd Germaniam nostram
,cœpistis, & subjugâstis, industriâ factum militari; neq; enim nobis vel
,bellicosiores, vel animosiores, vel audaciores, vel fortiores estis: sed
,cùm offensi à nobis Dij forent,. arcano statuerunt judicio, ut ad
,castiganda immoderata nostra vitia vobis tanquam carnificibus crudelibus uterentur. Neq; vel vos tam fortes, vel nos tam imbelles dubitatis, quin nisi tum Dij se se interposuissent, potuerit fieri, ut victorum spoliis non potiremini. Nam, si verùm dicendum est, victoriam non armis, quæ Româ extulistis, sed vitiorum, quæ in Germania erant, multitudini debetis. Cùm igitur nos perierimus, non quòd vecordes, imbelles, timidiq;, sed tantùm quòd mali essemus, Deosq; minimè propitios haberemus: quid vobis futurum censetis Romani, si & vitiosi sitis, ut estis & DEos habeatis, ut habetis, infensos. Neq; idcirco certiorem Romani spem victoriæ concipiatis, quòd ingentes cogitis exercitus, aut pecuniarum jactatis cumulos, aut præpotentes à partibus vestris Deos habetis, aut templa fabricatis ingentia, aut splendida offertis sacrificia. Scire enim, si fortè nescitis, debetis, neminem Deorum esse participem, nisi, qui pacem habet cum virtutibus. Si ad triumphos & victorias nihil requireretur, præter stratagematum subtilitatem, Ducum dexteritatem, virorum fortitudinem, & copiarum multitudinem; stultissimum foret de istis in militiam afferendis non laborare. Sed quid dicemus? cùm ipsa clamet experientia; Homines nihil nisi prælio decertare posse; & à solis victoriam Diis concedi. Baron. Anno 170. Et quamvis de omnibus id peccatis gravibus intelligi potest, præcipuè tamen hanc DEi iram in Regna & exercitus provocant oppressiones Ecclesiarum, & usurpationes proventuum spiritualium, tanquam si essent eorum hæreditaria bona. Ita Rex & Heros insignis David diris tales devovet, Psalm. 82. *Qui dixerunt, hæreditate possideamus sanctuarium DEi: DEus meus pone illos ut rotam ante faciem venti: sicut ignis, qui comburit sylvam, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira turbabis eos; imple facies eorum ignominiâ, erubescant & conturbentur, confundantur & pereant.*

Rustici Germani oratio.

Non dissimiles alterius Herois & Imperatoris Orientalis Alexij Commeni imprecationes in quodam privilegio, ubi sic concludit. Si deinceps ô Domine DEus erit aliquis ita temerarius ut auferat res hucusq; dicatas sanctis Ecclesiis, ac quæ deinceps offerentur, hic talis privetur visione Divinâ, nec eum illuminet sol de mane, non fruatur adjutorio & ope Divinâ, sed semper sit spretus ac derelictus à te Domine. Vilag. de rebus Eccl: malè alien. &c. l. 3. p. 2.15. Eædem leguntur apud Paulum Diaconum l. 4. c. 15. Theodolinæ Reginæ Longobardorum execrationes contra damnificantes quovis modo bona ab ea collata Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in statu Mediolanensi. Et ferè omnes fundatores idem optant & orant DEum, ut eorum fundationes maneant illæsæ.

Quod ipsum Ecclesia à S. Spiritu gubernata approbat, dum in consecratione sanctimonialium præscribit in Pontificali, ut Episcopus intra Missarum solennia sedens cum mitra publica voce anathema fulmi-

fulminet contra ſurripientes bona Monialium his verbis: Auctoritate *A. C. 1696*
, Omnipotentis DEi, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, firmi-
, ter & ſub interminatione anathematis inhibemus, ne quis præſentes vir-
, gines, ſeu ſanctimoniales à Divino ſervitio, cui ſub vexillo caſtitatis ſub-
, jectæ ſunt, abducat, nullus earum bona ſurripiat, ſed ea cum quiete poſ-
, ſideant. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, maledictus ſit in do-
, mo, & extra domum, maledictus in civitate, & in agro; maledictus vi- *At maledi-*
, gilando & dormiendo; maledictus manducando, & bibendo, maledictus *ctiones Ec-*
, ambulando & ſedendo, maledicta ſint caro & oſſa, & à planta pedis uſq; *cleſiæ.*
, ad verticem non habeat ſanitatem. Veniat ſuper illum maledictio homi-
, nis, quam per Moyſen in lege filiis iniquitatis Dominus permiſit. Dele-
, tur nomen ejus de libro viventium, & cum juſtis non ſcribatur. Fiat pars
, & hæreditas ejus cum Cain fratricida, cum Dathan & Abiron, cum Ana-
, nia & Saphira, cum Simone Mago, & Juda Proditore, & cum eis, qui di-
, xerunt DEo; Recede à nobis, ſemitam viarum tuarum nolumus. Pereat
, in die judicij, devoret eum ignis perpetuus cum Diabolo, & Angelis ejus,
, niſi reſtituerit, & ad emendationem venerit. Fiat, fiat. Hoc quidem de Monialium tantùm bonis dici videtur. Sed quoniam omnes aliæ Eccleſiæ, & Monaſteria eodem jure, iiſdem privilegiis ſua poſſident bona oblata à fidelibus ob cultum DEi, eædem metuendæ ſunt maledictiones etiam illis, qui alia quæcunq; ſpiritualium bona damnificaverint.

Eodem Spiritu congregati Epiſcopi Galliæ Turonis pro ſynodo Annò Domini 570 ut notat Baronius ex S. Greg. Turon. inter alia ſtatuerunt, ut omnes, quicunq; in continuis illis bellis bona ſpiritualia opprimebant, & dum ipſis ſtipendia non ſolvebantur, ex villis ſpiritualium ea ſibi repetebant, monerentur, citarentur, & perſeverantes in his injuriis anathematiſarentur. Si verò id oppreſſores minimè curarent, ut omnes ſpirituales convenientes ad Eccleſiam contra illos pauperum tyrannos & homicidas (hæc ipſa ſunt ibi verba) Pſalmum 108 decantarent, in quo graviſſimæ ſunt maledictiones &c. Quas multi in ſe experiebantur, uti præfatus S. Greg. Turon. atteſtatur. Caveant, & modò omnes inhiantes bonis ſpiritualibus, ne ſuis oppreſſionibus cogant ſpirituales ad eundem pſalmum contra ipſos pſallendum, eadémque maledicta fulminanda, ſiquidem eodem jure hanc poteſtatem exercere poſſunt, quo illi in Gallia ſunt uſi. Caveant Poloni milites, ne eundem ſentiant, in ſe maledictorum effectum, quem ſenſerunt Galli; ſi enim deſiderium omnium pauperum exaudit Dominus, ſi gemitus compeditorum intrat in conſpectu ejus teſte Pſalmiſta, *Si lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio ejus ſuper deducentem eas. A maxilla enim aſcendunt uſque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis*: uti energicè loquitur S. Scriptura Eccli. 35 an putabimus, quòd ejulatus & lamenta ſervorum ſuorum obturatis excipiet auribus? an non potius exſurget ociùs in vindictam eorum? Sacerdotibus promiſit: quodcúnque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis, multò magis cui maledixeritis, erit maledictus, cui benedixeritis, benedictionibus replebitur. Gen. 27 Non ſine cauſa Henricus III Rex Hiſpaniæ dicere ſolebat: populi mei execrationes amplius, quàm hoſtium arma formido Marian. l. 19 c. 41.

Alia etiam eſt ratio, cur milites bonorum ſpiritualium oppreſſores, ſæpè in bellis patiantur cladem, aut fugiant turpiter. Nam ad fortiter cum hoſte agendum, & conſequenter vincendum, ante omnia audaciâ, animo reſoluto, & bono (ut ajunt) corde opus eſt. Quomodo verò talem animum, ac tale cor habere in pugna poterit ille? cui conſcientia rapinas, & injurias pauperum ob oculos tunc ſtatuit, magiſq; eum terret his, quàm hoſtis. Interrogavit quidam Nobilis militum Anteſignanos cur in ultimis bel- *In prælio maxime terrent pugnantes rapinæ, ſtatuendo ſe*

 his

A.C. 1696 lis Moschoviticis noster exercitus numero longè major fugerit coram hoste inferiori, ne quidem inito prælio? responderunt, quòd duplex ipsis videbatur esse hostilis exercitus, unus ex hominibus, alter compositus ex bobus, equis, vaccis, arietibus, porcis, alijsque pecoribus ingenti furore & fremitu contra se tendentibus, ita, ut eo prodigioso apparatu omnes perterriti trepidare, fugam capessere coacti simus.

ante oculos eorum.

Referebat quidam Religiosus fide dignus, quod, cùm esset miles, ac permisisset à famulis alienum mactari porcum; dum ad prælium erat ventum priùs in eum irruebat horrendum spectrum in forma porci, quàm hostis; quo ipse perculsus illicò fecit votum Religionem ingrediendi, & sic evanescente porco feliciter cum hoste fuit congressus. Plurima sunt similia exempla, quæ demonstrant injurias pauperum cor militi auferre & maximum esse victoriarum obstaculum, inducereque exercitibus & Regnis exitium.

Regnum Samariæ abjectum à Domino vergebat in interitum. Inquirit Rex cum suo senatu causam ruinæ; & ecce mittitur ad eum Oseas Propheta, & nomine Dei intimat ei. *Projecit te vitulus tuus Samaria*, Oseæ 8. (ita enim ibi aliqui legunt) insinuans, quòd vitulus aureus, quem fecerant, & adoraverant, erat illius ruinæ causa. Nos quidem vitulos non adoramus; sed dum alienos rapimus, & voramus, æquè grande crimen perpetramus, ita, ut justè multis in particulari possit dici: Projecit te vitulus, & magis forsan bos, eqvus &c. Quòd scilicet in prælio de equo decussus cecidisti, quòd jaculo confossus, vulneratus fuisti, vel perijsti, projecit, confodit, vulneravit te vitulus, eqvus, bos, non tuus. Quod equi tui allj mortui, alij à profugis servis ablati, quòd currus tui onusti ab hoste intercepti; projecit te vitulus, non tuus, imò, quidquid in illo curru erat alienum per vim injustè extortum, hoc perdidit totum.

Sed utinam privatorum damno illi vituli compensati essent: utinam universum Exercitum, & consequenter ipsum Regnum ad hasce clades, & miserias non projecissent in pœnam, quòd Duces seu Respublica efficacia non adhibuerit remedia contra has injurias & insolentias, cùm certum sit etiam sinè culpa Ducum ob unius militis noxam invictos quondam vinci exercitus. Dum Josve fortissimus & pijssimus Dux urbem Ièricho cœpisset, præcipit ei Deus, ut ipsa urbs, & omnia in ea reperta, Deo in holocaustum igni traderentur, aurum verò, argentum, & æs consecraretur Domino repositum in thesauris ejus. Unus autem ex militibus Achan, aliquid ex auro & argento, quod Deo erat oblatum, surripuit & abscondit, cunctis insciјs. Et ecce culpa unius pœna omnium: Nam in crastino à paucis Civibus Hajensibus fugatur exercitus. Turbatus Dux Josve orat sollicitè Deum, cur eam immisisset plagam populo suo? audit vocem: *Peccavit Israël, prævaricati sunt, tulerunt de anathemate, & furati sunt.* Unus tantùm furatus erat, & tamen Deus dicit furati sunt; ideo non solùm Achan, sed & cœteri puniti fuere. Verùm quid tandem furati sunt? de anathemate; hoc est aliquid ex auro & argento, quod erat Deo consecratum. Et nisi condignè castigatum fuisset hoc crimen, ira DEi non quievisset. Ast Josve *tollens Achan, argentúmque, & auream regulam, & pallium, quæ absconderat, filios quoque & filias ejus, boves & asinos, & oves, ipsumque tabernaculum & cunctam supellectilem duxerat eos ad vallem Achor: ubi dixit Josve: Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac; lapidavitque eum omnis Israël, & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt.* Josve 7. Quo facto iratum numen placarunt, ac urbem Hai ceperunt, ac deleverunt, victoresque deinceps extiterunt. Hoc exemplo fortunatissimi quique bellatores sollicitè semper cavebant, ne quæ injuria à militibus eorum cuiquam fieret, & factam rigidè vindicabant. Clodoveus Rex Gallorum disponens se ad prælium cum Alarico

Propter culpam unius militis fugatur exercitus.

Disciplinæ militaris singularia exempla.

Alarico Rege Visigotorum non satis habuit ædificâsse Parisijs Ecclesiam Ss. *A.C.1696*
Petro & Paulo, multa pretiosa munera ad sepulchrum S. Martini misisse, ac alias largas eleemosynas distribuisse; verùm etiam severè inhibuit, ne aliquis *exempla*
miles quidquam alicui acciperet, ac præsertim in districtu S. Martini, ut præter gramen & aquam nihil à quopiam sumeretur. Cùm verò unus miles loco graminis fænum accepisset, pro uno utrumq; reputando; mox eum capite plecti jussit, dicens: spem victoriæ amittimus, cùm S. Martinum offendimus teste S. Gregorio Turon. Hist. Franc. lib. 2 c. 36 Quomodo ergo possunt sperare victoriam, qui non unum S. Martinum, sed tot sanctos, in quorum honorem illæ Ecclesiæ & bona sunt fundata, imò ipsum Sanctum Sanctorum Dominum exercituum, cujus cultui principaliter sunt dicata, offendunt. Non tantùm fænum, sed & frumenta ac segetes in bonis eorum depascendo.

Theodosius Imperator teste Baronio Anno 393. ducendo exercitum contra æmulum suum Eugenium edixit sub gravissimis pœnis, ut milites in tractu nullam omnino rem ne ipsa ligna aut oleum, seu lectisternia gratis exigerent.

Idem paulò antè Aurelianus Cæsar severiori adhuc rescripto ad suum exercitûs Ducem confirmavit teste Vopisco. Si vis, inquit, esse Dux, quin imò, si vis esse vivus, cohibeas manus militum; Nullus accipere audeat gallinam alienam, aut ejus pullum, ovem nemo tangat, uvam vini nemo sumat, nemo segetes conculcet, oleum, salem, ligna exigat; annonâ suâ quilibet sit contentus, prædis hostium & non lacrymis suorum ditescant, arma habeant nitida, calceos fortes, nova vestis depellat vetustam, stipendium suum quilibet habeat in marsupio, non in hospitio, eqvum suum quilibet curet, & mundet, unus alteri inserviat, qui rixabitur, castigetur; in hospitio gerant se castè: Hucusq; verba Aureliani aurea, qui militem cum sua hospita adulterum, duabus arboribus inclinatis alligari, ac remissis discerpi jussit.

Severus etiam Imperator teste Lambridio hunc morem in castris servabat: dum aliquis miles alicui colono intulit damnum, vel injuriam, antequam illum pœnæ addixisset, interrogabat eum: Visnè hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis? quare es immemor illius supremæ legis: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et ita erat nomine & re Severus in observanda hac lege, ut non dubitârit militem unum, qui quandam vetulam in re quapiam damnificavit, eidem in servum & mancipium perpetuum reddere, ut eam artificio suo, quod callebat, aleret, ad vitæ ejus tempora.

Solimanus Turcarum Imperator teste oculato nostro Jurgiewicz misso ad eum Veredario, in bello cum Persis gesto, videns quendam è suis militibus in aliena segete eqvum pascentem, illico ipsum & eqvum simul in patibulum agi, ac suspendi jussit. Idem etiam oculis suis spectavit Damasci: dum mulier quædam accusaret Janisarum coram Duce, quòd ei lac ebibisset: Miles verò id negabat, Dux eum pedibus suspendi præcepit, capite deorsum, ex cujus ore mox effluere lac cœpit; quo indicio deprehensus in crimine, & convictus condemnatus est ad furcam. Quæ justitia eam efficit militarem apud Turcas disciplinam, ut transeunti exercitui occurrant in via pueri & puellæ octennes vel decennes portando venalia varia victualia, panem, ova, fructus, avenam, & similia. Nemo militum ex hortis aliqua olera, ex pomarijs aliquod pomum, vel pirum sinè pretio audet sumere. In castris eorum plures villas quandoq; comprehendentibus, gallinæ, anseres, anates villanorum videntur liberè incedere, securæ à rapina; nihil ibi rusticus abscondit, nihil trepidat, nullum metuit damnum. His Turcæ artibus tot triumphis gloriosi, ac orbis Domini & Domitores effecti sunt.

Belli-

A.C. 1696 Bellisarius magnus & fortunatus Dux Iustiniani Imperatoris cum parvo exercitu contra innumeram Vandalorum multitudinem in Africam veniens taliter suos est allocutus; Meliùs est timore DEi, & justitiâ gratiam DEi conciliare, quàm viribus suis fidere. Obsecro vos, ut nemini injuriam faciatis. Nolo talem in meo exercitu habere, etiamsi sit fortissimus, qui inquinatum peccatis cor ad prælium adfert, nec ego parcam nocenti, siquidem vanæ sunt vires atq; potentia absq; justitia. Procop. de bell. Vand. l. 1. Pro qua virtute insignem DEus ipsi dedit victoriam, ut non tantùm exercitus Vandalicos debellârit, sed etiam Regem eorum Gilimerum captivum duxerit.

Totila Gottorum Rex volens labefactas suorum vires in Italia erigere, & pristinam Antecessorum suorum gloriam restituere, postquam occupâsset Romam ita suos est affatus; Antecessores nostri Gotti, magnos & fortes exercitus, fortunam & victorias habuerunt, & tot Regna possederunt, eò quòd justitiam inter se & subditos servaverint sacrosanctè, à qua dum posteri recessissent, à DEo puniti, & diminuti sunt. Remansimus ecce pauci, & DEus dedit nobis victoriam, dabit & amplius, dum justitiam colemus, quam fortuna bellica sequi solet. Procop. l. 3. de bell. Gott.

Ergo injustitias, injurias sequuntur infortunia, clades, ruinæ exercituum & Regnorum. Injustitia nostra hostium est auxilium ait S. Isid. Pelu. ep. 249. Et fortiùs adhuc ipsemet Rex Regum, Dominus Dominantium, in cujus manu sunt omnia jura Regnorum manifestè sententiat. Eccles. 10 Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias & injurias, & contumelias, & diversos dolos. Si autem injuria cuivis homini in fortuna, ac bonis ejus facta hos pessimos causat effectus, quid dicendum de injuria ipsi Deo in bonis ipsius illata? hæc enim longè gravior, ut DEus longè imò infinities excellentior homine, ac proinde longè graviùs venit punienda. Qui enim rapit pecuniam (dicit Canon) proximi sui, iniquitatem operatur: Qui autem pecuniam vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium operatur. 17. Q. 4. c. qui rapit.

Exēpla horrifica punitorū à DEo, eorum qui villas spiritualiū ausi sunt occupare. Quia verò DD. Confœderati milites non solùm consistentias in bonis spiritualium statuere, sed etiam ipsas villas aliquando occupare, & usurpare non verentur, adducenda sunt ipsis quædā in hoc passu horrifica exempla punitionis Divinæ. S. Greg. Tur. Odo, & alij scribunt, quòd, dum Carolus Rex Galliæ cuidam militi dicto Richuvino dedisset villam ad Episcopatum Remensem pertinentem, uxorq; militis in ea quieti & somno vacaret, apparuit ei S. Remigius olim Episcopus Remensis monens illam, ut illinc abscederet, dicens ei: alterius status & meriti debet esse, cui liceat in hac villa quiescere; neglexit hoc mulier tanquam somnium: Sed iterum similiter admonita, dum nihilo secius quidquam curaret, tandem dicit ei S. Episcopus: Noluisti hinc sponte exire, ecce te efferent alij: & hoc dicens percussit eam baculo, ipsa verò subitò hydropisim cum ingenti dolore pati cœpit, & se movere non valens, elata inde usum bonorum spiritualium & vitæ finivit. Idem S. eodem ferè modo tractavit Pipinum Regem Galliæ cùm ad quædam bona Episcopalia venisset, quæ certo titulo cum consensu quidem Episcopi, sed forsan extorto possidebat, apparuit ipsi in somno S. Remigius, & dixit: Quid hic agis? quomodo ad hanc villam venire ausus es? quam mihi melior, & devotior, quàm tu donavit? ego verò illam Virgini & Matri DEi dedi, & flagellavit eum usq; ad livorem; Evigilans Pipinus incidit in febrim, & diu æger erat, etsi illico ex illo prælio excessisset.

cessisset. Ita Hincmarus & Baronius Anno 760. Iidem magnæ fidei Auctores testantur in Anno 556. quòd, in quodam bello à Chramno contra Clotarium Patrem Regem Galliæ gesto, cùm ejus Consiliarius pessimus Leo Pictaviensis semel ei dixisset: Isti Sancti Martinus & Martialis nullum faciunt fructum fisco Regio; cogitans interim ex bonis ad Ecclesias illorum pertinentibus aliquid extorquere; & ecce vix illa effutiit verba; subitò surdus & mutus evasit, & insaniens exspiravit. *A.C.1696*

S. Greg. Tur. de glor. Mm. l. 1. c. 79 scribit de quodam Ariano nomine Somachoro, quòd dum villam Episcopatûs Agatensis in Gallia tanquam propriam possideret, rogavit eum Leo Episcopus vir Sanctus ut illam injuriam Ecclesiæ non irrogaret, & villam eidem restitueret, dicens ei: Fili, pauperum iste est proventus mihi concreditus, non conficias eos fame, ne te lachrymæ eorum perimant. Hæreticus in jocum id vertit; & ex villa non recessit; interim punitus à Deo incidit in morbum: tunc vexatio cœpit ei dare intellectum, mittit ad Episcopum promittens villam restituere, & orans, ut ejus precibus sanitatem recuperare valeat: quod quidem obtinùit, sed villam non restituit. Igitur Episcopus recurrit ad Deum, totam noctem orationi impendit, manè verò omnes lampades in Ecclesia concutit dicens: Non erit hìc lumen, usque dum Deus vindicet injuriam suam. Interea reincidit subitò in morbum Arianus, quo graviter afflictus seriò jam villam restituere pollicetur, & obnixè rogat Episcopum, ut oret pro eo, sed Episcopus respondit: jam oravi, & Deus exaudivit orationem meam, ac gemitum pauperum. Ille verò insessor villæ Spiritualis animam miseram exhalavit.

Quamvis autem forsan aliquando contingit ex occultis Dei judicijs, quòd nonnulli bonorum spiritualium usurpatores seu oppressores nihil simile patiantur, imò via impiorum prosperetur in hac vita; certum tamen est, quòd gravior eos expectet in altera damnatio: non eos dignos judicat Deus ut scelera sua brevi & temporali eluant pœnâ, reservat eos ignibus cruciandos æternis. Si enim, inquit, S. August. ser. 20 de verb. Dom. In ignem mittitur, qui non dedit rem propriam egenti, esurienti, sitienti, putas ubi mittendus est, qui invasit alienam? si cum diabolo ardere habet, qui nudum non vestivit, putas, ubi arsurus est, qui exspoliavit? de Dagoberto & Carolo Marcello Administratoribus Regni Galliæ scribit Tritemius ex certa revelatione, quòd ad gravissimas inferni pœnas sint condemnati ob eam solùm rationem quòd bona spiritualia usurpaverint, seu oppresserint. Alphon. Villeg. de rebus Eccl. non alien. l. 3. p. 2. c. 5.

Iomo. Oppresso bonorum spiritualium obligat ad restitutionē

Et revera quamvis multa sunt alia longè gravissima peccata, ut Idololatria, abnegatio Dei, Blasphemia, Hæresis, & his similia, quæ æternâ digna sunt morte. Nihilominus ob nullum communiter tot homines æternum damnantur; quàm ob peccatum contra justitiam seu ob damna proximo illata. Ratio est, quia hæc peccata involvunt obligationem restituendi ablata, seu reparandi damna juxta illud tritum: non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Quod, quia pauci præstant, pauci salvabuntur. Plurimi, & vix non omnes cum hoc onere moriuntur, plurimi & vix non omnes damnabuntur. Non enim ita facilè est restituere, uti accipere. Obligatio hæc restituendi eousq; excrescit, ut tenearis restituere, non solùm, in quo factus es ditior ex alieno, & quod adhuc retines, sed etiam quod jam consumpsisti, seu quocunque modo amisisti. Teneris restituere, non solùm quod tu ipse accepisti, seu consumpsisti, sed etiam quod tui famuli aut equi, seu etiam alij quibus forsan ad inferenda damna es cooperatus mandando, consulendo, subjectis tibi, efficaciter non prohibendo, seu te socium injuriantibus adjungendo, juvando &c. Juxta illos versus, quibus cooperatores obligati ad restituendum exprimuntur.

Ff Jussio

A.C.1696 Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans, mutus, non obstans, non manifestans; præsertim verò hæc obligatio gravissima est DD. militibus in nexu seu confœderatione existentibus, quia unusquisque tenetur restituere non solùm quod ipse accepit, seu damnificavit, sed quod cœteri omnes; hæc est enim communis conclusio Theologorum apud Busembaum lib. 3. Tract. 5. dubio 3 his verbis: Si plures cum consensu & invicem juvantes aliquod intulerunt damnum, singuli in solidum tenentur restituere totum damnum, quia singuli sunt causa totius damni, cùm unus juvet alterum, & procedat ex confidentia, quam habet in auxilio aliorum. O quàm ingens animæ pondus! cùm ad restitutionem tot millionum unus tenebitur; Tenebitur autem restituere non solùm ipsam rem acceptam, sed si est consumpta vel amissa, valorem ejus imò lucrum cessans, ac damnum inde emergens. Laudatur Zachæus in Evangelio, quod, si quem defraudaverit, reddidit quadruplum, saltem ergo quisque tenetur reddere id, quod debet, in quo proximus est damnificatus.

Restitutio gravissima est confœderatis

Tenetur autem restituere etiam cum gravi suo incommodo, aut detrimento. De Salvatore nostro Christo JEsu testatur Apostolus Philip. 2. quòd etiamsi *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, tamen exinanivit semet ipsum formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo* pauper, egenus, vestibus proprijs spoliatus & nudus. Quid ergo facere debent, qui ex alienis rapinis facti sunt sicut Dij, toti in splendoribus vestium, mensarum, equorum, curruum, supellectilis pretiosæ. Posset cuivis horum dici, quod olim S. Benedictus spathario Totilæ vestibus ejus induto, depone fili hoc, non tuum est hoc, restitue hæc omnia, memor esto conditionis tuæ primævæ, antequam te militiæ dedisses, antequm alienum contrectare, alios spoliare cœpisses; redde ergo, quod postea injustè acquisivisti, & redi ut limax ad concham tuam, vel ut Diogenes ad dolium tuum, contentus esto veste illâ attritâ, nigris cothurnis, strigosoque caballo, qui te ad militiam vexit, rapina verò ad hanc magnificentiam erexit. Iniquissimum est, ut tu dapibus sumptuosis ex meo comparatis ventrem distendas, ego verò fame me tabescam, ut tu his ex meo, holosericis, bisso, & purpurâ, his Zobelis, Pantheris, fulgeas, ego verò in lacerna & centone squalleam & algeam.

Imò si aliena abligurijsti, disperdidisti, etiam de proprio resarcire teneris, teneris etiam villam tuam propriam, tunicam tuam, eqvum tuum, ad restituendum injuriatis vendere. Si enim leges præcipiunt, ut, qui non potest debita exsolvere ære, luat in corpore. Quomodo excusabitur à restitutione, qui aliquod æs seu aliud æquivalens habet. Si Christus Dominus præcipit, ei qui vult perfectus esse, ut omnia sua vendat, & det pauperibus, quomodo poterit esse saltem Christianus, qui non vendet propria, ut reddat injuriatis aliena. Si divites etsi nemini injurij tam difficilè intrabunt in Regnum cælorum edicente Salvatore; quomodo illi cameli tot lachrymis & injurijs onusti illuc introire poterunt? stabunt ad portam cæli injuriati in magno numero *adversus eos, qui se angustiaverunt, &, qui abstulerunt labores eorum* 9 Sap. arcebunt eos introitu cælesti decreto illo 1 Cor. 6. *Neque rapaces, neque injusti intrabunt in Regnum Cælorum* Quinimò *tradent eos tortoribus, quoad usque reddant universum debitum ad novissimum quadrantem* Matth 18 quod, dum post alteram vitam præstare nunquam poterunt, semper manebunt debitores, semper, & in æternum arsuri.

Quis ex vobis poterit habitare in illo igne devorante in ardoribus sempiternis? Ille certè est tam audax, imò sui immemor, qui damnum infert proximo; & magis adhuc, qui illatum non recompensat ad assem. Nemo potest ab hac obligatione dispensare vel absolvere, nullus Sacerdos, nullus Religiosus, nullus Episcopus, imò nec ipse Summus Ponti-

Ab onere restitutionis nemo absolvere potest.

fex

fex; nulla hic valet indulgentia etiam plenariissima, nulla privilegia Rosarij, Scapularis, Cinguli S. Francisci, imò nec Confraternitatis quinq; vulnerum, aut cordis Domini JESU. Non deniq; Jubilæum universale valet liberare ab hoc onere restituendi; non sufficit hîc magna sicut mare contritio, non tunsiones pectoris, non jejunia, non disciplinæ, aut quævis pœnitentiæ, imò nec lacrymæ; non dimittetur his omnibus peccatum, nisi restituatur ablatum. *Etiamsi te laveris nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es iniquitate tua coram me dicit Dominus.* Jerem. 2. Etiamsi te immerseris non solùm lacrymis tuis, sed & sangvini tuo, non dealbaberis sine restitutione, non mundaberis ab hac tetra nigredine, quam contraxisti damnificando proximum. A.C.1696

Cœtera peccata etiam gravissima contra ipsum DEum, solâ contritione, & confessione delentur; de illis hæc dicit Dominus Isai. 1. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, etsi fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Verùm damna, injuriæ in bonis proximi factæ nullatenus dimitti possunt, nisi compensentur. Ea est bonitas Divina, ut faciliùs suam propriam injuriam, blasphemiam, abnegationem sui, & similia condonet, quàm injuriam homini illatam; idque etiamsi non ascendat ad milliones, seu ad millenos aut centenos florenos. Proponit Busembaum lib. 3. Tr. 5. c. 1. Dubium II. Quæ sit quantitas notabilis in damnificatione proximi sufficiens ad peccatum mortale. Et respondet ex communi Theologorum sensu: Quòd ea quantitas non mathematicè, sed moraliter metienda est, non tantùm ex valore rei ablatæ, sed etiam ex circumstantiis personæ cui infertur; si nimirum ei grave damnum inferatur, aut saltem charitas Christiana lædatur, quomodo respectu valdè divitis, imò Regis unus vel alter aureus notabile quid videtur, respectu verò mediocriter divitum medius imperialis, respectu pauperis florenus. Unde etiam grave peccatum est auferre rem parvam Domino valdè proficuam, v.g. Sartori acum, quam unicam habet, nec habere aliam potest, quâ se alat. Grave item est, si ex jactura rei parvæ Domino secutura sit valdè magna molestia; *hac ibi*, anima quàm es pretiosa exclamat S. Augustinus, tantùm vales, quantùm DEus, qui se ipsum dedit, imò exinanivit pro te; ô quam vili pretio ab homine æstimaris! dum pro uno floreno, imò pro una acu venundaris, propter pugillum hordei ab agricola extorti violabant me, lamentatur ipse apud Ezech: 13. Quia verò hoc in passu varias hostis infernalis obtrudit fraudes, technas, laqueos, quibus miseras animas conatur decipere, & in barathrum pertrahere, ideo eas detegere necessum est.

Quantitas rei ablatæ quanā sufficiens ad peccatum mortale.

Putant aliqui sufficientem fieri damnorum illatorum compensationem, dum aliquas impertiuntur eleemosynas hospitalibus, monasteriis, religiosis dant pro missis, faciunt fundationes pias, ædificant ecclesias, monasteria &c. sed jam pridem DEus T. O. M. detestatus est tales eleemosynas Eccl. 34. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui.* Et S. August: monet: *De justis laboribus eleemosynas, ex eo, quod rectè habes, tribue.* Serm. 35. de Verb. Domini.

Eleemosyna non liberāt à restitutione.

Sed priùs illi ipsi, quem damnificâsti, ante omnia restitue; damnificâsti subditos alicujus, non potest Dominus eorum, aut Administrator, seu Arendator bonorum illorum liberare te à compensatione subditis facienda, quia illa frumenta, jumenta, anseres, Gallinæ, & si

Restitutio faciēda illi qui est damnificatus

A.C.1696 si quid simile subditis eripuisti, sunt subditorum propria non Dominorum; subditis igitur restituenda. Siquidem & ipse Dominus extorquens ab eis aliquid ultra solitos labores & census peccat, & tenetur eis id restituere, quomodo ergo poterit eorum damna aliis donare, aut pro illis satisfactionem sibi usurpare?

Nec ab hoc restituendi opere excusabit distantia & diversitas locorum, in quibus aliquid accepisti. Sicut enim illa distantia non impedierat te, quo minùs illuc discesseris, aut tuos famulos miseris pro accipiendo hoc & illo, ita excusare non potest, quin remittas ad eadem loca hoc & illud. Res enim clamat ubiq; pro Domino suo, ut redeat ad Dominum, qui fuit ante, suum.

Amnestia non tollit obligationem restituendi Plerique in spem amnistiæ generalis dandæ in comitijs peccant, confidendo, quòd illa omnia cooperiet, & tam strictas restituendi obligationes absorbebit. Verùm allegata est constitutio supra, quòd imposterum non sit nexibus danda amnistia; etsi concederetur aliquo casu, pro nulla sit habenda; utpote per minas extorta contra liberæ Reipublicæ voluntatem; coacta enim voluntas, non est voluntas, vel ad summum forsan valeret aliquid in foro externo, sed coram Deo non exonerabit conscientiam militis à præstanda satisfactione damnorum. Siquidem hæc obligatio est juris naturalis, ideóque à nulla humana potestate potest tolli absque reali satisfactione.

Quodsi nullatenus possis reddere huic ipsi, quem damnificâsti; v.g. quia illum non novisti, nescis ubi sit, mortuus est, nec constat de ejus successoribus; tum demum potes & debes idipsum reddere ad pias causas. Nam juxta Theologorum sententiam debita incerta sunt in eleemosynas elargienda; sed ita strictè, ut quod restituere tenebaris damnificato, id totum impendas ad causas pias, non retinendo tibi partem ejus aliquam. Damnificâsti ad centum florenos, non eris tutus in conscientia, si tantùm des Ecclesiæ vel Monasterio florenos 50: ad novissimum quadrantem reddere debes Christo, qui est successor omnium incertorum bonorum; & Christo datur, quod pauperi seu Ecclesiæ datur. Christus autem scit, si vel minimum retinueris alienum esse, nuda enim & aperta sunt omnia coram oculis ejus.

Verùm præter hunc casum impossibilitatis restituendi proprijs Dominis, non es æquè tutus in conscientia, etiamsi decuplo plus elargiaris in eleemosynas seu Ecclesias, quàm olim aliquem damnificasti.

Res alienæ in eleemosynam datæ non possunt acceptari Animadvertere hic deberent nonnulli spirituales, quibus aliquando milites dant res alienas in specie sive animalia sive frumenta ex bonis spiritualium sublata; hæc enim non possunt acceptare tutâ conscientiâ, sed potiùs debent milites monere, ut ea illis, à quibus sunt accepta, restituant. Scrupulosissima hac in parte fuit S. Elisabetha Regina Hungariæ, & Patrona Regni nostri. Nam assidens mensæ mariti sui sæpe nihil manducabat, timens, ne in ea mensa aliquid appositum esset, quod erat à pauperibus injustè acceptum vel extortum Sur. 19. 9bris. Item S. Launomarus Abbas, dum ei Ermoaldus dives largam misisset in pecunia eleemosynam, noluit eam recipere, dicens: unus hic tantùm est florenus justè & licitè acquisitus; reliqua meræ injustitiæ & injuriæ. Baron. Anno 567.

Noluit quondam Rex David bibere aquam allatam sibi de cisterna Bethel à quibusdam audacissimis militibus, effundénsque ac libans Domino illam dixit; Numquid sangvinem istorum hominum bibam? 2 Reg. 23. Existimavit justus Rex illam aquam esse sangvinem, quòd eam sui milites hausissent cum evidenti vitæ periculo à vicino hoste; & ideo noluit eam bibere. Quomodo ergo potiori jure non existimandus est sangvis ille panis vel nummus, quem pauper agricola sangvineo ferè comparat sudore, & quem crudelis miles aufert, ac alteri forsan comedendum præbet.

S. Fran-

S. Franciscus de Paula coram Ferdinando III. Rege Neapolitano fregit Imperialem Talerum ex quo mox sangvis copiosè effluxit, teste Savedrā Symb. 65. Idem accidit pani in quodam apud Aretinos convivio, dum cœpit scindi, & convivis distribui, cœpit sangvis manare. Paul. Oros. l. 3. Histor. Quomodo ergo Religiosi seu quicunq; spirituales accipient quascunq; eleemosynas sibi oblatas, à militibus, quos constat non ex proprio patrimonio, aut stipendio, sed ex rapinis ac sangvineo sudore pauperum, illa offertoria elargiri. Numquid sangvinem pauperum istorum comedetis aut bibetis? *A.C. 1696* *Eleemosinæ militū periculosæ.*

Et tamen hic cruor, hic sangvis multis sacerdotibus sapit, dum eo illecti propter maledictas scilicet illas eleemosynas non dubitant in confessionibus absolvere ejusmodi eleemosynarios iniquos, etiamsi non restituant propriis dominis, quos damnificārunt. Non solvunt illi taliter, nec salvant pœnitentes, sed magis ligant ac damnant illos, & se ipsos.

Clariùs verò rem tanti momenti enucleando, ostendet Ablegatus noster ex omnium Theologorum & Ss. Patrum sententia, quòd existentes in hoc nexu seu confœderatione, præsertim Mareschalcus, & ejus consiliarij, ac denique omnes qui dant, vel recipiunt, assignationes ab bona spiritualia pro consistentijs seu respirijs, qui vigore earum assignationum aliquid ex ijsdem bonis accipiunt, ad Sacramenta confessionis, & Sacræ Communionis admitti non possunt, quamdiu in proposito hujus nexûs & consistentiarum perseverant, ac iniquè extorta non restituunt. Et ratio evidens est, quòd, quicunque in actuali est peccato cum affectu ad illud non est capax horum Sacramentorum. Sed nexus & consistentiæ in bonis spiritualibus sunt peccata, ergo qui in illis perseverat, non est capax eorum Sacramentorum. Major propositio est ferè articulus fidei. Impossibile enim est simul esse amicum Dei per absolutionem, & hostem per adhæsionem peccato; minor verò, quâ nexus & consistentiæ dicuntur esse peccata, manifesta est: quia est contra omnia jura supra allegata, & cum tanta injuria Dei & proximi, ac devastatione totius Regni. Unde sequitur, quòd, dum talis confitetur, & à Sacerdote imperito vel impio absolvitur, à Deo magis condemnatur. Qui enim (ait S. Isidorus) confitentem & à peccatis non desistentem absolvit, sic agit, ac si quis crudum laterem lavet, quantò enim magis lavat, tantò magis lutum facit. Novâ enim maculâ scilicet sacrilegij inquinatur per indignam absolutionem. Sicut enim minimè absolvi potest, qui in concubinatu vivit, nec ab eo vult abstinere, ita longè magis absolvendus non est, qui non vult abstinere à damnificando proximo: graviora enim peccata sunt, quæ committuntur contra charitatem, quàm quæ contra castitatem. Igitur talis confessarius est sacrilegus, & talis pœnitens est quoque sacrilegus, indignè tractantes Sacramentum, ac medicinam in venenum sibi convertentes, & quo se debuerant sanare, eo magis se vulnerant. De talibus Author ipse Sacramentorum Salvator dicit Matth. 7 *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.* Qui porcum absolveret, certè grave sacrilegium committeret, quia porcus non est capax absolutionis, sed etiam perseverans in peccato, seu non restituens aliena non est capax absolutionis; ergo illum absolvens Sacerdos committeret sacrilegium, ac si porcum absolveret. *10. Cōfœderati nō possunt absolvi ab ullo Confessario imò & omnes illi qui cōsistentiis bona spiritualia gravant antequam restituant.* *Cōfessarij absolventes eos grave cōmittunt sacrilegium*

Similiter si Sanctissimum Christi corpus daretur cani; ô quàm nefandum esset crimen! verùm non absimile est hominis illius, qui idem corpus manducat indignè; mortem enim & judicium sibi manducat, & reus efficitur corporis & sangvinis Domini.

*A.C.*1696 Mirum tamen est, quod hæc multi Confessarij ac plures pœnitentes non considerent, vel forte non credant, dum tempore Paschali ac aliarum festivitatum ad hæc Sacramenta audacter confluunt, & audaciùs à Confessariis absolvuntur, & ad sumendum corpus Domini admittuntur. Non potest hic excusare ignorantia, quia jura, quæ adduximus, sunt nimis clara. Credo potiùs, quòd aliqui Confessarij ob metum, ne repulsi ab absolutione vel communione milites ejusmodi, præsertim officiales exacerbentur, & prætensam eam injuriam ulciscantur in bonis Confessarij, seu ejus religionis, aut ne ipsum aliquâ injuriâ, confusionéve afficiant. Verùm hic metus non debet cadere in constantem virum, adeóq; ab absolutione indignis danda minimè excusat. Minabantur tyranni illis Christianis tormenta, vincula, & atrocissimas mortes, ut Christum abnegarent, sed maluerunt omnia illa pati, quàm tantùm crimen in DEum suum committere. Quomodo ergo Confessarius audebit sacrilegâ absolutione vel communione peccare in DEum suum ob metus longè minores & frivolos, & cum Juda tradere Christum in manus ac os peccatorum. Et si quid ab aliquo temerario ex hac occasione pateretur, gaudeat se pati ut Martyr Christi pro asserta veritate, & lege Divina, certus illius beatitudinis Christi, quam promisit iis, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. Animat generosè hos meticulosos S. Chrysostomus dicens, sive quis Dux militiæ sit, sive Præfectus sive Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe: majorem illo potestatem habes; propterea vos DEus hoc insignivit honore, ut talia discernatis, hoc vestra dignitas, hoc securitas, hoc omnis corona.

Non excusat eos ignorantia.

Nec metus.

Alij verò Confessarij inducuntur forsan ad dandam indignis absolutionem, & communionem, pœnitentium oblationibus, eleemosynis, pollicitationibus. Verùm uti fatui sunt, qui magno pretio venena aut funes sibi comparant, quibus se interficiant, vel illaqueant, sic & illi impij, qui ea vendunt. Et quid est indigna absolutio & communio? nisi mortalissimum venenum, laqueus, imò infernus, cur ergo tam carò emitur? cur tam crudeliter venditur? pessimus contractus utrumque lædens, imò occidens. Plurima leguntur feralia hujusmodi exempla. Sed, ut cœtera omittam, unum hic præstat adducere ex Pædag. Christia. p. 2. c. 15. Quidam bonorum alienorum raptor insignis, ijsque rapinis ditatus, cùm confiteretur coram his & illis doctis Sacerdotibus, ac Religiosis, omnes illum obligabant, ut desisteret ab his illicitis modis ditescendi, & ut, quod rapuit, restitueret, ac damna compensaret; cùm verò id recusabat, recusabant & ipsi absolutionem ei impendere. Tandem urgente conscientiâ, & metu, quòd sine absolutione viveret, quæsivit, & invenit unum Religiosum Placentinum, qui eum etiam in eo statu rapiendi, & non restituendi absolvit; lætus ille acsi de thesauro invento, liberali eum remuneratus honorario, ac in posterum pro ordinario confessario eum sibi delegit, & assumpsit, ac identidem eidem confitebatur, ac eâdem facilitate absolvebatur. Proinde præter varia munuscula, sæpius opiparæ mensæ suæ Patrem adhibebat. Accidit tandem, quòd post cœnam largiùs insimul sumptam, dum Religiosus ad Monasterium, dives ille abijsset ad lectum, in quo lethum invenit, improvisa morte ac æterno sopitus lethargo: interim veniunt ad cænobium duo personati Dæmones in specie famulorum illius Domini invitantes Patrem ad eum, quasi periculosè infirmantem. Egreditur Pater quàm primùm currens ad Patronum suum, sed ingrediens forum videt illum deambulantem; cœpit igitur Pater ægreferre, quòd eum famuli decepissent, cùm Dominus bene valeat, sed is accedens ad illum dicit ei lamentabili voce: quòd ego jam sum mortuus, ac damnatus in æternum, ideo, quòd existens tantus raptor, & damnificator alio-

Confessarius & pœnitens damnati.

aliorum, ausus sum percipere Sacramenta absque restitutione & emendatione. Quia verò tu Pater me non monebas, ut desisterem ab illis injurijs compensaremque illatas, quinimò toties quoties me indignè confitentem absolvebas, ideo justo Dei judicio mecum æternas patieris pœnas. Hoc dicto illi duo Dæmones, unus Dominum, alter Confessarium, rapientes, in eo ipso loco terrâ dehiscente ad barathrum descenderunt, quod socius illius Patris videns & semivivus ad Monasterium rediens omnibus narravit terribilia Dei judicia. Paveant, & caveant ij, quorum similis est culpa, ne similis eis eveniat pœna. *A.C.1696*

Putant aliqui pœnitentes se tutos esse quoad hanc restituendi obligationem, dum habent bonam voluntatem præstandi eam; quâ & Confessarij imperiti solent esse contenti, dum illam in confessione promittunt. Interim labuntur menses, & anni, & non fit restitutio, ob cujus defectum injuriatus in extrema forsan reperitur angustia. Sunt isti milites illi picti, qui vibratum tenent gladium quasi percussuri, nunquam tamen feriunt: sic & eorum voluntas illa, picta & ficta; in imagine pertransit homo: *Venerunt filij usq; ad partum, & non est virtus pariendi.* Isai 37. Vel si parturiunt hi montes, nihil unquam nascitur, nisi rudiculus mus, aliena semper rodens, de alieno vivens, alienas fruges consumere natus. *Vult & non vult piger.* Prov. 13. Non enim est hæc voluntas sed tantùm velleitas, qualium plenus est infernus *Talia desideria occidunt pigrum.* Prov. 21. Voluntas bona ea tantùm est, quæ exit in actum, qui si non est, voluntas ejus, non erat: Quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi: *Si enim voluntas prompta est; secundùm id, quod habet, accepta est, non secundùm id, quod non habet;* docet Gentium Doctor 2. Cor. 8. Quamobrem, qui dicunt & non faciunt, promittunt, & non adimplent, qui differunt restitutionem, differenda etiam ipsis est absolutio, donec realiter, & in effectu restituant. Longè salubrior est istis hæc absolutionis dilatio, quàm imprudens præcipitatio, quæ illos ad ima inferni præcipitaret. Sed dicent aliqui perdianimæ, quòd pœnitenti credendum est uti contra, ita & pro se dicenti. Respondetur: ita sanè, dum verè est pœnitens. Sed teste S. Augustino, Irrisor est non pœnitens, qui agit, quod confitetur. Non est ista confessio, sed peccati professio: facilè autem deprehendes non esse illum verè pœnitentem, dum agnosces, quòd in alijs confessionibus semper idem promiserit, & hucusq; non adimpleverit. Nec impotentiam opponat, rarissimè enim hæc excusat juxta superius dicta. Nervosè id refutat S. August. ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus; nolle in culpa est, & non posse prætenditur. Post hæc motiva, & pluribus insimul, & singulis DD confœderatis inculcata, descendat D. ablegatus ad solvendas rationes, & excusationes quibus suum nexum, & consistentias in bonis spiritualibus tueri solent.

Non possunt absolvi promittentes restitutionem, dum eam longo tempore non faciunt.

Solvuntur excusationes confœderatorũ

Pro primo ponere solent fundamento sui nexûs, stipendia per tot annos exercitui non persoluta, ad quæ repetenda nullus alius suppetit modus. Equidem nihil justius, quàm militi sua persolvenda esse stipendia; *nec quies gentium sinè armis, nec arma sinè stipendijs, nec stipendia sinè tributis haberi possunt,* ait Tacit. Hist. l. 4. Si enim justitia exigit, ut cuilibet suus labor, & quodvis servitium compensetur, quomodo illi in omni rigore non est compensandum, qui non solùm laborem & obsequium, sed etiam proprium sangvinem, totum corpus, imò & vitam ad voluntatem & arbitrium alterius impendit, cum resolutione amittendi ea omnia, tolerandi mutilationes & vulnera, captivitatem & vincula, imò omnia tormenta ab hoste infligenda. Ipsæ molestiæ & incommoditates castrenses, quàm sunt duræ & graves, quas graphicè describit Poëta.

Nox

debent luere has pœnas pro culpa sæcularium, qui hæc ſtipendia non pro- *AC.* 1669.
vident, vel non ſolvunt; & nunquam ad ſolvendũ inducentur, aut conſentient, quamdiu videbunt militẽ ex bonis ſpiritualibꝰ ſatisfactionẽ ſibi repetentẽ.

Excuſant etiam pleriq; ſuas háſce in bonis ſpiritualibus exorbitantias, quòd ſtipendium non modò non perſolvitur punctualiter, ſed etiam valde modicum eſt ac inſufficiens tot expenſis, tot equis, tot famulis, tot curribus. Sed facilis eſt reſponſio *imo* ſi ſtipendium non placet, vel non ſolvitur, quare hoc ſervitium militare ſequeris, & continuas, quis te cogit, certè non amor ac defenſio Patriæ, cui per hos nexus & conſiſtentias magis noces, quàm quivis hoſtis. Tunc milites erant Patriæ defenſores cùm in limitibus excubabant æſtate & hyeme. Tunc libebat frequentibus eos recreare ſtipendijs; quia Reſpublica eorum præſidio quieti vacans plura habuit media pecuniæ conquirendæ, ac in milites erogandæ. Nunc verò in viſcera Regni redeuntes, & ea continuò rodentes, boves, equos, ac alia jumenta colonis abripientes, vias quandoque aquâ & terrâ infeſtas reddentes non concedunt ſpatium, & agriculturæ, & mercimonijs, navigationibus ritè operam dandi, unde ergo ſpes & modus nervi?

Nunc plerumque non eſt militia ſed malitia, ut merito S. Bernardus queratur, & quærat, quis finis? quis fructus hujus non dico militiæ, ſed malitiæ? pro quonam eis ſolvere ſtipendia? niſi quia Patriam funditus everterunt, quam defendere debuerunt. De quo ſolvere? cùm omnia media ſolutionis conſumpſerunt & corruperunt. 1 Reg 13 dicitur: *Egreſſi ſunt ad præliandum de caſtris Philiſtinorum tres cunei,* alia verſio legit *ad prædandum* Interpret 70 *ad corrumpendum,* quaſi idem ſit præliari ac prædari & corrumpere. Non damno ſtatum militarem, ſed vitia. Multi milites Sancti fuere. Laudat S. Lucas Act. 10 Centurionem, quòd erat Religioſus ac timens Deum cum omni domo ſua largiens eleemoſynas multas plebi & deprecans Deum ſemper. Subſcribit eidem S. Hieronymus. Nihil nocuit militanti paludamentum, & baltheus, & apparatorum caterva. Cùm ad S. Ioannem Baptiſtam recurriſſent milites quærendo viam ſalutis, quid faciemus & nos? non juſſit eos abijcere cingulum, deſerere militiam ſed ait; *neminem concutiatis, nec calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris* Luc. 3. Verùm qui hanc regulam ſequi, hos articulos obſervare recuſat; exeſto caſtris, fuge militiâ, fuge littus avarum non expectans tubæ ſonum, ſufficiat tibi vox clamantis conſcientiæ tuæ. Imò quot balatus ovium, mugitus boum, hinnitus equorum à te injuſtè ablatorum, tot ſunt tubæ, quæ te exturbant exercitu; cui pondus es, non ſubſidium. Propter tuas enim rapinas & injuſtitias, venit non raro in totum exercitum tempeſtas illa grandis, illa clades, contagio, lues, illa damna, ut olim propter illum Achan: Tales ſervi ſunt, ſervi nequam mittendi in tenebras exteriores, talium ſtipendium eſt mors Rom. 6. Vtinam tales abſcindantur, qui vos conturbant ait Apoſtolus Gal. 5. cùm Gedeon pugnaturus contra Madianitas magnũ collegiſſet exercitũ, dixit ei Deus; multus eſt tecum populus non vinces; idcirco remiſſis ad domos ſuas cœteris delegit trecentos viros, cum quibus hoſtem debellavit. Iud: 7. O quàm longè beatior eſſet Reſp. ſi pauciores ſed meliores haberet milites; nunc pauciſſimi ad præliandũ, plurimi ad prædandũ, unꝰ ibit ad præliũ & decem eius famuli, lixæ, calones ad alienũ prædiũ. O numerꝰ non viri! meliꝰ eſſet, ut domi remaneretis, & in ſudore vultûs veſtri veſceremini pane veſtro cum bona conſcientia & benedictione divina; quia *dum labores manuũ tuarũ manducabis beatꝰ es & bene tibi erit* Pſal. 12 Econtra *contritio & infelicitas in vijs eorum, qui operantur iniquitatem, & devorant plebẽ, ſicut eſcã panis* Pſalm. 13

Qui nolunt obſervare diſciplinam militarem, non militent.

2do. Non tenuitas ſtipendiorũ milites facit egentes, & miſeros, ſed immoderatio in omnibꝰ & luxus; hic eſt barathrũ ſẽper clamãs, affer affer, hic eſt

A.C.1656 sacculus pertusus nunquã implendus; hic luxus Martes transfigurat in Bacchos & Veneres, aquilas in noctuas aut pavones, seu accipitres, armatos in cõptos, milites in aulicos, hereos in helluones, castrenses in Cretenses ventres pigros, Polonos in Sybaritas. Huic nulla stipendia, nulla hiberna, nulla satis sunt æraria, imò satis est nihil. Hic est inventor & Author omniũ extorsionũ, rapinarũ, angariarũ, neglectus assignationũ Ducũ, contemptus legũ, violationis articulorũ militariũ; imò hic facit eos cudere sibi novas leges in consistentijs aut respirijs accipiendi quod volunt, & valent. Hic instigat eos contra patriã, contra patrimonium Christi Argutè id exponit & expungit Petrus Blesen: hodie militaris disciplina prorsus evanuit, & se in quandã delinquendi libertatem, & scurrilitatis speciẽ deformavit. Olim enim se juramenti vinculo milites obligabant, quòd starent pro Reip. statu, quòd in acie non fugerent, & quòd vitæ propriæ utilitatẽ publicã præhaberent: sed & hodie tyrones enses suos recipiunt de altari, ut profiteantur se filios Ecclesiæ, atque ad honorẽ Sacerdotij, ad tuitionẽ pauperũ, ad vindictã malefactorũ, & patriæ liberationẽ se gladiũ accepisse. Porrò in contrarium res versa est. Nam ex quo hodie militari cingulo decorãtur, statim insurgunt in servos Domini, & desæviunt in patrimoniũ crucifixi, & miserabiliter, atque immisericorditer affligunt miseros, ut in doloribus alienis illicitos appetitus, & extraordinarias impleant voluptates. Qui contra inimicos crucis vires suas exerere debuerant, in potibus & ebrietatibus pugnant, vacant otio, marcent crapulâ, vitãq; degenerem in immunditijs transigentes nomen & officium militiæ dehonestant ep. 94.

Luxus facit milites egentes & rapientes.

Vidimus sæpè in consistentijs non suffecisse caupones advehendo in usum imò abusum militũ ex majoribus civitatibus vino, quo non solùm ipsi Domini se invicem tractabant, & ingurgitabant, sed etiã in hidrjis majoribus per plateas aurigis & plebi propinabânt. Mensas verò ita instruebant, ut quotidie nuptiæ esse viderentur. Dicitur quidã officialis centum perdices singulis aureis emptas pro uno convivio apposuisse, alius loco panis communis, solos Marcipanes etiam famulitio dedisse fertur. Proh Deum! quænam stipendia his excessibus sufficient? cùm certum sit à nonnullis militibus pro uno epulo totum unius anni stipendium etiã hibernũ expensũ fuisse, nec suffecisse; & cùm nulla alia media acquirendæ pecuniæ, nullum, aut tenue patrimoniũ habuissent, non nisi ad rapinas & modos illicitos se convertisse. Ita de Caligula Cæsare Svetonius testatur. Exhaustus atq; egens ad rapinas convertit animum.

Luxus in mensis.

Exultant, & plaudunt milites in suis commessationibus, & compotationibus sed pauperes coloni, miseri spirituales ejulant, & plangunt apud S. Bernardum exprobrantes eis: Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod vos inaniter expenditis. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias, nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit voluptatibus seu vanitatibus vestris. Ep. 42.

Non enim solùm luxus militũ apparet in mensis, sed etiam in ornamentis. Pudet jam milites gestare vestes ex alio panno, quàm Gallico & Hispanico, vel calceos non Turcicos. Passim contendit unusquisq; per æmulationem meliora, & pretiosiora aliis habere vestimenta, holoserica diversa, pelles zebelinas, pantherinas ephippia, phaleras, fræna argento, & auro intexta & ornata.

Luxus in ornamẽtis.

Præclarus hoc in puncto circumfertur discursus Petri Firlei Palatini Sandomiriensis Directoris exercitûs ante bellum Sveticum, qui, cùm ad mensam suam plures haberet Colonellos, Tribunos, Optiones, ac alios milites vertens se ad suum Capellanum, dixit; Vides Pater hos Dominos tam pretiosè ornatos tanquam sponsos; unde putes ipsis has vestes nuptiales; an ex patrimoniis ac villis eorum? sed scias, quòd pauci sunt, qui aliquam habeant villam, & nemo his sumptibus sufficientem. Ex lacrymis & sangvine pauperum Colonorum sic se isti exornaverunt. Credas mihi, quòd si Angelus DEi comprimeret has pantheras, aut zebellinas, seu hæc holoserica, has purpuras, dubio procul, quòd

quòd sangvis & lacrymæ hominum injuriatorum effluerent. Ego, inquit, inij militiam cum ineunte ætate, & tam pretiosas vestes non habui, quamvis in Senatoria domo sim genitus, & ampliora possederim bona, quàm hi omnes. Libentiùs ergo viderem eos in arietina, lupina, vel ad summum vulpina pelle, in panno ordinario, sed in lorica vel thorace ferreo cum framea nitida & acri, sive cum hasta vel lancea ac bombarda, sclopeto bono, equo generoso absq; his phaleris, quàm cum hoc argento & auro, in hac splendida bysso & purpura absq; competentibus armis & telis: hæc sunt militum ornamenta, illa verò dehonestamenta. Verùm nunc, qui habet loricam, vendit, ut habeat tunicam holosericam; unusquisq; mavult ornari, quàm armari. Hussarorum solùm jam nomen extat, gravis illorum armatura, hoc tantùm significat, quòd maximis gravet populum extorsionibus, non visuntur eorum hastæ, cassides raræ, thoraces illi chalybei totum tegentes virum ferè nulli. Et tamen hæc cataphracta militia unicum exercitûs nostri decus & robur fuit; hæc subegit tot Provincias, limites regni ampliavit. Non solâ scilicet animi fortitudine, sed maximè hoc genere terribilis armaturæ. Hac arte, non solùm Marte & Romani olim facti sunt orbis Domitores & Domini. Hoc eorum Historicus fatetur, Tacit. ann. l. 2. describens Germanici cum Germanis pugnam. Nec minor, inquit, Germanis animus, sed genere pugnæ & armorum, superabantur à nostris, quibus scutum pectori appressum, & insidens capulo manus, quæ latos barbarum artus, & nuda ora foderent. Impossibile sanè est vel inutile nudum exponere pectus: de pectore non tecto animus perit, vel si est, perdit animosum. Qui sinè armatura est, ad fugam potiùs, quàm ad pugnam creditur esse paratior. Vilipendimus cohortes dictas leves, vocitamus eos Valachos: & tamen omnes facimus nos tales Valachos & leves, dum illam gravem abjicimus armaturam.

A.C.1696.

Hussarorũ solùm nomen extat sine armatura.

Verùm, quænam hæc censura? Ecce nostri Hussari Leopardis micantes, videntur esse tot Herculesii exuviis leonis induti. Ita quidem istud adhuc ipsi retinent insigne, quod ab uno olim industrio Duce erat inventũ ob terrorem hostibꝰ incutiendum re invisâ: quod forsan semel duntaxat valuit, nunc verò diuturno visu & usu hoc stratagema viluit. Unde mirũ est, quòd Duces has Leopardorum pelles nullius usûs & ingentis pretij non tollant, & pristinam armaturam non revocent, quæ minori pretio constat, quàm isti leopardi. O quot hæ immanes belluæ devorârunt boves & equos! quot spoliârunt, imò excoriârunt oppida & villas. Volens olim Cæsar exhibere se Romanis tanquam Herculem, exuvias leonis indutus movit populo risum. Sed nostri, his leopardis induti cient nobis lacrymas: quæ tamen non essent tam amaræ, si ea, quæ à nobis contribuuntur, vel extorquentur saltem pro comparanda debita armatura, non pro hoc lusu & luxu impenderentur. O si rediret prisca militiæ nostræ frugalitas, vestium incultus, armorumve cura! rediret profectò & prisca Regni felicitas. O si observarentur præclari circa hoc articuli militares, & constitutiones comitiales, quibus inter alia seriò inhibetur, ne miles aliquid argenti vel auri pro ornatu suo vel equi adhibeat.

Ita olĩ Sparthacꝰ bello Romanos petiturꝰ omnẽ auri & argenti usũ militibus interdixit. Et niger Pescennius Rom. Dux milites in vasis ligneis vesci jussit. Fabriciꝰ verò censor solis Ducibꝰ pateram & salinũ ex argento ægrè concessit. Julianꝰ apud Marcellinũ conqueritur, quòd per Constantij Prædecessoris sui dissolutionẽ armatis non sit saxũ cubile, sed pluma & graviora gladijs haberent pocula. Vladislaꝰ Jagello Rex noster tot clarꝰ victorijs, non alias nisi agninas gestare solebat pelles, & pro potu aquã solã adhibere. Id etiã olim lege Carthaginensiũ cautum fuisse scribit Plato, ut nemo militũ in castris gustare vinũ auderet, sed solã aquam. Quocirca, dum à Pescennio nigro milites in Ægypto vinũ poscerent, dixit eis cum stomacho: o infelices! Nilum habetis, & vinũ quæritis. Idem pistores vetuit sequi exercitum, siccum panẽ militi sufficere dictitans.

Exẽpla frugalitatis militaris.

A.C. 1696 sic ferme omnes Imperatores & Duces bellicosi, & alijs præcipiebant, & ipsimet faciebant. Pro omnibus libet unũ Carinum Romanorũ Ducẽ adducere, de quo Synesius his ferè verbis: cùm Carin9 in Armeniã duxisset exercitũ: priusquã adoriretur Regionem hostilẽ, cibi eum capiendi cupiditas incessisse dicitur. Advenisse tũ tradunt legatos hostiũ, & contra, quàm ipsi arbitrarentur incidisse eos primũ in ipsum Imperatorẽ epulantem simpliciter, nec doryphoris ullis stipatũ, nec ullo satellitio succinctũ. Illorũ enim Principũ simplex erat habitus qui non ornatu sed animose esse Imperatores declarabant; & à multitudine quidẽ bonis differebant interiorib9, exterio verò similitudinem cum gregarijs præseferebant. Carin9 igitur puniceâ tunicâ indut9 super gramine accumbebat, dapes erant pulmentũ futile pisi ac ciceris, inq; hoc frusta salsamenti carnis suillæ, vetustatis valde conscij. Imperatorẽ autẽ legatos conspicatũ neque exilijsse, neq; commutâsse quidquam ferunt, accersitisq; illis dixisse ita, ut assiderat, scire se, quòd se convenire vellent, Carinũ videlicet. Nuntiarent itaque adolescenti Regi suo, ni frugi esse vellet, expectandũ ipsi, ut propè diẽ aspiceret cuncta nemora, cunctosq; campos unâ nocte leviores factos, quàm esset Carini caput; interq; hæc verba craniũ, detracto pileo, spectandũ exhibuisse, in quo nihilò plus pilorũ esset, quàm in galea apposita. Quod si esurirent, consedere ipsos, ut unà secum manũ in ollam injicerent; sin hoc ipsis opus non esset, jubere se, eo ut momento discederent, atq; extra Romanũ vallũ se reciperent, cùm jam perfuncti essent legatione. Atq; his relatis ad multitudinẽ hostium, & ductorẽ ipsũ, horrorẽ & formidinẽ invasisse universos accepimus. Nẽpe dimicandũ esse cũ talibus, quorum Imperator is esset, qui non vereretur appositâ ollâ legumentorũ convivas invitare, ut secum pranderent. Et territum illũ gloriosum, superbumq; Regẽ cum tiara & acinace & ornatu Persico advenisse, tum ajunt, paratum facere omnia, quæ calvus ille, cum pileo vilis lanæ tunicâ amictus imperâsset. Ita fortissima Persarum natio postquã luxu diffluxit, delicijsq; facta est enervis, priscâ majorum gloriâ degeneravit. At, cum Persæ pane tantum, nasturtioq; vescebantur, & nares emungere, aut spuere turpe existimabant, ut qui assiduâ corporis exercitatione excrementa ea decoquenda, aut sudore ejicienda putarent, quemadmodũ Xenophon scriptum reliquit, reliquis Asiæ populis terrori erant. Prudenterq; Sandanis apud Herodotũ deterruit Cræsum ab expeditione, quam tunc in Persas moliebatur his propemodũ verbis: adversus tales viros bellum suscipis, qui coriacea subligacula, qui è corio reliquã vestẽ ferunt, qui, non quib9 volunt cibis vescuntur, sed quos habent, utpote Regionẽ asperã incolentes. Ad hæc potu non vini utuntur, sed aquæ, nõ ficos ad cõedendũ, nec aliud quidquã boni habentes; quib9, cum nihil sit, quod eripias, si viceris, multum tamen habes, quod amittas, si victus fueris.

Nec minùs providè Coes Mitylenio Darium monuit, caveret eã gentẽ prælio lacessere, in cujus terra null9 ager araretur, nullæ urbes colerentur: pergebat enĩ in Scythiã eos homines, ut putabat, subactur9, qui curr9 pro domibus haberent, & venatu ferarũ lacteq; victitarent. Quemadmodũ & Alexandrum Macedonẽ Scytharũ legati à suscepto advers9 eã gentẽ bello dehortantes, cum silvis, inquiunt, & nivib9 & fluminib9 ferisq; bestijs pugnabis, nã paupertas nostra velocior erit, quàm exercit9 tu9, qui prædã tot nationum vehit. Quod perpendens secum Alexander, & considerans grave spolijs apparatuq; luxuriæ sui exercitûs agmen, ut vix moveretur, suas primũ, deinde toti9 exercit9 sarcinas, exceptis admodum necessarijs conferri jussit in medium, suisq; primũ face subductâ, cæteras incendi præcepit. Flagrabant exurentib9 dominis, quæ ut intacta ex urbib9 hostiũ raperent, sæpè flãmas restinxerant, nullo sangvinis pretiũ audente deflere, cùm Regias opes idẽ ignis exureret. Brevis deinde oratio mitigavit dolorẽ habilesq; militiæ, & ad omnia parati lætabantur, sarcinarum poti9, quàm disciplinæ fecisse jacturã, quâ servatâ longè plura postea acquisivere. Ergo non stipendiorũ tenuitas, aut retentio est causa nexûs, vel tanta-

rum

rũ extorsionũ in consistentijs, sed luxus, hic tollendꝰ, moderatio tenenda; tunc stipẽdia ac hiberna à Repub. à Ducibꝰ juxta tariffas ordinata sufficiẽt; ut asseverat Cassiodorꝰ; qui rationabiliter disponit propria, nõ appetit aliena. Tollitur enĩ Prĩcipibꝰ ac militibꝰ necessitas excedẽdi, quoties assveverit propria moderari. *A. C. 1696*

Aliud DD. milites prætendunt motivum emungendi bona spiritualium, nimirum, quòd ipsi non habeant uxores, liberos, adeoq; non videntur indigere tot reditibus, ut ex eis milites participare non possint. O frivolam rationem! multi DD. sæculares sunt cælibes vel vidui, absq; uxore & liberis, ergõne hoc titulo licet militi bona eorum emungere? Ecclesiæ nunquid non sunt sacerdotum sponsæ? nunquid non indigent ornatu, conservatione, variâ suppellectili, & quidem non vili, cerâ, vino, tot ministris? pauperes nunquid non sunt eorum liberi, quos alere debent? Imò quis est sacerdotis frater, soror, nepos, neptis, cui aliquid Sacerdos non elargiatur? quin imò non unus propter carnem & sangvinem se exinanit, & usq; ad excessum, totã suã substantiã ac reditꝰ in educandos nepotes elocãdas neptes, recreandos fratres impendit dũq; alios calefacit, ipsemet alget. *Nec est ratio emungendi bona spiritualiũ quod ipsi non habeant uxores aut liberos.*

Sed dicetur, quod etiam reperiuntur nonnulli, qui nec Ecclesiis, nec pauperibus, nec consangvineis quidquam tribuunt, sed tantùm pecuniam corradunt, & conservant. Hos ego non defendo, sed eorum villas & subditos, qui non sunt eorum culpæ socij, cur ergo, cùm delirant heri plecti debeant servi? Verùm & illa pecunia, quam avari quidam congregant sacerdotes, cujus erit? nunquid morituri de illa quidquam secum accipient? Offa ista est consangvineorum. Parcior nostro sæculo esse videbatur in vivis Stephanus Wyzga Archiep: Gnes. Quis verò eodem vitâ functo liberalior? dispersit, dedit pauperibus, Ecclesiis, sed maximè consangvineis milliones. Igitur ob hanc ipsam rationem, ob proprium emolumentum DD. milites deberent bona spiritualium magis tueri & conservare.

Non erubescunt aliqui consuetudinem pro se allegare, quasi hæc det ipsis jus grassandi in bona spiritualia, sed, quam iniqvus sit hic prætextus, cuivis est manifestum. Nam juxta Theologorum omnium sententiam nulla consuetudo, etiamsi sit immemorialis ullo modo contra immunitatem Ecclesiasticam prævalere potest. Suar. Def. l. 4. Et ratio est, quia juxta omnia jura consuetudo mala, est potiùs corruptela. Consuetudines malæ non firmantur tempore; consuetudo irrationabilis non facit legem. Præterea, si quæ pessimæ in hoc fuerunt consuetudines, jam sublatæ sunt per concessum à spiritualibus subsidium charitativum ratione hibernorum eâ conditione, ut bona eorum sint omnino libera ab omnibus consistentiis & stationibus, uti supra explicatum est, ac recentissimâ constitutione comitiali stabilitum. Post quam latam semel tantùm exercitui, quòd esset in Valachia, Niemecensi expeditione nimis afflictus, equis, & omni apparatu militari orbatus, concessa est in visceribus regni & in bonis spiritualibus consistentia hyemalis; sed cum eo rigore, ut nihil amplius ex iis bonis acciperent, præter solam hibernam laudatã ac concessam. Nunc verò primùm DD. confœderati hoc nexu dant initium huic consuetudini, dum & consistentias sibi usurpant, & in eis sinè respectu & proportione ulla ad hibernæ tariffam constituere non verentur, in singulos cohortis equos certam summam plures hibernas longè excedentem. Hoc est sequentibus annis lampada tradere, hoc est scandalum pusillis præbere. Hos S. Greg: non dubitat morte, imò mortibus condemnare, dicens: Tot mortibus digni sunt, quot aliis de se pravitatis exempla dedêre; & fortius ipse summus Judex: *Væ mundo à scandalis. Qui enim scandalizaverit unum ex his minimis, expedit ei, ut suspendatur collo ejus mola asinaria, & demergatur in profundum maris.* Matt: 18. Sed filii Adæ etiam in hoc suas excusant excusationes in peccatis, dum dicunt, totum illud, quidquid accipiunt supra tariffam hibernæ computabimus in stipendia quartualia. Speciosa verba, sed re inania, dic mihi quando, & quomodo hæc fiet computatio, & interim patitur justus iniq; spoliatus. Si in tribunali Radomiensi? quanta ibi *Nec consvetudo potest allegari cõtra bona spiritualia.* *Nec excusat, quod velint damna spiritualibus illata compensare in stipendia.*

 erit

A.C.1696 erit difficultas in faciendo recto calculo, quàm multi sunt injuriatorum, qui non habent modū illuc adeundi. Plerumq; Domini oppidorū, & villarū prosequuntur ibi causas suorum subditorū & quod vindicant, sibi retinere solēt, per quod conscientia injuriantiū nō sit libera, dū nō restituitur illi ipsi, cui facta est injuria.

Deniq, quod summa rei est, illa calculatio injuriarū & stipendiorū finitur ordinarie cōplanatione; dū exercitꝰ recedit à prætensione stipendiorū totiꝰ Reip. pro aliquot annis, & Tribunal condonat ipsi omnes injurias, & dāna quibuscunque causata. O quanta hic injustitia! quanta injuria spiritualibꝰ! omniū nobilium bona contribuere tenentur ad solvenda stipendia; nulla ipsis illata sunt à militibꝰ dāna; & tamē nobiles liberantur pariter à solvendis stipendijs per aliena dāna; sicq; sola spiritualia ac Regalia bona & hibernā, & stipendia solvunt: In quo, cùm sūma inferatur ipsis injuria, ejꝰ causa sūt, qui in consistētijs supra tariffā hibernæ aliquid extorquent, adeoque rei gehennæ erunt, quamdiu id injuriatis non restituent.

Tandē, si D. Ablegatꝰ adverterit his omnibꝰ adductis minimè moveri nexū, ostendat eis gladiū spiritualē, quē nō frustra portat Ecclesia, cujꝰ sponsꝰ Christꝰ potens est destruere omnē potentiā extollentē se adversꝰ eū. Declaretq; illis pro ultimo quòd si hunc nexū non dissolverint, & à consistentijs in bonis spiritualibꝰ tā damnosis non abstinuerint, vel ablata non restituerint omnes Episcopi in suis Diœcesibꝰ interdicent omnibꝰ Sacerdotibꝰ & Religiosis ne excipiant eorū confessiones, neve eos absolvant. Quodsi nec posthac se correxerint, eos excōmunicabunt, vel potiꝰ jā innodatos, excommunicatione Papali Bullæ cœnæ Domini per omnes Ecclesias declarabunt, missas eorū eis celebrari, Sacramenta eis administrari, mortuos sepeliri, imò omnem conversationem cum illis inhibebunt. Denique etiā Ecclesias omnes claudent, & Divinis interdicent. Psalmosq; 78vum & 108vum contra eos quotidie decantari mādabunt, ut olim Episcopi Galliæ.

Ultimū remediū spiritualiā cōtra opprimētes bona spiritualia.

Nō dubium est, quòd si ipsis aliqua inest fidei Christianæ scintilla, expergiscentur, evigilabunt ad hæc fulmina. Imò, si Deū nō timerent, homines reverebuntur. Omnis enī populꝰ consurgeret contra eos, tanta eorū causā patiendo devotionis dispendia. Dum ob cædē D. Stanislai toti Regno esset à divinis interdictum nō potuit Rex Boleslaꝰ hanc pœnā suî causā inflictā tolerare, abjecit coronā, excessit è Regno nemine propellente, & vel à canibꝰ suis dilaniatꝰ interijt vel in monasterio quodam Styriæ pœnitens delituit.

Poterit D. Ablegatꝰ & alios similes excōmunicationis & interdicti explicare illis effectꝰ, quos nō solùm homines, sed & irrationalia animalia senserunt. Revocet etiā ipsis in mentē recens, imò præsens exemplū in Lithvania, ubi Episcopꝰ Vilnensis tanquā zelotes fortis insurrexit cum hoc gladio contra ipsū Ducē tanti nominis, impugnans similes consistentias & hibernas, tandē, post atrox armis spiritualibꝰ bellum feliciter de ipso ac toto exercitu triumphavit, bona omnia spiritualia liberavit, non solùm à consistentijs, sed ab omnibꝰ hibernis, ac stationibꝰ ita, ut bona spiritualia æquali omnino cum nobilū bonis gaudeant libertate. Plures in Polonia sunt Episcopi, plures habent pro se leges, plura poterunt, dum affligentes se affligere incipient, ne abutantur milites illorum patientiâ, ut nimiùm læsa non vertatur &c.

CARDINALI BARBARINO 20. Decem.

Sensum suum & aliorum de Candidatis explicat.

CUm summa ut soleo & consolatione & veneratione literas tuas accepi, legi & mirabilem affectum tuum in me, solicitudinem pro Patria mea inveni.

Convenio libenter in eo tecum Princeps Eminentissime, confingendis causis, & falsis opinionibus componendis, nullum ante tempus fuisse fertilius, multum enim plurimi in hoc desudant; tanquam insignis inde glo-

gloria surgat, & mansurũ sine fine decꝰ ut quis turbet publicũ misceatq; omnia, & velut ex uno equo in alium se trajiciat, proponendo sub melle venenũ innocenti populo, multa dicendo, scribendoq;, quæ falsa, quæ nullo nituntur fundamento & cũ diserti quibusdã videntur, loquaces sunt, dicenda ne an tacenda? passim loqvuntur, scribuntq; ad vana delapsi, falso vera, aut majora vero miscẽt sæpe eruditè, interdũ tamen vanè, sed ut ego judico, semper indecorè. Quorũ causã si videres, vel modũ, esset in quibꝰ rideres, esset in quibꝰ indignareris. Nõ facilis enĩ venia prava dixisse de rectis, sunt pleriq; tã lyncæi, ut ea quoq; in tenebris videant, quæ nusquã apparent, cũ interea tãtæ dignitates tantã nõ patiantur indignitatẽ & quod pejꝰ est, id sibi nõ culpæ sed politiæ tribuunt, dumq; putãt, se svaviter vivere, delirant, dũ conturbant domũ suã, possidebunt ventos. *A.C. 1696*

Interea tamen alij, reducti à fluctibꝰ terrã legunt, unico in his turbis solatio, & levamento. Cedo & ego tempestati cui resisti nequit. In sincero domꝰ Regiæ obsequio suppleo votis, quod nequeo factis. Timeo tamen ad mensuram eorũ quæ agit, ne infausta rũpant vela Noti, & ne inani spes tumidæ crepent vento. Discordia enĩ domestica sæpius recrudescit, omnia pessundat, & vota studiaq; amicorũ impedit. Ut Deus teste Augustino creare nos sine nobis, salvare nos nõ potest sine nobis sic difficile ipsis nolentibꝰ succurrere. Quæstionẽ futuræ electionis quod concernit, nõ multũ à veritate abludit, quod literæ tuæ continent, nec semper vana rumore populi jactantur quamvis serio indigeant scrutinio. *Malum omen pro Regia domo.*

Varij quidẽ nominantur sed quos cuivis privatũ nõ publicũ suggerit emolumentũ. Frustra hic prætenditur; ex multis optimũ posse eligi, rarò talis invenitur, dũ quivis affectꝰ sui vult habere candidatũ. Nõ tolerandi forent aliqui, si pari potestate ac impetu pollerent. Quia verò non meũ tantum, sed & aliorũ à me requiris sensum facio id eò libentius, quo justius exigere poteras. *Plurimorũ promotio ad Regnũ.*

Scio tibi notũ esse Remp. nostrã ita ab origine in omni jure fundatã ut totum in se cõprehendat quidquid perfecti in alijs per orbẽ dispersis, leges & statuta cõtinent. Notũ tibi itidẽ, nostrã ex tribꝰ statibꝰ cõponi; Regio, senatorio & equestri Regius ordo complectitur in se authoritatẽ, gratiã distributivã; finalis decisio omniũ publicorum negotiorũ, statutorũ, constitutionum, bene placitorum, nõ nisi à tota Repub: hoc est à tribꝰ ordinibus insimul junctis habetur, ita bene agendi omnibꝰ aut incussa voluntas, aut imposita necessitas. *Tres status in Polonia eorumq; officia.*

Senatorꝰ est intermedius ordo inter Regẽ & ordinem Equestrem. Quidquid nocivi sciverit præcustodire, & se opponere ex vi præstiti juramenti tenetur. Ita Regi observantiã jurat, uti Reip. fidelitatẽ; sunt hæc inseparabilia, nec dividi unquã possunt. Nunquã ita amandꝰ Rex, ut Rempub. negligas, nunquam ita curanda Respublica, ut Regem deseras.

Equestris ordo condit jura legesq;, sed ea approbari debent à duobus superioribus ordinibus, ita ut vocari possit totus in toto, & totus in qualibet parte. Nuntij terrestres condunt quidem leges, & sunt quasi fons & origo illarum; sed tamen nec volumini legum sine approbatione duorum ordinum inferuntur, nec executioni mandantur. Maximum fundamentum Reip: nostræ consistit in ordine Senatorio & equestri, Senatores ad mediandum, ut in intermedio ordine positi, Equestris ordo ad concludendum salvo beneplacito & consensu duorum quoq; ordinum.

Ordo verò regius, quia quasi tantum in se solam comprehendit authoritatẽ Reip, & id unicè curare debet, ne misceat Remp: insinuando difficiliores ad digerendum materias, & ne causet motus Patriæ. Similis debet esse in regendo pacificæ apum Matri, sine ulla læsione legum, jurium Reip, & ministrorum, facere omnibus bene, nemini malè, neminem etiam pro crimine captivando nisi jure victum, quod solennissimè promittit quisq; Regũ cum corporali juramento, & hæc est lex cardinalissima, ut & illa alia, quod bellum indicere & inchoare inscia & inconsulta Rep: nullatenus debeat.

Cum ergo Rex nobis propter conservandam authoritatem Reip: sit necessarius

A.C. 1696 rig'onis cura eò dirigêda est, ut talis eligatur, qui sit executor legū nō earū violator. Hoc posito

Nō eligendus vicinus. Nō videtur prudētioribꝰ vicinꝰ eligendꝰ eò quòd, qui longe abest, non habeat ullā nobiscum cōmunicationē, nec cū viciniorībꝰ nostris cōfœderātā ac proinde nobis nō possit esse formidabilis

Eligendus bellicosꝰ opulentus & virtuosus. Optatur ut candidatꝰ bellicos habeat spiritꝰ, & ad bellū gerēdū opportunas ac sufficientes opes, ut ex tātis oneribꝰ relevet Remp. & avulsa recuperet. Divitiæ tamen & si affluāt, videndum est, ut in comitatu sint virtutes.

Si periculosas alij putent divitias, utpote quibus libertas subjugari & opprimi possit; reponendum ijs, pecunias à Polonis acceptari, rarò tamen dari effectui, quod ab accipientibus promittitur. Acceptæ à longè distante Principe nonnihil nos conturbare possunt, non tamen ita attrahere, ut libertas iis venundetur, si ab iis ipsis prohibeatur, qui subjugatis nobis nociturum se sibi non citra rationem credant? Quæ igitur ratio longè dissitum nobis faciet formidabilē? Quinimo cum viderit vi se nihil effecturū, beneficijs nos sibi devinciet, & sic suave ac florentissimū erit regnum, quod exasperabit violentia. Major est metus qui occultari nequit.

An Regina affectet thronum prosequi. Non cogitare Reginā de regno quis affirmet? ut perpetuò dominetur, desiderare eandē, quis asserere, aut refellere queat? Nihil domesticum magis esse potest, quàm sua cuiq; conscientia, nec color quem primæ lanæ biberunt, facilè amitti potest, nec mores quibus imbuti sunt anni recentes. Nulla solet esse Regno dejecti quies. Optimi utiq; maxima concupiscunt. Verissima ergo dicunt, & usu probata, ac probanda, non eam esse omnino à desiderio regnandi alienam nec vellet forsan audire illud, aspice felicem sibi, non tibi Romule Syllam. Quamvis aliqui accusant eandem inconstantiæ memorantq; in decretis & sensibus Euripo similē septies in diē mutari solito. Libenter viderent multi, si iret pleno gradu fama ejus ad posteros & laudem perpetuā calcatæ felicitatis relinqueret, siq; in tuto emineret honorata contempti honoris modestia, ut fortunam in sua potestate teneret, ne speciosum illud malū insolesceret, néve animū monstraret ambitione infectum. Nónne melius esset totam in curam animæ, in lucra virtutum effundi, & in umbris sepeliri, quàm populis iterum velle jura dare, attolli solio, rubere in publica purpura Regali, in sole vivere ut ex actionibus evidenter apparet cùm fucum non ferat, purpura est, lux est, tenebras nescit, umbras respuit, cælestis naturæ est.

An pro Genero? Ego tamen crederem, quòd libentiùs generum suum, quem non dignitas magis, quam virtus illustrat, & ego viribus auderem majora si laudare niterer coram te omnibus majorem laudibus, quia omnibus dignissimum, quamvis si illum laudarem, laudem de laude mererer, & fruerer majori bono; libentius inquam generum suum in solio videret, quamvis & id ut lætā apud plerosq; ita apud quosdam sinistrā laborat famā Ita homines plerumq; magis specie & colore rerum quam rebus ipsis permoventur, nec vellent multi ut per filiam dominetur, quæ eandem supra maritum potestatem habet, quam supra utrumq; habitura est mater. Reges regno dantur non regna Regibus, sunt quædam quæ culpentur, attamen sine ejus culpa, metuunt eam magis, quam oderunt, capi tantùm & illaqueari per fœminas verentur, dicuntq; palàm ut olim illa Catonis filia sum, sic nunc Mariæ Casimiræ filia sum, ex illa stirpe me censeo quod vulgo rerum pessimo interpreti sufficit.

Dicunt alij si id fieri non poterit, nec facilè enim quisquam vult, quod se posse despeat, reconciliandam cum Principe Jacobo (quem sine causa ulla accusant multi; ita plerumq; fortuna pro culpa est) ut in eo fastum & ambitum, qui non extingvetur nisi cum morte accensi in corde suo dominatûs exerceat, ut nomen Regis penes filium, vis autem imperij sit penes illam. A domo tamen Regia plurimi alieni, & nihil nisi mala ab ea sperant, & augurātur.

A vicinorum potentia ut jam dixi abhorrent, ne ad interitum, ut Hungaria, adducamur, cùm possint tot exercitus in viscera Reip: inter aliquot dies induci, & ita multi ad longinquiorem inclinare videntur, quod si non efficient, magno tamen conatu id ipsum curaturos, solicitaturosq; ego credo, tibi non ex vano denuntio.

Jam est in cælo scriptus, qui nobis imperare debet, sed quis sit ille? Deus scit; nos ut ex optimis melior eligatur vovēꝰ, vacillat fortūa nisi innitatur virtuti, despicitur virtꝰ nisi cōitetur fortuna

De dissoluta confœderatione Litvana jam certum est, constantem (utinā) Exercitus Litvani fidem, Palatinus Vilnensis clementiā & liberalitate emit. Ibi enim conspirant affectus, ubi promanant gratiæ. Utinam certè idem apud nos in Polonia fiat. Destinatus & ego, quanquā vereor ne plus oneris susceperim, quàm mea imbecillitas sustinere possit, inter alios primus ad dissolvendam confœderationem Polonam, brevi versus Leopolim proficisci debeo, magnā manendi cupiditatem (habeo enim non modo, quæ in Diœcesi mea assiduè agam, verùm etiam quæ libenter agam) magnam inquā manendi in ea cupiditatem maxima discedendi necessitas vincit, ut cursum conficiam qui nititur optimis cogitationibus, ducemq; sequar eum, qui nunquam errat, quamvis sit paulò difficilē, pacata armatis persuadere, & recitare illis leges, qui gladio prævalent.

Erit proinde aliquod notabile tempus, quo solitum officij genus, literarium scilicet cultum intermittam, compensaturus non voluntariam hancce negligentiam, dum aliquid boni nunciandum habuero, quod ut habeam DEum precor.

ANNUS
1697.

A.C.1697

JOANNI ODROWĄSIO PIENIĄZEK Palatino Siradiensi,

Lublinô 17. Januarij.

Consulit in aliquibus circa expeditionem Leopoliensem pro præsidentia in tribunali Radomiensi. Nonnulla attingit de candidatis.

CErtior factus & quidem à digno fide, ut mihi videtur, authore, te hisce diebus Lublini futurum, consultô, ut ex amico mihi amicissimum redderem, qui sum in parandis amicis diligens, in observandis constans eo divertere, quamvis extra viam volui, ut non tantùm suavissimâ tuâ fruerer conversatione, sed etiam ut à te tanquam à tanto viro cui consiliũ in omnes casus semper expeditum, & cui inter Statistas jure merito quivis intelligens primas cedit, sanum & fidum in tam difficilibus Reip: rebus tuum intelligerem sensũ. Ad te toto desiderio ferebar, cujus amore condelector, inhæreo consensu, persisto in serviendo Patriæ debitâ æmulatione. Alius si de te inveniendo dubitassem, misissem potiùs expressum meum ad exquirendum id, quod ante omnia scire desiderio desiderabam.

Notum tibi est, quod in ultima confœderatione fato Reip. inturbido, & sine solito ordine finita, impositum mihi munus (onus potius) renuenti, & justè ex rationibus tanti sumptus me excusanti præsidentiæ in tribunali Radomiensi Leopoli ordinato, utq; ad reunionem confœderationem militarem cum Republica, cum alijs reducere curem injunctum. Cum ergo omnem meam utilitatem & commoda obsequio Patriæ semper postpono, & pacem in ea si aliqua ratione fieri posset præopto, neque soleam unquam aliquid obsequii genus publico Reipub. bono evitare, impendere libenter sanitatem, labores & sumptum non recusavi, sperando Palatinatus acceptata prius confœderatione Varsaviensi, electuros Commissarios, ad liquidationem cum exercitu, & in determinatum locum & terminum missuros. Sed cum neq; Cracoviensis, nec Sandomiriensis, nec demum Lublinensis, nec alij ullũ è medio suî delegârint, justus venit mihi scrupulus, an non & mihi hac forte minus necessaria supersedendum sit via & opera. Officij nihilominus duxi & humanitatis significare id ipsum & Cardinali Primati, & alijs ministris statûs, æqvum maximè mihi, ad nutum præsto esse, neq; ulla in re ab alijs dissentire, tandem & precibus & rationibus convictus, ad hoc iter faciendum me resolvi. Non ideo, quòd credam esse necessarium vel utile, sed ne dicatur, me nolle consulere saluti Patriæ, & ut mos est depravati hujusce sæculi, ne sinistram absentia mea veniat in interpretationem. Hæc ego ita sentio, tu si quid contra, doce me, & ita scribe, ut ad alios magni sensus tui fructus perveniat. Sunt enim qui bona quidem, quæ noverunt operantur, atq; hæc operantes, meliora deliberant, immutant.

Palatinatus non mittũt Commissarios pro liquidatione cum exercitu.

Hoc præcipuum meum erat desiderium conferendi tecum, cui nunquam consilium deest, & precandi, ut monstres, quæ via mihi tenenda, dum venero Leopolim, nam fama tulit exercitum nolle omnino liquidationem esse sub potestate Ducum allegando ipsammet constitutionem hujus ultimæ confœderationis, quòd in illa scilicet Ducum præsentia non sit notata. Quia verò hæ liquidationes ad normam 1685 & 1690 absolvi

Exercitus vult liquidationẽ esse sub potestate Ducum.

absolvi debent, hæ autem sunt diversæ, quia in uno anno præsentes fuerunt Duces, in altero fuerunt absentes, nec etiam (cum sit futuri mens bene conscia & anteacti temporis arbitra) ad nos pertinet commissarijs demere vel in minimo hanc authoritatem qua illos Respublica decoravit, nec expedit ex alia etiam parte crudè agere cum exercitu, venit enim mihi in mentem illud Polixeno Dialecticæ Professori à Dionysio juniori responsum, qui cum more Dialecticorum dixisset: ego te redarguam verbis; verbis quidem reposuit ille, at ego te rebus ipsis refellam. Præcipue cum needum dissolvendæ confœderationis eorum militaris adinventi sint modi, & in paucitate Commissariorum à Palatinatibus, ex quibus multi desunt, statuere quidquam nescio an liceat? ac proinde plenus scrupulorum, nihil nimijs assvetus adamare votis, ne solœcismum aliquem contra statum committamus, prosequor iter meum, quos scrupulos confidenter tibi communico, & subsequentibus quidquid ibi fiet, vel non fiet genuinè deferam, cum non tantùm hoc rerum discrimine, sed semper eodem animi sensu in publicis conferre volo ac si de meis privatis rebus ageretur. Et nunc non tantum per amicitiæ iura, sed & per amorem Patriæ obtestor, velis mihi sensum tuum depromere. Quamvis enim plenus sim desiderij bene serviendi Patriæ meæ, & ad omne opus bonum paratus sim, sed quantum ex me non libenter errarem, quia hoc corrupto sæculo, eò calamitatum devenimus, ut etiam optimæ actiones interpretationi subsint, & quidem sinistræ. Libenter maturissimum tuum, quid me agere expediat haberem consilium. Bonum enim ab homine, qualis es, tanto judicio, tantâq; animi sinceritate prædito expecto. Movet ferrum magnes, ipse licet immobilis, ita ego optarem, ut hi qui ex adverso sunt vereantur, nihilq; habeant malum dicere de nobis. *A.C.1697*

Confidentiam summam ex illa nupera diffidentia natam Matris cum Filio certò scias. Pecunias Mariæburgi inventas (videtur enim liberali copia dexteræ Princeps Iacobus illas non spargere sed effundere) multas dissipatas inter, ut vocant nunc, Galantomos; accipere tamen quod datur, quocunq; animo detur, inertiæ non est. Pro simplici nunc, & stulto habetur, qui aliquid non rapiat. Quæ cogitare est nefas, dicere est pudor. Rarus est ager, qui aliquid lolij non alat; si saltem ita acciperent, ut prosit danti. *Liberalitas Principis Iacobi.*

Scribuntur mihi hæc formalia, quæ nunc accepi, si aliquis ex inimicis Principis Jacobi omnes possibiles iniret rationes nocendi ei, nunquam id melius perficere posset, quàm ipse sibi. Momento fortuna venit, sed præterit, nisi prævertas.

Principem Badensem promotione & pecunia Hollandorum Anglorumq; fultum potentem speramus Candidatum, nimis autem superbum, & pro nobis elatum aliqui dicunt. Quæratur à Proceribus melior cum copia sit optimorum, & talis in quo gratia & virtus erit, quamvis purpura quæ latus circumfluctuat, raro labe caret; fulgida nomina fumus plurimus inficit. *Princeps Badensis promovetur.*

Sunt & alij qui nec inter malos, neque inter bonos Principes numerari possunt.

Fuerunt nuper Comitiola Varsaviæ, ubi omni studio conatuque proponebatur articulus pro exclusione Principis Conti, & ut legatus Galliæ per publica lauda Varsaviâ expellatur & vix eo in puncto à Domino Prziluscio non fuerunt rupta comitiola, nihil tamen factum fuisse audio. *Princeps Conti excluditur à candidatura.*

A.C.1697 Finio hancce, & si aliquid grati tibi præstare queam, rogo de eo literis me convenias. Credas vera scribenti, quod semper me invenies paratum, qui voluntati tuæ omnino, atque animo libentissimo obsequar & à me omnia in te studia officiaq; expecta, non fallam opinionem tuam. Faxit tantum DEus, ut ea mihi occasio aliquando affulgeat, qua dudum tibi aliqua in re operam meam adhibere optavi.

XL.

AMICO CONFIDENTI

21 Januarij Leopoli

Referuntur acta in commissione Leopoliensi.

PUto tibi molestum jam esse silentium meum, at mihi silentij causa longè molestior.

Destinatus ex Varsaviensi ultima convocatione pro præsidentia tribunalis Leopolien: ipso pervigilio determinati temporis veni huc ad locum destinatum, & casu tribus ab hinc milliaribus obvios habui Palatinum Calissiensem & Thesaurarium Regni in Ianow, huic jucunditati nullam antepofui, nam cum illis multa confidenter contuli, in ordine ad bonum effectum impositi nobis à Repub: officij, cum præsertim non sine scrupulis commissio hæc incipienda veniat, stantibus tot protestationibus contra actum, quas si quis nobis objiceret, quid demum faceremus? quamvis sciamus omnia quæ Reipub: sunt salutaria, esse & legitima. Timendo nihilominus acclamationes solitas, & ne aliquando dicatur nobis, quòd melius sit prorsus non facere, quàm non ritè facere, erat certè res digna deliberatione. Sed per gratiam Dei (stant pro legibus decreta numinis) omnia pacata speranda facili initio, & nemine in contrarium opponente. Prima si dederis, danda sunt omnia. Opportunitas dum adest, amplectenda, fronte capillata, post est occasio calva. Nam inter duodecimã diei & primam horam invocato Dei nomine ex Ecclesia Cathedrali rectâ ad prætorium ivimus, ad solitum juramentum exsolvendum accessimus, sub quod tempus ablegati ab exercitu confœderato comparuerunt, dixeruntq; missos se esse ad liquidationem, quos civilissimè excepimus, & tantum interlocutoriè aliqua dicta sunt. Adstabant pacatissimè juramentis nostris, nec illis contrarios se esse palàm demonstrarunt, quantumvis nobis innotuerit Samboriæ duo in contrarium tribunalis nostri fuisse conclusa. *Primo*, quòd usque ad illud tempus liquidationes novorum quartualium, non sint acceptaturi neque ad illas faciendas accessuri, donec in liquidatis jam præterita commissione à Repub: per exsolutionem novem quartualium in reali fuerit satisfactum, sine ulla dilatione.

In liquidatis petitur satisfactio

2do ut Duces commissioni nullo modo adsint cum declaratione, quòd nunquam sub directione Castellani Cracoviensis liquidare se velint. Erat ille præsens (grande patientiæ documentum) modesteq; omnia more suo tulit. Gloria est Ducum posse multum, velle minus; habere fulmen, nec rotare, & gladij cohibere flammas; sic ille dissimulatione usus, finxit se non audire illos, in quos, ut audivi, jam parabat suo tempore animadvertere, quanquam ego scio, quòd sæpe læsus nunquam ulciscatur, & ita punire soleat, ut laudetur clementia, & ne omnes plectat in paucos moris est ejus animadvertere, cujus magnis semper cogitationibus intenta mens sine fastu, prima sæcularis curulis sine ambitione, Senatoria dignitas suprema sine sævitia, fasces sine simulatione, devotio sine fuco, pietas sine vitio, cui

Confœderati volunt Duces excludere à liquidatione

Patientia & encomiũ Ducis,

cui neque ſedulitas in conſilijs de Regno capiendis, neque de periculis à Regno propulſandis animus, neque pro Regni commodis augendis voluntas unquam defuit, & in hoc faſtigio non nagnus magis quàm bonus audiri deſiderat. Fama nihil ignorari de conſpicuis viris patitur, noſcit quivis virum, quem ut condignè ornaret Patria, in honores ſe eviſceravit. *A.C.1697*

Hæ tamen intentiones confœderatorum effectum non ſunt ſortitæ, nam cum fuerint præſentes juramentis etiam Ducum, nulli contradixerunt excepto, quod ſe impotenter extollere voluerat, Czaccio Capitaneo Vlodomirienſi, cui flectenti clam admurmurabant (exequi quippe magis aſſveti, quàm loqui) quòd in vanum juraret. Noſtrum verò non erat legitimè ex Palatinatu Kijovienſi electum à juramento arcere. *Iurant Deputati*

Expletis juramentis una vox omnium fuit, petentium audientiam publicam quæ non denegata, ſed tanta ſolum mora patientiæ petita, ut prius Director eligeretur, quandoquidem ab hoc activitas incipere ſoleat; illi verò eò acrius audientiam, & activitatem urgebant declarantes, ſi ſemel ex conclavi pedem extulerint, amplius ſe non redituros, ſed rectà Samboriam ad Principales ſuos iter arrepturos. Petierunt copiam, idem quod nos exſolvimus, explendi juramentum, ſed repoſitum: juxta morem prius in privato, dum controverſus aliquis comparet Commiſſarius, hac de re conferendum eſſe. *Non permittuntur jurare confœderati exercitûs commiſſarij*

Alera ratio erat quòd ab exercitu ſub obedientia Ducum etiamnum perſeverante, per omnem juſtitiam ne ſint deterioris conditionis admittendi eſſent commiſſarij, quorum dilata electio ad adventum Palatini Cracovienſis, qui immediatè ante initium commiſſionis venit, nec tempus erat eam perficiendi. Aliquot horas huic inſumpſimus diſputationi, dum omnino vellent legere inſtructionem ſuam, nos ne ſilentium in conſcientiam verteretur reſtitimus hâc ratione: aut ſunt commiſſarij, tunc non egent inſtructione, quia illam nobis in conſtitutione Reſpublica præſcripſit; aut ſunt ab exercitu legati? tunc jurare nobis cum nequeant, nec activitatem prætendere debent. Nihil omnes rationes contra illos allatæ faciebant, quamvis illis victi cedere debuiſſent, tandem inter alias & hæc noſtra fuit ratio, quòd juramentum obliget nos ad tenendum ſecretum, quod illi nullatenus ſervare poſſunt, cum omnia deferre & Mareſchalco ſuo, & conſiliaris debeant.

Iuſſimus poſtea omnes exire & extra omnes diu iterum ſemotis arbitriis diſputavimus; nos rationibus, illi pertinacia declarando habere ſe in mandatis, ne ad liquidationem ſub directione Caſtellani Cracovienſis accedant, nec poſſe ſe ullatenus permittere, ut ille ſit commiſſionis Mareſchalcus & Director. Deduximus illis ante expletum juramentum hoc opponendum fuiſſe, quod nunc allegabant, ſed poſt expletum velle nobis à Repub: deſtinatis Commiſſarijs libertatem eligendi, quicunque placuerit, adimere plus nimio crudum eſſe, liberum tamen ipſis fore ſi voluerint nominare aliquem alium, quandoquidem per pluralitatem votorum eligi ſolet Director, nec contradictio impedit. Poſt multas proinde controverſias cum manifeſtatione ſe ad liquidationem accedere voluiſſe & cum minis amplius ſe non acceſſuros, exiverunt. *Eorundem averſio à Caſtellano Cracovienſi*

Exacerbatus totius commiſſionis congreſſus videns, quòd fuerit in illis pro ratione voluntas, non obſtante illa manifeſtatione conſilium par animi fortitudini arripuit, & acceſſit ad electionem Mareſchalci, & nemine contradicente electus eſt Caſtellanus Cracovienſis. Ita ſtetit altius quæ deſpexit laceſſentes, adverſis probitas exercita rebus. Cadent invidi ſurgente muro. *Idem Caſtellanus eligitur Mareſchalcus*

Volebamus in craſtino emollire illos legatos, ut ſi irent Samboriam, quatenus

A.C.1697 tenus saltem ibi quæ pacis sunt persvadeant, securi, quòd & satisfactio & Amnistia, & æqua cum Ducibus combinatio à nobis commissarijs procuranda sit: ex omnibus conjecturis & rationibus video ego facili negotio dissolvi posse hanc confœderationem, si paratus nummus adesset, nam qui dare scit, non qui dicere, Rhetor erit.

Incepta in crastino sessione in prætorio, non à conscribenda ordinatione, ut moris est, incepimus propter multas rationes, ne eo magis exacerbaremus exercitum, quasi per contemptum eorum procederemus ulterius, & prudentia suadet, evitando omnes contentiones, minimè idoneo tempore nasituras, non illis nimium assentiri & adulari sed nec etiam augere audaciam nimiâ conniventiâ. Accedit ut omnes gradus ad pacificandum exercitum nomine Reip: conservaremus, omneq; prætextum manendi in confœderatione cum tanto Reip: præjudicio amoveremus

Fecimus proindè seriam inquisitionem, utrum aliquam in castro non fecerint protestationem, quam non invenimus. Tres è gremio illorum Samboriam iverunt; & alij tres hîc manserunt. Commisimus post Officialibus ut acta Commissionis, similis enim erat, quanquam non par undiq; Anni 1663 comportarent, illaq; quàm diligentissimè pro informatione nostra connotarent, ut ex illis aliqua quæ sub Sviderscio Mareschalco protunc illius confœderationis acta sunt pro regula nobis servirent, utq; indè etiam disceremus, utrum Commissarij ab exercitu in obedientia Ducum perseverante & in quanto numero admissi fuerint in numerum à Republica destinatorum.

Disputatum deinde, (incerti animi & hac & illac distrahebantur cum crescere posse malum consideremus) quid expediat an invitandi per literas ad faciendam liquidationem, cum in scribendis literis hæc difficultas occurreret, quod illas Castellanus Cracoviensis tanquam Mareschalcus commissionis pro more subscribere teneretur, & id ad contemptum & contumaciam interpretarentur. Cum ingenia semel offensa, prætextum novum reperire possunt, satius igitur visum est, & id tutissimum ex præsentibus precari Dominum Baranovium Pocillatorem Leopoliensem Mareschalci confœderati exercitus patruum, fidem & authoritatem ibi habentem, ut iter illud arriperet, cum genuina actorum relatione, deduceretq; injustitiam requisitionis eorum, & ad liquidationem ineundam rationibus & precibus persuaderet. Excusabat se (ita dignissimi compelli debent ad similia, indigni volant) aliquâ infirmitate, tandem cessit petitioni nostræ invitus, sed quis necessitati non pareat? existimatione, magno lucro, & non obscura cum laude rediturus. Socius itineris declaratus Volscius Dapifer Haliciensis, instructio illis data, nihil humile continens, quod dignitatem Reipub: lædere posset, nihil tamen illatum, quod illos exacerbaret. Quod scilicet magnum sit in nobis desiderium facilitandorum commodorum exercitûs, & quod hocce desiderium optato exitu fidem nostram evincet. Resp: enim ideo nos Commissarios cum plena potestate huc destinavit ut id faceremus, quod è re ejus fore videbitur. Relationem veram actorum in prima sessione nostri Legati exercitui deferre jussi; audientia quod dari ante electionem Directoris non potuerit deductum, assecuratio & certa promissaq; in favorem exercitûs data, quandoquidem verò jam ferè omnes Palatinatus, pro exolutione deservitæ mercedis tributa laudaverunt, & sine prævia liquidatione nullo modo solutio fieri potest, ut Domini nostri ablegati omni conatu persuadeant eis accessum ne contra Rempub: plus animi habeant quàm contra hostes.

Baranovius & Volscius mittuntur legati ad cõfœderatos.

Potest

Potest tamen fieri, ut quemadmodum multa aliter, quàm sperabamus, ita hoc fortasse aliter quàm timemus, eveniet, DEus Dux & Author hujus consilij dirigat illud in bonum finem, juvet nos. Facias & tu quoq; precibus tuis apud ipsum. *A.C.1697*

XLI.

CARDINALI PRIMATI,

Refert acta circa electionem Mareschalci.

IPso pervigilio destinati lege publicâ tribunalis Radomiensis in loco loci comparui tribus hinc milliaribus Palatini Calissiensis & Thesaurarij Magni Regni occursum habui, cum ijsque conferentiam, & cum intellexissem Thesaurarium Regni seriò ambire directuram Commissionis, unde cum Castellano Cracoviensi, illam ipsam quasi de jure prætendente, non levis oriri posset dissenssio, quæ mala verò inde manarent, nihil opus habeo apud te scientem dicere, ita quippe minus se multi judicant posse, nisi multum quid possint omnibus ostendant. Accito proinde in societatem laboris Palatino Calissiensi, cui merito hanc laudem tribuere debeo, quòd sit vir labore, vigilantiâ, periculo invictus, & per omnia extra dilationem positus consultisque facta conjungens, qui nec in hoc, cum à me pro bono publico petebatur animo fluctuavit, neque dubiâ mente diversum hominem pollicitus est. Rationes nostræ & petita, non tanquam in Myrmidonem illa tela volabant aliquando quia Gygantem reperimus. Scis quam illi sit expeditum ardua perficere, quam ad illa prenum esse. Prudentia igitur tutiora investiganda svadebat nobis consilia, ubi suo cardine se vertebat publica salus. Exponebamus proinde Rempub: afflictam & oppressam miseris temporibus, ac perditis moribus in veterem dignitatem ac libertatem, vindicare nos debere. Quod ut optare potius liceat, quàm sperare, dissensio inter cives facit, & ambitio. Deducebamus non quod illi ad votum, sed quod nobis ad lingvam venire potuit, pro posse utique nostro, non pro velle ejus. Iam ego scripseram ipsi respondens in ea materia literas, sed tum demum in hac conferentia, agnovi, quod acceptior sit sermo vivus, quàm scriptus, efficacior lingva quàm litera. Oculi quidem loquentis fidem faciunt dictis, & melius affectum vultus exprimit, quam digitus, cum illud quod absens non poteram per literas, quæ in ejusmodi rebus secundum locum obtinent, perfecimus tamen, quamvis non sinè difficultate, scis hominem nihil non ad commodum suum referre. Hâc tamen conditione ut id in secreto haberetur, & ut non vi sed precibus ab illo evinceretur, cum id ipsum & ratio svaderet, & usus etiam edoceret. Sic similes faciunt, cum opinionem aliquam induerunt; magnâ opus est arte, ut sententiam mutent. Quid insperati, quid non expectati nostrâ ætate non accidit?

Thesaurarius Regni ambit directuram in commissione

Postquam igitur Leopoli comparuissemus Palatinusque Volhiniæ Filius Castellani venisset ad me, novam hanc reposui difficultatem, quod Thesaurarius omninò se curaturum declaravit, ut Director eligatur. Non placuit relatio hæc mea Palatino, petiitq; à me ut mediationem inter hos concurrentes, omninoq; occurrentes arriperem, omninoq; occurrentem hanc difficultatem ante crastinam diē sopirem, ne scilicet ad vota & calculos in ordine ad hanc electionem descenderetur; timebat enim pluralitatem parti adversæ, adfuturam. Eò libentiori animo provinciam hanc acceptavi, & simul cum Palatino Calissiensi tentaturum me omnia promisi, quò securior eram bene rem cessuram, cum jam secretum eo nomine habuerimus à Thesaurario consensum. Sūmo proinde

A.C. 1697 inde mane accessimus mediatores ad Castellanum conditionesq; aliquas, quæ tibi patebunt, exposuimus, ac illis (in favorem proponentis) evictis magnam hanc & periculosam si non fuisset privatim composita, sopivimus materiam.

Post vota pro more in Ecclesia Cathedrali DEo reddita, invocationeq; Spiritûs S. in publica votiva ad altare facta ad prætorium ivimus omnes, ubi juramentum quidem pacatè absolutum ab omnibus erat, sed accurrentibus incognito (quia non simul) deputatis à confœderato milite prius juramētum Czaccij impediebatur, post adesse electioni Directoris omnino & pertinaciter volebant. Quod dum ex fortissimis rationibus fieri posse negaremus, multum temporis huic disputationi datum, & cum omnem spem abscissam sibi vidissent, eosq; prius ad privatam conferentiam semotis arbitris admisissemus, & post nullatenus ad activitatem nobiscum admitti posse, palàm & disertis verbis non compositis orationibus quæ alibi locum habent, sed brevibus rationibus contrarium desiderijs eorum conclusissemus, ab iisq; petiissemus ne ordinatum à Rep: universa & integra tribunal importunâ suâ nec justâ interturbarent requisitione. Tandem illi pertinaces nostrum consilium ab utilitate communi volebant retrahere, sed nos non minori obstinatione, tamen nostra vicimus. Et abierunt solennissimâ factâ protestatione contra electionem Castellani Cracoviensis in Directorem, cui respondi habere nos & legum & usûs authoritatem, quod scilicet pluralitate tales fieri soleant electiones, ab habentibus plenam potestatem eligendi ejus, quem quisq; pro sensu Reip: utilissimum agnoverit. Si verò electionem Castellani quamvis injustè oppugnare voluerant, faciendum id erat ante juramentū præstitum, eum ad id præstandum non admittendo, sed cum jam id factum sit, liberum erit nobis vota nostra, calculosq; ei deferre, siquidem hic honor cuiq; magnis in Rep: meritis probato summo eorum qui rectè sentiunt studio & approbatione conferri solet.

Abierunt illi & nos, ut fit in subitis, ubi facto potius opus est quàm consulto, ut evitaremus id quod fit plerumque dum agendi tempus apparatu consumitur, rerum autem occasiones non expectant ignaviam nostram & tarditatem, ad electionem immediatè descendimus & nemine contradicente audaciores videri maluimus, & non negato virtuti gloriæ censu per verbum placet directionem Castellano Cracoviensi contulimus, illustravitq; ejus amplitudinem, prætensa confœderatorum sive injuria, sive impedimentum. Quod accidit non tantum contra voluntatem, sed etiam præter opinionem illorum. Credebant enim omnino (nescientes quid secreto actum fuerit) Thesaurarium eligendum, sed nos ad fidem ætatum provocantes tenuit consvetudo: quæ quotidie magis invalescit, quod Duces plerumq; in similibus tribunalibus eligantur. Ita quippe eligendus erat Director, qui non solùm consilijs, sed etiam viribus navim hanc regeret. Si validus ventus est & consilium bonum, & bracchia fortia desiderantur nec ita frangetur navis, nec periclitabuntur omnes. Illud vel me non affirmante indubitatum cunctis, rectius cum Divina assistentia omnia eventura in tribunali hoc, quam illa pars votis concipiat. Ita cum navis est salva promptè consulere ac providere oportet, ne evertatur, nam postquam fluctus exuperat, inane est studium.

Castellanus Cracoviensis eligitur Mareschalcus.

Iam serò erat solque ad occasum nobis jejunis vergebat, ac proinde soluta est sessio. Timebamus tamen ne hi, qui omnia confundunt, miscent, perturbant, occasione exacerbationis confœderati militis captatâ, omnia nostra impensa pro bono publico studia inverterent. Hæc enim infelicitas nostra, quòd vitam quasi non humanam degimus; sed in id nati videmur, ut posteri de nobis portenta narrent. Docemur id experientiâ, jamque toto terra-

terrarum orbe manifestum est, quàm sit sæculum nunc vitiosum. Quod cum ipse magis valeas prudentiâ copiâque judicandi, concludes, quàm ut à me satis de singulis debeas edoceri. *A.C.1697*

Utinam adversa hæc de nobis non opinio, sed scientia perpetuâ oblivione obruatur! utinam de illa sileant omnes literæ! nullusque sermo perennis sit! sed quis potest personam diu ferre fictam, falsa cito in naturam suam recidunt. Nullam nobis prorsus fidem propter malos extare vidimus, cum raro aliquid uspiam sit sinceri, quando illi maxime fidem violant, qui eam maximè obligant, & se amicitiæ Sacramento devinciunt, tanquam illud inter arcana præsentis vitæ habeatur, ex occulto insidias struere, tantoque activior censeatur, quantò quis promptius ad nocendum ingenium & mendacem opportunius frontem proferat. Debemus proinde præsentibus instare, futuris prospicere, insidijs, quæ parantur, occurrere, atque eadem inimicis facere, quæ illi vellent efficere, qui cum empti sint & pravi, quid tandem possunt boni sapere? Metuebamus, nec ex vano turbida consilia illorum, qui sibi alijsque malè svadent; Mente considerata errorem hunc castigare oporteret, quia nullum post homines natos factum scelestius atque injustius. Timuimus inquam (nam plus alieno motu, quàm nostro movemur) ne hâc ipsâ nocte, quâ electio Directoris præcessit, aliquid cuderetur contra tribunal adversi, contra intentiones bene agendi sinistri, contra consilia pro Repub: salubria obliqui. Nec timorem fefellit eventus, consiliū enim à nostris, ut bene scies postea (hæc quippe materia ad literas non pertinet) concommisarijs datum, quod una medietas illorum deputatorum (sex in universum erant) Samboriam abierit, altera medietas Leopoli manserit. Quid cogitent nescimus adhuc, sciemus autem brevi, & ego pro munere officij mei exactam tibi semper dabo informationem.

Nunc finio & ut te Deus publico & nobis incolumem diutissimè servet, perpetuo meo voto apprecor, opto, voveo &c.

XLII.
EIDEM CARDINALI PRIMATI,

26. Januarij.

Continuatio actorum in commissione Leopoliensi.

NOn ut tibi rescribendi onus imponam, sed ut quoad possum testificer observantiam, cujus magnitudo tuæque in me benevolentiæ recordatio, adducit me ut sæpius scribam, eodem semper quo gesta sunt ordine narrans. A linea incœpi & ab exordio correspondentiæ meæ sumpsi initium.

Iam habuisti de feliciter incœpta commissione, de concorditer electo Directore, de rejectis constanter ab activitate confœderati militis deputatis, ex multis quidem rationibus, sed præcipuè, quòd ab exercitu sub obedientia etiamnum constituto electi itidem non comparuerint deputati, quorum injuria esset eos rejici, alios admitti; & quod ad secretum juramento obstringamur, quod ab illis quomodo servari posset, qui omnia Principalibus suis referre tenentur? cautela præcipua est prudentiæ pars.

Acta Commissionis Sviderscianæ Anni 1663tij quæruntur, ut nostræ regulam dent certiorem; ibi enim videbimus modum agendi cum confœderatis, numerum deputatorum, & alia nobis necessaria.

Scribere non est visum ad Mareschalcū confœderationis, cum literas easdem subscriptas manu Directoris mitti expediret, in quē non est apud illos be-

AC. 1697 nigna fama, sed mittere voluimus Baranovium Pocillatorem Leopoliensem Patruum Mareschalci, ut pro confidentia & authoritate sua tractaret Samboriæ cum nepote declararetq; quod accomodare nobis ad illorum voluntatē consilia nostra omnino non liceret, quia illi videntes multa, cernerent nihil. Sed cum illum differre iter valetudo ægra coegisset, facti sumus 24ta currentis certiores venire ad conclave nostrum commissoriale illlos ipsos, qui nuper manifestationē interposuerunt jam reduces Samboriâ, qui declararunt statim nobis sine arbitris sedentibus, se fidelem fecisse relationem illationum suarum, & svavissimè acta in contrarium desideriorum suorum retulisse, sed eam relationem minimè expectationi exercitûs satisfecisse, quinimo magnum disgustum omnes demonstrâsse. Adeo familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nihil alijs remittere & invidiam rerum non ad causam, sed ad voluntatem personasque dirigere, nihilominus tamen volendo palàm facere facilitatem suam in his, quæcunque in favorem Reip: cedere possunt, spem pretio emere nolentes amplius, missos se cum ea declaratione, quod non obstante hâc solenni in primo desiderio exacerbatione, cum scilicet contra mentem suam & justa desideria Castellanus Cracoviensis (omne theatrū de Rutilo) director sit declaratus, accessuri tamen sint ad liquidationem exoptatam, sed his conditionibus. *Imo* ut sola liquidatio absolvatur, idq; sine forma judicij, quandoquidem exercitus tam acerbos & severos articulos in delinquentes constituit, & mareschalcus eorum rigorosè judicaturus sit, contra quosunq; justitia fuerit requisita. *2do* ne commissarij ab exercitu sub obedientia ducū constituto admittātur, cū ibi corp9 sit militiæ ubi vexilla, nec injuriā passuri officiales, quādoquidē deputati ad liquidationem non sint oblituri eorum deservitæ mercedis, quotiescunq; eam evicerint. *3tio.* Ut quartualia jam in præteritis Commissionibus liquidata ante omnia solvantur. *4to* ut Directorem suum Deputati more antiquo qui stet in gradu suo, ex medio suî habeant electum. *5to* ut Czaccius Capitaneus Vlodimiriensis, ad quem integer exercitus summas prætensiones habet ex Cōmissione ejiciatur. Voluimus primo inter nos conferre illis absentibus, sed tandem satius duxim9, cū illis colloqui, rationibusq; certare, quibus prius convincerentur, quàm declarationem desideriis eorum contrariam à nobis acciperent, utq; non nos illis, sed causa causæ responderet, & si culpa esset respondisse, multò major provocasse, sit sanè ut quondam legi, hic mulget hircum, ille supponit cribrum, cum alter ineptè proponeret, alter responderet ad id, quod propositum erat aliquando parium facientia; datum responsum proinde validum sensu, sed consulto ambiguum ad primum, quod duo sunt constitutiva Commissionis nostræ: liquidare deservitam mercedem, & justitiam injuriatis administrare, quæ superari nequeunt, & sicut illi instructionem suam præseferunt, nec ei quidquam derogare posse asseverant, ita & nos præscriptam legem in constitutione exequi, non interpretari debemus; cavereq; in animo est ne quid promittamus quod præstari nullatenus potest, cū scilicet rem hanc facere arbitrij eorū non sit nostrū. Ad quid serviret juramentum nostrū, justè judicabo, si liberè judiciis abstinerem9? Liquidatio quid aliud est? quam calculus, quantum Resp: exercitui per retentam solutionem mercedis debeat, sicut etiam vice versâ quantas injurias ab exercitu factas prætendant privati, ex quibus Resp: constat? ne fleat Patria non ferendis exactionibus expilata. Accedit quod mutum fuerit injuriarū annis præteritis ante initium Confœderationis, quæ ad judicium & decisionem Mareschalci illorū nullaten9 pertinere possunt; cur ergo nobis à judicijs abstinendum, quæ lædere vel in minimo authoritatem Mareschalci eorum nequaquam possunt, quanquam nos nullo modo eam tribuere tanquam contra

Reditus legatorum à confœderatis

Conditiones à confœderatis proposita

Respondetur ad eas.

tra

tra leges & jura poſſumus, cum & ipſi Duces, qui authoritatem, & jurisdi- *A.C.1697*
ctionem ſuam, tot privilegiis & legibus fultam, & firmatam habent, & tamen non credunt inferri injuriam honori ſuo, quando in tribunali milites poteſtati eorum ſubjecti judicantur. Providebitur item authoritati exercitûs, quando Deputati ab eo Commiſſarij admittentur, qui expleto eâdem rotâ juramento ad judicium hócce compoſitum pertinebunt. Cum ergo evidentes leges, & præjudicata Anni 1663 durante & finitâ confœderatione Sviderſciana, quæ ipſis ex authentico legi fecimus, non aliter nobis præſcribant, nec nobis aliter agere fas eſt, cum ſi aliter faceremus, reſpondere toti Reipub, & coram illa erubeſcere deberemus. Non quod oporteat, ſed quod fieri ſoleat, ſolet fieri, hoc parum eſt, debet fieri, decernuntur iſta, non accidunt, ita ad ſupervacua ſudatur, nam contra prima principia & cauſas pugnatur, & melius homines exemplis docentur, quæ inprimis hoc in ſe boni habent, quòd approbent, quæ præcipiunt fieri poſſe. Hæ & plures aliæ rationes, quantum illis opus erat, quantum ſatis erat, convincebant quidem, ſed tamen pertinacibus non perſvadebant, & his quibus deterrere eos putabamus, incitabantur.

Quoad 2dum nonne eſſet injuſtitia ſumma non facere id in favorem obedientium, ideo quod ſint boni, & fideles, quod fit in favorem Confœderatorum, id eſt inobedientium. Similis injuſtitia non finibus locorum noſtrorum aut temporum contineretur, ſed in orbis ſpatia & ævi totius iret. Nunquid expedit illis neminem videri bonum, quaſi aliena virtus exprobratio illorum ſit delictorum? illi proinde competenter agunt, qui eâ lege agunt. Tot ſunt ſigna & vexilla in obedientia exiſtentium, præcipuè autem exercitus externo more militans, qui ſe omnino liquidabit. Præterea quod præjudicium inde prætendit exercitus? nonne quò plures erunt milites nobis aſſidentes, eò major cura exercitûs, & teſtimonium nobis à Republica deſtinatis, quòd nihil intermittamus, quidquid ad perfectã ſatisfactionem ac tranquillitatem pertinet Reipublicæ. 4tum & 5tum punctum cum ſint juſta ſine diſputatione, ſunt promiſſa, quod ſtatim tribui poteſt, ſine dilatione conceditur. Ad 5tum ipſe Czaccius reſpondit, (dicere quod velles periculoſum, quod nolles, miſerum eſſet) quòd cùm non ſit ullâ condemnatâ innodatus, cùm non ſit ab ullo citatus, quinimo à Palatinatu ſuo electus jam juratus nullo modo arceri poſſit. Aliquot horas diſputationi huic impendimꝰ, pro & contra certando, tandem pertinaciam eorum videndo in craſtinum diſtulimus, declarando ut accepto à Nobis nuntio poſtquam nobiſcum contulerimus, hic iterum compareant. Nos autem punctis illorum examinatis ex parte ſatisfacere eiſdem voluimus, in duobus quartualibus exſolvendis, in concedenda Directoris electione, ex parte negandum eſſe decidimus, quod concedi nec per juſtitiam, nec per rationabile judicium poteſt. Ne autem ulterius exacerbarentur, quod factu erat poſſibile fecimus, differendo judicia uſque ad 8vam Febr: hoc eſt ad quatuor dies poſt reaſſumptionem Commiſſionis ad diſſolvendam confœderationem diſtinatæ. Aut enim feliciter tractatus ille finietur, tunc reducti ad obedientiam legum non habebunt, cui reſiſtant; aut non finietur, quod Deus avertat, tunc eò ipſo judicia dilabentur. Non erat quidem illis omnino ſatisfactum, ſed nos poſt datam ex mente noſtra ore Caſtellani Cracovienſis declarationem ſurreximus, ſed iterum poſt prandium (à meridie ſæpe non ijdem qui mane fuimus) petitâ audientiâ ijdem deputati ore Drojovij nullo modo ſatisfactum ſibi eſſe declarârunt, utque vel minima mentio judiciorum excludatur, quia ſi ea acceptarent, jam eo ipſo viderentur redire ad obedientiam, quod facere nullatenus ante præſtitam ſatisfactionem poſſunt. Cum ergo in vanum videbamur diſputare, petijmus, ut parum recederent, quatenus inter nos collo-

A.C.1697 qui, & quidquid favorabile esset facere possemus. Quod dum factum, post multas controversias & rationes conclusimus, mittendum esse in locum infirmi adhuc Baranovij Wolffium Dapiferum Haliciensem, & Dłuszevium Chelmensem Pocillatorem viros activos, & in exercitu fidem, & quandam authoritatem habentes cum relatione plena ab initio actorum, cum expositione rationum, cur ea quae orbitam & sphaeram activitatis nostrae excedunt, in favorem eorum ligatas à legibus habentes manus praestare non possimus, cum oblatione celeris satisfactionis &c. Hoc ergo medio fieri aliquid posse credidimus, ulteriores importunitates illorum deputatorum declinavimus &c.

XLIII.

EIDEM CARDINALI PRIMATI,

Leopoli 6. Februarij.

Legati ad Confoederatos missi, re infecta redeunt.

Quidquid hic in tribunali nostro agitur mihi indicare sufficit, tibi de futuris judicare, cum praecipuè vacuam rebus & inopem verbis à me accipis relationem, cui oporteret, si alijs scriberem, plus ornatûs & condimenti adjungere, quando rebus non perinde nititur.

Accepi tuas & doleo, quòd sic tracteris, tuum vulnus est meus dolor, tua tempestas meum naufragium. Tangit & angit cor meum, quidquid tuum exasperat, & quisquis ille sit, qui te persequitur, non solùm te persequitur, sed & me tecum. Inde est, quòd auditis tribulationibus tuis eas non solùm meas feci, sed & inveni, quia non possum te dolente non dolere, nec nisi molestus & anxius, tuas molestias & anxietates audire vel legere. Hoc habet omnis affectus, ut cum ipse insaniat, putet etiam caeteros furere. Causam apud se quotidie dicere deberent, qui argui à se nolunt, sed in malè coeptis honestior ipsis videtur pertinacia, quam poenitentia.

Scio ego impatienter te expectare, quid hîc sperandum, omnis mora longa est, & nobis quae gaudia differt, sed concipis bene, lento adjutorio opus esse contra tanta mala, & foecunda, non ut desinant, sed ne vincant. Si difficultatem in legenda manu habuisti, celeranti in scribendo adscribe, non modò enim quòd in mentem sed planè quidquid in calamum venit, ita in epistolam conjicio, ut quandoq; & ipse legere non possim. Praestat tamen malè scribere, quàm quod in aliis incusas, nihil scribere.

Redierunt 30 Januarij ablegati nostri Samboriâ, relationis eorum succus est, quòd confoederationē hanc solvere non cogitent, judicia non admittant, quam declarationem non curantes, liquidationem incipiemus. De numero autem Commissariorum conclusimus, ne exacerbentur, secundùm petitionem eorum.

Plures quàm sexaginta Confoederatorum mensae meae adhibui, plures adverti reditum ad obedientiam desiderare, scrupulum tantùm videntur habere de praestito juramento, quo, ne deserant Mareschalcū, se obligaverunt. Contuli proinde cum suffraganeo Dioecesis hujus, ut ex consilio Theologorum publicum processum palàm edat, in quo deducatur invaliditas juramenti Confoederatorum tanquam in re injusta praestiti & quòd ab eodem liberari poterunt, quia dum haec in publicis concionibus

nibus promulgabitur facilius convertentur. Fuit alter scrupulus, quem *A.C.1697*
ego ipsis resolvi, quòd ista judicia quæ nos desideramus, & illi detrectant, sunt inter injuriatos & inter injuriantes, non inter Rempub: tanquam actricem, & totum exercitum tanquam reum de incœpta hac confœderatione, quod ipsi nimis verentur.

Contra Castellanum Cracoviensem multa dicta sunt, sed si in illo plus moderationis esset, siq; pro aliquo tempore Magistratu hoc directionis cedere vellet, & in confœderatis minus animositatis contra illum, adhibitâ aliquâ curâ posset inde multum in rem Reip: confici. Quod autem judicia detrectent hanc rationem allegant, quod Commissio nostra sit tribunal liquidationis deservitæ mercedis eo fine ordinatum ut exercitus satisfactionem habeat, & hi puniantur, qui solutionem debitam detinuerunt. Quod exercitus per suum actoratum hoc tribunal à Rep: obtinuit & præcipuè, quod lex nostra in qua fundamentum hoc est, expressum habet, quod actor sequatur forum rei. Illi accusant Palatinatus in foro competenti, hoc est in hac Commissione, de non soluta deservita mercede demonstrando evidenter certum quantum, detegendo authorem, qui retinuit, ac proinde si accommodare nos volumus juri communi, reddere debemus quærentibus justitiam tanquam injuriatis, contra eos qui ad solutionem tenentur & jurisdictioni nostræ subsunt. Si verò nos liquidationem cum exercitu ad injurias privatorum, ex quibus Resp: constat, trahimus, exercitus etiam ne videatur injuriantes defendere, omnes has causas, quæ sunt merè fiscales, tribunali decidendas permittit, causæ verò facti præcipuè sub tempus confœderationis intentatæ, ne ante satisfactionem exercitui debitam, alibi nisi in foro competenti, id est coram Mareschalco eorum, judicentur, requirunt, punctualissimam executionem justitiæ sanctæ promittendo.

Tanta est infelicitas hujus Commissionis nostræ, ut nec initium ejus adhuc invenire possimus. Una quidem die erigimur in spem melioris fortunæ, alterâ vix non desperamus. Expeditis, ut jam præteritis dixerã Samboriam Commissariis è medio nostrî, nihil laborantes reditum illorum expectare debuimus, cum redierint & relationem fecerint, ut insinuavi, minimè militiam de obedientia cogitare, spes jam tota non tamen cura deserit, utq; aliquid agamus, antequam altera commissio 4tã præsentis incidens incipiat in qua junctis studiis & consociata ope, omni conatu curabimus, ut aliquid faciamus, quod sit Patriæ proficuum, & cum aliquo solatio tam ingentium sumptuum nostrorum redeamus. Ne autem exarcerbaremus exercitum scriptam legi fecimus ordinationem, in qua non tantùm initium, sed etiam ordinationem judiciorum ad 12mam Februarij faciendam distulimus, liquidationem interea incipere voluimus, sed nec hoc placuit Deputatis à confœderatione.

Difficultas verò aliqua orta est inter illos confœderatorum deputatos, non enim eligendum Leopoli Directorem, sed Samboriæ Mareschalcus horum ipsis intimavit. Interim cum multi pro more apud Patres Franciscanos convenerunt confœderati, visum est nobis Bronisizium Bystrensem & Potoccium Czercassensem Capitaneos precari, ut eos adirent, ad liquidationemque inducerent, qui dum facundo ad captum illorum sermone deduxissent illis, quod non tantum totius Reipub: sed etiam illorum evidentissimum sit interesse, ut quantocius ad liquidationem accederent, ut paratam & oblatam à Palatinatibus plenam satisfactionem acceptarent, rationes fulciendo amore libertatis. Optimè hanc legationem exceperunt, honorem omnem il-

A.C.1697 lis exhibuerunt, spem etiam certam accedendi ad liquidationem fecerunt, modo prius Directorem sibi eligerent, ad cujus electionem immediatè accedent quando delegati eorum Samboriâ redibunt. Cum verò non obscuris sed disertis verbis ordinariè deputatis exsolvi solitum commemorarent tractamentum, inibamus omnia media ut aliqua parata pecuniæ summa inveniri posset ad emolliendos illorum animos. Dico enim sincerè & verè quòd si pecunia esset parata, confœderatio hæc facili negatio dissolvi posset nunc, quòd difficulter pòst fieri poterit. OEconomus Samboriensis Gurzynius habet aliquam ex illa oeconomia collectam summam, quam ut sibi solveret indixit Mareschalcus confœderationis, ut verò huc adveheret pro tanta Reipub: necessitate, pro authoritate & officio suo magnus Regni Thesaurarius jussit, sed ille hâc se excusavit ratione, quòd scilicet omnia bona œconomiæ vergerent in ruinam, si alijs & non huic, qui arma in manu habet, obediret. Et sic inopes nos bene operari nequimus. Si ego haberem ad manum mea clenodia, certè libenter ea in tam gravi necessitate, impenderem Reipub: video enim mala gentis, si nunc confœderationem hancce non dissolvemus, dissolvere verò nullatenus poterimus, stante tanta inopia nostra, quod tibi vel ideo defero, ut si aliqua occurrerint media, consideratâ tantâ necessitate, cogites, recogites &c.

XLIV

EIDEM CARDINALI

13 Februarij Leopoli.

Continuatio diarij ex Commissione Leopoliensi.

UT summæ fortunæ & honori maximo ducerem, sine hac in re potiri, sic libenter haberem ut jam non continuationem Diarij Commissionis nostræ, sed perfectum opus cum emolumento Reip. tibi nuntiare possem, sed necdum Deus consolatus est sperantes in se; incipere proinde literas hasce debeo ab illo die, quo ultimas clausi, quanquam facilius in concham vistulam cogerem, quàm omnia possem, quæ hîc aguntur, deferre.

Vereor quidem ut nobis id non attribuatur, in quo Tyberius quondã accusatus. Ad extremum vota pro usu suo. suscipi passus est, ut vulgo jam per jocum Callipides vocaretur, quem cursitare ac ne cubiti quidem mensuram progredi proverbio Græco notatum est, quia in moliendis negotijs cum multa se facturum minaretur, nihil tamen conficeret. Aut quemadmodum ille de quo Terentius qui sedulò movens se, se non movendo nihil promoveret. Aut ille Varro cujus accusatur tarditas, quia cum magnas quasdam ostenderet spes, re nihil unquam absolveret. Credo tamen quod & tu, & omnes prudentes facile nos excusabitis. Non enim decet cupere, quod fieri nequit, & mali essent homines, qui bonis dicerent malè. Negotiatio nostra quamvis sæpe differtur; ut aliquando tamen fiat, instamus. Ergo ad lineam rursus & ad gradum.

Post electum Directorem quem rectum hominem & bonum quantum licet virum esse audio, venerunt omnes Deputati ad conclave & nos stylo militari salutârunt, respectui Reip: interesse exercitus commendârunt. Quæsiveruntq; imprimis, qua rota juramentum eis exolvendum sit, Deputati ad liquidationem destinati. 2do ut quartualia in præterito tribunali liquidata exnunc exolvantur. 3tio. ut per declarationem publicam, specificè & expressè recedamus in præsenti Commissione à judiciis harum exorbitantiarum, quæcunq; ab initio confœderationis hujus factæ sunt, non detrectando successu

ceſſu temporis ea judicia poſt felicem ſuæ confœderationis diſſolutionem. A.C.1697
4to ut Domini locum tenentes per deciſionem noſtram obligentur ad reddenda regeſtra his qui deſtinabuntur à cohortibus deputati. Ultimo deducebant damna exercitûs cui tam longo tempore non eſt ſatisfactum in tanta penuria & indigentia ſine mercede exiſtentis, petieruntq; ut moribus antiquis Deputati hic congregati juſtum & non parcum habere poſſent tractamentum. Concluſeruntq; quod dum in ijs punctis ſibi ſatisfactum fuerit, immediatè ad liquidationem acceſſuri ſint.

Fuit hácce eâdem die audientia ſub obedientia exiſtentis militiæ, cui non eſt viſum eligere è medio ſuî Directorem, convenient tantum toties, quoties neceſſitas fuerit, ad aliquē ex principalioribus Officialibus, indeq; conſilia ſua propoſitioneſq; nobis deferent. Petierunt ijdem admitti Commiſſarios ſuos ſecundùm antiquam praxim, ſed viſum eſt nobis differre hanc receptionem uſq; dum à confœderatione venirent etiam Deputati evitando omnem etiam prætextum diſplicentiæ, & deſiderando extingvere hunc ignem per ſubtractionem fomentorum. Conſtituimus autem inter nos ut duo tantum Commiſſarij, unus quidem ab obediente, alter à confœderata militia activam vocem haberent. In memoriam reduxerunt & iſti civiliter ſed fortiter, ne in tractamento quoque ex eo, quòd ſint obedientes, fiant inferiores. Expedivimus eos bonis verbis & certo ſatisfactionis in punctis eorum quantum ex nobis erit promiſſo, ne nobis objiceretur, ut quondam Romæ, quod honorem Catoni negaverit, Vatinio dare coacta fuerit.

Diſcutiebamus pòſt puncta à confœderatis tradita, vidimus rotas juramenti præteritarum Commiſſionum, & cum difficilius quoddam punctū in juramento inveniremus, ſcilicet hæc præciſa ejus verba, *vidi tot & tot ſpecificè etiam nominando hunc & hunc oculis meis in prælio*, viſum eſt mutare illa in alia æquivalentia, hoc eſt ſum certus, quòd fuerit in prælio & id ipſum juramento confirmo. Quam rotam libenter acceptârunt.

Quantum ad quartualia jam liquidata inſtantaneā promiſimus ſatisfactionem & ſine mora aſſignationes expediendas ad Palatinatus in quibus ſunt repartitiones, declaravimus. De judiciis non ſiluimus ſed locuti ſumus ne ſilentiarijs adſcriberemur. Cum enim non ſint ſimplices injuriæ, ab his recedere nos non poſſe diximus, quo enim incitabuntur Palatinatus ad plenariam ſatisfactionem, quando tributa ſolvere obligabuntur, & in injuriis ſuis juſtitiâ privabuntur. Ad reddenda regeſtra obligabuntur locum tenentes; de tractamento ſeriò nos cogitaturos promiſimus.

Dies Veneris ſine fructu ceſſit, nam peſſima nova venerant cum quibus accurrerat quidam nec nomine nobis notus, quod ſcilicet Tartari appropinquarent. Non continuò habendam eſſe fidem nos credebamus & falſa eſſe, quæ vera non probabantur dicebamus, ſed fama magis vulgabatur, & erat quaſi magis probabilis. Timere autem juſtè poteramus, cum nec tanquam in bello parati, nec tanquam in pace ſecuri eſſemus. Narrabatur & quidem à multis cum juramento, quod vicina pericula ſurgant, & jam in vicinia Tartarici noſtris impoſiti radiarent cervicibus enſes. Non authoris non rumoris fide ſatis perſpecta, à ſummis labris iſta venerant, & ideo videbantur habere fundamentum. Magnus proinde pavor, quia in momenta creſcebat, ut in ſimilibus fieri amat, rumor, ſed erant tunc nonnulli, qui animo vel in hoc caſu non cadebant, cum ſciverint rumorem hunc magis ad famā, quàm ad verum fuiſſe divulgatum qui poſtea evanuit dum expeditus Ozembſcius à Caſtellano Cracovienſi cum aliqua militum manu nullum ineſſe periculum nunciaverit, & alius miles Capitanei Halicienſis Sniatino redux confirmaverit, quòd jam Turcæ aliquot centena curruum proviſionis Camenecum induxerint & retro abierint propter ingentem nivium copiam, ulteriores

Fama de irruptione Tartarorū.

A.C.1697 res gressus eos impedientem. Ac proinde non in Poloniam, sed in illam Dnie-pri partem abierunt cum magna potentia & sic nec cur metuamus habemus nec cur ex illa parte tristemur.

Benedictus sit Dominus in æternum, ingentia enim damna facta fuissent in partibus nostris nemine resistente & suburbia urbis hujus, non fuissent sine notabili periculo, à quo liberi diem sabbathi impendimus in quærendis mediis ad exsolvendum tractamentum, quod est pretium liquidationis, & illa gradus ad reducendum in obedientiam militem, quod etiamsi (avertat tamen DEus) non succederet, id esset lucrum, ut Resp: quantitatem debitorum suorum scire posset. Acuit militum curas lucri spes, spem utilitas, utilitatem indigentia rigideq; urget. Cum verò nihil magis fatiget, quam pecuniæ conquisitio toto die laboravimus & nihil cepimus, quærebamus, nihil invenimus. Dominus enim Thesaurarius longissimo discursu suo indigentiam Thesauri deduxit.

Die lunæ iterum deputati confœderatæ militiæ, iterumq; declarationem de differendis judicijs omnino urgebant, nec aliter ad liquidationem accedere volebant. Videndo proinde quod cunctatio nostra violentiores suscitaret tempestates, decumanos malorum fluctus, & tam gravem visceribus Regni imminentem inundationem, & habentes certum motivum, quòd injuriati non comparuissent, timentes forte ne illata damna ab euntibus renovarentur & augerentur à redeuntibus, visum est prius morbum sanare, quàm ægros lædere, & declarare non tam libenter, quàm reverenter quòd omnino in hac Commissione non tractabuntur judicia, nisi antiquarum injuriarum, & damnorum. Quid enim faciendum erat. Verebamur ne hi tumultus militares qui adibant, abibant, vacillabant, aliquid turbarent; Ex una parte evincendi impossibilitas, ut indicerentur judicia & ex alia evidens apparentia, quòd tamen, modò DEus benedixerit, conatus isti nostri non erunt irriti, motivo fuit, ut ab ijs recederemus. Necessitatis non aliud effugium est, quàm velle quod ipsa petit. Fortiter malum qui patitur, post patitur bonum antiquo Plauti testimonio. Interim tamen in hoc judicio judicium nostrum, judicio tuo submittimus, nec dubitamus approbaturum te ea, quæ aliter à nobis fieri non poterant.

Tractamenti proportionem in aliis præteritis commissionibus trutinabamus, in quibus nunquam tot quartualia sunt liquidata, & tamen per triginta sex florenos quisque accipiebat, insuper quod istud tractamentum in tres partes dividi debeat. Non enim esset justitiæ, dando obedientibus, privare obedientes inter quos exercitus quoq; externo more serviens, & in obedientia more suo constans reperitur. Primo igitur per triginta florenos, pòst dum non essent contenti per 40 declaravimus, sed nec hoc satis erat omnino exegerunt, & clare explicârunt, quòd si centum millia florenorum illis in vim tractamenti dare noluerimus, nullo modo ad liquidationem accessuri sint. Requirebant insuper solitam in omnibus commissionibus pro Directore suo consolationem. Proposuerunt & alia puncta, sed quia hæc minora fuerunt, & ex nunc sopita, non merentur reflexionem. Facilè digerimus levius malum, cùm certa spe majoris boni ardemus. Post multos discursus semotis arbitris conclusimus, tandem satius augendum & hoc tractamentũ, quàm ut totus dissolveretur tractatus, præstat gravari Remp: quam mergi, & proinde ipsis decem millia, Directori autem quinque adjunximus.

Inciderat & illa difficultas de quartualibus ut vocamus tecti, in quibus

bus cum multi sæpe defuerint, imò paucissimi adfuerint milites, insignis esset Reip: injuria, si omnia quartualia æqualiter solvi deberent. Discutiebamus proinde ferentes quod lædebat, ut quod prodest perferamus, quid sit convenientius, an ad juramenta deputatos admittere, evidentia perjuria permittere, an verò partem aliquam ex omnibus cohortibus detrahere? Decisum est precari Dominum Bronisz, ut adeat eo nomine sessionem militum. Qui tandem innata activitate induxit eos, ut liberè declaraverint quartam partem a solutione fore liberam, per quod & offensa DEi evitabitur, & evidens emolumentum accedet Reipubl: damnum certè esset, si volentibus, etiam pejerare permitteremus. Cum verò omnis difficultas in inveniendis pecunijs consisteret, petij ego nomine Commissionis totius per quidquid charum habet Thesaurarium Regni, deduxi quod Domus ejus bene thesauri teneat clavem, quæ clavam non semel tenuit ducalem, ille verò sit tantò amabilior Patriæ quantò formidolosior hosti, optimè arcam custodit, qui arces hosti vel eripuit, vel defendit. Revocavi in memoriam quoties non suo commodo, sed Patriæ prospiciebat, quòd multum ab eo Patria exigat, quia multum expectat, & rectè ab eò exigi potest, quòd nisi ab eo in venire non potest, & quod non tantum necessarius, sed etiam justus ad illum fieri debeat recursus, est nempe summis innata viris in pectore virtus, qua eo usque ad generosa exolvuntur facinora, donec antecedaneam majorum vitam vel adæquent meritis, vel superent, & cum ille dicto prius eo, quòd habere prius debet, qui vult dare, voluntatemq, propensam adesse, ab esse verò rem diceret, tandem illud medium arripuimus ut eidem bona Deblin post mortem Kotowij, qui illa Reip: inscripserat in certa summa invadiaremus, quo declarato sopitum hoc tam difficile negotium. Et jam post tot tantasque difficultates, tandem aliquando feliciter incepta liquidatio, cui cohors defuncti Regis prævio juramento principium dedit. Divisimus negotia hæc inter nos in sexq; partes dispertiti sumus. Magna spes in Deo, quòd hæc liquidatio ante diem dominicum finietur, quia ego propter bonum exemplum, quo opus est, ut res tempusq; postulabat, determinavi, ut post sextam labor usque horam sit, & etiam alios excitavi latamque ostendendæ virtuti natam omnibus proposui materiam. Brevissimo igitur jam somno utor & quasi interiungo, satis est mihi vigilare desijsse, aliquando dormijsse me scio, aliquando suspicor, cum non una nox ita duci debet in his negotijs. Annunciavi & alijs id ipsum, prænunciavi periculum, veritatem non tacui, hortatus sum ad diligentiam, utique & Cæsar quondam ex quo se orbi terrarum dedicaverat, sibi eripuerat, utique majores nostri, quorum virtus etiam vitia nunc sustentat nostra, nullam incommoditatem fugiebant, ut tantùm Patriæ bene fieret. Sed his non moror, res ipsas quæro, umbras, pompas breves, vanitates, cum oculo video, nosco, & sperno. Conscientiæ satisfiat, nihil in fama laboramus.

A. C. 1697.

Accessio ad liquidationem.

Cum per aliquot dies non comparuerint deputati Samboriâ, post reassumptam alteram Commissionem visum est nobis invitare & persvadere illis, mittendo duos ex quavis Commissione, quandoquidem utramque junximus ut omnes simul id curaremus, ad quæ singuli quoque pro bono publico curando obligamur, utinam desideratum ab illis referant responsum. Punctum difficultatis est maximum, quid queri oportet, quod queri necesse est, quod hic & nunc ad ultimatam reductionem eorum pecunia desit, & sit omnino necessaria, in quo puncto sileo, & silentij magnitudinem testor, ne majorem necessitatis publicæ, quàm prudentiæ tuæ rationem videar habere. Expectabam hac posta literas tuas, solatij causa quo sæpe indigeo, & aliquam in hoc negotio à te resolutionem, sed curiositas causavit hanc infelicitatem, quòd unam tantum epistolam à Sarneoio meo recepi

A.C.1697 & reliquæ omnes neſcio ubi hæſerunt, quamvis autem ego facta inquiſitione inveniam hic forum contra poſtæ Magiſtrum, contra quem paginæ quoque tuæ alijs ſcriptæ in teſtimonium erunt. Nullus enim dubio locus, quod mihi quoque ſcripſeris. Precor nihilominus ut pro authoritate moneas poſtæ Magiſtros, ut meas literas in alienas non reddant manus, in quo tuammet propriam vindicabis injuriam.

XLV.
EIDEM CARDINALI PRIMATI,

Iaroslaviâ 20 Februarij.

Puncta quædam à confœderata militia.

NOndum venit felix illa hora, quæ ingens ſolamen nobis adferet ut poſſimus bene factis gloriari. Jam ſpem habemus, ſed necdum fiduciam; redierunt miſſi à nobis Commiſſarii Samboriâ & ex illa confidentia, quæ illis cum parte adverſa intercedit, tam proſperè res diſpoſuerunt, ut poſſimus omnia ſperare. Movit id præcipuè Samboriæ exiſtentes, quod invento medio illos, qui Leopoli ſunt deputati, ad acceptandam & defacto incipiendam liquidationem induxerimus, quod Commiſſarios ab obediente militia in medio noſtrî ſedere permiſerimus. Illis hoc quidem diſplicuit, ſed nobis ad ulteriora optimum gradum dedit. Vereri enim nec ex vano cœperunt, ne dividerentur. Miſerunt ergo ſuos, qui ab initio conceptæ confœderationis deſtinati erant ad tractatum, qui majorem videntur habere confidentiam ad noſtrum tribunal, quàm ad aliam commiſſionem, impugnando ſcilicet illam, quòd ſine conſenſu partium limitationem fecerit, & toties quoties repetendo, quòd nullatenus illi concordiam formare & concludere poſſunt, contra quos ſuas ipſi prætenſiones habent. Non poterit forte aliter fieri, niſi ad continuandum & perficiendum tractatum, ab utraque Commiſſione è medio noſtrî deſtinentur Nam per id brevior & facilior aperietur via ad finiendas materias quando ad neutram ſe referendo partem in loco loci cum Mareſchalco, & conſiliarijs tam deſideratum finiri poterit opus. Ad quod eò major apparentia ex illorũ parte, quod Mareſchalcus literas univerſales inſtantiſſimè ſcriptas ad omnes cohortes publicaverit, quibus quidem cujusvis cohortis officialem cum aliquot commilitonibus convocat Samboriam his additis verbis, ad perficiendum tractatum. Licet ille difficilior videtur, quo major numerus ad tractandum erit, ſed eo ipſo perfectior, & firmior, quòd à pluribus concludetur. Cum verò his ultimis Bacchi diebus nihil tractari & omnia differri debebunt in quadrageſimam, antequam convenerint liquidatis manu meâ propriâ viginti pene cohortibus (quanquam timendo rigorem evitabant, ut ſolent facere pœnitentes molliorem quærendo Confeſſarium) excurri hinc Iaroslaviam, ad viſitandum antiqvum meum ovile, ubi nuper præpoſitus fui, ut aliquatenus reſpirarem quanquam & hic non deeſt occaſio & materia benemerendi de Republica.

Lipſcius Caſtellanus Siradienſis tranſivit hac pro nuptijs cum Capitanea Zytomirienſi, & credo me hodie ad benedictionem hujusce matrimonij invitandum, pòſt veredariorum more Leopolim ſine mora revertar, ut primo die Iovis Quadrageſimæ ante ſeſſionem compaream.

Iterum iterumq; tibi inſinuo, & dico ſecurus nec vereor ne me mea pagina arguat mendacij, quod etiamſi optima ſint præparamenta ad bene operandum & concludendum pro bono publico, ſi deerit pecunia, irriti omnes

mnes noſtri erunt conatus, & timendum ne ut modo in ore gladij devaſtaturos ſe dicunt omnia, ſic in effectu penè in ſolitudinem redigant univerſa, & ideo iterum inſto, quia prævideo infelicitatem Patriæ infallibilem. *A.C.1697*

Puncta autem quæ & noſtri Ablegati & novi à confœderata militia deputati tulerunt, erant ferme hæc.

Primo quod fundamentum nullum habeat illa altera Commiſſio ex eo, quod jam ille actus quem illa quondam inceperat fuerit abſolutè diſſolutus. Efiet ergo quaſi reſuſcitatus, qui jam mortuus erat Lazarus, cum etiam tu in ultima convocatione Varſavienſi dederis ipſis regeſtrum & nomina futurorum in hac Commiſſione deputatorum, quibus diverſos nunc vident, multoſq; contra quos ingentes prætenſiones militia habet, conſpiciunt.

Secundo ut more antiquo tractatus cum toto exercitu fiat. Deputatiq; a tribunali Samboriam veniant.

Tertio ut illorum honori provideatur, & fortunis, hoc eſt ut amniſtia procuretur, utq; eo nomine Cardinalis conſilium convocet ad approbandum totum id, quidquid hîc concludetur, & ut in pactis conventis futuro regnanti concluſa puncta inſerantur, & in caſu alicujus contraventionis tractatus hic tanquam invalidus declaretur. Hocq; ipſum requirunt à Caſtellano Cracovienſi, ut per juramentum ab omni vindicta maneant immunes.

Quarto ne areſta in illa quartualia, quæ exſolventur, nunc prodeant, ſed ut ex alijs ſatisfactio pòſt requiratur.

Quinto petebant ut ad melius opus perficiendum D. Caſtellanus Cracovienſis tantiſper à directione abſtineat. Quis gratam ſibi vitam judicet apud ſimiles æmulos aut publicæ rei adminiſtrationem expetat, ubi vel re male geſtâ judicium, vel bene geſtâ invidiâ & calumniæ ſunt ſubeundæ.

Contra Czaccium multas prætenſiones habent, ne à nobis protegatur, multis etiam rogant. Poſtquam verò ad hæc puncta favorabile receperint reſponſum, omnia facilitanda & injurias ſuas reliquas, quæ etiamſi illi taceant, Divinam juſtitiam provocant, Commiſſarijs, dum Samboriæ comparebunt, ſe relaturos promittunt &c.

XLVI.
EIDEM CARDINALI,

Leopoli 28. Februarij.

Ejuſdem argumenti continuatio.

REdij Jaroſlaviâ ultimo Bacchanalium die datâ benedictione Matrimoniali in Soſnica Caſtellano Siradienſi cum Capitanea Zytomirienſi, quæ trecenta millia florenorum Præmiſlij illi inſcripſit, inſcripſiſſet & plura, ſi ille diſcretus non fuiſſet, dum hæc liberalior eſſe voluit. Comparui hîc, ut promiſeram, punctualiter, & nihil abſentia hæc mea nocuit. Inveni literas tuas, quæ quantum cor meum ſuavitate repleverint non facile dictu, ita meum tui abſentis deſiderium literis ſæpius lenias.

Miſerunt iterum confœderati Samborienſes ſeriam expoſtulationem contra ſuſceptos ex obediente exercitu Commiſſarios, ſed datum illis reſponſum contentos reddidit. Sex ex illis ad tractatum deſtinati jam eâdem rotâ, ut & nos juramento expleto, ſederunt nobiſcum. Juramentum

parebat exercitus commilitonibus ſuis minimè æquus eſſe, malè merentibus bonus, bene merentibus malus eſt, & privata injuria communi utilitate compenſatur. *A.C.1697*

Non ſumus obliti mandati tui & fæcundavit obedientiam noſtram præcipientis authoritas, Archidiœceſis Gneſnenſis intereſſe a te recommendatum, deducendo injuſtitiam novarum aſſignationum, quando antiquioribus hyberna exſoluta.

Expectando interim reſponſum proſequimur liquidationem, & jam paucæ cohortes liquidandæ reſtant ex Polonico exercitu. Ad externum accedemus & ad ſopienda quædam puncta, quæ nobis ab illis data, cum neceſſarium omnino ſit, ut opus ſermone, & ſermo operibus comprobetur. Non enim tam facile quod præſtare non poſſumus, ſolemus promittere, quam cum promiſimus, diligenter præſtare, & ita quodammodo à natura facti eſſe obligamur, atq; inſtituti, ut in promittendo quàm in faciendo cariores non ſimus.

Concurrentia multorum eſt ad illud iter Samboriam, perſuadeo tamen ego, ut illi qui ſunt militibus odioſi non eant, ne ad miſerias recentem miſeriam ſuperlucrentur. Et pares tantum negotiis eligantur, non illi quibus abeſſe omnia & deeſſe videntur, cum præcipuè hanc etiam Samboria palâm fecerunt conditionem, ut hi qui ineffabiles (hæc erant formalia) exercitui fecerunt injurias, in medio eorum non comparerent.

Coacto proinde in prætorium conſilio noſtro arduus rerum omnium erat modus, cum multi, ut dixi, concurrerent, pauci eligendi eſſent, & illi à quibus aut præſtari, aut deſiderari omnia debeant, rejiciendos eos qui nimis diſputare, & ſermocinari magis, quàm ſuadere ſolent, ideoq; facile publicam rem in ſuam vertunt. Verboſos valdè & unà ſapientes quis adhuc vidit? Tota Commiſſio rogavit me, ut me non tam appetiviſſe hanc provinciam, quàm detrectare non potuiſſe omnes agnoſcerent, ut in capite libri nominationem mei admitterem, quam omnino declinare voluiſſem, non tantum quod navim agere ignarus navi timeam, ſed etiam quod in bono effectu negotii hujus planè deſperem. Sed impoſſibile erat excuſare me, quamvis verear ſolitas in ſpiritualem ſtatum acclamationes, obligavit tamen indemnitati eccleſiaſticæ innutritus amor, cum prodire debeat defenſor ipſo officio ducente, quia milites ordinariè non ceſſant loqui verba adverſus loca ſancta locorumq; miniſtros. Si non ſufficiam negotio, quæ agenda ſunt, curabo ſine ulla oſtentatione agere. Multa quidem ſupportanda erunt in illo loco, ubi pauca etiam pro pecunia haberi poterunt, ſed bene emitur publica felicitas, paucorum incommodis. Securum ego te, & per te alios eſſe jubeo, ut ipſe ſum certus, nos ſine ullo effectu bono redituros, ſed quid faciendum, eundum tamen, vita & ſpiritus modo adſint, nam de viribus diffido, licet ſperem & optem, firmiores illas ipſo itinere redditum iri. Velle ampliſſimum cuique conceſſum eſt, ſed poſſe limitibus arctis definitur. Iter ergo paro. Ex Senatu deſtinati Caliſſienſis laboris ac fidei capaciſſimus, nihil ſibi vendicans, ideoque omnia aſſequens, quem ſenſum intendit, explicat optimè, ac novitate ſententiarum ac rerum acumine non opprimit laſſum, ſed reparat, & Belzenſis verbis parcior, rebus plenior, Palatini, & Theſaurarius Regni; ex equeſtri ordine plures quàm duodecim.

Dum hæc ſcribo literas tuas accipio, & cum aliæ ſolatium portare ſoleant, hæ angorem. Ita me unum Patriæ affligant mala. Et ſi declara-

A.C.1697 clarationem meam eundi Samboriam non dedissem, vel si illam honestè revocare possem, dispensationem certè ab illo itinere peterem; video enim, ut tu primus censes, quod cernimus omnes infelicitatem negotiationis nostræ, quando nulla spes alicujus notabilis succursus à te veniat, spes ergo omnes, quasque habebam, quasque non habebam, perdidi. Quomodo crudiores propsitiones emolliemus? quomodo properantes in viscera Poloniæ, ubi ruina infallibilis subsequetur impediemus, si nervus deest? desperare ergo debeo de effectu cum alterum integrè sine altero expediri nequeat, quomodo cum rationibus tantùm eò loci comparere audebimus? quæ non patent esurientes. Scias ergo & non dubites bonum eventum magis inter vota, quam inter sperata esse.

Lesczynius & Lubomirius reconciliantur.

Generalis majoris Poloniæ non notior ex munere, quàm ex rebus gestis parat vias domum, quem dimittere mihi non est visum in illa diffidentia, quæ cum Thesaurario illi intercedit. Causas ejus præcipuè coram te scienti non attinet dicere, ne summorum virorum parum sedati animorum motus famæ & nomini eorum notam aliquam inurant, illud tamen adijcere libet Leszczynium facili & hilari animo contemnere solitum præcipitantiam aliorum levem an gravem determinare nequeo, contra Lubomirium omnia actionum momenta expendere assvetum, ac propterea suspicacem, hinc inter dissimiles, sæpius oritur discordia, sed nunc potissimum est in supremo gradu. Quæ ne Reipub: negotia impediret, prospiciendum ratus, fiducia amicitiæ, utriusque in me toties declaratæ, ejus controversiæ componendæ optimum tempus credidi, ut aliquod convivium consulto invitatis partibus facerem, prius persvasis ut ad pacatiora accederent, quod dum non vanæ author rei feci, præterito die Dominico postquam Castellanus Cracoviensis, alijque hospites recesserant, ad separatum cubiculum utroque invitato non sine adjutorio antiqui vini opus tentavi; difficile admodum erat utrique persvadere, ut æquis conditionibus, quod inter illos controversum erat, transigi paterentur. Obstinatior Leszczynius jurisque sui tenacior, jamque ego videbar frustra niti, sed cum antiquam amicitiam confidentiamque integram semper cum eo habuerim, non poterat non accommodare aurem dictis & persvasionibus meis, quibus tandem fractus & emollitus totum se arbitrio meo permisit, nec Lubomirius diu moratus, quidquid censuissem, judicio meo committebat, ita cum omnes occasiones, quibus animi tantorum virorum exasperari possent, sustulissem, induxi illos, prius ad retegenda vulnera, ad deducendas mutuas offensiones, petijque ut has ex corde eijcerent cruditates, quod & factum, post mutuumq; amplexum, & antiquæ renovationem amicitiæ cum summa mea abiverunt consolatione. Feliciorem nullã vitæ meæ aut optavi, aut sensi unquã diem, cum ex hac actione Reip: perutili, jure omnes gaudebunt, gratulabuntur, gratias agent. Quis non summam laudem putet, quam ex conservata Repub: habere potest & ne quid ad votorum summam desit spero, nisi aliquis diabolus nova aliqua injiciat, amicos fore Abijt heri Generalis dictus cum Castellano Vilnensi Varsaviam; Castellanus autem Cracoviensis parum debilis in sanitate.

Habuimus conferentiam etiam cum externo exercitu, & discretissimos in rem Reipublicæ invenimus, digni sunt certè maximo respectu Grœben & Brandt Generales, nulla festinatio horum virorum mentionem transgredi debet.

Petij Suffraganeum diœcesis hujus, ut supplicationes publicas indiceret, pro felici successu negotij nostri, quam ego nolens, invitus, coactus, arripio, DEus felicem illam faciat, celerem reditum det & successum. Quis civium & mediocriter bonorum non gaudebit? non gratulabitur, si bene res cesserit: si autem non, si feremus supra spinas magnarũ

gnarum rerum etiamſi ſucceſſus non fuerit, honeſtus eſt ipſe conatus, qui omnibus bonis in rebus in laude, eventus in caſu eſt. A.C.1697

In negotio bene noto, quod ſuſcipias tui conſilij eſt, ego monendi partes quæ ſunt prudentiæ non aſſumo, neque enim plus illa in re me exiſtimo videre, quam tu vides. Valetudini tuæ, quam ægram dicis, ſacræ lausque decuſque Togæ, non minus quàm gloriæ ſervias, ſi meæ dignæ ſunt quas exaudias preces. Quia nobis qui te ſummè diligimus tantæ curæ eſt, ut primas noſtræ ſalutis partes in tua ſalute poſitas exiſtimemus. Sed ſatis verborũ,quæ non aliunde profluunt quàm ex affectu,ære ipſo & adamante firmiori. Niſi ego meã in amicitijs diligentiſſimè colendis, manſvetudinẽ dediſcam, tua te nunquam fallet opinio.

XLVII

JOANNI IABŁONOVIO

Palatino Vołhiniæ ex arce Samborienſi,

3 Martij

Acceſſum ad confœderatos Samboriæ nuntiat, honoris tuitionem appromittit.

Tua erga me officia, dum vivam, animo ac memoriâ tuebor, & prædicare nunquam deſinam. Amavi te adhuc infantem, æſtimavi cum poſt diuturnas apud exteros peregrinationes virtutes domũ adduxiſti, dum quocunque peregrinus iveris te tuliſti, quocunque acceſſiſti, te inveniſti, undecunque regreſſus te, contuliſti. Amo & æſtimo etiam reducem non dubites, non ambigas, credas hæc. Ad noſtra

Sicut nube ingruente ſub tectum confugimus, ſic in difficultatibus quæ occurrunt ad vos, ut ad ſapientiæ arcem, quam fortuna nullis machinis evertere poteſt, recurrimus. Ut verò itineris rationem mei, & inceptorum tu, & per te alij habeant, breviter defero. Duobus ab hinc milliaribus inveni Theſaurarium Regni in Rudki ibique communicato conſilio venimus Samboriam, horis aliquot occaſum ſolis anticipando. In arce ſatis pro tot perſonis anguſta omnes conſtitimus, ne ſcilicet longinquitas loci difficiliorem nobis conſiliorum redderet communicationem. Dominus Palatinus Caliſſienſis, non tantùm menſa exceptus communi mihi, ſed etiam ſub eodem tecto, & ut veriùs dicam, in eodem manemus cubiculo, ut jure vicinitatis, quod in propinqua parte amicitiæ putatur, & communium ſimilitudines ſtudiorum ac voluntatum, ea cum alijs agamus, quæ Reipub: proficua. Dominꝰ Caſtellanus Siradienſis cum tribus alijs etiam vicinus nobis.

Cum nos viſitare eodem planè quo venimus momento Mareſchalcus militum voluerit, viſum eſt, ut omnes inſimul eum exciperemus, venit ergo quadraginta circiter commilitonum ſtipatus comitatu. Officioſiſſimè & competenter, & non ſine bona ſpe nos ſalutavit; Facta cernuntur, animus non videtur. Diverſi erant inter nos ſermones. Ipſe, quod mater debeat amare filios, nos vice verſa, quòd reciprocus filiorum in matrem debeat eſſe affectus, nec in viſcera ejus ſæviendum, optavimuſq; ut eos bonus genius reducat, ſicut malus abduxerat. Multi ſunt qui nos terrent, durè nobiſcum acturos, ſed nos cogitamus præclarum fere nihil eſſe, quod idem difficile non ſit, & tamen difficultates omnes ea quæ in præſtantibus viris facilè exiſtit gloriæ cupiditàs, in nobis autem amor Patriæ vincet; ſpes tamen non deeſt, nam ſperandi ratio ſubeſt, quamvis dicatur multos hîc eſſe litigioſos, & duros, certaminis ubique quàm pacis amantiores & quo quis ignobilior, atque abjectior, tanto liberiorem ad loquendum, multos eſſe cæcâ cupidi-

tate

XLVIII.

CARDINALI PRIMATI,
ex Arce Samborienſi,
6. Martij.

Refert initium tractatûs cum confœderatis, queritur contra alios nolentes ſuccurrere in his calamitatibus.

VEnimus Samboriam, temporis lucrandi gratiâ ſine dilatione, momenti unius diſpendium non patientes præliminaria quædam abſolvimus, & quoniam in craſtinum diſtulerant nos commiſſarij, ad conferendum nobiſcum à militia confœderata deſtinati, congregati nos à Repub: huc miſſi particularem conferentiam inter nos habuimus, ut modum agendi concluderemus, verebamur enim ne in tanto numero exiſtentes, more comitiorum quiſque loqui vellet, demonſtrando facundiam, neceſſaria verba ſubtrahendo, & ſupervacua ingerendo, cum ſæpius multi non tam eloquentes, quàm plura loquentes videri volunt, & inanis iſta gloria ſectilem utrem aliquando inflat. Quanquam habeamus inter nos graves viros & magnos, quos non excludet Panegyris à debito gloriæ participio, quorum meritis ſeorſivos honores, commodiori tempori relinquo. Omnes interim in genere & individuo colo & æſtimo, cum præcipuè tibi ſcribam, qui omnes noſti.

Concluſum proinde ponere verba noſtra in labijs unius, uno ore loqui, diviſis inter nos materijs, quas in apricum venturas credebamus. Si verò evenerit, cum multa non tantùm contra voluntatem, verùm etiam præter opinionem venire in propoſitiones poſſunt, ut aliquid novi interveniat & improviſi, ut cum ijs & jure agamus & æquitate, differendum reſponſum, ut in commune prius de illa materia conveniamus. Petijmus deinde Baranovium Leopolienſem Pocillatorem, ut tanquam Patruus Mareſchalcum privatim accedat (Balbi Balbos melius utique intelligunt) & quaſi ex ſe motiva det ad diſſolvendam hanc confœderationem omnibus rationibus, circumſtantijs, & conſequentijs, ipſe convictus, utque non hæc narret, ſed ex profeſſo uti nepotem doceat, hodie magnus es, cras alius, aut nullus. Ut confideret & à quo & quid petatur. Nihil perpetuum, pauca diuturna ſunt: ut cum multis deliberet, quæ verò agere voluerit cum paucis communicet, & ubi optimum ex omnibus conſilium ceperit, apud ſe ſolum teneat, ne adverſarijs hoc pateat, & inſidijs eorum impetatur. Petijmus iterum ut urgeat accelerationem hujus tractatus, & ut hócce negotium quantocius, & nunc finiatur quod finiri debet aliquando.

Baranovius committitur tractatus cũ Mare ſchalco confœderationis

Rogavimus inſuper ut facilitando res, communicationem diſtributionis hybernæ requirat, quia habendo & illam, & iſtam, quam Caſtellanus Cracovienſis expedivit facilius combinare poſſemus ad quem & quomodo pertineat, & evitaremus inconvenientia, quæ fiunt per duplices in unum locum expeditas aſſignationes. Locuti etiam ſumus, de audientia publica, ſi illa videlicet deſiderari à nobis deberet apud omnes in circulo, ut vocant congregatos, ubi non ſemper veritas audacter dici poteſt, quamvis mala nulla credo, dum proſint modo. Quare evitanda omnimodo, & niſi in neceſſitate per delegatos è medio noſtrî accedendum concluſimus, & id eo caſu, ſi aliquãdo in gravem materiam tractatꝰ noſter incideret, nec difficultas illa ſopiri poſſet.

Habemus hinc duplicem diſpoſitam poſtam Leopolim, & Varſaviam, ut quàm ſæpiſſime communicemus, quæcunque finire judicio noſtro non va-

 lebimꝰ

AC. 1697 lebimus, ingenuè fatendo de imbecillitate virium noſtrarum. Imperfectum enim vident noſtrum oculi noſtri, & nollemus quidquam decidere, ſine prævio conſenſu tuo, quem valde rogamus, ut punctuali reſponſo exprimere velis, quid in quaq; cauſa facere nobis expediat? Noſq; ſemper recurremꝰ ad te, cùm auxilij aut operis egebimꝰ confidenter expoſcentes reſponſum, utinam verò illud ſit facti non verbi! quia ſine pennis volare haud facile eſt, dum vela cadunt, difficilius eſt inſurgere remis.

Confœderati requirũt exhibitionẽ plenipotentiæ à Cõmiſſarijs Reip. Miſit ad nos aliquos ex ſuis Commiſſariis exercitus, expoſcendo & deſiderando fundamentum negotij noſtri, an habeamus ſcilicet plenipotentiam, utq; inſtructionem noſtram iis communicemus, quam nos, evitando juſtas læſiones per extenſionem publico dare non poſſumus. Poſſet enim aliquis tangi, cui ulcus ineſt, reſpondimus proinde, quod optimam ſtructuram imprimis ſperaremus, dum de ponendo ſtabili fundamento conſulimus. Non ſcripta, ſed viva plenipotentia ipſimet ſumus, non ex externis perſonis, ſed ex corpore duarum Commiſſionum ſelecti. Inſtructionem habemus quidem privatam, ſed hanc monſtrare non tenemur, niſi in tractu tractatus aliqua occurrerit difficultas. Concitabamus inſuper illos, ut militari ſtylo nobiſcum procederent longioribus iiſq; minus utilibus ſuperſedendo præliminaribus.

Proponebant illi inſuper, quòd illam Commiſſionem aliam limitatam, non agnoſcerent, ſed hæc propoſitio authentico documento ſoluta eſt, quòd eam ipſimet recognoverint. Abierunt & iterum prandentibus nobis comparuerunt denuntiando cras tractatum incepturos, de loco tantum modo inſinuarunt, deſiderare ſcilicet eos, ut in conventu Patrum Bernardinorum negotium hocce tractaretur, ſed reſpondimus nos prius Leopolim, pòſt Samboriam veniſſe, nunquid non directè contra authoritatem Reip:? ſed id minus habuimus modò illi bene fiat. Meremur tamen, ut dum nos tantum itineris perfecerimus, & illi pro decore Reipublicæ quam Dominam agnoſcunt ex hoſpitiis ſuis ad nos veniant.

Expectamus diem ſubſequentem ſuſpirando ad Dominum DEum, ut dirigat corda eorum, & reducat aſpera in vias planas, videmus non admodum validas illorum rationes, quæ tamen aliquem minus peritum in fraudem inducere poſſent. Terremur undiq; quod iſte tractatus noſter, ſine ullo eventu evaneſcet. Sumus ſub potenti manu DEi, quæ hodie affligit, cras ſolatur, nos certè nec ſolicitudines animi, quibus angimur, nec labores corporis, quibus premimur, nec adverſam valetudinem ipſamque mortem, ſi neceſſe foret, pro ſalute Patriæ vitaremus.

Iterum miſerunt ad nos ſeriò expoſtulantes ut in dicto ſuperius conventu, ſi non totum abſolvere tractatum, ſaltem principium ei ponere vellemus. Temporibus mores ſapiens ſine crimine mutat, cum non minus anxiè, quam ſuperſtitiosè, id ipſum requirerent, in petitioneq; ſua perſiſterent, vix non eodem deſiderio detulimus, ſed tamen rationibus oſtendebamus, eis erubeſcendum eſſe ad orbis judicia, quod requirerent id, quod per authoritatem Reip: & gradum dignitatis, qui à ſummo eſt proximus, nullatenus facere poſſumus, citra diminutionẽ authoritatis Reip: juſtius enim & convenientius eſt, ut filij veniant ad Matrem, quàm Mater adeat filios. Poſt multas igitur controverſias in

Initiũ tractatus cum Confœderatis. illorum conſeſſu factas, tandem Commiſſarij ſedecim poſt meridiem horâ quartâ apud nos comparuerunt, & nulla interpoſitâ morâ ne momenti quidem diſpendio facto Spiritûs S. invocato auxilio incepimus tractatum & præmiſſis præmittendis imprimis quæſivimus, quæ ſint? & in

in quo consistant prætensiones confœderatæ militiæ? securos eos reddentes quòd non fraudabuntur à desideriis suis, modo illa sint justa. *A.C.1697*

Deducebant illi longiori & sæpius incomposito sermone quomodo nomen commilitonis in contemptum venerit in circulis, nulla vocis libertas illis data fuerit, quomodo ingentes largitiones ipsis contradicentibus ex illorum hybernis statutæ, quomodo à loci tenentibus depressi, contempti in nullo honore habiti fuerint, ad quæ reposuimus ex mente instructionis nostræ. Multas & graves causas objiciebant contra Castellanum Cracoviensem, quas non poterant probare nobis rationem reddentibus. Deducebamus enim nihil eum sibi vendicantem, semper infra aliorum æstimationem se metientem, vultu vitaque tranquillum, animo moderatum, in quarum virtutum æstimatione jam pridem judicia Reipub: cum judicijs Regum certarunt. Quæcunque illi allegant nec fecit adhuc, neque facturus unquam est, & forte nocturno tempore ista gesta sunt, quia nemo ea vidit. Itáne obliti sunt beneficiorum & affectus eius? quem illis & in universum omnibus, & in particulari vix non singulis testatus est? Itáne honorabuntur prava, punientur recta? qui gloriâ clarissimis belli pacisque artibus quæsitâ, omnes superioris ætatis Duces superavit, quem nemo ut quondam Catonem mutatum, toties mutata Repub: vidit, eundem nunc anxia aliquando tam enormiter læsum videbit & quæret posteritas? Ita ne facta atque infecta canentes, fanda atque infanda referentes laudaverunt? Facta hæc non attentata sunt sed perfecta. Quàm delicatè honorem cujusvis commilitonis tractaverit, circulos non sub papilionibus, aut in domibus, ut fieri ante solebat, sed sub dio, sub cœlo, in aperto & lato campo pro majori commoditate non consideratis plerumq; injurijs cæli convocabat, ordinabat. Quis aliter dicere potest? quem læsit? quem dishonoravit? &c.

Prætensiones eorundem

Defenditur Castellanus Cracoviensis.

Si vero accusantur loci tenentes, qui sunt ij? nominentur, deferantur specificè, judicium de ijs instituetur, vel absolventur innocui, vel damnabuntur accusati. Satisfactio pro præteritis fiet. securitas in futurum constituetur. Post multas proinde dissertationes pro & contra, optavimus, ut illi ipsi, qui melius sciunt suas læsiones, proponant modos satisfactionis & futuræ securitatis, sed hoc punctum ad decisionem totius eorum consessus distulerunt, & sufficere in eo videbatur, pro dictis suis nostra audire vicissim.

Respondetur alijs prætensionibus

Sopitis postea minoribus difficultatibus ad hybernam accessimus, cujus nomen apud illos exosum, consistentiam tantùm modo appellare volunt. Multa hic dicta & exposita plurima inconvenientia, quæ fiunt per duplices assignationes ad unum eundemq; locum. Durissima hoc in puncto dixerunt, tandem tamen illud medium propinatum, ut confidenter distributionem suam nobis ostenderent, & ut & ex parte nostra aliqui & ex eorum totidē destinarentur, qui eas assignationes combinare pro potestate, & difficultates inde occurrentes sopire valerent, distribuendo hybernam istam sine præjudicio eorum ad quos duplices assignationes expeditæ. Sed illi omnia sibi arrogare, nihil distributioni Ducum deferre voluerunt, & post aliquot horarum disceptationes in crastino beneplacitum Principalium suorum nobis adferre promiserunt utque eò melius justitiam causæ, & mentem nostram intelligerent, dedimus ijs in scripto rationes nostras, hoc inter nos arrepto & concluso medio, ut ea quæ proponimus ore, pro meliori memoria in scripto exprimamus. Venit interim nox & solvere sessionem debuim9. Poterunt nobis brevissimæ videri noctes, quas tam carè mercamur, diem noctis apprecatione non perdentes, nec noctem lucis metu (die noctuq; cum diversis conferendo, disputando, informando, varijsque modis inducendo) consumentes. Inter spem & metum continuò sumus expectati eventus, quando irritum fore timemus, quodcunque tentamus, cum nec ple-

 na, nec

A.C.1697 ita nec facili manu mercedem exolvere, ut illi non tantùm optant, ſed & volunt, nec privata privatorum deſideria, quòd maximè expediret contentare, ne in multorum diſcrimen idque maximum mala accedant ulteriora. Plures enim inter illos ſunt qui deſiderio bene habendi accenduntur, quàm illi qui amore Patriæ, quem prædicamus moveri velint.

Accepi hócce momento literas tuas, quæ me ſenſibiliter ita affixerunt, ut quæ mentis exprimere meæ ſenſum queant verba prorſus nulla ſuppetant, cum forſan in medio curſu ceſſare, ubi portum ſperavimus, naufragium pati, ſcopulum poſt tot fluctus reperire, & tam deſideratum opus ob defectum tenebimur abrumpere, & ita conſolatio noſtra abſcondità eſt ab oculis noſtris, cum ereptam nobis, ut dicitur, è manibus citharam ſine ullo artificio malevoli verberant. Hic interim non tantùm tacita vota, ſed & claræ voces ſunt, quod bona noſtra eccleſiaſtica brevi aggredientur. Quid eos non facturos putamus, qui publicè hæc minari non dubitant? Nónne his cogitationibus multùm conturbari, & facies noſtræ mutari debent? Iuſtus Dominus Deus in omnibus operibus, quæ facit, & qui abſconditorum eſt cognitor, qui novit omnia antequam fiant, ſcit quod nos ſupra opinionem publicæ hæ calamitates, quibus aguntur boni viri, quales nos eſſe & haberi volumus, affligant. Non exaggero hæc, ne longius à propoſito recedat epiſtola mea, quamvis rem ipſam premit, & certo certius hæc intuens audienſque cuncta proferet dies. Serviendum erit neceſſitati, ſed quid neceſſe erat in jam venire neceſſitatem? nemo ex Coepiſcopis noſtris adjutor eſſe vult in his omnibus, ut tu quem nec opinio fallit, nec voluntas à veritate detorquet expreſsè ſignificas. Quem fructum habebunt in ijs, in quibus ſemper erubeſcent, plus apud aliquos levis quidam valet reſpectus, quàm iuſtitia & Eccleſiæ amor. Injucunda certè erit injucundæ rei recordatio, ad tempora malè exacta animum revocabunt aliquando, eorumq; quæ ſpecioſa rerum vanitate à tantis commodis dejecerunt, recordabuntur. Ita pleriſque, qvum ſegnes vivere placuit, placuit ſegniter ſentire. Velimus interim nolimus, & eſſe, & ſemper miſeros nos fore prævideo. Arant impietatem, iniquitatem metent, qui cauſa ejus renitentiæ ſunt, puniet illos Deus ultionum Dominus.

Videmus & dolemus, ita ſe mores habere ut publicâ quiſque ruinâ malit occidere, quàm ſuâ proteri & idem paſſurus minus conſpici. Ego mihi temere nihil arrogo, ſed nec aſſentior libenter non ita gloriola ducor ut falſæ opinionis errore, quod multis contingere video, oblecter. Optima videbantur conſilia præſentia mea, quorum tempus effugiet, & quod facto ingenioſo magis quàm pio impediverant à tanto tempore præmoneo publicè, utatur, non utatur, qui volet conſilio meo, hoc eſt tamen vero verius quod deflere ſtatum eccleſiarum noſtrarum, & temporis fortunam, nemo ſatis dignè poterit, nec ego nunc verbis exprimere poſſum, quia commodè hæc nequeunt deſcribi, & non facile, alias res conſtat. Non committunt agricolæ ſemina arenis, nec ego præjudicata Sviderſciana in memoriam revoco, quæ hîc publicantur, & mallem ſi hæc ex alijs reſcires, ſufficit mihi, quòd profutura aperui & ſvaſi, non quæ noxia.

Habui in literis meis privatis, te feciſſe, quæ potuiſti, ſed alios Collegas noſtros futura non providentes id abrupiſſe, fructibus neglectis occupatos in cortice. Nemo enim in ſe tentat deſcendere, ſed præcedenti ſpectatur mantica tergo, ipſi ergo viderint, cum ita deplorabitur in perpetuum ruina noſtra & libertas eccleſiarum, nec vindex quiſquam exiſtet, nec futurus videbitur, nec ſperandum lac, vel lanam certè reliquis ovibus noſtris relinquendam. Reſpondebunt ergo Domino

no DEo dum tam deſiderabile opus eccleſiis tam neceſſarium diſſolvetur. Nónne melius fuiſſet redimendo infallibilia damna gregis parvo amici, quàm vix exprimendo damno. Plura ſcribere vetat dolor prævidentem, non mala, ſed peſſima, hoc tantùm addo, quòd à matutinis horis, usq; ad veſpertinas, in tam gravi tractatu continuo ſedemus & frequentius nihil capimus. *A. C.1697*

Prætenſiones ſuas cum Caſtellano Cracovienſi, o! quam acres habet dolorum aculeos contumelia, quam inferior imponit! & Capitaneo Vladimirienſi cum tanto zelo & fervore proponit militia, ut etiamſi adæquata dederimus media, non tamen eam fortunam habuimus, ut quanquam convicti noſtris ceſſerint rationibus, unde peſſimum omen ulteriorum; DEus meliora, qui te quàm diutiſſimè ut exopto, ſalvum & incolumem ſervet.

XLIX.
EIDEM CARDINALI,

7. Martij Samboriâ.

Præmiſſa cujuſpiam recommendatione, & defenſione Ducis exercituum, refert propoſitiones Confœderati militis, & reſponſum.

SCripſi heri commodâ occaſione, ſed & hodie opportunitatem nactus tibi ſuppeditandi materiam meriti ſcribo, per eum qui petiit à me, ſuî ad te recommendationem. Si unquam apud te commendatio mea valuit, ſcio autem multas plurimum valuiſſe, hæc valeat rogo, ut intelligat de ſe me ſeriò reſcripſiſſe, meamque commendationem aliquo uſui tibi fuiſſe, pondusq; aliquod apud te habuiſſe. Quamvis non multis tibi commendandum eum credo, quem tu ipſe æſtimas, & diligis, ſed tamen ut ſciat ſe à me non diligi ſolum, ſed & amari, hæc exaro.

Nolim quidem referre quæ apud nos geruntur, cum nihil adhuc geratur boni, attamen etiam de iis certior fieri debes.

Jam reſpondi tuis, quia tamen omiſi illud punctum, in quo plura mihi tribuis idq; in me quamvis eſſe veriſſimè cupiam, non agnoſco! Sum certe in ipſo deſideriorum fervore, ut te præeunte cogitem, & faciam quæcunq; in rem Reip: poſſum. Video in te amorem, quem jure tamen ſcio deberi mihi amanti, utinam quam profiteor aliquando gratiam referre poſſim, ſcias verò publica negotia abſolutè me curare excluſis propriis.

Omnia improperia quæ hic non libenter audimus contra Caſtellanum Cracovienſem verbis exprimi non poſſunt, & illa admiramur, quia ipſam admirationem ſuperant. Multa ignava, nec timor in mente nec in fronte pudor, & dicuntur & dicentur, & timeo ne dicantur plura, quamvis argumentum boni viri ſit talibus diſplicere, nam commutant veritatem DEi in mendacium. Objiciunt plurimi innatâ quâdam cupiditate rerum novarum infecti, & libertatis inimici, & legibus infeſti perverſitate ipsâ perverſiores. Grande eſt contumeliarum certamen, quotidie grandior illorum cupiditas, emoritur verecundia expulſo melioris æquiorisq; reſpectu, nulla facultas adeſt levandi angores cum emoti ſunt ex eo fundamento, in quo nos majores noſtri collocavêre. Solúmque certamen eſt, qui ingenioſius pejor appareat, maxi- *DefenſioCaſtellaniCracovienſis.*

A.C.1697 mè autem illi insurgunt, qui prætextam vix exuerunt, quibus vix militaturis sagum Bellona aptavit, & qui prius adoleverunt in malitiam, quàm in annos, juventutis suæ flore in campum Martium transplantato, non pulchrius florere rati, quàm si ibi pessimo dente contra Duces suos insurgerent. Videas non unum qui frusto panis (ut ajebat Cato) conduci potest, ut vel taceat, vel loquatur, & tamen calumnias contra illum referunt nullâ veritate fultas. Audivimus nos hæc ut dixi illibenter, quia necessitas in voluntatem transit, & quem bene novimus testimonium ei perhibemus, quoniam bonus est, & quia culpam non habet, persvademúsque eidem ne his lædatur, cum propria eum excuset conscientia, & hæc cura est nobis, imò justitiæ Dei, ut nihil lucrentur de suo mendacio susurrones maligni, nec patiatur in aliquo innocens Dux, & Senator. Illum pronus Comissariorum favor protegit, & veneratur in fastigio, consensio bonorum, non judicium duntaxat hominum, sed etiam cæli pro se habet, & status etiam rerum hujus temporis pro eo facit, nec id nocebit famæ quòd secundùm gloriam ejus multiplicata nunc est ignominia, & sublimitas ejus conversa in luctum, ast gloria replebitur pro ignominia, cum ille quæsiverit semper bona gentis suæ, & è converso invaluerit furor, pudor evanuerit & timor Dei. Sed metuant ne exurgat Dominus judicia faciens causamq; agens injuriam patientis, nam secumdùm beneplacitum Dei innocentia ejus universo Regno eò magis innotescet, quo magis perditum volunt, dumq; gloriæ ejus fama diffundetur, illi justas malitiæ suæ pœnas exsolvent. Exhibitum est nobis rescriptum à Confœderatis, in quo pluribus verbis, etiam per calumnias supplantare volentes adversarios, sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt.

Injurias verò suas exposuerunt, nunquam sibi liberam vocem permissam, discrimine nullo violatas leges, Dominum Castellanum Cracoviensem omni studio ad se cuncta trahere conatum fuisse, cum nemo se opponere ausus fuerit excelso torrentis impetui, summæ arbitrio potestatis. Nihil fecisse nisi ex commodo suo, dudum eum nihil justi animo concepisse, multò minus præstitisse. Plurimas assignationes, partem deservitæ eorum mercedis absumpsisse, & quanquam generosa voce aliqui se opposuerint, nunquã consideratum. Ablegatos ab exercitu, ad Comitia distributores hybernæ sine numero destinatos cum injuria exercitûs & contra consvetudinem, ubi quatuor tantum temporibus præteritis fuerant. Petierunt proinde, ut quicunque denium indebitè aliquid accepissent, reddere cogerentur. Urgebant deinde ut more antiquo substitutorum electio fiat, ex præsentatis à quovis colonello quatuor Candidatis, ut ad recipiendas ex Palatinatibus debitas pecunias, ad hyberna quoque eligantur è medio deputati, quos plerumque pro libitu suo. loci tenentes destinant, nullo meritorum habito respectu. Vt etiam non liceat loci tenentibus propriâ voluntate commilitones amovere, sed id per judicium totius cohortis semper fiat, utque durus ille qui invaluit abusus tollatur. Cum etiam loci tenentes vix quatuor septimanis penes suum vexillum residere soleant, ut ad frequentiorem residentiam obligentur. Præbere alteri lucem volebant multi, qui sibi tenebras struunt: similes illis, qui jurabant non esse jurandum, ad extremum ut loci tenentes serio invigilent, quatenus completæ cohortes fiant.

Est inter multas & ea non minor injuria, quòd servitium exercitûs incipiat à Novembri utque id à Majo fieret petierunt, justitia ipsa svadente ut pane hyberno non fruatur, qui non servivit, nec manducet qui non laboravit, utque non hi qui servire se promittunt, sed qui jam serviverunt hoc solatio frui queant. Petierunt proinde ne id in posterum fieret.

Hæc & aliqua minora puncta nobis proposuerunt enixè petentes, positivum responsum, quod autem nos essemus conclusuri & declaraturi, pactis

ctis conventis futuro regnanti inseri volebant post in comitijs coronationis *A.C.1697*
per constitutionem approbandum. In casum autem contraventionis, ab obedientia Ducibus debita exercitus absolveretur, & degradatio Ducum fieret; Optimè autem Respub: sibi consuleret, ut salvis modernis possessoribus triennales tantùm essent Duces &c.

Responsum à nobis authoritate subselliorum nostrorum vocem liberam in futurum cuivis in circulis solitis militaribus ita providendam esse, ut provisa est cuivis nobili in comitiolis, numerum tam distributorum, quàm ablegatorum ab exercitu, in hac egestate publica gravem & expensis exercitûs incommodum minuendum, quanquam non appareat esse maior, cum tantum per florenum à quolibet equo, sivè in paucos, sive in plures contribuitur. Quia tamen & hæc auctio non placet desiderijs exercitûs, ut more antiquo sex à Polonico, duo ab externo milite tantum destinentur, per positivam legem id nos procuraturos suscepimus.

Quod verò contra extorsiones Capitanei Vlodimiriensis & aliorum proponitur, quoniam idem Capitaneus & alij submiserunt se judicialiter responsuros, ætatem habent, respondeant pro se, libenter ad judicandos accessuros nos etiam in hoc tribunali ad cujusvis instantiam promittimus; Quoniam aliter accusatus inauditus, & indefensus condemnari nequit. Idem intelligendum & de loci tenentibus modo illos specificent, utq; frequentiores sint penes vexilla per reassumptionem legis in articulis exercitûs jam statutæ stringentur ad debitum suum. Cui legi de disciplina militari expressæ subjacebunt quoq; & omnes alii cõmilitones, ne dum prædicti Officiales venerint, ipsos absentes reperiant. Electio verò loci tenentium ad præsentationem quatuor Candidatorum à Colonello propositorum ut fiat, lege quoque statuetur; idem intelligendum de deputatis ad recipiendam mercedem.

Desiderandum quidem esset pro bono quoque Reipub: ut non in futurum, sed pro præterita hyberna solvatur, sed cum Respub: suî Domina hâc præcipuè ratione fulta, ut illi qui obsequium Reipub: incipiunt, aliquod juvamen habeant, ad faciendam in bellum expeditionem, ita providerit, non est potestatis nostræ pronunc immutare totius Reipub: mentem, sed ut id novâ mutetur lege seriò curabimus. Futuro Regnanti in pactis proponemus, in comitijs Coronationis, ut eo nomine constitutio fiat, solicitudinem nostram offerimus. Ad combinationem hybernalium assignationum, quam tandem non sine magna difficultate evicimus è medio nostrî ad Commissarios jam ab exercitu destinatos, nos quoq; nostros nominavimus.

Iterum commendatum recommendo, quidquid illi præstiteris, me tibi summo atq; inexplicabili amoris observantiæq; nexu in perpetuum obstringes. Excusa interim quod sim tam importunus, dum enim me expedire paro, novas obligationis causas tanquam vincula necto, quibus arctius implicer &c.

L.

STANISLAO JABŁONOWSKI Castellano Cracoviensi Supremo Exercituum Duci, 8. Martij Samboriæ.

Refert hîc acta cum confœderatis.

ACcepi literas & fructum fero meæ singularis in te observantiæ cum non tantùm majorem, quàm mereor, gratiam refers sed etiam plus mihi tribuis, quàm audeam arrogare. Sæpius non scribo, quia quæ hic geruntur, certò & sciri & scri-

bi non

A.C.1697 bi non possunt, & licet aliqua explorata sint, pudore à scribendo deterreor, tam fœda ac calamo meo indigna narrari deberent, insuper tam multis tamq; difficilibus molestiis & occupationibus implicor, ut dies ad me expediendum non satis sit totus, imò interdum adeo tanquam alas habeat, mihi se subrupit, ut vix aurora illuxisse, cùm terras nox opacare videatur, ut quandoq; cogar exclamare. O! nimiam temporis nobis ad usum vitæ dati celeritatem! nimium fugaces ac labiles dies! non ita citò per mare cursu naves remigio veloq; impulsæ feruntur, non ita celeri telum fuga, ex arcu unde dimittitur ad scopum quo dirigitur, abit, ut dies nostri labuntur, nec tantum in iis operari possumus, quantùm quidem vellemus.

Quoad negotium principale non est consuetudo mea, ut etiam in rebus desperatis animum despondeam, nullæ me etiam bene fundatæ suspiciones deterrent, neq; ulla temporis umbra. Scio enim etiam post malam segetem serendum esse. Invicti esse possumus, inconcussi esse non possumus, quanquam interim spes subit inconcussos esse non posse, non tamen libenter terrerem vos modica spe curarum & laborum nostrorum, quos nobis commissiones vestræ imposuerunt, non sine dispendio honoris, sumptûs & vitæ. Nunquid caro ænea est? Cum tamen dies transeant & posteriores prioribus pejores recurrant. Officij mei duco præmonere te, & per te alios collegas nostros, esto pro me ad eos, quibus mutuam debemus confidentiam quod hæc negotia nostra sint æmula illius Penelopes labori, quæ telam quam de die texuerat, nocte retexebat, spes non dubia, & jam spei fiducia nobis affulserat, quod concessis omnibus quæcunq; petebat exercitus confœderatus depositâ & sepositâ etiam Reipublicæ authoritate, jure tandem expectatus sequeretur eventus.

Nomen commilitonis objectum hujusce confœderationis, non tantùm ad normam antiquam, quæ allegabatur reduximus, sed etiam novis privilegiis confirmandum (fiat tantum pax & tranquillitas in diebus nostris) liberalissimè promisimus, majorem conatum virium, quam vires etiam in sedandis illis adhibentes. Innovare in favorem illorum, aut potiùs lapsum antiquo honori commilitonis restituere tentavimus, sed magnus in animo dolor est, & pungit fidem non haberi fidei nostræ. Unde te quoque super miserandam hanc speciem, omnesque collegas obstupuisse, ingemuisse, corruisseque scribis. Læsiones multas à te prætenderunt, sed nos bene notam tuam æquanimitatem habentes, credentesque, te malle aliquod honoris tui præjudicium amori Patriæ condonare, quàm ut tam sanctum opus dissolvi debeat, sic nos rem accommodavimus, ut salva per omnia in persona tua Reip: authoritate satisfactionem suam exercitus habere possit. Petimus tamen ut non tantùm in bello fortitudinem quam novimus, sed in hoc negotio tam difficili æquanimitatem monstres, cum his non obstantibus is Imperator es, sub cujus clava Gradivus ipse merere, & victoriæ triumphare vellent. Dicant quid velint invidi, tua in Remp: merita nomenq; sæculis transcribimus, in quibus omnia ad æternitatẽ conspirarunt, sed malo te legas, quã epistolam meã. Deponet Deus potentes de sede, qui tuæ potestatis inventi sunt inimici & te in antecessoribus tuis, antecessores in te venerari renuunt. Approbo proinde quod adversis patientiæ clypeum opponere, nullis invidiæ telis conteri, nec a rectitudine tua deflectere velis, & in eo convenio, te non parum affligi, quòd præterqam plurima nobis nota pertuleris, hoc etiam malis tuis adijciatur, ut ista merito pati credaris, ut omnibus perditis etiam honestatem

statem existimationis & famæ bonæ amittere videaris, quasi vulgus Imperitum pessimus rerum interpres, ea solum numeret inter bene facta, quæ prospere & feliciter accipiuntur. Cum verò aliquid adversi & sinistri attribuitur, credi deberes dignus his esse & ista meruisse. Sed habes tantos hic & ubique amicos, ut etiam novercante fortunâ veros cognoscas. Argumentum veræ amicitiæ est non deserere amicum tempore adversitatis, & quem felicitas amicum fecit, infortunium non facit inimicum; Omnia hæc quæcunque tibi obijciuntur innocentiâ tuâ satis diluis. Pœna gravior non est, quam interioris vulnus conscientiæ, sed hîc veritas enatabit, nec mœror ob falsam calumniam opprimere debet, cum & tu tibi conscius, quidquid malevoli sentiant, gaudes in conscientia tua, cum jam pridem terras innotuerunt hæc per omnes, probi citius crederent justitiam toto orbe exulare quam sinistre de te relatis fidẽ præberent. Non eges testimonio alieno, cum tibi propria suffragetur virtus. Mitte proinde hanc de pectore curam, in flammam flãmas, in mare fundit aquas, si quis vindicias honori tuo illæso dare præsumat. In prætensione contra Dominum Vlodimiriensem Capitaneum, cui plurima ab illis impinguntur, nihil fortè verum deprehendetur, cum ad judicia, quæ ipse acceptavit libere venerit, æqvum & melius erit suo ore illum respondere conviciatoribus. *A.C.1697*

Dum ventum est ad exsolvendam mercedem & quam hîc & nunc requirebant impossibilitatem, in id induximus, convicimusq; quod per ratas etiam satisfieri illis sufficiat, cum verò hodie cortice neglecto ad nucleum venimus, novissima pejora prioribus experimur. Cumq; crudiores propositiones occurant, visum est collegio nostro, è medio nostrî expedire aliquos, non tantùm ad emolliendos, sed etiam ad informandos, metuendo ut omnia ea quæ nobiscum fiunt omnibus pateant.

Rogati proinde Palatinus Calissiensis, Thesaurarius Regni, & duo alij ex equestri ordine, ut eos adirent. Nosti primum quòd sit vir nec impendendæ salutis piger, nec impensæ pœnitens, ubi pro patria salvanda agendum est. Scis facundè eum loqui, prudenter cogitare, industriè cogitata exequi. Ille ergo primus locutus non tantùm efficacia media & præsentia ad satisfactionem exercitui proponebat, sed & scrupulos disceptantium solvebat, consequentias deducebat. Dominus itidem Thesaurarius obortis sponteque fluentibus lachrymis emollire duriores volebat animos, si vis me flere, dolendum est tibi primum, cum tua me infortunia tangent. Clamabat iterum, iterum pulsabat, & si non clamosis vocibus, certè lachrymosis gemitibus. Cogebat iterare verba, fletusq; iterata in patriam injuria perditorum, & prolongantium iniquitatem suam. Fuit præterea quem honoris causa omitto, cum à splendore veræ laudis absit, qui se & privatim & publicè ita applicat, ut modò unius, modò alterius partis res fovendo, utriusque favorem sibi conciliet. Cujus tantò deterior est animus, quantò melior vultus, labia ejus loqvuntur mendacium, lingva iniquitatem fatetur, & magis ejus nocent insidiæ, quæ latent. Non credebam ego diu his quæ ei obijciuntur, cum mihi insitum sit, nunquam levem quemcunq, rumorem pro comperto habere, cum non sim ex ijs, qui de summis sæpe rebus consilia ineuntes incertis rumoribus serviunt, & propterea etiam è vestigio eos pœnitere necesse est; sed viam veritatis inveni & credere debeo, quod abominatio sit Domini omnis illusor, & non dubito, aliquando insidijs suis capiendos iniquos, non modò orationes, ut quondam Manlij, sed etiam actiones primâ fronte videntur populares, sed consideranti quo consilio id faciat, seditiosus esse apparet, ad præsumptionem igitur recurrendum, dum veritas sciri non potest, cum præcipuè animus ejus & fides toties cognita, nihil habet constantiæ, nisi in hoc quòd promissam fidem nunquam servare didicerit, sed de hoc satis.

Stanislaus Malachowski

Hieronymus Lubomirski

Mm Auditi

A.C.1697

Auditi sunt mihi a nobis in circuio eorum pacatissimè, & declaratio post modicam inter se conferentiam brevi promissa, ad executionemq; horis pomeridianis deducta, cum Commissarij exercitûs venerint, & posuerint adversus nos mala pro bonis, & odium pro dilectione nostra, ut memoriale sonat, cujus hæc essentialia erant, quod scilicet & militia confœderata amore in Patriam devincta, de rigore resolutionis suæ cedere, & omnia media possibilia ad conveniendum cum Rep: acceptare velit, & videndo indigentiam ejus statumq; in orbitate infelicem, id declarat, petitq; ut medietas deservitæ mercedis pro die 1. Maji exsolvatur, alteram medietatem ad ultimam Julij expectare non gravabitur. Interim vero exercitus in viscera Patriæ intret, panem hybernum assignatum habeat, & cum 1. Maji ad executionem hæc satisfactio deducetur, prævia assecuratione pro reliquo, de reditu ad obedientiam collaturam se promittit. Hanc verò satisfactionem ex qualibet repartitione ab exercitu Commissarius Leopolim portet, deputatisque in id designatis fideliter reddat.

Terminus solvẽdæ deservitæ mercedis ponitur à Confœderatis.

Mirati sumus, quanquã ignari num mirandum, timendũ, an sperandũ? Credebamꝰ enim quod nuntiarent bona, prædicarent salutẽ, & illi rẽ arduã & grandẽ sunt cõplexi, dũmodo quod expressit calamꝰ pectore sentiant idem, cum celerem satisfactionem denderent, reditum ad obedientiã differant & non nisi præviâ medietate satisfactionis conferre de eo cogitent. Respondi ego & dixi non majori irâ quam dolore nomine publico quæcunque DEUS ori meo ex corde loquenti imposuit, non tantùm dando motivum amoris in Patriam, sed etiam securitatis ipsorum, ut ab omni via mala prohiberent pedes suos, si sumere gladios audebunt, scutum Resp: arripiet. Addidit & Thesaurarius Regni vivida & rigorosa voce exprobrando illis, quod dum nomen Commilitonis libertasq; antiqua redeat, dum prætensiones illorum sopitæ, exsolutio certa, quam etiam in bonis nostris quisque pro sorte sua illis assecurabamus, & illi rationibus convinci, & re ipsâ condescendere nolunt; Justa suspicio in animos cadat, non alio fine illos agere, quam ut libertatem eligendi pro placito Regis adimere cupiant, sed inveniet Resp. sufficientia media, ad impediendas hasce malas intentiones, nec permittet unquam, nec patietur quartum ordinem in Rep: Quocunq; placet libido impingit, nec jam furtivè minæ eorum irrepunt, eunt præter aures, jamq; inter omnes passim merentur plausum, quòd id fiat propter electionem imminentem; Resp: verò satius etiam ducet differre electionem, quàm illam sub armis absolvere. Confirmarunt id Palatinus Belsensis strenuus in armis suavis in moribus, & Bronissius Capitaneus Pistrensis & alij, sedhæ omnes illationes fuerunt tanquam surdis fabula.

Responsum Cõmissariorum Reip:

Post multas ergo dissertationes abierunt illi, nec cum, nec sine spe, sed ego credo, nos arare in spem percipiendi fructus, sed spem nos confundere, cum hæc langvida adhuc quædam se ostendat.

Interim convivium expresse fecit pro innata sua generositate Palatinus Belsensis, qui credit, quòd pro Patriæ salute liberalem imò prodigum esse indecorum non sit, ita ille amoris & admirationis sufficientia exhibet indicia, gravitatemq; suam in facilitate conservans, atque unicuiq; pro dignitate tribuens, adhibitis omnibus mediis, non tantum in cibis ea condimentorum genera excogitando, quæ placere illis etiam posse viderentur, utq; inter pocula aliquid pro rep: ageretur, conabantur amici nostri.

Hoc

Hoc est certum, quòd si crastinus sinè fructu elabetur dies, properabimus ad vos ventis atque avibus citius, illuc nos convertet animus, illuc referent pedes, & cum aliter fieri non possit, hoc statu ita delectamur, ut de eo modo Reipub: serviendi tanquam rabioso cane liberati videamur, cum melius sit cum rusticis rusticari satiusque ducamus ea agere, quæ ex re Reipub: forent, quàm per otium, vel tabem in inutili negotio tempus exigere. In quo errare nos non putamus, sed si erramus judicium judicio meliore corrigimus. Quomodo diutius apud eos vivendum, quos neque meliores reddere possumus, neque punire volumus. Brevi ergo videbis nos reduces, quanquam ego forsan Varsaviam divertam, quia & ibi celeri consilio opus est, ne præveniamur; & hîc tam multi estis qui efficacia facile invenire poteritis consilia. Ego pro fide mea quæ sentio defero, hîc esse aliquem spiritum miscentem omnia. Ille Horodinius qui rupit convocationem, ut inaudivi, habuit hîc aliquas conferentias oretenus, nunc eas per literas continuat. Patebunt hæc sed cui usui? dum interim justus patietur, & Respub: erit sub incude. *A.C.1691*

Responsum ad memoriale eorum, hodie mane illis misimus, cujus contentum est, quod libenter antiquiorem mercedem per ratas illis ex nunc exolvendam acceptamus, sed eâ conditione, ut statim ad obedientiam Ducum & Reipub: redeant. Quoniam verò confœderata militia in aliud tempus differre id satis explicitè declarat, nos itidem tenemur, tam verè, quàm audacter illis denuntiare, quòd non nisi sub conditione reditûs eorum ad obedientiam, ineundi tractatûs cum illis à Repub: potestatem habeamus. Petijmus proinde, ut & æquitate & amore in Patriam undiq; infelicitate circumdatam prætensiones suas moderari velint; cum nos verba quorundam eo magis perstrinxerint, quo expressius ab uno ex commissarijs ad nos destinatis à nullius pretij homine, cujus spes inanes credulam mentem fovent audiverimus, quòd scilicet militia confœderata talem sit orsura telam, quæ inextricabiles Regno nostro sit allatura miserias, quod exercitus vires & protectiones etiam extraneas quæsiverit, & jam de illis sit securus. Hoc audito non possumus non toto animo commoveri. Timemus quòd sicut non probant Dei se habere notitiam, ita tradet illos Deus in reprobum sensum, dũ facient ea quæ non conveniunt. Ita quippe nos perstrinxit hæc vox, ut non facile sit explicatu, cum omnes qui hoc audiverint, miraturi sint, & nemo laudaturus. Cum præcipuè omnia quæcunque fieri possunt in favorem exercitûs faciamus, ultrà quo progrediamur non habemus, omnia suscipimus, omnia placent, omnia pariter cooperantur in bonum, tentatis rebus omnibus spes cunctas conspicimus in irritum cadere. Fœda dicta, memoria horrenda, cum cupiditate intrandi in viscera Regni, peccandi licentiam præseferunt jam quidquid lubet, pro licito judicantes. Rectè ad suam gloriam istius consiliarij Zawadcij consilijs utitur Mareschalcus, utatur quantum licet, sed ne diu liceat, plurimum exoptamus, cum hoc genio metitur libertatem, cujus videmus verum gustum nunquam habuit. *Resolutio cõfœderato-rũ perversa*

Hæc ergo impunè quæ hîc aguntur, genuinè tibi defero, & cum nos hîc vestri sumus, non sitis nobis illic alieni.

LI.

CARDINALI PRIMATI,

9. Martij Samboriâ.

Confœderati volunt prolongare confœderationem suam, & bona Ecclesiastica aggravare.

CUm quid habeam quod ad te scribam, facio id & pluribus verbis & sæpiùs, ne singula prosequar, necessaria hæc memoro, cætera prætereundo, quibus fasti nostri privati & diaria jam tument: Cum verò negotium urgeat, nec dilatio moraque

A.C. 1697 ut sine periculo, mitto expressum, utque quantocius expediatur cum cathegorico responso enixè oro, plerumq; cursores in studio remissius agunt, ut metæ propinqui qui totas ad currendum vires effundunt. Solicitudines ergo nostras & consilia juves, & beneficio celeritatis expedias.

Necdum hic sine spe tractatus noster diligentissimâ diu noctuq; applicatione. Mitto tibi copiam eorum quæ Castellano Cracoviensi scribo, emollire quantum possibilitas fert ferocissimos, terrere resolutione timidiores non desistimus, monstrando iisdem quid sit melius, & convenientius; an consistentiam pretio reditus ad Ducum obedientiam in visceribus Regni securam habere, an de illa armis certare, & illicis manum contra Matrem extendere, cum præcipuè nullus inveniatur Palatinatus, qui se contra aggressores defendere nolit, & sumus securi, quod si (avertat DEus) eò res devolveretur, tunc cui sangvis nobilis bullit in venis, cui amor Patriæ hæret in pectore in sinum & ulnas Matris suæ se reciperet & sic non adeo numerosa relinqueretur confœderatio nec tam favorabiles haberet conditiones. Proponuntur hîc varij modi, manus non cessat nec consilium, quando ipsam pestem avertimus à regni visceribus, plurimum enim consilij inter ipsa pericula. Omnino illi desiderant quoquo modo hanc confœderationem adhuc manu tenere, ad duas etiam septimanas interstitium ad dissolvendam confœderationem hancce petunt, ut interea conditiones concludantur, & illi pretium hybernorum recipere possint, sed hæc privatim dicuntur, contradico enim palàm huic propositioni, non glorians aut imp operans, sed provocans, efflagitans, mouens & recipiens affectum moderationis. Quid facere debeo? progredi non licet, nec inducere illos repulsâ ad propositum in Poloniam iter: nescimus tamen, an sit hæc mens totius exercitus, & cum suspectissima semper sit hæc propalatio, optantibus ita negotium hoc finire, ne ullus relinquatur nodus & prætextus, qui nos in aliquam suspicionem præcipitantiæ inducat. Non abjicimus quidem animum, spem in DEi misericordia habentes, sed tamen si ille obex exolvendi exnunc Leopoli partem unius notabilis deservitæ mercedis non amovebitur, & hic alter quem statim exprimam, & ejus resolutionẽ petam, annihilabitur, omnino desperandum erit de hoc tractatu.

Loqui de pane hyberno non permittunt, sed tantum nomen consistentiarum toties, quoties occurrit hæc materia, imponunt, quæ ut satisfaciant ad proportionem numeri exercitûs, omnino volunt, ut bona Regalia duplicem, spiritualia triplicem dent solitam pensionem & nullo modo ab hoc recedere volunt, ego autem & pro meo quidem voto & pro sensu unus contra omnes disputans ullatenus illi consentire non possum, nisi publicam tuam nomine cleri habeam declarationem. Videtur quidem ex rationibus necessitatis omnibus hîc existentibus offerendũ illis hoc quod rapturi sunt, amovendo belli civilis & sangvinis effundendi funestam facẽ, totamq; in hac licentia multis Patriæ ruinam. Omnes in id consentiunt ut dixi, præter me, non tam quòd non videam necessitatem, minore damno servandi universi, & impediendi ne in præceps & casum bona nostra dentur, sed quia renitentiam in meis confratribus bene nosco, qui quasi nihil timendnm haberent, obliti frequentissimum esse initium calamitatis securitatem nec pretio integritatis bonorum suorum, quibus hæ harpyæ imminent concedere volunt. Timeo verò ne plorans ploret quisque desolationem suæ Ecclesiæ, nemo enim erit qui consoletur eam, cùm apud istos milites pro ratione sit voluntas, totum pro imperio, nihil ex

amore

amore Dei. Deplorata colonorum vota, irritus tot annorum labor interrumpet, solaque in agris demetetur fames, si armata in visceribus nostris cõparebit militia, an nõ satius dixerim malitia. Rogavi & per te ipsum obsecravi, sed frustra ut levarent & extenderent manum, extenderent brachium, ut Patriæ velut naufragio concussæ reliquias in tanto æstu & tempestate tueri subsidio aliquo vellent, nonne melius esset fulmina non timere quàm nosse. Et cum planè ego sim solus qui certus immensitatem oneris experior, si fieri posset quod sentiam ostendere, quàm loqui, mallem. Ac proinde iterum iterumq; rogo te, ut quàm promptissimum habere possim responsum. Nihil serum mihi videtur, quod seriò geritur. Totum illud desiderarem efficere, quod vestro nequeat judicio displicere, & ijs absque tua declaratione, ultimam manum imponere nec volumus, nec possumus. *A.C.1697*

LII.

STANISLAO JABŁONOWSKI Castellano Cracoviensi Exercituum Duci

9na Martij

Confœderatorum postulatum circa dilationem vinculi, & responsum commissariorum.

EPistolam tuam accepi, sed libentius mallem affectûs tui & benevolentiæ fructu carere, quàm vel minimo valetudini tuæ detrimento vel incommodo esse. Quamvis id unum solatij nobis relinquitur, ut ex solicitudinis tuæ in publicum memoria solamen capiamus. Deum testor, universúmque hunc consessum, omnia nos facere, quæcunque tuis servire commodis, & imprimis honori possunt. Et jam non vereor ut in futurum aut tu plus à me requirere possis, aut minus à me quàm dignus sis diligaris.

Noli putare me ad quenquam longiores literas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui credo rescribi oportere. Non grave esset non tantum qualibet die, sed etiam in horas tibi, & per te alijs commissarijs nostris scribére, genuinamq; actorum relationem facere, si læta tantum nunciari possent.

Ante de causæ nostræ æquitate præsumebamus, nunc de illorum bona voluntate dubitamus, vellemus enim ut implerent promissa & non sola nos spe alerent, sed sicut hesterna fuit mala, sic hodierna adhuc pejor. Expectantes expectavimus ad tertiam pomeridianam, solitam cum commissarijs exercitûs conferentiam, pro qua dũ comparuerunt, post pauca præfata memoriale nobis præsentarunt, cujus essentia, quòd exercitus petat dilationem trium septimanarum, ut etiam cum absentibus interim aliqua consiliorũ cõmunicatio esse possit, sicque hyberna secundùm modum jam priùs dictum exercitui exsolvantur. In hoc verò interstitio, ut per consilium senatûs Varsaviensis omnia illa puncta approbentur, & ad commitiola imminentia in laudo cujusvis Palatinatus inserantur, deservita merces tẽpore designato hoc est prima Maji immediate exsolvatur. Respondimus, quòd cùm Mareschalc9 cum omnibus commissarijs & residentibus à quavis cohorte sit præsens, repræsentans faciem totius exercitûs, cùm per speciales literas universales convocati sint ad hunc tractatum pro 4ta Martij omnes sibi imputare debebunt, qui sunt absentes: volenti enim non fiet injuria, ad quid differre, cum non solùm temporis, sed nec nostræ potestatis sit huic rei, quam postulant circa dilationem operam dare, nec possibilitatis, adimplere quod optant. Cuncta sibi de nobis promittere poterant, quando quidquid optare potuerunt, à col-

A.C. 1697 à collatione nostra susceperunt. Pacem sub omni sinceritate petimus & illi causam certaminis non habent. Veniat ergo sic composita, sic decora ut e-am tantis votis, studijs, laboribusque meritò quæsijsse videamur. Omnia facit quidquid Respub: facere potest, cum illius Evangelicæ Viduæ exẽplo de inopia sua totum, quod habet offert, & jam promissionum exhaustus est fons, illi tamen quærunt aquam in sicco. Extorta hæc seu coacta dilatio, non esset dilatio, sed violentia. Si ergo non facient nunc ut petimus, si non redibunt ad obedientiam, ut speravimus, illi & totus orbis agnoscent, quæ Respub: pro ijs facere voluerit, & quod illi magis commoda sua, quàm publicam utilitatem cordi habentes fecerint, vel non fecerint, cum bonæ voluntatis nec habeant ullum testem præter se ipsos. Ut verò sine reductione ad obedientiam exercitûs tractatum cum illis finiamus & ad tres septimanas negotium hoc differamus, id, ut jam toties rationes nostras allegavimus, non est nostræ potestatis, sufficit voluntas nostra bene pro Repub: agendi, ubi deest per illorum crudam cum Repub agendi methodum, facultas explendi. Petimus proinde totam militiam, ut animos cordaque sua inclinent erga charam omnium nostrum matrem, pro ipsa justitia & æquitate considerent, proprium & evidens commodum; per confœderationem enim accelerari nullatenus exolutio debitorum poterit, imò ad hoc usq; tempus in Palatinatibus exsolutio differetur, quamdiu in confœderatione militia manebit, nonne melius, & convenientius est destinato tempore habere solutionem certam ex pane hyemali, ultra solitum ingentem auctionem, quàm per continuationem confœderationis occasionem dare in longum satisfactionis differendæ, & de pane hyemali aliquam, Deus avertat, cum Repub: inire contentionem, ex qua bellum civile (absit & cogitare) pullularet, si mutuum compellant exitium, vela ventis dent, bellum parent, & periclitentur periculi causa, sæpe numero verò fit, ut dum aliena labefactare nitimur, nostra funditus subvertamus. Beniamin lupus rapax, mane comedit prædã vespere dividit spolia. Supra id Doctor Ecclesiæ, commune est, ut raptores brevi tempore possideant, quæ rapuerunt: & amplæ etiam Regiæ opes ubi ad malum Dominum pervenerunt, momento dissipantur. Considerent insuper, quod non honestum est, si jam turpe esse incipit: Reflectant se quod nihil facilius quã nihil timẽtes in præcipitia impellere, sed quod sequitur spectent.

Disceptabamus cum illis longo satis tempore, sed nihil hæc profuerunt. Scivimus ex relationibus, quod tamen non ausim affirmare, ideo eos dilationibus laborare, ut prius missi ab exercitu deputati, ad omnes Regni civitates pro extorquendis contributionibus redirent & hoc ipsum (admittendo mala minora, ut propellantur majora) ipsis permitteremus, sed video quòd hic spiritus vertiginis circuit cum datis & promissis. Maximum illorum oculis videmus & vix manibus non palpamus intrandi in viscera Regni desiderium, & ideo novi quæruntur prætextus differendi tractatus

De amnistia quoq; dixerunt, nullatenus se posse redire ad obedientiam Ducum antequam à Senatus consilio Varsaviensi eandem assecuratam recipiant. Sed fortè fortunâ accepi responsum à Cardinali ad has literas, quas eo nomine, prævidendo, quod id requirendum ab illis foret scripseram. Adnecto copiam earundem literarum. Originale ex mente Collegij hîc relinquo. Potest enim esse in omnem casum necessarium.

Conveniens esset vobis, utrique scilicet commissioni maturè media salvandæ Reip: in hunc casum quærere & arripere, omnibus proindè salutationis reverentiam impertimur, affectuosaq; animis vestris præsumptione commendamus sperantes, omnia mirabili vestra prudentia componenda, quatenus fiducia quæ nobis de animo vestro data est, uberius augeatur. Quis dubitet effectum iri, quod talis potestas videtur ap-

approbare, cum jam toties hæc cognoverimus, quod nobis per omnia proJesse sentimus. Providete igitur ulterius in consilio nobis dando vellemusq; ut ad Cardinalem etiam publico nomine scribatur, quid ulterius faciendum: Non ex vano enim vereor, ne dum nos hîc spe inani lactant consultoq; retinent, in imparatos irruant: Si aliquam paratam pecuniam haberemus, adhuc ego in re bene perficienda non desperarem. Contulimus quidem (si benè quid faciam, meminisse fas est) in commune quidquid quisq; potuit per decem, quinq;, tres, duos, unum millia talerorum ad proportionem quisq; & fortunæ suæ, & affectûs in Patriam: Et jam hæc summa est apud me, sed quantumvis sit satis notabilis, non tamen videtur nobis sufficiens, quid enim hoc inter tantos? Respondebit DEo & Patriæ, qui illud consilium promovit & evicit, ut non tantùm illud subsidium præsens sed nec futuri spem eum in finẽ hîc promitteretur. Iterum repeto quod jam insinuavi de illa persona, de qua eadem homines secretò loquuntur, quæ palàm nollem dicere omnia quæ audivi, nec enim omnibus unam fidem habeo, nec publicè reprehendendum credo, quia publicata non sunt, quamvis intelligantur artes, sed pars diligentiæ ejus in eo, ne deprehendantur. Ille quidem se humiliat, interiora tamen ejus plena sunt dolo, non attendimus ad verba ejus, ad corporis gestus opera interrogamus, & à fructibus ejus agnoscimus eum. A.C.1697

Hæc ex profundo dolore, prævideo enim multa inde mala.

COPIA LITERARUM
CARDINALIS PRIMATIS AD COMMISSIONES LEOPOLI CONGREGATAS. Varsav. 26 Febr.

Promittitur amnistia, & approbatur electio loci pro Commissione.

Acceptæ undiq; cum jubilo & consolatione mea particulari notitiæ, de communi studio vestro, quod circa bonum publicum in tranquillanda confœderata militia indefessa solicitudine impenditis, obligarunt me ut Consilium Varsaviense inducerem, ad testandam debitam vobis publico nomine gratitudinem. Secundent superi gloriosos conatus in sortem afflictæ Patriæ, cujus est vix respiratio quædam. Minimè dubitamus, quòd innata in Patriam charitas excitare bonum instinctum in cordibus confœderatæ militiæ, & filialis in Patriam respectus, tanta utriusq; subsellij vestri poßit applicatio. Gratias referimus quas debemus, quòd nobis gloriam pacandæ Reipub: communicatis, requirendo ut effectuandum opus indubitatæ amnistiæ, certâ spe & promisso ex authoritate nostra fulciamus. Libentißimè id facere parati sumus, annuendo votis, & neceßitati publicæ. Cum tamen in maturam considerationem commißionum vestrarum plenitudine potestatis firmatarum authoritatem accipimus, veremur ne impingamus contra totalem & omnimodam authoritatem directæ potestatis. Proponimus nihilominus id altißimo judicio vestro, non denegando promptitudinem nostram dum tempus venerit, & securos reddimus, quòd non tantum deferemus subscriptionibus vestris amnistia conventæ, sed etiam in futuris, utinam felicibus

Comi-

A.C.1697 *Comitijs à tota Repub: eandem evincemus. Interim sicut saluti publicæ immolare debemus fortunas & salutem nostram, ita licet promittere de Majestate Reipub: & dignitate vestrâ in favorem universi, ac proinde non indecorum consilium nostrum credit nec improbat pro conficiendo opere locum Samboriæ. Compendium felicitatis consistit in celeritate, ut hócce consilium nostrum ex eventu rerum habere possit lumen ad revelationem toti Reipublicæ in imminentibus Comitiolis &c.*

LIIII.

STANISLAO JABŁONOWSKI

Supremo Exercituum Duci,

Samboriâ 10. Martij.

Præmissa consolatione, postulatisq; Confœderatorum ac responso Commissariorum intimato, in nonnullis consulit.

POst expeditam hesternâ die ad te epistolam non expectavi literas tuas, ut nostri successus judices, sed accepi eâdem die quâ ego scripseram scriptas, in quibus reperio parem nostræ admirationem tuam, & omnium Commissariorum, æqualémq; animi angorem, quòd ultra spem & vota communia, cuncta gerantur. Quantum ad honorem tuum, non tantùm compassionẽ nostrâ, quòd tũ dignissima feceris, pateris indignissima, sed etiam vindicias à toto collegio nostro invenit, non habuerunt plausum illi qui ea quæ honestè à nullo objici poterant, pessimè intulerunt. Nec quidquam nocere possunt ea, quæ te nescire decet. Homines mali de te loquuntur malè, non tam id quod loquuntur, molestum esse potest, quàm id jucundum, quod mentiantur. Inter famam & calumniam quippe plurimum interest. Fama cum criminatione nihil habet commune: criminatio verò & calumnia germanæ sunt sorores. Famæ sacra facimus publica ut DEÆ (dixit paganus) de calumniatoribus tanquam maleficis publicè conqueri licet quidem, sed non expedit, neminem adversa fortuna comminuit, nisi quem secunda decepit.

Precor ergo ex statione mea, ut amaritudines tuas cum felle Christi misceas & illi offeras qui multa fecit pro nobis, plurima perpessus à nobis. Jungunt illi malignitatem suam, & exerunt contra te, cum erubescenda malignitate, quandoquidem nulla sufficiunt media nobis, quæ evidens eorum palàm faciunt emolumentum, & quæ cum fructu eorum à nobis proponuntur. Nos sperabamus hodie meliora, & illi comparuerunt cum eadem, qua nuper expostulatione, scilicet ut ad duas vel tres septimanas negotium differatur, pro convocandis interim ad finiendum tractatum pluribus, & in illo tempore, hæc erant formalia, redire ad obedientiam possunt; Concors autem omniũ erat petitio, ut libertas eis daretur recipiendæ solutionis secundùm assignationes à se ipsis expeditas. Exposui ex mente omnium temporis angustias ante electionis comitia, quod non licet consumere gratis. Revocavi in memoriam quod nos huc invitaverint datâ notitiâ toti exercitui, & 4ta Martij pro concludendo tractatu destinata. Deduxi non esse potestatis nostræ illis concedere tantum pretium pro pane hyberno, quantum illi prætendunt, nec ni-

si

si solo pretio reditûs ad obedientiam ad hanc combinationem nos accedere *A.C.1697*
posse cum plenaria eorum satisfactione. Et licet expediremus, quod facere non possumus, assignationes suo carerent effectu, nec quisquam ejs obsequeretur. Cur ergo sibimet ipsis obices ponere, difficultates augere, & illud volunt renuere, quod satisfactionem eorum accelararet? Recensui breviter omnia in illorum favorem à nobis facta & tamen facilitas nostra nihil profuit, imò cum procedere deberemus, regredi videmur. Audita proinde positiva declaratione, dum nobis abruptè valedicere videbantur, placuit adhuc tentare fortunam, & eis insinuare, quòd in crastinum pulsare corda eorum in publico consessu destinaverimus. Proinde conclusimus Palatinum Belsensem magnæ inter eos authoritatis virum cum Thesaurario Regni, & aliquibus ex equestri ordine ad eos mittere, quantumvis ex informationibus satis authenticis rationes dilationum haberemus, quæ vix aut ne vix quidem bonum exitum sperare faciunt, veremurq; non ex vano, ne tempus nobis tantùm distrahant, & interea sua perficiant. Et hic est meus sensus, melius esse absolutè scire, quòd nulla spes affulgeat, quàm spe ali inani, & bene agendi Patriæque providendi occasiones omittere. Sunt tamen nonnulli nostrûm, qui tempus illud ipsis indulgendum credunt, & interim tractandum, visumque est, tibi omnium nostrûm nomine scribere publicamq; vestram requirere declarationem. Supposito tantùm dispositivè combinationem, & distributionem panis hyberni tractandam, quia eandem admittere ante reductionem eorum ad obedientiam nemo credit.

Duas septimanas ad finiendum tractatum jam facilius concederemus ne Respub: de propositionibus illorum informata vitio nobis vertat, quòd dato tanto tempore obsequijs ejusdem, parvum hoc interstitium impendere noluerimus, fa[illegible]um nondum est, faciendum tamen suo tempore, quo prævidit Deus. Precor proinde ut quantocius resolutionem habere possimus utrum id sit permittendum? Iustè autem in literis tuis quæris, quis turbo vehit? res enim evidens, quòd sine spiritu aliquo maligno hæ mutationes dilationesq; fieri nequeant.

LIV.
EIDEM CASTELLANO

13 Martij.

Perseverant confœderati in postulatis suis.

ITa heri non tam labore quàm mœrore fatigatus eram, ut potuerim ordinarium postæ cursum intermittere, cum relatione actorum diei hesternæ, quæ facilius lachrymis quàm verbis exprimenda esset. Quando nec convivium magnum à Thesaurario Regni institutum emollijt pectora, cum tamen nec tractans nec collegæ præsentes otiarentur volentes ex vino veritatem eruere, eruimus, nam nullam apparentiam dissolvendæ hujus confœderationis vidimus & intelleximus.

Mane convenientes, ne minima occasio sit ex nobis non bene finiti tractatus hujus, quæsivimus adhuc media resuscitandi Lazari, visum est omnibus, ut & ego quoque in comitatu Palatini Belsensis aliorumq; ad circulum militarem irem, non tam ad persvadendum, quia id ipsum tam magni viri sine me facere potuerunt, quàm ad ulteriorem convictionem, quod omnibus viribus salvare miseram Patriam voluerimus. Excepti sumus civilissimè, pacata attentio spem fecerat bonam, auguriaq; jusserat formare prospera. Cum nullus impedire, imò nec tacitè verbum aliquod proferre ausus fuerit. Invocatâ proinde Spiritus S. gratiâ non obmutuit inter mili-

*A.C.*1697 taria signa libertas, desiderabam emollire corda duriora, plures moverat sermo meus, & ad lachrymas usque induxerat, fecerat indignatio versum, sed si aliquando nunc certè verificatur, quòd lachrymâ nihil citius arescat. Nam *Stephanus Potocki* post sermones nostros satis zelosos, quia & Palatinus Belsensis, & Thesaurarius & Capitaneus Czercanensis fortissimè meo institerunt sermoni, auditæ sunt vice versa voces multorũ idem repetentium, nullam sibi fieri realẽ satisfactionem, sed vana se tantùm spe lactari, nec quicquàm boni præter expectationem offerri. Redux ex ea conferentia notavi mihi omnia motiva, quæcunque illis proposui, habens tam recentem eorum memoriam, ut de verbo ad verbum pro majore convictione eorum, omnia chartæ mandaverim, ut ex adjunctis patebit. Videat nunc Patria, convincatur aliquando posteritas non propter commodum exercitûs, ut evidens est, eos in confœderatione perseverare, sed propter privata, quæ publica fama divulgat, expectatum finem differri. Fuerat inter alia quædam vox contra te (audacia in subitum metum, ex metu in temeritatem ruere solet) quòd scilicet, publicè in mensa à te audierint quædam, quæ nec in corde tuo iudicio nostro contineri posse credimus. Allegarunt item esse aliquos exercitui clam persvadentes periculosam esse dissolutionem confœderationis. svadentes usque ad electionis Comitia eam protrahendam. Nec volui nec potui esse ultimus ad dandas non tam honori tuo vindicias, quàm ad satisfaciendum debito meo, & conscientiæ tuæ justitiam tribuendo, quam delicatam & non vindicativã commemoravi, & deduxi, quanta sunt pericula ex similibus fabulis, & quomodo similia semina lolium discordiæ producant, inquisivi in delatorem qui tam sinistrâ relatione discursum tuum ad mensam propalavit. Res laude digna ut de mendacio nemo lucretur bonam causam, habemus & æqvum judicem Deum, qui non cunctabitur evacuare, quod subreptitium est, cum apparebit quod verum est. Cur delator non est propalandus, cùm fortè deprehendent fraude elicitum, non veritate promeritum. Cum præsertim doceant lingvam suam, & inique agant, laborant in dolo, tunc præpostere agentes, nunc præpostere retractantes, sæpe viri gens tota luit scelus unius atrox, qui præceps agitur male sani pectoris æstu. Voluimus & eos scire qui audent pessimis suis consilijs tam sanctum opus invertere, unde pendet salus Reipublicæ & libertatis. Jam faciles erant omnes ad declarandum delatorem, nisi solus Zawaccius miseratione (si consideras) quam irâ dignior, se opposuisset. Quæ moderatio ab eo sperari potest, qui nihil unquam moderatè, nihil prudenter fecit.

Cum verò videremus nihil nos in publicis proficere, nec illi ullatenus nisi intra tres septimanas, vocatis prius alijs, ad concordiam redire intenderent addentes conditionem sine qua non, ut authoritate sua privata divisionem panis hyberni independenter à nobis sine ulla mora faciant accepta proportione in bonis ecclesiasticis triplicis, & in regalibus duplicis pensionis, etsi concedere id non sit possibile, ne tamen videremur abrumpere tractatum, & ad desperationem deducere, aut desiderium eorum quod ingens habent intrandi in viscera regni confirmare, placuit dilatione redimere tempus, unde denunciavimus illis quòd sensum & consensum ac resolutionẽ omnium collegarum hac super re simus inquisituri; si enim positivam dedissemus declarationem, ipsa velocitas majoris intervalli causa fuisset, & certè primùm murmur, quod jam quidem incipiebat, pòst clamores fuissent ingentes. Concessimus deinde in privata conferentia, etiam trium septimanarum dilationem, quandoquidem id à nobis extorquet fortunæ iniquitas, ne dicatur quod temerè magis quàm consultè bellum civile accendamus, sed eâ conditione, ut interea combinatio hybernorum agitetur, ex quibus non tantùm confœderatus miles, sed & obediens satis-

tisfactionem habere possit. Non otiabamur & hâc ipsâ nocte, imò varijs vi- *AC.* 1697
is pulsando corda eorum, persvadendoq; quod si redirent, hæc actio superveniens tot injurias palàm fieri non permitteret. Sed multis hæc confœderatio placet maximè, & ita tota nocte laborabamus, sed usque nunc parvus vix est magnorum laborum fructus, inconstanti enim sunt ingenio, levibusque de causis mutabiles. Si dies hodierna aliquid melius nobis non attulerit, tunc non per literas, sed oretenus relationem faciemus, Licebit oculos amicorum aspectu iterum pascere, licebit animum reficere sermonibus, & mutua quærenda erunt solatia. Cuncta quæ nobis nomine utriusque commissionis misisti, memoriâ tenebo in tempore si venerit opportuno.

Non tantùm literæ tuæ, sed & totius collegij ita me obligavit instantia, ut resolverim Leopolim divertere, quanquam magis necessariam præsentiam meam crederem Varsaviæ. Qui nihil de præterito cogitat, multum perdit, qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. Propono in animo meo futura mala & bona, ut illa sustinere possimus & ista moderari. Teneatis tantummodo promissum, quòd ultra unum diem Leopoli me non sitis moraturi.

Revoces tibi in memoriam à me dicta & scripta, quòd sicut ubiq; pecuniæ obediunt omnia, sic hic absque illis nihil sperari poterat boni, si in cordibus vestris & totius Reipublicæ non reperiemus compassionem, pro tam diligenti cum dispendio propriæ salutis applicatione, sine ullo effectu, saltem Deus videns corda nostra & actiones concorditer ad bonum finem inclinatas infallibiliter recompensabit &c.

SERMO AD CONFOEDERATAM
MILITIAM AD INSTANTIAM COLLEGII COMMISSORIALIS II. Martij. DICTUS ET COMBINATUS.

JAm non semel, verùm iterum iterúmque, in hoc theatro confœderatæ militiæ comparemus, à tota imprimis Repub: destinati, deinde ab ùtraq; Commissionis Leopoliensis parte, nomine publico postulati Commissarij. Pulsamus toties cor animosq; vestros non sine certa spe quòd sicut promptos paratosque geritis animos ad integritatem Reip: propugnandam, ita apertas aures Vestras, votis nostris postulatisque expandetis. Mihi post tot alios viros insignes coram consessu vestro verba facturo, occurrit in primo sermonis exordio illa sacri textus narratio, de fatuis Virginibus, quibus clausa semel porta cælestis, amplius non fuit reserata, eò quòd semel tantum pulsârint, iteratoq; pulsu abstinuerint, si à pulsu non destitissent, fors tandem aperta fuisset. Nos cælesti hoc exemplo eruditi, continuò pulsamus adyta cordium vestrorum in quotidianis sessionibus & conferentijs, irrito tamen semper conatu nostro, otiosâ submissione, & sincerâ assecuratione nihil omnino pro Rep: impetrante. Venimus nihilominus iterum ex medio Collegij nostri huc deputati. Sistimus vobis unà nobiscum orbatam Rege suo patriam: en stat mater coram filijs plorans, illa inquam mater, quæ nobis, atq; vobis vitam contulit, illa inquam non apud barbaros, non apud externos, sed apud suosmet, quos genuit aluitq; natos, vitam quærit & tutelam. Illa patria quæ (si nondum penitus extincta est, certè jam vix spirat, in majoribus posita fortunæ suæ angustijs, quam ut clarè describi possint) illud à vobis postulat gemitibus planè inenarrabilibus, quòd illi ex rationibus æternis conscientiæ singulorum, ex fama publi-

A.C.1697 blica, & ex privato tandem commodo negari nefas est. Ignoscent mihi quod tanquam Christi sacerdos & Antistes primo loco ponam conscientiæ rationem (quæ est testis actionum nostrarum & unicum ulterioris ævi solatium) quia ex vi professionis & characteris mei obligor singulorum animas adeo pretiosas etiam plùs quàm me diligere, teneor ex vi conscientiæ veritatem hanc sangvine meo confirmare, si verba non profuerint, quod lege divina, æternisq; codicibus vetitum sit, malè de sua matre loqui, multò magis contra illam agere; non liceat alienâ injuriâ privatas augere fortunas; non liceat aliis inferre injuriam, ut propria augeatur fortuna, & damna damnis cumulare, non liceat amantem odio habere. Quis verò nos majori affectu amoreque complectitur, quàm optima parens nostra patria? Fatetur illa debere se stipendia, parata quàm primum illa exsolvere, brevem tantùm postulat patientiam. Celebrat Evangelium Christi creditorem illum, qui inducias suo indulserat debitori ad exsolvendum debitum; damnat verò alterum, qui crudeliter suffocabat debitorem, & procul omni humanitate, breve admodum spatium concedere parato ad solvendum renuebat. Quòd si pariter tanto emerita sangvine stipendia, infelix patria non persolvit punctualiter; libertas illa, quâ alitur, qua subsistit, in qua nati educatiq; estis, quam pectoribus omni muro fortius ad invidiam totius orbis propugnatis, abruptis infelici Reipub: fato aliquot regni comitiis, ob gravem Serenissimi gloriosæ memoriæ Regis nostri morbũ in causa est, quod nõ effectũ sed spem tantùm certam sine mora persolvendi stipendij, infelix patria offerre vobis hucusq; potuerit. Compendio rem absolvam: si accusatis patriam, quòd debita militiæ stipendia nondum ex asse persolverit; accusate potius libertatem regni vestri. Non negat Resp: quod tot annorum merita vestra, non tantùm grati animi memoriam, verùm etiam justum pretium præmiumq; mereantur, & ideo circa hoc punctum ante abrupta convocationis comitia, deinde in generali omnium ordinum confœderatione desudavit plurimùm nemine contradicente, ut quàm primùm Palatinatus & districtus regni retenta militibus stipendia componerent solverentque. Appello igitur conscientias vestras, licétne violentis mediis contra illam uti, quæ sponte soluturam se contracta debita, fide integrâ pollicetur? Intelligimus & clarè fatemur nihil gravius esse quàm seminare multum, & parum aut nihil omnino metere, sudare sine fructu, laborare sine præmio: & nemo sanæ mentis vitio potest vertere illi, qui justum pro laboribus suis requirit præmium. Ideoque in hoc theatro comparuimus ut, securos vos redderemus quòd hoc vobis à Repub: pro certo possitis polliceri pro exantlatis in sago laboribus, quod sibi fidelis servus à justo rectoq; domino pollicetur. Non enim intra verba, nudaq; promissa, sed in ipso effectu consistent stipendia, quæ nomine publico vobis promittuntur. Quamvis ergo ex justo quodam dolore possetis hic liberam vocem vobis contra patriam usurpare, quia tamen contra communem omnium nostrum matrem, securam habere non potestis, aperit illa plena sui amoris viscera, & totum cor suum pandit & demonstrat quanto cum dolore exhaustas attritasq; vires & fortunas vestras spectet, simulq; testatur quanta sollicitudine promptitudineq; meritis vestris respondere laboret. Quare igitur tam gravem conscientiæ inprimis vestræ, deinde verò nomini vestro ad posteros ituro palmam infligitis? Orbata gloriosæ memoriæ Principe à vestris Heroes manibus tutelam columenq; ruinæ suæ expectat infelix patria. Offertis pro illius integritate vitam & sangvinem vestrum & quidquid splendoris, quidquid opum, quidquid virium habetis totum id illius securitati propugnandæ à prima ætate consecrastis: decet ne hoc illi tandem negare, quod in manu vestrâ situm est. Perturbatum

batum omnino, aut mente ſanâ captum ſit, neceſſe eſt, caput illud & cor Si- *A.C.1697*
ſyphi ſaxo durius, quod tanta Reip: calamitas in lacrymas non emollit. In nullis prorſus legetis Poloniæ Annalibus Remp: in tam gravi, tamq; publica patriæ orbitate, in tam periculoſo undiq; interregno in tantis belli & fortunarum anguſtiis ſimile aliquando diſcrimen paſſam fuiſſe, nimirum proprios ipſius filios nullo amore patriæ, nullo legum & immunitatum reſpectu, nulla gratæ mentis, & nominis in ſeræ poſteritatis memoria perennaturi recordatione, ad æqvũ juſtumq; deplorati ſtatus publici amorẽ adduci potuiſſe. Non permittite oro Domini mei ut parum amica Nobis regna & Imperia amplius nobis illudere queant, quòd inde pudendo dolendoque fato pene ſuprema nobis ĩmineat ruina, unde indubitata ſalus ſemper proveniebat. Extingvite lacrymis viduatæ matris veſtræ publicũ ſcandalum quod incendij inſtar ad externa quoq; regna jam prorepſit, dum plorantem ſuper calamitate ſua Remp: ad ultimam necem quæritis quàm hactenus adverſus quoſvis hoſtes defendebatis fortiſſimè. Obturate os glorianti Noſtris malis invidiæ, excitate in Vobis pridem cordi inſitum immortalis gloriæ amorem, à majoribus traditum poſteris veſtris transmittite, illius ſtimulis excitati, tot tantaq; opera digna perenni memoria egiſtis, illũ hucuſq; omnibus gazis fortuniſque præferendo. Dediſtis documenta hujus per tot annorum luſtra, ſub Iove aperto in ſiti & æſtu, pro aris & focis fortiſſime præliando ſine ullo præmio; Non extincta eſt in cordibus noſtris grata ſemper affectus veſtri in Patriam recordatio. Cur non conceditis hodie eum de vobis Patriæ triumphum, de qua nefas eſt optare ſibi victoriam ? Quare non confunditis vigilantes in perniciem noſtram vicinorum Provincias? cur arida ferventiſſimis concivium veſtrorum deſiderijs corda, eo non repletis ſolatio, ut interim vivere, bonoque publico conſulere ſecurè poſſint. In manibus veſtris poſita eſt ſalus, vel pernicies Reip: probe conſtat omnibus nec ſylvas ullâ portâ claudi, unicuique ad illas diu noctuq; aperta via, nec in munitionibus & fortalitijs, quæ prorſus habemus nulla, ſed in robore veſtro togam ſpem noſtram recumbere. Habet ſuam veſtis quælibet fibulam, qua nodum poſſit ſuſpendere alligareque, habet quoq; quævis Regni noſtri Provincia excubantem vicinum, qui inconſutilem communis matris noſtræ, hoc eſt Patriæ totam, cum alijs partiatur. Quis tantis malis occurret, quando hic arcus nervi publici ita fortiter diuque trahitur, ut difficile prorſus ſit, ne rumpatur. Eqvus hic qui publicam fortunam vehit ingenti onere feſſus tam diu laborat ſudatq; ut arduum videatur ne tandem cadat. Non vanum hoc eſt augurium dividendæ inprimis deinde amittendæ Reip, nemo noſtrûm indiget præceptis, ut ſe ipſum amet, ſeque tueatur: cur ergo ſtimulis egeamus ut Patriam amemus, qui noſmet ipſos tuemur, quoties Patriam ſalvam incolumemq; volumus. Quid utilius militiæ cogitari poteſt? quam ita diſcretè frui Patriâ ſuâ, ita modeſtè ſugere illius ubera, ut diutius illis uti aliq; liceat: Quòd ſi hoc anno (quod pronum eſt augurari, quia jam tot provinciis contigit) penitus exhaurietur regnum, ſugemúſne oleum de ſaxo, vel mel de petra duriſſima? aut undè tandem ſecuritati publicæ providebimus? Defendenda erit patria: tutela unde certior, quàm à militia? huic verò ex quo ſolvemus ærario? ſi omnes pagi villæq; noſtræ in xenodochia pauperum convertentur; ſi hæc profundius conſideraveritis, ſi futura diligentius reſpexeritis, ſi bonũ publicum & privatum æqua judicij lance examinaveritis, diffiteri non poteritis quòd vera loquar: Reſolvit olim muti infantis ora, extenta ad necem patris ſui dextera; ſolvat pariter militaris hujus vinculi veſtri fœdus quod retentum ſtipendium prætenſuſque alius reſpectuſq; in apertum diſcrimen Patriæ communis matris noſtæ compoſuit extulitque. Qui honorat patrem matremque ſuam, longævus erit ſuper terram ſacrâ pagina

A.C.1697 ginâ atteſtante. Vultis heroes magnanimi ex tot martis mortiſq; diſcriminibus integram olim referre vitam, diuq; incolumem ſervare, honorate patriam matrem veſtram, quæ vos cælo genuit, quæ uberibus ſuis lactavit aluitq;, quæ vos hucuſq; non tam manibus quàm intimo corde ſuo complectitur. Spargit illa, quandocunq; demum licet, liberali manu ſua opes in filios, pandit viſcera & cor ſuum maternum quotidie aperit, decetne ut noſtrum illi cor claudamus? fas ne eſt amori tanto mutuum amorem denegare? Profectò loqueretur pro illa, me tacente, cælum ipſum & muta ſidera, in quorum conſpectu ſtamus: loquerentur maiores noſtri ſuis excitati cineribus, ſupplicarent vobis per ſuos manes, ut ipſis liceat ſecurè in illis templis quieſcere, quæ liberali ſua in cælites manu erexerunt, ſupplicarent ne in Eccleſijs divinæ gloriæ conſecratis, laudes illius ceſſent, per everſionem bonorum Eccleſiaſticorum, & direptionem proventuum. Supplicarent ut ſitis memores illius libertatis quam illi conſtituerunt, & vobis ſuomet ſangvine comparatam tradiderunt. Supplicarent, ne ſitis illi ſimiles, qui ſplendidam olim magnificamq; domum ſuam, ideo funditus everterat, ut modicum theſaurũ ibidẽ ſepultũ erueret. Inirent utinã ſinguli veſtrûm diligentem apud ſe calculum, quantum unicuique emolumenti ex tanto Reipub: damno poſſit contingere? quantaq; mala ſequi, quando nimirum oppreſſorum lachrymæ, quæ pondera vocis habent, cælos penetrabunt, & juſtam Dei pœnam nubibus evocabunt in terras, quæ tardo licet videatur ad nos venire pede, certa tamen eſt, & formidanda mortalibus. Parum profectò jam deſideratur ad extremam Patriæ ruinam, parum ſupereſt ad everſionem libertatis, & ad exitium immunitatum noſtrarum. Gloriabamur hactenus, non ſine totius orbis invidia, quòd alia regna in ſervitute vivere, illamque ferre poſſent in ſola Polonia veram regnaſſe libertatem. Quibus illam oro medijs retinere amplius poterimus? præſens Patriæ calamitas, & provinciarum everſio, certam illius procul dubio ſecum trahet perniciem. Occurrit hic mihi viros inter militares verba facienti celeberrimi olim Herois Alcibiadis factũ, hic ne adveniens è vicinia curru s illius obvium ludum ſuo curſu fortè impediret in via ſe abjecit ſupinum, ut prætereuntes ſimul cum curru, ab illa, in qua ludebat ſemita longius diverteret. Domini mei poteſtne utilior bono publico aliquando ludus cogitari iſto, quem nunc apud nos fortuna Regnorum verſat. Quòd ſi enim in futura electione feliciter nobis ceſſerit alea, quòd ſi dignum throno Principem elegerimus, ô! nos beatos, ſin minus, ô! terque quaterque infelices. Nolite ergo tam gravem fortunæ publicæ, cælique ludum impedire; egi die heſterna gratias immortales Illuſtriſſimo Regni Theſaurario & hodie quoque habeo, pro eo, quòd in pignus exſolvendi à Republica ſtipendij, paratus ſit omnia ſua bona hæreditaria inſcribere, imò filium quoque ſuum tradere confœderatæ militiæ, in obſidem datæ fidei. Addo præterea quòd ſinguli pariter commiſſarij, huc à Republica deſtinati, idem præſtare parati promptique ſint. Quod ſi tandem neque hoc ſufficit, eligite quemcunque è medio noſtri vadem, imò ego quoque me vobis offero, paratum non moveri prius loco hoc, imò (ſi id poſcat neceſſitas) etiam injectos compedes amore Patriæ non prius deponere, quàm Reſpublica debitum militiæ veſtræ ſtipendium ex aſſe perſolverit. Darent utinam ſuperi, ut ſangvine vitaque mea tanquam objecto aggere, poſſem retinere oppreſſorum lacrymas populorum, & fundationes Eccleſiaſticas, tot tantarumq, Religionum nec non Sanctimonialium vinctarum IEſu CHriſti, tot demum nobilium familiarum, quæ mendicare ſtipẽ brevi cogentur, ſuis ſubditis boniſque ſpoliatæ. Nolite igitur, ſupremam infelicis Patriæ veſtræ ruinam accelerare.

Quòd ſi de nomine Commilitonis tuendo res agitur, quòd ſi de alijs prætenſio-

tensionibus, in omnibus prorsus punctis contentam reddere militiam propositum nobis est. *A.C.1697* Quòd si metus obtinendæ apud Rempubli am veniæ, faceſſit negotium, hujus facilitas in manu eſt benevolentiſſimæ matris Reipub: quæ in ſtatu hoc (ut ita dicam) viduali, cum ſit pleni juris, ſine ullo negotio obtinebitur. In quodam Græcorum delubro, erat ſuum Minervæ ſpeculum, à Mercurio ita affabre elaboratum & conſecratum ut quicunque demum illud reſpiceret omnium injuriarum oblivionem extemplo capiebat. Domini mei non poteſtis pretioſiorem gemmam, neque gratius ullum offerre munus Patriæ, quàm ſi avito majorum veſtrorũ in Patriam amore ſtimulati, deſideratam illi reddatis tranquillitatem, quam procul dubio conciliabit depoſita publicæ injuriæ recordatio. Publicæ inquam injuriæ, nam privatim illata omni ævo damna, ſicut nulla unquam confœderatio protegebat, ita & in præſentiarum neque vos voletis exigere, neque nos optare poſſumus, ut Chriſtianæ militiæ caſtra ſequantur oppreſſorum lachrymæ ſubditorum, in tot jam Regni ſpatijs penitus exhauſtorum. Nihil inde decedit detrahiturque emeritis & dignis militante Eccleſia Herolbus, quod improbi quidam parem ſuis meritis pœnam recipiant: qui nimo per adminiſtrationem juſtitiæ, mille benedictiones redundant à ſuperis in militiam Chriſtianam. Fuêre quondam Romanis phalanges, immortales aliæ, aliæ fulmineæ: dabunt ſuperi ut fœderatæ quoque iſtæ Legiones veſtræ imminentes undique cervicibus noſtris hoſtes, fulminis inſtar olim proterant, immortalemque nomini ſuo gloriam concilient, ubi grata Patria eo quo par eſt affectu, non denegeres filios, ad intimos amplexus ſuos admiſerit. Quid enim magis decet, juvatque, quàm ut omnes lineæ ad idem boni publici centrũ recta colliment? fieri autem ſine mora id poteſt, imò omnino expediret, quod aliquando infallibiliter eſt futurum. Nolite quæſo fortiſſimi Heroes & concives Noſtri, eam ſeræ poſteritati notam tradere. Procul ſint magna Veſtra Nomina ab ea ſuſpicione, quod extremum exitium Patriæ veſtræ minitemini. Deponite tam obliquos animis cordibuſq; veſtris adverſus parentem veſtram affectus. Redite ad obſequium Ducum, & debitam Patriæ venerationem, quæ expanſis ad amplexum manibus vos expectat, parata ſanare vulnera, ſi quæ inflixit, & juſtis poſtulatis, exſoluto ſtipendio reſpondere. Ad extremum, neq; Vos illæ deterreant à reconciliatione ſubeunda, quas Ducibus Veſtris, quantumvis palmares notas inflixiſtis: invenient hæ quoquè paratum domi remedium. Utique illos habetis militiæ Veſtræ Ductores, qui unà vobiſcum integritatem Reipubl. hujus, oppoſitis hoſti pectoribus tuebantur, quin non ex Hiſpanijs Gallijſq;, aut externis acciti Regnis, ſed è medio veſtri ſunt electi, qui vobis clementiſſimè ſemper imperarunt & ſangvinem veſtrum vitâ ſuâ carius quotidie æſtimarunt, ac proinde non eſt, cur illos pertimeſcatis tantopere, facile id vobis indulgebunt, quod illorum honoris pupillam & cor ævo belliq; curis non mediocriter confectum hactenus ſauciabat. Sudabimus fortiſſimè ad hoc præcipuè punctum deputati à Rep: Commiſſarij, ut inflicta ab utrinq; vulnera ex integro obligentur ſanenturque, hoc eſt ut Ducibus obſequium à fœderata militia, & militiæ à Ductoribus prima fiducia reſtitui, ac non fictus amor reddi poſſit. Plura dicerem, nam dolor verba ſuggerit, ſed nolo injuriam facere amori veſtro in patriam quo flagratis, & quæ plus pro domo ſua unicuiq; clare ſuadet. Oro igitur obteſtorq; univerſos per iſtius numinis vulnera, cujus amorem erga genus humanum, his præcipuè diebus celebramus, & fuſum pro nobis ſangvinem profundâ veneratione recolimus, ut velitis aliquando concives veſtros fratreſque,

eodem

A. C. 1697 eodem vobiſcum Divini ſangvinis pretio æſtimatos, tandemq; & animas veſtras reſpicere. Si unuſquiſq; veſtrum aliquot ſimul animas uno complecteretur corpore, minus forte alicujus illarum poſſet æſtimari diſpendium (quanquam ingens) verum quia ſinguli ſingulas tantùm nacti ſumus animas: fas ne eſt unam hanc & immortalem ac beatæ æternitati à Conditore rerum deſtinatam, tanto diſcrimini objicere, & prorſus illius obliviſci? Quodſi ergo communis amor Patriæ aliquem veſtrûm non moveat, moveat ſaltem innata unicuiq; mortalium ad ſui ſuæque animæ conſervationem inclinatio.

LV.

CARDINALI PRIMATI,

Samboriâ 12. Martij.

Spem pene præciſam proſperi exitus queritur.

SI rarius hiſce diebus ad te ſcripſi, peto, ne quid de mea ſumma erga te obſervantia imminutum exiſtimes, ſed laboribus noſtris adſcribe a mane uſq; ad noctem, & hâc ipsâ non otiantes laboramus ſudore magno, fructu exiguo, unde ut magna admiratio ita cenſura difficilis non eſt. Cum confœderatus miles nec noſtro hortatu, nec ratione propriâ ad id induci poſſit, ut ſit pax non pactio ſervitutis. Singulis placent noſtræ conditiones & univerſi acceptandis obſtant, ita ut nos dejectos animo pene jam omnis ſpes deficiat, quamvis illi omne felicitatis genus polliceantur. Non ex vano auguror malos ramos ex hac bona radice pullulaturos, & hoc nunc (cum læta ſcribere difficile ſit, difficilius audire) denuntio in defectu nervi, ut olim certò præſagiebat animus, nihil ſperandum omnino. Nolle in cauſâ apud illos, non poſſe prætenditur, & ſicut quondam Epicurus omnia terminabat voluptate, Zeno cuncta honeſtate, Hiero univerſa corporis indulgentiâ; ita illi omnes diſcurſus finiunt deſiderio in viſcera regni intrandi, humanam fidem excedente, nihil aliud niſi dilationes opponendo in incepto tractatu. Iam averſos & abſentibus, & quibuſdâ præſentibus affectus exhibent, ut melius eſſet Athenis ſalem lingere, quàm hîc tanquam apud Craterum opiparè convivari, cum hi, quibus mentes herbas ferunt, quæ nos perficimus de die, noctu deſtruunt. Quid inter diſſimiles amicum eſſe poteſt? repeto iterum juſtum metum, ne inducant nos in malorum labyrinthum, unde deſperatus exitus. Quia verò exactam relationem dare occupationes non ſinunt, mitto tibi & ſcripta hinc à nobis Leopolim & inde ad nos his diebus (nulla enim dies ſine linea) reſcripta. Unde plenè ſcies quid ſperandum, vel potius timendum.

COPIA LITERARUM

CASTELLANI CRACOVIENSIS AD EPISC: PLOCENSEM,

10. Martij.

Aliqua confœderatis concedenda, alia neganda.

FAteri debeo abſq; omni aſſentatione, quòd quidquid Samboriæ pro bono publico, ſudantes & algentes, laborum, incommodorum, ſumptuum impenditis, debetur & gratiarum actio, & gratitudo à Republica, & ut poſteritas cuiq; ſuum rependat decus. Æſtimamus

manus nos ut æquum est hos conatus; nam fortius pro Republica zelare nullus unquam potest, si verò non tam desideratus effectus & eventus respondent, ardua rerum tantarum excusat opera. Propositiones in synopsim ex mente utriusq; commissionis reduco, & ex consensu unanimi illis respondeo. A.C.1697

Duplex hiberna supra bona Regalia, redimendo salutem publicã, acceptari debet, quoniam sic afflictis fortuna mandat, & maximè quòd medium hoc sit pretium reditus ad obedientiam, ut per illud evitemus (quas avertat DEUS) cognatas acies, & ne in visceribus Regni videamus Pharsaliam, dum labor est cohibere volentes.

Huic reflexioni accedit alia, quòd de primo libertatis agatur cardine, de libera scilicet electione. Nec minor est, ut abstergantur lacrymæ pauperum à tantis oppreßionibus. Ad extremum, ut per militem in obedientia consistentem cum è domibus nostris pro Comitijs exeundum erit, legibus summa forma redeat, & habeamus securitatem terrarum & fortunarum nostrarum.

Commißio utraq; petit à te ferventißimè, ut sicut adæquata media ad satisfactionem efficacia invenitis, ita etiam permittas, cui solus resistis, ut bona spiritualia ad triplicem pensionem hiberni reduci poßint. Res est de conservatione universi, difficile proinde id evitare, cum omnes æqualiter Reip: curam habere teneamur, ut tamen & obedientis exercitus recens sit memoria & respectus enixè rogamus. Quantum ad libertationes, quandoquidem exercitus confœderatus suis insistit favoribus, tunc alia bona respondere non deberent, sed demere ipsis illismet, qui hoc facere prætendunt, sed seriò animadvertendum, ut si alicubi ultra duplicem acceptum est, defalcato eo, quod secundùm Tarypham solvi debet, reliqui refusio pauperibus fiat tanquam pro illata contumaciter injuria. Circa exolvendam mercedem breve nimis videtur tempus 1. Maji. Vix aliqui Commissarij redire poterunt, & relationem gestæ provinciæ ex hoc loco facere, quomodo ergo eodem fere instanti pecuniæ Leopolim expedientur? Insuper quis modus comportandi has pecunias, cum comitia electionis sint vicina, cui quivis aßistere volet, cum etiam in aliquibus Palatinatibus nondum omnia sint laudata, quæ sunt necessaria. Petendi proinde Domini Confœderati, ut ulteriorem temporis protrahant terminum, & pro more solito aßignationes ad Palatinatus accipiant prævijs assecurationibus, quas omni meliori modo certas reddemus. Et quandoquidem propter tractatum distulimus tædiosam illam expectationem populorum injuriatorum, non deberent judicia oblivione deleri, imò in eo tractatu inserenda, non tam præfigendo tempus, quod jam sufficere non poßet ante electionem, sed ne per taciturnitatem detur occasio ad credendum, quòd nunquam reddetur justitia. Prolongatio tractatus hujus sicut vobis est odiosa, ita non minus existentibus hic Leopoli summè fastidiosa. Cum ultra id videtur aliquas consequentias & intimiora arcana spirare, eo flagrantius proinde à vobis petimus ut

A.C.1697 *quàm citius acceleretis, & fausto omine hunc vestrum finiatis tractatum. Hoc ex voto & mente publicâ &c.*

COPIA LITERARUM
AB EODEM AD EUNDEM 11. Martij.

D*Edimus vobis resolutionem finalem heri in materia panis hibernalis, ultra justitiam extorti, libertationem ab exercitu concessorum quartualium mercedis deservitæ, determinationis judiciorum, credebamusq; sufficisse id ad desideratum concludendi negotij effectum, & ecce hodie in publico consessu inauspicatus venit nuntius, non eo eventu res procedere, ut vos & nos desiderabamus. Legimus adjunctum quæsitum, utrum concedenda sit hæc prolongatio quam illi petunt? Res mira velle pro primis Maji mercedem recipere, & tractatum ad tres septimanas differre? Quomodo id fieri possit? latere debet aliquid intimius. Consideremus ulterius tempus quomodo id sufficere possit ad tractatum hunc finiendum, cum combinationem & mercedis deservitæ & assignationum pro hybernis præcedere debeant Comitiola, ut scilicet tributa laudentur & electio statim succedat. Deinde quæ securitas, pro illo tempore finiendum tractatum? Credimus ergo quòd tantùm tempus extrahere, spes nostras eludere, hybernam sub eadem dilatione extorquere, nos in periculo relinquere, & ad resistendum incapaces reddere intendant, & hæc erit consolatio & fructus. Si ergo tractatum prolongare omninò volunt, & pro quanto tempore facilius est vobis è propinquo judicare, an id fieri poterit cum publica utilitate; Omnes ergo circumstantias considerate, rerum mensuras ponderate, penitiores indagationes inquirite, quidquid verò feceritis & constitueritis ratihabituros nos declaramus. Et nunc conjunctim omnes meliores salutis publicæ expectando consolatorias.*

LVI.
CARDINALI PRIMATI,

Ravâ 16 Martij.

Refert infelicem exitum tractatus Samboriensis.

EGrediente jam Leopoli ordinaria posta redux Samboriâ duo verba ad te dedi. Nunc ex itinere ut scias quid agatur, denuntio, quamvis per chartam & atramentum non multa scribam, spero enim me futurum apud te & os ad os locuturum, habeboq; testimonium laborum, curarum & solicitudinis ab ipsa veritate, quando rem omnem uti gesta est, intelliges, nec ullàm partem actorum nostrorum ignorabis, quantis insidiis, quantis fluctibus agitati sumus, ex ipsis rebus cognosces. Interim quæ in vim valedictionis dixi, adnecto.

Facta Leopoli relatione Samboriensis nostri tractatus, credebamus aliquem effectum secuturum & generosa arripienda consilia, sed imbecilior valetudo Castellani Cracoviensis quæ ipsum lecto affixerat, eò rem perdu-

perduxit, ut nullum inde adjutorium, vel auxilium afflictæ patriæ ſperare poſſemus. Mitto legationis novæ Samboriâ inſtructionem & reſponſum. Favi dulces inter fel amarum non naſcuntur. Grave erat audire & legere ſimilia, ſed non pertinebat ad me claſſicum canere, quamvis ſi ſalvi eſſe volumus, neſcio an eo non devenietur? Ergone tamdiu ſervilis patientiæ documentum eſſe oportebit? Facta promiſſis non reſpondent, nunquam limpidum ſincerumque ex turbido; Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio quia dura. Inanes proponunt moras, & interim in viſcera regni intrare intendunt, ut tollant quod non poſuerunt, metant quod non ſeminarunt, ſerpens ubi caput immiſit, totus intrat, nihil periculoſius quàm incidere in eorum manus, quibus pro juſtitia voluntas, pro maturitate præcipitatio. Pro anima mea non confundebar dicere verum, melior eſt enim cauſa ſuũ non tradentis, quàm poſcentis alienũ: Quantumvis nonnemo amicorum me hortaretur ut placentia tantùm loquerer, omitterem acerba, quibus obviare nequirem & turbari poſſem, ſed ego plus contendi quàm potui, minùs tamen feci quàm debui, ſed video nunc, quòd contra torrentem niti, neq; aliud luctâ quàm odium quærere extremæ non ſit prudentiæ, ita certè verba non proficientia fruſtra perdidi. *A.C.1697*

Volebant manifeſtum nomine commiſſionis ſcribere, ſed ego omnino diſſvadebam nec ſubſcribere volui. Non enim mihi placet chartaceum hóccе bellum, veniet remanifeſtatio & cum nunquam ſe latius effudit maledicendi licentia varia dici poterunt, quorum difficilis erit negatio; propoſui ego efficaciora media, ſed quia hæc erant animoſiora, non placuerunt, ut ſcilicet auctoritate commiſſionis fultæ Reip: beneplacito, totus ille exercitus confœderatus à mercede abjudicaretur, ut ſtatim novus miles ad proportionem lege deſcriptam conſcriberetur, illique & hyberna & merces deſtinaretur, & inde multum accederet Reip: ſi dicerem aliter, non foret in me veritas, omnes enim relictis antiquis ſignis ad novam ſpem mercedis confugerent, & confœderatio inceſſanter diſſolveretur. Interim ut in omnibus diœceſibus confeſſarijs inhiberetur abſolutio pro his, qui in confœderatione perſeverabunt, atq; excommunicatio cœnæ Domini contra illos promulgaretur, ſed hæc à Ducibus præſertim non approbabantur, & ego poſt hæc non habui amplius quid facerem, ſatius proinde duxi iter meũ Varſaviam accelerare. Tempus enim inutiliter Leopoli perdidiſſem. Concupiſcere aliquid ſine ſpe exitus, & in hoc perſeveranter morari exitio vicina dulcedo eſt. Ubi aufertur poſſibilitas, aufertur & vitium, nemo enim in eo condemnatur, quod facere non potuit. Ne tamen temere abirem, aut nihil prævidiſſe viderer, nodum in ſcirpo, fiſſuram in plano, angulum in circulo planè oſtendi, concludens, quòd tantùm parturimus, & parere non valemus, & quòd qui non paret rationi, compellendus neceſſitate. Et ſcias pro certo quòd quicunque illa nôrunt, non dubitent ita fieri debere. Explicato proinde ſenſu meo proteſtatus ſum contra triplicem in bonis Eccleſiaſticis hybernalem penſionem, quàm commiſſiones nullatenus, niſi pretio reditûs ad obedientiam confœderationis militaris concedere poſſunt. Propoſui itidem ut morâ aliquâ confœderati occupentur, ne in viſcera intrent, & ut conſilij Varſavienſis expectent deciſionem, ex quo inveniri poterunt media, aut reſiſtendi, quod optarem, quia reperiuntur multi qui rapinæ cupiditate illecti perverſa quæq; meditantur aut ſubijciendi ſe ad ſervilem uſque patientiam, quod hic libenter faciunt.

Deſiderarem certè & eo nomine ſupplico tibi, ut quantocius conſilium convoces, magnum enim in mora video periculum, ut priſcus ſervetur ho-

A·C·1697 nos te præside templis & Patriæ universæ. Quamvis enim varijs vijs agebamus ne in regnum intrarent. Si viderint, quod est facillimum se ab ijs etiam timeri, qui timori subijci non deberent, vereor ne fiant audaciores. Obvium in itinere habui Thesaurarium Regni, omnis ergo à nobis & de præsenti informatio erit, & in futurum quædam animadversio. Pessimum iter non permittit certitudinem temporis adventui nostro destinare, & hic cessat manus, ut lingvæ supersit, quid dicat.

SERMO II. VALEDICTORIUS
MILITI CONFOEDERATO REDIRE AD OBEDIENTIAM DUCUM NOLENTI 13 Martij.

Quandoquidem lætiores nuper spes nostræ jam hodie eò acerbiore, quo minus opinato exitu terminantur; optarem ab alio quopiam id officij præstari, quod ego repetitis collegarum meorum postulatis impulsus facio. Facilius enim mihi lachrymæ profundis expressæ suspirijs, quàm verba nihil proficientia occurrunt. Quando infelicem hanc Rempublicam in illo rerum articulo specto, quo nullus unquam periculosior potest cogitari. Quocunque tamen fortuna Regni hujus sortem nostram verterit, Deo Ter. O M. supplices tendo palmas, qui individuus spectator testisque aderat frustra exanthlati hactenus laboris studijq; nostri. Non invoco vindices cæli iras, quia illas lugente orbitatem suam Republica non opto; nihilominus procul omni dubio prævideo sine mora adfuturas. Non haberet enim suam divini Evangelij textus fidem, quam ex hodierno quoque didici Sacrificio: quicunque maledixerit patri vel matri suæ, morte morietur. Non opto, imò Deum meum oro, ut plagam hanc, quam tot lachrymæ populorum, & tam profundum Patriæ vulnus, quotidie provocat, divertat aliò vel contineat. Sed itáne obdurata sunt filiorum corda, ut tam manifesto tristissimæ Patriæ amore emolliri non potuerint? Itáne certissima promptissimaque stipendia non potuerunt illos contentos reddere, qui non tam ex affectu fœderatæ militiæ, quàm ex propriæ utilitatis respectu, an lucro tam sanctū tamque necessarium Reipub: opus abruperunt. Dico æquè verè, ac liberè non ex affectu erga fœderatam militiam, quia is in hoc præcipuè debebat reluxisse, ut emerita exigerentur stipendia, quæ in promptu erant; appello conscientiam singulorum, quicunque nobiscum hucusq; super ea re contulerunt: fuit ne vel unum punctum in negotio præfatæ militiæ propositum, quod non ab omnibus nobis acceptaretur? composuistis dictam confœderationem, ut nomen commilitonis salvum integrumq; foret. Audivimus *vocem* eximiam, quòd retenta stipendia minus æstimaretis minúsque exquireretis, quàm antiquam commilitonis libertatem omnibus gazis cariorem. Quid ad hujus puncti votum amplius à nobis desiderari poterat? quando præter castrenses consessus cætusque, dignitatem uniuscujusque commilitonis reduximus ad æqualem paremq; totius nobilitatis prærogativam & activitatem, in omnibus tam Palatinatuum, quàm regni Comitiis exercendam. Potestisne amplius super ea re prætendere? læsiones à Ducibus illatæ militibus fœderatis, quanquam privatæ admodum, & parum æquè, tamen ex integro compositæ sunt. Prætensionibus ad varias personas, quas consensus vester prius aboleverat, forum ad vindicias concessum, hibernæ contributiones, & assignationes, salvâ Ducum prærogativâ, jam paratæ destinatæque fuerunt. An non securius est in alta pace porrecto vesci pane, quem offerebamus, quàm illum (quod avertant superi) fraterno sangvine tingere, aut exhaustorum, lacrymis imbuere populorum? stipendia vestra (quæ non ad rigidum calculum

eulum revocamus) partim in Majo partim in Auguſto Menſe parati ſu- *A.C.1697*
mus numerare. Jam interrogo, utrum non ſit ingens fœderatæ militiæ damnum, illud aversâ fronte aſpernari, quod ſine ulla ſollicitudine, ſine offenſa Dei, ſine conſcientiæ remorſu, ſine afflictione Reip: ſingulos æquè contentos redderet ac univerſos? eluſitne aliquando militiam ſuam Reſpub: negavitne aliquando debita meritis ſtipendia, quantum potuit, imò ſæpius ſupra quam debuerat? licetne Domini mei tam pertinaciter in tam iniquo propoſito perſiſtere? non propter nomen Commilitonis tuendum, non propter ſtipendia repetenda, non propter confœderationem, ad quam vos juramenti Sacramento (ne dicam ſacrilegio) ex privata veſtra Theologia deſumpto obligaſtis. Sana enim Theologia docet clarè neminem ejuſmodi ſtringi juramento, quod eſt de illicito adimplendo, imò unuſquiſque graviter peccat, tale impelndo juramentum; econtra violando illud, ſeu non ſervando, plurimum coram Deo meretur. Quando ergo neque retenta ſtipendia quia ſinè mora perſolventur, neque Commilitonis prærogativa, quia in integro reſtituitur, obſtat, quo minus à tam pernicioſo fœdere diſcedatis: quid aliud nobis cogitandum occurrit, niſi quod aliud ſit in pyxide aliud in titulo, in cauſa nolle eſt, non poſſe prætenditur. Dicitis non poſſe prius diſſolvi confœderationem, quàm tota militia ea de re moneatur, & omnes ſignorum præfecti huc advocentur. Cur ergo nos Samboriam ad tractatus pacis invitaſtis, & ideo pro quarta die Martij ſpatium nobis dixiſtis, ut interim præfecti cohortium in tempore adeſſe poſſent? Aut ergo tunc illuſiſtis Reip, aut nunc illuditis? Ego verò exiſtimo (niſi me mea fallat opinio) quòd & prius & modò eandem quam ante, continuetis allegoriam: quando facta nobis prius ſpe feliciter concludendi tractatus, & univerſos fœderatæ militiæ Præfectos huc advocandi, interim ad nos defertur, ad nonnullas, tantùm cohortes non verò ad omnes expedire placuerit literas circulares. Quid ergo in vos deliquimus, qui huc poſitâ tantiſper dignitate & prærogativâ, qua nos Deus inprimis O. M. deinde Reſpub: ſupra alios extulit, immemores viarum adeo difficilium, reſidentiæ Samborienſis tam incommodæ, conferentiæ tam inurbanæ, ſolo boni publici amore invitati deſcendimus; Redit mihi nunc in memoriam epiſtola Mareſchalci confœderationis ad ſubdapiferum Leopolen: in plena fiducia & candore, tanquam ad germanum Patruum ſcripta, mihique inter alios pariter communicata, in qua nonnullæ exprimebantur conditiones, quibus purificatis certa promittebatur confœderationis ſolutio. Eſtne illarum aliqua nunc, cui ſatisfacere ad noviſſimum quadrantem, reluctemur. Si ergo nihil obſtat, quid nos hucuſq; ſuſpenſos detinet & perturbat? quid nos à portu felici & beato, quem jam contingebamus, tam violento turbine abripit? quid ad mare diſcordiarum & civilis belli Pharſaliam impellit? Ignoſcite mihi Domini mei, ea locuturo quæ in commiſſis à collegio meo habeo, debet omnino arcanus quidam latere angvis in herba. Sed dabunt tandem aliquando ejuſmodi Oedipum faventem ſuperi, qui nobis obſcurum tractatus iſtius ænigma olim clarè ſolvat explicetque, & non tantum nobis, ſed ipſi quoq; fœderatæ militiæ & Reipub: univerſæ, ænigma inquam, quod interea cogitatione tantùm ſequi poſſumus, non palpare. Oculis enim captus ſit neceſſe eſt, qui hæc quæ aguntur non videat, auribus deſtitutus, qui ea quæ ſparguntur non audiat. Intelligimus profectò intelligimus, non totius fœderatæ militiæ hunc ſensũ eſſe, & tam malignum propoſitum, ut Reſpub: perturbetur, opprimatur & evertatur. Non tacerent hîc complures, ex medio veſtro reſpicientes immortalitatem ſui nominis ſuorumq; fortunas, quibus id omnino placere nequit, quod tam palàm agitur. Sed loqui etiam arduum eſt: vix enim aliquis ſemiverbum pro Patria bonoque profert publico (ô præclarum commilito-

A. C. 1697 nis libertatem, quam tanto armorũ strepitu, totiusq; regni motu, tantis contentionibus requiritis) ad malleos ferreos, & acclamationes gravissimas condẽnatur, à turba militari, levissimo sanè ut verũ fatear pretio cõparata. Nimirum in medium proferre non licet ea, quæ DEus imperat, quæ amor communis Patriæ, quæ justitia honestumq; dignum animo nobili suadet, & aperta totius militiæ utilitas imperat. Utilitas inquam totius militiæ: advertite enim quæso diligenter quâ ratione promerita stipendia prætendere, exigereque poteritis, exhaustis fontibus, ex quibus belli nervus hauriri debuerat, eversis nimirum pagis villisque, & ad impossibilitatem solvendi redactis, ob gravissimas exactiones, & consistentias militis fœderati. Erunt suntque præsentes hîc complures vestrûm (ut toties insinuavi) tanti pro patria in hostes illius animi, tamq; delicatæ conscientiæ, quibus occurrunt quotidie æternæ rationes, & Christiana miseratio super exhaustos illicitis tributis populos; nihilominus tamen ob respectum illorum, qui prorsus immemores supremi judicis, conscientiæ & animæ immortalis, certo justoq; stipendio frustrabuntur. Nam unde & à quo poterunt exigi tributa post tot tantaq; impune ubiq; perpetrata damna, quæ authenticis codicillis probabuntur, & ad publicum calculum Reip: ea vocabuntur quæ extorsistis jam & quotidie augetis? Advertite oro Domini mei, an præter animarum vestrarum grande discrimen, nullis comparabile cladibus, certa parataq; militiæ præmia non sitis meritò amissuri, & utrum Resp: tot damnis injuriisq; afflicta, jure olim suas possit agere vindicias; Nam vivit Dominus justus judex & vindex, non patietur tantam in perpetuum Christiani regni sui calamitatem. Post debitas peccatis nostris pœnas, & inflictas plagas, dabit tandem veniam humiliatis contritisq;. In gravioribus longè fuit olim periculis nostra Resp: simul à Moschis, Suecis, Hungaris, Cosacis, non circumdata tantum, sed pene jam subjugata, & tamen nos, idem Dominus qui percusserat clementissimâ manu suâ vindicavit. Verùm quia hæc est tot sæculis probata punientis Patris consuetudo, ut virgas quibus noxas graviores expiat, tandem ad proximum focum flammasq; rejiciat, vereor ne illi, qui tantam iram DEi provocarunt, & instrumenta justitiæ illius extiterunt, ne fortiorem olim pœnam in secuturas ætates luant, & seram (quod optare non licet) in æternis cineribus agant pœnitentiam. Cogitate Domini mei, si quis hodie ex ijs quos vestris habetis ab obsequijs, nollet condictum, & paulo post numerandum ab hero stipendium acceptare, sed violentis mediis illud ex bonis domini sui repeteret vindicaretque: quis sensus tunc vobis foret? quantæq; servitutis imago hæc videretur? Posset forte in alijs temporum circumstantiis colligationis istius fœdus, utcunq; si non excusari, tolerari saltem, verùm quia tunc est compositum, quando de liberæ electionis agitur pupilla, quam semel vulnerasse satis est, hoc prorsus videtur non ferendum. Et idcirco nos quasi clausis ad pleraq: oculis cuncta vobis, quæ postulatis nomine totius Reipub: sumus polliciti.

Non intelligebamus tot tantasq;, quæ nobis quotidie hîc contingebant amaritudines, sed omnes myrrhatæ patientis Christi potioni, & amori patriæ litabamus. Quia verò nonnulla à Collegis meis observata, huc referri debent: nonne fuerunt grandes nonnullorum ex medio vestrî querelæ contra Castellanum Cracoviensem supremum militiæ Ducem, quando id illi objiciebatur, quo heroicæ menti nihil gravius contingere potuit. Vulnus hoc sanari quidem potest; sed cicatrix perennabit.

Dedi-

Dedimus quidem nos læſo quamvis intaminato honori debitas vindicias, ſed illæ non erant proportionatæ injurijs. Occurrebamus omni conatu ulteriorem evitando exacerbationem, aggrediebamur morbos, ſed non ægros. Grave certè erat audire criminationes ab æqualibus contra pares, ſi ad Cancellariam Ducis pertinentes aliqua commoda & fructus habuerunt; æquè cum illis, qui accipiebant, & illi delinquebant, qui dabant, major ergo vindicta, major accuſatio, quàm injuria. A.C.1697

Veniebant ad intima cordis, & juſtè pungebaut illi communes & frequentiores ſermones, quod plus cordis, pluſque audaciæ erit contra nobilitatem, ſi recuſârint dare, quod prætendetur, quàm contra Tartaros. Quod in curribus deauratis redibitis ex Polonia, quod habeatis in promptu majores vires, protectiones externas &c.

Nonne erat inſignis contumelia violentia ſecuritatis & authoritatis debitæ Reipub, quando ſub feneſtris noſtris præcipiti in equo currendo curſu, verba læſiva audiebantur; occidemus, trucidabimus Republicantes. Proficiſcebatur hodie Pr. Golinski natalibus inſignis, Religione Ieſuita in curru; aggrediuntur eum duo ex Vallachis commilitonibus nudis gladijs, & clamore valido ſe excitantibus: percutiamus hunc &c. commiſſarium.

Eſtne hic modus tractandæ authoritatis Patriæ Noſtræ. Condonamꝰ nihilominus omnes has contumelias univerſa convitia, cunctas læſiones & Deo noſtro offerimus, qui plus pro nobis tulit, & pertulit. Et non ideo ea in memoriam revoco, quòd in cordibus noſtris dolorem conſervare debe- remus, ſed ut & hi, qui audiunt, & hi qui forſan legent, videant & ſciant, quæ fecimus, quæ paſſi ſumus. Utinam verò privato dolore noſtro & gravi confuſione publicum ſanari vulnus, publica deleri poſſet injuria.

Revoco iterum in memoriam vobis, uti in nupero congreſſu palàm dixi, quòd non tantùm in bonis & ſubſtantijs noſtris, ſed & in perſonis etiam noſtris omnem cavere velimus ſecuritatem eorum, quæ promittimus. Perſeveramus enim in eadem declaratione, ſicuti id voluimus nuper, ſic volumus & hodie. Convertantur tandem corda filiorum in matrem, & omnia faciemus, quæcunque deſiderare poteritis. Solvemus hibernas eo modo, quo diſpoſitio inter aſſignationes fiet, pro obedienti exercitu, & pro confœderato. Erit ſatisfactio & ſolutio in reali certa & prompta, ſed id fieri non poterit niſi pretio diſſolvendæ hujus confœderationis & reditus ad obedientiam Ducum. Si verò id vel negabitis, vel differre volueritis tunc nos nihil planè pro vobis fieri poſſe reſpondemus. Ac proinde, ſi non habetis & fortè etiam poſt non habebitis ſatisfactionem debitam, non eſt Reſpub: in culpa, ſed veſtra in matrem indiſcretio, malevolentia. Ceſſabunt poſt tantam ruinam, quæ jam incepit, ſolita tributa, depauperebuntur ſubditi noſtri, quis ergo ſolvet? & eo modo, non hic qui meruit, ſed ille, qui oblitus Dei, conſcientiæ, honoris, fruetur & gaudebit, quamvis & hoc gaudium longum eſſe non poterit, quia quemadmodum nix ſurgente ſole, aut cadente liquefit pluviâ, ita fortuna injuſtè à paupere populo extracta lachrymis eorundem diſſolvetur; frequentius enim malè parta juſtam aliunde collectam annihilat fortunam.

Reflectite vos ergo ſuper hæc omnia, & rogamus, ut perhibeatis veritati teſtimonium, ut univerſo exponatis exercitui, quòd quidquid ſit, non ex nobis culpa, non ex nobis cauſa.

Venit mihi in mentem unum medium, quod jam non ex voluntate Collegarum meorum, ſed ex me ipſo propono, eò ardentius, quò libentius vellem & optarem ſatisfactionem veſtram, tranquillitatem noſtram. Eſſe poteſt, quod nobis diffidatis, non invidebimus imò rogamus: mittite Leopolim ut alij veniant commiſſarij, aut vos mittatis, qui Leopoli cum alijs tractent.

Non

A.C.1697 Non relinquatis & alia media ſi occurrunt, non properetis in viſcera Patriæ, non moveatis ulterius, non acceleretis ruinam Patriæ, non inducatis ad deſperationem fratres veſtros, contineatis tam ferventia nonnullorum eundi in viſcera vota & deſideria. Utique hæc eſt Patria veſtra, non eſt alia, Polonia melior non reperitur. Quidquid vos nunc facietis pro nobis, ſucceſſores veſtri facere pro vobis poterunt, quando ſagum veſtrum militare in togas mutabitis. Quidquid ergo ingratum vobis foret parentibus, non facite hic fratribus veſtris, continete manus veſtras, moveat vos & amor Patriæ & periculum quoque perſonarum veſtrarum. Ad extremum emolliat dura corda veſtra reſpectus Dei, honoris & conſcientiæ.

Id omnes demiſſiſſime etiam rogamus, & ſupplicamus. Si verò nihil profecerint ſupplices preces noſtræ, Deum in auxilium invocabimus. Non egemus contra vos alio ſuccurſu, lacrymæ pauperum ſufficient, hæ nos defendent; quoniam propter gemitũ earum movet ſe loco, exurgit Dominꝰ &c.

COPIA LITERARUM

A COMMISSARIIS LEOPOLIENSIBUS AD CARDINALEM PRIMATEM.

Liber non epiſtola ſcribendus nobis eſſet, ſi vellemus univerſa & cuncta de tractatu abrupto Samborienſi cum debita perſonæ tuæ obſervantia deſcribere. Ac proinde Epiſcopum Plocenſem, & Theſaurarium regni Varſaviam iter ſuum dirigentes petivimus, ut relationem faciant actorum, nec dubitamus eos reſponſuros deſideriis noſtris. Intelliges intimius, quàm vile ſit decus publicum, apud inconſideratos homines, cum nec authoritas tractantium, nec rationes convincentes, nec perſuaſiones permoventes, nec depreſſa aliquatenus ſubſelliorum noſtrorum majeſtas valuit. Ineſſe debet aliquid occultius huic pervicaciæ, & imperſuaſibili pertinaciæ. Ad DEum ergo primum rerum tutorem orbatæ Reipub: ut beneficum numen recurrimus, & pòſt firmũ præſidium tuum poteſtatis præſentis invocamus. Conſilio opus eſt ſine cunctatione, quod ex eo maximè æſtimari poterit ſi effectum ſuum habuerit. Præparant ſe jam confœderati in ipſa viſcera regni ad executionem intentorum, & hibernorum extorſionem, erudieris amplius ex copia inſtructionis, procaci & ferali ſtylo ad nos miſſa, ſicut in copia literarum univerſalium, in quibus exprimitur, quòd Samboriã ſedem reſidentiæ Mareſchalcalis Lovicium transferre intendant, tanquam pauci eſſent depauperati in his partibus & depauperandi ſint plures *in illis*. Quid ergo reliqui eſſe poteſt? niſi maturè provideatur ſecuritati Palatinatuum, indemnitati jurium, & libertatum noſtrarum, præcipuè cum Comitia electionis immineant; ad quam manutenendam contra violentos aggreſſores, generoſa arripienda conſilia, & efficacia invenienda remedia, ſecundùm copias reſolutionũ noſtrarum quas tibi adnectimus. Mandabunt Duces diſperſis obedientibus militibus, ut jungantur Palatinatibus, & omni defenſioni inſiſtant. Non eſt modica quantitas Officialium & militum in obedientia conſiſtentium, quibus de juſtitia convenit, ut ſolatium panis hiberni accipiant, qui cum aſſignationibus eum vindicando aſſiſtent Palatinatibus, próque intereſſe ſuo omni meliori modo defendent. Neceſſitate proinde inducti ſcripſimus hìc eo nomine declarationem, non tantùm his obedientibus in reali ſatisfactionem offerendo, ſed omnibus quicunque ſive ſparſim, ſive ſub ſignis ad vinculum

lum obedientiæ venire vellent. Illicia hæc sunt, ut redeant ad mentem saniorem & fidelitatem. Deferimus tibi itidem, quòd ex præsenti rerum circumstantia, supplendo partitionem panis hiberni, concesserimus ex Regalibus duplicem, ex Spiritualibus triplicem pensionem. Quid faciendum publicam redimentibus salutem aliter fieri non potuit. Considerando interim ferventiorem militis Samboriensis petitionem, ut tractatum ad tres septimanas differremus, ut interim Mareschalcus congregaret officiales & commilitones, prolongavimus & nos Commissionem ad diem lunæ Palmarum. Cum verò necessitas sit, ut à Palatinatibus his, qui jam sunt, & qui redire ad obedientiam volunt, aliqua pars mercedis deservitæ persolvatur; non obliviscaris in illo consilio publico addere stimulum, ut fides nostra evincatur, in quibus celeritas est primum fundamentum, nocuit differre paratis. Faustissimos exitus imminentis consilij & millena solatia Reipublicæ optamus. A.C.1697

MANIFESTUM DD. COMMISSARIORUM REIPUBLICÆ.

NOs Commissarij à Repub: ad dissolutionem confœderationis, à generali Ordinum consensu deputati, ab eodemque ad tribunal Leopoliense designati, & ex Palatinatuum terris districtibus &c. electi. Universis & singulis quorum interest notum facimus. Signanter Illustrissimis DD. Senatoribus, dignitarijs, Officialibus, totique ordini Equestri Palatinatuum majoris & minoris Poloniæ. Quod ab adventu nostro huc Leopolim circa incidentiam ex limitatione tractatûs cum exercitu præfixam, omnis in eò fuerit nostra sollicitudo, quonam modo exercitus inobediens, ad obedientiam reduceretur, & in eo pro utilitate Reipublicæ operati sumus. Pro efficaciori itaq; methodo visum non abs re, jungere tractatus commissionem cum tribunali, junctoq; ardore eò impensiùs agere, ut per inductionem ad obedientiam exercitûs eò efficaciùs & feliciùs possemus ad vota & satisfactionem publicam progredi. Sed prout in præterito tractatu inexorabilia DD. confœderatorum deprehendimus corda, ut nec amore Patriæ, nec facilitate satisfaciendi desiderio ipsorum, nec assiduo conatu flecti potuerint; ita & nunc in iterato tractatu, sat diuturnâ non moti operâ, quando in tribunali ærarij publici mox primam monstrarunt renitentiam, nolentes liquidare, nisi prius liquidata in Radomiensi tribunali quartualia realem exnunc reciperent satisfactionem. Ne autem difficultaretur tractatus, quamvis iustis injuriatorum prætensionibus in contrarium movebatur, post longas tamen disceptationes pretio dissolutionis, judicia dilata erant: sed & hæc facilitas nostra nihil proficiebat, allegabant enim, quod hîc ad dissolvendam confœderationem non haberent plenipotentiam, evicimus precibus, ut aliqui è medio nostrî. Samboriam, alij ad circulum DD. deputatorum irent pro liquidatione electorum, ut illic utrique remonstrarent, Rempub: in omnes inquirere modos, ut sudore militari emerita præstari possint stipendia, & omnes exercitûs pacificari prætensiones; alij ut DD. deputatis persvaderent, quatenus accederent ad liquidationem, prout illis quidem successit, dum solitam in cordibus ingenuis DD. deputatorum animârunt generositatem, quæ corrumpere fructum laboris nostri non permisit, sed eos ad liquidationem adduxit. Accesserunt ergo ad liquidationem positâ præcautione, ut suum haberent Directorem, & notabilis consolatio pecuniaria illis provideretur. Utroque hoc ex necessitate publica indulto, cœperunt liquidare, ultra mentem & mandatum Mareschalci, & consilij Samboriensis eo-

A.C.1697 que modo, quando jam in activitate sua commissio procedere incipiebat, advenerunt sex DD. commissarij militares prætendentes in collegio nostro locum habere, licet jam sciebant, juxta legem & consvetudinem duos cōmissarios ab exercitu fideli seu obedienti assidere, sed & in hanc exorbitantiam, ne ulteriores subsequerentur, placuit etiam ultra praxim & legem consentire. Ergo præstito juramento, sedentes commissarij, non modo ad commissionem verùm ad tractatum deputati, primam moverunt difficultatem, ut integra citra dilationem hic & nunc omnium stipendiorum prætendenti exercitui fieret satisfactio, post hanc urgebant ut tractatus Samboriam transferretur. Post talem igitur illationem rogavimus è medio nostrî DD. commissarios, ut authoritatem Reipub: manutenendo efficerent, quatenus DD. confœderati tanquam filij ad matrem se conferrent, & huc venirent. Sed justa hæc illatio nostra non flexit DD. confœderatos, unde demissa Reipub: authoritate precibus nostris inducti plurimi Illustrissimorum & magnificorum DD. è medio nostrî abierunt Samboriam ut eo validioribus rationibus flecterent obdurata eorum corda. Iverunt ergo Andreas Załuski Episcopus Płocensis, Stanislaus Małachowski Calissiensis, Adamus Sieniawski Bełzensis Palatini; Alexander Lipski Castellanus Siradiensis, Hieronymus Lubomirski Thesaurarius M. Regni ex senatu. Ex equestri autem ordine Franciscus Liduchowski Succamerarius Kremenecensis, Stanislaus Rzewuski Chełmensis, Stephanus Potocki Czerkasensis, Petrus Bronisz Pysdrensis, Ioannes Miączynski Clonoviensis, Capitanei; Ioannes Skrzynski Vexillifer Lencicienfis, Nicolaus Krosnowski Dapifer Leopoliensis, Sigismundus Baranowski Leopoliensis, Stephanus Dłuzewski Chełmensis Pocillatores, Antonius Stamirowski Haliciensis, Stanislaus Liduchowski Wolhyniensis subdapiferi, pro 4 Martij Samboriam, qui dies ante duas Septimanas fuerat stabilitus, & per universales Domini Mareschalci confœderationis literas determinatus, publicatusq;, ut omnes Officiales ad condictum tractatum dissolvendæ confœderationis sese sisterent. Acceptâ igitur notitiâ, pervenimus ad arcem Samboriensem, advenit Dominus Mareschalcus cum consiliarijs & cohortibus suis visitationem deferendo, quam & nos subsequenti die absolutis divinis venientes recompensabimus, ibidemque vicissim nostras intentiones exposuimus, quàm sincere desideremus, ex corde optemꝰ ut Respub: & totus exercitus ex desiderato solatium habeat tractatu. Incepit itaque determinata 4ta Martij. Quæsitum ab adversa parte, an plenipotentiam & Instructionem hąbeamus, volentes utriusque responsum ad circulum suum referre, legereq; cupiebant plenipotentiam Domini confœderati, sed instructio sola est pro nobis in modum memorialis, & hoc si necesse fuerit in progressu tractatûs, nos exhibituros appromisimus. Disputatū postea de loco tractandi, & saltem eum affectum obtinuimus, quod sub signum ut vulgo dicitur (pod Bunczuk) non descendimus, sed in arce Samboriensi cœpit in fundamento mutuæ plenariæ ad tractandum facultatis. Allatæ sunt nobis tunc illorum propositiones, quæ erant de manutentione & læsionibus ab aliquibus superiorum, itidem de eorum omnibus prætensionibus; per integros decem dies controversum est, ut tandem nos (etsi ultra ordinationem Reipublicæ, & scriptum ad archivum) ad intolerabilem hibernorum induxerint concessionem. Sumendo sibi in bonis regalibus duplices portiones, ex spiritualibus triplices, quanquam contra id Excellentissimus & Reverendissimus Episcopus Plocensis protestatus fuerit, & in tam insupportabile onus (dummodo statim exercitus seu confœderatio dissolveretur) consentire volebamus, solam cum parente vel obsequente exercitu requirentes coequationem & æqualem citra exemptionem aliquorum bonorum, repartitionem, ad quam computationem è gremio nostrî expetijmus

mus Collegas, ut cum illorum Commissariis tantò perfectior emanatarum assignationum fieri posset combinatio. A.C.1697

Petierunt insuper absq; anterioribus quartualibus liquidatis satisfactionem, & sex quartualium primis diebus Maji exolutionem, residuum ultimis diebus Augusti, & nos soluturos nos submisimus, & in propriis substantiis ac bonis nostris obligaturos nos declaravimus. Demum pro majori ejus certitudine, ut tantum ex ista confœderatione emergens malum in liberam nobis non subsequeretur electionem, obtulimus quod quamcunq; ex nobis sibi delegerint quantitatem personarum etiam assignantes, obsides nos simus tradituri. Ejusmodi itaq; Patriæ & nostra facilitas nihil profuit, quamvis quidquid humana prudentia, amor publici boni efficacissimum excogitare potuit, omne id adhibuemus, tamen infaustæ privatæ, & profundiores in vindicatione honoris commilitonũ & prætensis stipendiis considerationes & multò magis oculis subjectæ, visibilesq; factiones, quæ ut videtur in ipsam liberam collimant electionem, tam optatum non permiserunt terminare opus. Post contrariam & obstinatam superioritatis ipsius Confœderatialis, & subordinatarum per ipsos vocum ad contradictiones resolutionem, dum datis semel & post retractatis suis declarationibus procul retro cesserunt & primas propositiones promissaq; abnegârunt illud affectando, ut Commissio ad tres septimanas limitaretur ex hac quasi ratione aut prætextu, quod non omnibus cohortibus innotuerint istæ ordinationes.

Allegabant universale exercitus interesse universali fieri debere consensu sed advertimus in hoc plùs subtilitatis, seu potius elusionis, quàm plausibilis rationis inesse, nam in antecessum concessæ duæ septimanæ, ad intimandas ordinationes sufficere poterant ad notificandum, præterea sat notabilis fuit Officialium & Commilitonum concursus, dum & in prolixis satis vix capi poterant circulis, & insuper viginti aliquot vexilla in suburbia huc convocata subsistebant, & omnes ferè Officiales reperiebantur, & licet aliqui abfuissent, dum erant vocati, sibi, imputent, quòd tacitò quasi præsentibus negotium hócce commiserint. Insuper circa inchoationem tractatûs propositiones factæ in ordine ad finiendũ tractatũ, post omnes jam solutas conditiones, ex corde indolendũ venit, quod appropinquãte vidènter electionis tẽpore, abjecerint totũ tractatũ & combinationẽ, nulla obedienti exercitui, nec Ducib9 relicta hiberna, jam extraditæ per Illust. D. CastellanũCracov: Mareschalcum nostrum assignationes violatæ, per iteratas vel subalternas D. Mareschalci Confœderationis universales literas, quarum vigore vi potenti extorquebant ex tenutis satisfactionem, nec jam combinationem admittebant. Et quod majus, quamvis omnia obtinuissent, nullam spem faciebant nobis in delapsu trium septimanarum dissolvendam esse Confœderationem, sed declarabant, non prius id futurum nisi ubi in præteritis jam liquidatis illis fuerit satisfactum, medietasq; modernorum quartualium primis diebus Maji Leopolim advecta, aut expediti ad Palatinatus deputati in toto omnibus stipendia attulerint cohortibus; talis itaq; eò mœstior, quò insperatior mutatio omnium nostrûm corda penetravit acerbius, & plùs ex oculis lacrymarum, quàm ex ore verborum expressit, in tantum ut Illustriss: D. Episcopus Plocensis adducta calumitate, & quibusvis Reip: periculis, quæ remissione militaris disciplinæ Remp: infestabunt & prement, & vix non in extremam adducent ruinam, ita emolliverit quorundam corda, ut nobiscum pariter illacrymarentur, alij autem obstinati infortunio Reip, & bonorum e-

A.C.1697 jus ruina, ſuas aucturi fortunas, non admittebant tam juſtam perſuaſionem, nec obligatio, nec amor Patriæ quidquam apud hos profecit, quin imo inflata malitia obſtinatione, & præſumptione ſuâ indignas hominum notitiâ, poſteritatiſque memoriâ depromebant voces: audacius vos, quàm Scythas invademus, panem nobis ipſi ſcindemus, & realem nobis de ſubſtantijs faciemus ſatisfactionem, & in rhedis ſexigis junctis revertemur. Adeo horrendæ reſolutiones, nónne jam ad deſperationem adducunt? num maternum cor Patriæ poterit perferre inauditum furorem, quem intolerabili dolore omnibus & ſingulis deferimus. Sed nondum adimplevit malitia menſuram, non ſatis jam promulgaſſe, ſed poſt noſtrum abitum, miſerunt nuper non cum compunctione quam ſperabamus, ſed cum inimica legatione, impiâ relatione, quam legent univerſi, in ingroſſata hîc eorum inſtructione, & à nobis realem accipient informationem, quod jam Pharſalicas canant acies, eaſque nobis comminentur. Relicti ergo extra omnem ſpem perſvaſionis, ut Rempub: ſuper omnia habeant chariſſimam, citra moram toti Reipub: deferimus, ut ſaluti publicæ quantocius velit ſuffragari, & fortia ſumere conſilia, quæ ſacras ædes, leges, libertates Patrias & fortunas noſtras protegere poſſint, Excitabit in cordibus omnium innatus in matrem noſtram amor, ùt eam oppoſitis pectoribus ab aggravatione ingratorum filiorum tueantur. Excitabit tanto majorem generoſitatem noſtrum omnium authoritas, quo inconſideratius obdurata corda vim meditantur, quam quidem matrem noſtram, non tantum ex innata charitate, ſed ex nexu obligationis prætendentium ſua ſtipendia defendere tenebantur. Nos coram Deo, qui eſt teſtis & judex, coram tota Patria manìfeſtamus, nihil nos intactum reliquiſſe, imò omnem ad mentem eorum in omnibus propoſitionibus pretio diſſolutionis, & avertendi civilis belli monſtraſſe facilitatem, quorum ſpes jam præciſa, dum ad movendum in Poloniam die Dominica emanarint Domini Mareſchalci confœderationis univerſales literæ. Cum Nobis Reſpub: ad diſſolvendum tantum dedit poteſtatem, obſtringimus omnes & ſingulos, ut innato zelo, & conſilio hunc nodum Gordium reſolvere ſatagant, & eò ocius Patriæ ſubvenire, quò velociori feſtinatione acceleraturos ſe in viſcera illi declararunt, quod pro jurata fide deferimus, denunciamus, & ſubſcriptionibus noſtris roboramus &c.

COPIA LITERARUM
A COMMISSIONE AD JUDICIA KAPTURALIA

Quemadmodum commiſſiones noſtræ, incomparabile Patriæ infortunium, ex irrito per abruptam contumaciam Samboriæ tractatu, omnibus Reipub: ſtatibus denuntiarunt, pariter ex univerſalibus ad omnes Palatinatus tranſmiſſis, patebit illius informatio, hic conſilium capite. Iam non in minis, ſed in foribus periculum, non tantum in fortunas noſtras Confœderati, ſed in liberam directè electionem exerunt manus, quia ſi non contra illam inſurgere intenderent, nunquid à noſtris DD. commiſſarijs firmatum nominis cõmilitonis decus, conceſſa ad proportionem ſtipendia, pro ima Maij ſex Quartualia, abſq; anterioribus liquidatis, omnis ſecuritas quàm primum proviſa ad complanationem eos non perduxiſſent? cur & facilitatem Reipublicæ, & ſua propria palàm abiecerunt commoda? cur alia in effectum deducere meditantur, quàm ipſis ad eorum vota, tam benignè Reſpublica indulſit. Nunc demum poſt abruptum tractatum miſerunt ad nos triſtem & furioſum nuntium ſuarum obſtinationum, dum in publica inſtructione hæc inaudita in Polonia verba inſeruerunt:

runt: imus (horrendum dictu) in viscera matris nostræ scindere panem. *A.C.1697*
Hæc ipsa horrenda verba, & dicta, sequentia facta movere deberent generosissimos sensus & natum ad fortia sangvinem, de quo non dubitamus, imò illum efflagitamus, ut memorabili & laudando exemplo primorum in Patria nostra Cracoviensis, Posnaniensis, & Calissiensis Palatinatuum, non expectatis longis, quia dilatis comitiolis extradant universales literas ad incolas territoriorum suorum (prout illi Palatinatus egerunt) quatenus pro tuitione immunitatum & libertatum suarum ex nunc defensioni contra istius modi aggressores sese accingant, qui publicè detonant, meliori corde aut animo ituros se in Poloniam, pro portionibus & stipendijs, quàm contra Scythas. Meminerint ad extremum si una vice (avertat Deus) prærogativa nobilitatis cadet sub judice ferro, damno satis nunquam deflendo, omnia & nosmet ipsos perdidimus. De hoc commissiones nostræ omnes & singulos præmonent, hoc orant & hoc sperant &c.

COPIA LITERARUM
AD DD. SENATORES EARUNDEM COMMISSIONUM

IAm supponimus ipsam Echo negotij nostri cum confœderato exercitu, & non subsecuti Samboriæ tractatus famam, cum tantorum hominum dispendio prævenisse, hanc nostram de calamitate Reipublicæ denunciationem. Nolumus itaq; nos, aut in descriptione eorum, quæ documentis publicis, & prolixâ relatione omnibus Reipublicæ statibus, patebunt, distrahere, aut longos diffundere luctus, super incomparabili communis matris nostræ infelicitate, libertatumq; nostrarum discrimine evidenti, pro officio nostro potius in dolorum & curarum partem Universos & singulos invitamus, & scientes quòd irretractabili obstinatione in viscera Regni, pro vindicandis portionibus & stipendijs confœderati movere decreverint, de hoc ad singula capturalia judicia & ad omnes Palatinatus scribimus flagitantes ut in ultimo naufragio libertati suæ nobili succurrant, & electionis securitati, contra quam atrox hoc bellum confœderatio concitat & minatur, provideant. Hoc est ut exemplum deprædicandum primorum Cracoviensis, & nunc recens Posnaniensis atque Calissiensis Palatinatuum, qui Iudices capturales, non expectantes tardam resolutionem ex comitiolis, incolas suos concitarunt ut sese accingerent defensioni libertatum fortunarumq; suarũ, in quas jam immoderatas suas prætensiones, confœderatio protendit, ita te tanquam seniorem tuorum fratrum ardenter rogamus, ut nostram hanc cõpellationem, cautelam & consilium, tanquam remedium ultimum authoritate & activitate tuâ, apud confratres fulcire, & in executionem deducere digneris. Si verò tunc hæ nostræ literæ limitata ista jnvenirent judicia, easdem concreditas tibi literas fratribus communicare non graveris. Eam erga Patriam charitatem grata recognoscet Respublica &c.

INSTRUCTIO ADAMO CHOSZEVIO, ET ANDREÆ GURKOVIO AB EXERCITU CONFOEDERATO AD COMMISSIONES LEOPOLIENSES.

14. Martij.

NUllo casu, nulla fortunæ malignitate, aut inclementium cælorum constellatione ab amore & fidelitate patriæ debita abstrahi potest exercitus confœderatus. In tanta lucta animorum frustra toties operati sumus: iterum tamen pulsamus corda paterna utriusque

A. C. 1697 Commissionis, & non jam pro nobis, sed pro patria debitam invocamus commiserationem, utque in desperationem non inducamur, in memoriam reducimus, non otiantis exercitus opera, sangvine deservitam mercedem præsentantes, securosque sedentes, quod non verbis, sed re ipsa fidelitatem suam patriæ testabitur. Cum tamen nullum respectum apud utramq; inveniat Commissionem, indolet ex corde exercitus, quando injuriis satisfactionem per abruptum, sive violatum non vident tractatum. Petiunt proinde utramq; Commissionem ut dissolutionem confœderationis suppositâ satisfactione ad imā Maji differant, & interim panē hibernum non denegent, quem nunc per quidquid est sacrum, & carum, requirunt, ut pacatè exigere possint, protestando coram DEo & mundo toto quod imminentis in patriam periculi, non exercitus caussa erit, si quid adversi & sinistri in requirendo pane hiberno, quem meruerant acciderit; Exercitus verò quamvis hoc horrendum sit dictu, immediatè ad accipiendam, quoniam liberè non datur, etiam vi satisfactionem accelerabit. Excusabit nos fidelitas, quam constantem retinemus, dolor & mœror, quem cælo & terræ palàm facimus, justitia mercedis operariorum detentæ, quando coactè has aggredimur operationes &c.

RESPONSVM IJSDEM.

Non sic pulsat, qui aliquid petit, non ita amorem & fidelitatem in patriam testatur, qui defacto fidelis est, ad desperationem sanus intellectus neminem ducit, nec is gloriari opere aliquo potest, quod aliena perficit manus.

Exercitus confœderatus instanter panem petit, fidelitatem præsefert, in instructione id exprimit, sed aliud in calamo, aliud in re monstrat. Similis sepulchris dealbatis, quæ à foris patent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ. Nónne id dici potest? Populus meus labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me, & quod, quæ procedunt de ore, de corde non exeunt. Desperationem præfert, cum benevolè utraque Commissio illi promiserit omnia, secundum vota & desideria. Testimonium estis vobismet ipsis. Gloriantur factis suis pro Rep: gloriosis & id sibi adscribunt, quod præcipuè in obedientia existens fecit exercitus. Commissarij Samboriæ degentes nostri, quidquid possibile erat non verbis sed re ipsa præstare volebant, sed confœderatus miles contra æquitatem omnia ab illis habere, nihil ex se præstare visus est; parva vel nulla spes erat reditus ad obedientiam, cujus ergo culpa, si non eorum, cum acceptare id nolebant, quidquid ipsi in propositionibus suis desiderabant? integram à reditu in obedientiam monstrando aversionem; quando quidquid hodie concesserunt, in crastino negarunt. Nónne & nunc evidens documentum similium, quæ in tractatu Samboriensi fuerunt? Tres septimanas ad congregandos alios desiderabant, & nunc ad imā Maji terminum differunt.

Qantum verò attinet ad resolutionem proprio ausu & authoritate extorquendi sibi panis; horret animus, neque tacere indignum sinit, neque dolor loqui permittit, horret inquam animus cogitare, lingva loqui, videndo tam audacem, & per omnia sæcula inauditam filiorum in matrem sæviriam, nullo humani juris & scriptarum legum respectu, cum præcipuè eundem panem ultro Respub. exercitui offert, modò filialiter cum ea agat.

Cur

Cur ergo sacrilegas manus in viscera matris immittere, super quo natura A.C.1697
stupet, & in ipsis belluis tam horrendo facinore abhorret, quando eadem viscera misera mater ad acceptanda omnia desideria, quamvis pessimorum filiorum suorum aperit; non tam ingressu illorum violatam, quàm impotenter ademptam justè queretur.

Postquam nostri commissarij redijssent, & relationem omnium, quæ gesta sunt Samboriæ fecissent, statim generalem declarationem per decretum fecimus, quòd panem hybernum exercitui in obedientia existenti concedimus, dato etiam spatio redeundi, quicunq; voluerint & tales ad eundem favorem omnes recepti. Si verò confœderatus miles, quod mordacius, quàm vellemus audire, minatur, ad vi recipiendum, in viscera intraverit, vindicta Dei, (illi armis confidunt simul & audaciæ, nos autem in omnipotente Deo qui potest & venientes adversus nos, & universum mundum uno nutu delere, spem habemus, auxilium nobis ab eo affuturum) pro hac evidenti injustitia, & innata nobilitatis resolutio faciet contra suos aggressores, quæcunque facere demum tenebitur. Etsi pertinacius æquitati reluctantes feceritis, sciatis volumus, quòd nos multò plures erimus vobis. Quandoquidē verò abrupto hoc tractatu, nulla alia restant media, convocari omnino consilium à Cardinali Primate debebit Varsaviæ, faciat illuc recursum exercitus Samboriensis in prætenso suo desiderio; nos interim commissionem ad duas septimanas in favorem exercitus limitamus, ut interim postulatis ejus, quæ nobis proposuerunt, satisfiat in convocatione officialium, & aliorum commilitonum, amore Patriæ ad extremum obtestantes, ut deponant tam execrandas intentiones à civili bello, & æstuantes flammas militaris fortitudinis, in defensionem satius limitum, & occursum venturo brevì cum solito proventu Camenecum inimico dirigant; quâ actione, gloria, nomen, reputatio exercitûs abundantius coram exteris, & tota Repub: reflorebit.

LVII.

CARDINALI BARBARINO,

26. Martij Varsaviâ.

Refert, quid sit miles confœderatus, quamq; perniciosus.

REdux Leopoli inveni benignissimam tuam epistolam, pro qua gratias ago, quas concipere possum maximas, imò innumeras. Magni hoc affectus erga me testimonium est, atq; ego omnibus votis occasionem præstolor, qua declarem, nulla de re me magis laborare, quàm ut tibi pateat, te de me optimè meritum esse. Quamvis verò negotijs multis distinebar, & per temporis angustias scribere non licebat, nunquam tamen tui memoria adempta. Excusabis verò silentium Princeps Eminentissime ex justa causa. Multis de nostra Commissione gaudentibus, ego solus difficultatem operis certius sum expertus re ipsâ, quod fama vulgaverat, contumaciæ scilicet, quàm pœnitentiæ propiorem exercitum esse, & ut prædonibus ex præda intenditur libido ad prædam, sic illos nulla de causa, in confœderatione hac manere, quidquid liberet licitum sibi autumantes. Ut verò intelligas melius quid sit hic confœderatus miles, breviter innuam, paucis multa complectens.

Ab annis aliquot, cùm imbecillioris esset valetudinis Rex Joannes, Comitia regni rumpta sunt, in quibus ordinario cursu stipendia pro exercitu laudantur, nec moris est, ut aliunde satisfactionem pro deservita mercede habeant, aut expectent. Ab anno 1690 nulla finita fuerunt

A.C.1697 runt Comitia ac proinde solutio militi de anno in annum differebatur. Post mortem autem optimi Regis novâ spe inducti, & veteribus innixi præjudicatis, (si enim ad memoriam superiorum temporum animum revocemus, non est novum) confœderationem exercitus inijt, sacrum aliàs nexũ profani conditores appellant, pariter ut vivente Rege Casimiro Anno 1662 acciderat. Non rectè, sed perperam nexus iste sacer dicitꝰ, nisi per antiphrasim appellaretur, quomodo & lucꝰ quod minimè luceat, & Parcæ dicuntur, quòd minimeparcant. Mirandũ tamen, quòd rem per se malam, jure vetitam, nempe militis in Rempubl: legitimosq; Duces violentum motum, adeo concorditer ac ordinatè inter se agant, tamque exactè sub perfunctorio magistratu tenaces obsequij existant, ut sæpius nullis exquisitis artibus, promissis, aut largitionibus scindi, nec quidem minis intentatis, aut ostentata vi de facili rumpi possit. Eligunt sibi Mareschalcũ, qui nunc est Baranovius, ex nobili familia, cui adjuncti consiliarij, penes quos condendarum legũ potestas, justitiæ administratio, retinendæ militaris disciplinæ cura, & pro securitate suî vigil industria. Rescripta ad exercitum (universales literas dicunt) prodeunt, ille pro consilio indicit circulos legionibus; legatos undecunque venientes excipit, stativa cohortibus distribuit, cunctorum planè cum admotis è militari Magistratu collegis vitæ necisque Dominus, at is simul cunctos respiciens & omnibus obnoxius, támque in quævis acta sua inspectorum patiens, ut non sacris interesse, non somno, aut venatu laxare animum, nec cuiquam colloqui, nisi additis custodibus, & inquisitoribus possit. Hinc dum peccare non vacat, itur per species virtutibus similes, nullo personarum aut gratiæ respectu, plectuntur rei citra dilationem, ijs qui accusant satisfit. Excussa interim ab obsequio Ducibus obedientia. Prætextus verò incepti hujus nexus erat ille, quod scilicet nomen commilitonis (vulgo Towarzysz) hactenus contemptui habitum, fundamentum verò aliud ejus non ex vano creditur, quòd aliquis, (nondum enim pro certo scitur) in favorem alicujus candidati, ut facilius ad coronam devenire queat, huic nexui initium dederit. Hic per momenta temporis insurgit latius gliscens ignis, cum multæ legiones accessũ suo firmiorem reddant, præter innumeros lixas aliamque castrensem turbam. Hi ergo ad majora erecti commissarios ex gremio suî primùm, pòst etiam in spiritualia & in regalia bona cohortes immittunt. OEconomias regijs proventibus destinatas in possessionem suam recipiunt.

Tam aeris & quidem principales Reip: partes, præcipuè hoc interregni tempore, non sine præjudicio fortè liberæ electionis invadens lues, unico persanari posse videbatur remedio, ut medendo vulneri manus apponerentur per destinatos à Repub: Commissarios. Indignum quidem plerique censebant, nimiæ in suos benignitatis Rempub: usque ad contumeliam tractatam, peracerbè à stipendiarijs & subditis multiplici injuria affectam. Ius & fas obsequij cum enormi legum læsione subversum, civilia tamen violentis medijs efficaciora media credebantur. Fecimus ergo infra dignitatem ordinis etiam ad impertinentia demissi, quidquid fieri potuit, sed tandem prævaluit infelicitas Patriæ, & malignitas eorum, qui hanc confœderationem manutenebant, ut curæ nostræ & solicitudines irritæ fuerint. Nam quod latebat in herba, manifestatum est in spica, quod celabatur in gramine, prodijt in fructu, dũ naturâ malignantis fortunæ tardiora remedia invenimus, quàm mala. Rupta hæc concordia timendum ne in Syrtes externi dissidij & in extrema exitia erumpat, nam irritum esse vidimus rebus nostris in deterius vergentibus, quidcunque conatu maximo, fructu minimo tentavimus. Non semper respondit messis arantis labori, & spes maximæ quandoque nec ad herbam veniunt. Quid remedij afflictis rebus! metu coercendos

dos esse, quos beneficia non mutarunt, & qui cuncta impetu factionis inter deformes moras in præceps abruperunt; Iusta enim est vis, cum prohibetur vis iniqua, & casus emergentes nova amant consilia. Fel columba non habet, & tamen rostro & pennis pro nido pugnat. Melius esset Reipub: occurrere nunc damnis, quam postea vindicare. Serpens etsi non momorderit, obteritur, ne mordere possit. Nec justæ Deus deesset causæ, quandoquidem illi ob insolentes prætensiones, nec Deum vindicem, nec orbem speculatorem & abominatorem verentur, sed evitando bellum civile fortè eveniet ut quamvis injurias patiemur, videamur non sentire. Arma tenenti omnia dat qui aliqua negat. Multum laboravimus cum alijs in conservanda Reipub: integritate, iactantiam omitto, rem quæro non splendorē. *A.C.1697*

Optimus quique Reipub: causa mœret, & pro affectu in illam certè dolebis ipse, ego velamentum istud malitiæ contra Ecclesiam eò plus vereor, quò malignioribus sermonibus, sacra nunc violantur. Ruina bonis Ecclesiasticis imminet.

Quomodo de fide rectè sentire eos credemus? qui Ministros Christi pauperes esse volunt, non sanè ut rectè vivant sed ut contemnere eos possint. Qui bonâ fide Deum colit, amat & Sacerdotes. Status Spiritualis præcipuum est, status nobilium provectionis subsidium & adjumentum. Status autem sæcularis, est status Ecclesiastici amplissimum Seminarium. Fuit apud majores nostros ea persvasio, ut quâ domo Sacerdos receptus esset, quasi Deo ingresso omnia in eam domum bona, felicitatesq; accumulatum iri crederentur. Itinera atque negotia omnia prosperè eventura existimabantur, quibus Sacerdos intervenisset. Nunc irreligiosæ & veræ Religionis adversatrices religiones, cum alibi & aras & mundum, & cælum ipsum Deo spoliarunt, in Polonia non quidem tam apertè contra fidem, sed nimio plus ferociter contra bona nostra sæviunt. Quomodo igitur hæc indignitas injuriæ, & calamitas bonorum nostrorum, quæ alieni insident, nos non debent permovere? Bienius olim Gallorum Dux, quòd Apollinis fanum, quamvis profanum spoliaverit nivibus obrutus cum exercitu disperijt, & nunc impune per vim Ecclesiastica bona illi aggrediuntur, semel Deo dicata ad usus humanos transferunt. Majorum nostrorum virtus nihil ultra timuit, quàm ne cælum rueret; præsentis ævi impietas, tanquam prorsus desipuisset non amplius horret hiatum dedignantis terræ sui oneris improbitatem, cum omnium ætatum crimina omnium immunitas scelerum, in hæc tempora confluxerit. Quo abijstis sacri mores? quomodo cælestes ignes illos non liquefaciunt? quomodo vix non hæreditate possidere sanctuarium Dei volunt, & irruere in bona Deo sacra, morbo non causa immemores, quod qui Ecclesiam Dei tetigerit, pupillam oculi ejusdem tangere videatur. Scribens hæc pudore afficior & dolore, cùm unumquodque verbum jaculum mihi est, quod cor vulnerat, ita temeraria militum audacia, nisi maturè coerceatur, in furorem vertitur. Sævum id malique moris, etiamsi omnia persolverimus tributa, tamen ante omnia contra bona nostra sævitur, cum Ecclesiæ Dei ad promovendum Dei cultum duntaxat sint dotatæ, nihilominus vana & irrita privilegia, subjectæ servituti immunitates magno illudentis fortunæ casu (si res non dictu modo fœda, sed ipso etiam exitu luctuosa sequetur) succedet communi sorte, fortunam quæcunque à Deo paratur, subeundam fore omnes succlamant, dum à summa spe ad extremam rerum desperationem sumus redacti, dum tanto dolore neque exitum calamitatis cum confœderato milite, neque remedium re ad consilium delata, reperire potuerimus, ita corrupti muneribus, fidem, libertatem vendiderunt, & quod animo destinarunt contra Patriam, & contra Ecclesiam eâ occasione perficere intendunt, arma tenent, fremunt, & qui semel defecere, majora

A.C.1697 ra etiam scelera meditantur, nisi in spem prosperi eventus sperant staturū à justiori causa Deum immortalem. Respub in melioris fortunæ spem erecta, matureque exporrecta, tam pia, quàm necessaria arma ad publicæ salutis præsidium expediat, nisi fortia consilia quæ tuta & necessaria essent conversis animis sequantur, utique facile militant, qui Deum habent commilitonem. Nisi timidiora consilia accipiamus, quod sæpe numero superbiâ atque æmulatione communi vitio quorundam evenit, ut plerique in ipsis consilijs ea maximè nolint, quæ alios summis etiam rationibus velle cognoverint, ultroque asperiora & duriora subeant, ne aliena consilia sequi videantur. Sciendum tamen in hos milites Reipub: omnia esse jura, quæ Dominis sunt in servos. Ego decorum & pristinæ virtutis gloriâ dignum arbitrarer ut in ancipiti negotio, egregia ac necessaria ab animi magnitudine consilia in repentino maximè discriminis casu capiamus, quoniam aliàs duri rerum exitus consequentur, cum nihil jam semiægris corporibus, præter fortem animum superesse conspiciamus, nisi effusa in viscera Regni esurientis militis fortitudine opprimi velimus. Non desunt quidem in quibus viget studium complectendæ libertatis, qui pro Patria supremum virtutis conatū edere vellent, sed aliqui sunt (præstaret mutare consilium in melius quàm in malè institutis pergere) ex Principalioribus naturâ lenes, nunquam ulla in re irati aut fervidi, utpote qui patientiâ, & moderatione cuncta aspera ferri, & superari debere prædicant, qui generosioribus consilijs sunt contrarij, quod nobis magnopere cavendum, timendúmque magis ac magis existimarem, raptus in id consilium, quod inopinata necessitas adfert, alias populus diri sæculi calamitatem videbit. Non moror fastidiosâ relatione, quid egerimus, quorum commemorationem epistolaris brevitas non caperet. Sisto me ne fortè meæ gravis urat sarcina chartæ, sed ne, ut & hîc apud multos injuriosos, non paucos contemptores, fortasse & nonnullos æmulos sinistrè spargitur, ad aures quoque deveniat Romanas, nec vera, nec digna quod posteritas per sua tempora narret de actis nostris, de quibus plurima dicenda essent, nisi velim verbis te onerare, quod in annexis copijs tam ad Cardinalem Primatem, quàm ad alios scriptis cognosces, & concludes, quòd non aliud impedimentum, quàm sola violentior armis improba conatus nostros confudit egestas &c.

LVIII.
EPISCOPO CRACOVIENSI,
eâdem die Varsaviâ.
Consilium contra confœderatos milites.

ET ante scivi & nunc video me à te amari, neq; dubitare debes, quin ego tibi in amore respondeam. Silentio tuo anteriori parco, quia si te scribendi tardum arguerim, me pigrum ostendam & desidem, quamvis tempus in hac functione mihi aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, & scio quod tu in omnibus gravissimo judicio usus, silentium meum in bonam partem acceperis. Mille annis & tu pariter si tacuisses, nihil de me aut ad me scribens, nihil tamen de meo erga te diminuissem amore.

Horum quæ mihi tribuis, quasi facilius sit laudare falsè, quam verè vituperare, ipse mihi conscius non sum & tuæ benevolentiæ adscribo & ignosco affectui. Tu vides in facie, DEus in corde, sub cujus trèmendo aspectu, si sollicitè me circumspicio, certum est, quòd eò ipso mihi notior sum, quàm tibi, quo propinquior, ideoq; magis credo

mihi

mihi de me, videnti me, quam tibi opinanti de me quod non vides in me, nec sum ex iis, qui vel sibi superbè arrogant, quod est, vel mentiuntur de se, quod non est. *A.C.1697*

Quæris à me quid faciendum? quomodo agere debeas, à me doceri flagitas, egregio utiq; doctore, & Magistro incomparabili, qui cum cœpero docere quod nescio, vel tunc incipies scire, quàm nihil scio. Difficilem valde proponis quæstionem, ad quam non licet in hac arena tibi satisfacere, dico tamen quædam ideo minus timenda, quia multùm metus afferunt.

Gaudeo verò te scire qualem solicitudinem habuerim pro omnibus vobis. Volebam certè quantum DEo adjuvante potui libertatem Ecclesiasticam conservare, ac nostris successoribus transmittere conservandam. Certum est nunquam potuisse meliorem dari bene gerendi occasionem, sed plus in me voluntatis bonæ, quàm facultatis fuit, consilium bonum quidem judicio meo dedi, sed executio ad alios pertinebat, cum quibus omnes curas, omnes cogitationes miscebam. Ut verò illud scias, quod suasi ita suaviter exaro, ut scilicet sine mora & secreto concluderetur, ut non priùs excogitari, quàm perfici cuncta viderentur. *Imo*, ut quandoquidem nec veniam tantùm sed & gratiam à Rep: accipere noluerunt. Ab omnibus Episcopis per totam Poloniam, ipso facto uti certè sunt, omnes confœderati pro excommunicatis declararentur. *2do* ut omnibus Sacerdotibus inhiberetur, ne absolutionem darent ulli confœderatorum. *3tio* ut confœderatis ab obsequio liberis declaratis, eodem momento novum conscriberemus exercitum, nova cuderemus, vetera destrueremus; habemus omnes optiones, nullam enim illi admiserunt. *4to* ut solutionem in instanti illis, qui ad obedientiam redibunt, ex ecclesiasticis bonis triplicis, & sæcularibus duplicis pensionis declararemus, tributa pro exolvendis in futurum punctualiter stipendiis laudaremus. Hæc summa consilij mei fuit, quod fateri non erubesco, ut persuaderem, non ut imponerem. Id me tamen bene consuluisse res ipsæ testabuntur, quæ evenient nobis. Nonne facilè omnes ab illis revocaremus, & Reip: tranquillitatem procuraremus? sed hi qui in scyrpo quærunt nodum, qui recta prava judicant, metu vano impediverunt, & vicit illorum, si non causa, certè authoritas. Ita quædam magis torquent, quàm debeant, quædam ante torquent, quàm debeant, quædam torquent cum omnino non debeant. Gaudet avis ficu, sed eam plantare recusat, si hoc non arridebat consilium, propinandum aliud erat, providentiæ militaris plenum, ne & suo officio, & suæ existimationi & deniq; Reip: expectationi deessent, sed jam atrociora & duriora veris nobis affingentes, cum inexplicabili ignominia nostra, tanquam ferus dictis populus, factis autem imbellis, & subito timore consternatus, exteris nationibus, quibus terrori eramus, jam contemptui erimus. Ita accidit plerumq; ut homines ea consilia, quæ alacri motu, summoq; animi vigore inire deberent, in præsenti periculo, quum facto maximè opus est, timidissimi reformident. Mihi autem ea maximè salutaria videntur consilia, quæ impavidi animi & bellici decoris plena spectantur, ut repellamus dedecus, atq; probrum, cum neq; servire, neq; patriæ interitum oculis intueri possim, & ut verus vates calamitosi exitus fatales lacrymas tenere non valeam Divina certus sum fieret justitia, ut qui primi bellum civile summa iniquitate arroganter intulerunt, supplices pacem peterent, & hi qui ex lucri cupiditate integra spe quam-

A.C.1697 vis non sine metu, misceri cuncta bellico tumultu volunt, & prædam tanquam certa audaciæ & laboris præmia petunt, fumo forent similes, qui postquam se ex culina ambitionis extulit in alto evanescit. Sed dolore, & super subsequentium temporum calamitatem reflexione impedior ne plura scribam &c.

LIX
AMICO CONFIDENTI

27 Martij Varsaviâ.

Queritur de confœderatis.

Nisi tuas hoc momento accepissem jam propè erat ut faterer victum me esse tuo silentio, neque me posse tamdiu tacere quamdiu tu tacuisti & me vehementer afflixisti. Benè dicis, nunquam tam procul amicum abire, ut literarum beneficio adiri non possit. Et ego repono huic puncto Hieronymi probatissimam sententiam: literarum hanc esse utilitatem, ut absentes præsentes faciant. Si ego non scripsi, nónne scis tempus defuisse, quoddam enim eripiebatur, quoddam subducebatur, quoddam effluebat, ita ut aliquando vix necessarijs perficiendis superfuerit.

Video in tuis facilè te credidisse illud, quod libenter de me audivisti, vellem autem te mihi credere de me magis, quàm alteri qui tantùm videt in facie; dico enim tibi, solitâ sinceritate effundo sicut aquam cor meum ante te, loquor de me non conjecturâ, sed ex scientia, non sum talis qualis putor, vel dicor, quod quidem tam securus fateor, quàm certus experior, nec errorem tuum ultrà dissimulare volo, imò nihil malim tuis orationibus specialiùs obtinere, quàm ut talis fiam, qualem literæ tuæ prædicant.

Abstineo ambagibus, rem fero limites intra suos, sicut tibi alias loqui soleo, aguntur quinquaginta anni, quibus me cum hominibus horum temporum nosti, lingvam & calamum ad mendacia promptum non habeo.

Erant credo facilè suspensi omnium animi expectatione tractatûs nostri, sed curas nostras, solicitudines, labores, sumptus, infesta penitus elusit fortunâ operâ eorum, qui fœdè à majorum disciplina discesserunt. Turba enim illa copiosa hominum solius quæstûs gratiâ congregata, & juncta, non rationibus convinci, non precibus flecti, minis induci poterat, ne in syrtes interni dissidij impulsa Respub: graviore demum conflictaretur casu, & cùm eam decumanis fluctibus eluctatam ad promontorium bonæ spei emersuram credebamus, versa est cythara in luctum. In externis morbis medela facilior, magnis arduum latenti in visceribus malo remedium ferre infixumq; medullitus vulneri telum revellere, ita sæpiùs magnam spem, ac prægnantia vota, in ipso transigendi aut parturiendi articulo destituit eventus, frustravit partus. Durat adhuc arcanus ille nexus in hac circumstantia temporis inauditus in Polonia, adquem manu tenendum, non tam ob non soluta stipendia, quàm secretiorem quendam tractatum, miles in confœderationem impulsus, per repetita pretio empta, mille juramenta, simulq; multiplicata periuria, nos, cum præmijs quæ excitarent merituros, deficientibꝰ, nihil in rem Reipub: perficere, cum ijs potuissemus, non minùs perturbati, quàm territi sumus, ne ut minantur vilipensâ Reipub Majestate, viscera Regni occupent, ne sacrilegè ecclesiarum patrimonia invadere continuent, ne Sacerdotum reditus intercipiant, cœnobiorum fundationes per extorsiones nimias, tollant, ne alia miseranda, non minùs, quàm miranda succedant, timoris tormentum, magis memoria reducit, cum providentia anticipare non

non possit. Ego non tantùm præsentia meditor, sed cogitationes in longinqua præmitto, eò magis incipiens timere, quod sperare desierim. Minus in spem erigor, quàm metu agitor. Certum equidem est, quod neq; superi eos felices esse volent, qui immanem crudelitatem assumere, omnem humanitatem exuere intendunt. *A.C.1697*

Non possunt queri se à nobis offensos, nec expostulare læsos, uti ex contextu horum, quæ tibi adnecto, facilè conjicies.

De Castellano Cracoviensi immodici ardoris & affectus studium remittas. Erat quidem longo motu & curarum pondere, in tanto discrimine obrutus, sed tamen magno digna consilia Duce capiebat. Movebat nos omnes gravis viri majestas, acrioribus calumnijs circumventa, magnóque ejus spectatæ virtutis & integritatis argumento, ipsa ejus animi moderatio apparebat, tantùm verò abfuit, ut quidquam pristinæ existimationis in ipso ex tanta summi honoris jactura deperiret, ut minimè dubitem, quod superatâ inimicorum acerbitate, virilis consilij non inops, novâ quadam incorrupti, constantisque animi gloriâ adaugeri, & reflorescere possit. Nullum vidimus parvum, qui majorem DEum habuit, & illi animo varij, & conscientia malefactorum exæstuantes, salubre exitium malesanis consilijs suis invenient. Ita in ea incidimus tempora, ut etiam periculosum sit benefecisse. Unde sperari potest fidelis Duci, qui Deo rebellis est? Quomodo credis, poterant bona loqui illi, qui sunt mali, qui aquam semper perturbant, semper sitiunt. Nollem quenquam ex ijs tangere, sed difficile est. Nam quis iniquæ tam patiens gentis, tam ferreus, ne commoveatur.

Veniunt mihi ad manus, curiosæ pro tempore Cardinalis ad Reginam literæ, & Reginæ responsum ad illas, nec copia mihi relicta, mitto illa tibi, scio enim curiositati tuæ non displicituras.

COPIA LITERARUM
CARDINALIS PRIMATIS AD REGINAM.
Varsaviâ 24. Martij.

Petit, ne Varsaviæ moretur tempore consilij.

JAm ad aures S. Reginalis Majestatis Vestræ pervenisse credo Commissionum Leopoliensium dolendum exitum, appropinquans Patriæ periculum, ex resolutione militiæ confœderatæ invasuræ penitius patriæ Matris scilicet, visceraq; ejus dilaniaturæ. Impietas ista magna & crudelitas, sed his gravior audacia & præsumptio, dum auream libertatem, antecessorum nostrorum sangvine partam, hucusq; conservatam liberam electionem privatæ cujusquam sacrificare intendit ambitioni. Recurrunt utræq; Leopolienses Commissiones ad præsens consilium, ut inde contra imminentem patriæ ruinam provideatur remedium. Cogito itaq; futuro die Martis magnum consilium indicere, sed metuo ne occasio residentiæ S. Reginalis Vestræ Majestatis Varsaviæ, aliquas consilio nostro subministret difficultates, siquidem de abitu Vestræ Majestatis Reginalis, oretenùs & per literas certificatum, ac per me Palatinatibus in responsis, ad legationes publicatum. Sumo proinde audaciam, quàm submississimâ veneratione S. Reginali Majestati Vestræ insinuare, & reflexioni maturæ proponere, ut ea inire dignetur media, quæ amorem & venerationem

A.C.1697 persona S. R. Majestatis Vestræ & Serenissimæ domui possint conciliare. Plus in hoc consummatissima S. R. Majestatis Vestræ prudentia potest assequi, quàm calamus meus exprimere. Finio in debita veneratione &c.

Responsum Sacræ Reginalis Majestatis.

INtimè viscera nostra penetrat inanis Reipub: conatus, & sine fructu circa dissolutionem confœderationis utriusq; Commissionis impensus labor, præsertim dum sub istius licentiæ jugo primariæ fortunæ nostræ, & pauperes subditi supra mensuram pressi gemunt; ad ultimamq; jam collabuntur ruinam. Patriæ hujus amor extimulavit nos ad omnem circa pacificationem Reip: applicationem impendiumq;, sed notabilis sumptus, in ipso portu fecit naufragium. Causam DEo dicet & Reip: quicunq; tam impijs medijs intentiones suas, erigere conatur. Sicut verò Illustritatis Vestræ laudabilis est intentio, quòd hoc in casu præsens ad se congregare velit consilium, ita occasionem nullam scire prorsus, nec divinare possumus, cuinam quieta nostra penes mortuales exuvias piæ memoriæ Serenissimi Regis conjugis nostri desideratissimi obesse posset residentia? testatum reddidimus in Convocatione præterita, in quo publica felicitas semper nobis sit respectu, dum ad instantiam aliquorm generosorum Nuntiorum Varsaviâ moveremus citra omnem legem contra nostram personam, non tuendo nos quacunq; consuetudine, nec defendendo nos manifestâ æquitate, per vestrammet Illustritatem repræsentata. Nihilominus tamen non sine gravi doloris sensu, experimur incessantes contra personam nostram invisæ mentis stimulos. Denuntiabamus jam aliàs Illustritati Vestræ intentionem abitûs nostri in terras Russiæ, ad quas nos contractus & alia domestica nostra vocabant interesse, remorabatur autem nos addicta amicorum bonorum reflexio, super agitatas Leopoli Commißiones, ne cuiquam vel minima daretur occasio ad sinistram personæ nostræ interpretationem, quæ attigit innocentiam Serenissimi Principis Jacobi filij Nostri dilectissimi, licet quiete & à longe hîc Varsaviæ residentis. Persuasio Illustritatis Vestræ, an tam subitò in effectum deduci poßit, subjicimus alto ipsiusmet judicio, ea cum fiducia, quòd Illustritas Vestra nos adigere non intendat, ut imminentem sacram hebdomadam, & ipsa appropinquantia festorum solennia, in itinere alicubi peragamus, imò speramus, quòd ex innato affectu Illustritatis Vestræ, innocentiam potiùs nostram, & manifestam de Litvana confœderatione irrogatam nobis calumniam in hócce consilio justificare non dedignabitur. Non fraudabimus certè authoritatem Illustritatis Vestræ, & promissum, quod nostro & suo nomine intuitu abitûs nostri, & absentiæ in futura (prosperet DEUS) felici electione dignata est Palatinatibus dare. Quod perspicaci Illustritatis Vestræ trutinæ dum proponimus, fortunatos simul futuri consilij successus,

cessus, & optimam sanitatem Illustrati Vestræ ex animo vovemus. A.C.1697
Datum Varsaviæ 25 Martij.

LX.
EPISCOPO CRACOVIENSI

Varsaviæ 14 Aprilis

Resistendum confœderatis, cum ijsdem tractatus reassumendus

EGo libenter, quod exigis facio, modo cesses indebitis me honoribꝰ non obruere magis, quàm attollere. Habebis semper nova à me, & illa vera, ut quidem totâ mente petere videris, quamvis hoc tempore, ut res declarat, nec verum dicere tutum sit, cum nec qui viâ rectâ incedunt, careant suspicione.

Ad multas rationes quæ Cardinalis Primatis, & aliorum idem sentientium animos justè permoverunt, etiam illa differendi consilij accessit, quia certè promittebantur ablegati à confœrato milite, qui considerato & maturè perpenso errore, Samboriæ commisso, quòd scilicet oblatis tam bonis in rem suam conditionibus opus desideratum dissolutionis non perfecerit, consequentias inferebat, ad resipiscentiam inclinabat & ad consilium hócce magnum missurꝰ erat. Spem quidem conceperamus imò judicium formaveramus, quamvis certi nihil agnosceretur, varij tamen, & satis bóni rumores ferebantur. Verùm adversa rebus publicis infelici hoc tempore fortuna gaudia nostra distulit spemque elusit, nemo enim ex illis comparuit. Cum verò hæc materia tanquam præcipuum consilij objectum, in numeroso agitaretur congressu, omnes in eo convenerunt, insistendum esse generosissimæ commissionum Leopoliensium declarationi, quandoquidem pacata media, non tantum non juvant, sed potius insolentem excitant audaciam. Expeditæ igitur sunt universales literæ à Cardinali ad omnes Palatinatus, quarum copiam adnecto, ut provideant sibi, & in validum legum auxilium arma opponant armis néve Patria abortus hos abominandos, quis enim carnem suam odio habet, in numero filiorum censeat, sed illa contra eosdem attentet, ad quæ pertinax eorum malitia cogit, ad quæ ipsiusmet naturæ dispositio ducit, quæ defensionem sui concedit, ad quæ ipsa extrema necessitas obligat. Quod vix toleranda toleravimus, non debet nobis patientia nostra in legem statui, & cygni de aquilis quandoque triumphant. Quia verò hæc ultima clarigatiò sub interregno liberam non posset facilitare electionem, imò eandem per evidens civilis belli initium, periculo exponeret, visum est Spiritui Sancto, & nobis consilio assistentibus adhuc semel ultimum admovendum esse arietem ne & illi nobis imponant, & nos illorum proposita interturbemus. Quis scit, an misericors DEus aspera in vias planas non deducet? non erat indecorū majoribus nostris, sæpius magnos ex primoribus Senatores ad Mareschalcū Sviderscium, etiam cum præjudicio famæ mittere; optimum consilium, cum Reip. providetur, neq; nos credebamus demissionem hanc authoritati Reipub: præjudicio fore, quando tanquam discreta & amans Mater, insolentiores filios sæpius mulcet, quàm punit, cujus in illos sinceritas minimè diminuta est. Quia verò authoritatem commissionis ad tractatum designatæ, & per totam Rempub: approbatæ manutenere placuit, scribit Cardinalis Primas nomine publico, ad commissarios, ut Leopoli iterum vel etiam Samboriæ compareant (cum par sit ut eum adeas à quo tibi aliquid præstandum optas) & tractatum reassumant, cujus puncta jam planè finita, ultimam tantùm expectant manum, & proinde brevi, modò divina annuat misericordia, expediri poterunt: quandoquidem etiam in præsentibus conjuncturis,

Arma sumenda contra confœderatos.

Tractatus cum confœderatis reassumendus

A.C.1697 ris, ſalus publica in celeritate conſiſtit. Quomodo libera electio ſperanda ſi Palatinatus planè omnes in viſceribus ſuis hoſpites ſunt habituri, quos nemo ſe abſente volet œconomos relinquere, conſultum quoque duximus ſcribendum eſſe Domino Czarneccio Notario Caſtrenſi Regni, magna authoritate apud exercitum pollenti, ut alijs commiſſarijs ſe conjungat, junctaque operâ, tam exoptatum conetur opus perficere. Quia verò deduxeram in conſilio omnem ſpem boni effectus evulſam ob defectum notabilis ſummæ pecuniariæ, in qua quærenda fruſtra ſudatum, cum tamen ex relatione Domini Caſtellani Vilnenſis, ſatis notabilem ſummam Sereniſſima Regina pro confœderatione diſſolvenda expenderit, cumq; ſe obtulerit eadem majeſtas etiam plura in id ipſum negotium additurum, erigor in ſpem rei bene peragendæ. Quoniam verò nomine conſilij rogatus fui ut memoriale tanquam rerum gnarus conſcriberem Dominis commiſſarijs, ad quos ferventiſſimæ expediuntur à Primate literæ, adjungo tibi copiam. Libenter autem habeo Palatini Caliſſienſis digniſſimi nepotis tui declarationem, quòd huic tractatui aderit præſens, cujus præſentem in omni genere virtutum, animum mirari facilius, quàm laudare licet. Hodie conſecratus fuit in Epiſcopum Kijovienſem Nicolaus Swięcicki à Cardinale Primate, ego quoque cum Epiſcopo Poſnanienſi aſſiſtebam &c.

Swięcicki Epiſcopus

COPIA MEMORIALIS

DOMINIS COMMISSARIJS AD CONFOEDERATUM MILITEM VARSAVIA MISSIS 14 Aprilis à Conſilio magno

INfortunia Reipub: omnibus ex partibus tanquam dato ad perditionem noſtram ſigno, putat conſilium magnum Varſavienſe non eſſe deducenda, eò quòd pro ſe ipſis loquantur. Nemo enim eſt qui illa aut non ſentiat, aut ignorat. Neque deducenda eſt tam clara & evidens neceſſitas pro conſervanda libertate diſſolutionis exercitus confœderati. Nec multa commiſſarijs à Repub: deſtinatis danda eſt informatio. Romana illa in tribus verbis expreſſa ſufficiet inſtructio: quidquid ex re vel in rem Reip: crediderint neceſſarium, faciant. Habeant præ oculis tam breve tempus imminentis electionis, quæ nullatenus differri poteſt, & quæ aut ſalutem aut (quòd Deus avertat) perniciem allatura eſt. Quia quantumvis hic Deus, qui regna regit, eaque diſtribuit immemor peccatorum noſtrorum propter conſervationem S. Nominis ſui, & Eccleſiæ ſuæ, ita corda totius diſponat Reipub: ut optimum eligat, ſi nihilominus vel minimum in libera electione fieret præjudicium, bona etiamſi optimi Principis nullatenus dici poſſet electio, ſi vel in minima parte libertas ejuſdem læderetur. Admittamus tantum vel minimum præjudicatum, ſenſim ſine ſenſu, quâ datâ portâ maxima contra libertates noſtras ingruerent infortunia. Quid periculoſius in hoc afflictiſſimo Reip: ſtatu metuendum eſt, quàm illud, ne aut nos ſolitam libertatem in eligendo Rege, integro jure & poteſtate non habeamus, aut quartus ordo admittatur, quod maxime majores noſtri, & quidem juſtè evitabant. Hæc reflexio cujusvis verè Patriam amantis cogitationes exagitare debet, quomodo huic inconvenienti obviandum ſit? poſt ruptum proinde Samboriæ tractatum, in quo nihil omiſſum quod filialem affectum exercitûs emollire in matrem poſſet, illud inprimis Cardinalis Primas pro munere ſuo primatiali, & anxia in omnes partes ſolicitudine, unice agebat, ut compoſitio hæc, tam deſiderata, & tam neceſſaria acceleraretur ſine accenſo civili bello, ſine ſangvinis effuſione. Dum ergo Epiſcopus Plocenſis & Theſaurarius Regni cum plena informatione Varſaviæ comparuerint, & cumu-

& cumulatas voluntatis causas exposuerint indictionem consilij tantisper distulit, præter alias hâc fultus ratione ut tempus resipiscentiæ exercitui daretur, à quo non ex vano affulgebat spes mittendorum pro consilio ablegatorum. Quod dum propter secretiores aliquas rationes evanescere cœpit, nulla interposita mora consilium convocavit, in quo unanimi consensu conclusum, generosa consilia capienda esse insistendumq; declarationi Leopoliensium commissionum. Quia verò hæc magis accenderent, quàm extingverent ignem, placuit ea non minuere, sed differre, dando recollectioni locum & tempus. *A.C.1697.*

Visum est ut ad Commissarios, jam à Republica destinatos, qui jam hoc negotium tractaverunt (quanquam non obstat paucitas personarum, quia ubi est authoritas, numerus magnus non requiritur) nihilominus adderentur & rogarentur etiam alij qui pro authoritate sua, tam delicatum Reipub: negotium junctâ operâ & studijs pacificare possent.

Visum est ut ad omnes expedirentur literæ, ut sine præliminaribus, circa quæ satis superque in præterito congressu, in rem exercitûs factum, quã citissimè ad finem rem deducant; tempus enim breve est.

Ut diligentissimo conatu id efficiant, quatenus evacuatio in omnibus Palatinatibus à milite fiat, providendo non tantum securitati eorum, qui ex jure nobilitatis in publico motu ejusdem, in electione comparere tenentur, sed etiam ne vel minimum conveniendi oriatur impedimentum. Læderetur enim per id æqualitas si certi Palatinatus liberati à militibus comparerent, & alij hospites in domibus suis habentes manere obligarentur.

Pecuniam quæ in hoc præcipuè negotio summè necessaria creditur, cùm diligentissimè quæsitam, nullibi invenire potuerit consilium, & sciens per publicam declarationem in consilio factam, quòd Serenissima Regina jam dederit partem & notabilem adhuc dare in rem Reipub: non recuset, credit consilium suffecturam eandem, quam communicato cum Castellano Cracoviensi consilio pro necessitate disponent.

Confusio in diversis locis per extraditas assignationes diversas, ut finiatur per combinationes diligentissimè instat consilium.

Archiepiscopatum Gnesnensem impensè recommendat.

Si verò extremo Reipub: fato, nec rationem patientur, nec æquitate mitigabuntur, nec prece flectentur, nec ullo possibili modo ad vota nostra, tam exoptatum finiri permittent negotium, scilicet si excessiva volu rint, nihil obtineant, quod volunt. Leges suam viam tenebunt, itemque fata, præ omnibus tamen meminerint commissarij omnes cohortes ex Palatinatibus reducendas & ad custodiendos Regni fines mittendas esse, ut defendant Rempub: ab omni casu, contra quosvis aggressores extraneos, & nobis libertatem eligendi Regis permittant.

Si fortè confœderatis scrupulus oboriretur ratione juramenti præstiti, poterit illis Breve Apostolicũ hac super re datum, exhiberi, quod opportunè his diebus posta Romana tulit, quod annecto, proderitq; in futura electione.

COPIA BREVIS APOSTOLICI

INNOCENTIUS PAPA XII. INCLYTO REGNO POLONIÆ.

Dominus universi, qui Ecclesiam suam congregatam ex gentibus, inter quas ante Miecislaum Primum Christianum inclytum etiam regnum Poloniæ censebatur voluit semper esse non habentem maculam, neq; rugam, idem Petro Apostolorum Princi-

A.C.1697 pi, ejusquè Successoribus vicarijs JESU Christi ligandi, atquè solvendi contulit potestatem: Quodcunquè ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunquè solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Quapropter ad tot Regni hujus Procerum supplices libellos, quos nobis Paci universali studentibus exhibuit Dilectus Filius Bokum extraordinarius regni Ablegatus, de plenitudine Apostolicæ potestatis, omnium hujus regni fidelium conscientiam absolvimus inprimis à juramento confœderationis, non minùs Reip, quàm immunitatibus Ecclesiasticis injuriosæ, declaramusq; præsentibus, neminem ullo voto, juramentoq; ad illicita unquam obligari. Cùm enim quodvis votum juramentumq; sit actus Religionis, non potest esse, nisi de bono meliori, & sinè injuria tertij, multò minùs cum damno & discrimine totius regni. Deinde liberos facimus eos à restitutione, quicunq; (ut nobis fideliter retulit idē extraordinarius Reip: Ablegatus) à domo Regia notabiles summas, munuscula, regalisationes acceperunt ad eum finem, ut Electionem futuri Principis instituant, non secundùm regni hujus leges, libertatesq; quas admodum perspectas habemus, habuimusq;, cùm adhuc in Polonia moraremur præsentes. Intelligendum enim est, quòd domus Regia largitiones prædictas tribuendo, faciat restitutionem eorum, quæ nuper à regno hoc inclyto sivè pro dignitatibus, sivè quibuscunq; titulis extorta fuerunt illicitè. Pariter universos hortamur in Domino, ut omnes unum sint in Christo corpus Reip, scientes, quòd sicut palmes non potest fructum facere à semetipso, nisi manserit in vite, sic & membrum & sensu caret & actu, si non in corporis manserit unitate: Et, quod deterius est, æterna veritas nec falli, nec fallere potest. Omne regnum divisum desolabitur. Avertat hoc fulmen à Polonia Clementissimus Dominus, & det vobis Regem secundùm cor suum, qui faciat rectum coram Domino omnibus diebus vitæ suæ, sitq; antemurale Ecclesiæ, sit terror hostium, & Civium amor. Datum in monte Quirinali Anno 1697. die 6. mensis Martij.

COPIA UNIVERSALIUM
LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS
14. April.

Significamus &c. Quoties magna in Rep: Crisis accidebat, semper testimonio veteris historiæ dextera Domini super liberam gentem nostram faciebat virtutem & hactenus patria nostra casibus ipsis stetit. Nunc autem super omnia infortunia inaudito sub interregno exemplo abrupta confœderati militis contumacia, absumptis particularium fortunis, unicæ & primariæ libertatis pupillæ in eligendo liberis vocibus civium Rege, infallibilem minatur ruinam. Horret animus, & cogitare exempla, & media adhibita priùs diminuendæ, & post ademptæ libertatis Romanæ ijsdem modis, quibus interitus

ritus noſter, peßimis indicijs à confœderato exercitu, contra liberam electionem imminet. Satis ſuperq; deſtinati à Repub: ſudârunt Commiſſarij, ſatis mediorum & plenæ ſatisfactionis, omnibus prætenſionibus inveniebant, proponebantq;, nec dubitamus ea ſciri ab omnibus, quod injurioſiùs, quàm juſtiùs puncta omnia exercitui propoſita, ſolo diſſolvendæ confœderationis pretio, ab illo rejecta. Nihil profuit in lapideis planè bonæ Matris peßimorum filiorum cordibus, quidquid & illis ſatisfacere & Remp: ſalvare poterat. Jacta ſunt ad extremum fulmina, à Commißionibus Leopolienſibus, quæ informare perfectè omnes Palatinatus potuerunt. Quid ad hæc obliti amoris & debiti in Rempub:? propiùs iis vis & imperium, quàm conſilium & ratio eſt. Nihil jam eſt reliqui, nullus occurrit modus ſalvandæ patriæ, nulla ſpes diſſolvendæ confœderationis ante electionem, niſi aut nos ſubmittamus (quod DEUS avertat) tantæ ſine DEo malitiæ, aut in pectoribus noſtris antiquam Polonam excitemus virtutem. Non optavi quidem unquam ſed præcipuè ſub primatiali dignitate ad illa deſcendere extrema, ſed quando prætendit, & promittit exercitus confœderatus comparere in arena futuræ electionis, ſuasq; nobis jungere voces mancipati in obſequium alicujus candidati, ambientis, mora haud tuta eſt. Quod coactum hic Varſaviæ nuper conſilium ſatis diligenter examinavit, viſumq; eſſe ut approbaretur decretum Commißionum Leopolienſium manu Caſtellani Cracovienſis ſubſcriptum tanquã illarum Directoris. Inſiſtendo proinde declarationi in dictis univerſalibus literis ex mente unanimi præſentis Senatûs conſilij, expedio ad omnes Palatinatus haſce meas nomine publico literas univerſales, lacrymis magis quàm atramento exprimendo, & amore in patriam obligando, ut omnes & ſinguli tanto pretio à majoribus noſtris comparatam libertatem, tam leviter & malitioſè conculcare non permittant, ſed unanimi corde dexteras parent contra eos, tanquam contra aggreſſores legum patriarum, & equos conſcendant, & cohortes illas, quæ nollent cedere amori patriæ, etiam armis expellant & aggrediantur omnes hos tanquam abortus patriæ, honore & æqualitate nobilitari indignos habeant, & ſicut conſtitutio regni ſub Anno 1667. ſonat, capita eorum pro invindicabilibus habeantur. Et ſic bonus DEus cujus non eſt abbreviata manus ſalvabit nos ab interitu &c. A.C.1697

COPIA LITERARUM

A CONSILIO VARSAVIENSI CASIMIRO SAPIEHA PALATINO VILNENSI EXERCITUS LITVANICI SUPREMO DUCI. 14. Aprilis.

IN præſenti conſilio ex neceßitate Reip: convocato primum & præcipuum conſilij objectum fuit ut efficaciſſimas iniremus rationes, manutenendi liberam electionem, quam ſi non ex integro evertere, ſaltem in maxima parte debilitare confœderatus Polonus poſ-

A.C.1697 *set miles; dum enim tam enixum studium Reip. per destinatos à se Commissarios perfectam in prætensionibus exercitui offerentis satisfactionem tam optatum ad finem perducere non potuerit negotium, non ex vano, cauta prudentia altiora inire debet consilia. Ad dissolvendam verò hancce confœderationem cum multæ occurrerent difficultates, in memoriam venit, tam magnus tuus & secuturæ ætati memorandus in Remp: affectus, quòd non tantùm cura & solicitudine tuâ, sine effusione sangvinis hæc scintilla ne in flammam patriæ nocituram erumperet, fuerit extincta, sed & bona, & fortunam omnem tuam, pro satisfactione deservitæ mercedis exercitui Litvanico, invadaveris exsolvendo immediatè duo quartualia non ex proventibus Reip: sed ex proprio tuo peculio. Quomodo aboleri hæc poterant? quomodo grata memoria non recolenda essent? quomodo ultra ne officium cuipiam sit damnosum, assecurationem non offerre? ut non tantùm nominis tui famam, non extinguendam unquam in cordibus civium memoriam, sed & in erogatis summis, à præsenti consilio certam habeas evictionem, utq; sive ex primis tributis, sive ex favorabili aliquo Reipub: accidenti, illas recipias. Nemo erat in tam numeroso congressu, qui pro affectu & debitâ gratitudine suum non fuerit testatus affectum, quod ut eò clarius tibi constare possit, præsenti publico nomine id ipsum declaramus litera. Addat Dominus Exercituum vividum in rebus agendis vigorem, augeat innatum in corde, in patriam amorem, excitet in animis concivium debitum solatium, obligatam gratitudinem, quam nos, antequam id publico totius Reip: fieri possit nomine præsentibus testamur.*

COPIA LITERARUM

CARDINALIS PRIMATIS AD EXERCITUM LITVANICUM.

15. Aprilis.

SI continui per tot annos sine ulla mercede, indefessos exercitûs Lituanici labores, non laudare ex condigno (parva enim pro magnis laboribus merces, gratiarum actiones & laudes) sed debitâ gratitudine Resp: compensare deberet, non foret tantum pretium, quo vester exercitus dignus non inveniatur. Superat nihilominus & notabile pondus addit præteritis vestris in Remp: meritis, ultima hæc actio, plus enim famæ semper & gloriæ in servatis civibus, quàm hostibus debellatis. Recolet posteritas nostra, quando acta tam turbulenti & difficilis interregni revolvet, gratâ memoriâ finalem vestrum in patriam amorem, quòd integrum ei consulendi de vobis dederitis campum; alij non intrando, alij celeriter recedendo ab his malis intentionibus, quæ in scintilla per affectum, per satisfactionem, quanquam in parva parte respectu debitorum, generositate Ducis extinctæ, quando proinde tota Respub: in campo electorali congregabitur, publi-

publicam teſtari nec ſolis verbis haud intermittet gratitudinem, pro- ut id ipſum congregatum Varſaviæ conſilium, quidquid cum legibus patriis conſentaneum eſſe poteſt, facit & ulterius facturum ſe appromittit, acceptat gratioſiſsimè generoſiſsimam & imitandam declarationem, quòd in ea obedientia, quam Matri veſtræ debetis, in eo amore, quem toties ſangvine proprio confirmaſtis manere intenditis. Litat ſacrificium juſtitiæ, dum deſervitam mercedem, non tantùm aſſecurat, ſed illam evincere apud integram Rempublicam omni conatu curabit. Certi interim ſumus quod in hoc ſtabili amoris filialis fundamento ulterior Reipublicæ ædificabitur felicitas, & quod ad manutenendam liberam per omnia electionem, ita concurretis, ut poſt, dum à ſago ad togam veneritis ſolatium habere ex ea, & in illa ſecurè vivere poſsitis, quo ferventiſsime publico nomine, univerſum exercitum & ſingulos militantes compellamus. A.C.1697

LXI

NICOLAO BARANOVIO
Pocillatori Leopolienſi,

16. Aprilis.

Rogat ut ſe jungat Commiſſarijs, & nepotem ſuum à confœderatione dehortetur.

Rogatus à conſilio Varſavienſi tibi homini amantiſſimo ſcribo, & credo, quòd dabis familiaritati noſtræ & meæ in te confidentiæ veniam, nec præſumptionis metuo notam; ſcio enim cui; ſcio quid ſcribam.

Novi ingenitum tuum in Patriam amorem, quòd tam libenter, quàm diligenter ambiguis certa, turbulentis tranquilla, inanibus ſolida præferas, & non dubito, ſatis te animi habiturum, in favorem publici boni faciendi ea, quæ tam pro tua gloria, quàm pro noſtra conſolatione fieri poterunt. Notus tibi affectus meus, quo hæc audeo apud te, quem & ſcio ipſe, & hic me quæcunque ad laudem tuam pertinere intellexi, omittere potuiſſe nolim exiſtimes, ut literæ quas annecto primatis teſtantur, publicè enim prædicavi (noſcere mentem fas mihi) pectus tuum neſcium fraudis, ac diſſimulationum, tam audacter & cum nepote tuo, & cum confœderato milite locutum fuiſſe, omniaq; feciſſe non corrigendo ſolùm, ſed & corripiendo, nec velle tibi ſuffeciſſe, etiam libenter facere voluiſſe. Ergo iterum ſi velis, quod maxime velle debes, pulcherrima monſtrandæ virtutis præbet ſe occaſio, dum expeditos adhuc ſemel Reipub: commiſſarios in hoc tractatu primum ex fide tua, pòſt ex voluntate Reipub: juvabis. Quòd ſi feceris efficaciter, addictum tibi conſilium magis obſtringes. Non peto id publico & privato nòmine à te multis verbis, ne videar alacritati tuæ & ſtudio diffidere: ſum enim eo ingenio ſicut cæteri homines, ut ea, quæ cupio, libenter quoq; ſperem. Illud tantum tibi inſinuare libet, ut temporum noſtrorum ignominiam ſingularem, perpetuam ætatis noſtræ infamiam quantociùs abolere cures, tuoque nepoti repræſentes, uſquequo clamabit bona Mater optima Patria, & non exaudiet? vociferabitur ad eum vim patiens quod crudeliter prematur, & non ſalvabit eam? Poteſtne eſſe bonus filius, qui in re tam liquida non obedit matri? quis adeò inconſideratus, ut

 per

A.C.1697 per ſuum aut publicum dedecus procedere velit? facit amor erga te meus ut exprimam quidquid tibi conducat, quidquid nepoti tuo expediat. Dictaturæ ad tempus ſumebantur, neque decemviralis poteſtas ultra biennium. Non habemus hic manentem civitatem, aut aſcendas neceſſe eſt, aut deſcendas: ſi attentas ſtare, ruas neceſſe eſt. Regitur fatis mortale genus, nihil ſibi unquam ſpondere poteſt firmum & ſtabile. Sic omnia recti cernimꝰ atque alias aſſumere pondera gentes, concidere has. Solem oriri quotidie videmus, & occidere, diem abire & redire, florem naſci & denaſci. Non conſideret nepos tuus judicia malevolorum, qui ſunt peſſimi veritatis interpretes levique aura circumferunt aliorum acta, non momenta cauſasq; rerum, quos leges nullæ coercent, pro legibus arbitria & ſua cuique licentia. Naturaliter impoſſibile eſt, ut Reſpub: ſui Domina diutius hoc pati poſſit, præcipuè in tanto liberæ electionis periculo. Neceſſitatem effugit, dum vult quod ipſa exactura eſt. Nulla cauſarum connexione durare poteſt hæc confœderatio: cui enim ratio temporum adverſatur, quomodo diutius ſubſiſtere poterit? dico citra iram me optare, ut auferatur à vobis cor lapideum, & detur cor carneum. Cur conſilia in pace quam te velle & meritò velle arbitror non ſunt ſaniora, credis ne direptis templorum & Reipub: opibus, flagitium infamiamq; redundantem impunè tranſituram, cur præjudicata multorum opinio, contra fas æqvumque perverſa hæc ſvadet, & auditur; qui temere talibus credit, num efficiet ne ab his fabris, qui auribus obſtrepunt, graviter fallatur. Videtur aliquando glacies cryſtallum, & aqua eſt congelata. Putamus quandoq; littora recedere, & navem quieſcere, quieſcunt tamen littora & movetur navis. In iride judicat oculus veriſſimos eſſe colores, non ſunt tamen niſi lumen reflexum. Mutatio temporum, eventus varij conſiderari deberent, & noſcere hæc nociva conſilia, veſtra æquè ac Reipub: intereſſet. Præſtaret conqueri aliquamdiu aliquot, quàm ſemper gemere plurimos. Nam ſi in rem veſtram non eritis intenti, ſi alieno motu, non veſtro movebimini, ſi maxima poteſtas cum optima mente non conjungetur, ſi fides dictis promiſſiſque nulla habebitur, primordia hæc ſubſequentur effectus triſtes, amittetur virtus, ubi amittentur vires. Nullam proinde in ijs rebus felicitatem conſideret nepos tuus, quæ ſub falsa felicitatis ſpecie plus inde etiam in domum veſtram effundet calamitatis, clara illi fortuna eſt præſens, ſed manendi non fida & cum diſceſſerit allatura mœrorem. Movere hæc quemlibet debent, quidni homines honoris amantiſſimos? ut ſummotis conſilijs ambigujs bonis admonitionibus credant. Claudimur undiq; & velut obſidemur à legibus, non ita Patria, non ita arbor cecidit ut relevari non poſſit. Revocetur impetus ad rationem. Mercedem requirunt deſervitam & hanc cauſam confœderationis allegant, aliud eſt eſſe talem, aliud haberi pro tali, nonne enim jam hanc aſſecuratam habent? inſuper cum eo modo requirunt, quod debetur, utique modus non curatur, dummodo effectum habeamus. Ecce Reſpub: vulneratum potiùs ſanare, quàm recidere cupit. Iterum pulſat cor recuperandi decoris cupidine, pacata potius, quàm turbida arripiuntur media? Repræſentat bona mater vultum Iovis ſed non fulminantis, cur ergo aliquorum auſus ſana conſilia pervertunt? cur, quidquid præoccupatæ mentes, & lingvæ ſentiant, & dicant, de ſemita in viam non regrediuntur? quid plenius offerre poteſt Reſpub: & tamen exercitus præſentium intolerans, mutationis avidus, alio inclinat, nonne omnia metuenda ab illis, apud quos pro jure legitimo eſt, quodcunque potentiam firmat? Procellæ ſunt hi Patriæ turbones ac tempeſtates pacis, qui nullum

lum vitæ ſcopum ſibi proponunt, ſed ex tempore vivunt, ad quamvis occaſionem mutabiles, eorum conſilia ratio temporum moderari & regere debet nec ſpes eſt emergendi, niſi nova & ea bona conſilia capiantur. Ut verò tu alacritatem tuam & ſtudium monſtres, ea quæ pacis ſunt, ſvadeas, ne monendus quidem mihi videris, & cùm illa de te polliceri audeo, tum etiam tibi de Reip: gratitudine confirmare poſsũ, cum nihil actum dicatur, quoties aliquid ſuper eſt agendum. Effugiamus mala, ut reperiamus meliora, diligentiam tuam imploro & impetraturum me confido. Quam ſemel conſilij viam ac rationem es ingreſſus, in ea libenter perge, ut cœpiſti, nam & gloriæ tuæ conſules, & alios in eandem laudem excitabis. Si me audies, ut jam feciſti, ulteriores ſubibis labores, ſuſcipies curas, geres negotium, & ita nec te conſilij, nec illos quos induces obſequij pœnitebit. Svadeas ergo, impellas volentes, ducas nolentes, trahas in ſpem melioris fortunæ. Laudent alij ſi volent, vituperent, ſi audent, tu horteris, qui toties propriâ voluntate huic te obtuliſti negotio ut celeriter juves, ut honorificè res firmiſſimis nixa rationibus pro Repub: perficiatur quæ ubi præſens ætas, ubi poſteritas inſpexerit, laudem coram univerſis mereberis. Dominũ verò tuum Nepotem corde meo, & ore tuo ſalutes, atque utinam quam propenſo erga utrumque veſtrum animo ſum, tam facile inſigni aliquo merito probare poſſim, quod equidem enitar, ſcis quod ſim conſtantiſſimus fovendis, quos ſemel ſum complexus. Nihil me prætermiſſurũ aſſecures, quod favori ejus ſerviat, & honori. Finio optoque ut fructu operum tuorum quantocius lætemur, utinam videamus, & te glorioſum & nos felices.

A·C·1697

COPIA LITERARVM
A CARDINALI PRIMATE EIDEM BARANOVIO POCILLATORI LEOPOLIENSI.

Retulit præſenti conſilio Epiſcopus Plocenſis, quo ſtudio & applicatione petitus à publica commiſſionum Leopolienſium voce aliquoties feceris ea, quæ ad debitum boni Patriæ filij, ad honorem antiquæ domus tuæ poterant pertinere. Quemadmodum proinde Reſpub: propter quam antea multa ſuſtinuiſti, in vinculis Tartarorum, nunc plurima præſtitiſti Samboriæ, grata eſſe debet meritis tuis; ita etiam præſens conſilium palàm facit gratitudinem. Quia verò in omnibus negotiis magis finis, quàm initium laudatur, coronidem operis incepti & patriæ & tibi gratulari vellemus. Hinc facta reſolutione proſequendi, cum aliter fieri nequeat, generoſa & neceſſaria Cõmiſſionum Leopolienſium conſilia, volentes tamen adhuc more materno, duriora filiorum tangere corda, evicimus precibus ab his magnis viris, qui ſunt à Republica deſtinati Commiſſarij, ut authoritate, fide, & activitate tam exoptatum perficiant opus: Quia verò confidentia & authoritas tua plurimum apud tam propinquum ſangvinem efficere poteſt, compellamus te præſenti epiſtola, amoreq; patriæ obſtringimus, ut in conſortio aliorum pro 25. Aprilis Samboriæ adſis, & ibi notam jam nobis in patriam fidelitatem, & ad finiendum hunc publicum tractatum palàm facias diligentiam: Invenies quippe in publico totius Reipublicæ commodo, & domus tuæ antiquæ, & tuum proprium intereſſe. Non certa-

A.C.1697 certamus rationibus, quæ ad id obsequij te permovere debent, maturiori tantum subijcimus reflexioni, an honori domûs, & privatis commodis sit expediens, consideratis bene consequentijs in hac pertinacia contra Remp: sub tempus tam gravis & omni ex parte dolendi interregni perseverare? ecce præsens consilium subscripta jam universalia in toto consensui commissionum Leopoliensium conformia, adhuc per aliquod spatium suspendet. Gravius erit revocare gradum, gravius Reip: respondere, quo magis illa maternè cum insolentioribus agit filijs. Addat Dominus Deus media tibi ad persvadendum, emolliat corda ad audiendum & acceptandum, imprimat reflexionem ad considerandum. Quid sequitur, spectent, meminerintq; antiqui proverbij, quòd diutius duret conventus, quàm ejus superior. Spes in Deo est, quòd Rempub: adhuc integram sustinebit, sed (idem avertat extrema) impossibile ut lachrymæ pauperis populi vindicias è cælo non extorqueant contra hos, qui obliti Dei, conscientiæ, honoris, eò licentiæ deveniunt, quæ magis defleri, quam describi possit.

Hoc ergo publico nomine consilij totius dum defero, iterum iterumq; precor, ut omni nisu finem operis hujus curare velis, certus & de publica ab omnibus, & de particulari à singulis nobis gratitudine &c.

LXII.
AMICO CONFIDENTI

die 5ta Maji Pultoviæ

Speratur dissolutio confœderationis.

Literas tuas eo affectu suscepi, quo semper apud me est in benedictione memoria tua. Nec eo inficias te, ut ipse dicis, amicitiæ sanctæ legi omni tempore satisfecisse, quæ jubet omnia inter amicos esse communia, sive molesti, sive jucundi aliquid contigerit, non miror verò te mirari, quòd diu nihil literarum dederim, cui probè nota mea in scribendo voluntas præsertim ad te, quẽ plurimũ ex omnibus diligo. Non me ingratum judica, quod non sim tui memor, nec te jus amicitiæ servasse dicas, si me illud violasse credis. Malitia occupationum potest facere, ut aut rarò, aut pauca scribam, sed non ut parum diligam.

Mirare potius, quod inter densas multiplicis consilij vias tollimus ingentes animos & maxima parvo tempore molimur, quod & post naufragia tentemus mare, post malam messem iterum seramus. Turpissima est jactura quæ per negligentiam fit.

Visum est consilio Varsaviensi, pulsare adhuc semel corda rerum novarum sine fine cupidæ militiæ confœderatæ ut dissolvat ratione, quem affectu dissolvere noluit nexum. Verum quidem est quòd cùm portum nobis attigisse videbamur, novis fluctibus in mare relati simus. Sed ne plurium noxam omnes luant, mittimus iterum ardentissimas ad omnes commissarios nomine publico literas, addendo etiam quosdam viros in orbis historiam ituros, qui authoritate apud eos pollent, ad convincendos aliquos; rem hanc illorum committimus humeris, ut illi colophonem addant, qui dederunt initium, non secus ac hasta Achillis, quæ auxilium tulit vulneri, quod prius ipsa inflixerat. Arripiant iter rectum, & non ambulabunt amplius per vias tenebrosas. Scripta æquè ac audita, ita omnino credulam spem fovent ut fiduciam concipiamus rem bene cessuram. Unde habenda est gratia fato. Neque enim hactenus conveniebant tot capita, apud quos leges in desvetudinem abierant, quibus suus utique est sensus. Deterrimum sanè erat, quòd quidam ex illis fortunæ nimium fidentes alta temere affectabant, nec timebant

mebant casum, quod nunc aliter se habere scimus. Non dubito optimum tibi de rebus istis iudicium fore, nec te improbaturum consilium, dum scies quòd Reipub: interfit tempore uti opportuno. Lætum te quidem volo, quamvis necdum securum, negotium hoc secundùm vota ad calcem perventurum. Iam enim illi à quibus confœderatio sumpsit initium, magno vehuntur alveo, ut exitum timendo feralem, ad finem bonum omni conatu cooperentur, scientes omne bellum facilè inchoari, ægerrimè desinere, non enim ejusdem potestatis initium & finis est, à quo faciendo etsi illos retraheret voluntas, cogit certè necessitas, quod inter tot opiniones dicere non erubesco, exploratum enim mihi est. *A.C.1697*

Serenissima Regina gravi jam dudum saucia cura, notabili summa adjuturam se, eamq; ad manus Castellani Cracoviensis infallibiliter missuram promisit. Actus si non est perfectus ante eo modo, quo perfici debebat, perficiatur nunc, quo perfici potest, ut civile bellum citius opprimatur, quàm incipiat. Nec nos detractum gloriæ nostræ existimabimus, quidquid cesserit alienæ.

Interim eadem Serenissima tandem iter parat nolens pertinaciã suã frangere, quod flectere non potuit. Nunquid via mea non est æqua? Ut verò nullus manenti relinqueretur prætextus, scilicet, quòd abscedere à corpore non videretur, placuit transportare cadaver Regis ad Ecclesiam PP. Capucinorum suæ fundationis, assistentibus aliquot Episcopis, ego postquam solenniter in dicta Ecclesia celebrassem, conduxi corpus in capellam superiorem, donec Cracoviam pro more transferatur.

Dum hæc scribo accepi literas Leopoli, quibus nuntiatũ mihi, missos fuisse Stephanum Potoccium Czerkasiensem Capitaneum, Nicolaum Krosnovium Dapiferum Leopoliensem, & Antonium Stamirovium Subdapiferum Chaliciensem à commissione Leopoliensi 25 April: qui exposuerunt exercitui, charitatem mutuam vitam esse Reipub: cui cordi libertas, eidem amori esse statum nobilem, hanc primam cogitationem & curam illis assumendam, ut bono publico bene sit, unde non aliud objectum reassumptæ commissionis, quam ut ad omnem exigentiam, studium, & applicationem monstret, ut ante imminentem proximè electionem tententur adhuc media possibilia reassumendi tractatus cum exercitu confœderato, id ipsum à Varsaviensi consilio habentes motivum, quod eo nomine expeditionem pro congressu hocce misit. Cum itaque dicti Domini Commissarij Samboriæ comparuerunt omni nisu & conatu curarunt pro publico bono finire negotium tam bene inceptum, nullas (approbata semel non possunt amodo reprobari), novas audiendo propositiones clarè & distinctè ut meminerint magis dilatum ad certum tempus, quàm dissolutum hunc tractatum. Nonne satius sponte concedere, quàm omnino vi cogi, deducentes summa pericula, & statum involventia, si ante electionem actualiter dissolutio confœderationis non successerit, consulent sibi Patres, quorum potestas non est abbreviata. Impietas verò ad flagitium ingeniosa, non tantùm ibit ad memoriam ætatum, sed etiamsi injustas acies, & fera bella movere voluerit, repressalia parata inveniet &c.

Responderunt 29 Aprilis Confœderati gratam sibi esse hanc compellationem, ast tempus requiri, ad congregandum militem, qui porrectis justis ad satisfactionem medijs, facilius ad id accedet, cùm de exercitu toto, sine illo decidere nemo prudens tutum esse credat; Interim de

A.C.1697 permissione panis petunt ne in obsequio Reip: deficiant. Ad quod eodem die responsum a nostris Commissarijs, in spem bonam erigi Commissionem feliciter finiendi tractatus, dum desideratam exercitus confœderati accipit declarationem, quod scilicet non abjiciat propinatam ex manu materna Reip: in prætensionibus medelam, quoniam verò jam omnia puncta in ultimo Commissariorum nostrorum tractatu fuerunt conclusa, quæ jam exercitus per tantum assensum approbavit, nec illis reclamavit, nihil restat, nisi ut dicto tractatui ultima manus apponatur, ut illa puncta concludantur & ab utraq; parte subscribantur. Et quoniam in præterito congressu, ad ceremonialia sola dissolvendi nexus certum tempus prætendebat exercitus, & nunc instat pro eo, quamvis imminentis electionis proximus terminus excludit Commissarios à longiori his in partibus mora; satisfaciendo nihilominus intentioni exercitus paratos se declararunt, manere usq; ad 6. Maji, non plus ultra; Et illa ceremonialia Leopoli expedienda. Panis autem, & deservita exercitui merces, sine mora & dilatione ulla promittuntur.

Acceptata fuit hæc declaratio & trigesimâ Aprilis data sunt mandata à Mareschalco, ut sub Sczerzec exercitus totus conveniat, ibique feliciter omnia finiantur. Dilatio ad 10 Maji petita illis denegari non poterat, dum præcipuè promittebant, exhibitione operum se anteventuros expectationem, & quæ tarditate consilij hactenus morati sunt, celeritate operis maturaturos.

Scribit mihi Palatinus Calissiensis, consilio gravis, industriâ velox, utroque magnanimus, difficultatem magnam fuisse in inveniendo pernecessario gerendæ rei nervo, quandoquidem Castellanus Cracoviensis dicebat expendisse se omnem à Regina datam summam, pro avellendis cohortibus à nexu. DEus tamen suppeditavit certum nobilem Charzewscium qui centum millia florenorum numeravit, præviâ securitate super bonis Thesaurarij Regni, & ejusdem Calissiensis Palatini, cum assiduis liberalitatis impendijs distingvi omnino quævis debeat dies. Interim redijt ad obedientiam cohors levioris armaturæ Castellani Cracoviensis, & aliquæ aliæ. Addit quod Baranovius Patruus Mareschalci, causas quas ipsi expresserâ, approbavit & mala quæ premunt, ideoque multum egit, & plurimum negotio bene finiendo profuit. Expectamus proinde terminum, quo feliciter hæc confœderatio dissolvatur, interim ego à Cardinali rogatus sum, qui non modo postulabat, sed etiam exigebat, plus oneris imponendo, quàm mea possit sustinere tenuitas, ut sermonem publicum, primo electionis die intra votivam de Spiritu Sancto dicerem. Excusare me occupationibus alijs volui, sed non potui, si mihi lacerti quales olim, nunc forent, facilius id facerem, quanquam jam id, quod dicere debeo, in mente habeo, quamvis nondum in stylo. Hoc certè curabo ut brevis sim, vellem enim ut quicunque me audierint, brevem me fuisse dicant. Quanto svavius est abeuntes dicere, cur hic tam citò desijt? quàm abire cupientes, quando tandem hic desinet? satius est ut auditor cum fame relinquatur, quàm ut satietate nauseet &c.

LXIII
CARDINALI BARBARINI

20 Maji

Diarium electionis Regiæ

DEsideras à me amplam & genuinam electionis nostræ descriptionem, faciam id libenter, & ex diario cujuslibet diei excerptam distinctam habebis quâvis septimanâ simplici veritatis stylo exaratam relationem; confusionem magnam ab initio videbis utinam

nam pacatiora consequantur. Multa sunt partisantium certamina, & A.C.1697.
notiora quàm ut tegi possint odia, hinc æmulante invidiam fastu ducti plurimi superbi anteambulones, numerosa satellitia, florem robusti diceres exercitus, adeo ambitus & in summa Reipub: paupertate privatorum civium inopia in pudendum luxum exardet, quid inde? nisi pessima ominanda.

15 Maji secundùm præscriptum confœderationis generalis dies plasmationis futuri Regis incepit. Missam de spiritu Sancto postquam delectus nobilitatis tam equester, quàm Senatorius splendidissimo in Ecclesia comparuit comitatu, cantavit Nuntius Davia, ego sub figura Samuelis ungentis Davidem prædicavi, multa vaticinatus utinam falsè? habebis brevi hanc concionem, cum enim aliqui, quibus ulcus forsan inerat à me se tangi accusassent, imprimere judicioque orbis exponere id quod dixi, satius credidi, quàm privata judicia iniquè pati.

Ex Ecclesia recta ivimus ad campum Electoralem. Scis non dubito Princeps Eminentissime quòd ex lege & pro more destinatus sit locus ab immemorabili, sub certa villa vocata *Wola*, ubi jaciuntur aliqua valla in circumferentia satis magna, fit ædificium simplex ex ligno satis amplum *Szopam* vocamus in vulgari, ubi Senatores conveniunt, ubi illos (postquam Mareschalcus electus fuerit comitiorum) equestris ordo salutare solet, vota eorum excipere & pòst redire ad magnum circulum sub dio, ibique consulere, cui die ad nominationem Regis destinato, senatus quoque jungitur, sedentque in prima fronte & loco Episcopi, Senatores verò sæculares Palatini scilicet & Castellani ante Palatinatus suos, secundùm solitum ordinem dispositos sedere consveverunt.

Dum ergo in eo campo comparuimus, senatus ad suum locum, equester ordo omni remota mora in facto circulo constitit & statim Stephano Himiecki Dapifer Podoliensis præteritæ convocationis Mareschalcus nihil prius oportere agi credebat, nisi ab Electione novi Directoris sessio inciperet. Orsus est sermonem suum à providentia divina, quæ uti de ordinario cursu avibus aquilas, brutis Leones, piscibus cete, sic & Regnis DEos terrestres præficere solet, ita felicem electionem fore erudito sermone ominabatur, ab eadem divinæ providentiæ misericordia, cùm tam afflicta Respubl optimo egeat Principe. Ut verò moribus antiquis eò facilius id fieret, electionem directoris non differendam omnino credebat, & ad nominationem accedendum svadebat, præliminarè enim hoc ante omnia necessarium confirmavit rationibus. Sed varij varias incipientes materias, hanc in suspenso tenebant propositionem. Urgebant aliqui, ut multitudo assistentiarum equitumque turmæ relegarentur, secundùm contextum legum, quæ clarè & distinctè exprimunt, numerumq; quantus esse debeat, positivis præscribunt constitutionibus. Ut ergo hæ leges ante omnia executioni mandarentur, seriò petierunt ob evitandum præjudicium liberæ electionis, ut scilicet sine metu & ullo timore absolveretur. Erant alij qui instabant seriò, ut ante electionem Mareschalci, stricta inquisitio fieret de authore confœderationis militaris, ut causata tot damna, & ærumnæ, & recessus ab obsequio debito Reipub: ducumq; sine solita non transiret pœna, & vindicta. Contradicebant alij his illationibus potius electionem Mareschalci credendo necessariam, his præcipuè fulti rationibus, competentius sub novo directore hæc concludi posse. Addebant insuper, qualis debeat eligi Mareschalcus ne sit noxius Reipub: in malè gestis magistratibus, qui sit sine omni nævo, & qui in directione Comitiorum aliorum, si illam prius habuerit, notatus non fuerit, & qui distinctionem nobilitatis minoris à majori non fecerit, & hæc invectiva contra quendam ex concurrentibus consulto facta. Dum hæc in circulo aguntur, veniunt legati Palatinatus Sandomiriensis, & intra val-

A. C. 1697 la in equis ingrediuntur, ſed à clamore totius conſeſſus repulſi exiverunt, & pedites intraverunt cum magno tumultu & furore, querulantes inprimis coram ſenatu de aliquo dishonore ſibi facto: Interim ſoluta ſeſſio in craſtinũ cum hac præcautione, ut ſtatim ad electionẽ Mareſchalci accederetur.

Hâc eadem die duo ex Dominis Epiſcopis Franciſcus Prazmowski Luceorienſis, & Nicolaus Swięcicki Kijovienſis in Szopa coram Senatu juramentum ſenatorium expleverunt, in manibus Cardinalis Primatis, quod ob tardatam paululum Româ expeditionem, & ſerò venientes bullas properis fatis optimi Regis accedentibus facere non potuerunt.

Tumultus à Palatinatu Sandomirienſi. Abierant tam Senatores, quàm penè omnes ex equeſtri ordine Varſaviam, tres tantum vel quatuor Senatores excitatum à multitudine euntium evitando pulverem remanſerunt. Accurrit interim certa pars Palatinatûs Sandomirienſis cum nudis gladijs furore plena, habito nuntio de aliquo quaſi dishonore collegis ſuis facto. Multa & contra gvardiam quæ cuſtodiam loci habebat, & contra illos Senatores præſentes, vino enim magis, quàm conſilio res agebatur, effutierunt & in tumultu cum minis, & diruendæ Szopæ, & evertendorum vallorum abierunt, pluraque feciſſent, niſi aliquis monuiſſet gvardiam illam ex authoritate Reipub: & pro ſecuritate publica ibi locatam.

. Miſit 16 Maij Mareſchalcus Regni Supremus, ad eundem Palatinatum cum expoſtulatione contra voluntatem publicam tot legibus firmatam, gvardiæ ſuæ imò Reipub: confuſionem aliquam illatam eſſe, reſponſumque accepit minimè ſe authoritati in lege fundatæ præjudicare velle, res anterior poſteriori normam non præminiſtrabit, & modeſtiam in futurum obſervandam appromiſit. Illud verò moviſſe eos ad talia, quòd confuſionem habuerint, ideoque venire pro electione Mareſchalci omnes viritim propoſuerunt, rogaturi inprimis ut Domini Senatores, relegent tot aſſeclas, & aſſiſtentias copioſas, quas in oppreſſionem libertatis conductas vident. Præparabant ſe igitur pro ſeſſione ſubſequenti, dies enim aſcenſionis Domini conſeſſum impediebat. In qua ſolennitate Poplavius Epiſcopus Livonienſis zeloſam pro more ſuo in ædibus divo Ioanni ſacris dixit concionem, ubi illam notam Phocæ hiſtoriam in memoriam reduxit, quòd ſcilicet dum poſt inaugurationem ejus in Principem quidam ſanctus Epiſcopus intenſius oraret, quaſi ſcire vellet cauſam tam gravis pœnæ à Deo irrogatæ, reſponſum accepit, non potui invenire pejorem. Deus avertat omen.

Concio Epiſcopi Livonienſis

17ma. Timor erat inter aliquos Senatores, metuebant quippe tonitrua, ut evitarent fulmina, & multi domi ſe continuerunt, neque in campo comparuerunt, donec ille præſertim in Palatinatu Sandomirienſi impetus, quem fama eundo creſcens auxerat in immenſum, ceſſaret, ita quippe accumulat crebros turbatrix fama pavores, præſertim verò timebant ij, qui factionum aliquarum habebant remorſum. Palatinatus Sandomirienſis viritim in numero aliquot millium propius ad Szopam acceſſit, quod dum alij Palatinatus adverterent, convenerunt ad ſocianda conſilia & vires quo fortius alijs reſiſterent, numerumq; ſuum ita auxerunt, ut plus quàm viginti millia hominum & quidem nobilium numerarentur. Diſſimulare id & Senatus & equeſter ordo debebat, cum nihil in armatos & in reſolutione obſtinatos ſit efficacius, quàm pectus ſine ſenſu. Inde factum quod apparuerit major oſtentatio, quàm fervor & Senatores etiam meliori eſſe cœperunt animo.

Palatinatus Sandomirienſis iteratus tumultus

In circulo equeſtri voluit Mareſchalcus ſecundùm nupera conſtituta immediatè ad electionem Directoris deſcendere, ſed difficultas iterum orta contra aſſiſtentiam Senatorum, & donec hæc cum integra legum executione, & equeſtris ordinis ſatisfactione effectum ſequeretur, nihil ſe agere

gere

gere permissuros declararunt. Erat etiam in eo difficultas, quod Palatinatus Cracoviensis, & Sandomiriensis cuilibet nobili libertatem dari ferendi calculi in electione Directoris prætendebant, cui multum temporis inutiliter impendendum Palatinatus Posnaniensis allegabat, & si id omnino fieri deberet, expectandos esse necessariò alios Palatinatus, qui in pauciori numero nunc comparuerunt, brevi in numero majori comparituri, satius proinde ducerent, ut ex quolibet Palatinatu sex destinarentur, utque non ex his, qui concurrunt, sed aliquis qui id minimè cogitat eligeretur, instabant. Occurrebat & illa difficultas, ut ante omnia producerentur documenta, quib9 anto incommodo publico confœderationis Polonæ & Litvanæ author manifestaretur, quoniam Palatinus Vilnensis in literis suis circularibus ad Palatinatus missis promisit revelaturum se authorem ad vindictam. Ex qua occasione Marcianus Wołovicius Vexillifer Msciſlaviensis homo dignissim9 facundo sermone expressit, quod ad nominationem Mareschalci accedere omnino non possit, nisi securitatem habeat immediatè post electionem ejusdem legendum fore projectum de coæquatione Iurium M. D. Litvaniæ cum Polonia. Sciendum enim à Domo Sapiehana nobilitatem omnino superbæ dominationis jugum hoc excutere velle, & securitatem sibi post constitutionem coæquationis providere. Multi ex Regni Nuntijs in favorem dictæ coæquationis favorabiliter locuti; Cur enim admitti ad eam non debent, qui nobis in omnibus sunt æquales? cumq; id petant.

A.C.1697

Difficultas in numerô electorum.

In inquirēdo Authore confœderationis

In coæquatione juriū

Palatinatus tres Prussiæ Culmensis scilicet Pomeraniæ, & Mariemburgi, non posse per deputatos eligi Mareschalcum allegabant, eò quòd ab illis vigore specialium diplomatum Provinciæ suæ datorum, certus numer9 non possit destinari Nuntiorum, & cum pertinacius, privilegia sua manutenerent, conclusum protunc ut omnes Palatinatus vota sua in gremio suo excepta in medium adferant, & in hoc finita sessio. Hâc eadem nocte magnum incepit in suburbio Cracoviensi incendium tres integræ plateæ consumptæ, & plus quàm centum quinquaginta domus incineratæ.

Incendium Cracoviæ

18mà Intulit Mareschalcus antiqvus equester, nullum eligendum Directorem, qui fuerit præteritæ aulæ obnoxius, sed qui sit absolute indifferens, unicum bonum publicum pro objecto habens, unde multi hanc dignitatē deferre eidem videbantur, sed Palatinatus Posnaniensis dextrè se opposuit ex rationibus, quod hoc sit contra legem & consvetudinem, ac proinde ipsum Dominum Humiecki nullo modo id pro amore legum prætendere credebant. Confirmavit idem Palatinatus Lublinensis convocationem præteritam incusando, quod jus vetandi fuerit læsum, & ut id ad vigorem suum restitueretur, institit. Varij varia dicebant, & cum nulla bonæ conclusionis affulgeret spes, soluta sessio in diem lunæ, quia decimâ nonâ dies Dominicus intervenit.

Contradicitur Mareschalco

19mà Qua felix Potoccius Palatinus Cracoviensis, Campidux publicum ingressum fecit, rectáque cum numerosissima comitiva ad stantem sub papilionibus Palatinatum Cracoviensem ivit, ubi lautissimo omnibus dato convivio in multam noctem omnes tractavit. Venit hâc eadem die Episcopus Passaviensis comes Lamberg, magnus Imperatoris legatus splendido satis apparatu. Palatinus verò Vilnensis M. D. Litvaniæ exercitus Dux privatim ingressus: Gvardia autem ejus, quæ numerum decem millium excedit sine tuba in crastino ingressa. Inexpugnabiles nos magis faceret animorum unio, quàm armorum.

20mà Iterum de qualitate Mareschalci disputatum, ut sit absolutè independens. Palatinatus Posnaniensis fide, honore, & conscientia se obligavit, talem se nominaturum, pro quo etiam sangvinem fundere parati, & cui per totam vitam nullum probrum quis objicere potest, qui sensus indicabat,

 aut

A.C.1697 aut judicabat Stanislaum Leſczynski Odolanovienſem Gubernatorem, filium Palatini Lencicienſis, & Generalis Poloniæ Majoris, qui ſuprema laudum merita ſibi vendicat, quia illum mille formarunt, non ternio gratiarũ.

Invecti ſunt poſt multi contra Humiecium, tanquam ille de induſtria differret Mareſchalci electionem, ut ipſemet tandem procurato tœdio eligeretur (ita calumniæ mos vincere id, quod rectius) publicè declarando, hoc nullatenus fieri poſſe nec eſſe debere, cum hic baculus quem tenet, in præterita convocatione ſibi collatus non ſit ex cedro æternitatis hieroglyphico, ſed ex ſimplici ligno factus, ut videret, quòd hanc functionem hæreditare non poſſit, per infinitum enim prætenſiones creſcerent, & per id alternativæ Maioris Poloniæ, quam nunc concernit, præjudicaret, & eâdem viâ directionem in coronatione futura prætenderet. Quamvis ſatis exarſerat ad hanc propoſitionem Humiecius, tamen tollere volens cauſas ſuſpicionum, non augere, modeſtiſſimè reſtitit, fortè non illud eſſe ratus ſæculum, quo vitam ſuam narrare morum erat fiducia. Deduxit tantum tutiores eſſe modeſtiæ terminos, quàm ambitionis vota immodica. Ita gubernatoris officium, ad ventorum mutationes ſe aptare, viri autem prudentis ad fortunæ. Et ne famæ ſuæ atque exiſtimationi, aliqua labes ab iniquis & omnia in pejorem partem interpretantibus aſpergeretur ad proponentem Palatinum deſcendit, ibiq; omnem ambitum ad directionem electionis ejuravit, magnam ſibi injuriam inferri allegans, quòd talis in ſe & iniqua exſpectatione alienum & voto orta fuerit ſuſpicio, erant aliqui qui Leſczynio obliqui (plus periculi eſt in inſidiatore occulto, quam in hoſte manifeſto) omnibus modis electionem illam, ſed ſecreto impugnabant. Accidit eadem die ut frater contra fratrem, Glogovij ex Palatinatu Belzenſi legati diſerti, ut faciant malum, eloquentes ut impugnent bonum, (apud alios verborum uſus, apud illos uſura) ad pudenda & erubeſcenda, dicenda unus contra alium, quæ potius arcano tegi debebant, acceſſerint, & diutius in combinandis ijs tempus abſumptum; ſub idem tempus acclamationes frequentiores erant, ut ad juramentum accederetur, quòd à nullo candidato, vel concurrente quidquam acceptum fuerit, à quo juramento nec ſenatum excipi volebant. Iterum coæquationis materia ſuſcitata magno fervore à Wołowicio alijſque, communis utilitas ſocietatis maximum vinculum eſt, præjudicia libertati Litvaniæ exaggerantibus, non tam ne convellantur eorum jura, timorem juſtum eſſe, ſed jam penitus convulſa. Adeone videmur Sapiehis eſſe idonei, à quibus ſic illudatur? habeant de pœna doctrinam. His omnes planè Nuntij Regni conſonantiâ voluntatum aſſenſerunt, & publico ore juvare eos in hoc ſalutari deſiderio promiſerunt, quanquam erant ex Litvanis, qui optima eſſe jura Litvanica, modo preſsè executioni mandarentur, aſſeverabant. Fama moderationis quærebatur, poſtquam ſuperbia expleta eſt, allegando profundè radicata levi manu erui non poſſe & meliora promittendo. Unde magnus tumultus contra Alexandrovicium id inferentem, cui pontem quoque ſub Grodna non ædificatum, pro quo pecuniam acceperat, etiam exprobraverunt.

Suſpicio in Mareſchalcum

Diſcordia duorum fratrum

Motus contra Sapiehas

Et hæc ſunt quæ in hanc diem acta, quanquam nihil actum eſſe hactenus videamus. Protrahitur tempus electionis Mareſchalci, ut ſcilicet alij veniant. Expectatur Princeps Radzivilius Vicecancellarius Litvaniæ viginti quatuor cohortes nobilium ſecum ducens. Expectatur etiam Caſtellanus Cracovienſis, qui poſt diſſolutum jam varijs, mirisq; modis confœderatum militem brevi ſperatur.

CAR-

LXIV

CARDINALI BARBARINI

Varsaviæ 29 Maij

Continuatio diarij tempore electionis

AD vigesimam primam exclusivè omnia nunciavi, quæcumque proturse occurrebant, qua die post finitam missam iterum reassumpta materia de authore confœderationis militaris. Compellati sunt Nuntij majoris Poloniæ, qui pro suo zelo miserunt ad Thesaurarios utriusque gentis, quatenus hujus mali authorem, tanquam melius scientes detegerent. Responderunt nuntij se ex nominatis in principia rerum inquisivisse, sed nulla eos documenta privatim velle monstrare, nisi ad id à Repub: cogerentur. Propositum igitur ut delegarentur ad illos aliqui è medio, ad consortium Reipub: invitantes, utque in circulo equestris ordinis vellent comparere, & totam Rempub: ex ambiguitate extricare, quæ optimarum actionum intentionem, & effectum considerabit, & malos damnum]; Patriæ inferentes justitiâ vindicativâ puniet. Contradicebant huic propositioni multi, & hanc missionem non nisi post electionem novi Mareschalci differebant. Excitatus fuit tumultus contra Alexandrovicium partis Sapiehanæ, & jam nudæ multorum erant frameæ, sed tamen prudentiâ directoris tandem sopitus. Instabant nonnulli ex nuntijs Regni, ut hic excessus puniretur, & quicunque primus frameam extraxit, judicaretur; sed cum hæc sententia, quamvis securitas consultationis in ea obtendebatur, quandam ignaviæ notam arguebat, à generosioribus est dissvasa, quamvis judicio prudentiorum toleranda hæc essent, nisi majora (quæ labes temporum) timerentur. Ita eo tempore versari in Repub: periculosum est, nam & qui grata populo loqvuntur, unà pereunt, & qui secus faciunt, ab eo perduntur.

Inquiritur in authorē confœderationis

Tumultus contra Alexandrovicium

Modus eligendi Mareschalcum à Provincia Prussiæ proponebatur, ut scilicet quilibet Palatinatus in privato congressu eligeret candidatos, & per unum eo nomine deputatum, quot quis calculos habuerit in medium proferretur, quibus combinatis pluralitas melius pateret. Interim eadem die solennissima fuerunt convivia, quæ duo Principes Radzivilij Cancellarius scilicet & Vicecancellarius Litt: pro varijs instruxerant.

22da In sola lucta transijt & propter ventum nimium, qui in campo ita excitatus fuerat, ut unus alterum vix videre potuerit, consulere non permisit.

Per aliquot dies variæ nec memoratu dignæ agitabantur materiæ. Id præcipuum tamen erat, ut rota juramenti pro novo formaretur Mareschalco ab eodem electo explendi, & à toto equestri ordine combinaretur. Propositum verò juramentum Anni 1668vi in electione Regis Michaëlis, additis his *1mo* quòd in quantum aliquæ sessiones inter Palatinatus, vel in tota Repub: fierent, nulli parti adhæreret. *2do* quòd ad adipiscendam functionem Mareschalci non concurrerit, nulli pretium dederit, nec eo nomine ab aliquo exterorum acceperit. Sed hanc juramenti formam, cum propter ingentem ventum omnes Palatinatus audire non potuerint, ideo volebant ut per copias distribueretur, sed cum hoc fuerit contra praxim & usum non est permissum. Debuit proinde ad quemlibet Palatinatum expiscando accedere Mareschalcus, sigillatim requirendo consensum. Pro primo puncto universalis fuit consensus, secundo contradictum, cum verò Pentecostes festa imminerent, soluta sessio usque post illa. Utinam operante Spiritu sancto occurrentes hæ difficultates, curâ magnorum nominum componantur, & ad

Rota juramenti pro Mareschalco

optatam

A.C.1697 optatam veniatur unionem.

Palatinatus Posnaniensis & Calissiensis brevi speratur, quorum numerus ad quinquaginta millia promittitur. Finio brevius scribendo, ne supervacanea legas, distentus magnarum rerum curis &c.

AMICO CONFIDENTI

Varsaviâ 15 Junij.

Nuntiatur mors Unichovij, inter alia acta, defenduntur falsò proclamati auctores confœderationis, tandem eligitur Mareschalcus.

Mors Unichovij Palatini Trocensis.

MOrtuus est tandem nuper Unichovius Palatinus Trocensis, post longiorem infirmitatem, vir qui, ut bene scis, nihil omisit, quo inclaresceret, non semel tamen in suspicionem venit fidei prostitutæ, ac proinde judicatus est plus dignitatis, quàm fidei habuisse. Talis erat ut nec amici eum amaverint, cum unum illi fuerit studium litigare, vel litigantes justè, injusteque iuvare. Unde Rex Ioannes appellavit caput perversum malitiæque plenum, cum agnosceret eum palàm loquacem anxiè, ambitiosa adulatione blandum, totum compositum ad fallendum, ad perturbandum non minus, nullam rem usque ad calcem deducentem, sed per varia salientem, semper vanum, nunquam suum, versipellem ubique, sæpius fuit eloquens, ut faceret malum, jura Patria scivit, sed ut ea ad fallendum adhiberet. Toties mutavit sensus suos, quoties è re ipsius erat, à parva fortuna ad magnum satis Senatorij ordinis evectus gradum. Dubitandum fortunâne id an ejus versuto ingenio. Ego crederem utrumq; contribuisse. Primo domui Sapiehanæ ex anima affectus, multa enim in favorem eorum etiam cum periculo animæ suæ fecit. Post mutatus plura contra eos egit, quàm ante pro ijs, illeque primus cum fuisset omnium secretorum conscius, revelavit illud arcanum, posse domum hanc opibus & authoritate validam, utroque privari. Nemo flevit mortuum; cum ratus amaverit vivũ. Deus det animæ ejus pacem, quam ille alijs dum viveret non dedit, nihil detrahendi studio dico, longè enim id ab ingenio & consvetudine abhorret mea, sed veritati testimonium perhibendum omnino credo.

Quæ ab initio acta fuerint comitiorum electionis, ex annexa quæ aliis scripsi, copia intelliges: Nondum cessarunt difficultates circa electionem novi Directoris. Inculcabat præteritus quod tantùm temporis effluxerit & hortabatur, ut omnibus materiis abjectis ad electionem descenderetur, quod & omnes quasi desiderare videbantur, Bronijovius ex Palatinatu Calissiensi illatione sua jam inclinatos ad danda suffragia animos impedivit inferens, post abitum Serenissimæ Reginæ in ejus locum Principem Jacobum sæpius incognito Varsaviæ comparere, & cum suis amicis, contra securitatem consilij publici non perfunctoriè agere. Petendũ proinde Principẽ ne offendat Remp. Cum verò Palatinus Posnaniensis ad nominationem accederet Directoris, Bellenses nuntij impediverunt, & post Grusceinius ex Palatinatu Calissiensi nuntius in suo voto tale excludebat à capacitate directoris subiectum, quod dependentiam haberet à Regina, cui palàm fabricationem confœderationis militaris objecit, & in vim documenti copiam aliquarum literarum ostendit. Unde fortissimè institerunt omnes ferè Palatinatus, ut immediatè dicta copia legeretur, libenter enim scirent à quo sumenda esset vindicta tam magnorum in Repub: damnorum, sed supervenit contradictio à nuntijs Lenciciensibus ex hac ratione, quòd quamvis producens in publico, magnâ esset fide, quia tamen dictum unius, dictum nullius appellatur, & tanta nunc tamque diversa famam magnorum virorum lædentia protrudantur

Difficultas in electione Mareschalci.

pro

proiecta quanta nunquam ante audita vel visa sunt. Si fidem proinde vult habere proponens, producat originale documentum, probrum enim esset totius Reipub: copijs & forsitan incertis adhibere facile fidem & animum, & post credulitate peccare. Intulit per modum responsi Męcinius Capitaneus Vielunensis cum assecuratione, quòd authenticum viderit originale in manibus Thesaurarij Regni. Insurrexerunt quidam præcipuè autē Vexillifer Wschovensis contra Gruscinium incusando, quòd diffidentias seminaret, quibus cardinalia jura evertuntur, criminationes inferret, magnūq; scandalum in Palatinatibus Majoris Poloniæ causaret, in quibus ante unum velle & unum nolle ab antiquo erat, & nunc scissionis vitio laborat. Petijt ut hæc copia, tanquam projectum, & liber famosus non legeretur, sed originale tantum suo tempore in publicum producendum requireretur. Non enim inter parvas materias hæc est numeranda, cum fabricatio confœderationis ad crimen perduellionis devolvatur, & ideo tam leviter non est examinanda. Hinc Dominus Director materiam hanc post electionem novi directoris differendam credidit, utque per verbum placet, ad electionem Mareschalci procederetur, petijt. Sed nec hoc successit; Habuit interim eruditum & pro more suo solidum sermonem Rzewuscius Chelmensis Capitaneus, in quo expressit, quòd fluctuemus, aliudque ex alio comprehendimꝰ, incepta relinquimus, relicta incipimus. Solamen tamen Patriæ est ingens, quòd malum sub cortice latens producatur, fidem nihilominus adhibere integram non potest, donec aliquid authentici videatur. Vivide & viriliter interim quærebat, quid per dependentiam à domo Regia intelligeretur, à qua recedere nec pòtest, nec vellet, si posset, si quis confundit corruptos cum bene meritis & beneficijs onustis, non videtur justè, & bene id facere, quia hi ex gratitudine id præstare omnino tenentur, illi verò auri sacra fame laborant, in hos deberet esse offensio, in illos inclinatio, multa præterea disseruit in favorem domus regiæ. Invectus postea Lantcius ad perturbanda omnia natus, ex Lencicienſi Palatinatu Nuntius contra Lescinium Lencicienſem Palatinum, cui vindicias tanquam optimo Patri bonus Filius Stanislaus scilicet Odolanoviensis Capitaneus vincente taciturnitate offensionem, sufficientes dedit, accusando læsionem honoris Patris sui, fidejussionemque dando, quòd innocentiam ejus Reipub: palàm sit facturus & quod adversarij pœnam talionis sint subituri. Cui nihilominus Bronijovius partialitatem & dependentiam à Regina objecit. Interim Wołovicius repetendo ante à se dicta oppressam libertatem in memoriam reduxit multaque pro domo Regia dixit, concludendo, ut more majorum merita Parentis rependerentur, utque non quærendo remotiora præsentibus utamur, priusque se moriturum, quàm Gallum in throno visurum fortiter asseveravit.

A.C.1697

Defenditur domus Regia.

Incusavit die subsequente Mareschalcus infelicitatem Patriæ omnium conveniendo memoriam, quòd nihil suo fieret ordine, & sic quod præcipiti via certum deserit ordinem, lætos non habet exitus. Quòd scilicet turmatim non expectata pro more solutione sessionis in tumultu abirent, & ad electionem Mareschalci, cujus norma per legem est descripta, non accederent, ac proinde quia nondum factum est, quod rogamus, ut petitio suo coronetur effectu, & ad electionem procedatur. Interim dum pro & contra disputatur, pluvia & tempestas ingens solvere sessionem coegit.

Proinde 31 Mensis iterum Gruscinius instabat pro facienda inquisitione de authore confœderationis indirectè petens majoris Poloniæ Generalem in cujus honoris defensionem, præter alios plurimos (injustissimè enim petebatur, tanqam nemo extra maledicorum dentium morsum sit) locutus est Naramovius varias rationes contra falsam hanc adferens accusationem, quòd scilicet ille qui certus non est, certos nos facere minimè potest & quod aliter

Defenditur Palatinus Lencicienſis

A.C.1697 liter exponeretur, quàm veritas se haberet; ratio prima erat evidens, ex motivo naturali & innato. Confœderatio hæc est directè facta in præjudicium jurisdictionis & authoritatis Castellani Cracoviensis exercituum Ducis, cujus ille cum sit gener quomodo id facere potuisset, unde ipsa rei veritas se tuetur, aut ipsa falsitas se coarguit. Secundo notus est zelus Palatini Lencicienfis pro defendenda libertate, cujus multa alia sed præcipuè illud evidens dedit documentum, cum in senatus consilio sub Rege Ioanne propositionem, ut arbitrium pacis vel belli penes certas personas relinqueretur, ipse primus ex zelo libertatis impugnaverit cum declaratione præcisa, malo periculosam libertatem, quàm securiorem sine libertate modum. Quantum ergo ipsi honoris laudabilis vita, tantum affert oneris & invidiæ laudans fama, nam quæ nunc dicuntur, multum ab his diffident, quæ ille palàm fecit. Reduxit 3tio in memoriam, quòd universales literas, tanquam Generalis majoris Poloniæ in publicum edidit, ne hibernæ solverentur Deputatis confœderationis, sed tantùm Castellani Cracoviensis assignatarijs. Et conclusit idem, quis scit an istius rei non ille est reus, qui eam alteri conatur impingere?

Post multas disputationes circuibat Mareschalcus sensum equestris ordinis explorando, & redux ad stallum dixit, quòd ab initio consessus hujus nihil magis omnes absorbebat sessiones, quàm una materia authoris confœderationis, per quam summam læsionem, & justè quidem Respubl: prætendit. Et cum medium à Palatinatu Posnaniensi propositum nullo modo ad effectum deduci possit, ut ad Senatores, qui conscij dicuntur, mittatur cum compellatione, cum illi nullam deputandi quenquam habeat potestatem, nec ipse etiam illos adire possit, relicto regimine, quia hoc magnum inconveniens esset, & authoritati Reipub: præjudiciosum. Aliud proinde suggessit medium, ut quivis Palatinatus suos conveniret Senatores privatim, & ad circulum equestris ordinis pro crastino invitaret, ipse etiam aditurum se promisit Cardinalem Primatem & Ministros status, ad idem faciendum solicitaturum, ut sic combinatis sensibus, eò facilius tam exoptata erui possint documenta. Medio huic (ita venti nos impediunt ut navigare nequeamus) contradixit Palatinatus Cracoviensis ex hac ratione, quodsi Senatores comparerent in circulo, videremus approbare antiquum Directorem. Respondebatur illis, jura ad causas esse formanda, scrupulis non attendendum, ubi minuendæ, restringendæ, vel ampliandæ sunt leges, nihilominus cum magna pars nihil sub antiquo regimine tractari posse, nec debere etiam habitis documentis censeret, differendum usque post electionem novi Directoris credidit, prævidendo aliquod emergens absurdum, & civium lanienam timendo, cum Sanatus pro securitate sua majores solito secum duceret assistentias. Volebant aliqui ut electio Mareschalci ab equitantibus fieret, sed illud impugnatum, ne videremur plus equis, quàm hominum intellectui fidere, cùm non armis, sed rationibus secundùm Deum & judicium foret digladiandum. Controversio hæc zelosissimo sermone Wielohurscij ex Vosynia nuntij est interrupta, qui cum impetu, incepit, allegando, quòd destituat ratio dolorem, quod incocta vocabula præcipitet justus in Patriam amor, & etiam in sacrilegia verborum insulsus mœror facile impingat. In memoriam pòst reducebat majores nostros, in quibus ambitio non dominabatur, avaritia sub pedibus erat, sola gloria & bonum publicum centrum erat omnium virtutum, & fortium actionum. Fusissimè deducebat eo modo quo inceptum, nec spatio trium Septimanarum eligendum Mareschalcum, & Regem vix spatio unius anni, cùm materia exorbitantiarum omnino & necessariò tractanda, legationes juxta morem Principum audiendæ, pacta conventa combinanda, & tot aliæ materiæ, sine quibus electio finiri non debet, tractan-

Modus inquirendi in auctorem confœderationis non acceptatur

Alter proponitur.

Refellitur.

Nō in equis eligendus Mareschalcus

Wielohurscy sententia

tractandæ sint. Persvadebat proinde ut cras sine ulteriori dilatione ad electionem Mareschalci descenderetur. *A.C.1697*

Prima ergo Junij ex tædio cum nulla contradictio tam magna fuisset, quæ non statim sedaretur ad electionem Mareschalci processum est, & Palatinatus illi superiores, usq; ad Palatinatum Sandomiriensem exclusivè suffragia sua in Mareschalcum dederunt, majorq; numerus in favorem Capitanei Odolanoviensis fuit, quàm Bielinij Succamerarij regni, vel Męcinij Capitanei Vielunensis. Tres enim hi præcipuè nominabantur. *Proceditur ad electionē Mareschalci.*

Tertia, quarta, quinta, septima, intercesserat enim festum corporis Christi, 8va, 9na, 10ma, 11ma, suffragia continuabantur, modò huic, modò alij favorabilia.

Duodecimâ acciderat casus terribilis, cum quidam nobilis nomine Gardinscius ex terra Czyrscensi, cum duobus parvis sclopetis in circulum veniens prope Mareschalcum stantem nobilem nomine Gietilsa occidit, ita ut nec quadrantem unum supervixerit, acceptus ab eodem districtu homicida, ad judicia capturalia redditus, pœnas criminis sui, ut dicitur involuntarij, vel subibit, vel condonatas habebit. *Homicidium fortuitum.*

Hâc eadem die dum Palatinatus Masoviæ ad nominationem accederet, Referendarius regni Szczuka recurrit vel millies, utinam pro dignitate ejus repetendus. Scis enim virum hunc in maximis gravissimisq; rebus ita exercitum, ut illi jam nihil placere, quod à communi bono discrepet, nihil tam difficile tamq; arduum occurrere, quod vel prudentiâ non assequatur, vel curâ, studiô, scientiâ non perficiat. Proinde accedens ad nominationem, quamvis non obsistere, nec se opponere vellet torrenti, incusavit tamen modum hunc electionis timens iram DEi, quàm David expertus est, quia dinumeravit populum suum. Incusare visus famæ publicæ testimoniô nixus ambitum concurrentium, & suffragium suum Kosuccio judici Inovroclaviensi viro prisci moris dedit. *Calculus Referendarij regni.*

Eâdem die locutus est cum summa æquanimitate (cui plura suffragia in favorem Succamerarij lata occasionem fortè dederunt) Gubernator Odolanoviensis sacrificando honorem suum bono Reip: usibus magis publicæ salutis, patriæ potiùs quàm suæ reputationi consulendo, & de concurrentia sua absolutè cedendo (quod gloriam ejus jam tum magnam auxit magnopere) & subsequentes Palatinatus deprecando, ne sibi ampliùs suffragia darent. Nolens morari Remp: & tempus illud occupare, quod justificationi Patris sui necessarium credebat. Desiderabant aliqui eidem Succamerario persuadere, ut scilicet tertius interveniens, qui palàm indigitabatur Humiecius eo posset honore gaudere, sed ab aliis id dissuasum & cum cedente uno concurrente, alius tanquam pluralitate gaudens succedere deberet, institit Mareschalcus, ut per verbum placet materia hæc concluderetur, sed succedentes Palatinatus honori suo ducebant, ut eo modo quo cœpit in hac materia procederetur.

Ad 15tam proinde currebant suffragia, qua Bielinius bravium accepit, & pro more ab antiquo Directore, hodie est promulgatus &c.

LXV.
CARDINALI BARBARINI,

Varsaviæ 16. Junij.

Mareschalcō renūciatur, tumultō in eū, accessio equest. ord. ad Senatores

INtermisi per unum tabellariū scribere tibi, quia nihil erat, quod scriptu dignum fuisset, totum tempus in disputationibus absumptum non necessariis, tandem heri suffragia finita sunt pro electione Mareschalci. Duo præcipui fuerunt concurrentes, uterq; dignus, uterq; promotione

A.C.1697 ne primorum in Republ: Senatorum, & favore Palatinatuum potens, primus Casimirus Bielinski supremus regni Poloniæ Camerarius, vir magnæ authoritatis, famæ, fidei, habens summam capacitatem cum summa animi moderatione junctam, quam in eo & conspicimus & suspicimus magis, id enim semper agit suo se merito metiens, ne quis oderit.

Bielinski encomiū.

adus Stanislaus Lesczczynski Odolanoviensis Gubernator præveniens votorum tempora, semper enim pollicetur majora, cùm pro ætate maxima exhibeat, & suprema laudum meritò sibi vendicat, & ne quid ætati desit præoccupat virtute, humanitas in eo tanta elucet, ut ad hanc unam virtutem genuisse eum videatur natura, studium exercuisse, felicitas servasse.

Stanislai Lesczczynskj.

Disputatum proinde satis longo tempore inter varia eligentium studia, cum utraq; pars suum evincere vellet. Magni nobilisq; facti prodenda est memoria, quod cum ab initio major videretur nnmerus in secundum, subsequentibus verò diebus in primum inclinare, cessit benevolè & liberè secundus constantibus impulsus causis, ne injurius esset Reipub: (cum nihil sit præstantius, quàm de ea bene mereri) longiori ideoque periculosa Mareschalci electionis dilatione, monstrando palàm quod neque si adeptus fuerit, exultaturus, neque repulsam passus, sit tristaturus, animo sed placato & moderato laturus. Hoc autem in confidentia dictum esto, quòd pars quæ est satis fortis, satisque numerosa Principi Contio adhærens primum omnino promovebat, ut secundus candidatus, qui aliquatenus domui Regiæ cum omnibus sibi sangvine & amicitia nexis videbatur affectus, eam non haberet authoritatem, quæ illis præjudicare posset. Credo autem ego, & id jam prædixi, quod Gallica factio suum Mareschalcum, contraria ei, suum sit habitura Regem.

ista: Ergo petita licentia præteritus Mareschalcus ut directionem redderet successori dixit: malè hic eum judicare, quicunque gradiens ad virtutem liberum se à casibus censet. Sublatis virtutum periculis, etiam virtutes perire, quicunq; primus navigavit, audax esse debuit, hi qui Marti se consecrarunt, periculo statim se exposuerunt. Apodosim fecit ad Succamerarium Regni, tanquam jam electum Mareschalcum, quòd sic naturâ statutum sit, ut novus honor novum onus trahat, & accedat curis, quod accrescit dignitati, ut ergo sit immobilis ad portanda ea, quæ metuenda viris, ingreditur eam accipiendo Directionem, quæ illi certè spinas & tribulos germinabit. Publicum omen faciebat ex eo, quòd par esset necessitatibus Regni, & expectationi ejus, quòd serviet Reipub: ad exemplum majorum, verumque induet Patrem, ad extremum reddebat scipionem tanquam lapidem Lydium probaticum &c.

Redditur scipio Mareschalcalis

Explevit deinde juramentum solitum novus Mareschalcus, post quod solennes toti equestri ordini pro affectu in electione sibi exhibito gratias retulit cum hac finiens clausula, quòd amorem in Patriam monstrabit semper constantem, sine qua nec felix erit, nec illam miser relinquet.

Pro more cum denuntiatione ad senatum missi sunt tres. Krasinius Palatinides Plocensis, Wielourscius, & Mosievicius. Post sermonem nuntij primi respondit Cardinalis Primas nomine senatus hanc electionem gratulando; missi sunt pòst Senatores ad equestrem ordinem invitando ad senatū ore Bonaventuræ Krasinij Palatini Plocensis in assistentia Palatini Brzestensis Litvaniæ, & Castellani Sandecensis persvadendo, ut suspensum per tantum tempus desiderium velociori compensarent motu, quibus novus Mareschalcus gratias egit. Disputatum pòst, quo die comparere deberent in senatu. Cum verò multi differendam hanc conjunctionem in alium diem crederent, solvit sessionem. Sed Palatinatus Posnaniensis (futuri exitus præludia au-

spiciaq;

ſpiciaque) cum favore magno renovandam ſeſſionem urſit, & jam tumultus magnus incipiebat non ſine periculo novi Mareſchalci, ita lex contra tumultuantes lata vidit iratos, irati legem non viderunt, & niſi ab amicis ſedari potuit, Cardinalis Primas noſque ibidem præſentes ſubſidium authori tate ſenatoriâ portaturi, ire voluimus, ſed jam Lubomirſcij à periculo Mareſchalcum novum liberaverant, & extra circulum reduxerant. *A.C.1697* *Tumultus contra novum Mareſchalcum*

17. Poſt Dominicam vacantem, qua in privato omnia ſunt ſopita, Mareſchalcus explorabat ſenſus Palatinatuum, utrum ſalutare Senatum deberet, quod conceſſum non tamen ſine præcautione aliquorum ex Litvanis, ut poſt reditum à Senatu ante omnia coæquatio jurium tractaretur, quia manifeſta cauſa ſecum habere debet ſententiam.

Salutavit ergo in conclavi Senatorio Mareſchalcus equeſter ſedens in medio Miniſtrorum ſtatus regni, & M. Duc. Litvaniæ gratias agens Senatui, præcipuè tamen Cardinali Primati pro cura & ſolicitudine, circa conſervationem publicam, non vanum faciens omen, auguriumq; quod ipſa aſtrorum diſpoſitio æſtate durante læta Poloniæ reducet tempora; Affectui fraterno equeſtrem ordinem Electores Regum, aſſertores libertatis, juniores ſenioribus recommendando fratribus. Reſpondit Cardinalis cum voto, ut virga Mareſchalci evireſceret in laurum, unde de deſtinato capiti necteretur corona. Fecit pòſt propoſitionem pro more cujus tibi adnecto copiam. *Acceſſio equeſtris ordinis ad ſenatum*

Poſt finitam Cardinalis propoſitionem redierunt Nuntij ad circulum ſuum, ſeſſioniq; die in veſperam vergente finem dederunt, ut & ego hiſce literis.

COPIA PROPOSITIONIS

A CARDINALE PRIMATE FACTÆ ET SENATUI EQUESTRIQUE ORDINI INSIMUL JUNCTO INTIMATÆ die ut ſuprà.

A Confœderatis in ſuffragia ventis altiſſimo mari projectam Reipubl: navem, tot fluctibus & procellis quaſſatam, poſt tanta anni præteriti tormenta, laceris velis ad locum quietis & ſecuri-„tatis manuduco. Duco illam viâ dolorum & abundantium miſeri po-„puli lacrymarum canali, depono in arſenale libertatis & clypeis for-„tium reſtaurandam. Jam minus ſum ſolicitus, quando ad ſananda vul-„nera medicum, & ad leniendas injurias promptam manum præſentis „conſeſsûs lætior ſpecto, & video adhuc ex ruinarum fragmentis bonæ „ſpei anchoram, quam manus Domini ad hanc uſq; diem fortunam pu-„blicam portans conſervat. Huic ergo providentiæ humillimas reddo „gratias, & miſericordiæ Domini, quòd non ſimus conſumpti, Senatui „& equeſtri ordini optimam ſalutem, & præteritas tempeſtates in affectu „gratulor, & ad propoſitionem præſentis conſilij accedo. Oblivioni tra-„do præterita præſentium ſolatio; Non revoco in memoriam crudio-„rem Septembrem lætiori fruens æſtate. Ille enim ſi naturam lætitiâ „ac jucunditate ſpoliat, ſi colores in plantis & arbuſtis mutat, ſi cun-„cta ad ariditatem diſponit, quid mirum, quod ſicut Abrahami quon-„dam aries, ſic & meus gentilitius virentia non inveniens paſcua in ve-„pribus hæſerit. Venimus huc nunc fata Reip: in melius converſuri. Se-„demus ſub dio, ut tanquam liberæ gentis diaphana videantur corda, „aperta conſiliorum arcana. Ad facilitatem omnium conſiliorum & a-

A.C.1697 „ctorum opus est gubernatore, significatore, & annuali, ut eum Astrologi „vocant, Domino bono & gratioso. Significator hactenus erat parum amicus „cuncta pro libidine statuens, cuncta evertens. Exinanivit Dominus ille an- „nualis Regnum nostrum, misit illud sub tributum, sangvinem miserorum „populorum continua arietatione emunxit, urbes, civitates, oppida, vil- „las in solitudinem convertit, ad eam reduxit necessitatem, ut vix sit qui fran- „gat panem, quod quantumvis liberæ genti non conveniebat & armatæ li- „bertati dissimulare, bene tamen cessit bono publico patientia nostra, quan- „do totum peregit pacata potestas, & ex re assumpto è placito consilij Var- „savienssis tractatu, dissolutus sine offendiculo hic nodus, exercitus felicissi- „mè ad obsequium Reipub: & obedientiam rediit; Tempestas quæ præsen- „ti actui electionis minabatur, in malaciam versa, debetur hæc pacati orbis „gloria commissarijs ex utroque ordine à Republica sæpius fatigatis, debe- „tur sumptui, laboribus, vigilijs, tot repetitis Leopoli & Samboriæ conatibus. „Quoniam verò intra verba tantùm gratitudo mea consistit, leve autem „donum pro magnis laboribus, dicere laudes, plenæ & integræ Reipub: „statibus eosdem recommendo.

„Ecce Deo laus, honor & gloria quamvis quassatam, integram tamen „in sinum vestrum repono Rempub: nihil mihi adscribendo miseri orbis ba- „julus, bonitati omnia divinæ, quòd sub tam gravi onere, & multò magis „graviori adhuc invidia non succubuerim, inter syrtes navigando retinue- „rim dulcis libertatis carinam.

„Explevi humanitatis officia cum amicis, stabilivi cum vicinis securita- „tem legationibus, missionibus, correspondentijs, habeo ad manum omni- „um humanissima responsa ex decore & æstimatione Reipub: Imperatori „augustissimo in puncto ulterioris colligationis cum Czaro Moschoviæ, & „Repub: Veneta contra communem Christianitatis hostem, respondi ex „mente consilij summâ cautelâ. In limitibus Regni constitutis fortaliti- „js providi ad proportionem virium thesauri Regni. Cum exercitu con- „fœderato tam Polono, quàm Litvanico nihil intentatum reliqui, repetitis „tractatibus, quæ tandem illo, quo minimè credebatur tempore, optatum „habuerunt finem. Obstiti in illegitimis prætensionibus, opponendo me u- „surpatæ violenter panis hiberni extorsioni, reducebam ab ingressu in visce- „ra Regni minas, pericula, inimicitias, & mille molestias confœderato- „rum sustinui, & majora pari constantia pati paratus, si illud commodum „Reipub: & decus publicum requireret. Unum passum absque communica- „tione destinati ad latus meum consilij non feci, & proinde labi non potui. „Recipiebam, audiebam variorum Palatinatuum & districtuum per legatio- „nes allata desideria & illis efficaciter, quantùm in me erat adstiti, eorumq; „voluntates executus sum. Hæc tantum infelicitas mea erat, quod una tan- „tum manu, uno ore, tempore tam laborioso, quo centimanum oraque „centum ad labores habere oporteret, agere debebam. Omnia tamen hæc „erant accessoria, nunc in præsentia vestra magni operis consummatio pu- „blicæ felicitatis exordium, calamitatum periodus, electio ejus Regis qui „Majestati tanti consilij possit respondere: veniunt in arenam tot concur- „rentes, præsentant se per legatos, & ablegatos, examen, censura, & dele- „ctus penes nos restat. Est hic præsens præter nuntium Apostolicum magni „Imperatoris Christianorum legatus Episcopus, & Princeps Passaviensis qui „solus & unicus formalitates legum nostrarum observavit, missis ad me „Imperatorijs literis adventum sui Imperatorij legati intimantibus, & non „prius limites Polonos prætergressus, quàm obtentis à me literis liberi pas- „sus, & sufficientem ad iter ulterius perficiendum securitatem. Non erant „alij tam religiosi in observandis legibus & prius Varsaviæ stationem, & com-

moditates

„ moditates sibi providerunt antequam mihi de adventu suo nunciassent. *A.C.* 1697
„ Magnus Regis Christianissimi legatus ante obitum Regis venit & con-
„ tinuo manet. Electoris Brandeburgici speratur legatus extraordina-
„ rius, Ablegati sunt ab electore Bavariæ, & comite Palatino Rheni, Prin-
„ cipe Lotharingiæ, & Principe Odeschalchi nepote Innocentij XI.
„ Quivis illorum deponet in hoc loco onerariam suam. Si vero malevo-
„ lentia cujuspiam lædere vellet fidem & honestatem meam, & dare sub
„ censuram, quasi alij Ministri in Poloniam ducti fuerint, livor est, qui-
„ cunq; cum charactere venit, notus est, qui privatus est, quis tenetur
„ de illo scire? Non habet nostrum regnum Polonicum Chinenses mu-
„ ros, & mœnia; imo de illo dici potest, quod de illa Græca urbe, quæ
„ tot latissimas habebat portas, ut quidam inclamaverit: Cavete cives,
„ ne civitas vestra per muros exeat, non verò tantùm secundùm con-
„ suetudinem insinuo & denuncio tam magnorum Monarcharum nomi-
„ na, sed vel propter id, ut habendo domi tot censores totius quasi or-
„ bis oculos in tam solennem actum conversos, cuncta ex decore, pro
„ gravitate tanti actûs, & tam gloriosæ nationis peragamus; excludan-
„ tur proinde, & procul expellantur sub hoc consilij tempus omnes diffi-
„ dentiæ, partialitates, odia, inimicitiæ, factiones, consiliorum o-
„ mnium venena, procul sint jurgia, contentiones, & omne id, quod
„ nomen consilij possit maculare. Securitas electionis principale & pri-
„ mum momentum. Notæ sunt omnibus artes, quibus libertas opprimi
„ potest: Vivendum proinde & agendum cum tanta præcautione, quam
„ majores nostri in similibus conjuncturis observabant, cui nocebimus?
„ si non nobismet ipsis, si exterorum magis in eligendo Rege, quàm no-
„ strum proprium considerabimus interesse? Invocanda proinde Spiritus
„ S. gratia, & invocanda non ore & labiis, sed toto corde, resignando vo-
„ luntates nostras voluntati Divinæ, ut indigitet nobis, quem elegit, si
„ secundùm cor suum, non resistamus Spiritui S, si in pœnam & flagel-
„ lum pro peccatis nostris supplicemus ardentissimè, procidamus ante
„ faciem ejus, ut mutet decretum, & hoc erit nobis signum gratiæ, vel
„ iræ Divinæ, si in concordia, amore & charitate procedemus, signum
„ erit, quòd in medio nostrî habitet DEus, si in discordiis, dissensioni-
„ bus, diffidentijs, evidens erit, quòd longè sit à nobis. Securitatis in li-
„ bera electione interest ut provideatur securitas civitatis & arcis Cra-
„ coviensis, non tanquam limitanei fortalitij, quoniam ex vicinia nul-
„ lum imminet periculum, sed ut depositorio coronarum, clenodiorum
„ Reip. ad quas, & quæ potest illicitus oriri appetitus ne aliquis sine ju-
„ re, sine universali assensu, sine nominatione manum extendat. Provi-
„ sa internâ & externâ securitate, accedendum ante omnia putarem,
„ ad pacta conventa conficienda, ad exorbitantias connotandas, ne ex-
„ clusi tempore debeamus illo tempore pacta conscribere, quando ele-
„ ctus Rex oratiuncula jam in præteritis electionibus audita nobis re-
„ spondeat, quòd electus mereri velit, non mercari coronam. Exorbi-
„ tantiæ quoq; difficile regnante, & in throno sedente Rege connotan-
„ tur, quia veniunt certa quæ nobis sunt utilia, & Regibus parum grata.
„ Cogitandũ vel maximè ut confirmetur in obsequio exercitus, ut debita
„ satisfactio illi provideatur, ne nutet in fine ad obsequium, ut educa-
„ mus extra limites illum, utq; futurum regnantem non ad confusionem,
„ disordinem, & ad vastam solitudinem adducamus, ne loco faustarum
„ acclamationũ & lætarum, vivat, planctus & ejulatus in viis & transitu
occur-

A·C·1697 „occurrat, & audiatur, reliqua suggeret prudens vestra solertia, Palati-
„natuum & Districtuum instructiones. Debilius enim pectus in longi-
„orem excurrere sermonem non permittit. Finio proinde votis & af-
„fectu tanquam Remp: amans filius, & tanquam pastor benedictionem
„impertior: Benedicat Dominus primis & novissimis, & descendat su-
„per vos Spiritus Sanctus.

LXVI.

AMICO CONFIDENTI

Varsaviâ 19 Junij

Deputati ad judicia capturalia, coæquatio jurium in M. D. L. & manifestatio authoris confœderationis urgetur.

Deputati ad judicia capturalia

Magno motu electus comitiorum præsentium Mareschalcus supremus Regni Camerarius, salutato senatu & propositione à Cardinali facta, redux ad circulum equestrem ab electione deputatorum ad judicia capturalia incepit, nominando ex majori Polonia Kierscium, Sapieham Plocensem Capitaneum, Szymanovium tribunum Varsaviensem, Gązowscium Dapiferum Bilscensem, Mnichovium, & Wyrozomium, sed huic ultimo Palatinatus Belsensis contradixit, quod fuerit causidicus tamq; fortiter obstitit, ut alius in locum ejus, hoc est Siemianovius judex Castrensis Sandomiriensis substitui debuerit. Ex Litvania Prozor, Szczyt, Zaranek, & Szyrvinius. Subsequi debebat lectio ordinis electionis, sed disputabatur, utrum Sigismundi, Casimiri, Michäelis, an ultimi regnantis legenda esset? Litvani voluerunt Anni 1575. non permittendo ultimam confœderationem, eò quòd esset contra liberum jus vetandi. Legit eam secretarius Mareschalci, sopita primò quâdam interveniente ex M. D. Litvaniæ controversia. Proposuit pòst Mareschalcus ut Deputati ad judicia pro more in præsentia duorum ordinum explerent juramenta, insinuando, commodissimum esse tempus expediendæ audientiæ nuntij Apostolici, cui sua dies danda est. Sed Palatinatus majoris Poloniæ & Lublinensis alijque multi nuntij huic audientiæ contradicebant urgentes ut prius nomine Sanctissimi renuntiet prætensioni ad conferendas Abbatias cum præjudicio juris Patronatûs Regij.

Ordo electionis

Collatio abbatiarum à nuntio Apost.

Alij censebant prius inquirendum in authorem confœderationis, alij ante omnia urgebant coæquationem jurium M. D. Litvaniæ cum juribus Regni, sed has materias, dies ad vesperam vergens differre in crastinum coegit.

In quo persvadere volebat Mareschalcus Litvanis harmoniam animorum, & unionem sensuum, tanquam in una natis Patria, utpote quos inter hactenus bene convenerat, sed illa vox interrupta à Wołovicio, nunquam se permissurum constanter asseverante hujus materiæ ulteriorem dilationem, eò quòd maximum vivendi pacatè impedimentum sit, quod ex crastino pendet, coæquationem hanc promovit deducendo, omnes Litvanos idem sentire, quia aliter sentire non possunt, necesse enim est ijs eadem placere, quibus nisi optima placere non possunt, exinde declarando in libertatem promanantia emolumenta, vindicationem status equestris, à Ministris Ducatûs Litvaniæ, qui fascibus à Rep: collatis in oppressionem nobilitatis abutuntur, & si nunc remedia non adhibeantur, nihil mutatum iri, quia certa expectantur, dubia metuuntur. Nec impedimentum à novitate obest, quandoquidem in correctione jurium Reip: pro exigentia occasionis, facti, temporis, non est novitas, sed ne-

Litvani urgent coæquationē jurium

cessitas

ceffitas justitiæ civilis. Neq; timenda (hæc enim in contrarium pars adversa proponebat) subsecutura eversio status M. D. Litvaniæ, quia hæ libertationes in fundamento libertatis promoventur. Frustra etiam ostenditur tempus breve ad perficiendum tanti momenti opus, cum citra impedimentum consiliorum Reipub: designari possint Commissarij, qui id negotium extra tempus sessionum trutinent, & perficiant. Reposuit Godebius dato Panegyrico Palatino Vilnensi, quod hanc coæquationem libens permittat modò Senatus cum equestri ordine circa hanc materiam desudare velint. Juvit coæquationem urgentes Rydzinius Surrogator Posnaniensis allegando, quòd cùm Respub: sit tutrix, oppressis subsidium dare teneatur, nec ullubi melius implorari possit, sicut nullibi injuriæ quævis convenientius deponi, quàm in sinu ejus, quando nos miseriarum suarum faciunt participes, leviores videntur fore dum eas in sinum Reipub: deponunt, cum ita à nobis hoc petunt, ut ardentius ac majore studio petere hoc quidem tempore nihil possint. Nec tam mirandum quòd petunt, quàm si adeo oppressi non peterent. Porrò Quirites libertatem perdiderunt, nonne fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia? Recursum ergo ad nos facientes sublevare omnino tenemur, si enim dissimularemus arcere, quod possumus, crimen nostrum faceremus. Morbi qui negliguntur, occidunt, non ægri, sed medici vitio. Attigit præterea exaggerationem non multis, sed efficacibus verbis gravis in honore illibato personæ & antenatorum injuriæ & calumniæ Generalis Majoris Poloniæ, non tam se amicum ejus asserendo, ut eodem tempore inimicus sit Patriæ, aut propter amicitiam bono publico velit esse injurius, hoc addito: Ego illum colere & observare non desinam, nisi ille is esse, qui fuit semper in Rempub: desierit, quandoquidem usq; nunc sermones ejus semper ad verum intenti. Cujus est natura hominis avida, amicitiam ei testabor, donec enormitas objectionum illi probetur. Prope est, ut libenter damnet, qui citò. *A.C.1697*

Interim hi qui coæquationem promovebant, impediendo quasvis voces, quæ illos eludere potuissent, turmatim iverunt ad Mareschalcum, & furibundi instabant, ne distribueret ulterius voces, donec materia coæquationis finiretur, partialitatem cum oppressoribus libertatis ipsi opponendo, eo addito, non spectari quo animo faciat, cum id agat quod facere vitiosum est. Męczynius Vielunensis Capitaneus dixit: pulverem olympicum colligit, qui grandia tam brevi tempore concludere cupit, cum tamen etiamsi aliquid incipiat, semper tamen debet metam properare ad unam, & distingvere specie quidem vicina, re autem inter se diffidentia. Non tantùm in Litvania, sed & in regno multa vulnera & cicatrices sanari deberent, nisi egestas temporis omnes heroicos impediret conatus, feramus, non culpemus, quod mutari non potest, nisi prævio totius nobilitatis consensu, & deliberare de utilibus mora est tutissima. Quæsivit proinde an non justius esset incipere à judicijs Capturalibus (sic vocantur judicia in omnibus Palatinatibus & Districtibus sub interregno constituta in quibus causæ facti non juris examinantur) in quibus tam multi injuriati justitiam sitiunt, tanquam rorem matutinũ. Compellavit per apostrophen Mareschalcum, ut vestigijs insisteret antecessorum suorum inquirendo consensum in qualibet materia, tribus vicibus consecutivè. Optimum est majorum vestigijs insistere, si rectè præcesserint, ne flectantur in abusum antiqui usus. Ostendit Mareschalcus in vim responsi omnimodam ad parendum omnibus desiderijs ordinis equestris promptitu- *Cōtradictio Męczynij.*

Vu dinem,

A.C.1697 dinem, & quæsivit an consentirent in deputationem pro coæquatione, cum ob angustias temporis hic decidi non possit, consentientibus ferè omnibus

Contradicit coæquationi Succamerarius Vilnensis.

Succamerarius Vilnensis Dabrovius contradixit, asserens id fieri sine consensu senatus nullatenus posse. Quæsivit idem utrum coæquatio jurium promoveretur in toto vel in parte? quia si in toto, tunc totum statutum Litvaniæ abolendum est; si in parte? tunc constare debet, in quibus id prætendatur punctis. Insuper quoniam cassatio statuti Litvanici succedere debet, expiscandi erunt animi in comitiolis nobilitatis, utrum indigenæ Litvanici in id consentiant? nihil nobis gerendum est quod postea excusandum esset, ita plerumq; jus eliditur, vis quæritur, querelas struunt, jaciuntq; læsi, ut lædant. Differendum negotium hocce, ne nobis accidat, quod venit ambulantibus in labyrintho, ipsa illos velocitas implicat. Consilia ergo rebus aptemus. Quomodo enim materiam ad totam nobilitatem pertinentem sine consensu nobilitatis statuere, decidere, & concludere præsumemus? audito eo sermone pars coæquationem promovens, iterum turmatim Mareschalcum adijt tumultuaria acclamatione declarando, quòd quicunq; contradicere

Glogovij temerarium facinus.

vellet, pro hoste Patriæ sit reputandus. Tandem Glogovius frameam manu tenens per totum circulum ivit, quærendo quis est Succamerarius Vilnensis? ut obstinatum & contradicentem (ut clamabat) redderet molliorē quam violentæ aggressionis speciem, videns Dabrovius respondit temeritas est damnare quod nescias, nisi vitijs nostris nomen virtutis imponamus, si distingvere quis vellet causas sermonis mei, inveniret alias esse, alias videri Non contradico, sed informari volo, quomodo hæc coæquatio fieri debeat? tum Glogovius quamvis ei satisfactum videretur, tamen clarâ & distinctâ voce Mareschalco declaravit, quòd nisi deputationem hanc destinaverit, ad electionem alterius Mareschalci, qui non sit partialis accessuri sint. Magnus inde ortus tumultus, post quem sedatum, petijt Mareschalcus, utrum sit consensus pro facienda hac deputatione; supra unam horam impensum tempus conscriptioni deputatorum, cùm ex quolibet Palatinatu duo notari debebant, unde fremebat nobilitas, quòd multum temporis huic notationi impenderetur, tanquam de industria, ut hæc materia differretur. Cum verò post notationem, utrum sit consensus ad legendos deputatos, quæsierit Mareschalcus, contradixerunt noviter venientes juvenes Sapiehæ, sed cum omnes nuntij ad eos accessissent, nec se unquā derelicturos eos qui opprimuntur & contra eos unanimiter acturos qui coæ-

Oginscius pro coæquatione.

quationi sunt contrarij asseruissent, Oginscius etiam positivam à Repub: realis subsidij habuit declarationem, cum declarasset in defectu ejus quæsiturum se alicujus Principis extranei protectionem, idq; publicè declarare voluit ex hac præcipuè ratione, ne ignorantia prætenderetur, sic adversus inimicos auxilia circumspicienda, quibus illos aut arceas, aut compescas, si quod optimum est, placari non possint. Prætereo hic multas calumnias, quas fervor dictabat contra domum Sapiehanam, & vix opera & labore Mareschalci restituta est facies equestri ordini, qui per viscera Patriæ patientiam ad cras petijt. cum obstantibus tot difficultatibus finiri eâ die hæc materia non potuerit, spondendo invenienda media facilitationis, ita ut credere possit, quod reconciliatio sit & facilis & certa. Hæc tamen propsitio non est acceptata. Buholcius interim ex Livonia nuntius intulit, quòd ab Anno 1630: videamus semper quæstionem motam de coæquatione jurium, unde optandum ut tandem id quod neglectum est, ad orbitam reducatur. Sed hoc fieri nullatenus potest sine statu, qui statum modernum orbatum

Deputati ad coæquationem.

integrat. Tandem post multas controversias permissa est lectio deputatorum ad coæquationem, eò nihilominus præcauto, ut limitatam habeant potestatem, unicè ad informandam Rempub: hac materia finita in vestigatio

tio Authoris confœderationis in craſtinum dilata. *A.C.1697*

19 Ergo hæc materia à Mareſchalco incepta ut author confœderationis propalaretur, ne liceret in poſterum graſſari in Rempub: malignitati, ſed interim Litvani ſuam materiam coæquationis reaſſumpſerunt, & evicerunt, ut declararetur deputatos non eſſe declaratos ad informandum, ſed ad concludendum, ſpes dubia grande cordis ſupplicium, tantoque acerbius quanto illa major non incertis ſignis ſe prodebat in Litvanis. Plenus proinde minarum Oginſcius declarabat, quòd ſi hæc materia ulteriorem difficultatem paſſa fuerit, ampleĉtetur Litvania Tribunal Regni, Duces exercituum Regni ſequetur, Miniſtros ſuos excludet, ita confundimur invicem & mutuis vulneribus cadere volumus. Confuſa hæc turbida nonne vicinū denotant occaſum? ut integritas ſit & unio perfecta Reipub: non deſtinctio. Intulit poſt Peplovius medium facilius, quàm illud quod erat concluſum, hoc eſt, ut projectum fieret compendiosè exprimens illorum illationes. *Imo* videlicet ut Tribunal M. D. Litvaniæ ſit ad normam Tribunalis Regni & longi proceſſus, aliaque juris beneficia amputentur, quæ immenſa adferunt damna, ad jus vocatis. *2do* ut exercitus qui eſt illi gravis ſub diſciplinam cogatur militarem. Adjunxit etiam conveniendos illos, quorum prærogativa vertitur, hoc eſt Duces & Cancellarios publicoque nomine rogandos ut remittant de privilegijs ſuis, quæ illis Reſpub antehac indulſit, proponendo illis pacificè, hos fasces non ſemper in domibus eorum hoſpitaturos cum palàm ſit aliquas domos decreſcere, aliquas elevari, multos diu iacuiſſe, & pòſt in altum repentè ſublatos, multos diu in ſublimi ſtetiſſet momento dejectos. Et ipſos non inſiſtendo juribus ſuis, poſteritati ſuæ fore injurios & nocivos, optimum hoc medium viſum eſt multis, ſed plurimis etiam non placuit, qui ſe eſſe contentos deciſione jam facta declararunt. *Peplovij ſententia.*

Incepta pòſt inveſtigatio Authoris confœderationis & voce ſumpta Odolanovienſis Gubernator intaminatum domus ſuæ exaggeravit honorem, & quod nulla unquam labes in ea inventa ſit, imo vividus ſemper in publicum viguerit affectus. Inveſtigatio autem Authoris melius fieri non poteſt, quàm ut hic compellatur ad probationem, qui publicè objecit, (ſuum quiſq; honorem in conſilio habere debet, qui de lædendo alieno deliberat) petens præteritum Directorem, ut ipſe delatorem hunc enucleare velit, ad quod Humieniecius reſpondit, quoniam vocor in teſtimonium, nolle non poſſum, quod facere debeo, non poſſum illud veritati denegare, dicoque Gruſcinium publicè intuliſſe copias literarum certarum cum affecuratione vidiſſe ſe originalia, ex quibus manifeſtè patet author confœderationis, ſtringatur ergo referens ad productionem originalium. Subintulit Leſcinius, ut qui privatæ libidini publicam accõmodare præſumebat authoritatem, judicaretur cum in tanto falſorum fallentiumque populorum numero non eſt qui verendus ſpectanduſq; non ſit. Quod in craſtinum dilatum poſt audientiam Nuntij Apoſtolici, contra quam iterum Majoris Poloniæ Nuntij præcaverunt, ne Nuntius audientiam haberet, donec materiam juris patronatus Regij reſolverit, ſed hanc materiam à Cardinali Primate ſopiendam Mareſchalcus certò promiſit.

A.C.1697

LXVII.

CARDINALI BARBARINI,

Varſaviâ 20. Junij.

Nuntius Apoſtolicus habet audientiam. Defenditur Palatinus Lencicienſis, Horodimus inſimulatur author confœderationis.

SCio quæ negotia te circumſtent, implicent atque abripiant ſæpe invitum, ac proinde, juſſu tuo brevia relata, quanquam examinanti longiora, dignâ memoriâ, laudáne an vituperio ſæculorum dubius hæreo, omnia tamen quanquam obiter commemoranda duco, ne quidpiam hic actorum ignores. Non excuſo verò & temporum ſortem, & culpam communem, quod poſt tot tantasque difficultates, diverſa ſtudia, æmulationes, controverſias, tam tardè electus Bielinius Supremus Regni Camerarius in Mareſchalcum, quamvis omnia fecerit quæcunque poſt mutuam ſenatûs cum equeſtri ordine ſalutationem fieri poterant, ut tarditatem electionis hujus, celeritate ulterioris conſilij compenſaret, tamen non multum adhuc fecit. Poſt aliquas ſopitas materias auditus eſt nuntius apoſtolicus deducentibus eum ex domo ejus ad circulũ equeſtris ordinis, ubi ſenatꝰ quoque præſens, duobꝰ Epiſcopis, me ſcilicet & Kijovienſi, Palatino quoque Poſocenſi; ex equeſtri autẽ ordine tres erãt, Szczuka culinæ Regni præfectꝰ, Dziduſzycki Capitaneꝰ Zidaczevienſis, & Gielgut Notariꝰ Litvaniæ; Exceptꝰ eſt in limine à Miniſtris ſtatꝰ cũ duobꝰ Epiſcopis Poſnanienſi & Vilnenſi. Locum accepit penes Primatem & Archiepiſcopum Leopolienſem. Brevia duo reddidit, ex quibus unum ad ſenatũ pertinens. Magnus Regni Secretarius legit, ſecundum quod ad equeſtrem dirigebatur ordinem Mareſchalcus Comitiorum, in quibus benedictio erat Apoſtolica, pòſt vota, ut feliciter electio hæc ſine præiudicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ fiat, dum verò ab aliquibus fortius impeteretur de iure Patronatûs Regni, clarâ voce declaravit, quòd ſummus Pontifex ad inſtantiam Reipub: recedat à proviſionibus ad Abbatias, & promittat inveſtiendos tam eos, qui fuerunt à Rege defuncto nominati, quàm qui in futurum nominabuntur. Poſt Cardinalem gratias egit Mareſchalcus ſummo Pontifici tam pro benedictione Paterna, effectu in Rempub: quàm etiam pro declaratione iuris Patronatûs reſpectu Abbatiarum. Poſt hæc reductus ab iiſdem domum, qui adduxerant, abſcedente eo Łaccius homo turbulentiſſimus inſcendens ſuum ſcamnum clamore valido cœpit aſſerere, Reginam cum Principe Iacobo confœderationem militarem feciſſe, documenta authentica hujus penes Dominos Theſaurarios Regni & Litvaniæ eſſe, utque ſine dilatione legerentur petijt. Voluit loqui Theſaurarius Litvaniæ Sapieha, ſed non permiſſus à Czerminſcio proponente, illi obſtare certum contumaciale, quod condemnatio vocatur, quamvis multi aſſeveraverint, non obſtantibus hiſce decretis cuivis liberum eſſe in comitijs electionis loqui, & Rempub: informare. Interim Odolanovienſis Capitaneus præſentes Theſaurarios compellavit (nemini ſuæ ſimplices videntur incuriæ) ut in facie Reipub: dicerent, an Pater ejus (qui tum infirmabatur Palatinus ſcilicet Łencicienſis) in his ſcilicet documentis author confœderationis militaris appareat? & cum illi reſpondiſſent, non ipſe; ſubſumpſit. Videat ergo Reſpub: quanta labes innocenter in eum injecta? Petijt pòſt Gruſcinium, ut id probaret, quod nuper objecerat, & in quantum non probaverit, quod objecit, ut pœnâ talionis puniretur, cùm nõ liceat intaminata nomina innocenter temerare, invocabatque præſentiam & autho-

Nuntius apoſtolicus adducitur pro audientia

Relinquitur jus patronatus ad abbatias

Regina cũ Principe Iacobo inſimulatur confœderationis inchoatæ.

Odolanovienſis Capitaneꝰ agit cauſâ Parentis.

Contra Gruſciniũ

& authoritatem ſenatûs, ut è tenebris calumniæ clara erueretur veritas. Ex- *A.C.1697*
cuſabat ſe Gruſcinius (tanquam caſu concuſſus acerbo) privilegio libertatis, ſcilicet licere dicere, quod libet, nec id inter culpas, ſed mores habendum, & libertatem ruituram, ſi hoc vallum corruat. Dixiſſe ſe falſus eſt, *Hic ſe tuetur* eum non eſſe capacem directionis comitiorum, qui haberet dependentiam à Regina, cum in originalibus eidem fabricatio confœderationis impingeretur. Concludere vero de dependentia facile & infallibiliter potuit, difficile enim eſt ſolem tegere, ne per nubes radios ſuos ſpargat. Quid verba examinamus cùm facta videamus? Non tantum ſæpius idem Palatinus publicè locutus fuit, quòd minimè ſe puderet eſſe ſervum domeſticumq; Reginæ, ſed etiam re & actu eum eſſe videmus. Erant aliqui qui in favorem vocis liberæ præjudicatum ſub Sigiſmundo III. allegabant, quòd ſcilicet inde ille contra Regem inceperit Rokoſz, quòd Nuntius quidam quamvis à vanæ captatoribus auræ inductus contra Majeſtatem in comitiis loquens fuerit redargutus. Ita nulla eſt cauſa, quæ pro cujuſq; opinione ſuâ deſtituatur ratione. Auditus eſt pòſt Broniſzius Capitaneus Pyſdrenſis aſſerens verum quidem eſſe, quod ex viſceribus Patriæ noſtræ hæc proprietas nata ſit, ut quicúnq; vocem liberam eripere vellet, pejor ſit cane & angve, ſed quando quiſpiam audaciâ ſumptâ, non audientiâ, impoſturas titulo liberæ vocis intaminatam cuilibet lædit & eripit reputationem, & honorem non libertatem ſed tyrannidem exercet. Verum quidem eſt, quod liceat ſentire, quæ ſentias, ſed immodicus libertatis uſus ſervitij occaſio eſt, & hunc habet exitum felicioris fortunæ intemperantia, quod nimio uſu intereat. Hæc libertas unicè regulatur (niſi nec boni intellectum nec mali curam habeamus) ad ſenſum circa bonum publicum, non ad id ut aliquid objiciatur alicui injuſtè, ut aliquis in honore patiatur, & reputatione, ac proinde juſtè quivis, præcipuè autem nulli exoſus niſi publica calamitate lætis, requirere poteſt, ut probetur, quod objectum eſt, & probans, ſi in probationibus ſuccumbat, puniendus; opprimatur juſtè, qui injuſtè ſe erigebat. Liberæ vocis prærogativa non debet patrocinari calumniatori. Petiit ergo tã Senatum quàm equeſtrem ordinẽ per viſcera Patriæ ut judiciũ inſtitueretur. Licetne quempiam ſpoliare fama? nonne hæc delicata libertatis eſt pupilla? ſi inde conſequentia formatur, quòd Palatinus Lencycienſis (qui extorquet etiam ab ijs cultum, à quibus fidem non ſperat) quia ſæpius ſe declaraverit Sereniſſimæ Reginæ domeſticum eſſe, nonne à condita Repub. habebant ſemper Reginæ ex præcipuis Senatoribus Mereſchalcos? juſtúmne hoc eſt fundamentum calumniandi? mirabilis hæc in oculis noſtris metamorphoſis, quod (ita vulgus mutatur ad cujusvis venti afflatum) inveniat odia eorum, quorum favores promeritus, & nunquam tam multos ſtudioſos habuit, ut non plures nunc inveniat obtrectatores. Hæc hominum conditio, ut nulla animalia ijs mutentur facilius. Non ita pridem in intemeratæ virtutis documentum Palatinum Lencicienſem Patrem Patriæ vocabamus, & nunc multò aliter fieri intelligimus, cum occulta vi fatorum, tam injuſtè perdere eum deſideremus? Summa hæc eſt infelicitas ejus, quòd infirmus hic non compareat, nec loqui poſſit, clarè enim & evidenter injuſtè eum peti videremus. Nunc tantum per unigenitum & hæredem ſuum recurrit, compaſſionem invocat, ad juſtitiam appellat, inſtat, ut ipſi probetur, quod eſt objectum, fiducia virtutis hæc facit, & præſtanda ſibi ſpondet, quæ ſcit deberi; Precatur ut Theſaurarij procurent delatorẽ, nolens eos ipſos in id involvere, & palàm erit; innocenter nomẽ ejus lapidatum fuiſſe. Oppoſuit ſe unus ex parum amicis Broniovius inferendo ad illud uſque tempus affectum & confidentiam Palatinatuum fraternam in Palatinum viguiſſe quoadusque veritatem Reginæ diceret, jura & leges Patrias

Broniſcius reponit agitq; cauſam Palatini Lencicienſis.

Broniovius contra Palatinũ Lenticienſem

 trias

A. C. 1697 trias defenderet sed cum universales literas abusivè ad nobilitatem extradere cœperit, debuit confidentia refrigescere, mutatis rebus, mutata sunt nomina.

Compellatus pòst Thesaurarius Regni ad monstranda documenta, respondit Reipub: notum esse, destinatum se fuisse cum alijs commissarijs ad tractatum cum milite confœderato, ibi omnem curam adhibuisse, & studium, ut à malignis eos contra Rempub: retraheret intentionibus, in quo cum plures occurrerent difficultates, subortam suspicionem, aliquem esse, qui confœratos manuteneret & in pessimis propositis confirmaret. Inquisivisse se igitur omnibus modis, ultione & affectu seposito (habet hoc sollicitudo, ut omnia necessaria putet) in correspondentiam eorum, magis propter necessitatem publicam quàm ex privato beneplacito, & brevi res ex voto successit. Honestis consilijs Deus & homines favent, & casus egit virtutis opus, nam interceptæ sunt literæ, ex quibus patuit, Horodinium illum (non alius id fecerit magis ex affectu) qui confœderationem Varsaviensem ordinum immediatam ruperat, fomentare & Mareschalcum & cōsiliarios Samboriæ manentes. Quæ communicatio planè cum illo fuit impedita, quia quæ fortuita censentur mortalibus, destinata erant cœlo. Documenta quæ in manus inciderunt, produxisse se ijs, ad quos scire pertinebat, quæ & hîc celare se nullatenus posse, extincta credat quivis odia nō sopita. Nolle se tamen delatorem agere, hoc enim genus pessimum est, nec dignitati suæ competens. Neminem se condemnare velle, ex fidelitate tantum innata, omnia documenta pro informatione Reipub: reddere procul omni impetu ac odio. Cognoscet ergo Respub: à quo inflicta sunt vulnera tam in Regno, quam in M. D. Litvaniæ, respectu cujus sunt & alia documenta in manibus Thesaurarij Litvaniæ quæ prima confirmant, & vice versa à primis confirmantur. Accepta proindè hæcce documenta seu literas Mareschalcus, portavit ad Cardinalem Primatem, & nobilitas ursit, ut omnino legerentur, quod M. D. Litt. Nuntij impugnarunt, quòd coæquatio eorum tardius fieret, quàm periculum eorum desideraret, & cū hoc malo omnis infirmior esset medicina. Scilicet certo timore, incertâ spe inducti quòd negotium eorum coæquationis consultò impediretur, nihil aliud agere permiserunt.

Horodinius author confœderationis

Incusabat postea Primas varietatem voluntatum, & sensuum, quosdam desiderare illud, alios diversum urgere, & cum sol vergeret in occasum, solvit sessionem, cum promisso positivo, à lectione documentorum incepturum se futuram sessionem, post expeditam legati Cæsarei audientiam, quamvis multi ex equestri ordine audiebantur, nullatenus se permittere, ut hæc documenta legerentur, sed potius velle, ut per oblatam ad Cancellariam Varsaviensem deponerentur, ut quicunque voluerit, authenticam inde habere possit copiam &c.

LXVIII.

EIDEM CARDINALI,

24. Junij.

Audientia Legati Cæsarei, tumultus ob coæquationem. Juramentum exigitur à Primate.

Cum gaudio literas tuas accepi, & legi cum voluptate. De nostrarum verò rerum effectu, tanquam quæ alieni arbitrij sunt, nihil possum polliceri, & quando certum aliquid instituetur te non celabo. Interim hæc defero.

Destinatam fuisse 21mam currentis pro audientia legati Cæsarei,

ſarei, qui antequam veniſſet, nominantibus quibuſdam Glogovium turbulentiſſimum confœderationis auctorem, maximus exortus tumultus, ita ut etiam ad arma ventum, & aliqui ſint læſi, quem ſedavit rumor appropinquantis legati, is autem eſt comes Lamberg Epiſcopus Paſſavienſis, cujus natales ad magna eum vocant, ingenium ad ſumma, dotes in eo ſunt digniſſimæ vel admiratione, vel amore, quas coram viddraw, & miramur. Qui decentiſſimo comitatu à miniſtris ſtatûs introductus, quibus officium ſuſcipiendi incumbit. Locum accepit inter Mareſchalcos magnos. Porrectæ ab eo credentiales, Wyzyccio magno regni Secretario, in quibus tantùm titulus erat inclytæ Reip: legere proinde eas literas non permittebant nuntij, & expoſtulatum cum eo, quòd ſi vult audientiam habere in ſermone ſuo, titulum Sereniſſimæ Reipub. additurum ſe promittat. Excuſabat ſe ille more & conſvetudine antiqua, quod nempe à Domo Auſtriaca inclytæ tantum Reip: datus fuiſſet ſemper titulus. Solutus illi hic ſcrupulus, quòd ſcilicet hucuſque tantùm hanc tituli diminutionem patiebatur Reſpub, quouſque obligata erat, per certum ſcriptum ſub tempus Svetici belli datum pro ſubſidio illo tempore ſubminiſtrato unum ex Auſtriacis in throno collocare, quod quia non fecit, illo titulo ſibi aliàs debito ad certum tempus ſe ipſam ſpoliavit. Sed dum ſanctæ memoriæ Rex Ioannes Viennæ ſuccurrit, eamque ſalvavit, ex merito in vim gratitudinis ſcriptũ illud ab Imperatore recuperavit, & ad archivum Reipub: reſtitutum, & ab hoc tempore non poteſt recipere alium Reſpub: titulum, niſi Sereniſſimæ. Et monitus eſt, id non ex ſpeciali humanitate, ſed ex debito faciendum fuiſſe. Ita ille rationibus & neceſſitate convictus facile conſenſit, ſemperque titulum Sereniſſimæ Reipub: & quidem frequentius dabat. Multa in laudem gentis dixit Viennam in memoriam honorificentiſſimè pro nobis reduxit, & ad extremum nomine Principalis ſui Principem Iacobum uti Domus ſuæ colligatum ad coronam promovit, propoſitionesque nomine ejus impreſſas protunc publicari fecit, quas tibi annecto.

A.C. 1697
Tumultus arma miniſtrat.
Legatus Cæſareus.
Cur hactenus non datum dare debeat Reip. titulũ Sereniſſimæ.

Accidit res curioſitate dignã, quod cum magnus eſſet ſolis ardor, viſum fuit umbraculum ſuper caput Cardinalis Primatis, quod equeſtrem ordinem ſummè læſit, ita ut in medio ſermone legati Iabłonovius Pocillator Lomſenſis in hac materia tam fortiter aggreſſus fuerit Cardinalem, ut debuerit ob æqualitatem, & ad evitandum ſcandalum illud amovere.

Umbraculũ ſuper caput Primatis.

Vix finivit legere (ſic enim moris eſt ab antiquo Cæſareis legatis) ſermonem ſuum Epiſcopus Princeps Paſſavienſis, maxima quantitas ſangvinis ex naſo illi fluere cœpit, ideoque facto amplexu cum Cardinali & breviter ſalutatis Miniſtris omnibus poſt datum ſibi terminis generalibus à Cardinali & Mareſchalco reſponſum abivit.

Poſt abitum iterum incepit lucta, quæ diutius duravit inter hos, qui coæquationem promovebant, & illos qui de authore confœderationis ſeriam inquiſitionem. Pars Sapiehana arcebat lectionem coæquationis. Coæquatialiſtæ autem reſolutiſſimè urgebant habentes favorem ex compasſione magnæ Regnicolarum partis: Requirebat Mareſchalcus, quid unanimiter vellent, ſenſus Palatinatuum? & perſvadere voluit, ut coæquatio legeretur ad pacandam Rempub: ut hæc materia tam difficilis ſopiretur, propter quam tot pericula ſupportavit, & alia imminentia prævidebat, ſed Theſaurarius Litvaniæ omnino impedivit, unde

Tumultus ob coæquationem.

tumul

A.C.1697 tumultus & framearum extractio, quem tandem vix sedavimus. Locutus est graviter Cardinalis, indolendo, quod hæc arma quæ ad augendos & dilatandos fines Patriæ contra hostes vibrabantur, tanquam in campo Pharsalico (dolendum) acuuntur, unde magna imminent pericula, præcipuè Episcopis inermibus, & sola tantum Reipub: authoritate armatis. Persvadebat autem propositum à Palatinatu Sandomiriensi juramentum, optimũ illud esse medium judicando ad pacificandas intrinsecas diffidentias & ut id arriperetur svasit, declarando se primum præiturum exemplo, modo id solamen Patriæ adferret & quietem. Addidit insuper non apparere modum, coæquationem finiendi inter tot tumultus, qualis enim spes condendæ legis, cum & ipse Moyses audito tumultu, digito Dei scriptas leges in terram projecerit. Promisit tamen intra duos ad minimum dies quæsiturum se inter Principales media, ut corda eorum readunari possint. De hac pace multorum sermo, multa spes fuit, sed iterum langvescit. Et cum dies in vesperam inclinaret, solvit sessionem, & abijt. Remansit tamen Mareschalcus langvens, cum & Litvani & alij eum ad se traherent, & nisi Palatinus Vilnensis & Thesaurarius Litvaniæ redijssent & illum salvassent in magno fuisset periculo. Ita non dicebant illi se ejus amicos, sed probabant.

Tota dies subsequens combinationi privatæ data est, unde tardius incipere debuit sessio, satius enim credebatur tardum habere consilium & sanum, quam ut iterum ad extrema veniretur. Præcesserat Primatem Mareschalcus & cum in circulum venisset Palatinatus Majoris Poloniæ urgebant, ut sessionem inciperet, quod ille nullatenus se facere posse dixit, junctus enim cum equestri ordine senatus in manibus Primatis principium & finem sessionum reliquit, & præripi nequit munus competens Primati donec veniat, cujus adventum brevi fore declaravit. Insistebant alij ut solveret sessionem, sed nec id facere se posse dixit, cum eam non inceperit; venit pòst Primas, precabatur ut malatiam animorum præseferre velint, quoniam irritationes inter Principales sopire & restificare incepit, curandum ut tutò potiùs perveniamus, quo instituimus, quam ut citò. Quiescendum aliquatenus donec deseviat civilis hæc tempestas, quod tamen frustra meditabatur, & tentabat non favente eventu. Interim Mareschalcus, quamvis pericula obvenientia non timeret aut vitaret, nolens tamen temere ea provocare, aut accersere, petijt securitatem personæ suæ, cum fuerit privatim præmonitus insidias sibi strui. Incepit pòst ex consensu omnium projectum legere coæquationis, quo lecto dum consensum requirebat, auditæ sunt contra diversa puncta ejusdem projecti contradictiones, ita desijmus non solùm laudata facere, sed etiam laudare. Pro facilitando verò negotio destinatą est sessio mane apud Patres Dominicanos. Magnus deinde insurrexit tumultus contrą Primatem, quod tamdiu cum jactura temporis fuerit exspectatus. Et Palatinatus Sandomiriensis turmatim potentissimeque urgebat, ut eâ juramenti rotâ, quam illi composuerant juraret, cum jam antea declaraverit velle se omnem subire sortem cervice patiente quam Resp: dederit, etiam in præstando juramento, unde multæ eo nomine fuerunt concertationes. Allegabant quidam fidem ejus non tantùm publicam & tanti characteris authoritatem vocari in dubium non debere, cum præsertim novitatem id saperet, & aliàs nunquam fuerit practicatum. Dabantur & aliæ rationes, sed Palatinatus ex loco se movit ad Primatem, & ibi cœpit nobilitas habenas remittere, & Cardinalis honorem tangere, declarando nullatenus se permissuram, ut Cardinalis abiret, nisi prius prædictum expleret juramentum. Ita eminentia feriunt procellæ. Allegabant quidam æqualitatem, alij justum timorem, præterita & antiqua Domus ejus in memoriam reducendo, & quia hoc evincere non poterant, ut amantes, eò magis volebant.

Juramentũ exigitur à Primate

lebant. Quamvis jam & Cardinalis ad juramentum inclinaverat. sed Palatinatus majoris Poloniæ interrupit, urgendo pariter, ut documenta confœderationis factæ legerentur & cum eliet vesper, omnino urgebant multi, ut hæc documenta producerentur clarè & pleno die, non ad vesperam jam inclinante. Cum ergo Palatinatus Sandomiriensis juramentum, Litvania & major Polonia authorem confœderationis, & lectionem documentorũ mordicus urgerent, abijt Cardinalis Primas capta commodita tetè medio, futurum prævidendo tumultum, quod pro solutione sessionis acceptatum. A.C.1697

Audientia legati Galliæ non fuit, quæ ex turno esse debebat, ratio hæc obtendebatur, ne ex acerbatis plus nimio animis violatio juris gentium succederet. Dedit tamen Abbas Polignat legatus Christianissimi suum in publicum sermonem, quem si habuero mittam tibi. Legatus Brandeburgicus Baro de Oberbek solennissimum hâc eâdem die fecit ingressum.

Ut verò de Candidatis melius informeris, adjungo propositiones, quæ impressæ per manus omnium currunt. Accessit novus competitor Fridericus Augustus Elector Saxoniæ, sed cum de mutata ejus Lutherana in Catholicam religione non planè constet, hoc ipsum à quavis prætensione illum excludere debebit, cum sit contra primam & Cardinalem legem, ut aliquis alterius religionis eligi possit.

PROPOSITIO JOANNIS PHILIPPI EPISCOPI S. R. IMPERII PRINCIPIS PASSAVIENSIS S. C. MAJ. CONSILIARIJ INTIMI ACTUALIS, & AD COMITIA GENERALIA ELECTIONIS REGIS POLONIÆ LEGATI EXTRAORDINARII FACTA. In Campo Electorali ad Varsaviam 21. Junij Anno Domini 1697mo.

EXcelsus ille, seq; ipsô superior animus, quo Sacra Cæsarea eademq; Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Regia Majestas Europæ fata intuetur, & vincit, vix graviori unquam dolore percussus est, quàm dum ad reliquas Christianæ Reipub: calamitates Serenissimi & Potentissimi Principis, ac Domini D. JOANNIS III. Regis Vestri luctuosam bonis omnibus mortem accessisse inaudijt. Qua licet sibi Vicinum optimum, Confœderatum fortissimum, Fratrem amantissimum, Orbi Christiano barbarorum incursionibus concusso Atlantem alterum, sed huic præcipuè regno Regem, suorum Antecessorum gloriam vel adeptum, vel supergressum, uno ictu ereptum ingemuerit: fortissimis tamen solatijs funesti casus acerbitatem tolerat, dum Principem illum, ad superos quidem sibi semper propitios evocatum, vos tamen victoriarum illius socios & adjutores, quorum fidelitate, consilio, fortitudine, constantiâ res maximas gessit ut viduatæ Patriæ Patres, vivere & vigere superstites videt. Qui cum toto animo complexi Rempub: jacturam Regis pulcherrimo libertatis partu compensaturi ad hæc Regiæ Electionis comitia conveneritis, mihique de hoc negotio inter Europæa jam forsan maximo disserendi copiam humanissimè feceritis, non melius tam muneri meo, quàm expectationi Vestræ satisfaciam, quàm si augustæ mẽtis interpres benevolentissimos illius sensus retulero, qui me sui in vos

A.C.1697 amoris obsidem & legatum extraordinarium ad Generalia hæc comitia misit augustissimus Romanorum Imperator.

Hujus ergo clementissimo Nomine Eminentiâ Vestrâ, Reverendissimis atq; Illustrissimis Paternitatibus, Excellentiis & Dominationibus Vestris amicissimè salutatis, tam Sacerdotio, quàm Regno fortunatissimum votorum eventum, & Polonæ libertatis triumphum intimis è præcordijs apprecor palamq; contestor, S. C. Majestatem uti ab ipsis delati sibi Romani Imperij primordijs summæ sibi gloriæ duxit, tuendæ nobilissimi hujus regni incolumitati fidele consilium, fortem industriam, tum deniq; Imperatoriam & victrices aquilas admovere: ita mutuis contra Turcas auxilijs ad ampliores sui favoris testificationes excitatam subsidiariam Augustæ domus potentiam, tam contra Barbaros à Christianis forsan Christi oblitis excitos, quàm contra quoslibet libertatis Vestræ hac in Electione inimicos abundantissime polliceri, nihil verò magis ad plenum felicitatis Vestræ stabilimentum & incrementum, quàm bonum Regem optare.

Veram autem hujus idæam parum ad Poloniæ genium usumq; efformasset, qui vel ab ingentibus belli trophæis vel divitijs, vel à splēdidissima quadam sed sæpe oculis imponente magnificentiâ præcipua lineamenta duceret coloremque à summis illis, sed sæpe nimis & formidandis virtutibus peteret. Quis enim Julio Cæsare (ut recentibus exemplis abstineam) vel in pugnando animosior, vel in vincendo felicior, vel in largiendo copiosior, vel ad publicum decus magnificentior, sed quis etiam Romanæ Reipublicæ iniquior fuit? iactent ejusmodi Dominos per calcata Patria, & Regionum busta magni nomen adeptos, nationes aliæ post latè prolatos Patriæ fines domesticam servitutem passæ. Libertas Serenissimæ Reipub: non bellicosissimum, non opulentissimum, non splendidissimum & magnificentissimum quemvis, sed aptissimum & moribus Patriæ, genio Civium & fortunæ Regni convenientissimū Principem desiderat tam cautè quidem attemperatis inter se virtutibus ne in libertate natos, vel minimum ejus magnitudo premat, fortitudo terreat, opulentia corrumpat, magnificentia exhauriat. Qui omnem suæ gloriæ consummationem à Legum observantia, à senatus consilijs, à fide Serenissimæ Reipublicæ petat.

Talem autem uti sincerissimis votis sacra Cæsarea Majestas vobis auguratar, ita non aliunde post cæli gratias lætissimi hujus augurij effectum quàm è singulorum concordia & bona mente pendere existimat, quam si ad rectè intuendas Ecclesiæ & Reipub: rationes erexeritis: cedent confestim malè impressæ opiniones candidæ veritati, offensæ privatæ amori Patriæ, singulorum utilitas saluti omnium, nihil impedire vos possit, quin illi Sceptrum Sarmatiæ deferatis, qui non tam à vobis electus, quàm à Deo monstratus oblatusquè esse videatur.

Ad feliciorem porrò coronidem magno huic coronæ negotio imponendam ut libertate Vestra præclarè utamini Sacra Cæsarea Majest-

jestas ipsa vos hortatur atq; excitat. Tantum tamen ab humanitate Vestra sibi etiam promittit: ut sicut vos egregia libertatis Vestræ documenta daturi estis, pari modo etiam ille insigne aliquod suæ gratitudinis specimen his in comitijs edere possit. A.C.1697

Ut apertius agam Sacra Cæsarea Majestas toti quidem Poloniæ Regno, sed speciali quodam titulo Regiæ Domui ob recentissimã victricium auxiliorum memoriam, quibus Vienna liberata, Austria recuperata, Pannonia restituta est, cumulatissimas gratias debet. Quarum fructus cum ad Regem illum invictissimum pervenire amplius non possit tenerrimos grati animi affectus transfert in Filium Regium Principem IACOBUM.

Quem dum suffragatrici prudentiæ & æquanimitati Vestræ majori qua potest Imperialium officiorum intentione commendat adeo se libertati, & laudabili majorum Vestrorum consvetudini accommodat: ut in Augusto hoc Patrocinio non tam amorem Austriæ, quã Poloniæ & Litvaniæ morem deprehensuri sitis, quo superstites Regum liberi, libera Reip: voce ad thronum vocati sunt. Siue novæ & alienæ potentiæ metu, sive generosæ cujusdam gratitudinis & spem fortunamq; filij ante Patrem sepelire auersantis incitamento, sive præconceptâ spe: uix alium melius regnaturum, quàm qui regnandi artem à Parente & Præceptore Rege didicisset.

Ex hac coronati Magistri schola electoralis populi votis Princeps IACOBUS offertur, qui Regio totiesq; Reip: deuoto sanguine ortus, amorem Polonæ gentis & uirtutis à teneris imbibit. Mox crescentibus annis Paternis uictorijs ad sagi decora, consilijs ad togæ ornamenta, regnandi artibus ad sustentandam Remp: ita constitutus est; ut quò cœlum & sub eo Electoralis campus uocaret, ire cum gloria imò geminis uelut alis & meriti sui & affectus Vestri euolare posset.

Quæ ueritatis fiducia dicto insit, illi candidè & animosè testabuntur, quibus uel laureatæ militiæ in castris, uel intimæ admissionis, honor in aula Serenissimi Regis IOANNIS III obtigit. Si enim insignem in bellica virtute profectum spectemus, & in hujus gloriosissimi Parentis sui conspectu, in oculis præstantissimorum Ducum in sinu victoris exercitus, pluribus eisque periculosissimis expeditionibus contra Turcas ac Tartaros non solùm interfuit, sed ne ullum militaris obsequij, magnanimitatis & constantiæ documentum desiderari posset, gloriæ potius & bonæ causæ, quàm vitæ memor ad nutum Regium in confertissimas barbarorum turmas lætus incurrit, viam armis aperuit, nec nisi fugato, aut cæso hoste è media telorum tempestate genuinus Polonæ aquilæ pullus ad Patrem redijt, non extra ictum spectare conflictum, non fugam, vel deditionem hostium emere, sed seriò ac strenuè agere, & utrâq; manu infortunam involare, victoriamq; attrahere assvetum. Si aulicæ & gubernatricis industriæ partes consideremus accuratissimam quidem hic Princeps è tot tamque diversis castris populorum, locorumq; notitiam ac in confinijs validi & imbecilli

A.C.1697 becilli cujuslibet distinctam cognitionem ex Austria, Pannonia, Podolia, Dacia, & ultra Trajani fossam, è vastissimis Ucrainæ & Bessarabiæ campis cum plausu reversus ad aulam reportavit. Hic tamen maximè in conclavi Regio Regnum, Regni familias & arcanas regiminis machinas, sive ubi feliciter moverentur, sive ubi difficultatum objectu in cursu hærerent prosperis juxta ac adversis motibus eruditus penitissimè introspexit; hæc autem qua eximiè pollet militarium & aulicarum rerum experientia atque comprehensio, uti Regi necessaria est: ita à Regio Principe bono publico impendenda singularis ejus pietas, reverentia senatûs, amor civiũ, candor indolis, placabilitas animi, morum facilitas, scientiæ æstimatio, & magnas semper mentes comitata liberalitas sperare nos jubet.

Quibus dotibus si honorificentissimã cum Augustißimo Romanorum Imperatore, cum potentißimo Hispaniarum Monarcha, cum Serenissimo Lusitaniæ Rege affinitatẽ, ac cum præcipuis Italiæ, Germaniæque Principibus arctissimam necessitudinem promeruit, non indignum Regno etiam se approbavit.

Non fractam autem huic ætatem, non lævam mentem, non pertinacia odia, non periculosa pacta, non fatales arbitrarij dominatus maximas, sed vegetas ad regni onera vires, potentes amicitias, speciosas opes, moderatas cogitationes, & cũ pacatissima, modestissima & pijssima conjuge si nondũ sũmas illas, tã accõmodatas tamen senatui, populoq; Polono virtutes inferet, ut timere minimũ, sed inter plura emolumenta ab illo ipso Serenißimæ Rpcæ: distinctius exponenda eminentẽ & maximè activã gratitudinem vobis polliceri poßitis. Submittet, enim electrici sapientiæ, & humanitati Vestræ tractabilem animũ indeq; Titi Cæsaris instar post delatũ imperiũ in dies melior õnes coronæ radios ad splendorem Srmæ. Rpcæ. & ad illustrãdos suæ fortunæ authores convertet. Hactenus quidem nescio an magis de Principis Regij prærogatiuis, quã de publicis ex eo Regni cõmodis ad Augustissimi Cæsaris nutũ, & eorum mentẽ disserui, qui inter præsentes Europæ motus quàm optimè cõsultum volunt securitati, tranquillitati & dignitati orbis Sarmatici. Vos jã longo rerũ usu prudentissimi Proceres recensita Candidati decora æquis mentis oculis subjicite & cum illis adipiscendæ coronæ impedimentis, quæ uel ingeniosa ad malũ inuidia, uel cauta nimiũ timidaq; politica objicit cordatè cõferte.

Non deerunt ut arbitror, qui maximè honorificam quidem cum domo Austriaca hujus Principis conjunctionẽ sed libertati tandem Poloniæ formidandã putent. Sed hi nimium meticulosi futurorum augures, nõ alibi melius, quàm ad ipsos Regni limites timorem excutient. Qui ubi nationibus alijs se obvertit Austria, milite & muninentis vicino clausi soli Poloniæ per ingentia regionum spatia aperti sunt: nulla alia confinium custodia quàm utriúsque gentis mutua fide, & amore.

Hic amor coronam Poloniæ Austriacis, hic cor Austriæ Viennã Poloniæ armatæ concredidit. Hic antiquas illas controversias non in longa odia, vel cruentorum progressuum bella, sed in restaurationem fœderum

rum

rum, & flagrantiorem amicorum conglutinationem desinere jussit. Ac si certissimum amicitiæ experimentum necessitas facit: nulla ferè gens alteri velocitate, ac felicitate pari, quàm Austriaca Polonæ, Polona Austriacæ stantibus in ancipiti rebus opitulata est, sustentatque se etiamnum ad invidiam & opprobrium hostium gloriosa & armorum & affectuum consociatione. A.C.1697

Addent alij hoc amicitiæ nexu involvendo magis bello Austriaco Principem Iacobum dispendiosa sacri fœderis continuatione exhauriendum Regnum ideoque alium minus Austriæ devinctum præponendum esse:

Isti verò non Poloniæ, non devotæ Christo Europæ, sed ejus hostibus immanissimis Machometanis, quàm optimè consulunt. Nam distractis vel eversis Austriæ turribus magnum & integrum hactenus Poloniæ murum facilius rumpent, dejectisque tandem Christianæ Reipub: propugnaculis, ac ejus membris vel fraudulentâ pace, vel repentinâ clade divulsis nec capiti nec Vaticano parcent.

Si alia denique candidati acta non omnibus placuerint. Ingenuæ bonitatis erit, quædam sæculo, quædam malevolorum artibus, quædam intricatissimis inde negotijs imputare: gratitudinis est cum de filij nævis agitur clarissimorum etiam Patris facinorum & acceptorum ab eo beneficiorum recordari: prudentiæ ita secum statuere: Maculas donec solem, & vitia donec Princeps fore, sed apud bonos nunquam publico noxia, & majori virtutum accessione superare.

Quid jam aliud superest Excellentissimi Proceres & Nobilissimi Equites nisi ut de fortuna & gloria Vestra tam sollicitis Augustissimi Cæsaris desiderijs liberis vocibus animisque faveatis, qui propensionem in Regium Principem Vestram pretiosis magni sui animi debitis adscribet, factique memoriam coronatæ posteritati transmittet, ut dum stabit domus Austriaca, stabit autem sustentante DEO & hostium consilia, in potentiæ fulcra convertente, semper inter mutui amoris triumphos perenni favorum reciprocatione confœderata, Austriæ Polonia delectetur.

PROPOSITIONES QUAS PRINCEPS IACOBUS PRO BONO ET COMMODO UNIVERSALI REIP. POLONÆ JUXTA INTIMATIONEM LEGATI ROMANORUM IMPERATORIS PRÆLO EXPRIMENDAS, TANQUAM PRÆCIPUUS AD CORONAM CANDIDATUS SERVATURUM SE INVIOLABILITER ET SACROSANCTE POLLICETUR,

Imo. OFfert Serenissimus Princeps quinque milliones ad dispositionem Reipub. in vim grati animi, ubi exemplo Magni Patris sui per eosdem Regni ordines in thronum regium liberis vocibus evecti per eadem suffragia polono solio inferetur.

A.C.1697 *2do.* Reſtitutionem Cameneci pro opere primæ curæ & ſollicitudinis habebit, & externa colligatorum ſubſidia eo vertet.

3tio. Ad eliberandos captivos præſertim ex ſangvine nobili oriundos ſingulis annis centum millia florenorum ex certiſſimis Regiæ menſæ reditibus offert. Hujus verò expenſæ calculum in ſingulis Regni Comitijs licebit unicuique exigere.

4to. Quo ad intereſſe ſalis fodinarum tam Vielicenſium, quàm etiam Samborienſium promittit idem Sereniſſimus Princeps Equeſtri Ordini medietatem expenſarum ad ærarium ſpectantium ſe donaturum.

5to. Illud pariter unicè curabit, ne inutile bellum foveat, imò ut honeſtam, ſecuram & utilem pacem Reip: & coarctationi limitum Regni conformando ſe per omnia placito & arbitrio Reipublicæ.

9to. Legionibus quæcunque ad cuſtodiam corporis ac Majeſtatis preſsè ordinabuntur, ex proventu menſæ Regiæ deſervitam mercedem quot annis perſolvet.

7timo. Palæſtram militarem propter exercitium Juventutis nobilis ſumptibus ſuis eriget ſine mora, & conſervabit in loco, quem Reſpub: aſſignabit.

8tavo. Fortalitiorum in limitibus Regni ſitorum ſubſiſtentiam & auctionem ſalvo conſenſu Reip: providebit ex reditibus pariter menſæ Regiæ.

9no. Quandoquidem Sereniſſimus Princeps in ſinu hujus Reip: educatus perſpecta penitus habet ſingulorum ex civibus tam togâ quàm ſago præſtātibus merita, omnino in iuſtitia diſtributiva, tam præſentium quàm futurorum vacantium, libram virtutis & meritorum integerrimè obſervabit. Præſertim cum illi faventes Superi tantæ pietatis & modeſtiæ Sereniſſimam conceſſerunt ſponſam, quæ ad nullas omnino promotiones muliebri ambitu feretur.

10mo. Vniverſa verò Jura, & tuitionem ſanctæ Religionis nec non pupillam Libertatis, qua Majores noſtri præcipuè floruerunt, & pro ſpiraculo vitæ civilis integerrimè conſervabit, & non modò totis viribus manu tenebit libertatem, ſed illam etiam fortunis imò & vitæ ipſius diſpendio tuebitur.

PROPOSITIONES CHRISTIANISSIMI REGIS PRO SERENISSIMO FRANCISCO LUDOVICO DE BOURBON PRINCIPE DE CONTI AD SERENISSIMAM REMPUBLICAM POLONAM DE REGE ELIGENDO COGITANTEM.

INprimis Chriſtianiſſimus Rex Galliarum liberis Polonæ Reipub: vocibus proponit candidatum Sereniſſimum Franciſcum Ludovicum Bourbonium Principem de Conti ex tot Regum Imperatorum & Ducum ſtirpe Sereniſſimâ oriundum, quot ab annis mille non in occidente modò, verùm etiam in oriente Gallia numeravit. Dignitatem huic Principi etiam hoſtis capitaliſſimus imputabit. Qui triginta tres annos emenſus, ſtaturæ longe ſupra mediocritatem proceræ, vultus auguſti, morum civilium, ad bella natus, & pluribus probatus expeditionibus, plurium lingvarum peritiâ, ingenij ſagacitate, prudentiæ felicitate illuſtris, incredibili demum clementiæ, juſtitiæ, munificentiæ, modeſtiæ, pietatis, imò omnium prope erga ſe Provinciarum inſoliti amoris laude celeberrimus. In ſtirpe ſua præter primogenitum recenſet Filias minorennes ex Sereniſſima pariter ſuâ Conſorte Bourbonia, quæ ſicut incomparabili modeſtiâ clementiaq; eminet, ita publicum declinat theatrum diligentiſſimè, ne ſe ullis curis negotijſque immiſceat.

2do Camenecum ante Coronationis solemnia, & totum hoc quod adversa hostium manus Reipub: Polonæ eripuit cum gratia DEi restituet. *A.C.1697*

3tio Monetam & commercia restaurabit.

4to Pacta Conventa integerrimè servabit, de quo nemo dubitet. Princeps enim hic cum sit magnanimus & conscientiæ delicatissimæ juratam fidem Reipub: præstare conabitur integerrimè, quam etsi vellet violare per vim, non potest propter loci distantiam, ex qua ad regnum esset invitatus.

5to Considerando Rex Christianissimus non modicam Reip: difficultatem tot annorum bellis exhaustæ in exsolvendis militiæ stipendijs offert decem milliones, quorum pars jam non modica Gedani reposita, reliqua pars, quia ob malevolentiam vicinorum securè ferri nequit, aut cum Serenissimo Electo veniet, aut per aliam æquè securam occasionem. Quo majorē possit habere Respub: promissorum fidem, legati Gallici suas personas deposito charactere devovent Reip. Et quantumvis alij exemplo Gallico audeant polliceri similia, nunquam tamen præstare possunt securius Rege Christianissimo.

6to Legationem nullam quæ notabiles sumptus exigeret institui volet, qua in Poloniam deducatur, verùm postquam de sua Electione certum nuntium acceperit, sine mora & Reipub: impensis in regni finib9 comparebit.

His commodis ex parte Serenissimi Candidati fide integra Serenissimæ Reip: Polonæ propositis, restant nonnulli scrupuli, quos adversa pars tum nationi Gallicæ, tum publico regni hujus bono invida, audet Serenissimo Principi de Conti objicere.

1mo Verum quidem, est quòd nemo sit, qui Serenissimum Principem de Conti non parem Poloniarum Regno censeat omnibúsque titulis ita dignum Imperio, ut delicium humani generis passim nominetur. Verùm illi à compluribus objicitur: quòd absolutum Dominium sit in Poloniam introducturus. Quod nullâ ratione ad effectum deduci potest. Quia præterquã quòd se totum legibus Reip: subijciet, nullam cum vicinis Principibus habebit colligationem & correspondentiam quadringentis milliarium millibus à Gallica divisus potentia. Potius propter istam rationem formidari debet candidatus, quemcunque Germania sive dederit sive commendaverit.

2do Timetur & fortè facile à simplici populo creditur, quòd Serenissimus Princeps de Conti sit pacis fœdera cum porta Othomannica initur9, Colligatis verò datam fidem abrupturus. Hoc certissimam redolet calumniam. Nam quid oro aliud in pactis conventis juratâ fide confirmabit pollicebiturq; Reip: Serenissimus Electus, nisi quòd nulli arma sit illaturus hosti invitâ & inconsultâ Republicâ, & facta cum vicinis Principibus fœdera per Serenissimos Antecessores tam diu sit servaturus, quamdiu Reipubl: & Regni ordinibus placuerit. Novit etiam optimè intelligitq; Serenissimus Princeps de Conti quod Rex Poloniæ nullum absolutè bellum inferre, nullum possit componere sine consensu ejusdem Reipublicæ.

3tio Objicitur: quòd omnes penitus vicini, confinesque Regno Poloniæ, supra modum reformident Serenissimi Principis de Conti Electionem, adeo ut si aliquo fato in Regem eligeretur universi parati sint contra Poloniam & M. D. Litt: arma sua sociare. Verùm inanes sunt isti metus minæq;. Nam quo jure Domini vicini possint liberam Electionem impedire & secundùm suum placitum throno suo Principem imponere non video. Certè enim Polonia non propter Moschos, Germanosque, sed propter se liberis suffragijs Regem semper hactenus eligebat. Non aliam ergo subesse hujus rei suspicor rationem, quàm quòd prædicti vicini non libenter vellent in throno Poloniæ videre tam magnanimum Regem, nisi quòd metuant, ne sub tam forti Rege vires potentiamque sumat Polonia, illique ereptas

Provincias

A.C.1697 Provincias cogantur aliquando restituere. Quòd si porrò ejusmodi Regem formidant, quare minantur? si verò minantur arma, cur se timere eum Regem tam clarè demonstrant. Præterea habent isti omnes vicini perpetuis implicati bellis illisque difficillimis, quod domi suæ agant, qui jam ad Danubium, jam ad Boristhenem, Tyram, Rhenum, Mozam, & in alijs compluribus terrarum spatijs vix habent vires ad resistendum pares.

Deinde Electio futuri regnantis eo tempore instituetur, quo vicini Principes bellum continuare, & in campum Martium omnes vires suas cogentur educere. Nullum ergo tunc periculum ab externa potentia Poloni debent imò possunt meritò formidare. Quòd si verò vicini Principes metuunt, ne Polonorum auxiliis in tam gravi suo bello promovendo destituantur, quare ergo potius non petunt suppetias, sed cogunt, & dissolutionem fœderis colligationisq; tam tempestivè minantur? Quod quia nullà ratione ad effectum deduci potest, ideo hoc faciunt, ut aliquem incautis metum incutiant, non quòd nocere in aliquo possint. Quo suo ausu gravem magnanimitati Polonorum infligunt injuriam, quasi verò illi tam futilibus nugis & fabulis planè anilibus à libera sua electione possint deterreri avocariq;. Imò tam invicta semper Resp: ejusmodi Regem creare contendet, qui sit vicinis omnibus potiùs formidandus, quàm desiderabilis, propter duas, quas subjicio rationes. *Prima* est, ut discant vicini melius Polonum nomen æstimare observareq;, quàm hactenus fecerunt. *Secunda*: ut talem inclyta hæc Resp: Regem habeat, qui nullam cum vicinis correspondentiam intimè colat, intelligatq; se non ab alienis vicinorum arbitrijs, sed à solo charissimæ suæ Reip: nutu & placito dependere.

4to: Timetur ne Regina ex Gallorum stirpe oriunda publicis contra jura gentis se immisceat. Sed hic pariter metus vanus est & inanis. Nam sicut unius Matronæ Gallicæ ingenium ab alterius differt indole genioque, ita natio Gallica suas matronas ad nullum publici statùs regimen consuevit adhibere. Nam neq; Regina, neq; ulla quæcunq; denium Princeps in administrationem Reip: potest se immiscere, & si quæ aliquando ejusmodi jus prætendere sibi usurpareque videbantur, exilio sunt mulctatæ. Quare nihil ambigo, quod Serenissima Resp: Polona, ubi prædictas rationes probè expenderit, & tam eximij Candidati Regias dotes penitus inspexerit, non patietur ullis se opinionibus Gallico nomini contrarijs à libera Serenissimi Principis de Conti electione detorqueri. Ille pariter in vim grati animi sacrosanctè pollicetur intaminatam omnium Serenissimæ hujus Reip: legum & ordinum observantiam.

PROPOSITIO A PRINCIPE
ELECTORE HEYDELBERGENSI PRO SERENISSIMO PRINCIPE NEOBURGICO CAROLO FRATRE SUO FACTA.

Primas inter Europæ familias præcipuo illo privilegio Domum Neoburgicam faventes superi decorarunt, quòd Serenissimum sangvinem Jagiellonicum à Casimiro IV. derivatum haustumq;, calentē adhuc integrumq; per tot annorum series Vestali flamma religiosius in corde suo conservat & divino nutu eo matrimonij Sacramento collimat, ut ex hac domo nunquam Regum Poloniæ cognatio & prosapia exeat. Inde cognata illa & mutua Serenissimam inter Remp: Polonam, & do-

& domum Neoburgicam necessitudo intercedit, inde naturalis illa solidæ benevolentiæ inclinatio, qua ante alios Principes Serenissimus Elector Heydelbergensis in Serenissimam hanc Remp: Polonam fertur & veneratur. Inde cum plena fiducia (si occulta DEI judicia & ratio status Serenissimum Principem JACOBUM procul a throno Poloniæ voluerint esse) charissimum suum Germanum Serenissimum inquam Principem CAROLUM post tristissimum Radziviliæ gratiosissimæ suæ Consortis obitum, in statu viduali positum orbatæ suo Principe Reip: cum omni observantia proponit & commendat diligentissime. Ita enim Serenissimus Elector censet, quòd nullo ex Candidatis inferior sit Serenissimus Germanus suus. Imò procul fastu palàm esse cuiq; potest, & par Serenissimæ Coronæ huic ille, quem tot Imperatorum Regumq; domestica exempla ad immortalia & heroica opera cum materno lacte ingentibus stimulis imbuerunt, quem divæ & gloriosæ memoriæ Parens ANNÆ CATHARINÆ VLADISLAI & CASIMIRI Sororis olim maritus intaminato sanctimoniæ exemplo vivere docuit illumq; amorem erga inclytam gentem Polonorum infantilibus infudit præcordiis, quo ipsemet ad extremum mortalis ævi spiritum flagrabat constantissime. Qui quantumvis adhuc florentis ætatis annos computet, judicij tamen prudentiæq; absolutis dotibus eminet, corporis & indolis viribus magno dignis Principe, illis pollet, quas belli pacisq; negotia requirunt. Vultus & statura cuivis par imperio, oculus amœnus, frons augusta, animus ingens, authoritas non invita, munificentia singularis, illud tantùm suum reputat, quod in alios erogavit. Justitiæ & clementiæ incomparabilis, ad bella natus, in bellis educatus. Prima militiæ rudimenta posuit in castris Hungaricis contra Othomanos, postquam verò consecratum gradivo fratrem amisit, ex hac occasione Serenissimi Electoris sine prole existentis authoritate à bellicis actionibus revocatus est, ut tam opimæ hæreditati & tam antiquæ domui successorem provideret, ducta in sociam thori consorte illa quamcunq; Resp: obtulerit dederitq;. Quamcunq; porrò superi prolem conferent, non erit Reipublicæ gravis. Sed hæreditariorum bonorum suorum reditibus sustentabitur. Hoc præterea diligenter notandum est, quòd cùm Serenissimus Princeps tot spatiis distinctas terrarum fraternas habeat ditiones, easq; prædivites plus iis prodesse Reip: quàm obesse poterit. Cum nullo præterea ex Christianis Principibus Electores Heydelbergenses tam intimam habent viciniam ex qua aliquod discrimen debeat formidari. Et hæc insinuasse sufficiat, ut occurratur quibusdam obliquis objectionibus, quæ suspectum inclyto huic regno Serenissimum Principem possunt reddere. Conditiones verò integrâ fide servandas & sine mora adimplendas eas offert. A.C.1697

1ma Iura omnia & libertates Polonas inviolabiliter servabit Seren: Princeps, ita ut vitam etiam & sangvinem suum pro illarum integritate profundere sit paratus. Pacta præterea conventa integra inviolataq; pariter tuebitur.

2da Nullum præterea pretium aut quodcunque munus etiam titulo gratitudinis oblatum, pro honoribus & dignitatibus quibusvis unquam acceptabit; sed optimè meritis distribuet procul omni respectu privato.

3tia Milliones decem ad exsolvenda militum stipendia numerabit & immediatè post actum electionis Reip. ærario inferet.

4ta Alleviando graves admodum consistentias militares tam bonis Regalibus quàm spiritualibus hiberno præcipuè tempore fieri solitas eodem nō exeunte anno unum millionem offeret, & die S. Michaeli dedicata per suos internuntios Leopoli numerabit.

A.C.1697 *5ta* Alterum millionem destinat, Leopoli pariter numerandum pro sufficienti militis locatione extra fines Regni instituenda & pro necessitatibus artileriæ providendæ alendæque.

6ta Pro conservatione legionum quocunque demum loco sub magno nomine Polono militantium trecenta millia florenorum sine mora eodem anno numerabit.

7ma Coæquationem monetæ cum vicinis Principibus facto cum Rep. consilio numeratisq; centum millibus Imperialium & commerciorum restaurationem pollicetur.

8va Repetitionem restitutionemque Cameneci & Provinciarum Valachiæ Moldaviæque nec non Sarmatiæ Budziacensis, vel per tractatum Generalem vel bello procurabit.

PROPOSITIO A SERENISSIMA REGINA ELEONORA VIDUA IN FAVOREM LEOPOLDI LOTHARINGIÆ ET BARRI DUCE PRIMOGENITO SUO IN COMITIJS ELECTIONIS ANNO 1697

EO semper affectu prosequuta est Serenissima Eleonora Poloniæ Regina Vidua gloriosam utriusque Gentis Polonæ, & Litvanæ natione, ut ambarum tracta veteri amore gentium, Serenissimæ Reipub: in campo pro Regis electione congregatæ Primogenitum suum Serenissimum Leopoldum Lotharingiæ & Barri Ducem, ad Regium vacans solium adimplendum sequentibus conditionibus producat.

1mo Catholicam Apostolicam Romanam fidem quam à nativitate professus est Serenissimus Dux semper defendet & profitebitur.

2do Seren. Reipub: leges statuta, pactaque conventa bonâ fide tenebit & observabit.

3tio Libertatem utriusque gentis inviolatam conservabit.

4to Decem millia selectorum ex Lotharingia militum, sive equitum, sivè peditum pro Serenissimæ Reipub: servitio, & Cameneci, vel aliarum à regno avulsarum ditionum recuperatione impendendorum suppeditabit.

5to Academiam instituet pro nobili utriusque gentis juventute tam Polona, quàm Litvana in qua lingvas peregrinas artesque militares exotico more exercendas addiscere poterit.

6to Fundabit Nosocomium seu Xenodochium pro utriusque gentis captivis, è Turcica servitute redemptis vel redimendis.

PROPOSITIO A SEREN: AUGUSTO ELECTORE SAXONIÆ PER ABLEGATUM EXTRAORDINARIUM CUM SUFFICIENTI ET OMNIMODA PLENIPOTENTIA ORDINATA.

ANtiqua Serenissimæ domûs Saxoniæ dignitas, tam retroactis celeberrima sæculis, quàm etiam præsentibus non interrupta serie primis in Europa familijs par prolixa non indiget commendatione. Hæc enim in sex Imperatoribus Romanis (quorum Otto III. sepulchrum Divi Adalberti Antistitis visitando Regiam Coronam Poloniæ obtulit & primũ Regem Boleslaum Chrobri salutavit) eminet ad omnem immortalitatem Innumeris propagata colligationibus, plena meritorum & gloriæ. Non revoco

voco prisca Domus istius decora, quia illius publicæ redundant historiæ, plenique sunt annales, & inprimis conscia orbis totius fama. *A.C.1697*

2do. Quod spectat Personam ipsiusmet Electoris Saxoniæ, Princeps incomparabilis clementiæ in ipso flore ætatis. Nam viginti septem annos non excessit. A primis annis ad bellicas actiones diligentissimè eruditus, quorum per orbem signa dedit. Quod ipsum expugnata Moguntia & actæ gloriosissimè ad Rhenum in Brabantia expeditiones luculenter testantur. Immortali hac majorum suorum semita contendens, non minori fama in Hungaria duabusque alijs expeditionibus, summo Ducis præfuit Imperio, & superba orientalis potentiæ infracto suo robore diffregit cornua, nutantemq; ambiguo Marte victoriam admirabili prudentia & imperterriti animi fortitudine, in integrum restituit. Hinc ingenti auctus gloria non tantùm in arena Martis verùm in devinctissimis etiam subditorum suorum triumphat pectoribus. Unicum clementiæ bonitatisque exemplar, prævenit enim beneficijs omnes, confirmat gratijs, attollit muneribus depressos, ita ut nemo sit, qui regimen illius dominiúmque non celebret, qui clementiam ejus erga subjectos populos non approbet. Testes illi ipsi majores Poloni, qui suo sunt confines Imperio. Compendio dicam Serenissimum Electorem Saxoniæ vivam esse omnium regiarum qualitatum epitomen.

3tio. Quod verò præcipuum est, quia DEUS O. M. ex abysso judiciorum suorum arcanorum prospiciens huic Reip: Regem, ita Serenissimi Electoris animum ante duorum annorum spatium disposuit, ut Romam contenderit, ibique abjurata hæresi veram Religionem professus fuerit, ad incrementum Romanæ fidei in urbe orbis domina sacris imbutus institutis. Opus hoc omnipotentis Dei dexteræ & manifestum illius prodigium, qui facit mirabilia solus nec non augurium infallibile, ipse enim Altissimus hâc supernâ vocatione Serenissimo Electori sternebat viam ad coronam, & tempestivè ad veram Religionem ordinabat, illa cardinali Polonorum lege contentam: *Rex Catholicus esto.* Ut nimirum tantus Princeps pereunti Patriæ cælitus oblatus invictâ suâ manu ruentis orbis machinam sustentaret, & gloriosis ævo nostro victorjis deprimeret fastum hostium Martialis fulminis dextræ, cives vero beneficentiæ radjis in publicū sparsis munificentissimè serenaret

4to. Metuendum non est, quòd Serenissimus Elector gravis esse Regno debeat cum Regia stirpe sua, aut illi ex beneficjis Reipub: vel minimam derivare guttam, nam unicum habendo Filium non modò illi Electorales ditiones cum prærogativa Electorali & insignibus Imperij, verùm etiam Lusatiam ad se devolutam jure hæreditario, nec non alias Provincias suo tempore cedere potest & abunde illi providere. Omnem ergo jam clementiæ suæ respectum sicut in bonum publicum, ita in privata civium commoda facile convertet, hoc est ut Patria munimentum, Religio decus, Ordo Equester perenne solatium, OEconomiæ ordinem bonum, leges & libertates Polonæ, in quas congenito fertur amore, integritatem habeant illibatam præterea pacta conventa in viridi semper & inviolabili observantia permaneant, omnia ad famam & utilitatem publicam Principe dirigente.

5to. Dignitates generaliter omnes non auri argentique, sed virtutis & meritorum pretio distribuentur. Neque tanta labes in delicato pectore Serenissimi Electoris locum habere potest, cujus generositas ejusmodi munera angve caneque pejus detestatur, nec sua privatis crescunt æraria damnis. Procul à corde liberalissimi istius Principis indecora lucra, quod totum inexhaustæ munificentiæ studium in bene meritos occupavit. Non parca manu gratias impertitur, novit singulorum merita, de nomine quemque compellat venientem.

6to Cum verò illi in aperto sint exhaustæ tot bellis Reipub: Nostræ angu-

A.C.1697 angustiæ, & retenta à tot annis emerita militum stipendia, ultro in sublevationem tantorum onerum offert Reip: Serenissimus Elector decem milliones currentis monetæ non in charta, sed realissimè post actum electionis ex suo ærario numerandos. Et quantumvis alij speciosis titulis magnificent oblationes suas & adumbrent proposita in publicum emolumenta; facile tamen Resp: intelligere potest, an fortunæ offerentium tam effusis largitionibus pares esse possint. Nam si aliunde prædictæ summæ colligantur ab ijs & à creditoribus quibuscunq; conditionibus dentur mutuò, principales ideo suis creditoribus plus æquo favere velificareque cogentur. Per quod Resp: ære alieno obærata internis factionibus scindi miscerique debebit, & non secundùm rationes boni publici, sed secundùm creditorum placitum non sine gravi involutione & detrimento sui ad reddendam gratificationem statum suum componere.

7mo Repetitionem Camenecensis fortalitij Serenissimus Elector proprij militis vitæque suæ impendio pollicetur Reip:

8vo Pariter ut Podoliam, Ucrainam, Valachiam, Moldaviam, aliasque avulsas Regno Provincias Serenissimæ Reip. restituat sive jure belli, sive pacis fœderibus, inter primas curas habebit, ut Serenissimam Rempub: in antiquorum limitum amplitudine florentem reddat.

9no Ut verò ad omnes subitos emergentium bellorum casus, quàm securissima sit Respub: declarat Serenissimus Elector quovis ingruente periculo subministraturum se exposcentibus statibus & ordinibus Regni sex millia suæ militiæ proprijs impensis alenda, vel paratam numeraturum summam ad totidem millia militum conscribenda.

10mo Pariter si per commutationem alicujus ex suo ducatu provinciæ poterit cum vicinis transigere de alia in contiguitate Poloniæ sita, ut illam Regno adjungat, omnem conatum diligentiamq; adhibebit.

11mo Restaurationem monetæ, quæ in hoc Regno collapsa videtur, & cõmerciorum communicationem, ad florentissimum statum reducere laborabit. Cùm ad id præstandum magnam habeat commoditatem propter urbium ditionumq; suarum viciniam

12mo Palæstram militarem ad erudiendam nobilem juventutem Polonã in Mathesi, militari, fortificatoria proprijs impensis extrui instituique quàm primùm procurabit.

13mo Omnia fortalitia Regni in meliori ordine conservabit, & quidquid ad veteris & præsentis militiæ normam ingeniosus excogitavit amor, libenter & sponte Reipub: litabit & omnia promissa fortissimè tuebitur. In quo fidem suam per eundem Ablegatum suum solennissimè invadat, & omnimodam securitatem præstare intendit.

14mo Et sic Serenissima Respub: quando tot meritorum candidatum, nullis colligationibus ad æmulas in Europa domos obligatum, nullique dependentiæ obnoxium, per libera sua suffragia ad Regni thronum provehet, mille benedictiones superûm habebit electio. Quemadmodum ostendit Deus O. M. virtutem potentis suæ dexteræ cum Serenissimum Electorem in sinum & gremium universalis nostræ ecclesiæ deduxit, ita ulterius manu tenebit, viresque suppeditabit ad sanctæ hujus religionis & gloriosi regiminis incrementa.

Præsertim cum Serenissimus Elector, non aliqua cupidine dominandi, quæ cunctis affectibus flagrantior esse solet, sed solo orthodoxæ fidei & zelo & pretiosissimæ libertatis amore ad regni hujus solium concurrat totam suam spem in Deo reponendo, quòd liberrimæ gentis suffragia & magnorum affectus civium ad vota Serenissimi Electoris inclinabit, ille inquam qui donat diadema fronti, quem genu nixæ tremuêre gentes. In puncto

tandẽ

tandem Religionis Catholicæ si quis adhuc habet scrupulum, adeat tam excellentissimum Nuntium apostolicum, quàm Celsissimum Passaviensem Antistitem pro testimonio *A.C.1697*

RATIONES PRO NON ELIGENDO GALLIÆ PRINCIPE IN REGEM POLONIÆ.

NOmen Galliæ Principis patrui moderni concurrentis de Conti à temporibus Ludovicæ Reginæ formidandum Nobilitati ratione extraordinariæ ambitionis Regni Nostri, ad quod eligi magnis motibus Princeps de Conti, (nisi incitata confœderatione militum impeditus fuisset) vivente adhuc Joanne Casimiro contendebat.

2do Ex propositione Principis de Conti Electio in plures distraheretur partes totaq; nasceretur contentionibus, magno Reip: incommodo, exiguo Galliæ lucro, cùm etiam nomen hoc in majori sit formidine, quàm amore & desiderio.

3. Piasti nomen per publicam confœderationem Reip. à promotione throni exclusum, ex ea, inter alias, ratione quia à tot annis probavit Resp. quantis suis impensis Galliæ factionibus servire coacta sit, à regnante suo, contrà jura Patriæ, ac pacta cum vicinis Principibus, factæ colligationis, & quomodo de similibus suspectum Principem Galliæ eligere debet.

4. Electio Principis Galliarum in Regem esset sopitarum utcunq; diffidentiarum cum domo Austriaca, fomentum suspicionum, ac disrumpendæ colligationis, quæ interrupta quantis bellis & incommodis Patriam involveret, quis vel mediocris statista non videt.

5. Principes Colligati, quanto motu hanc impedire studebunt, ne in continuo metu à vicino Principe factionibus Galliæ deserviente cogantur manere. Hinc innodationes electionis, & pax generalis, cujus non vana est spes, per electionem illius in discrimen vocaretur.

6. Galliæ Princeps aliena pecunia inthronisatus, obligatus esset promotori suo, jam in ejus jussa juraret, cui parere nostris fortunis & armis cogeretur, forteq; deberet magis cum illius hostibus bellare, quàm Patriam defendere volens se iisdem Principiis conservare in regno, per quæ illud occupavit.

7. Quodsi per milliones notabiles propriæ substantiæ Princeps Galliarum possideret regnum, reverà tanti momenti expensas conaretur resarcire. Quis enim Princeps benè vacuo regnavit thesauro, & si verò nullas observandæ politiæ & potentiæ suæ haberet rationes, fortè sufficeret ista; vilescit Princeps, non commendatus ab auro, præcipuè cui proles adest. Unde autem divitiarum copiam, nisi ex inopia subditorum haberet.

8. Milliones quos offert, hîc & nunc aliquid boni præstarent Reip, privatos ditarent, sed videndum quæ incommoda, quæ vicinorum bella, intestinarum diffidentiarum incentiva post se trahant, quæ centenis millionibus non reficerentur.

9. Redirent certè Ludovicæ tempora imperante nobis Galliarum Principe, unde jam varias dignitates & officia nationali amore suis conferret Gallis, administrationes delegaret, commissiones designaret, & hinc civium Reip: depretiationes, contemptus exorirentur, & in civibus odia Gallorum, & quæ sequuntur ab istis.

A.C1697 10 Ignorantia lingvæ nostratis posset tardare Principem Galliæ à concurrentia ad regnum Poloniæ, quomodo enim cum plerisq; ageret, quomodo pleriq; magis arcana illi, aut Reginæ explicarent, quæ plerúmque rudiores sciunt, & communicare ignorantibus lingvam non possent.

11. Circumscriptio aulæ Regiæ ad certum numerum Gallorum, nunquam in praxi esset, quæ quanto ad majorem numerum Gallorũ, extenderetur tantò majores contentiones, jurgia excrescerent, ex quibus etiã ad cædes & homicidia veniretur. Pares contentiones æmulationesq; in aula Reginali locum haberent, & ex talibus concertationibus, præjudiciosæ bono publico emergerent factiones.

12. Illud etiam ex justis suspicionibus metuendum est, ne fortè Gallia magnificis promissis nos lactet, ut tempus extrahat, & alios concurrentes absterreat, tùm postea frustratos Polonos odio & contemptui exponat; sed & hoc etiam formidandum, ne genium Henrici desertoris Regni Nostri in se repetat.

Et quoniam non minora ex non nullis Principibus Germaniæ, seqvuntur incommoda Reipub: præstat convertere animos ad majorum nostrorum consvetudinem, & de Principibus domus Regiæ assumere unum, scilicet Principem Iacobum, qui annorum sufficientiâ, bellorun peritiâ, generosa liberalique animi in omnes propensione alios antecellit, Regiarum virtutum alligatus sponsæ, quæ tam remota est ab omni factionum suspicione, quàm proxima omnium testimonio egregiæ pietati. Et hæc obligatio cum domo Austriaca, magnum rebus nostris præsidium dare potest, sicut experientia docuit tempore belli Svetici per rationem sangvinis S. M. CASIMIRI Regis dati subsidij. Sed aliquid fusius pro Serenissimo Iacobo dicendum.

1mo Non est exemplum in Polonia Regium sangvinem prætermissum ad coronam, imò quærebatur olim studiosè.

2 Regijs plane dotibus præditus Serenissimus Jacobus, ac inprimis notitia statûs Poloniæ, & ejus politiæ, libertatis, consiliorum amans, summa sobrietate, vigilans. Libertatis æstimator & amator, unde ingenia Polonorum & tractare sciet, & appretiare, non ignarus bene meritorum & mereri volentium.

3 Nullis factionibus innodatus, ut per hoc tempus patuit, & si varias in partes traheretur, constantem nihilominus semper se probavit, plurisq; æstimantem pacem Patriæ, quam locupletissimum ex factionibus lucrum.

4. Bellicosus quidem non est manu sed animo, insignis appretiator virtutis Martialis, præmiator etiam futurus, ubi quod distribuat habuerit.

5 Non degener à magno Parente, & si quos fortè notavit Respublica in S. M. Serenissimo Parente ejus defectus regiminis, eos certè corriget, quos imitari olim adhuc renuit.

6 Permittet se facilè circumscribi à Republica, ejus nutibus ab antiquo obsequens, pro qua non fortunas tantummodo suas, sed sangvinem & vitam ipsam profundere paratus filius Reipub.

7 Notitiam familiarum habens ac bene meritorum citiùs ac facilius illas eriget, istos præmiabitur, quàm alienigena, quia variorum distractus informationibus honores, beneficia proficiet potiùs quàm conferet ignarus ingeniorum.

8 Conferamus Principem Jacobum cum concurrentibus, etiam inimicissimus nomini ejus fateri cogetur plus bonæ spei esse, ab ejus regimine Reipublicæ, quàm ab aliorum, hic enim se ipsum dat Reipublicæ, ut ipsum habeat Patria suosque utatur in usus, alij sua offerunt, ut Rempu-

blicam

blicam sibi obligatam & velut subjugatam, pecuniis suis, & ex periculis suis redemptam, quasi jam eam sui juris habeant. *A.C.*1697

9 Præfert, quod summè in Principe notandum laudandumq; est, candorem animi, in quo technæ nullæ, etiam inimicis insidiæ, cùm non nisi eorũ malefactis irasci sciat, non hominibus, videtur odisse etiam suspiciones vindictæ, liberalissimus injuriarum & condonator, & contemptor.

10 Regno libertatis Polonæ, talis Rex necessarius, qui regat secundùm leges Patrias, & regatur potiùs à legibus, & Republica, cum enim tres ordines in Poloniæ statu includantur, Rex, Senatus, Equester ordo, ex quibus componitur Respublica, & sine quibus, quo ad publica commoda Rex nihil statuere potest, cum senatus, ac equester ordo habeat liberam vocem vetandi, & permittendi, vel ut Tacitus ait, & sentiendi, quæ, voles, & loquendi quod videtur, quòd magis Rex à Republica Regi debeat, quàm eam sinè ea regere. Externus autem Princeps assvetus regimini Principatuum absolutorum, ubi stat pro ratione voluntas, ubi singulorum captivæ mentes in obsequium imperantis, permittet ne, se regi à Republica, assvetg condere leges, nec servare? salutarius igitur videtur, Reipublicæ eum eligere, qui natus in observantia legum, illisque assvetus sinè ulla renitentia eas servabit, ut servetur ab illis.

Ultimum sed primaria consideratione dignissimum punctum, an non securiùs feliciusque Reipublicæ foret milliones aliquot à domestico Principe in Reipublicæ commoda certos accipere quàm ab extraneo incertitudine promissionis plurium millionum lactari, qui nescit nisi lucra per lucra quærere. Experientia enim docti sumus, à nemine extraneorum Principum per nos electorum profusissima circa concurrentiam ad coronam promissa, etiam in minima parte servata. Et ponamus quòd staret promissis, certè tam exiguos milliones, centenis non resarciremus, etiamsi eum, quàm maximè pactis circumscriberemus. Ipse enim vel nostris fortunis, sangvineque belligerando, vel justitiam distributivam appretiando impensarum suarum quæreret etiam per abrupta refusionem, si non sui, certè prolis suæ respectu, ne egeat. Non est itaque prudentis præsentibus gaudere & non prævidere cavénda, ac metuenda, quæ possint nocere posteris.

LXIX.
EIDEM CARDINALI,

Pultoviâ 27. Junij.

Acta die Electionis referuntur.

SCribo raptim in summa vacui temporis inopia non tam quia promisi, sed quia cupis ulteriorem actorum seriem, quamvis nihil boni significari hactenus possit. Dissensiones faciunt ut viam bene agendi omnes nobis intercludant, multis pene & vitam. Majores nostri in similibus electionibus velis ferri solebant, nunc nos vix remis.

Iam tempus electionis instabat & duo jam tantùm utiles dies reliqui erant decretorij. Comparuerunt in campo electorali omnes Palatinatus more militari, & locum circumcirca ad electionem destinatum vallaverunt. Antequam Plocensis appropinquasset Palatinatus, unum & medium milliare Varsaviâ consistens, visum est mihi pro munere Pastorali accedere eundem, ubi vesperi omnes tractavi, manè autem in crastino post dictam missam de Sancto Spiritu, post factam sub papilione seriam ad unionem

& con-

A.C.1697 & concordiam exhortationem, ut sicut gubernator fluctus assilientes negligit, manum in clavo habet, oculos in astris, sic nos oportet in tam delicata materia quod agimus bene agere & mentem ad DEum elevare. Persvadere volui verum decus in bene agendi perpetuitate positum esse. Interim mœstissimæ Patriæ solatium ab alto petiimus, id est solatij & roboris omnis fonte: post datam benedictionem præcedebam cum senatoribus sæcularibus procedentibus versus campum electoralem, totus Palatinatus in numerosissima nobilitate, quæ septem cohortes continebat, omnesque ejus accolæ sub signis militaribus iter illud conficiebant, in quo dum casu merissimo Krassinscius Palatinus Plocensis obvius fuisset, una vel duæ cohortes intra se contraxerunt, ad juramentum obligaverunt, ut primo neminem acatholium Regiam nostram coronam prætendentem nominet, ne Domui Regiæ nimis faveat, super quod corporale juramentum, desiliens ex equo præstare coactus. Malitia quorundam fecit istud, cui proprium magnum aliquid affingere viris magnis, quanquam sciebat illa nobilitas, quòd jam Electori Saxonico fidem suam obligaverat, & rumor fortè non ex vano, etiam paratis pecunijs, quorum illi copia multa, ministrum dicti Electoris juvisse. Senatores omnes tam Ecclesiastici, quàm sæculares penes Palatinatum quisque suum manere elegerunt.

Comparuit 25 etiam Cardinalis Primas in equo & omnes Palatinatus circumibat humanitatis jura præstando, animos seu explorando, seu informando. Cùm verò rediisset ad solitum & consultationi destinatum locum, provisa prius personæ suæ omnimoda securitate, quæ nuper oppressa, sessionem incepit, ad initium cujus ita fortiter, ita pertinaciter, non sine tumultu Litvani institerunt, ut Mareschalcus, qui dici potest sui juris non fuisse, cum quasi deficientem in cursu vocibus suis impellebant, ut coæquationem Litvaniæ subscriberet, quæ materia magis ad speciem finita, quàm reposita. Ad pactorum conventorum quæ est immediata & principalissima electionis pars conscriptionem accessit, cùm verò propter strepitum armorum, fieri non posset, privatam ex consensu omnium destinavit sessionem, me ex ecclesiastico ordine, cum alijs Palatinis & Castellanis ex sæculari ad id officium præstandum nominavit. Idem quoq; fecit Mareschalcus multos ex equestri ordine ad eandem sessionem destinando. Finivit post sessionem illam Cardinalis & in crastinum distulit, ubi invocato S. Spiritu ad electionem accedendum erat.

Coæquationis subscriptio.

Deputati ad pacta conventa scribenda.

Ultimâ proinde electionis die venimus ad campum electoralem cum Cardinali, ubi ante omnia Palatinus Cracoviensis protestatus est contra Principem de Conti. Incepit interim Cardinalis his verbis; *Venit summa dies, & hodie primum solstitium suum finem utinam felicem accipiet.* Omnia peracta sunt, quæcunq; ad curam ejus pertinebant, illud tantùm deest, ut sancta & vera unio, exoptata & necessaria confidentia inter cives exoriatur, quæ nunquam melius coadunari potest, quàm per juramentũ, quod & ipse in testimonium suæ conscientiæ præstare paratus invocans DEũ testem, quòd à nemine dependentiam habeat, quòd nullum suum interesse privatum promoveat, quòd nulla donaria & corruptiones acceptaverit, nec promissa habuerit his formalibus tacto pectore, & crucem pectoralem manu dextrâ tenens conclusit; DEus me puniat, si aliquo animam meam maculavi. Accessit ad excusationem Oratorum externorum Principum, quod propter temporis angustias comparere non potuerint, nec legationum suarum puncta exprimere. Proposuit imprimis domum Regiam vivæ recordationi Serenissimi Patris meri-

Accessus ad electionem.

Primas perorat.

& proponit

meritorum, eam recommendando, cujus memoria ex corde ejus non est eliminata. Commemoravit post Principem de Conti, Electorem Bavariæ, Principem Lotharingiæ Electorem Saxoniæ cum præcautione, quod examinari deberet, certusne sit catholicus? Odeschalscium omisit, jam enim à concurrentia missus ab illo Principe videns impossibilitatem aliquid bene in favorem Principalis sui faciendi recesserat. His finitis ad invocationem S. Spiritus in genua procumbens accessit præcinuitq; *Veni Creator Spiritus*, benedictionem post impertiebatur omnibus, & eqvum conscendens ad excipienda suffragia Palatinatus visitavit, & inprimis in Palatinatu Cracoviensi substitit, ubi multa quidem vota Principi Iacobo dabantur, sed non omnia. Czarneccius authoritatis magnæ Notarius Castrensis Regni antequam ex circulo Cardinalis & nos abivissemus post dicta aliqua ad unionem & concordiam impellentia Domum Regiam plurimis rationibus excludebat, eo addito, Duces exercitus nostri ideo illam promovent, ut majorem authoritatem, quàm leges nostræ volunt, & quàm necesse est, habere possint. *A.C. 1697* *Vota procedidatis à Palatinatu Cracoviensi*

In Palatinatu Posnaniensi & Calissiensi, isti enim semper junguntur, nec divisa inter se comitiola habent, magnam apparentiam ad scissionem invenit Cardinalis. Pars enim una præeunte Przyiemscio Castellano Calissiensi crucifixum in pectore palàm portante, & ob amorem ejus ad concordiam exhortante, fortiter Principem de Conti promovebat, pars altera cui Małachovius Palatinus Calissiensis, & Gurovius Castellanus Gnesnensis præerant, Electorem Saxoniæ promovebat. Cum verò præsentem tunc Cardinalem Primatem isti duo Palatinatus partim per se ipsos, partim per ablegatos eo nomine expresse missos quæsierunt, utrum prædictus Elector, verus & indubitatus sit catholicus, nollent enim tam turpiter impingere, contra Patrias leges, in quarum fronte hæc est fundamentalissima: *Rex catholicus esto.* Respondit Primas quod missus ab Electore eodem Flemingus ejus ablegatus firmiter asserat eum esse catholicum. Non contenti Palatinatus hoc responso miserunt ad nuntium *Davia* cum eodem quæsito, & ille testimonium Episcopi Iavariensis de domo Saxenzeiciana produxit, in quo excepisse se professionem fidei, ab eodē Electore fide Episcopali testatur Quod testimonium & nuntius petentibus illis à Palatinatibus aliquot Deputatis subscripsit, attestando non quod Electorem sciat esse catholicum, ut partiales in fraudem contrariæ partis statim divulgarant, sed quod subscriptio in testimonio receptæ professionis fidei, & manus sit vera Episcopi Iavariensis. In quo fundamento hi qui affecti erant, verum & indubitatum catholicum esse ac proinde Regiâ coronâ non indignum declamabant. Multi autem non sine prævio strictiore examine in materia tam delicata procedendum consulebant. *à Posnaniensi & Calissiensi*

In Palatinatu Plocensi, pro more & debito longiori paululum sermone Candidatos proposui neminem eorum defraudans, cuivis pro merito justitiam reddens. Inprimis non minori audientium silentio, quàm solicitudine mea commendavi domum Regiam, sed nullatenus, nec audire de ea, (bene noscere eandem omnes inclamando) voluerunt, itaq; pro sensu meo conclusi, nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam referendo, recteq; facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petendo, sic mihi ex amore Patriæ videri, ut pomum Regium digniori hoc est Principi de Conti cederet, qui suo magis merito quàm Regis Christianissimi beneficio magnus. Non expectatis ex ordine pro more suffragijs (habet hoc virtus, ut amicitias nullo intercessore conciliet) unanimiter inter strepitus vocum & armorum nec ullo in tam numeroso Palatinatu invento, qui contradiceret cælum terramq; lætæ festivæ *à Plocensi*

A.C.1697 & plaudentes implebant voces, vivat Conti; quantæ fuerint, oculis opus esset, ut credas, manus mea non est exprimendo. Post quas voces strepitus ingens subsecutus armorum quæ in applausum explosa quasi communia hæc omnibus essent solatia. Audita hæc à viciniori Palatinatu Raveníi, quem fratres mei Palatinus & Castellanus ducebant, non tantùm placuerunt, sed etiam ad similes applausus incitarunt, quæ apud posteros pretium & decus habebunt. Tres sunt districtus, quisq; Castellanum suum & omnes officiales habendo Palatinatûs hujus & sunt numerosissimi, qui nemine itidem contradicente ad nos accesserunt, & nobiscum non tantùm animis, sed & corporibus equisq; juncti sunt. Idem exemplum secuta est terra Dobrinensis, & itidem nemine contradicente est nobis juncta. Accedebant aliorum Palatinatuum & Districtuum partes satis magnæ, cum in omnibus præter Plocensem & Ravensem Palatinatus, terramq; Dobrinensem scissiones fuerint, longe tamen fortiores erant ubiq;, qui nostras partes sequerentur, & si eo die naturalem suam tarditatem oblitus fuisset, & fortiter institisset Primas, negotium in favorem Principis de Conti meliorem exitum habere potuisset. Cum enim separati fuissemus, vix non triplò major nostra pars erat & pernoctata prævenienda erat, quæ multum nobis roboris ademit, cum Legatus Galliæ nihil quod daret haberet, è converso Saxonicæ pecuniæ non guttatim, sed pleno alveo fluebant, quæ numerum nobis adimebant, illis augebant.

Scias ob insinuatas & non insinuatas rationes, tibi exprimendas ab eo cui notæ sunt, quòd si ducenta saltem millia talerorum præstò fuissent Legato Galliæ, gloriosissimè nemine contradicente in favorem Principis *de Conti* res cessisset, sed cùm hi qui partis contrariæ capita erant accipere omnino vellent, & ille nihil haberet eò pertracti alios pertrahebant, ubi non promittebatur, sed realiter pecunia numerabatur.

Accessit & cunctatio Palatini Vilnensis, qui dum agendúmne esset, an non agendum deliberabat, multis arripiendi contrarias partes dedit occasionem. Noctem ergo totam per continuationem, cùm nullatenus prolongationem nobilitas concedere vellet, in campo impendimus & summo mane multò quàm heri debiliores, media quærentes impediendæ scissionis, advertimus ita in Electorem Saxoniæ animos inclinatos, ut nec domus Regia spem amplius regnandi haberet. Missus fuit Alexander Josephus Załuski Palatinus Ravensis Frater meus à Cardinali & parte nostra ad Palatinatum Cracoviensem, ut Deputatos mitteret ad conveniendum de Candidato, modò illi à suo recederent, cujus dubiam timebamus religionem, & nos fortè necessitate adacti & animâ rerum hoc est modo ulteriori promovendi destituti à nostro recessuros spopondimus, sed huic propositioni aures non accommodabantur, omnia violentiam spirabant. Currebamus per Palatinatus ex amore religionis & Patriæ, scissionis consequentias explicantes, insinuabamus conservationem liberæ electionis, quæ nisi per unionem & amorem Patriæ manuteneri poterat, execrabamur passiones, affectus, commoda proponebamus, periculis terrebamus, invitabamus ad unionem animorũ, sed illi qui ElectorẽSaxoniæ promovebant, jã etiã contra domũRegiã valde agebãt. Non placebat multis tam urgens & violenta ad thronum concurrentia, timebatur imminens scissio. Exierat in medium Princeps quoque Badensis, & jam magna pars in eum consentiebat, sed non erat ita potens, ut alias duas vincere posset. Interim considera & mirare mecum, quid acciderit.

rit. Venerat quidam Senator, quem honoris causa taceo, pro veris falsa narrans aut certè veris plurima miscens, nuntians iuransq;, à parte contraria jam nominatum esse electorem Saxoniæ ore Episcopi Vladislaviensis habentis quidem jus aliquod id faciendi, sed tantùm in absentia Archi-episcopi Gnesnensis. Idem rumor ab alijs, quos itidem taceo, non requirentibus causas, quibus ad id fuerit inductus allatus ad partem Saxonicam, quod scilicet Cardinalilis Primas Principem de Conti nominaverit, ita ut utraque pars exacerbata, vix non eodem tempore ad nominandos suos candidatos accesserit, ita publica via qui excidit & semitas quærit, errores & labyrinthos ambit. Pœnitebat utramque eò processisse unde nos ipsi pene revocassemus. Faxit Deus ut ex qua parte stat æquitas, fortuna etiam succedat. *A.C.1697* *Elector Saxoniæ ab una.* *Ab altera parte Princeps de Côti nominâtur Reges.*

Audiens autem strepitus & clamores extraordinarios in Palatinatu meo Plocensi, & quid sit factum resciens, magis mirabar, quàm lætabar, habui enim causam id non probandi, si minimum sibi, Reipubl: plurimum fisç fuisset Cardinalis, si quam heri exercuit, hodie continuasset patientiam, ex magnis molestiarum fluctibus emersissemus omnes, nihilque posthac aut mali metueremus, aut boni frustra cuperemus Nunquam suffragabar, ut Cardinalis quempiam nominaret sine consensu totius Reip. Itaq; non sine animi dolore & lachrymis sponte cadentibus, malè Patriæ ominari cœpi, cum libera electio per hanc scissionem tolleretur. Mille pericula, avertat illa Deus, prævidi, & ut palàm facerem non approbare me ullatenus has nominationes cum toto Palatinatu per aliam viam abij, nec gratiarum actioni in templo S Ioannis adfui, quod venienti Cardinali cum magna parte eorum, qui Principi Contio, favebant mandato Episcopi Posnaniensis occlusum erat, sed fere vi ab illis, qui eas habebant, claves acceptæ, & hæc solemnitas absoluta. Cùm verò ex vallis recessisset Cardinalis, relicto ibidem comitiorum Mareschalco & Episcopo Vladislaviensi cum sua parte, hic Episcopus protestatus est inprimis, contra ambitionem Cardinalis, quod invita, non consentiente, imò palàm contradicente tantâ Reip· parte, ad nominationem candidati sui accesserit, seque obligatum esse vicissim in vallis electorem Saxonicum proclamare, Mareschalcum equestrem ad suam partem invitare, sed ille juramenti sui memor, quòd in casu scissionis neutri parti adhærere debeat, sicut contra primam fecerat, ita contra hanc ultimam protestatus est nominationem. Hæc quoque pars in ecclesiam eandem pro gratiarum actione, se contulit ex qua Contiani abierant, & iterum hymnum Ambrosianum *Te Deum laudamus* cantavit. Qui historiam electionis hujus bonus integerque leget, quomodo non doleat ex meo bonorumque sensu, quamvis soleat interdum eventus esse gratior quàm causa, interdum etiam causa quàm eventus.

Ego eâdem nocte ad residentiam meam Pultoviensem septem milliaribus Varsaviâ distantem me transtuli, ne ulteriorum quæ sunt infallibilia inconvenientium sim testis.

Habes Eminentissime Princeps longam & leges transgressam epistolā, sed sæpius provehit me res ipsa, & filum istud relationum. Respub: nostra, quo loco sit vides, & quo produxerunt nos acerba quorundam consilia, nec percocta satis ad prudentiæ solem &c.

P. S. Promissum sermonem meum primo die comitiorum Electionis dictum, & latinitati donatum annecto.

A.C.1697

SERMO ANDREÆ ZAŁUSKI EPISCOPI PLOCENSIS, IN MEDIO VOTIVÆ MISSÆ DE SPIRITU S. DIE 15. MAJI IN COLLEGIATA VARSAVIENSI DICTUS.

Optio vobis datur, eligite. Josue 24.

Dicat quidcunq; velit externus livor, eximia hæc est Poloniæ nostræ singularitas, quod liberis vocibus eligamus Regem, & non in cunis solâ nascendi sorte inclytam, sed in campo electorali, ceu virtutis theatro, tot suffragijs, quot lingvis liberè electam colamus Majestatem. Romani Imperij electio septemvirûm calculis definitur, alijs antevertente Lucinam aliena ambitione Princeps obtruditur, sola Polonia nullum passa jugum & libertas cervices sub hastam flectere nescia, rarâ & cunctis gentibus invidendâ sorte, sub Jove libero quærit & invenit Dominum. Non illa serviliter supplex Monarcharum clientelas prensat, verùm ipsa potiùs prensari ambit, idq; sepo to discrimine. Athenis nati sint an Thebis? in gremium recipit. Assequuntur alij casu, quod virtuti debetur; genere inclyti, genio degeneres, quibus deinde, nec fortia majorum facta stimulos veræ laudis addunt ad gloriam; quemadmodum Dionysio nihil Æschilij pugillaria profuerunt. Nos solam in solio virtutem locamus: Optimum quemque electio invenit. Licet nobis, non ex nobis sed ex DEo gloriari, quod per nos Reges regnent. Hinc inter avita gentis nostræ decora recensemus, quod cauti futurorū providendo pridiè, ne pœniteat postridiè, electionem maturo consilio auspicemur. Una alibi Regnatrix domus, cæteri servi, colimus Poloni Serenissimorum Regum nostrorum stirpem, verùm liberas voces & corda, in sui cultum, ac reverentiam, non regius sangvis, sed digna regio sangvine virtus inclinat: pro arbitrio legimus Principem, donec unus eligatur, multi arcanis votis, tacitisq; animis designantur. Contermine nationes, servituti congenitæ, grates & obsequia regnantibus suis debent; nobis gratiæ ab ipsis regnantibus sunt debitæ, quibus ita corda obligamus nostra, ut vicissim nobis obligatos velimus. Neq; enim ulli, Lechiæ se purpura supplex obtulit, aut ullus meruit regnare rogatus, verùm supplices ad purpuram requirimus, regnaturosq; volumus regnare rogati. Infremisces ad hæc externe livor, sed eum procul nimis aspicis, nihil vides. Non indulsit tibi Supremum Numen, spartham tam nobilem, subtraxit libertatis prærogativas, quibus nos in benedictionibus dulcedinis prævenit. Non fecit Dominus taliter omni nationi. In quæstionem vocat Euthymius, cur Zacharias Propheta DEum communem omnium nationum, quæ sub cælo sunt, Dominum, speciali sed accommodo titulo DEum Israëlis appellet eandemq; appositè sic demum resolvit. Quia cæterorum quidem DEus erat Dominus etiam ipsis nolentibus, solorum autem Israëlitarum ultroneè, & per cognitionem. Si igitur specialis DEi prærogativa Euthymio visa est Regem Israël proclamari, utpote ultroneis populi Israël suffragijs pro Rege agnitum, quidni prærogativæ nostræ accenseamus, Regem nobis non nolentibus, verum per collatā ultroneè potestatē volentibus imperitare, thronū votis omniū conscendere, diadema omniū nostrū acclamatione capescere. Nobis profectò tam ad cautelā, quàm ad gloriam illa divini co-

dict

dicis effata deserviunt: reliquit eos in manu consilij sui. Regnum intra vos est, seu ut Tertulliana periphrasi loquar, in vestra manu, in vestra est potestate. Deduxit olim columna gentem Israëliticam, quæ ex parte altera lucem, nubem ex altera repræsentabat, Deducit te flos congregatæ Lechicæ nobilitatis, in portum voluntatis tuæ arbitra consiliorum numinis providentia, cui si obediveris, lucem benigniore radio electionis comitijs affulgentem, si non obediveris, nubem consilia tua inumbrantem experiere. Optio Tibi datur. Respice à dextris obortum Tibi lumen, à sinistris inauspicatum nubilum, obverte quaquaversum palpebram, quò volueris porrige manum tuam. Bonum imò optimum Principem in vota vocas? cum nempe qui conjurato in te Thracio orienti fatalis sit occidens, felicitatis tuæ bajulus sit Atlas, pristini splendoris & gloriæ, exoriens sit Phosphorus, ecce in manu consilij tui siti sunt comitiorum eventus. Optio tibi datur, bonus vel malus Princeps, ut placuerit dabitur tibi. Providè tamen advertas velim, ut quòd ad salutem tuam comparatum est, per abusum non vertatur in perniciem. Induc in animum; libertatem Elephanti, non incongruè comparari posse, qui casu allisus ad solum, mole corporis ruinam urgente, pariter & fovente, ægrè aut nunquam à casu consurgit: cave ne si in gravissimo electionis negotio (in quo ceu in bello bis errare non licet) cespitaveris, infestarum gentium sibilis impetaris, jacto in te probro quod postliminio libertatem prodigentibus servis dicaces Athenæ inusserunt: Nescivisti liber esse, scias ergo esse servus. Utinam consulere ac prospicere tibi aut scires aut velles dilecta Sarmatia, phœnicis in modum è busto proprio renascerere & renovatâ in aquilæ sortem juventâ ad pristinæ felicitatis apicem evolares. Adhuc formidabilis hostibus, gloriosa vicinis socijs, nationibus gratiosa, incorruptam ad posteros famam propagabis, dummodo præsenti actui, cujus theatrum est orbis universus, spectator DEus, argumentum salus publica, epilogum à zelo majorum tuorum non degenerem imponere satagas. Patrium itaq; argumentum, ex hac exedra composito ad nativam sinceritatem eloquio, sinè accurata dicendi methodô pertractabo, neq; enim suadam de libertate, pro libertate verba facturam, legibus & numeris oratorijs arctari convenit. Cæterùm quia nihil ritè nihilq; providenter sine Opt, Maximiq; Numinis ope, consilio, & honore auspicamur, precandi formulâ à collegio Apostolorum mutuabimur, quâ olim in bivio electionis constituti, optimos è cælo successus pro designando è duobus unô pessimi discipuli successore imploravêre orantes dixerunt: Tu Domine qui corda nosti omnium ostende quem elegeris. Ponamus & nos orationis thymiama coram Domino, ut sortes quæ à nobis in urnam mittentur à Domino temperentur. Nisi enim manuducente Domino, campum electoralem subierimus, inter numerosos competitores, quærens meliorem, cum copia sit optimorum, patria nostra num hac an illac ire debeat, incerta consilij erit. Obsecramus ergo Domine, mitte quem missurus es. Illustra cordium nostrorum arcanas latebras, ut non in contentione, aut æmulatione, sed in mutuo fraternæ concordiæ nexu, in vinculo charitatis, legibus & majorum nostrorum exemplis, ob oculos positis, Tuam DEus optime maxime gloriam, ecclesiæ decus, fidei præsidium, Patriæ incolumitatem, pro scopo consiliorum in labyrintheis comitiorum meandris pro Ariadnæ filo, pro regula deliberationum nostrarum, fixâ & immotâ palpebra respiciamus. A.C.1697

Dilatâ in campum electoralem sententiâ, quam liberè tanquam civis Patriæ, intrepidè tanquam jurisjurandi memor, promam Senator, licet anathema pro fratribus me fieri contingeret, fiducialiter dicam, & non timebo: Ad præsens in conspectu DEi, qui verba sacri Oratoris vult esse

A.C.1697

SERMO ANDREÆ ZAŁUSKI EPISCOPI PLOCENSIS, IN MEDIO VOTIVÆ MISSÆ DE SPIRITU S. DIE 15. MAJI IN COLLEGIATA VARSAVIENSI DICTUS.

Optio vobis datur, eligite. Josue 24.

Dicat quidcunq; velit externus livor, eximia hæc est Poloniæ nostræ singularitas, quod liberis vocibus eligamus Regem, & non in cunis solâ nascendi sorte inclytam, sed in campo electorali, ceu virtutis theatro, tot suffragijs, quot lingvis liberè electam colamus Majestatem. Romani Imperij electio septemvirûm calculis definitur, alijs antevertente Lucinam aliena ambitione Princeps obtruditur, sola Polonia nullum passa jugum & libertas cervices sub hastam flectere nescia, rarâ & cunctis gentibus invidendâ sorte, sub Jove libero quærit & invenit Dominum. Non illa serviliter supplex Monarcharum clientelas prensat, verùm ipsa potiùs prensari ambit, idq; sepo. to discrimine. Athenis nati sint an Thebis? in gremium recipit. Assequuntur alij casu, quod virtuti debetur; genere inclyti, genio degeneres, quibus deinde, nec fortia majorum facta stimulos veræ laudis addunt ad gloriam; quemadmodum Dionysio nihil Æschilij pugillaria profuerunt. Nos solam in solio virtutem locamus: Optimum quemque electio invenit. Licet nobis, non ex nobis sed ex DEo gloriari, quòd per nos Reges regnent. Hinc inter avita gentis nostræ decora recensemus, quòd cauti futurorũ providendo pridiè, ne pœniteat postridiè, electionem maturo consilio auspicemur. Una alibi Regnatrix domus, cæteri servi, colimus Poloni Serenissimorum Regum nostrorum stirpem, verùm liberas voces & corda, in suû cultum, ac reverentiam, non regius sangvis, sed digna regio sangvine virtus inclinat: pro arbitrio legimus Principem, donec unus eligatur, multi arcanis votis, tacitisq; animis designantur. Conterminæ nationes, servituti congenitæ, grates & obsequia regnantibus suis debent; nobis gratiæ ab ipsis regnantibus sunt debitæ, quibus ita corda obligamus nostra, ut vicissim nobis obligatos velimus. Neq; enim ulli, Lechiæ se purpura supplex obtulit, aut ullus meruit regnare rogatus, verùm supplices ad purpuram requirimus, regnaturosq; volumus regnare rogati. Infremisces ad hæc externe livor, sed cum procul nimis aspicis, nihil vides. Non indulsit tibi Supremum Numen, spartham tam nobilem, subtraxit libertatis prærogativas, quibus nos in benedictionibus dulcedinis prævenit. Non fecit Dominus taliter omni nationi. In quæstionem vocat Euthymius, cur Zacharias Propheta DEum communem omnium nationum, quæ sub cælo sunt, Dominum, speciali sed accommodô titulo DEum Israëlis appellet eandemq; appositè sic demum resolvit. Quia cæterorum quidem DEus erat Dominus etiam ipsis nolentibus, solorum autem Israëlitarum ultroneè, & per cognitionem. Si igitur specialis DEi prærogativa Euthymio visa est Regem Israël proclamari, utpote ultroneis populi Israël suffragiis pro Rege agnitum, quidni prærogativæ nostræ accenseamus, Regem nobis non nolentibus, verùm per collatã ultroneè potestatẽ volentibus imperitare, thronũ votis omniũ conscendere, diadema omniũ nostrũ acclamatione capescere. Nobis profectò tam ad cautelã, quàm ad gloriam illa divini co-

dici

dicis effata deserviunt: reliquit eos in manu consilij sui. Regnum intra vos *A.C.1697* est, seu ut Tertulliana periphrasi loquar, in vestra manu, in vestra est potestate. Deduxit olim columna gentem Israëliticam, quæ ex parte altera lucem, nubem ex altera repræsentabat, Deducit te flos congregatæ Lechicæ nobilitatis, in portum voluntatis tuæ arbitra consiliorum numinis providentia, cui si obediveris, lucem benigniore radio electionis comitijs affulgentem, si non obediveris, nubem consilia tua inumbrantem experiere. Optio Tibi datur. Respice à dextris obortum Tibi lumen, à sinistris inauspicatum nubilum, obverte quaquaversum palpebram, quò volueris porrige manum tuam. Bonum imò optimum Principem in vota vocas? cum nempe qui conjurato in te Thracio orienti fatalis sit occidens, felicitatis tuæ bajulus sit Atlas, pristini splendoris & gloriæ, exoriens sit Phosphorus, ecce in manu consilij tui siti sunt comitiorum eventus. Optio tibi datur, bonus vel malus Princeps, ut placuerit dabitur tibi. Providè tamen advertas velim, ut quòd ad salutem tuam comparatum est, per abusum non vertatur in perniciem. Induc in animum; libertatem Elephanti, non incongruè comparari posse, qui casu allisus ad solum, mole corporis rùinam urgente, pariter & fovente, ægrè aut nunquam à casu consurgit: cave ne si in gravissimo electionis negotio (in quo ceu in bello bis errare non licet) cespitaveris, infestarum gentium sibilis impetaris, jacto in te probro quod postliminio libertatem prodigentibus servis dicaces Athenæ insusserunt: Nescivisti liber esse, scias ergo esse servus. Utinam consulere ac prospicere tibi aut scires aut velles dilecta Sarmatia, phœnicis in modum è busto proprio renascerere & renovatâ in aquilæ sortem juventâ ad pristinæ felicitatis apicem evolares. Adhuc formidabilis hostibus, gloriosa vicinis socijs, nationibus gratiosa, incorruptam ad posteros famam propagabis, dummodo præsenti actui, cujus theatrum est orbis universus, spectator DEus, argumentum salus publica, epilogum à zelo majorum tuorum non degenerem imponere satagas. Patrium itaq; argumentum, ex hac exedra composito ad nativam sinceritatem eloquio, sinè accurata dicendi methodô pertractabo, neq; enim suadam de libertate, pro libertate verba facturam, legibus & numeris oratorijs arctari convenit. Cæterùm quia nihil ritè nihilq; providenter sine Opt, Maximiq; Numinis ope, consilio, & honore auspicamur, precandi formulâ à collegio Apostolorum mutuabimur, quâ olim in bivio electionis constituti, optimos è cælo successus pro designando è duobus unô pessimi discipuli successore imploravêre orantes dixerunt: Tu Domine qui corda nosti omnium ostende quem elegeris. Ponamus & nos orationis thymiama coram Domino, ut sortes quæ à nobis in urnam mittentur à Domino temperentur. Nisi enim manuducente Domino, campum electoralem subierimus, inter numerosos competitores, quærens meliorem, cum copia sit optimorum, patria nostra num hac an illac ire debeat, incerta consilij erit. Obsecramus ergo Domine, mitte quem missurus es. Illustra cordium nostrorum arcanas latebras, ut non in contentione, aut æmulatione, sed in mutuo fraternæ concordiæ nexu, in vinculo charitatis, legibus & majorum nostrorum exemplis, ob oculos positis, Tuam DEus optime maxime gloriam, ecclesiæ decus, fidei præsidium, Patriæ incolumitatem, pro scopo consiliorum in labyrintheis comitiorum meandris pro Ariadnæ filo, pro regula deliberationum nostrarum, fixâ & immotâ palpebra respiciamus.

Dilatâ in campum electoralem sententiâ, quam liberè tanquam civis Patriæ, intrepidè tanquam jurisjurandi memor, promam Senator, licet anathema pro fratribus me fieri contingeret, fiducialiter dicam, & non timebo: Ad præsens in conspectu DEi, qui verba sacri Oratoris vult esse

A.C.1697 aculeos, qui non pungant modò, sed & compungant, non rosas, aut temporarios flosculos, qui fucatâ suavitate animos demulceant. Illa è sacratiore hac exedra proferam, quæ dicenti æquè ac audientibus necessaria ac salutaria esse intellexero. Si cui autem ex cathedra veritatis (quæ palpum nescit) infixus veritatis aculeus ima pervaserit, ut dolorem leniam parebo monitis Apostoli: Formam habe sanorum verborum, atq; exemplum Deiparæ secutus, quæ incarnatam Veritatem æternam delicatis involvit fascijs, indubitata irrefragabilis veritatis axiomata (ne odium pariant) sub specioso velamine proponam: non ignarus veritatem in modum lustralis aquæ leniter inspersam in gratijs, largius affusam in odio reponi. Non cuivis stomacho commoda medicina, neque cuilibet tempori, aut loco est veritas. Temporibus medicina placet, data tempore prosunt consilia, quippe optima locô & morâ convalescunt. Si tamen vera pro gratis, saniora pro suavibus, amara pro dulcibus necessitas loqui coget, Veronensis esse malim, quàm Placentinus, ut omnibus quæ è suggestu à me dicentur, libertas, fides, veritas constet, tantumque à specie adulationis absit dictio, quantum abest ab adulandi necessitate. Palàm cæteroqui edico, me ut honoris alieni perquam studiosum, ita laudis aut vituperij parcum fore, neminem criminabor, sed nec palpabo. Liberè tamen cum sancto Hieronymo admoneo si quis mihi irasci voluerit, ipse de se, quòd talis sit confitebitur, dum irascuntur suam indicant conscientiam, multoq; pejus de se, quàm de me sentiunt, ego enim nullum nominabo. Sub schemate Samuelis sincero simplicíq; stylo, quem aureis Poloniæ sæculis, apud majores nostros viguisse cõpertum habeo cum charissima, dulcissimaque mihi Patria colloquium instituam.

Ignotam nemini arbitror historiam quam in libro 1mo Regum sacri annales enarrant. Præceperat Deus Samueli, ne lachrymis nihil profuturis eũ defleret, quem irrevocabilis Domini sententia à throno Regio submovisset. Usquequo tu luges? amplissimam equidem lugendi materiam subministraret dolor ex amisso Principe, quò non major, non præstantior alter consilio seu Marte fuit, cujus non intermoritura nisi cum hominibus memoria vigebit. Verùm fata accusare possumus, mutare tamen non possumus. Usquequo luges: nolo agit Dominus ut regnet super Israel, providi enim mihi Regem. Accingere Samuel, progredere Principem per æterna divinæ mentis sancita genti tuæ destinatum investiga. Promptus alioqui divina capessere jussa Samuel timorem suum Domino insinuare non veretur, quomodo vadam interficient me. Intentatas quippè mihi minas, professa odia, furores doloso cinere tectos, Domine non ignoras. Iam Patrijs moribus & firmatæ à tot sæculis electionis praxi contranitentes, in loco comitijs designato temporaneæ (pro more Patrio) structuræ latera nudare animo proponunt, ut sclopos in rectè sentientium de Rep: procerum pectora, velut in destinatum scopum colliment. Producuntur inter mutua colloquia Glinianenses, nulla historica fide subnixæ, verùm è privatis nullo veri falsivè discrimine, confectis scripturis excerptæ fabulæ, terrent undique accensa, in discordiarum fomite irarum fulgura, detonant verborum fulmina. Quomodo vadam? quomodo jussis tuis obsecundabo, ne timeas ait Dominus Samueli, comitem tibi ut laborum, ita laudis & gloriæ socium destino supremum consiliorum arbitrum, qui charitate ut filius, curâ ut pater, & munere & sollicitudine primus, vigiles curas ad patriæ intendit commoda. Præsto adest Senatus, cui quemadmodum sine ambitione curules, ita sine intermissione erga Patriam curæ. Leva in circuitu oculos tuos in cives patriæ, assertores libertatis, tutores jurium, avitæ majorum suorum gloriæ hæredes, Circumvallat te ad tutelam communis nobilitatis motus, Christiani-

ſtianitatis antemurale nulli unquam potentiæ externæ pervium, libertatis *A.C.1697*
à majoribus partæ præſidium, ruituræ fulcrum. Omnes iſti venerunt tibi, non ut multitudine vincant, numero opprimant, terrorem incutiant, ſed ut aureum libertatis monile tueantur, aquilæ Sarmaticæ pupillam liberæ electionis medelâ illæſam conſervent.

Ne vereare proinde Samuel eos, quibus in turbis quies, in turbido lucrum, quorum capita aquilonaribus plena procellis, qui non ſapiunt ad ſobrietatem, verùm ab ebrietate ſopiuntur, atq; ſpiritu vertiginis, ſpiritu vitrioli, ad violenta per vinolenta rapiuntur. Pacificus erit ingreſſus tuus: plures conſilijs liberæ vocis adminiculabuntur. Pari ſecuritate loquemur, & audiemur. Cæleſte quippe Numen, in cujus manu ſunt corda filiorum hominum, unicordes & unilingves, novo omnipotentis dexteræ plaſmate ad nutum tuum efformabit. Carebunt eventu peſſima conſilia, doloſæ machinæ, atq; monſtroſæ machinationes, ſubſtructione caſſæ, ruinam ſibi accelerabunt: malè conſulti ſcrutatores, & impugnatores libertatis à libertatis gloria opprimentur. Diſſipabit Dominus conſilia Achitophel, hæc eadem ſaxa quæ jacere parant in innocuos, in nocua illorummet capita revolventur, illis ipſis laqueis, quos vinciendæ libertati ſtruxerunt, ipſimet innodabuntur. Et tu quisquis es, qui ſacrilego ferro dextras filiorum contra matrem armaſti, qui per abominandas factiones, per oppreſſionem populorum aliquid elaborare conatus es: ipſe non jam in ſcena, ſed in pœna infortunij tui architectus fies. Vindice Numine opprobrium tuum ipſe portabis, quô & ſaturaberis, doli artifex tuomet dolo cades, acinacem in officina tua elaboratum viſcera propria recipient; gladius eorum intrabit corda eorum. Si diſpoſuiſti in corde tuo per ruinas noſtras tibimetipſi, vel cuipiam alteri aſcenſum? ſi per oppreſſionem innocuæ plebis, tuam vel alienam fortunam extruere? confundam ait Dominus conſilia tua, infirmabo conatus, cuniculos detegam, factus in diriſum, & improperium nationibus, deſertus ab alienis, ſpretus à tuis experieris tandem quòd fuerint opera tua, opera inutilia, cogitationes tuæ, cogitationes inutiles.

Obfirmatum contra panicos timores, atq; contra pericula obarmatum Samuelem, ulterioribus mandatis DEus inſtruit. ***Vitulum de armento tolles in manu tua.*** Dum hæc verba in ſacro codice tacitus expenderem, ingenuè (ut par eſt in conſpectu Domini) fateor, vehementi me terrore perculſum, mentemq; undiq; ingruente anxietate inquietatam. Subverebar quippe ne fortè Samuel eam genti noſtræ ignominiam accerſeret, quam olim populi metu adactus Aaron Iſraëli accerſivit. Veſano quippe plebis DEi unius potentiæ diffidentis fremitu & ſacrilegis illis vocibus interpellatus. Fac nobis DEos, fecit vitulum. Pro DEo, pro exercituum Domino, non ſaltem Reginam volucrum aquilam, non leonem fortiſſimũ beſtiarum, ſed vitulum malè ſanis capitibus ad opprobrium ſtatuit: ſcilicet ut quilibet, hunc factum fictumvè DEum ad arbitriũ ſuorum moderaretur, & in modum vituli ad nutum ſuum circumduceret. Proh! quantum Reſp: detrimenti caperet! quantum nobis opprobrij apud vicinas gentes conflaretur! ſi hac tempeſtate talis Reipublicæ Princeps obtingeret, qui mentis inops, meritis caſſus, moribus degener, imò brutum pecus & conflatilis, ex inauribus & profanis mulierum amoribus vitulus audiret. Profectò maximè Prophetarum Samuel maculam & in tua & in noſtra gloria poneres, atq; ſplen-

dorem

A.C.1697 dorem nominis horrida ecclypsi inumbrares, si personatum in Principe vitulum non in ara immolandū, sed in corona adorandū proponeres. Post Claudij Cæsaris fata Romanꝰ populꝰ Divinos honores per adulationē coronato illi, seu bruto, seu caudici (hominis quippe loco nunquā est habitꝰ) legè lata deferre moliebatur. Re ad Patres conscriptos devoluta contemptu explosa est postulatio, jacto in publicū scōmate. Hunc Deū quis colet? quis aras illi, quis Flamines consecrabit? quis opis indigus à tam probroso numine opem flagitabit. Ridebitur Claudius Deus, sed magis ridebitur Roma, quæ illum in Divorū numerum retulerit, quem paulò ante è vivorum numero expunxerat. Ridicula hujusmodi Gentilium numina explosit jam olim divus Augustinus inquiens. Dum tales Deos facitis nemo vos Deos esse credet. Electio indignorum, multum de dignitate eligentium decerpit: qui radios vertici inglorio apat; non illustrat frontem alienam sed propriam obfuscat. Temeritas electorum cùm quosdam ornare voluit, non illos honestavit sed ornamenta ipsa despurcavit. Avertat clementissimum numen, hanc à Rep: nostra temeritatis labem, ne versa in luctum cythara nostra cum Eliseo ploremus. Vidi servos in equis, & Principes ambulantes quasi servos super terram. Innovares Samuel abominationes infelicis quondam sæculi, cujus erat summa votorum melior pessimo Princeps, sceptro frangendo aptior quàm ferendo. Neque enim quisquam imperium flagitio quæsitum bonis unquam artibus exercuit.

Verùm meliora de prudentissimo electore ac magistro Samuele sperare ausim, cujus spectata, commendataque in sacris paginis prudentia, omnem ab animo anxietatem proscribit, promittit suâ perspicaciâ perficiendū, ut candidatum de magnitudine meritorum & throno dignarum qualitatum metiatur, longè diversum ab illo equite, qui sinè fræno cursitando in equo quæsitus, quo pergeret? interrogandum potius esse eqvum quò assessorem duceret? respondit.

Procede jam Samuel in campum electoralem, unge cornu tuum oleo, revise domum Isai, cujus ubi limen attigeris, illico in conspectum venient Eliab, Aminadab, Sama putatitij scilicet candidati, servire nati, non imperitare. Singulorum ethymon commendatoribus enodandum sepono: ne si nominum interpretationes operosè sub calculum vocavero, cujuspiam (ut ajunt) ulcus tetigisse videar. Rebus quippe nomina convenirent, & singulorum fortunæ sententia Domini aptè congrueret, uni, projeci eum, alteri, non hunc elegit, reliquis, non elegit Dominus ex istis. Mitto proinde ista, utut ad propositum non parum factura. Redeo ad Samuelem. Accuratissima a te Samuel cautela, exquisitissima prudentia, in electionis negotio deposcitur; in hoc quippe unico cardine salus publica, fortuna civium, majestas imperij nititur, & horum ruina te quoque fractura est Illum ante omnia Regem eligendum persvasum tibi habe, qui fidem Romano-catholicam, quæ columen Patriæ & nostrorum est mora fatorum propaget, ac propugnet, qui non vano obtentu ficti, pictique Catholici personam referat, sed quem se foris ostendit, intus verè Catholicum sentiat. Statuti nostri primum alpha est: Rex Catholicus esto. Excidium sibi acceleraverunt Bethsamitæ, quòd in adventu arcæ Domini, privata natalis soli commoda gloriæ Dei præhabuerint; alloquor te proinde Samuel verbis Aurelij: Res divinas age, & DEus res tuas perficiet.

Elige Samuel Regem, qui pium se non mentiatur verbis, sed factis cōmonstret Patrem Patriæ, non Tyrannum, qui norit civium non servitutem sibi traditam sed tutelam. Illius quippe Principis magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quàm pro se sciunt; qui cum omnia possit sola sibi credit licere laudanda, cujus vigilantia omnium som

um som

um somnos defendat, omniū otiū illi9 labor, omniū delicias illi9 industria, om- *A.C.1697*
niū vacationē illius labor procuret: quem non sua, sed publica, seu damna moveant, seu commoda delectent, munificum de proprio non profusum de alieno. Memineris Samuel gramen & stramen unius esse partus gemellos, sua cuique grano palea est, sed discerne paleam asinis, Regibus granum deberi. Non perstringat oculos tuos bracteatus fulgor, ut tanti glaciem, quanti crystallum æstimes, tanti vitrum, quanti margaritam. Ostendit iris colores, quos non habet, atque specioso mendacio humanam ludit palpebram. Nec quælibet nubes rore fœta est, nec in cujuslibet Regis gratia, quasi imber Serotinus. Ex horrido dumo delicata progignitur rosa è molli cespite acutissimi prodeunt paliuri. Non præsentibus tantummodo intende, quæ prima sui specie fucum faciant, sed providum animum transmitte ad futura. Recogita Samuel eum, qui sibi soli bonus, omnibus esse malum: talis enim non curat, ut alijs sit malè, modò sit ipsi benè. Necesse quoque est Principem etiam opibus affluere, ne egeat: latro in cruce memoriam sui Christo ad Regnum suum perventuro insinuavit, quia agnovit Dominū, in cujus manu divitiæ & gloria. Intolerandæ dementiæ est, plumbeos Iros in aureo throno collocare, vilissimaque res habetur majestas egens.

Eo animo Samuel publici consilij locum occupa, ut partibus neque studeas neque faveas. Perniciosa Reipublicæ atque communitatibus omnibus invisa semper fuit singularitas. Et quia attestante Origine: unusquisque nostrûm non est unius, sed multi, propensionem quam omnibus in commune debes, ad particulares personas ne restringito.

Vellem Electoralem campum arcæ Noë esse persimilem, quam animalia selectu divino non favore humano subierunt. Odiosum quippe favoris vocabulum, nec in veteris nec in novi testamenti codice sacer textus uspiam expressit. Sint necesse est Samuel consilia tua è prudentiæ dictamine deprompta, sequiore affectu non temerata, sed Cardinalibus Regni legibus ad amussim exæquata, nisi præsideat comitijs electionis incorrupta erga Patriam fides, sententiam dicat pietas, suffragia colligat fidelitas, Gordios difficultatum nodos dissolvat justitia, æqui rectique arbitra, illimis conscientia electionis decretum formet, quod timor Domini, ad perpetuam rei ex æquo rectoque gestæ memoriam sigillet. Nisi ingenia novandis, quam gerendis rebus aptiora & manu quàm consilio validiora à consilio submoveris, præter acceleratam tibi perniciem, nos quoque in exitij tui Societatem pertrahent, atque ex felicitatis apice in barathrum infelicitatis præcipitabunt. Quomodo salubre consilium, ut Divi Ambrosij sensu loquar, præsentibus comitijs inspirabunt, præsentissimo toxico plena viscera? quomodo pravi actione, proficui esse poterunt consultatione? quomodò è labyrintho educendis alijs operam navabunt, in quorum cerebro labirynthæi meandri hospitantur. Ex cœnoso fonte illimis unda haud scaturit: ad scopum sagitta langvida emissa manu non pervenit: oculi fundum non cernunt in aquis turbidis: non benè densâ nocte firmantur gressus, ubi foveis distinctum sit iter: ingruentibus Aquilonibus secura non est suo de lumine lucerna. Nequit ferre sententiam legibus conformem Iudex, qui timore percellitur, spe fluctuat, irâ fervet, malitiâ livet, vindictâ calet, ambitione tumet, avaritiâ pallet, & mille nocendi artibus pollet. Nemo male sanis capitibus consilia dictet non profutura, quibus sua placet fatuitas, nemo se ductorem ijs exhibeat, quibus errare volupe est: nemo sedeat ad clavum navigij in quo vehuntur, quibus naufragium in votis est: nemo eos à casu erigat, quos casus & ruina delectat.

Cave Samuel, ne te frangi potius quàm flecti sueta obfirmati ju-

A.C.1697 ducij pertinacia omnis inimica conſilij, in reprobum ſenſum declinet, ne privati lucri dulcedo, venalem à te ſententiam licitetur, ne amplius nummo argumentanti, quàm Platoni ratiocinanti deferas, ne aures auro præbeas, quod potentius Gallicano Hercule, catenatos animos in ſui flectit obſequium. Perniciosiſſimum toxicum avaritia eſt, quod omnes accuſant, pleriq; colunt. Colubrinum venenum, quod vitalia Reipub: membra depaſcitur, atq; in arterias fatali quadam torpedine, civium Patriæ vitam abſumit. Hinc Zoilus Athenienſis, non imperitè olim commentus eſt: è ferro auream libertatem, ex auro ferream ſervitutem eſſe progenitam. Si convellendæ libertatis obtentu munera quiſquam depromat Achaz, nihil ei ſua munera proſint, ſic cum Daniele: Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da, timeto Danaos, & dona ferentes, è quibus modicum emolumenti privatis opibus, detrimentum plurimum animæ, famæq; accedit. Quemadmodum mare omnia abſumit flumina, nec tamen tot abſorptis undis incrementum capere cernitur, flumina currunt & mare non redundat, ita marſupium alieno turgidum peculio, abundare ad ſpeciem videtur, verùm abundantia illa in poſterorum fortunam minimè redundat.

Obſerva eos Samuel, quorum ſonus de alto in ſpiritu vehementi firmitatem animi tui parat infringere. Verùm & à ſubdolis cave retiarijs, qui jacturam libertatis, in capturam deſtinant. Athenienſium cautum fuerat, piſcator retialis non ſit civis, ne in turbido Remp: ipſam piſcari poſſit. Exeſte ex Rep: Polona retiarij, fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum, nec enim perſpicaciſſima alitis Polonæ palpebra, contextum è retibus veſtris ſiparium ſibi obduci patietur. Pileus Hierogliphicon libertatis habetur, hunc ad ima aurium deprime Samuel, ne perniciosas libertati propoſitiones admittant, ne axiomata bono publico noxia excipiant, quibus abreptum, seductumq; cor vel præcurrat vel deferat rationem. Cunctatorem te eſſe volo cui potius cauta conſilia cùm ratione, quàm felicia ex caſu placeant. Progredere ſemitis antiquis in campo electionis, neq; compendia viarum cum Reipub: prenſa diſpendio: ſi in votis habes, ut libertas, quæ huc uſq; rumpebat jugum, frangebat vincula, intacta perſeveret, cave ne Patria ſervilem induta formam, Pilato cuipiam Regem obtrudenti: Ecce adduco eum vobis, obaudire cogatur, qui per violentam intruſionem Principem vobis deſignet: Ecce Rex veſter. Hoc enim ſi fieret, ſerò cum Judæis, tolle, tolle, inclamaremus, quia ſerò cum Phrygibus ſaperemus. Ne indormias arrepto ſemel negotio Samuel, partes in omnes lumina circumage, Argum centoculum imiteris oportet aut Apocalyptica illa animalia, quæ antè, retro, & intus oculis plena erant. Caudam mavult quàm caput exponere coluber, ut vitæ ſuæ conſulat, & tu præ oculis communis boni incolumitatem, integritatemq; habeto, atq; rectam in omnibus rationem ſequere & exequere, quæ velut viva conſiliorum idea, intentis in bonum publicum conſilijs ſemper obverſetur: & confide à Supremo Numine ideæ hujus ſapientiſſimo Archetypo pro ſuo & tuo genio optimum tibi Principem efformandum. Alta inſuper mente repoſtum habe Samuel, electionem liberis ſuffragijs expediendam nec implicatis factionibus ſed è ratione ſtatus liberi pro decoro terminandam eſſe, per juſtitiam quippe pervenitur ad regnum. Non ſtruunt, ſed obſtruunt iter ad ſolium factiones, extorta chyrographa, voces aurô ſeu coemptæ, ſeu venditæ. Fallax ad thronum iter, falſis promiſſis emitur,

dum

dum quippe impia sub dulci melle venena recondunt vanissimis spebus la- *A.C.1697*
ctantes simul ac lactati ludunt pariter & eluduntur. Interclusi sunto calles ad Regnum ijs, qui meditantur intrare ut vulpes, regnare ut lupi, quos ambitio impotens impellit, ut sceptrum scelere aggrediantur, quibus lingva magniloqua, manus otiosa, offerunt, non afferunt. Quotiescunque te Samuel impetierint ferales hujusmodi procellæ, tempestatesque sonoræ, pro stella polari, pro acu magnetica publicum bonum respice, ut ejus ductu feliciter & fortiter portum occupes. Non obvius quisque ad clavum Reipublicæ admovendus est, terræ equidem flores & arbusta sufficiunt sed polus Polonus primæ magnitudinis sydera, fulgentissimos planetas & maxima exigit luminaria, vel si terram in polum transformare placet, è gemmis Regio diademati inserendis, deligi pretiosissimam convenit, è candidatis ad Sarmatiæ diadema capessendum dignissimus deligendus est, qui sustineat authoritatem, ne inter casus collabatur, ne extingvatur inter tempestates, Electum Sarmatiæ Principem æqvum est assimilari palmæ, quæ ab imo quò altius assurgit, eò longiùs conspecta nitet, atque vastior est in summitate, quàm esse cœperit ex radice. Quem Deus ad Emphitheusim Polonici solij destinavit, necesse est excelsis gratiæ & naturæ dotibus esse conspicuum, ornari meritis, virtutum exemplis coruscare. Alioquin si rei parum, spei nihil affert, è diametro oppositam Sauli sortem nanciscatur cum Gregorio Nazianzeno; ut quemadmodum Saul quærens Asinas Regnum reperit, ita ille quærens Regnum asinas inveniat, inventasque in lucro & præmio indecoræ ambitionis reponat. Submoveatur, non meo sensu, sed Gregorij Nazianzeni, ab accessu ad campum electoralem, tollatur de numero & gremio civium, qui atro dignis calculo suffragabitur. Nullus ad vortum gloriæ designetur per gratiam, nullus ad occasum damnetur per invidiam, in auge & meridie dignitatis regiæ meritissimus ac optimus collocetur. Indigni atque meritis destituti ad Cimmerias noctes relegentur: ne alioqui Hierosolyma nostra lugenda metamorphosi transmigret in Babilonem, atque pulcherrima Reipub: symmetria, in immane confusionis barathrum degeneret. Gregorius magnus defixus in contemplatione cælestis civitatis in Divo Ioanne Evangelista delineatæ, non auream excelsi muri structuram, non singulas è singulis margaritis portas, non fundamenta omni lapide pretioso exornata, non decorem & pulchritudinem terrenâ majorem demiratur, verùm beatissimam illam cœlestis Reipub: sortem deprædicat, quòd portæ ejus dignis non clauduntur, econtra indigni, velut tribunitio edicto à cælesti beatitudine proscribantur: Pilosos, Satyros, trifauces cerberos offæ inhiantes, graves imperio Iovis Titanas recondat erebus, rapaces Harpyas Euxini maris unda absorbeat. Consimili edicto in Rep: Nostra non claudantur solum indignis dignitatum portæ, verùm etiam aheneis munimentis interpositis æternùm obstruantur, nisi crimen gloriæ apud infestas, numini Sarmatico nationes inferre, parentales lessos morituræ libertati occinere, adductæ in supremum discrimen Reipublicæ sepulchralem pompam extruere velimus, plenis comitijs indignos à probroso ad thronum ascensu prohibeamus, dignissimo congestis calculis suffragemur. Qui enim indigno favorem præstat, libertatis prærogativâ indignum se probat, atque omnium coram DEo, Patria, & sera posteritate criminum reus arguetur, quæ è pessima Regni administratione, tanquam è vitioso fonte pullulabunt. Vicariam Dei in terris potestatem Christus non Ioanni privatæ dilectionis intuitu, sed Petro meritorum respectu contulit. Submoveantur à throno repentes humi testudines, pusilli corde, mente tripalmares pumiliones: non viribus istis, non passibus ad similia eluctabuntur. Aquilinis pennis instructus sit, qui ad cacumina soli Regiæ volucri accessa

 evola-

A.C.1697 evolare connititur, humeros, lacertoſque habeat Atlanteos, qui incumbentem ſibi graviſſimam Regni molem, ex æquo & decoro ſufferre deſiderat.

Neceſſe eſt Samuel ad ſolium deligas Principem, non ſolùm Bellonæ artibus innutritum, verùm etiam manſuetioris Themidis ſtudio impensè deditum: ne oppreſſi ſupplices ad altra manus protendant, ut inde Aſtræam læſi ſui juris vindicem, è cælo evocent, quam nuſpiam in terris reperêrunt. Verùm ante omnia ſimultates, diffidentias, cenſorias traductiones, perniciosiſſimos corruptæ Reip: frutices, è cordibus civium ſtirpitus evellito, diſcerne falſos fratres à veris, dignoſce illos quorum verba melle ſunt illita, corda felle redundant, quorum ora ſtillant opobalſamum, viſcera mephytim exhalant, quorum lingva romphæa bis acuta, dum blanditur ferit, dum prenſat, enecat; qui dicunt bonum malum, & malum bonum: bilingves Tiberij, atq; inſtar Elephantorum Lybiæ, aut coturnicum Japoniæ bicordes, corde uno amorem reſpirant, altero odium recondunt; fidi in ſpeciem Achates, odio execrabiles. Vatinij zelum boni publici obtendunt, vindictam exacuunt, verte impium & non erit. Lutris hyberniæ perſimiles, quæ pedem unum ad natandum, alterum ad prædam intentum gerunt: verè Arabibus comparandi, quibus ſuaviſſimi odores in nauſea, ſulphuris malè olentis ſuffitus in delitijs habetur; qui corpore umbram demonſtrant; quorum vox, vox Jacob eſt; manus autem manus Eſau, exſtirpa Samuel vepreta rancorum, vineta deſpumantium colliſionum, atq; uberrima concordiæ, fraternæq; inter ſtatus confidentiæ oliveta implanta, Senatui equeſter ordo venerationem, equeſtri ordini Senatus amorem debet, ut mutuo nexu divulſi animi fœderentur, atq; interna pace conſtabiliantur, quæ quamdiu inter ordines Reip: illæſa vigebit, tamdiu patria opibus firma, copijs locuples, bello invicta, hoſtibus formidanda pacificis Minervæ oleis & triumphalibus Bellonæ laureis redimita effloreſcet. In ruinam propendet thronus Regius, quem uterq; Reip: ordo Senatorius & equeſter æquis humeris non ſuffulcit: Imperij corpus non niſi geminæ huic baſi ſolidè innititur: ſtatera felicitatis utramq; hanc bilancem æquilibrem exigit: Candida noſtra grandium alarum Ales, utriuſq; hujus alæ adminiculo in altum ſublevatur. Rempub: Polonam, non incongruè arte facto horologio comparaverim, cujus ſtatas vices moraſq; unius rotæ ad alteram debita ſubalternatio rectè coordinat; aut Sphæræ cæleſti, in qua corporum cæleſtium apta certis locis, ſedibúſq; connexio, non interruptos motus ciet, quorum alterna viciſſitudo, à ſupremo omnium motore & moderatore DEo, ad deſtinatos fines & effectus agitatur: aut deniq; globo terraqueo, quem temperie & gradu inæquales, libero deniq; adniſu æquales creaturæ exornant: in quo ex acerrima elementorum pugna ſuaviſſima coaleſcit harmania, ut neq; ignis aquis prædominetur, neq; undæ ignem è rerum natura proſcribant, verùm ut ut diſcordes in pulchritudinem & emolumenta univerſi conſpirent. Etiam in his electionis comitijs terra igni faveat, ignis terram foveat, unda undam in fluctus non protrudat, nec ſit in multitudine conſiliorum temeritas, ſed grata varietas, non crebra tanquam tempeſtatum, ſic ſententiarum variatio, ſed meditata variis modis medijſq; concordia.

Adverte Samuel quemadmodum ſurculus ſuccisus à ſtipite, illico emoritur, rivus abſq; fonte haud difficulter areſcit, gutta guttæ non continuata citò diſperit, ita qui pacis & concordiæ inimicus, ſpretâ animo-

nimorum unione, partibus studet, à corpore avulsus, cum Republica divisa interit. Frater qui adiuvatur à fratre quasi civitas firma. Nulla quippe sunt validiora, & magis ævum latura monumenta imperij quam adunata civium pectora, ubi studia in contraria vulgus scinditur, exitium præ manibus est, & domus supra domum lapsa cuncta in ruinam protrudit. *A.C.1697*

Memineris velim Samuel concordiam arbori esse persimilem, diffunditur circumquaque frondium nemus: versus meridiem alij, versus orientem & aquilonem alij se rami protendunt, ab una tamen prodeunt radice, uno fomentantur humore fructus coloribus suis interstincti, livent alij, rubent, flaventque alij, omnes tamen communem agnoscunt, & colunt stipitem, atque idcirco decora frondibus, fœcunda fructibus, firma radicibus arbos, non uno sternitur ictu. Proh infelices Patriæ cives? qui nascendi sorte, & libertatis prærogativâ æquales, in diversa & aversa rapiuntur: alios Aquilo vehementissimo privati commodi afflatu contra torrentem communis boni propellit: alios Zephyri & Favonij leni susurro in Euripum traducunt: alios turbulentus, creberque procellis Africus ad improvisas impellit Syrtes: atque jam in altum gloriæ & vanæ felicitatis educit, jam vertigine circumactos impellit in præcipitium. Veterum sæculorum annales in memoriam revocemus, atq; sollicita mentis indagine perscrutemur, qua de causa, tot victoriarum palmæ de manibus nostris extortæ? tot tamq; frequentes laureæ, in primo flore exaruerunt? cur tot triumphalium curruum rotæ in ipso victoriarum cursu diffractæ? cur Polona aquila toties nidos vel mutaverit, vel cum probro ac dolore cesserit, quoties amplissimas Provincias irreparabili jactura hostibus in æternam possessionem addixit? cur hæreditas non minùs rara sit nobis bellorum fortuna quàm brumæ clementia, aût mari malacia? cur potentia tali olim Europæ & Asiæ formidabilis imminuta robore? cur Majestas Sarmatici nominis velut nebula à Sole dispulsa? æternitatem imperij, æternæ urbis felicitati æmulam pollicebatur ingenitum armorum studium, jam emarcuerint bellaces quondam dexteræ: jam victoriosissima Reipublica Argo mersa procellis, penè tantùm summitate mali ex aquis eminente, naufragium se prodat? ex qua infelices posteri residuas post naufragium colligimus tabulas, cur veterem eorumque fortissimorum Heroum, qui nunc vivimus Echo sumus quæ per momenta dispèrit? cur parta à majoribus nostris gloria versa est apud conterminas nationes in opprobrium, parabolam atque ignominiam, nullis unquam non guttis dico, sed nec fluminibus, imò oceano lachrymarum abolendam. Nonne propter inolitam Genti nostræ discordiam, quam omnes clam persequimur, palàm prosequimur. Stemus, simus simul dilecte Samuel, & adversarius noster non prævalebit. Commonet DEus: esto consentiens adversario tuo in via. Vacat sanè (si tamen quod vacat & libet, liceret aut expediret) prætextu libertatis, modicas fovere simultates, & paululum studia in contraria ferri, dum quis in requie opulenta versatur, verùm in via infesta latrocinijs, præstructa insidijs, manifestis & inevitabilibus discriminibus obnoxia, num licet, aut expedit intestinis aut internecinis odijs dissidere, atque viperinis morsibus materna Patriæ viscera lacerare. Non benedixit Abraham filijs Ismael & Isaac, quia fide & moribus discrepabant. Nec benedicet Deus cives, quorum vita, mores, & corda à recto discordant. Vis signum veri Christiani unicum hoc est, si dilectionem habueris ad invicem. Vis indubitatum infernalis mancipij indicium; si mordetis vos. Avernalibus ignibus, fomentandis ante titio, æternum cremaberis qui per discordias, nobilissimam electionis structuram subvertere animo destinasti. Nemo in hac sacra æde nemo in Regno universo reperietur qui te impendentis è pravo regimine mali sive proprij, sive

A.C.1697 alieni architectum, lapidibus non impetet.

Pro comperto habe technas tuas in horribili tremendi judicii tribunali detegendas, & districtâ sententiâ fulminandas, teq; tanquam piacularem publici odij victimam orco immolandum. Querulabuntur adversum te fato suo gloriosè perfuncti majores, quorum manes quiescere non sinis, quorum fundatas propitiationis hostias, & manum piacamenta, per te intervertentur. Querulabuntur ij, quos sera gignet ætas, quando crescentibus annis, crescente patriæ ruina Trojam suam in Grajas abijsse Mycenas animadvertent. Verùm adstruet aliquis, difficile & captu, & factu esse, ultrà sensum injurias non admittere, & læsum jus proprium, quæsitâ vindictâ non resarcire. Sed arduum quoq; fuit Jordani adverso alveo fluere, atq; contra torrentem niti, & tamen conversus est retrorsum. Arduum in incineratione Pentapolis erat igni sphæra sua posthabita, qua sursū innato appetitu eluctatur, ferri deorsum, & tamen in pluviæ modum cælo delapsus est. Arduum erat ferro supernatare aquis, & tamen ad mandatum Elisæi, plano alveo natavit ferrum. Dum imperat DEus, dum bonum publicum id exigit, retrocedite flumina, leves flammæ sphæram, gravissima ferramenta centrum commutate. Pro coronide addo. Profiteris te an mentiris Christianum? si profiteris ánne ergò pudebit Christianum facere, quod fecit Christus. Accedebant majores nostri ad sacraria comitiorum, velut ad Sacramenta, ad quæ Christiano more acceptâ datâq; in vicem offensarum veniâ accedimus. Quàm decorum nobis, & patriæ proficuum foret, redire ad annos pristinos, menses moresq; antiquos, & Patrum nostrorum charitatem erga patriam gloriosâ imitatione complecti. Si hujus exempli Authorem & Ducem desideratis, vivit Dominus in cujus, & vestrûm conspectu consisto, quòd si perspectum haberem cuipiam (quidquid id esset hominis) adversum me esse offensam, cujus intuitu publica consilia intervertere, ac Remp: in ruinam propellere meditaretur, paratus sum è suggestu descendere & Domini mei & DEi mei exemplo ad pedes affusus, deprecator accedere. Omnes ad hanc resolutionem stimulent, si non damna publica, privata certè singulorum commoda. Nam ut veritatem palàm contester, suam quisq; fortunam in consilio habeat; necesse est, dum de publica deliberat. Nemo seu maximus in Repub: seu minimus quidpiam privatis suis commodis accessurum speret, si publicum bonum vacillaverit, si sinistra Reip: sors in electionis alea ceciderit. Cæterùm cum vox dicentem deficiat, optarem aliquem è majoribus nostris, è tumulo redivivum consurgere, ut vel simultaneâ, vel post me succedaneâ operâ exedram conscenderet, atq; concioni meæ efficacissima peroratione epilogum imponeret. Procul dubio sueta priscis sæculis emphasi, & zelo patrio hujusmodi verba depromeret: Majores vestros à quibus non interruptam seriem ducitis, posteros vestros recogitate. Ne degeneretis à semitis, quas monstravimus vobis: Eruite de interitu patriam vestram cui plus sangvinis litavimus, quàm in venis viventium posterorum nostrorum resideat. Moveant vos gemitus pauperum, commoveant lamenta miserorum, qui pondere miseriarum pressi ægra ducunt suspiria, in quorum oppressionem quâdam inclementiâ ita propendetis, ut si aërem in latifundia compingere liceret, è communi omnibus aëris usu monopolium statueretis, eò animos convertite, & ne de manibus vestris, DEus infelicitatem patriæ, Christianitatis confusionem, sangvinem Polonum, cujus effusionem discordia vestra effi-

cere

cere poteſt, requirat, profutura admovete, obſutura amovete. *A.C.1697*

Egredere jam, & proſperè procede Samuel ad campum electoralem. Virtus dexteræ Domini dirigat te & manuducat, ut talem eligas, qui Patrem ſe non herum ſtudeat vocari. Coronarium diadema illi cedat in præmium, qui orbis judicio optimus pronuntietur. Illi candidum appone calculum, ex cujus electione ſuam DEus gloriam, Patria conſolationem, hoſtes confuſionem, omnes ſecuritatem nanciſcantur. Avertat à Regno & Republica clementiſſima Dei bonitas, ne in electione ceſpitare contingat, ne poſt omnia deperdita & deplorata fruſtra intempeſtivas illas congeminemus voces: Ergo erravimus: aut aleatotis illius ſortem ſubeamus, qui prodacto per ruſum opulento Patrimonio, Irum paupertate referebat, qui Crœſum opibus æmulabatur, præſervet nos ab infelici periculoſæ hujus aleæ jactu omnipotentis Dei providentia, ad quem ſupplices manus menteſque protendimus, cujus miſericordiam non genibus ſolùm, ſed & cordibus nixi imploramus. O prompta parataque ad auxilium noſtrum divina dextera! quæ certius omni ope humanâ, præſidium polliceris. Nequit bonitatem tuam vincere malitia noſtra, nequit inexhauſtæ fons gratiæ, ingratitudine noſtra exareſcere, nequit ignis charitatis tuæ jugiter ardens ſeu tepore, ſeu frigore noſtro extingvi. E profunda miſeriarum valle, vota vivacia & voces ad te dirigimus Deus: opus manuum tuarum ſumus, indigni equidē ob malitiam ſumus ut exaudiamur. Verùm propter miſeriam inopum & gemitum pauperum exurge Domine. Bone IESU, qui mulieri per octodecim annorum ſpatium inclinatæ ſanitatem contuliſti: quam ubi primum ſacro manuum attactu donaſti, confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum. Extende beneficam manum ſuper Patriam noſtram, quæ opinione gentiū interno hecticæ malo ſquallet, ut ad priſtinum gloriæ apicem, tuo ſe munere & attactu erectam gaudeat. Cœlum craſtina die conſcenſurus es, ſed adhuc dum mane nobiſcum Domine in terra, donec voluntati tuæ placitum, publico bono habilem Principem eligamus, ſi te à nobis elongaveris, optio nobis è ſententia non ſuccedet. Colliſa ſaltem civium corda ante abitum aduna, malevolorum technas detege, confirma bonos eiſque auxiliū & conſilium ſubminiſtra. Converte captivitatem noſtram ſicut torrens in Auſtro. Hoc pacto duriora adamante corda liqueſcent, atque divi Chryſoſtomi voto reluctantes, & prope invitos urgebit, & protrudet torrens miſericordiæ. Deſigna nobis Domine inter ſcyllam & charybdim medium, quod utroque periculo evitato, ſalvâ nave, ſecuros & ſalvos deducat nos ad portum. Concede talem Principem, in quo manifeſtam facias Potentiam tuam. Amen.

LXX
STANISLAO JABŁONOWSKI
Caſtellano Cracovienſi Supremo Exercituum Duci Pultoviâ 28 Junij

Hortatur ad recedendum à ſuo candidato.

PErpetuitatem amoris tui tanti ſemper feci. ut ex omnibus rebus humanis, vix aliquid pluris æſtimaverim, ego etiam cum poſſem obſequebar voluntati tuæ, cùm non poſſem vehementer angebar. In literis tuis hoc manè ſcriptis benevolentiam agnoſco. Teſtor æternum omniaque videns ac ſciens numen, inſtituti mei rationē hanc ſemper fuiſſe futuramq; nihil ſtudioſius appetere, quàm Patriæ ſalutē in

eo mi-

A.C.1697 eo mihi divitiæ, in eo sunt omnia, quodsi non assequor, propositum tamen conandi, & cupiendi me delectant. Si consilio aut facto Rempub: juvare non possum, facio voto & animo, ac proinde talem me crede, qualem aut judicas aut optas. Non aspernor eam laudem præsertim si ab ijs, quorũ fama apud õnes est integra, proficiscatur. Et cum tu hanc de me opinionẽ susceperis, ejus deponendæ, aut imminuendæ tibi author esse nunquam velim. Cum autem occasiones obligandi me, amplecti te dicas, voluntati tuæ, & aliorum postulatis citra moram cedo, quamvis & aliorum futuri præsaga mens, parum spei concipiat, & mihi hæc infelicissima scissio stomachum moveat, præcido tamen omnem deliberationem, cum tua voluntas maximè legis vim pro summa tua non modo potestate, verùm etiam prudentia obtinere apud omnes debeat, me paratum ad obsequendum tibi in omnibus libenter exhibebo, quæcunque voles agam & præstabo, dum salva licebit conscientia.

Veniam absque mora Varsaviam quoniam sic tibi libet, & quia etiam à Cardinali alijsque instantissimè vocor, quamvis timeam, ne publica incommoda, & adversi communium temporum casus, cursum in vobis optimæ voluntatis impediant.

Magna sunt, quæ jam inchoatis, majora tamen, quæ mente designatis. Ego autem optarem ut malorum, & calaminatum origine perspecta nihil ulterius agamus, nisi quod leges præscribunt, quod in te ante animadversum est maximè, & utinam observetur quotidie magis, amor in Patriam tanta tua erat virtus, ut abdiderit reliquas. Nunc casibus & fortunæ pene ipsi eminens, cum summæ sis proximus dignitati perpende non ire nos in servitutem, sed ruere, observa concatenatam seriem malorum, provide futura, ut in perenni gratæ posteritatis vivas memoria, consule, ne scopulis illidamur, in te oculos conijcit orbis Christianus, præsaga mens male Reipub: ominatur, si vindictæ potiùs, quàm tranquillitati studeatis. Si acceptæ injuriæ magis quàm publicæ salutis sitis memores, si inter varia fluctuetis consilia.

Per fortunæ licentiam convellitur Polonia, vel non convenit in unum electum suffragijs, vel consentientium unionem discindit, fas & nefas miscens quorundam ambitio nihil considerans, pulchrúmne an turpe? utile sit an inutile? Quia verò sermonis usum ut optaveram quotidiani fatalis illa diffidiorum impedivit tempestas, communicationem consiliorum sustulit, firmissimas amicitias labefactavit, neque permisit, vel ex optima tuorum consiliorum ratione voluptatem capere, vel si alterius essem mentis eam tibi indicare, cum sæpius sensus meos, tuis conformes fuisse vehementer gaudebam, audeo quod tacere debuit lingva, exprimere stylo, paucáque tibi insinuare, quæ ad recedendum à candidato tuo, te animent. Ut alto cætera involvam silentio, pupillam Reipub: nostræ libertatem attingo, nonne probè tibi notum ab ipsis incunabulis Regni nostri, usque adhuc nullum natione germanum in thronum esse assumptum, cum ab hac vicinia tanquam suspecta semper abhorreret Polonia, & mutuo metu vicissim hæ nationes separarentur. Extinctâ familiâ & lineâ Lechi primi fundatoris varias inierunt majores nostri formas regnandi. Dominabantur 12 Palatini sed horũ impotentia, & ignavia liberæ genti cum esset injuria, hæc liberis suffragijs uni regni contulit habenas. Fuêre Craci, Popieli alijque, quorum ignavia mixta virtutibus successorum, quia votis populi minimè respondebat, in obscura plebe meritis & virtutibus plenum, quæsiverunt candidatum eumque Piastum appellarunt, & ex vili casa, ad thronum Regium assumpserunt, & jura dare libero populo jusserunt. Successit feliciter hæc electio & Deo placuisse visa, jam enim rimas inclinatæ ad casum domus, visa est quasi inspicere

inspicere fides & religio Christiana, quandoquidem divos cælites in illa paupere casa hospitatos & epulatos fuisse narratum est. Senex jam Pater consilia pacis domi tractabat cum senatu, juvenis ejus filius Zemovitus ferebat arma, ac ordinem equestrem in legiones, & centurias ordinabat, & finitimis testante historia nostra Silesis Germanisque, fuit metuendus. O quam felix utilisq; genti nostræ dici poterat hæc electio? quandoquidem in posteris suis per ducentos regnando annos, ad Casimirum usq; magnum longè lateq; regnum dilatarunt, Boleslai, Vladislai, Miecieslai Vitimiri; Auxerunt illud Silesiâ, Pomeraniâ, Cassubiâ; ex alia parte Leopoli Russiâ, Kijoviâ, Vlodimiriâ; à mari Balthico, usq; ad pontum Euxinum, sat ampla pomeria regni vindicibus armis reddiderunt. Post sera fata Casimiri Magni semper vixit in animis gentis nostræ suavis memoria domus Piastanæ, vocati enim sunt ad coronam illius nepotes Venceslaus Bohemorum, Ludovicus Ungarorũ Reges, detur venia ignaviæ & impotentiæ Venceslai qui relicta Rep: in Bohemiam abierat, regimine exteris relicto, ubi sine prole fatis cessit, cui successit Ludovicus Ungarus, optime etiam absens regnans quia Senatui & Ministris natione Polonis regimen commiserat, hic idem filium nullum, duas tantum filias Sophiam & Hedvigem habuit pactumque cum statibus regni inijt, ut post mortem ejus una ex Filiabus in thronum assumeretur in vim grati animi infinita libertati nostræ beneficia impertiendo. Quidquid enim Resp: nostra immunitatum, libertatum, ab oneribus indultorum habet, à quibus protunc non omnino immunes eramus, beneficijs & privilegijs Ludovici Regis Poloniæ & Ungariæ referimus in acceptis. A.C.1697

Post mortem ejus stetit Resp: promissis quando rejecto & expulso ex urbe Cracoviensi Germano Wilhelmo, desponsavit Hedvigem Jagielloni Litvaniæ Duci, quem pia Princeps DEo cæloq;, & cum eo tot populos in paganismo adhuc viventes Evangelio & fidei catholicæ lucrata est. Quantum verò beneficiorum contulerit DEus cum hoc novo electo, plenæ sunt historiæ, quæ memorant non tantùm senẽ Jagiellonẽ, sed & posteritatem ipsius in Vladislao ad Varnam, in Casimiro qui reliquias Cruciferorum, optimè per Patrem attritas planè delevit. Albertus & Alexander multa strenuè & fortiter gessere pro patria excepta Bukoviensi. Quid dicam de Sigismundo I. belli pacisq; artibus inclyto, orbis Christiani stupore, & miraculo, planè generis humani delicijs & amore, quẽ amici & vicini amabant & venerabantur hostes metuebant & reverebantur. Qui ex abundantia pacis omnibus divitijs & fortunis, non tantùm domum Regiam, sed & totum mundum repletum filio Sigismundo Augusto reliquit, hic improlis bonorum suorum hæredem ex asse fecit Rempub, totamq; gazam Regiam cujusvis Monarchæ in Europa parem Poloniæ uti matri suæ, jure hæreditario resignavit.

Quoniam verò eluctari & superare crisim fatorum in maximis etiam imperijs non licet, quæsivit Resp: deficientibus jam ex domo Jagiellonica Principibus, aliunde Reges, & elegerat pro aliquo tempore Henricum Valesium Ducem Andegavensem virum & roboris & felicitatis insignis tam in bello, quàm in pace. Mortuo Carolo IX. Galliarum Rege sine prole relictâ Poloniâ amplissimorum regnorum hæreditatem adijt. Post hunc elegerat Respub: Stephanum Bathoreum, virum bellatorem & militarem varijs fortunæ casibus exercitatum. Oppositum sibi æmulum ab adversa factione Maximilianum super pactis conventis cunctabundum, celeritate sua prævenit & præcucurrit ad bravium. Non

Bbb est

A.C.1697 est necesse excurrere in laudes hujus Regis, nota enim de eo historia, sterilitas annosa Annæ Reginæ impedivit, quo minus prolem nobis relinqueret. Tandem in ea crysi quærebat Reipub: per viam liberæ electionis alium Dominum, invenitque ultra mare, quamvis tot alij ex natione germana erant competitores, electus Sigismundus, qui regnavit annis quadraginta per se, & tot alijs annis in Vladislao & Casimiro.

Ex hac proinde serie & catalogo Regum nullus invenitur germanus, imò quasi pragmatica sit facta lex ut eos caveamus, aut enim sunt absoluti, & ita ferre libertatem sibi odiosam nolunt, aut dependent ab aula Cæsarea, tunc erunt obnoxij aulæ Cæsareæ evitando fulmina, banna, executiones militares &c.

Consideres proinde mi Dux, quem ad thronum Regium assumis, non loquor de splendore natalium illustri, sed quia est vicinus cum tot domibus in Germania, & toto imperio colligatus Vasallus ac Feudatarius imperij, indeque dependens ab aula Cæsarea, unde posset, sit venia dicto, informari de artibus & formulis regnandi, nec vellet dependere à legibus nostris, à consilijs senatus, est enim potens per se, & quando adsciscet sibi potentiam Germanicam, facillimè libertatem & fortunas regni posset opprimere. Nonne ergo hoc considerare debemus, ne pœniteat in posterum, dum delectus militiæ subsequentur, aggravationes, exactiones, & in domibus nobilium executiones &c.

Gestare in capite coronam Regiam, tiaram electoralem, ipsi quidem gloriosum, sed liberæ genti nostræ erit præjudiciosum, quando duplicia regalia exercere, & extendere volet. Quivis Elector par vult esse Regibus. Experti sunt id fratres nostri Bohemi, dum circa coronam Regiam, necteretur indissolubili nexu tiara electoralis. In quo puncto non me diffundo, deploranda tantummodo Reipub: sors, quòd ex uniformi Repub: difforme prodierit monstrum, uterque electus potens est, punctum honoris quivis defendet. Princeps de Conti non citò tot terrâ marique superabit itinera. Hic autem Annibal præ foribus citius comparere potest, cum præcipuè Duces partium & armorum in vobis tribus Generalibus habeat, qui trahere ad vos exercitum poteritis, sed per id liberam electionem perdetis, dum vi armorum extorquebitur, & coronabitur invisus Princeps, quomodo verò hic stare pactis conventis & legibus Patrijs volet, quomodo satius tanquam debellatæ nationi non volet dominari.

Miratur orbis videndo in eadem persona electorem & electum in hoc Regno, quod nec vestigium quidem dominationis Germanicæ pati poterat.

Liberæ genti liber dari debet Rex & independens, qui sit totus noster, & nos toti illius; & quem non implicent ulli majores respectus Habet Elector caput imperij Imperatorem & qualitatem feudo annexam, fidelis illi esse debet, posset enim illum deponere, & electoratum ejus acciperet alter, uti jam in hac domo non est novum. Quo casu quæro, quomodo accordari debent res sibi toto cælo contrariæ? Rex erit apud nos, & alibi alienæ suberit jurisdictioni, & omni vitâ suâ ligatas habebit manus, etiamsi maximam ad capessenda arma haberet occasionem & causam. Distinctio illa quod non quatenus Rex, sed quatenus Elector Imperatori subjacebit, est hæc subtilissima tela araneæ, sub qua etiamsi latere vellet Majestas Polona appareret tamen cum summo juris sui diminutione.

Accedit quòd sint officia personalia, quæ in curia Imperiali exequi, cum alijs electoribus tenetur, non tantùm in ceremonialibus, tanquam S. R. imperij Mareschalcus in aureâ bullâ expressis, sed & vicariatu imperij Romani sub interregno Quomodo sufficere poterit utrique officio Elector hîc dominari, ibi servire? sed dicet aliquis, faciet id per legatum, ast quod quis per

per alium facit, per se fecisse videtur, idem erit Regis Poloniæ legatus, *A.C.1697* omnia ea servitia & obsequia Imperatori præstabit, tanquam ipse esset in persona. Iam innui de Regibus Bohemiæ, qui insimul erant Electores imperij, præmonere nos illi debent, ut has cum imperio evitemus relationes, quæ miserum illud Regnum absorpserunt, ita ut vix jam appareat. Lumen enim majus tollit minus.

Dicunt alij quod Electoratum filio suo cedet, sed hi non sciunt requiri ad id annos competentes; Et dato non concesso ut filio suo (quem unicum habet) contra regulam cederet, viventis nulla est successio in casum tamen mortis ejus reverti deberet, nec certè propter nos, tam grandem & absolutam hæreditatem omitteret.

Modus administrandi fortè similis erit Sigismundo III, qui implicavit Remp: bello, cum Suecis jam bis repetito, Livoniam & Esthoniam perdidit, & semina belli proli suæ ita reliquit, ut ex illis eluctari vix Polonia potuerit. Simile aliquid à fatis timendum: Vigore pacis Monasteriensis diviserunt status Imperij, alios Catholicis, alios Protestantibus adjudicarunt, qui in potentia sunt ferè æquales, & qui forsan impedient, ne Saxonia, ubi incunabula fuerunt Lutheranismi, Catholica fiat, unde bellum oriri potest, in quod insensibiliter implicati, more nostro ex hac occasione aliquid perdemus, præteriti temporis in comparationem, futuri in exemplum, quod etsi de futuris rebus affirmare prudentiæ non videtur, conjecturam tamen vix fallet eventus, cum nostrarū rerum is stylus sit, læta tristibus finire. Respice proinde magne vir, & si malè cœpisti, jam desinas, ut & ego gaudeam primum tuâ gloriâ, cujus ad me pars aliqua, pro necessitudine nostra redundat, & patria infelicitatem suam tibi, ut prævideo, certè non adscribat; In tuis enim manibus sortes ejus.

LXXI.

AMICO CONFIDENTI,

Varsaviâ I. Augusti.

Relatio electionis & denunciationis electi.

JAM dudum à scribendo cessavi, at non ab amando, quia affectu certè tibi alligor, siluerunt literæ, at non amor, quem vivere in me scias & spirare, si ob occupationes meas rarius te alloquebar literis, sæpissime animo & affectu.

Non nuntio tibi, sed renovo, quum iam scis factum, turpem ac diu dolendam, in campo electorali scissionem, die electionem insequente illi qui Saxonicæ sunt factionis, quæ jam multò auxior fuerat, in campo electorali convenerunt, in quo Episcopus Vladislaviensis (notandum, quòd omnes alij Episcopi nostrarum partium sint) cum duobus Generalibus regni unitis Litvaniæ Ducibus duxerunt Flemingum Ablegatum Saxoniæ Electoris, quo præsente vivat Fridericus inclamabatur, & vexilla nobilitatis submittebantur. Pòst verò ductus ad Ecclesiam Sancti Joannis Collegiatam coram Venerabili nomine Principalis sui homo Acatholicæ fidei juravit, quod publica primum causa, deinde etiam nostra commovere debet. Non enim præsenti tantum malo, futuri etiam metu non leviter turbari debemus, si pluris religionem facimus, uti revera pluris est. Abieram ego dolore cordis tactus intrinseco hâc eâdem nocte, quâ hæc scissio infelix facta est, sed ardentissimis

A.C.1697 precibus utriusq; partis, scilicet Cardinalis, & Castellani Cracoviensis invitatus sum in spem certam inter partes componendæ concordiæ, ut Varsaviam redirem, quod tertia die feci. Quærebamus omnia possibilia media ut proximum civile bellum imminensq; amoveremus. Obtulit se Mareschalcus regni cum aliquot Senatoribus mediatorem; Proponebamus nos pacandæ Reip: causa, ut quoniam nulla pars justè gloria possit liberam suam fuisse electionem, cum in utraq; palpabiles videantur defectus, cum difficile & potius impossibile sit, ut post discessum tot Senatorum & Nobilium, qui vel nobis, vel illis suffragia sua dederant, in quemcunq; demum ex proclamatis consensus noster inclinaret, & quicunq; demum ex mutuo assensu proclamaretur, salvâ libertate id fieri nullatenus posse, cum tot cum suo quisq; Candidato abierint. Inito igitur intuitu boni publici consilio suadebamus, ut utraq; pars à suo recederet nominato, & tertium, si id placuerit acceptaremus, ad quod legitimè faciendum convocanda nobilitas, dato eis libero veniendi arbitrio, ita enim libertati nostræ unicè provideri potest. Sed illi in proposito suo ne dicam malitia obstinati nulla media admittebant, sed tantum simpliciter, ad adorandum suum nominatum non invitare nos, sed tanquam inæquales obligare nitebantur. Jam nomen Friderici in Augustum commutarunt, jam pacta conventa obstantibus nostris protestationibus, præsidente Joanne Gninscio Palatino Pomeraniæ conscribebant, jam Legatos ad invitandum suum electum destinabant & omnia tanquam integra Resp: in illis contineretur sibi usurpabant, denunciationem electionis suæ in castro Varsaviensi obtulerunt, favente illis Palatino Plocensi, uti Varsaviensi Capitaneo. Cardinalis verò denunciationem confirmationis (*poparcie* vocatur) cum copia non esset Varsaviensis castri, in Ravensi proclamari jussit, uti tibi utriusq; copiam annecto, vellem ut eas legens reflectas te, quid consonum sit vel dissonum veritati, restat enim in aliquibus punctis dubitationi super narrata non dubius locus. Interim jam nullam spem relictam concordiæ esse, cum summo mœrore meo te certiorem reddo.

COPIA DENUNCIATIONIS
ELECTI REGIS PARTE EX UNA 27. JUNII IN CURIA REGIA VARSAVIENSI OBLATA.

NOS consiliarij Spirituales & Sæculares equestris ordinis & omnes status Poloniæ, & M. D. Litvaniæ significamus, quòd juxta præscriptum confœderationis Varsaviensis viritim in termino pro 15 Maji determinato comparentes optabamus moribus antiquis majorum nostrorum actum præsentis electionis auspicari à sanandis Reip: vulneribus, à corrigendis exorbitantijs, à reducendis illis ad necessarium ordinem qui ex orbita legum deviarunt. Sed cum totum id tempus quod negotijs Reip: essentialibus impendendum erat, electio Mareschalci contra antiquam praxim per suffragia viritim data extraxerint, & post nominatos ad compositũ capturale judiciũ deputatos unica tantùm coæquationis juriũ M.D.L. constitutio lecta, & invenimus nos in declivio elapsi (dolendũ) tẽporis. Die Martis proinde in vigilia expirantiũ comitiorũ electionis, non sine ingenti animi sensu, propter rejecta, tam magna & essentialia Reip: negotia comparere debuimus sub signis & vexillis in campo electorali, consilia inituri de subjecto coronæ capaci, quod qualitatibus suis expectationem popu-

populorum adimplere posset. Quod in crastino ultimo scilicet die continuando, cum nobis ab Archiepiscopo Gnesnensi candidati propositi fuissent, *A.C.1697* Serenissimus scilicet Princeps Iacobus primogenitus Serenissimi divæ memoriæ Regis nostri. Princeps Contius natione Gallus, Princeps Carolus Neoburgicus Princeps Lotharingiæ, & Elector Saxoniæ, condignum respectû meritorum defuncti Regis, nec minus exempla majorum, qui propter internam quietem, stirpes Regias in Piastiana & Iagiellonica familia, Regiæ prærogativæ habere noluerunt extorres. Accedebamus alacribus studijs ad primum candidatum, sed cum nonnulli ex senatoribus & parte equestris ordinis propositioni nostræ, quæ nullas practicas & factiones in se continebat, contrarij erant, & acerrimè promovendo candidatum suum Principem de Conti videntes impossibilitatem persvadendi illis, accessimus ad alia media, proponendo secundum & tertium ex Regijs Principibus, vel electorem Bavariæ domus Regiæ, per Serenissimam consortem suam colligatum, & ad extremum quemcunque ex concurrentibus evitando omnimodam inter nos scissionem, modo illi mutuò recederent à promotione Principis de Conti, quem multi ex Palatinatibus & districtibus evitando molem bellorum inevitabilem & propter alias rationes nullatenus acceptare volebant. Inclinando potius ad electorem Saxoniæ, cujus incognitû nomen ab omnibus factionibus immune, tanquam digito Dei nobis monstratum in arena electorali, apparuit, sed & hæc æquanimitas nostra, per dignos & præcipuos Senatores aliquoties dilata nihil profuit, præoccupatis & unicum subjectum promoventibus, & per expressum nullatenus à Principe de Conti recedere se posse declarantibus. Iam & hodie circa continuationem actus hujus tentavimus per omnes modestiæ gradus pertinacem illorum candidati sui promotionem. Et timendo ne illi, tanquam vallorum & campi electoralis viciniores, præcipitarent actum electionis, expedivimus ex quovis Palatinatu deputatos, propter attendentiam, & in casum pertinaciæ, propter contradictionem interponendam. Quo minimè attento. Archiepiscopus Gnesnensis contra expressum confœderationis à se scriptæ tenorem, quòd una pars sine alia eligere non debeat Regem, nec privatas factiones adhibere contra juramentum in voto suo ante *Veni Creator* solenniter coram cœlo & terra expletum, quod neminem nominare vellet, nisi universali & indivisibili concordia totius Reip: electum Regem in parva satis quantitate suæ & nobis contrariæ partis ad nominationem Principis de Conti accessit. Et illum Regem non audiendo tam multas protestationes, per Senatores deputatos ac Nuntios, in satis copioso numero congregatos, non servando debitum modum & formam, ut ter consensus requiratur, tantâ præcipitantia & perplexitate nominavit, ut vix inter voces contradicentium vox ejus audiri potuerit, & pòst cum sequacibus partis suæ, Varsaviam properavit. Quod dum deputati nostri ex hoc actu redeuntes nobis retulerunt, cum magno mœrore contrarium liberæ gentis electionis modum indoluimus. Protestati ergo contra insupportabilem hanc libertatum nostrarum oppressionem, coram Deo & orbe universo, quod non à nobis initium & causa dissensionum procederet. Recurrere ad salubriora consilia in extremis debuimus, ut liberam electionem Regis nobis fratribꝰ & posteritati nostræ non amitteremus. Consistentes proinde inter valla & in campo electoreli actum præcipitatum pro nullo & illos qui festinantius, ultra legem ex illo loco abierant pro absentibus judicatis, accessimus ad regularem in præsentia Episcopi Vladislaviensis & Mareschalci Comitiorum electionem ibidem nos expectantis, praxi solitâ nominationem considerato eo, quod per evictionem Principis de Conti amicitiam vicinorum Principum lædere, & circum flagrante Europa nos exponere bellis cum periculo

A.C.1697 riculo sacri fœderis possemus, sicuti nos Dux Moschoviæ literis suis per residentem suum redditis, & per Archiepiscopum consulto subreptis, nec coram statibus lectis præmonet, visis quoque plurimis authenticis documentis, auditis testimonijs, examinata legalisatione Nuntij sedis Apostolicæ de electore Saxoniæ, quod sit Catholicus, ad illius personam inclinavimus id habentes in consideratione, quod Principis hujus florida, & bellicis palmis monstrata indoles Regno nostro. non tantum defensionem & decus, cum alijs fructibus & consequentijs sed etiam fides catholica ab exemplo personæ ejus notabile habere poterit per accessionem incrementum.

Hunc proinde Serenissimum electorem Saxoniæ quod felix faustumq; sit, & non alium tribus vicibus vivâ, & expressâ voce Episcopi Vladislaviensis nemine portestante, & contradicente, imò omnium applausu nominavimus & declaravimus, & in signum gratitudinis in Deum, statim in illo campo majorum nostrorum ritu *Te DEum laudamus* occinuimus, idemq; in Ecclesia S. Ioannis solenniter repetimus. Hunc ergo Dominum nostrũ per nos concorditer electum, & futurum Christum Domini defendere, obedientiam ei secundùm leges, & libertates nostras præstare, honore, fide nostra & juramento appromittimus, dignitatem ejus & securitatem, quod Poloni Regibus suis semper præstiterunt, constanter tuebimur. Et si aliquis inveniretur cujuscunq; statùs, dignitatis & conditionis, qui aliquo modo contrarius esse huic nostro inviolabili decreto præsumeret, habendus est violator juriumReip: qui solus contra nos omnes insurgeret, quod nec amòr Christianus, nec mandatum DEi pati, ut omnes propter decimam vel centesimam partem pereamus. Si quis proinde contra hunc actum nostrum homines extraneos, vel nostrates colligere, confessùs congregare & formare auderet, & si quis pecunias à similibus acciperet, Poloniæ sit vel Litvaniæ indigena, contra omnes hos tanquam contra violatores & hostes patriæ arma sumenda forent, sicuti contra quemvis externum, Principem qui sub quocunque prætextu vim nobis inferre, & coronam præripere vellet, ad quod sub pœna vitæ & honoribus nostris nosmetipsos obligamus. Superinvigilare debebunt, & si aliquid simile acciderit instigare Nuntij Terrestres pro comitijs coronationis electi, ut ibi executio in quemvis talem fiat per decretum Regis electi, & status Reip: secundùm jus contra perduelles patriæ, hoc tamen ita explicamus, ut intelligi debeat de eo, qui admonitus authoritate denunciationis hujus nostræ, sua intentione obstinata Remp: turbare, nec nobiscum convenire præsumeret, tunc executio vigore hujus placiti, in illum extendi debet. Omnes proinde præsenti declaratione præmonemus & fraternè rogamus protestando coram DEo, nos paratos fuisse ad omnia præstanda, ad inducendos in communem concordiam & unum velle sicuti decet fratres cum fratribus, & sangvinem cum sangvine. Si tamen extrema malitia communi & interna, ac bono publico non cõsiderato, congressus aliquos, ac confœderationes militares in ultimam Reip: commotionem, & interni belli excitationem, quæ à cordibus nostris nulla factione infectis sunt alienæ formare, fomentare, & constituere auderet, tunc post expeditos postelectionales ante coronationem congressus, modo infra scripto, ad avertenda in perniciem (avertat hanc DEus) Reip: molimina secundùm patrium morem accedemus & in eum finem generales congressus Provinciarum solitos viritim & more militari internos stabiliemus. Quibus congressibus Episcopus Vladislaviensis cum deputatis à nobis pro exigentia, & necessitate occasionum universalibus literis suis locum, tempus,

pus, & diem destinabit, & palàm faciet, ut ita Respub: in promptu existens secum in commune conferre, convenire & securitati suæ libertatibusq; Patrijs exemplo & zelo antecessorum suorum possit providere. Et quoniam ex gratia Dei jam habemus Regem divinitus nobis prævisum ut eo citius electio hæc possit stabiliri, expedimus è medio nostri legatos invitando eum ad capessendum Regni thronum, qui legati ante omnia curabunt, ut Serenissimus Elector, & jam noster electus Rex non transcendendo limites nostros, publicam faciat fidei Catholicæ professionem, ad quem actum specialiter Episcopum Posnaniensem rogavimus. Utque postea securitatem jurium & libertatum nostrarum juxta rotam in electione divæ memoriæ Regis Ioannis subscriptam & observatam juret, præcavendo reiteratum hocce met juramentum in felici coronatione, quam secundùm morem Regum antecessorum, Serenissimus electus noster cum omni debita cautione, cum auctione aliqua securitatis jurium & libertatum, & correctionis liberæ electionis explere debebit. Cujus coronationis Serenissimi Regis nostri unanimiter electi, diem 15 7bris. anni currentis Cracoviæ ritu solenni ecclesiæ destinamus. Comitijs verò coronationis 17 mensis & anni ejusdem, ut usitata praxi absolvatur, omnibus Palatinatibus & districtibus Poloniæ & M. D. Litvaniæ, ad eligendos pro his comitijs nuntios congressus in virtute confœderationum insolitis, & pro comitiolis particularibus locis destinatis, sextam Augusti determinamus Zatoriensia, & Haliciensia comitiola una septimana anticipando. *A.C.1697*

Pro quibus comitijs coronationis, omnes officiales Regni & M. D. Litvaniæ quicunque ad hunc actum pertinent, comparere debebunt, quos rogamus & præmonemus, ne debitum suum intermittant officium. Principes item feudatarios, & civitates ad id pertinentes authoritate Reipub: invitamus, præsenti declaratione.

In hac coronatione antecedenter pro more funeralia piorum cinerum divæ memoriæ Regis nostri, tanquam emeritissimi Principis cum omni honore, & observantia pro decore gentis observari debent. Propterea Vexilliferos Palatinatuum & districtuum Poloniæ & M. D. Lit: compellamus, ut ad decorandum huncce actum pro officio suo punctualiter compareant. Expensa verò tam pro conductione corporis, quàm pro alijs requisitis funebris hujus apparatûs, thesaurus tam Poloniæ, quàm M. D. Litvaniæ providebunt.

Cum autem multum intersit in præsenti Reipub: statu, ut exercitui in deservita mercede satisfiat, & in obsequio Reipub: sub directione, & Regimine Ducum detineatur, declarati sunt decem milliones à Serenissimo electo nostro in exsolutionem Polono exercitui & Litvano, pro cujus interesse tertia pars in dispositionem statuum Litvaniæ reservatur, ad distributionem verò, & exsolutionem exercitui nostro prænominatæ summæ cõmissiones Leopolim pro 10 Augusti anni currentis destinamus, qui commissarij, debita quartualia exercitui secundùm liquidationem in præterito tribunali expeditam pariter ex prædictis millionibus exsolvent. Præmonendo ut omnia alia quartualia pro injuriatis propter vindicationem damnorum in consistentijs, & transitu factorum totaliter conservari possit. De exsolutis quartualibus commissarij, à cohortibus & regimentis, quietationes accipiant, quas post factam in futuris comitijs relationem nuntijs cujuslibet Palatinatus, districtus secundùm repartitionem reddere tenebuntur.

Et quandoquidem exorbitantiæ & aliæ materiæ statûs, propter extractionem temporis in præterita electione debitum non habuerunt effectum, præcavemus nobis per pacta conventa, ut Serenissimus Electus noster post felicem utinam coronationem, comitia exorbitantia-

rum

A.C.1697 rum sex septimanarum indicat, in quibus omnia necessaria negotia, prætensiones, & desideria Reipub: tractari & concludi debebunt.

Et ne justitia post eandem coronationem vacet, reassumptionem tribunalis regni in tempore & loco legibus determinato præcavemus. Quare Comitiola electionis deputatorum feria secunda post festum B.V. M. pro more peragentur. Ad quam denunciationem magno applausu & consensu omnium Palatinatuum, & Districtuum Poloniæ & M. D. Litvaniæ absolutam, quandoquidem propter maximam frequentiam omnes apponere manum & subscribere difficile possent, communi statuum consensu è medio nostri deputavimus ad subscribendum. &c:

DENUNCIATIO ET INVITATIO
AD CONFIRMATIONEM LIBERÆ ELECTIONIS OMNIUM PRO 26. AUG: DESTINATAM DIE 25 JULII PUBLICATA A PRIMATE REGNI.

NOS consiliarij utriusq; nationis Spirituales & Sæculares nec non equestris ordinis ex omnibus Palatinatibus, Terris, & Districtibus, pro electione prope Varsaviam facienda congregati, notum facimus omnibus & singulis, quòd, uti pro hoc actu electionis futuri regnantis convenimus, ad sublevandam debitis obsequijs nostris viduam patriam ita ex parte nostra nihil eorum deesse passi sumus, quodcunq; ad conservationem jurium & libertatum nostrarum pertinere visum est. Et primò quidem inquisivimus, quisnam ad confœderationem induxerit exercitum regni & M. D. L. deinde quis convocationis comitia absq; justa ratione ruperit: verùm pars adversa Remp: majoribus intricatura scissionibus, revelari non permisit hujusmodi machinationes: impertinentes easq; varias in medium produxit quæstiones, armorum ostentavit strepitum, clamoribus & tumultibus consilij confudit Majestatem, adeo, ut vix tandem sub finem quintæ hebdomadis insolitâ & dolendâ electionis formâ, Mareschalcus equestris ordinis electus fuerit, stante hâc intentionum nostrarum varietate, nec securitatem providere, nec dispositionem ullam, & præparamenta pro veteri usu, & praxi electionis facere potuimus, verùm in turbido expectavimus diem nominationis futuri regnantis. Et quamvis universi Palatinatus utriusq; nationis pridie nominationis, numerosè in equis adfuerint ad valla, loco electionibus destinato atq; ex tædio, compassioneq; de consumpto frustra tempore, statim accedere ad electionem voluerint, tamen Eminentissimus regni Primas etiam in hoc puncto observaturus vim legis, distulit electionem in crastinum, id est in diem jure nominationis designatum, tanquam decretorium, quo cum ortu solis numerosè congregati omnes Palatinatus in loco ad valla designato, delegerunt è medio sui quosdam ad propositiones excipiendas deputatos: Electione hac deputatorum facta post invocationem Sancti Spiritûs, ubi per Palatinatus de regni Candidatis conferre cœpimus, intrusit pars adversa non promulgatum antehac, juxta jura electionum, concurrentem Electorem Saxoniæ Ducem. Excepimus hoc cum magna admiratione, de ablegato hujus Principis inscij, nec audita, lectavè ulla ejus propositione, incerti de vero illius ad ecclesiæ gremium accessu: idcirco ducti veteri Polonorum zelo erga sanctam fidem Catholicam, desiderantes habere Regnantem cum consorte verè Catholicum

tholicum, juxta ultimam generalem confœderationem noſtram (quod in domo illa non reperitur) meliùs proviſuri publicis utilitatibus, ſecuritati & decori noſtrarum ditionum, inclinari cœpimus omnes in partes longa ſerie ſæculorum celeberrimæ Bourbonum familiæ, electuri ex eadem Regium Principem Franciſcum Ludovicum de Conti Potentiſſimi Galliarum Regis nepotem, quem eo tempore ob generis excellentiam, fortitudinem, natales, & talenta reliqua orbis habuit in delicijs. *A. C.* 1697

Adverſa verò pars præoccupata in graviſſimis occaſionibus procedens per oppoſitiones, oblita primo primi juris electionis *Rex Catbolicus eſto*; Germanum vicinum Anteceſſoribus noſtris ſemper formidabilem conata eſt nobis imponere Dominum. Dies tota impenſa eſt perſuaſionibus & motivis adhibitis parti alteri, quod perſona Electoris Saxoniæ Ducis negotijs Regni omnino ſit oppoſita (cum nunquam in throno noſtro habuerimus Imperii Electorem) ipſe etiam eminentiſſimus Regni Primas, per Deputatos Palatinatus Poſnanienſis expoſuit rem omnino impracticabilem, præſentibus arduam, poſteris pertimeſcendam. Cùm verò idipſum perſuadere parti adverſæ nequivimus, viſum eſt diem ſine nominatione protrahere & noctem ſine ſomno ad valla ducere unà cum Eminentiſſimo Regni Primate per continuationem diei, nominationem differre in craſtinum. Die ſequenti cupientes intelligere mentem adverſæ partis, deputavit utraque pars aliquot, tum Senatorij, tum equeſtris ordinis, determinato loco ad tractatum peragendum intra valla. Sub hanc conferentiam, ubi ex parte noſtra expoſita ſunt pericula & incommoda, quæ cum hoc Candidato accedent, & econtra quàm magna ſecuritas, quæve commoda Candidatum noſtrum ſequentur, plura audire noluit convicta pars adverſa, & debitè reſpondere impotens, clamore tantùm & tumultu rupit ſeſſionem, unicum reponens, placere ſibi Ducem Saxoniæ Imperii Electorem. Miſimus inſuper ex mente omnium Palatinatuum nobis aſſiſtentium Deputatos ad alteram partem cum petito, quatenus promotionem Saxoniæ Ducis negligerent, nos viciſſim paratos ad eligendum tertium omni tamen exceptione majorem: verùm ſurda ad hæc pars adverſa nullum dabat conſilio noſtro locum, in armis ipſa aſſiſtentem ſibi habens Illuſtriſſimum Epiſcopum Vladiſlavienſem, qui ex nunc acceſſit ad nominationem Principis Saxoniæ inſciis & diſſentientibus nobis, quamvis Eminentiſſimus Regni Primas (cui hoc ſoli de jure competit) præſens adfuerit cœtui. Acceptâ hujus rei notitiâ non leviter ſumus commoti, quòd tria capita toti nobilitati Dominum imponere contenderint, prout de hoc fuſiùs proteſtatio in caſtro Ravenſi loquitur. Quapropter univerſi cum Palatinatibus accedentes propiùs ad valla, petiimus Eminentiſſimum Primatem, quatenus verum Catholicum electum noſtrum nominaret Dominum, quod & fecit in loco loci præmiſſis omnibus ſolemnitatibus, factâ ternâ de conſenſu noſtro quæſtione, nominavit Principem de Conti: qua nominatione factâ Eminentiſſimus ab aliquot vexillis terreſtribus ad templum Parochiale deductus eſt, ubi Hymnus Ambroſianus ritu ſolito in ſimilibus practicato eſt decantatus.

Adverſa verò pars ſimili methodo, quamvis impari valore, utpote nullam ad hoc ex legibus habens poteſtatem ſecundò iterum per Illuſtriſſimum Vladiſlavienſem Epiſcopum in eodem conſeſſu nominavit Electorem Saxoniæ, aliaque ceremonialia, legitimando illicitum ac invalidum actum exequebatur.

Nec hic ſtitit impetum pars adverſa, ſiquidem ex nunc è gremio ſui, Dominum Dorpowſki Officialem majorem Exercitus extranei ad Saxoniæ Electorem, cum electionis à ſe factæ denuntiatione expedivit. In craſtinum convenit ad locum electioni deſtinatum ad excipiendas propoſitiones Ablegati

A.C. 1697 gati Principis Saxoniæ nuper hîc Varsaviæ inaugurati, sub directione Illustrissimi Castellani Cracoviensis Supremi copiarum Poloniæ Ducis. In ea sessione conclusum, quod pacta conventa cum Ablegato Saxonico forent conscribenda, ad quæ insolitâ forma, omissis illis, qui ad hoc munus ante scissionem adhuc, tum ab Eminentissimo Regni Primate, tum à Mareschalco equestris rotæ directore deputati fuerant, elegerunt alios. Deniq; idem Ablegatus deductus fuit inter vexilla cum dedecore gentis demissa veneratione solis aliàs Regnantibus exhiberi solita. In crastinum pars adversa factâ apud Patres Augustianos sessione, conscripsit inauditum quoddam juramentum, pro conscribentibus pacta conventa, planè in status nostri eversionem, siquidem Reges nobis jurare pacta, non nos Regibus debeamus eorum tuitionem & nostram subjectionem, in libertatis præjudicium, cujus tamen depressio cuilibet nobilissimam amanti libertatem ex tenore juramenti fit palàm, qui in hæc verba sequitur.

Ego N. N. juro Omnipotenti DEO in Trinitate Uni, in Unitate Trino, quòd, cum designatus sim pro conscribendis pactis conventis inter Rempublicam, & Serenissimum Fridericum Augustum Saxoniæ Electorem, liberis vocibus in Regem electum, præ omnibus in me suscipiam liberæ electionis tuitionem, circa connotanda pacta, Reipubl. commoda me promoturum sine ullo respectu, & assentatione futuro regnanti, merè tantùm commune bonum, jurium & libertatum nostrarum securitatem, & exactissimam observationem me procuraturum: à quo nullis me corruptionibus abstrahi sinam. Sic me DEus adjuvet.

Nos interim habentes majorem partem Reipublicæ nobis adhærentem, aliquot denos Palatinatus, ex integro, absque ulla scissione authoritatem Primatialem, ipsamque causam cum DEO & Fide Sancta Catholica meliorem, non sumus ausi jus totius Reipublicæ ad nos trahere, & idcirco expedivimus rogatum à nobis Illustrissimum Episcopum Premysliensem, Supremum regni Cancellarium ad partem adversam, quatenus tempus & locum concederet conferendi, ubi ostenderetur, quantum defraudaverit jura & libertates, quàm indignè susceperit Senatorem; & vix inflecti potuit ad certamen rationum loco apud Patres Bernardinos designato. Convenimus cum parte adversa & bene impressimus nobis, ne sub tempus conferentiæ ulla fieret mentio de alijs negotiis, obtinuimusque quoad hoc omnem assecurationem, secus tamen factum est; siquidem sub ipsum tempus tractatûs, pars altera consueta pacta conscribebat, ad juramentum nobilitatem inducebat, dispositiones ad trahendum & retinendum in partibus electi sui militem fabricabat, contra expressum jus & juramentum Ducum exercitûs (militem in finibus regni continebo, & si regnum seditio invaserit, nulli parti adhærebo)

Misimus itaque ex sessione nostra deputatos aliquot ad Illustrissimos Duces, petendo eos, quatenus respicere dignarentur tot animas, tot fraterno nobilitatis vinculo junctos, qui per aliquot hostiles incursiones hoc anno jam factas sub barbarum captivitatis abducti sunt jugum, & conformiter juramento tueri regni limites, ne per absentiam suam ab Exercitu occasionem porrigerent militaris confœderationis, quæ & ante est inita ob Ducum absentiam sub tempus convocationis. Reduximus in memoriam legem Anno 1648 formatam: verùm Ablegati nostri indignè suscepti, loco optatæ declarationis, hoc reportarunt unicum: non recedemus à Candidato nostro, etiam ad sangvinis vitæque profusionem.

Prima dies conferentiarum consumpta est in examine Religionis

Can-

Candidati. Pars illa patiebatur defectum in probationibus, eò quòd variaret in documentis. Ostentabat in propositionibus Ablegati sui, quòd à duobus jam annis Romæ fidem susceperit orthodoxam Princeps, testimonium verò Illustrissimi Javariensis Episcopi indicabat, quòd secundo die Junij ejusdem anni Badenæ in Austria ejuraverit hæresim, literæ verò Principis Electoris de quarta Junij, Badenâ ad Eminentissimum Primatem datæ continent, quòd profiteri fidem Catholicam citiùs nequeat, quàm certus fiat de corona. Perpendimus itaq; hujusmodi perplexitates in fide, pretio regni factas, facileq; conclusimus, nullam esse securitatem in ratione orthodoxæ fidei. *A.C.1697*

Dies secunda impensa est devotioni, siquidem in eam incidit festum Visitationis Beatissimæ Virginis.

Tertiâ die missi sunt ad nos à parte altera D D. Gnesnensis, & Inovroclaviensis Castellani, abrumpentes cursum tractatûs, nullámque adferentes rationem præter nullum velle. Nos tamen ob convincendam ulteriùs partẽ alterã, per sacra & amorẽ Patriæ obtestabamur, quaten⁹ ad suã sessionẽ reduces suaviora adferre dignarentur responsa, ad quam obtestationem nostram missi sunt ad nos partis adversæ commissarij. Tandem accepta est ad trutinam secunda propositio ratione libertatis nostræ in integro conservandæ, demonstratum est domum Saxonicam habere indigenatum in Polonia ab anno 1652. Ultima verò confœderatio omni titulo vetat ad thronum promovere Piastum. Insuper metus non vanus fuit, ne dom⁹ tam potens redimeret bona terrestria: deniq; ne munia illi Domui offerrentur, ex qua potentia Regnatricis Majestatis minari posset interitũ aureæ libertati. Adductum est & hoc, quòd nimia sit potentia hujus Principis, tum à viribus proprijs, tum à colligatione cum vicinis nostris, tũ à dependentia ab alijs: & hinc inferebamus, quod nec ratione libertatis nostræ à tali Domino securitatẽ sperare possimus. Perpensis his rationibus, Domini Mediatores rogati ad dissvasionem concepti affectus, pro informatione totius Reipublicæ fassi sunt necessariam esse liberæ electionis confirmationem, informandum utrúmque Principem electum, ne Regnum ingrederentur, verùm decisionem in limitibus regni expectarent.

Quarto die hujus tractatûs consensimus ex parte nostra, in omnia quæ Domini mediatores desiderabant propter conservationẽ liberæ electionis: pars verò adversa in tantùm in electionis confirmationem consentiebat, in quantum hic & nunc utraque pars in unum consentiret subjectum. Interim facile responsum est ad hoc, quòd absque Electore populo nihil determinare possimus, qui cum duobus Electis domus proprias jam jam repetiit, sine quo decidere quidquam sit impossibile, in quantum nonnisi consentientibus universis electionis Mareschalcus juxta juramentũ diploma extradere obligatur, sine quo non licet ulli electo (si est vis in legibus) coronam attingere. Præsumebatur metus ab adversa eminere parte, eò quòd Ablegatus Galliæ se coram quodam prodiderit (quod tamen verificatũ non est) Principem de Conti intra breve tempus adfuturum præsentem in Polonia. Processimus & in hoc scrupulo æquanimissimè consentiendo in hoc, quatenus omnes Ministri externorum Principum, ante electionis liberæ confirmationẽ extra Regnum abirent, ut sic omni suspicione vacui obtenta libera electione, nec vicinis alienis, nec proprijs negotijs favendo eligeremus nobis Regnantem. Convenimus adhuc die quinto cum parte adversa cupientes amore Patriæ justis rationibus, & petitionibus nostris eam eò permovere, ut prius fidei sanctæ Catholicæ securitatem provideret, pro qua mori omnes parati sumus, priùs vulnus illud tam grave libertati inflictum per calcatum jus vetandi sanaretur, priùs in novam nobili-

A.C.1697 nobilitatis jam diſperſæ convocationem conſentirent ad confirmationem liberæ electionis,antequam ad hæc violenta deſcenderet media.

Commemoravimus illis, quòd Electio ſubſiſtere non poſſit abſq; diplomate à Mareſchalco Legatorum extradito; hoc autem areſtatum eſt ex mente Reipub: per juramentum; quo illum obſtrinxit, ne ulli parti ſtante ſciſſione diploma extraderet: & hinc non tantùm juſta, verùm & neceſſaria eſt confirmatio liberæ electionis. In hoc etiam contumaciſſimè reſponſum eſt, quòd & ſine nobilitate conſentire in unum poſſint, & quòd diplomate Mareſchalci non indigeant, cum determinatum ſit, ut Illuſtriſſimus Epiſcopus Vladislavienſis & Illuſtriſſimus Dominus Cracovienſis ſubſcribant: per quod evidenter Nuntiorum dignitatem, jura & prærogativas equeſtris ordinis ſangvine Anteceſſorum comparatas ex toto ſubvertunt, dum abſq; omni jurium, libertatumq; reſpectu per abrupta procedendo nobis invitis, diſſentiente tantâ Reip: parte, Legatos ad Principem Electorem Saxoniæ deſtinant, ad coronam eum invitando, & coronare demum non obſtantibus tot Palatinatuum, & Terrarum contradictionibus parant. Omnia hæc nequaquam emollivêre indurata fratrum partis adverſæ pectora, dum invitis nobis, diſſentiente tota ferme Rep: coronare ſtatuunt ſuum electum. Proteſtamur itaq; inprimis coram DEO de non adimpleta lege divina per tam exoſum procedendi modum cum proximo: Proteſtamur deinde coram toto regno & M. D. L, quòd intuitu firmandæ ſolius libertatis accedamus ad confirmationem liberæ electionis, cui locum præfigimus valla prope Varſaviam, electionum tempore alias frequentatum pro die 26. Auguſti anni currentis, qui cœtus noſter, & plenæ electionis complementum determinari debet intra ſpatium unius hebdomadæ. Comitiola per Palatinatus, Terras, & Diſtrictus ob anguſtias temporis inſtituere, eſt impoſſibile, ſiquidem pars adverſa cum palma coronam præripere quàm citiſſimè intendat. Uti, quod ſuperi avertant, ſi ante determinationem confirmationis electionis pars adverſa voluerit introducere ſuum Candidatum, denuntiamus & ſolemniter per conſervationem Fidei Sanctæ, ſanctuariorum DEI & libertatis charæ patriæ, obſecramus omnes & ſingulos, quatenus ad eum convenire locum velint, tanquam ad commune incendium reſtingvendum, quem Eminentiſſimus regni Primas deſignaverit. Quo in loco, ſi malitioſè impediretur dicta liberæ electionis confirmatio, Generaliſſimum virium noſtrarum conſtituemus, & inito conſilio, præſidium nobis & libertati noſtræ providebimus. Non obligamus quidem ad cœtum iſtum, in ordine ad confirmationem liberæ electionis, ſub pœnis de expeditione bellica ſancitis, verùm tantùm zelo in religionem, amore in patriam, dulcedine in libertatē adjuramus, quatenus omnes tempore & loco deſignato comparere non graventur. Quoniam verò inter tantam Senatûs & Equeſtris ordinis frequentiam, longa traheretur mora in ſubſcriptione cujuſvis perſonæ in particulari, ideo unanimiter deputati ſunt à nobis ad hoc præſtandum, qui ſubſcribere, & proprio munire ſigillo dignarentur.

PRO-

ACTUM IN CASTRO RAVENSI,

SUB INTERREGNO FERIA V. POST FESTUM SANCTÆ MARGARETHÆ VIRGINIS ET MARTYRIS PROXIMA. Anno 1697.

AD officium & acta præsentia Castrensia Capitanealia venientes personaliter Generosi Vladislaus Krosnowski & Alexander Magnuski Lenciciensis Palatinatuum Nuntij facta priùs solenni contra Illustrẽ, & Magnificum Ioannem Krasinski Palatinum Plocensem, Capitaneum Varsaviensem, ejusque totum officium Castrense Capitaneale Varsaviense, de non suscepta præsente ad acta sua protestatione solenniter in forma juris plenissima ab Eminentissimo, Illustrissimis & Reverendissimis Gnesnensi, & Leopoliensi Archiepiscopis aliisque Episcopis cum Illustrissimo Casimiro Ioanne Comite in Bychow Sapieha Vilnensi Supremo M. D. Lit. Exercituum Duce, Adamo Comite in Mysz, Sieniawski Belzensi Palatinis, Vladislao Przyemski Calissiensi, Alexandro Felice Lipski Siradiensi, Castellanis, cæterisque plurimis Palatinis, Castellanis, Ministris statûs & nuntiis terrestribus deputatis suo & prædictorum, Eminentissimi, Illustrissimorum & Reverendissimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Palatinorum, Castellanorum, Ministrorum statûs, Nuntiorum terrestrium nomine in & contra Illustrissimos Stanislaum Jabłonowski Castellanum, Felicem Potocki Palatinum Cracovienses, exercituum Regni Poloniæ Duces, tum Iozephum Słuszka Castellanum Vilnensem Exercitus M. D. Litvaniæ Campiductorem, uti scissionis in Republica Authores, nec non Illustrissimum & Reverendissimum Stanislaum Dąbski Episcopum Vladislaviensem & Pomeraniæ aliosque Senatores, Dignitarios & officiales scissionis, & convulsionis jurium cardinalium regni fautores, & promotores protestati sunt idque in eo: Quia ijdem Illustr: Duces cum Illustrissimo Episcopo Vladislaviensi & Pomeraniæ cæterisque Senatoribus, Dignitariis & officialibus & aliis factionis suæ Personis inito in eversionem statûs consilio universos Regni Poloniæ & M D. Litvaniæ Palatinatus, & terras conturbarunt, in varias scissiones induxerunt, aliquot vexilla Palatinatuum & terrarum ab ipsorum scissione, ad partem rectè de Republica sentientium, recedentia in facie totius Reipub. explosionibus bombardarum, & non modica confusione affecerunt, nonnulla vexilla in sua scissione vi retinuerunt. Consilia Reipublicæ per septimanas diversis & indebitis materiis disturbarunt, totumque tempus consultationum, nuntijs terrestribus activitatem sistendo, Authores & fautores confœderationis militaris protegendo. Electionem novi Directoris protrahendo extraxerunt, perinde indagationem de Authore confœderationis militaris impediverunt, prout defacto evidentiùs in ipso Electionis & nominationis futuri regnantis, actu & termino intentionem suam probaverunt, etenim contra jura cardinalia regni non in loco solito, verùm à campo electorali remoto, non expectato à majori longè parte Palatinatuum regni & Magni Duc. Lit. assensu, imò non requisito Serenissimum Electorem Saxoniæ fidei Romanæ contrarium, non præcedente statibus regni de ipsius concurrentia intimatione, ad sceptrum regni nominarunt. Illustrissimi Archi-Episcopi Gnesnensis Primatiali dignitati derogarunt. Cum verò multis persuasionibus justis, & adæquatis rationibus supersedere à scissione & collisione jurium noluerunt, Eminentissimus Cardinalis Archi-

*A.C.*1697 chi-Episcopus Gnesnensis in loco solito campi electoralis, antecedente omnium Senatorum Spiritualium, & sæcularium Ministrorum status, Nuntiorum terrestrium à Palatinatibus regni & Magni Duc. Lit. ex remotiori campo missorum consensu juxta praxim & dispositionem legis Cardinalis Serenissimum Principem de Conti Franciscum Ludovicum Bourbonium ex Catholicis Parentibus natum Catholicum præsenti statui Reipublicæ, præ aliis Candidatis pernecessarium, ad gubernium Regni Poloniæ & M. D. L. nominavit præsente Mareschalco ordinis Equestris, cui nominationi expressæ tribus vicibus & promulgatæ nemo contradixit, imò numerosissimis copijs Palatinatuum, Districtuum ac terrarum regni & M. D. L. ad urbem & Ecclesiam Parochialem S. Joannis Varsaviensem, pro agendis Supremo Numini gratiis reductus. Quocirca ijdem protestantes, de nullitate & invaliditate nominationis Serenissimi Electoris Saxoniæ uti jura cardinalia regni contra publicum regni assensum, contra praxim usitatam non præcedente informatione Reipublicæ subsecutæ, & cum præjudicio gravi prærogativæ Primatialis per Illustrissimum & Reverendissimum Episcopum Vladislaviensem, & Pomeraniæ nominati, tum contra omnia attentata adversæ partis statutis, & constitutionibus regni contraria, videlicet legationes, denuntiationes, literarum publicarum ad se receptiones, pactorum conventorum conscriptionem, eorundemque per oratorem dissidentem, exposito Venerabili Sacramento in Ecclesia S. Joannis clandestinè horâ sextâ matutinâ non obstantibus solemnibus protestationibus per M. Jacobum in Borkow Chalecki Venatorem Podlachiæ & M. Martinum Graiewski Succameraridem Visnensem, qui prout contra pacta conventa, tum & contra juramentum dissidentis oratoris protestati sunt, ubi magno impetu, vibratis frameis, verbis scommaticis omnes in Ecclesia, coram Venerabili Sacramento contra protestantes consurrexerunt, & per tam non Christianum factum liberam electionem violarunt; iterùm atque iterùm manifestantur & protestantur. *Ex Castrensibus actis Capitanealibus Ravensibus extractum correxit Bylina mpp. Adamus Stanislaus Trzcinski Dapifer Terrestris Gostinensis judex Castrensis Ravensis.*

PROTESTATIO PARTIS SAXONICÆ.

ACTUM IN CURIA REGIA VARSAVIENSI FERIA IV. IN VIGILIA S. JACOBI APOSTOLI. Anno Domini 1697.

AD officium &c: personaliter venientes Generosus Joannes Glinski Ensifer Braclaviensis Judex capturalis & Nuntius Palatinatus Lencicienfis atque Joannes Golejowski Dapifer Ciechanoviensis, ac Samuel Woina Jasienicki Thesaurarius districtus Rzeczycensis Palatinatus Novogrodensis, Nuntij terrestres pro comitijs Electionis deputati suo & Illustrissimorum ac Reverendissimorum Stanislai de Lubraniec Dambski Vladislaviensis & Pomeraniæ, Stanislai de Witwica Witwicki Posnaniensis, Joannis à Kierszensztein Kryszpin Samogitiæ, Nicolai Popławski Livoniæ Episcoporum, Stanislai in Ostrog & Iabłonow Iabłonowski Castellani Cracoviensis Supremi, Felicis in Podhaice Potocki Palatini Cracoviens. Campestris Regni, Iosephi Słuszka Castellani Vilnensis Campestris M. D. Litv. Exercituum Ducum, Constantini Brzeza Posnaniensis, Raphaelis Leszczynski Lenciciensis Generalis majoris Poloniæ, Sigismundi Dambski Brestensis

Cuja-

Cujaviensis Palatinorum, tum & aliorum Palatinorum, Castellanorum, *A. C.* 1697
Dignitariorum, Officialiũ, Nuntiorum terrestrium, nobilitatis ac denique omnium statuum, & Ordinum Regni tuitionem liberæ ac innocentis electionis sustinentium nomine, quàm primum quædam protestatio imaginariis, nec unquam probandis referta propositionibus, per Generosos Vladislaum Krosnowski & Alexandrũ ac Franciscum Magnuski, nomine Eminentissimi Cardinalis Radziejowski Archiepiscopi Gnesnensis, Illustrissimi in Bychow Sapieha Palatini Vilnensis Supremi M. D. L. Exercituũ Ducis, aliorumq; suæ partis in Castro Ravensi facta, typisque promulgata innotuit & ad manus suas advenire potuit, ex nunc studendo status Reipubl: ac liberæ electionis conservationi tum præcavendo indemnitati suæ, reservandoq; actionem liberam respectu circumscripti honoris semper integerrimi nomine suorum, contra quos de jure venerit, tam remanifesti quàm manifesti, porrexerunt talia puncta. In primis, cum optimè norunt rebus publicis nihil magis officere, ac subditorum interna odia, ad ea nunquam se voluisse dare occasionem, imò semper studuisse quieti, indeque moribus & exemplis majorum præcipuum in electione præsenti partiũ suarum innocentiũ fuisse studium. Circa Serenissimos Candidatos ex domo divæ memoriæ Regis dignissimi ac sæculis memorandi, quòd tam internè quàm externè ambitionib⁹ quietem Patriam interturbantib⁹, via præcluderetur, & nunc ad præsens remanifestum, nõnisi invitos, coactos ac provocatos prædicta aggravatoriâ, læsivâ veritatis & honorũ protestatione accedere. *2do* in tota illa protestatione, nullũ esse veritatis punctum vel propositionem; quod enim objicitur Illustrissimum Episcopũ Vladislaviensem & Pomeraniæ priùs fecisse nominationem pro Serenissimo Saxoniæ Duce, quàm sit hoc à veritate dissonum, sufficit ad memoriam universorum Palatinatuũ provocare, sed si istam excidisse arbitrantur res & eventus loquitur aliter, nam quomodo pars nostra potuit prius nominare, cum ipsimet protestantes agnoscant instrumento suo intitulato: Obwieszczenie do poparcia wolney Elekcyi, quòd nonnisi post abitum illorum accessimus ad valla & szopam, inde manifesta veritas, vel ore ipsorum patet, denique nunquid non illi priùs fores Ecclesiæ vi pulsantes & protrudentes properarunt ad te Deum laudamus, obliti illius expediendi in campo. Innocens verò & defensiva pars, nunquid non aliquot horas impendit post abitum partis offensivæ, consulendo, quid in tam enormi, nec sperato casu, læsi juris Cardinalissimi factura esset, nec invenit aliud remedium, nisi nominationem personæ innocentis, ac ab omni contractu Capitulationum antecedenter expressarũ liberæ succurrendi, prout defacto nemine contradicente eadẽ pro Serenissimo Principe Saxoniæ Duce peregit, ac etiam postero die eundem actum, quo stabiliùs ac solidiùs ratihaberetur electio sub iisdem signis electoralium Palatinatuum sustinuit, ac omnium plausu in præsentia legati Neo-electi conclamatum, ac solennem fecit, quod demonstrat partẽ illam præcipitasse, nos semper hæsisse ac posteriores fuisse *3tio.* Audet eadẽ Protestatio asserere nullam fuisse contradictionem, præcipitatæ nominationis Serenissimi Principis de Conti, si protestantes, & contradicentes omnes adhuc vivi moriantur, res nõ moritura testatur, si enim nulla obfuit contradictio, nulla protestatio, cur Magnific⁹ Mareschalc⁹ comitiorũ diploma nõ extradidit, pro tam plausibili nominatione, certè nullam ob causam iste insignis vir continuit manum, quàm quòd protestationes, tot contradictiones, ac ferè universales oppositiones, istã præcipitantiã præsumptuosã trahentem jus liberæ electionis ad certas familias, à tota nobilitate, detorquentem ad Capitulationes particulares libera suffragia à campo electorali, præsidentem in Guardijs numerosè conductis, evertentem jura Cardinalia,

A.C. 1697 dinalia & omnes status Reipublicæ: fecerant invalidā & abortivam nominationem. 4to. Dicit ultra eadem protestatio, quòd non præcesserit statibus Regni de concurrentia Serenissimi Principis Saxoniæ informatio, ast obstat antevotū Primitiale, antè Veni Creator, ut specificè post alios Candidatos, proposuit quoq; Personam Serenissimi Saxoniæ Principis, quodsi Orator ejus ab ordinibus ejus non fuerit auditus, imputandum foret studiis passionatis partis involventis omnia, quæcunque sunt Serenissimi Principis de Conti, apparuit ad status & ordines Orator, neque ullum publicum fecit sermonem, nisi fortè talis requiritur intimatio, qualem contra leges manifestè Gallicus legatus uno ferè integro anno exercuit Varsaviæ. 5to. Non veretur quoque dicta protestatio objicere, quòd Serenissimus Neoelectus non est Catholicus, sed quid ad talia reponere quis audeat? quod oculus videbit, si aures non audiunt. Quæ non ideo proferuntur, quòd nesciant Regem esse Catholicum, & iterùm professurum, sed quòd non habeant, quod objiciant. 6to. Allegat insuper eadem protestatio factū esse grave præjudicium prærogativæ Primatiali, quòd non ipse nominaverit Serenissimum Principem Saxoniæ, ast hoc ab ipso voluerunt & desiderarunt status Reip: innocētes, cur ipsemet suā se prærogativâ privavit, secutus sibi non statibus, & ordinibus Reip: placidas partes, cur debitum, obligationem, munus, juramentum deniq; suum non observavit, de non tentanda prius nominatione, antequam omnes in unum consensissent, muneri suo & vinculo non respondere, & semetipsum exuere jure & facultate suâ, adeoq; præjudicium illatum, si quodpiam prætendit Primatialis dignitas, de nemine alio, quàm se ipso conqueratur & dissolvat. 7mo. Adstruit demum eadem protestatio, nunquam occurrisse suis propartibus manifestationem ministrorum Jacobi in Bartkow Chalecki, Venatoris Podlachiæ, & Martini Graiewiki, ac si contra juramentum pactorum conventorum per Illustrissimum M. Ablegatum Saxoniæ expletum, quodque sit reale, exhibet virorum istorum nulla labe notatorum contraria de insimulatione sui publica coram actis protestatio. 8vo Objicit deniq; criminosa statibus, & ordinibus regni, nempe Senatoribus intaminatis, Dignitariis, Officialibus aliisq; personis, tuitionem liberæ electionis sectantibus actoratum, fautoratum & promotionem scissionis & convulsionis jurium, atq; initum in eversionem statûs consilium, quæ omnia intaminatum zelum ac fidem in patriam debitam, quàm insolenter, injuriosè ac in sui pœnam arguant, vel ex ipsis contextibus scriptorum partis adversæ pateat. Dicunt enim quòd Serenissimi Principis Saxoniæ concurrentiæ ad regnum non præcesserit informatio ad status, quomodo ergo potuit fautoratus & promotio scissionis circa subjectum & ex tempore insinuatum fabricari, quæ tempus & moram requirunt, ut valescant, quomodo consilium potuit iniri in eversionem statûs per eos, qui deserti & relicti in campo electorali, à suo Primate, nunc primo eversum statum, divisam Rempublicam, convulsa jura cardinalia liberæ electionis illachrymati sunt, dum illum abscessisse campo cognoverunt, damnataque tali in patriam nunquam sperata impietate, virilibus consiliis, suffragante innocentiā, obviandum hisce extremis insistere, cum taliter refutatis imaginariis objectis, ne silentio præterita pro veris cernerentur, licet omninò provocatis, ac stimulatis quæ amore quietis tacenda placerent, pro penitiori omnium informatione, non sine gravi doloris sensu deponere.

1mo. Leges sunt claræ, positivæ & quæ cardinales interregni censeri pos-

ri possunt, ut Ministri externi removeantur Varsaviâ, & tamen Illustrissimus Abbas Polignac legatus Christianissimi; non modò non expeditus, non modò non monitus, scriptis suis lacessens atq; stringens intima status nostri, sed alter etiam in subsidium illi adductus, legatus Gallicus Illustrissimus Chateneus, & quod magis dolendum à Towianski Ablegato Poloniæ, illo ipso tempore, quo jamjam negotia electionis fervere cœperant. *2do.* Prohibent solennissimè leges, ne Guardiæ militares, ad actum & locum electionis inducantur, jam quot millia hominum exotici militis, ac etiam Tartarorum M.D.L. visa fuerunt. Testantur id publicè Nunciorum terrestrium expostulationes absq; effectu factæ. *3tio.* Adsunt leges de methodo eligendi comitiorum, jam qualiter nunc, ut in partes eorum trahi posset Mareschalcus, expedita sit electio, summa indignitate, confusione, ac pene eversione Reip: capitatim & viritim nobilitatem ad suffragia pro Mareschalco, per aliquot integras septimanas inducendo, antequā verò modus iste exortus fuerit, aliis materiis obruendo, ne prorsus quidquam temporis relinqueretur, de more Patriæ & lege sanandis vulneribus Reip, sed omnia vulnus essent, quo faciliùs præmeditata pars illa exequi posset. *4to.* Munus est & quidem Sacramento jurisjurandi solenne cujuslibet Senatoris avertere, quidquid nocivum fuerit. Jā quomodo Eminent: Cardinalis Primas Regni defuit tum huic, tum suo Primatiali muneri, dum literas Moschoviticas necessarium habuerit à Principali suo, in alias manus tradere. *5to.* Ligatur idem Eminentissim⁹, legibus comminatoriis hostis Patriæ, de non attentanda nominatione, stantibus contradictionibus, vel si una pars absq; alia, præsumpserit juramentali facta sponsione, quòd neminem nominaturus sit, qui non esset, de omnium ordinum consensu, vel aliqua obstaret contradictio, sed his omnibus postpositis, uno ictu nominationem sibi tantùm, & suis non verò statibus, & ordinibus placitam, ac divisionem prævisam & præmeditatam per se confecit, perniciosam quidem publico sed privato non inutilem, partibus iis, apud quas tam nullus, quàm duo Reges faciunt hærere proventus Reip: bona OEconomica Regia retineri, vacantes Palatinatus, & Capitaneatus, quâdam absoluta facultate distribui, nulli in publicum emolumento. Divisionem verò istam, fuisse præscitam, & præmeditatam, vel hoc solùm convinci potest, quòd idem Eminent: Cardinalis, illas tantùm partes, idq; satis modicas, quas sciebat Gallicæ factioni obnoxias, obequitaret. Jam verò ad tot Palatinatus, terras & districtus contrarios Gallico, sic stantibus in Europa bellis ac rebus candidato, nec unicum passum fecerit, pro conciliando vel recipiendo concordiæ sensu, cavendum est ex iisdem legibus, ne quispiam putet sibi licere, quod Patriæ quietem turbat, ac amorem Patriæ evertat. Jam quomodo Eminent: Cardinalis aliam electionem pro una septimana, ad eundem locum ubi prima facta, ubi eadem statim postero die, reclamante per status & ordines viritim, & more militari congregatos confirmata, & ratihabita, pactis conventis, & juramentis comprobata, audet indicere, sinè præcipuis particularibus conventibus, sinè præhabitis in Palatinatibus comitiis, quomodo præsumit cassare conventus licitos, & legitimos, ad determinanda tandem infelicia interregni tempora, qua authoritate producere conatur idē interregnū (quod finiri cupiunt omnes) jubens literis suis universalibus prorogari, judicia capturalia quid intendunt aliud nisi interregnum suumq; consulatum perpetuare, sufferre omnem priscum morem, exponere manifestis Remp: periculis, ex iis itaq; evidentibus, ac palpabilibus rationibus plurimis aliis, quas publicus zelus, sagacitas, atq; rectitudo optimorum civium penetrare potuit solenniter nomine statuum & ordinum Regni tuentium liberam electi-

A.C. 1697 electionem, de nullitate factæ manifestationis, per Eminent: Cardinalem Primatem, uti violentæ ad scissionem præcipitantiæ, præsumptuosæ, armatæ, Guardiisq, militaribus stipatæ, prius antequam suffragiis electoralibus probatæ, indeq; jus omnium liberæ electionis ad aliquos trahentes, tam de nullitate præfatæ manifestationis, uti mentalis ex nullo verò objecto candido, deq; nullitate literarum universalium, pro confirmatione electionis, in diem 26. Augusti ad turbandam Remp: extraditarum, demum de nullitate quarundam literarum universalium conventus particulares indicentium, ac legitimos, quæ in turbido omnia finiant, inhibentium, judicia verò capturalia, quo perpetua dictatura seu Triumviratus interregni permaneat, unicè commendantium. Nec non de nullitate omnium similium scriptorum & actuum inde subsecuturorum. De validitate verò factæ electionis, pro Serenissimo Domino Principe, Saxoniæ Duce, uti defensivè in tuitionem electoralis campi, uti innocentis, nec ante tempus licitum modis, mediis privatis procuratæ, uti usitata à majoribus praxi, per congressum more militari terrarum ac Palatinatuum, statim in crastinum assensu omnium & plausu, nemineq; contradicente, confirmatæ, receptæ, pactis ac juramento Ablegati, Serenissimi Neoelecti ratihabitæ, tum quoquo de validitate omnium conventuum & solennitatum, juxta leges pro futura coronatione, celebranda manifestantur & protestantur.

COPIA UNIVERSALIUM LITERARUM PRO STABILIENDA ELECTIONE. 24. Julii.

NOS Senatores, Officiales Regni, & M. D. L. Spirituales & Sæculares ad latus Eminentissimi Cardinalis Primatis Michäëlis Radziejowski Archiepiscopi Gnesnensis ex præsenti consilio 23 Julii an: 1697 habito omnibus & singulis quorum interest & nominatim Illust: DD. Senatoribus, Magnificis DD. Officialibus, & universo Ordini Equestri Regni & M. D. L. Dominis & fratribus nostris, unà cum delatione obsequiorum nostrorum deferimus. Sub tanta fatorum inclementia & orbitate sine Rege anno proximè elapso Respubl: nostra exemplo Antecessorum nostrorum per Generalem confœderationem consilia electionis novi Regis Varsaviæ die 25 Maji ejusdem anni indixit, omnia desideria tam publica quàm privata ad eadem dirigendo comitia. In quibus pro fundamento verum DEi cultum & Religionem, liberam electionem citra contradictionem, revocatam inter cives animorum unionem & confidentiam pro primario statuendo objecto, omnem dissensionem ac dismembrationem in detrimentum liberæ electionis exclusuros, sacrosanctè nos obligavimus, & ecce conjuratus non nemo in perniciem patriæ & jurium eversionem turbo has omnes tam pias Reipubl: miscendo & annihilando intentiones non tantùm actum electionis cum stupore nec sine scandalo adjacentium nationum inordinatâ praxi & modo evertit, sed etiam omnia cum læsione liberi voti in summa vocis vetandi confusione tractando, sicut omnibus Dominationibus Vestris, aliquibus tunc coràm existentibus, aliis ex relatione innotuit, materias jus cardinale tangentes annihilavit. Et quod magis deplorandum, dissensione noxia profundumque vulnus charæ matri nostræ Reipublicæ infligendo, omnem illius libertatem, & delicatam Polonæ libertatis pupillam ultimo infortunii optat obruere cinere. Idcirco his omnibus occurrendo, & jam ruenti per dissidia contradicentium animorum charæ & di-

lectæ

lectæ matri nostræ patriæ porrigendo dexteram ex præsenti consilio conventum optimâ, quia solâ conservandæ libertatis intentione, merè propter stabiliendam liberam electionem Varsaviæ pro 26 Augusti ejusdem anni indicimus. Quòd autem contra officium Primatiale nominationem Neo-electi, sicut & universalia ad comitia cum subscriptione propriæ manus & appressione sigilli Illustrissimus Episcopus Cujaviensis per castra ad acta retulerit, & publicare jusserit, nullum id faciendi habens jus, imò contra protestationes factas cum præjudicio jurium Cardinalium Reipublicæ sine consensu, imò in tanta disunione ordinum Reipublicæ, contra libertatem nobilitatis vocem liberam apertè extingvendo, miscendo omnia, & ad totalem patriæ perniciem & ruinam adducendo, ideo ex statione nostra & juratis Senatorum obligationibus ex præsenti consilio omnes fratres nostros præmonemus & rogamus, ut solita judicia capturalia secundùm morem sub interregno solitum in castris Palatinatuum & terrarum absolvantur, & jura antiquasque consuetudines & officia Reipublicæ cum œconomicis Regijs bonis in eo statu relinquant, non considerando ea, quæcunque ab illa parte, tanquam novitates Reipublicæ damnosæ, & periculosæ solennitates novi Regis, denunciationes, literæ universales pro comitiolis nulliter subscriptæ, in castris Palatinatuum nullatenus admittantur, imò pro illegitimis, tanquam contra expressam legem publicatis agnoscant, & ad illud tempus ea removeant, dum & quando Respublica in perfecto omni statu & unione stabilietur. Consensu omnium vestrum & non in certo tantùm, uti agi videmus, incolarum utriusque gentis numero fuerit congregata, quod ut ad notitiam omnium veniat & subscriptum hocce universale Cardinalis Primatis manu, ubique promulgetur. A.C.1697

COPIA LITERARVM EMINENTISSIMI CARDINALIS FOURBIN AD LEGATUM GALLIÆ ABBATEM DE POLIGNAC ROMA 13 Iulij Anno 1697.

CUM magno dolore Domine mi, legi Epistolam excellentiæ Vestræ in qua mihi significavit duplicem extitisse electionem, & non bonam actionem Nuntij Apostolici, informavit suam Sanctitatem de iis omnibus, quæ acta sunt per suum tabellarium, qui die hesterna, hoc est die Dominico mensis hujus ad Urbem venit. Non possum exprimere, quantum Beatitudinem affixerit periculum hoc, in quo Religio Sancta posita est Regni totius, per electionem Ducis illius, cujus abjuratio est suspecta, Interim speramus, quòd illi, qui adhæserunt potiori parti, tuebuntur illam constanter, & ad bonam electionem, quam fecerunt, adducent illos, qui ausi sunt, pertrahere per vim, & passionem in suas partes nostros adversarios. Congregatio statûs quæ nuper instituta fuit, habuit Cardinales 17. Non approbarunt totam hanc actionem Nuncij Apostolici, nihil tamen adhuc determinarunt, expectando alium cursorem pro die 27. præsentis. Ego plurimum opto, ut possim habere informationem ab excellentia vestra, ante abitum meum ex urbe, qui incidet in 12 vel 15 diem.

Prædicta Eminentissimi Cardinalis Epistola, non nihil nos perturbaverat, quòd intelligeremus Serenissimi coronati nostri electionem, non multum Sanctissimo Domino Nostro Clementi XI. placuisse. Verùm exemit scrupulum de vera illius Religione præconceptum sequens Relatio, quam hoc loco ponendam censui.

A.C.1697

COPIA LITERARUM CARD. PRIMATIS AD IMPERATOREM LEOPOLDUM &c.

IN notuiſſet S. C. Rq; Majeſtati Veſtræ, eô ipſo die, quô facta eſt, Electio noſtra, officij enim mei duxiſſem felicem Nuntium ejuſdem M. Veſtræ quantocius ferre, ad quam non tantùm ex bonæ vicinitatis, ſed etiam ſtrictioris contra Chriſtiani nominis hoſtem colligationis nexu, bona malaq; noſtra jure pertinere videntur; continui tamen per aliquot dies calamum ſpem aliquam habens, ſciſſa diviſaq; civium ſtudia, ad ſananda libertatis læſæ vulnera, pacificandam Remp: inclinatura, ſed cū exiguus legum patriarum reſpectus, quæ non niſi Primatiali dignitati jus nominandi concedunt, in his qui perdere alios, quàm periclitari ipſi malunt, ſi non ſpē, ſaltem ſpei fiduciam adimat, differre diutiùs nequeo, quin nomine publico hujus Reip partis, apud quam ſumma ratio libertatis, deferam S C. Rq; Mti V conſtanti ſuffragiorum conſenſu Sereniſſimum Franciſcum Ludovicum Principem de Conti 27 Junij Regem Poloniæ, in campo electorali nominatū & renuntiatum. Inventi ſunt quidem nonnulli Senatores, qui pertractâ circumventaq; obliquis artibus credulæ nobilitatis parte, Sereniſſimo Electorali Saxoniæ adhæſerunt, ſed nec hic, qui nominavit, per leges jus nominandi licitè, & validè habuit, nec hic, qui nominatus, per eaſdem nominari potuit. Gloriatur pars illa, quod militiæ Ducū authoritate ſit fulta, quæ quidem invalido aliàs protunc legum auxilio formidanda eſſet, niſi exercitus noſter ex nobilitate compoſitus foret, ideoq; formandæ potiùs libertati, quàm juvandæ ſuorum Ducū paſſioni, propior & promptior. Erigit nos in eam ſpem ſumma S. C. Rq; Majeſtatis pietas, tot argumentis comprobata perſpectaq; in regni noſtri tranquillitatem propenſio, quòd penitiùs profundiusq; expenſis rationibus conſilium futurorum & præſentis ſumens prudentiſſimo conſilio ſuo occurret, ne hi, qui obvio obſequio, privatas ſpes ſine publica cura agitant, prævaleāt, ne Seren. Elector, cui plura ſēper erunt, quæ oberunt, quàm quæ legibus Regni convulſis ſuccedent, aperto diſcrimini regnum noſtrum bello civili objiciat cum hæc pars privilegio libertatum fulta adverſæ fortunæ objici mallet, & privatæ potiùs nocere, quàm publicæ deeſſe. Si quando nunc profectò vertitur & S. C. Rq; Mtis, & totius Chriſtianitatis alea, ex motu enim hoc nihil ſperandum, præter motum, ſi Polonia diverſa, coacta fuerit decertare pro fatis ſuis, quomodo ſacri fœderis Religio, contra cōmunē Romanæ fidei hoſtē, nobis hucuſq; integra, ſervari ſtareq; poterit; arma enim illa, quæ contra Turcas, Tartaroſq; in proſequendo ulterius fœdere agere deberent, inter cognatas acies diſcinderentur. Non moveat verò adverſam S. C. Majeſtatis ſuſpicionem, neq; illam politici metus obtendat umbram, quòd conſangvineum æmulæ domus Principem, in Regem noſtrum elegerimus; inter Reges enim & regna præſertim verò libera, ubi agitur de corona & Majeſtate, ſemper major eſt ratio vici-

vicinitatis, quàm sangvinis, magisq; formidabilis est libertati electus, *A.C.1697*
suisq; armis, & proxima vicinorum colligatione præpotens, quàm ille, qui omnem suam potentiam, in solo civium affectu sitam habet. Possumus verò integrâ fide S. C. Ræq; Majestati polliceri, spondereq; quòd Seren: Electus noster, sacrosanctè omnia ea sit servaturus, quæcunq; Sacram inter Majestatem Vestram & Rempublicā nostram intercesserunt. Præsertim cum Principi in regno libero nihil omninò in viciniam liceat, sine omnium ordinum consensu, à quo omnis pendet potentia, imò audacter promittere possumus, quòd langvidam illam, in provectiori ætate Serenissimi regnantis in prosequendo bello Turcico curam, mens ad bella nata Serenissimi præsentis pro solatio Christianitatis, pro diversione Mti V. fortiori compensabit. Non ambigimus igitur, illudq; enixè postulamus, ut S. C. Regiaq; Mtas Vestra Seren: Electorem Saxoniæ, sapientissimo suo inducere dignetur consilio, ne propera festinatione sua illam in sangvine nostro flammam excitet, quam sæcula multo civium sangvine, non sine evidenti Christianitatis, (stante cum infidelibus bello) periculo, non valeant extingvere. Quod fusiùs Mag. ac Generosus D. Petrus Tworzyanski, ad comitia nostra ex Palatinatu Cracoviensi Nuntius, Mti V. deferet, uti eo nomine à nobis ad eandem Ablegatus. Cui ut benevolam aurem, & integram fidem concedere dignetur, petimus, paratissima semper obsequia nostra eidem Mti V. devoventes.

LXXIII.

AMICO CONFIDENTI 28. Augusti.

Rokosz instituitur.

CUM omnes conatus, & indefessa bene volentium Patriæ civium cura irrita fuerit apud obstinatæ partis Saxonicæ pertinaciam, facta utrinq; protestatione obtulit Baro Oberbek Electoris Brandeburgici legatus extraordinarius, Principalis sui mediationem, quam pars Contiana libenter acceptavit, pacem nec petimus, ne victi videamur, nec oblatam respuimus, ne superbi habeamur. Navigantibus similes sumus, qui dum longius obortâ tempestate navigare prohibentur, in proximos sinus deflectunt, punctaque concordiæ, cùm in magnis negotiis etiam tuta timeantur, & prudentia abundantes amat cautelas, dedimus, quorum copiam adjungo.

In termino pro congressu à Cardinali Varsaviam destinato plurimi convenerunt. Antequam autem dies illa incidisset, multoties bene sentientes inter se conferebant, quomodo conculcatam ab adversa parte erigere libertatem, quomodo rupta, & ex cardinibus suis commota jura & leges, si non in integrum restituere, saltem ab ultima convulsione liberare possent.

Vocatus ad conferentiam Galliæ legatus quæsitusq; quid causæ esset, quòd elapsis jam duobus ab electione mensibus, nec spes de candidato affulgeat, nec subsidia ulla ad stabiliendam habeantur, cùm interim pars adversa nullo respectu jurium & libertatum silentium nostrum in suum vertat emolumentum, invitatum per legatos electum suum primò Lobsoviæ, deinde in arce Cracoviensi locaverit, ubi dies coronationis appropinquat, quomodo ergo nostri candidati modestia ad imperium trahenda? quomodo

*A.C.*1697 do providendum,ne ulterius ambitu à Regno excludatur. Reſpondit legatus, ideo Principem de Conti Pariſiis non moviſſe, quòd nullam habeat à Repub: compellationem, ſine qua haud viſum Regi Galliæ, adeo propinquum ſibi ſangvinem in ſpe dubia tam longo cōmittere itineri, ſuccurſum quidem & ſubſidium promittebat, ſed cùm ſæpius deluſi fuerimus, nulla vel modica ei habebatur fides. Duo ergo reſoluta, primum civile, alterum extremum. Tentanda primò civilia, proinde cum Barone Oberbeg, ultro offerente Electoris Brandeburgici mediationem à nobis acceptatam & Mareſchalco magno Regni, cui plenipotentia ad tractandum cum parte Contiana, ab Electore Saxoniæ venerat, habuimus conferentiam, quærentes an ad data à nobis puncta venerit reſponſum, & an aliqua ſpes inclinet ad pacata. Conjicere ex illis licuit, quòd verbis fucum nobis facerent, ſpe lactarent, puncta tamen illa forſan Cracoviam non miſerint, imò cùm ſemper fortiùs prætenſioni ſuæ inſiſteret Elector, omnem reſtaurandæ libertatis ſpem adimerent.

Offertur mediatio.

In comitiolis 9 Auguſti peractis, quanquam ubiq; interveniebant proteſtationes, tamen iis non conſideratis Nuntii electi pro coronatione jure vetandi conculcato. Cùm proinde nullus modus pacificandæ Reipub: per civilia media affulgeret, cùm de candidato noſtro modicam ſpem haberemus, deliberare cœpimus, utrum non eſſet conveniens remedium malis inveteraſcentibus, aut iminentibus adhibendo, ut nullum ſequendo Candidatum unico libertatis zelo jungeremur,ad redintegranda jura. Disquiſitio fuit de nomine Rokoſz an illud aſſumendum, quoniam videbatur, nunquam aliàs, niſi contra coronata capita inchoatum. Trutinatis tamē utrinq; rationibus extrema extremis curando concluſum,ut illud aſſumeretur. Ingenuæ mentes duci volunt, non trahi. Dum ergo 26 Auguſti veniſſemus inprimis ad Cardinalem Primatem, pòſt ad Eccleſiam S. Joannis aperta magna porta, quæ ſub prætextu reparationis alicujus clauſa erat. Poſt celebratam miſſam ab Epiſcopo Kijovienſi, & dictam concionem à Rinkievicio Jeſuita, comparuimus in campo omnes, non tam in numero grandi, quàm in ſelecto & exquiſito magnorum virorum conſeſſu, quotquot enim primorum virorum in quovis Palatinatu ſunt, omnes comparuerunt, neq; aliter facere poſſunt, quibus commiſſa eſt Reſpub. Cùm etiam ex Palatinatu Cracovienſi ex equeſtri ordine viſi ſint, quanquam habuerint exercitum Saxonicum tanquam incubum in domibus ſuis.

Rokoſz

Incepit Mareſchalcus electionis præteritæ aſſerens ſe juramento ſuo in ſciſſione nulli parti adhærendi ſatisfeciſſe. Cùm verò titulum actus præſentis, ſcilicet meliorationem electionis ex omni parte violatæ maturè expenderet, in univerſalibus literis totam Rempubl: invitatam videns, fixum firmumque habebat in hoc nec conſcientiam, nec honorem ſuum læſum iri, quòd hic compareat, & quærat quid ulteriùs agendum? Loqui ceſſantis vocem excepit multorum zelus incuſantium non tam Electorem, cui facile ſubit non pauca velle, cùm multa poſſit, qui ignarus legum fiſus conſiliis omnia faciebat, quàm fratres noſtros, à quibus invitatus introductusque cum tam numeroſo exotico, idque Hæretico exercitu civitate & arce Cracovienſi ſerviliſſimè ſubdita, & eò jam res adducta, ut turpe videatur deſinere. Audito hoc fremitu Nuntii Viſcenſes, velut ex inſidiis miſſi, ut actum impedirent, prius tacito murmure, & deinde importunè ſine obtenta licentia loquendi, quæ nemini denegebatur, aliorum ſermonem ſæpius impediebant, & non obſtante præmonitione iterum iterumque id faciebant, donec læſa patientia in furorem verſa. Nonnulli proinde ex junioribus fratribus à verbis, ad frameas

Tumultus nuntiorum Viſcenſium

meas devenerunt, qui motus subitò cessasset authoritate Senatus Spiritualis, ad sedandum tumultum procedentis, nisi Danovius fugâ se fecisset reum, quem fugientem non Nuntij terrestres, sed egressum ex vallis famuli & lixæ aliquoties vulnerarunt. Qui neminem metuit, eos metuat, quos contemnit. Grondscium autem Vexilliferum Viscensem, furori populi veluti oviculam meam eripui. Ingruente autem pluvia dilata in crastinum propositio Cardinalis Primatis, in qua omnia, quæcunq; in conclusionem jurium facta, fiuntq; consideranda Electori populo proposuit, asserens si mea nominatio manca est, tunc & altera suo non caret crimine, præcipuè cum omnia ad decisionem Electoris populi sint referenda. In memoriam reduxit omnia media pacis quæsita, quæ nullum apud obstinatam partem sortita sunt effectum, cum in hac occasione, unus assumi, alter relinqui debeat, meminerit Resp: ne nobis externi aliquandò imponant Regem, ne cum Judæis lamentemur; non habemus Regem sed Cæsarem, magno interim sint animo, facilè evertitur currus, qui ad majestatem vehit, si propero cursu incitetur. Ita graditur per adversa virtus semper ab accepto vulnere firmior. Cōmemoravit degeneres esse mundi incolas, quos posteritatis cura non tangit. Utiq; de messis fœcunditate non est certus agricola, & tamen serit. Qui miserum se esse putat, miser incipit esse, majora sunt periculis commoda.

A.C. 1697

Propositio Primatis

Auditus etiam est cum magno zelo Przyemius Calissiensis Castellanus. Interest præsentis sæculi generosas voces grata mente recognoscere, & futuri eadem veluti ante oculos posita habere, ne aut obliterata inertiâ nostrâ virtus, in vivis langveat, aut quæ imitetur majorum exempla, desideret posteritas, utique etiam veteris ævi res gestæ, sermones dicti, à suis memorati sunt scriptoribus. Ita dicti Castellani meditantem generosā animū, magnæ spei gloriæque ardor accendebat dum ad sermonē suum addidit: quòd si pars illa tantum ausa est, & audet, cur & nos nostrum videmur deserere candidatū? cur unanimi voce, non annuntiamus, *vivat*, quod & factum fuisset in instanti, summè enim erat exacerbatus populus, ut extrema potiùs tentare, quàm Electori se subdere maluisset, nisi me fortissimis rationibus opposuissem, & quia sermo erat paulò longior, mitto tibi ejus copiam, ut videas quis sit sensus meus in præsenti conjunctura, qualis cujusvis animus, talis oratio. Assensum præbuit voto meo confessus, nec primam scissionem altera confirmavit, & satius generalem Rokoszium acceptare, nullum candidatum sequendo strictè tantùm libertatē se defensuros juramento obligare nec ad invicem deserturos se, donec in integrum libertas restitueretur: visum est adhuc non tangere honorem Electoris, sed exprimere actus abrupti & violenti consilii. Turpe enim esset Reipub: moliri bella, quæ profuso sangvine crescunt, nisi pacis amore. Nominabatur Mareschalcus Humieccius Dapifer Podoliæ tanquā accessu facilis, affectu benignus, in vota pronus, publicæ intentus saluti, suæ prodigus. Quamvis Cetnerus Szczuroviensis Capitaneus contrarius videbatur huic nominationi in favorem Wapovii Vexilliferi Sanocensis. Petitus pòst instantissimè ab omnibus Palatinus Vilnensis, opus erat militiæ Duce, quem ille ita agere potest, ut non nisi serò factus videatur, est profectò is hostis, cum quo non de gloria, aut propagandis Regni finibus, sed de vita, & quod vitâ antiquius de libertate agitur, siquidem (stimulat ingenuos animos factorum Cracoviæ recordatio) bello decerni debebit, quod jure non placuit. Petitus dico Palatinus Vilnensis cùm omnia sua saluti publicæ devovisset, se quoque devovere velit, & ut grata posteritas non inter

Duci Lituaniæ offertur titulus Generalissimi.

A.C.1697 termorituram ejus circumferat memoriam ob vindicatam libertatem Reipub: ut susciperet in se titulum Generalissimi, quamvis annis utcunq; declivis, spiritu tamen erectus, ut exercitu suo assisteret vindicationi: Ille alacritate in obsequium Reipublicæ ostensa, in deliberationem in crastinum declarationem suam positivam distulit, cum verò nomen invasoris, usurpatoris, proditorum, hostium Patriæ, sæpiùs repeteretur, visum est sessionem deferre. Intrarunt in concurrentiam Mareschalcatus hujus Koniecpolius stabuli Præfectus Regni, si effari non potest, conari vult maxima, & Łascius Capitaneus Grabovecensis, sed cum jam præposterè id fieret, jam enim Humieccio, quanquam virtuti illud ipsum deberet, prima capita illud officium promiserant, spes omnis abscissa aliis concurrentibus. Interim Baro Oberbeg offensum se aliquatenus asserebat, quòd de mediatione Principalis ejus nullam fecerit Cardinalis mentionem, quod facere non potuit, propter metum invidiæ, videns tam callida in contrarium studia. Optabant quidem hi qui Reipub: tranquillitati student, ut Oberbekius petita sibi audientia, in campo hanc mediationem proponeret & ad concordiam invitaret, quod ille facere non audebat non habito in eum finem à Principali suo mandato. Tentati sunt Procancellarius Regni & Palatinus Calissiensis memoriâ vetera repetendo, suosque sensus, per antiqua avorum nostrorum decora circumferendo, ut concordiam proponerent, sed renuerunt. Erant Varsaviæ præsentes multi Senatores & plures alij ex equestri ordine partium Electoris, & tamen nullus media pacis publicè proponere voluit, omnes nos Calissiensis Palatinus adibat, præjudicata sub Stephano, sub Sigismundo in similibus Sessionibus allegando, sed nihil ultra.

Mors Cardinalis Dönhoff. Venit notitia de morte Joannis Casimiri Dönhoff Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, quæ multum colligatos ejus afflixit, vir verè sanctus & longiori vita dignus, cujus virtutis & pietatis fama orbem implet, & laus ejus est in benedictione. Pileum Cardinalitium plus virtuti suæ, quam fortunæ debuit, pietatis norma, sanctitatis idæa. Diu vivere non potuit, qui diu mori non debebat.

PUNCTA à CONSILIO PENES EMINENTISIMUM Cardinalem Primatem Excellentissimo Serenissimi Electoris Brandeburgici, uti Mediatoris Legato, præmisso omni venerationis & gratitudinis cultu, pro eo, quo Serenissimus in conservationem Libertatum nostrarum & tranquillitatem publicam fertur affectu.

Dat. 15 Augusti 1697.

SEcurum inprimis Serenissimum Mediatorem reddimus, nullo nos odio ferri in personam Serenissimi Electoris Saxoniæ, cujus Natalium, & magno Principe dignarum qualitatum debitam in animis gerimus venerationem, Religionis tantummodo Romano-Catholicæ, pro qua vitam & sangvinem litare parati & libertatum Patriarum, sine quibus mori potiùs, quàm vivere eligimus, respectus eò nos ducit, ut debitum zelum pro conservanda Religione & libertate palàm faciamus, pro quibus evertendis pars illa, quæ Serenissimum Electorem Saxoniæ ad evertenda omnia Cardinalia jura induxit, & hactenus inducere non cessat, nihil intentatum reliquit.

unum ergo punctum est Religionis, quam, quòd Serenissimus Elector verè profiteatur, non dubitamus, sed cùm lex Cardinalis nostra non tantùm Regem, sed & Reginam Catholicæ Romanæ Religionis esse debere disponat. Cùm præpositiones ante electionem immediatè factæ ab Ablegato

gato Serenissimi Electoris, & in pactis conventis, quæ jam juramento à Serenissimo Electore sunt firmata expressis, nec ulli interpretationi subjectis verbis sonent, quòd Serenissimus Elector cum Serenissima consorte Catholicam Religionem profitebuntur ante coronationem sub nullitate Electionis. Cùm verò certò certiùs sciatur hoc in persona Serenissimæ Electricis non posse adimpleri punctum, quid in hoc passu agendum & quomodo coronationē Regis salvâ conscientiâ permittere possumus? *A.C. 1697*

2dum Serenissimus Elector in convulsionem Cardinalium legum stantibus contradictionibus non observato jure vetandi tantorum nominum, fines Poloniæ ingressus, manu armatâ, aliquot millia Acatholicorum secum duxit, arcem Cracoviensem occupavit, quomodo tam ingens libertatis læsio sanabitur, nisi Serenissimus Elector, si leges nostras observare in animo habet, ut in integrum libertatibus nos restituat, per reditum suum, unde præcox consilium evocavit.

3tium Cùm tot leges læsæ, libertas planè conculcata, eversio statûs evidens sit, necessarium omnino diploma à futuro Regnante per quod cum omnimoda securitate cassatis omnibus præteritis actibus provideri libertati posteritatis nostræ possit.

4tum Quandoquidem nec per legem, nec per consuetudinem probari unquam potest Illustrissimum Episcopum Vladislaviensem Privilegium nominationis vel officij alicujus ad Primatem Regni pertinentis exercere posse, nisi in casu mortis, infirmitatis vel absentiæ ejusdem Primatis. Quomodo ergo dignitas Primatialis in integrum constituetur, nisi plenâ abrogatione primùm uti illicitæ nominationis cum circumscriptione in posterum & Episcopi & Ducum belli, ne Patriæ per potentiam imponant Regem, cum præjudicio Religionis & libertatis.

5tum Pacta conventa per unum causidicum composita ab una tantùm Reipub: parte subscripta, quomodo subsistere possunt, pro quibus conscribendis, adhuc ante scissionem deputati ab integra Repub: erant, quibus plenum jus, nova conscribendi, manere debet.

6tum Temp⁹ coronationis ab Illustrissimo Episcopo Vladislaviēsi contra leges, & praxim destinatum, quomodo observari potest, nisi ab eo, cujus jus est, comitiis iisdem & comitiolis particularibus, quæ omnia nunc amore libertatis rupta sunt, uti legitimè dicta, novum destinetur tempus.

7mum Exolutio Promissorum millionum pro exercitu ut solitæ depactiones evitari possint, per Commissarios ab integra Republica destinandos non præjudicando thesauro Regni fiat.

8vum Ut equester ordo in integro conservetur, diplomate Illustrissimorum Episcopi Vladislaviensis & Castellani Cracoviensis cassato, novum à Mareschalco Equestris ordinis cum consensu totius Reip: procurari debet.

9num Pro custodia personæ Regiæ, mille ducenti tantùm esse solent homines (quos Gvardiam nominamus) in pactis autem Serenissimo Electori 6000 permittuntur, ut ergo solitum numerum hæc custodia non excedat, idque ex Catholicis, ne Regnum hæresi inficiatur, fieri debet.

10mum Denuntiatio Regis impressa, in qua rarum vel nullum punctum, quòd rectè libertatem non impugnet, ne memoria ejus extet, ex actis omnibus eliminetur.

11mum Securitas contradicentium, indemnitas prærogativarum eorundem provideatur.

12mum Distributio vacantiarum non nisi post coronationem fiat, respectusque meritorum cujusvis, non abjectæ servitutis, sine ultione fiat.

Cùm verò ad hæc puncta, desideratum habuerimus responsum in hoc congressu, quod reparationi liberæ Electionis destinatur, liberum erit E-

A.C.1697 lectori populo, sine quo nemo sibi quidquam præsumere potest, personam Electoris pro legitimo Rege venerari, quilibet verò salvis his omnibus tranquillitatem Reipubl: amans, calculum addere potest.

COPIA LITERARUM

MARESCHALCI M. REGNI AD SERENISSIMUM ELECTOREM SAXONIÆ ELECTUM REGEM.

IN executione benignissimi Mtis vestræ mandati, quo me in plenipotentem suum ad mediationem Serenissimi Electoris Brandeburgici designare dignata est Majestas vestra, hanc nomine Eminentissimi ac Reverendissimi Dñi Cardinalis Radziejowski, Primatis Regni Poloniæ ab eodem mihi concessam do declarationem, quam præsentibus excellentissimo Domino ab Oberbek Legato extraordinario Serenissimi Electoris Brandeburgici, & excellentissimo Dño Przependowski Castellano Culmensi, realem & immutabilem accepi, nimirum quod Eminentia sua, tam suo, quàm aliorum partis suæ Senatorij ordinis ac equestris nomine, qui se illi documentaliter, pro rati habitione assecuraverunt, videns & manifestè palpans non posse in præsenti rerum statu meliùs ac feliciùs regi hanc Remp: quàm delato Mti vestræ sceptro, cujus heroicum animum, ac Regias ejus dotes tanto oneri pares existimat, ac veneratur. Declarat ac fide bonâ promittit se neminem alium in Regem Poloniæ præter Mtem vestram nominaturum, dummodo Mtas vestra propter obfirmanda melius Regni ac libertatis jura, quæ non nihil ex occasione scissionis præsentis præcipiti consilio divisæ in partes Reip: labefactata sunt, imminentem terminum indictæ celeriter coronationis ex motivo prudentiæ & æquanimitatis suæ Regiæ ultro ad justum perficiendis læsæ libertatis remedijs, tempus differre non dedignetur. Et insuper, si ita Mti Vestræ placuerit, opportunum quoque judicat, ut ad congressum ab eodem indictum legati Mtis Vestræ comparere possint, quo firmiùs devincti in rem Majestatis Vestræ Civium animi feliciori applausu, ac consensu nomen Majestatis Vestræ ad Regnum acclament, ad quod efficiendum certam & omni majori fide cautam operam studiumq; suum Majestati Vestræ pollicetur. Quod promissum mihi in præsentia excellentissimi legati Brandeburgici & excellentissimi Castellani Culmensis datum, ut majus robur habeat tantum præsentibus literis meis concedit valorem, ut pro instrumento securitatis Mtis Vræ servire valeant. Sicut excellentissimus Dñus legatus Brandeburgicus dabit testimonium Mti Vestræ tanquam Mediator, & excellentissimus Dominus Przependowski Castellanus Culmensis vivâ voce Mtem Vram meliùs, uberiusque de transactione hac assecurabit. Cæterùm benignissima Mtis Vræ mandata omni majori cultu, ac submisso desiderio præstolans maneo quàm demississimè,

SERMO IN VARSAVIENSI CONSILIO EPISCOPI PLOCENSIS Die 28. Augusti habitus.

ADEO taciturnitati insuevimus regni Senatores, ut in convocatione pauca ad propositum, in electione nihil omnino proferendo, mutam scenam repræsentaverimus. In publico totius Reipub: consessu, proh dolor! elingvis consedit curia Patrum. Langvidi hujus silentij intuitu, etiam mihi præmeditati aliquid adferre vix placuit, tametsi majore

majore nunquam ſuper dicenda & danda conſilia opus foret reflexione, quàm iniquiſſima hâc temporum calamitate, in qua nec ſentire, quæ velis, nec dicere, quæ ſentis, licet; ſincerus in publicum zelus pro affectu & paſſione traducitur, nec in publica patriæ convertitur commoda, ſed in odia privatorum civium cum dicentis damno ſiniſtrâ interpretatione detorquetur. Loquar igitur, an ſileam? præſertim cum triſtiſſima rerum facies, lacrymas non verba, luctum non ſermonem inſtillet. Quia tamen cum horrore perſpicio laborantia in ruinam noſtram fata, miſerandumq; Reipublicæ ſtatum, cui ultima pernicies non tam differtur, quàm trahitur: nec expedit, nec licet (ſi aliquam ſaltem Rempublicam habere volumus) tacere. Si enim tacuerimus, velut canes mutos ſera & innocua poſteritas deteſtabitur. Accuſabit obſtinatum ſilentium arcano remorſu conſcientia, quæ per conſuetam nos juramenti formulam (quidquid nocivum ſcivero, revelabo) ad loquendum obligat. Verùm hujuſmodi ſynderefes anxios Præſulum animos maximè vellicant, atque ad loquendum perurgent: utpote quibus in DEI & Reipublicæ cauſa tacere piaculum eſt, ſecundùm illud: Quod alijs turpe, Camillo nefas fuit. Proinde ſuccinctè non ad pompam, ſed ad cautelam, de re, non de perſonis, citra cujuſquã ſeu injuriam, ſeu invidiam, ſenſum meum paucis exponam, obſequioſiſſimas preces ad omnes hîc congregatos dirigendo, ut in ſilentio & patientia priùs velint eſſe Auditores, quàm Judices. DEum in teſtem & vindicem invoco, boni publici intuitu me cuncta profari, atque utilitatem juvandi, gratiæ placendi ſemper anteferre, nihil unquam contra libertatem; nihil non pro libertate ſentiendo. Si cui ad guſtum non acciderit oratio, ſuum cuique liberum ſenſum relinquo. Si quis tamen contraria protulerit, rationibus me convinci patiar, libenſque cedam. Neque enim de numero eorum me eſſe profiteor, qui ne inconſtantes videantur, pertinaces fiunt. Eſſe poterit, quòd hæc nunc non placebunt, ſed ſemper diſplicere non poterunt, quia cuilibet ſinceram libertatem amanti magis forte conſilium, quàm turpe ſervitium arridebit. Quod attinet perſonam, & emolumenta propria hæc inferiùs pono, & adverſæ fortunæ objici malo, privatæque ſorti nocere, quàm publicæ deeſſe. Opprimi melius eſt in bona cauſa, quàm malæ cedere. Quiſquis infelices præſentium temporum revolutiones, & non uno forte ſæculo lugendas recogitaverit metamorphoſes, quibus malumus indigna pati, quàm corrigere, Polonos magnæ præter ſolitum coram Deo culpæ reos rectè coarguet, eò, quòd ultrix criminum noſtrorum è cœlo manus, etiam ubi remedia ſalutis ultimæ quærebantur (in congregata videlicet tempore electionis præteritæ Republica) reperire tamen illa arcanis fatis non conceſſerit, nec felici conſiliorum eventu gaudere permiſerit, utpote quæ veluti ex comparatis inſidijs nec incipere licuit, nec finire. Indulſiſſet utinam favorem ſuum Optimus DEus, qui à Lecho primo regnum noſtrum mirâ ad hoc uſque tempus fovit providentia, ut tritâ à majoribus noſtris eundo ſemitâ, cardinalem de eligendo Principe legem ſangvine proprio ſuſtinere valuiſſemus, illum teſtor, in cujus conſpectu nuda & aperta ſunt omnia, paratum me fuiſſe proprij corporis ruinâ impedire ſequelas, quæ in futurorum Poloniæ Regum Electiones peſſimo exemplo devolventur. *A.C.* 1697

Quis enim eſt tam hebetis intellectus? ut palàm non videat, quòd ob unum hoc præjudicatum libera electio nec ſperari unquam poterit, nec obtineri. Hujuſmodi præjudicatum futuris ſæculis ad majores (ſi tamen ma-

A.C. 1697 jores fingi possint) ausus certa erit illicebra. Turbis nostris non sine peculiari consolatione non solùm vicini, verùm etiam æmuli nostri fidei, & libertatis aureæ jurati hostes delectantur, quando loco liberæ electionis prævaluit pereundi licentia, & quidquid aliud, quàm libertas: quando ab avitis majorum institutis, in devia & avia abrepti, libertatem pro qua majores nostri gloriosè occubuerunt, prodegimus, hostibus nostris indicando, quibus vitiis & modis avita fides & Patriæ prærogativæ vel concuti possint, vel subverti. Talpa sit, oportet, aut novus Tyresias mente magis; quàm oculis captus, qui id ipsum inficietur. Quemadmodum enim malè posuimus initia, sic cætera consequentur. Iam Europa universa ex nostris discordijs infallibilem posthac eligendorum Sarmatiæ Principum formavit regulam: divide & impera, quando inconsutilis tunica libertatis, & unanimis electionis discissa, & dilacerata, quando quò majore libertatis imagine tegimur, eò velociùs ad infensius servitium per umbratiles rationes properamus. Rectè arguunt vicini nostri concidisse Rempub. nihilque nobis spei reliquum esse, quia nec locus quærendi, nec invocandi leges superest: unusquisque enim non legem scriptam sed libitum sequitur. Divini humanique juris immemores, nihil unquam prisci & integri moris in nobis monstramus, fidem & libertatem, velut captivam ducimus in triumphum: non persuademus rationibus, sed armis cogimus: non pro defensione vires, sed in oppressionem libertatis exerimus; atque ad nocendum tantùm Patriæ potentes videmur: nec denique æquore turbido vela demittimus, verùm infestis ea ventis explicamus, ut in syrtes & scopulos Argo nostra impingat: mensura juris nostri vis est; traditique in sensum reprobum facimus non facienda, imminentia pericula ultro prensamus, atque naufragium nostrum sponte accersimus. Periimus æternâ labe, nec reparabili damno, quia nec corrigere errores nostros volumus, nec corrigi patimur: nimirũ ubi à recto semel tramite aberratum, in præceps citò pervenitur. Illachrymamur ubertim plerique (nam optimus quisque Reipubl. causâ mœret) quòd in errore tanta constantia, & ordo summus sit in disordine. Stupebunt secuturæ ætates, nec fidem historiæ adstruere audebunt, extinctum in nobis amorem Patriæ & terram hanc, quam matrem appellamus, filiis communis matris fuisse invisam. Contempta omnis juris dignitas, quò flagitiosior quisq;, eò audacior & commodioris ad omnia turbanda consilij, consilio plurimum valere censetur. Hinc præsentissima discrimina nec cernimus, nec discernimus. Nimirum ubi affectu ducimur, labi solemus, perierunt omnia, ubi quidquid potentia suadet, indulgentia permittit. Iam securis ad radicem posita, paratæ jam cervicibus liberis, & fidei subruendæ bipennes, nisi eam unanimi consilio & robore ab ictu præservemus. Hostem quippe non domare, cùm potes, est amare, ut pereas. Utinam vana promissa, suspectas capitulationes, donaria, congiaria & cætera hujusmodi vilia servitutis pretia ex animis & cordibus nostris proscriberemus, atque ad hunc ipsum auri splendorem effulgentem perituræ libertatis & fidei discrimina internosceremus. Spes equidem oblati præmij maxima absorbet pericula & grande munus potens est hamus, sed ære adunco læsos & illaqueatos in probrosam trahit capturam. Judicet Dominus arbiter hujus diei inter Israël & filios Ammon. Nulli parti abblandior, fiducialiter tamen loqui cogor; errare homines possunt, errorem obduratâ pertinaciâ tueri, nonnisi cacodæmones consueverunt. Notum, manifestumq; omnibus est, qui vel spectatores, vel auctores, fatali electionis scenæ interfuêre, quomodo inter scissa partium studia ex præoccupatis animis gesta sint omnia. Ex parte una magno Electoris populi, zelo flagrantis consensu Regem nominaverat Regni Primas, primusq; Princeps; contra quam nominationem

si sim-

si simplex contradictio intercessisset, non verò tanta partis adversæ arcano dudum molimine agitata scissio, certò certiùs in crastinū pro bono Patriæ, pro conservatione liberæ electionis recessissemus à Candidato,licet cœlo teste & terrâ tam eligi digno, quàm imperare. Neque enim ita huic adhærescebamus, quin magis nobis ab altero metueremus. Condictæ fuerant inter partes conferentiæ, quarum (si per tempus vacaret) calculum facerem; hac enim in re, nulli me diligentiæ pepercisse,sed dicta singulorum calamo excepisse profiteor: manifestissimè inde liqueret, nos adversæ partis sententiam non ita reprobâsse, quasi verò in verba & vota nostra juratos Antagonistas compellere decreverimus: tametsi ex duplici capite verior & melior noster de Republica sensus fuerit, tum ex parte nominantis,cui ex veteri indubitato,positivo totiesq; præscripto jure nominatio cōpetit, tum ex parte nominati, quia de religione, quam lex cardinalis firmat, nulla ex parte Candidati intervenit controversia. Acceptavimus oblatas à mediatoribus exceptiones; ut Candidati extra limites decretum Reipublicæ præstolarentur, in confirmatione liberæ electionis moribus antiquis ferendum: demonstravimus præcoci in Candidatum affectu nos minimè propendere, quia non factionibus, non conjurationibus (quod falsò allegabatur, nec probari tamen unquam poterat) verùm ex zelo restituendæ gloriæ sine periculo religionis & libertatis eidem suffragabamur. Admisimus & hoc punctum ex sensu mediatorum, ut externi legati inter nos ad interim non commorarentur, ne libertatem factionibus suis pessundarent, sed ut Electori populo, qui divisus Candidatos suos pro affectu sequebatur, libera decisio relinqueretur. Verùm modestia nostra & prompta ad gratificandum, ne dicam obsequendum, facilitas, majorem in factionis adversæ Antesignanis causavit præsumptionem; violentissimè quippe urgebant, ut absque scrupulo super fide, absq; reflexione super libertate, quæ à potentissimo vicino evidenti periculo objicitur, aliquos in sententiam suam traherent, cùm tamen decisio hujusmodi ad universam Rempub: ex lege & debito pertineret. Obstinatè itaq; rationes nostræ, quæ pro Religione, & libertate faciebant rejectæ, interpositæ à nobis ex zelo contradictiones elusæ, quasi verò tam obscura nomina nostra forent, ut neq; nascendi sorte, neq; meritis in patria unquam inclaruerint. Impotenti & contra sana consilia obfirmato animo invitis Regem satagebant imponere, ac spretâ Electoris populi multitudine, posthabitâ Primatiali dignitate, contemptis Senatûs & Equestris ordinis prærogativis (quasi aut in Tauricam, aut in Regionē mortuorū adverso fato relegandi essemus) privilegiis omnibus nos exuere, dictatoriâ potestate, ad violenta & absurda quæq; proni, conabantur. Quæ absurda, oculis & recenti omnium memoriæ ita observantur, ut ea digito non sit monstrare necesse. Subrutum ex cardinibus suis omne jus & fas, scripta pacta conventa, ne ipsis quidem, qui fecêre laudata, admissus ad firmanda juramento pacta coram Venerabili Sacramento homo Acatholicus, expediti legati invitatores ad sceptrum, qui tamen post conculcatum jus vetandi non nisi cum maximo Reip. dedecore personatam legationem obiverunt. Stantes quippe è remoto coram sedente jam in throno sub umbella Principe nondum coronato (quam invisam suscipiendi liberos cives, methodum etiam coronatus Princeps non prætendit) munere suo perfuncti sunt. Mensæ demum separatæ unà cum Cæsaris Legato accumbens Elector non sine æterna Sarmatiæ ignominia legationem suscepit, quasi à subjugata Repub: non gratiam, sed præstitum serviliter homagium acciperet. *A.C.1697*

A. C. 1697 ret. Si hæc passi simus Republica adhucdum integrâ, quid patiemur convulsâ? in regni viscera evocata ab exteris hetherodoxa militia, Sacrosanctæ Ecclesiæ, thesauri, arces, Acatholicæ custodiæ, & suspectæ fidelitati cōcredita, concessa ad Regnū non obstantibus contradictionib⁹ intromissio, maximo per modicū tempus molimine Elector Cracoviā adductus, arcem Regiam occupavit. Ad Cancellariam non nisi viritim admittebamur, ad acta publica nulli unquam libero civi deneganda, nulla à nobis emanata propositio, quæ publicam materiam concerneret, acceptata, demum quasi aut alienigenæ, aut conditione inæquales ab arbitrio consiliorum segregabamur. Comitiola indicta, sed in quib⁹ nulla contradictionis ratio habebatur: electi per confœderationem legati, in qua evidenter moribus antiquis contravenitur. Confœderationes quippe non nisi sub Interregni tempus instituuntur. Antagonistæ nostri jam ex arbitratu suo finem Interregno imposuerunt, jam Principem non expectato, imò nec rogato assensu nostro proclamaverunt, his tamen non obstantibus Confœderationem indixerunt. Denique etiam coronationis diē designarunt, in qua quis Neo-electo impositur⁹ sit diadema, ignoro, cùm jus coronandi Archi-episcopo Gnesnensi à Casimiro III Anno 1431 collatum, à Sigismundo I. Anno 1507, & Sigismundo Augusto Anno 1550 confirmatum competat. Juris nostri sensum allego: *nullus diademate Regni imposterum inaugeretur, nisi ab omnibus Reip: statibus liberè secundùm Regni privilegia electus; quem sic liberè electum nemo coronare præsumet præter Archi-episcopum Gnesnensem juxta privilegium eidem à Casimiro III concessum, cum ijs Episcopis, qui ex antiqua consuetudine ad hunc actum pertinere dignoscuntur.* Flocci habita sunt hæc jura & privilegia, anne verò levis, pessimo hoc exemplo, ictus religioni & libertati inflictus? Quid ad hæc pars nostra? ubi in comperto fuit electionem Candidati nostri parum placere, in silentio & quiete consedimus, & neque pacta conventa formare, neque legationem pro Candidato expedire animus fuit, neque tale quidpiam audere, quod vel in minimo libertati præjudicaret.

Indixerat Cardinalis Regni Primas cum alijs consiliarijs confirmationē liberæ electionis, quî enim sine hac salva libertas consisteret? nonne expediens erat summi in Patria nostra Antistitis monitu sepositis passionibus & simultatib⁹ ad prima redire Principia, & arbitrio Electoris populi jura partium committere? quæ iniquè sibi soli contraria factio arrogaverat. Abnuerunt ex æquo rectoque factæ propositioni assensum præbere contrariæ factionis asseclæ, atque animadverso nos Candidato nostro tenaciter non adhærescere, verùm solius libertatis respectu confirmationē electionis decrevisse, etiam illi absque hujusmodi fulcro nullā electionis suæ infirmitatē aut validitatem non ex vano ominati, adinventionibus eorū, quibus solenne est, pessimæ causæ patrocinia suscipere, & jus omne susque deque habere, veriti non sunt sua proferre somnia, quasi verò in crastinum electionem suam legitimè stabilivissent. Verùm qui perpenderit hujusmodi confirmationē nullo præfixo termino, & inconsultis alijs diversa sentientibus, confictam potiùs, quàm confectam, fucum eos rebus suis fecisse, non inficiabitur. In hoc porrò arbitrario atque imaginario consensu proh! quot & quantæ deprehensæ exorbitantiæ? conclusum in illo, ut diploma electionis ab Episcopo Cujaviensi, & Castellano Cracoviensi subscriberetur, quâ procedendi methodo privilegium equestris ordinis in Marescalco, eoque tali, qui ad hunc actum ex mente Reipublicæ juramento sese obstrinxit, ex integro convulsum. Ablegatus Electoris per Palatinatus in Martio electionis campo dispersos circumductus, vexilla palàm & coram eodem cum indignitate Reipub: in signū obsequij inclinata, tot denique inconve-

nientiæ

nientiæ ſubſecutæ, ut aſſerere liceat pejorem morbo fuiſſe medicinã. Num *A. C.* 1697
legit aliquis cõſimiles in Annalibus Polonis auſus? num extitit aliquando hujuſmodi in Polonia præjudicatũ? etiam Virgæ Mareſchalcales (nõ tamen à Mareſchalcis) coram novo Principe levatæ, cùm tamen non ſublevatas, ſed ſubmiſſas uſque ad tempus coronationis præferre, mos antiquus permittat, quemadmodũ Piaſeccius in Chronico anni 1632 factum teſtatur.

Non habeo, quod opponam Sereniſſimo Saxoniæ Electori, perſonam, genus auguſtum, merita & qualitates ſceptro digniſſimas veneror, atq; poſſem fortaſſis, ſaltem inter poſtremos, favorem ejuſdem prenſare, & nanciſci. Placet igitur perſona, modus verò agendi, nec mihi, nec cuicunq; alteri, cui ſalva fides & libertas in votis eſt, placere poteſt.

Quod fidem attinet: fateor inprimis Sereniſſimum Electorem poſſe verum eſſe Catholicum, licet etiam hujus aſſerti nullum præſtò ſit documentum, præter ſimplicem Illuſtriſſimi Nuntij Apoſtolici Davia atteſtationem, quod in teſtimonio Principis Epiſcopi Jaurinenſis manus propria ejuſdem ſit Epiſcopi. Hîc ab annis duobus de converſione Sereniſſimi Electoris ſparſus eſt in vulgus rumor: prædictum autem teſtimonium pro converſione Sereniſſimi Electoris diem Ss. Trinitatis anni præſentis expreſsè deſignat. Notandum autem eum, qui teſtimonium perhibet, proximo ſangvinis vinculo illigatum eſſe, cui per leges teſtem eſſe non licet. Quis novit, utrum diadematis, in domo ſua præconceptum deſiderium, hujuſmodi teſtimonium non extorſerit? fides autem adeo delicata eſt, ut nullâ unquam (etiam quæ ſuperflua alioqui videtur) ſufficere poſſit cautela: ac proinde ad ſcrupuloſiorem ſtateram, expendi eandem conveniret. Verùm admiſſo: Principem illum ex animo Catholicum dogma profiteri, lex eadem quæ Regi, etiam lata eſt Reginæ: & cur illam in capite libri ſcriptam oblivione deterimus?

Proteſtor coram DEo, quòd nullo ſiniſtro affectu, tantarum qualitatum Candidato aditum ad regnum velim obſtruere, verùm oculatiore mentis indagine ſcrutando ex parte altera immobilem in nativa ſecta conſortis Sereniſſimi pertinaciam; vereor ne illa in nobis verificetur parœmia: ſerò ſapiunt Phryges. Atque utinam ſicut Phryx plagis fit melior, ita Sarmatia exemplo alieno cautior efficiatur. Omnibus artubus contremiſco, quoties præmeditor, (circa hujuſmodi autem materiam, aſſidua meditatione tanquam Sacerdos, Epiſcopus, regni Senator, verſari obligor) apertum diſcrimen fidei, quæ ab omnibus ætatibus habita eſt regnorum firmamentum. In actu coronationis, non fruſtra Reges ſacro ornantur amictu, ut nimirum ſacra tueantur. Non ita reformido inſtructum Acatholicum Exercitum (quia certa ſemper eſt victoria, quando pietas & juſtitia pro DEo & populo pugnant: Regna quippe & imperia pro DEo armata corruere nequeunt) ſicut paveo, ne ad ingreſſum aſtutæ vulpeculæ, canibus & lupis ad ovile Domini porta pateat. Impietas par Sacrilegio eſt, in ſæculorum negotio leviter procedere, & more pecudum ire quà itur, non quà eundum eſt. Fides eſt credere, quod non vides, ideoq; cæca, verùm eò oculatiores depoſcit excubias, ne à parùm fidelibus procis manuducatur ad corruptionem. Levo oculos ad Patrem luminum, ut radiis nos ſuæ gratiæ colluſtret, atq; tenebras noſtras ipſi recognoſcamus, ne malè oculati nobis ducatum præſtent.

Utinam liceret è monumentis majores noſtros evocare, ab iiſq; in præſenti diſcrimine efflagitare, quidnam in hoc paſſu nepotibus ſuis faciendum ſuaderent? nullus dubito, quin famoſum illud præjudicatum alle-

A.C. 1697 allegarent? dum Vladislaus IV ad Palatinam Rheni Acatholicam thalamo inferendam, animum adjecisset, quô zelo, quâ constantiâ, uterque status sacer & politicus, intento Regio contravenerit. Hac de causa aureum sub illius Regimine sæculũ Poloniæ habitum, atque pacificator Septemtrionis audijt, quia integra Religione pacem cum cœlo habebat. Ob fidei zelum universalis Ecclesiæ Antistes Poloniæ Monarchis titulum Regũ Orthodoxorum ex merito contulit. Itaque cæco impetu fidem avitam in præcipitiũ non inducamus, pro qua Antecessores nostri ad sangvinem usq; restiterunt, & cui etiam nostrum sangvinem par est devovere.

Hæc ex obligatione mea Pastorali dicta sunto, quæ fidem concernunt. Obiter solùm attingam ea, quæ impetunt libertatem, nam in hac materia satis est periculum libertatis innuisse.

Nemo non videt in hac partium convulsione, adempta multa, violata non pauca, immutata esse omnia. Benè conscius sum sermonem meum odio & invidiæ apud adversam factionem patere, quam etiam felle amariorẽ jã degustavi; solatur me tamẽ quæ & prævalet conscientia, pellit timorẽ (qui etiã in virũ cõstantẽ caderet) charitas Patriæ, nõ recuso audire malè, dummodo Religioni & Patriæ consulã. Non expedit pro utilitate publica pavidum esse offensionũ, præsertim cum nemo cogi possit, ut contra conscientiam credat: Non exaggero, quomodo electio adversæ partis, non tantùm in subjecto controversè Catholico (nulla quippe certitudo subest) sit illicita, verùm etiam in nominante, & stantib⁹ tot contradictionib⁹, absolutè invalida. Annè æqvũ & libertatem tueri oppressione libertatis? & infringere sangvine partam Cardinalem illam electionis regulam: *nemine contradicente*? agnoscunt Antagonistæ nostri errorem suum, utinam ab illis commissum damno suo Polonia non deploret. Conscientiam illorum reverberant manu palpata discrimine (Rhodi quippè & Siracusis nunquam tanta nubila obducuntur, ut non horâ aliquâ sol cernatur) nec tamen est qui recogitet corde, scilicet extremæ infelicitatis est, infelitatem suam non agnoscere. Scilicet divina mens, cujus fortunam mutare constituit, consilia corrumpit: quia aversas à se humanas mentes gratiæ suæ lumine destituit, ut errores & pericula neque intelligantur ut magna, neque considerentur ut manifesta, neque evitentur ut perniciosa. Nullo negotio tela in glomum intricatur, labore tamẽ maximo extricatur. Sagitta facile immittitur, sed difficulter extrahitur. Quæ servitus est: si hæc libertas existimatur! annè potest major cogitari oppressio? quàm nostrismet capitibus, absque capitum nostrorum annutu imponere Principem? num majus unquã datur gravamen? quàm eò decurrere, non quò ratio ducit, sed quò cupido ultionis impellit. Stephanus Batoreus dicere solitus erat, Polonos si Regibus eligendis sapientiores Hungaris non fuerint, nec futuros feliciores. Liberũ jam erit particularib⁹ personis, ex unico hoc præjudicio Principes & Reges pro libitu legere. Nisi modò tectos Ulyssis habitu Protheos detexerimus & variegatas inaudito artificio futuras diffuerimus, malè occultatis consequentiis, in fidei & libertatis negotio succumbemus. Dulcis esca est Mtis titulus, qui potis est, etiam muscas sui famâ invitare, atque ad nidum, in quo hactenus aquila Polona, candore notabilis ipso uniceps consedit, rapaces aliquos inducere vultures, quorum ungvibus (prout experimento discimus in Hungaria, Transilvania, Bohemia, Moravia & vicina Silesia) difficulter eximamur. Sæpè enim vis plura potest quàm meritum. Arcanum hactenus & Delphico oraculo par, in Sarmatia habitum, ne vicinus Monarcha, naturali antipathia, à Polono genio diffidens in throno collocaretur. Præferebantur Sueci, Hungari, & alii, quorum etiamnum perseverat memoria in benedictione. Elegerunt antagonistæ nostri

ſtri vicinum, eumq; potentem Principem, qui vero ſimiliter poſtea plus nocebit, quàm nunc prodeſſe poteſt. Princeps in abſoluto Dominio natus & educatus, ad normam hæreditariæ ditionis, moderamen in Polonia inſtituet, ſi è potentioribus quiſpiam ſe ſe oppoſuerit, cenſebit cum Nerone, oppreſſis potentioribus, ſuccubituram facilè plebem, niſi potentioris fulcro ſit ſubnixa. Calcabit, ne calcitrent. Regulariter quippe cui regnum per inteſtinos motus obvenit, nunquam illud ad tranquillitatem perducit. Militiam modò in Patriæ inducit viſcera, quis ſponſor, quomodo aut quando educet? adinvenient, qui acta Principum etiam prava defenſare ſolent, excuſatorios prætextus: Dignitas tanti Principis, ſecuritas ſacræ perſonæ, & fucatæ hujuſmodi rationes obtendentur; interea quòd laborioſus collegit agricola, externus miles otioſus abſumet, oneroſumq; erit ſemper cum armatis vivere. Sed neq; Princeps ille ullâ erga nos feretur fiduciâ, ideoq: externo obſequio opus habere ſe credet, qui domi ſecuritatem non ſperabit, atq; hâc viâ perdet ſubditorum fidem, quia externæ innitetur. Utinam poſſemus extraneos advenientes, junctim repellere, quia per hos ſinguli lædimur, univerſi periclitamur. Aſcendit thronum per potentiam, num eundem poterit niſi per potentiam manutenere? præſaga mente aſſecurare audeo, futurum aliquando tempus, quo actiones Neo-electi Principis, ij ipſi, qui Principem dixerunt, impedire magis volent, quàm poterunt. Utinam ſera pœnitudo, præceps conſilium non damnet, non opinor diuturnam eorum fore fortunam, per deforme obſequium & calcatas leges ſtabilitum, dum affectu Principis, ad perdendam libertatem, non tam utuntur, quàm abutuntur. Vidi ego Diis fretos ſæpè multos decipi, alia oſtendunt, alia propolæ vendunt. Non eſt libertas punctum indiviſibile, neque tota momento uno, ſed ſenſim cadit, attamen alta mente repoſtum gerere omnes in Republ: communi nati deberemus, quòd melius ſit mori retenta libertate, quàm ſerviliter vivere; ſubjungit non nemo, præferendam eſſe ſpurciſſimam mortem, ſervituti mundiſſimæ. *A.C.* 1697

Non deterreat intrepidos animos, quòd contra jus & fas inſtructo exercitu cervicibus liberis impendeat: meruit vinci, qui ſe vinci non poſſe putavit. Pro ſolamine ſit nobis, quòd anceps ſit & dubia hoſtium fortuna, ubi præceps eſt conſilium. Stemus ſimul & adverſarius non prævalebit, nec enim oblivione ſepeliet conceptos adverſus contradicentem partem rancores: quia iræ potentum non cadunt ſub ſole, & ingenia ſemel offenſa ſemper minantur. Fomitem odij certò certiùs Antagoniſtæ noſtri accendent, qui ut ipſis bene ſit, optant alijs malè eſſe. Periculoſum autem eſt aut tolerare, aut reponere in ejus manu acinacem, ut vindicandi ſe ſe poteſtatem nanciſcatur, qui habet voluntatem. Indocilis fuit hactenus patria noſtra ferre juga peregrina, jam ultrò acceſſuntur. Viderint illi ne fluctibus his abſorbeantur, qui per hæc maria navigant. Eſt via quæ homini videtur bona, & noviſſima ejus ducunt ad confuſionem. Tot leges in ipſo exordio violatæ, quam in poſterum legum obſervantiam ſpondet? taurum tollet, qui vitulum ſuſtulerit. Quomodo ad guſtum accidere poteſt Candidatus? Qui in primo aditu ad thronum, ut paucis placeat, mavult omnibus diſplicere, atq; à nobis extorquere deſiderat, ut ex ſcenico & theatrali apparatu ipſius animi dotes metiamur. Nulli unquam regno profuêre per violentiam intruſi candidati, malè hujuſmodi Candidato ominatus eſt ille, qui dixit:

A.C. 1697 Nescio an armorum licentiâ? an insolentia dicenda? quando libido auri in ferrum transijt.

Verum est, quòd præstantes viri ex senatu & equestri ordine, in sententiâ contrariæ partis secesserint, ast sub juramento pene affirmare ausim, quòd major pars illorum id quod fecit, ignoraverit. Promissa sunt illis magna pro Republica commoda, utinam elusi per vana promissa non sint! & expectantibus bona, non veniant mala! atque graviorem promissis, quã ære Principem non experiantur. Divitiarum quippe vana larva est, quæ credulum orbem toties cœpit, & decepit, & sæpe numerò qui dat, data cum fænore repetit. Eveniet illís quod me legisse in historia de pecunia Hispanica memini, quæ largè promittebatur, guttatim stillabat: offertur sæpius, non affertur. Speciosis promissis, vel pactis conventis in tanto negotio confidere oppidò lubricum. Magna quippe difficultas suboriri solet, ut data in adversis fides inter prosperiores fortunæ servetur successus: plerique tamdiu tenaces fidei, quamdiu sunt miseri.

Nos verò, quos vividus libertatis impetus, non illac quà privata commoda (& quidquid aliud quàm libertas ostentatur) sed quà amor fidei, amor libertatis manuducit, decet vana promissa respuere, fortes animos hujusmodi nundinatoribus pro virili opponere, hoc denique quod è re Reip. visum est, manutenere.

Si quis ex me percontetur in deplorando Patriæ statu, quid opis, aut consilij svadeam, breviter & sine cura verborum, meus ut est animus, eloquar, corripi non abnuo, mihi censeo, mihi erro, malo verò successum mihi deesse, quàm fidem. Arguitur nec immeritò pars adversa extremæ pertinaciæ, cedere nesciæ, quâ sine ullo ad tam multiplices contradictiones respectu suo fœderantur Candidato.

Nos pacatiore animo, & saniore consilio, irrogatam honori nostro injuriam, amori Patriæ condonemus, atque vota & sensus nostros toti⁹ Reip. arbitrio devoveamus. Litem illa (ubi ad saniorem mentẽ favore numinis pervenerit) decidet, quorum causa sit potior? nostra, quæ electionis negotium in manus & arbitrium illius consignat, an adversariorũ? diu disunione Principẽ animo pertinaci, paratoq; vel perdere, vel perire, adoptarunt. In disunione pacta conventa consarcinavere, legatos expedivêre in Patriam & in arcem Regiam Candidatum intromisêre. Frustra diceremhic, aut ibi peccant, cum æquè peccent in omnibus. Enim verò prorsus illis, quod libet, audendi semper fuit ampla potestas, & velut si avis festinaret ad laqueum, ubique arma furoris non juris præseferunt.

Fœdus pro Republica sanciamus, & nullâ Candidati nostri factâ mentione, in defensionem fidei & libertatis conspiremus. Expediam⁹ è gremio nostro, tum ex senatu, tum ex equestri ordine pacis Feciales Cracoviam, declarando Serenissimo Electori, electioni ejusdem plurimas contradictiones intercessisse. Vladislaus gloriosissimæ memoriæ Rex Poloniæ, titulum Regis admittere recusavit, donec unus è nobilitate, qui ob solum libertatis privilegium sese opposuerat à contradictione desisteret. Exponam⁹ Serenissimo Electori, quòd injustè & illegitimè partorum, nec secura sit unquam, nec quieta possessio, plerumque enim facinoris, cujus principium est temeritas, eventus est probrum & fuga. Pacificum se Regimen habiturum diffidat, si non per ostium, sed per fenestram parat ingressum. Recedat ultra limites, alienatorum à se affectus sibi devinciat divinæ se voluntati ex integro resignet, cujus si beneplacitum fuerit, ut nobis imperet, infallibiliter eundem cum majori gloriæ fænore, & certius feliciusque in throno locabit.

Hanc propositionem vel æquo acceptabit animo, vel iniquo, si æquo

quo, ut congruum est, quinimò si legitimè thronum conscendere placet, A.C.1697
acceptandi habet necessitatem, (tamen prompta hic & nunc non adsit voluntas.) sic etiam salva nobis & integra manebit libertas: Electionem intra paucos dies edicet Cardinalis Primas, atque tunc primum digito DEI nobis demonstrabitur: Ecce Rex vester. Si autem ad propositam conditionem admittendam iniquo esset animo (subvereor enim eos, qui habenas moderaminis in aula illa invaserunt, contraria persuasuros) luculenter constabit, quo res vergant? quid formidandum sit, experimento docebimur. Quomodo enim imperabit benè, qui malè regnum adit: si hoc in atrio; quid fiet in palatio? atque tunc primum de mediis salvandæ religionis & libertatis consilia agitabimus. Ablegati iidem singulares literas parti adversæ deferant, fratres utique nostri, caro nostra sunt, (nam cuncti gens una sumus) ut eos non tam rationibus, quibus aures occluserunt, quàm precibus, & evidentissimo periculo amittendæ libertatis convincant. Hac quippe infelicissimi exempli via, nulla amplius liberæ electionis spes affulget. Neque enim ibi consistunt exempla, unde cœperunt. Demonstrarent illis ea, quæ probari non possunt, pro non existentibus haberi, & neque perire nos, neq; esse salvos, nisi unà posse; quod non sit hoc ire sed præcipitare ad libertatem. Obtestentur illos, per amorem communis Patriæ, ne transgrediantur terminos antiquos, & à semitis Majorum suorum declinent, néve ita suum deperеant Candidatum, ut perire velint charissimam patriam: convelli enim leges, sine exitio convellentium non possunt. Ubi pars adversa, constantiam & zelum nostrum, in timore DEI & juribus Patrijs, solidè fundatum perspexerit, quid si accedente reflexione salubriora consilia amplectetur; sæpè momento evadit gratum, quod diu displicuit, experientia facit acceptum, quod imaginatio descripserat formidandum; fit non raro, ut ea quæ parturivimus, nisi cum tempore parere non possimus, præsertim dum quis inconsulto zelo audax, quodpiam attentat facinus; consilia enim annis egent, ut maturescant.

Alteram legationem expediri velim ad exercitum: Hic est ille Exercitus, qui è tot hostium faucibus, deploratam eripuit patriam, fidem orthodoxam, conculcata sacramenta, profanatas vindicavit Ecclesias, concussam non semel firmavit libertatem, gloriam Sarmaticæ gentis, cum stupore universi suscitavit. Si legati nostri rem in planum deduxerint, si periculum religionis & libertatis, si jacturam stipendij, quod per militem advenam imminuetur, cæteraque imminentia mala exposuerint, si denique ad liberæ electionis invitaverint consociationem, non est possibile, ut amore Religionis & libertatis non commoveatur, cui etiam vitam & sangvinem gestit immolare. Assistat Exercitus iis, qui non passione, non præoccupato animo, sed sincero in publicum ducuntur amore, ut illi Principi omnes subjiciamur, quem omnes elegimus.

Tertiam legationem, ad vicinos Monarchas dirigendam existimo; sinistros quidem affectus incurrimus, quòd ex gente parum amica, Candidato adhæserimus, verùm ubi perspectum habuerint solius libertatis zelum, haud difficulter in nostram sententiam & compassionem pertrahentur. Ponendum illis ob oculos, quòd si citra nostram voluntatem potens nobis Rex imponetur, citra eandem quæsito prætextu damna vicinis possit inferre, atque insciâ Republica cuncta agere, ac proinde consultius fore, ut malorum eventorum Principiis obstent, atque ignem in scintilla suffocent, quàm ut longâ morâ incendium convales-

A. C. 1697 cat. Non sum nescius, vicinos nostros fortè non tam amore nostri, quàm cauto rerum suarum metu, æquilibrium Dominationis & libertatis, in Polonia salvum, & intactum velle: proinde si palàm illis exponetur, quòd præsens Candidatus auro, & ferro potens, per calcatas leges omnes conscenso throno, jura etiam vicinitatis libidini dominandi sit posthabiturus, serò sapient; nisi in præsenti nobis assistant calamitate. Opto ut in sua ipsi, seu pericula, seu commoda reflexionem intendant.

Imò etiam Candidatus noster honore legationis conveniendus, cui zelum nostrum abunde probavimus, ut bonâ nostrâ erga se contentus propensione, morã sibi aliquam injici patiatur nec Regis Poloniæ titulũ ab una parte Reipublicæ collatum assumat, qui à tota, & indivisibili dependet Republica. Præstoletur tantisper, donec in confirmatione electionis, monstret Deus, quem ab æterno destinavit. Pro certo affirmare ausim maximũ hunc & dignissimum Principem, sese in manus Domini resignaturum, atque affectibus eligentium Regni diadema posthabiturum, quia minùs gloriosum ducet nolentibus imperare.

Suadeo literas ab Eminentissimo Cardinali Primate, ad Palatinatus dirigi, atque indici comitiola, patheticè & verè intentiones nostras sinceras manifestando, ut quod omnium interest, unanimiter ab omnibus pertractetur. Indicendæ publicæ supplicationes, ne nos Deus permittat fieri opprobrium vicinis nostris, Religionemque una cum libertate pessundari.

Pro coronide sermonis mei (quod initio dicendum fuerat) optarem, ut ad supremum universalis Ecclesiæ Antistitem Romanum Pontificem Orator aliquis ablegetur, quatenus seu per literas, seu per extraordinariam aliquam legationem, ad unionem & sacrosanctæ fidei zelum partes accendat, interea temporis omnes vires & conatus Patriæ ab interitu vindicandæ impendamus, quam etiam aliàs à periculis longè majorib⁹ servavimus incolumem, cùm quasi dato classico, ab Oriente, Moschovitica potentia, ab Aquilone, Sveticus gladius, à meridie Pannonica framea, à confinijs nostris Cosatici ignes, divisam impeterent Rempub: Placato supremo Numine, & vocatis in auxilium divis Regni Patronis, nónne faciliùs ab impetitionib⁹ fratrum nostrorum, quàm à cruentis Turcarũ & Tartarorũ manibus Patriam tutabimur? Optandum tamen foret arma nullos habitura triumphos in cervices Gentium, non in Ecclesiarum, libertatum nostrarum, & pauperum oppressionem convertere. Quilibet æqui rectique tenax, cautum sibi velit, ne secuturæ ætates illud seris eorundem nepotibus probrum objiciant, quod etiam in viros meritissimos modò detorquetur, quòd non idem cùm Rep: majores eorum senserint. Si Neapolitana Civitas, quæ cum equi symbolum in stadio decurrentis assumpsisset, atq; Carolus V appingi jussisset frenum, summâ impatientiâ, ad impactum sibi probrum infremuit, num indoles liberæ Reipublicæ patietur indecoris artibus Polonum frenari alitem? nondum restrictus est in cordibus nostris vetus fidei & libertatis zelus, nondum se filijs suis, adeò invisam reddidit charissima Patria nostra, ut eam in tam fatali casu derelinquamus, quis enim non pereat, ipsâ deperditâ, conculcatô jure vetandi, præfocatâ voce liberâ, quis sibi de salute blandiatur? Despicerent nos post paululũ vicini, insultarent gentes externæ, quas ex libertate nostra livor adurit. Navarchum tempestas, Achillẽ bella probant, Polonorum virt⁹ in infelicitate perficitur, quæ illos ad audendum extrema quæque succingit. Adhuc (quæ DEi misericordia est) debellati non sumus, adhuc ad cœlũ levamus oculos, undè veniet auxilium nobis, nisi illud peccatis nostris removeremus. Probat nos Dñus, an fidem & sacrosanctas Ecclesias, ex animis non excluserim⁹, quæ certè succutientur, vel totaliter averso zelo, substruẽtur.

Gene-

Generosa Gens Polona, propugnatrix Christianitatis, quæ orbem universum immortali fama, & exterorum Annales clarissimis rebus gestis implevisti, majores tuos recogita, hoc tempus, hic campus tuæ virtuti est, cœlis terrisque demonstrandæ, quid videlicet valeant humeri, quid ferre recusent? quando ultima planè avitæ Religionis & libertatis jacta est alea, si dulce est fumantis etiam patriæ spectare rogos, menti obversetur formidabilis olim hostibus, & orbe toto decantata Troja, quam non Tydides, non Larissæus Ulysses, non anni domuêre decem, non mille carinæ, verùm equus ligneus honori Palladis simulatè constructus sub fucata Religionis specie ad verum traxit exitium. Si sic periit Troja, timeat sibi Polonia. A.C.1697

Iteratò ingemino, omni conatu ruinam à nobis amoliamur ad normam Tyszowecensis confœderationis, coadunemur, mutuam nobis opem sub juramento spondeamus, donec securitas Religionis & libertatis affulgeat. Locum nobis designemus, in eoque omnes Patriæ amantes commoremur, tessera nostra esto, vivat Religio, & Libertas. Convenient certò certius ad nos, omnes constantes corde, quando non partibus obnoxios, sed publici boni studiosos deprehendent. Si nos aggredi Serenissimus Elector voluerit, primùm facto declaremus in juribus, statutis & constitutionibus tutelam nobis repositam. Fiduciam in Domino colloco, Divinam nobis protectionem adfore: aut si voluntas Domini est, ut moriamur, gloriosum erit sangvinem & vitam, pro fide & libertate devovere, atque ante servitutem mori. Sin verò finito hoc consessu, in domos nostras dispergemur, partim singulos minis, & promissis illaqueabunt, ac divisi desolabimur. Plura de hoc proferre possem, sed quia vos gravat fastidium, mihi verò vires tam longo sermone deficiunt, in aliud tempus differo. Epilogum sermonis flagitatione concludo, ut fortia & generosa arripiatis consilia, & pia ad DEum vota transmittatis, quibus conservetur Religio Romana, libertas Polona.

LXXIV.
EIDEM AMICO CONFIDENTI,
29. Augusti.

De actis in consessu Varsaviensi.

Rogatus priùs Palatinus Vilnensis, ut generalissimi titulum acceptaret, ante sessionem quanquam obsequium suum pleno corde devoverat Reipublicæ, excusare se tamen visus, & consessus, suis fultus etiam rationibus, non ampliùs urgebat, imò dum omnes congregati erant, nullâ generalissimi factâ mentione, unanimi voce Homieccium Mareschalcum conclamârunt, utque id officij susciperet omnino institerunt. Quo facto Supremus regni Camerarius Comitiorum electionis Mareschalcus cedebat loco, & honorem ei congratulabatur, solummodo præcavens, ne diploma electionis ab illo extraderetur, consulendo in eo ordinis equestris honori. Quia verò jam Homieccius paratam haringam Rokoszij habebat, legit eandem, & consensum obtinuit. Disputatum deinde, ex Provinciisne, an ex Palatinatibus consiliarij eligendi, qui semper cum Mareschalco residentes ulteriora formarent consilia. Stetit sententia à quovis Palatinatu duos saltem destinandos, qui non tantùm consilijs adessent, sed etiam quisq;

Homieccius Mareschalcus Rokoszianorũ.

Consiliarij ejusdem.

A.C. 1697 quiſque Palatinatum ſuum in particulari informaret. Concluſum poſtea, non ampliùs in campo, ſed in arce nobis conveniendum ob hanc vel maximè rationem, quòd Palatinus Plocenſis non contentus, nihil vigore Capitaneatus ſui Varſavienſis, ad acta caſtri ſui admiſiſſe ex parte noſtra, ſed etiam quòd arcem ita oecluſerit, ut non niſi pedeſtribus etiam ad Cancellariam aditus pateret. Ut ergo reſtricta libertas arcis (communis triſtitia eſt, quia communis cauſa) ſub favore illius Rokoſziani conſeſſus redderetur, a campo transferendas in arcem judicavimus ſeſſiones, & locum electoralem diruendū. Diſputavit aliquatenus Palatinus Plocenſis, & ſcripſerat Mareſchalco Regni conſilium ab eo petens, quid ipſi reſponderit copiam adjungo. Volebat idem Palatinus ad oſtentationem ſaltem arcem defendere, ſed nec hoc permiſſum ipſi, imò exaſperata nobilitas vi Palatinum volebat accipere, & ante ſe in arcem ducere, ut ſcilicet ipſo appropinquante aperiretur porta, niſi hoc ob amicitiam Palatini impedeviſſemus. Erant quidam, qui accipienda tormenta majora ex armamentario Regni ſuadebant, & tamdiu illis palatium Palatini concutiendum, donec arx redderetur. Sed Palatinus rationibus iſtis convictus, omnem quæ parabatur, facilitate aperiendi prævenit violentiam. Antequam ergo Cardinalis moveret ex Palatio ſuo, jam equites prævenerant ad arcem, & ita Senatorium conclave plenum erat nobilitate, ut nec nobis tranſitus pateret. Interim tamen quod miraberis, tam pacatè negotia tractabantur, ut quiſque audiretur, nullo impediente, contra uſum comitiorum, ubi etiam præſente Rege quandoque ſtrepitus & tumultus fiunt. Legit ergo Mareſchalcus totum Rokoſzij ſcriptum, cujus copiam habebis, nec impeditus in lectione, poſt quam lectionem aliqua addebantur, mutabantur nonnulla vel corrigebantur, vel plane adimebantur pacatiſſimè. Interim Werozimius occurrit, quem ſciebat nobilitas partis adverſæ eſſe, qui nempe etiam pacta conventa Saxonicæ partis conſcripſerat, qui ſi tacitus ſediſſet, minùs tricarum inveniſſet, aſt ille non tantùm in pugilaribus omnium notabat vota, verùm etiam cuidam paulò elatiore voce dixit inſanire illos, ſtatim contra eum conclamatum, & certè ex feneſtris conclavis ejectus in impetu illo fuiſſet, incidiſſetque in caſſes, quos alijs texuit, niſi eum Epiſcopi ſalvaſſemus, patronamq; manum porrexiſſemus. Abſcondi eum ſub pallio meo, ſub quo ſudavit, & aliit, à Palatino Vilnenſi percuſſum, coæquationem Litvaniæ, quam ipſe etiam conſcripſerat, commemorante.

Cur Seſſiones in arce Varſavienſe transferendæ

Verozimius in periculo ſervatur ab Epiſcopis

Ad ſubſcriptionem poſtſcripti illius acceſſum eſt, quam Palatinus Vilnenſis (ita quippe fluctuamus inter varia conſilia, nihil habere volumus firmum, nihil abſolutè, nihil ſemper) abitum parans more ſuo ſemper ambiguus, ſubſcribere evitaſſet, niſi à nobilitate circumdatus, cedere precibus obligatum ſe vidiſſet. Ut verò eò major commoditas ſubſcribendi foret, viſum eſt ad Palatium Archiepiſcopale Cardinalis deſcendere, ubi inprimis Przyemſcius Caſtellanus Caliſſienſis intulit, quòd ſcilicet Prependovius ingentem pecuniæ ſummam pro eo & pro partis ſuæ nobilitate offerret, ut deſerto Contio, partes Saxonicas ſequatur. Quod cum in craſtino in arce repetitum fuiſſet maximus fremitus, contra dictum Prependovium fuit, & niſi in Palatio legati Brandeburgici ſub privilegio juris gentium ſtationem ſuam habuiſſet, fortè impetitus fuiſſet. Expeditus tamen fuit ad illum expreſſus, ne tranquillitatem turbaret. Habuit Palatinus Plocenſis compellationem, ut ſcriptum illud Rokoſzianum ad acta reciperet, quod ille promiſit quidem, ſed non implevit, cum eſſet ſemper firmo conſtantique in Saxoniæ Electorem animo. Ordinario ergo curſu Ravam (triſtis iſtius temporis injuria) remiſſum eſt, manifeſtationem tamen ex parte Saxonica de nullitate Rokoſzij à Staniſlao Godlevio Nurenſi Capitaneo conſcriptam

Tumultus contra Prependovium

horum

(horum etiam tibi copiam annecto) recipere jussit. *A.C. 1697*

Dum consilia inibantur, undè nervus agendorum, hoc est pecunia ad sustinendum Rokoszium haberetur, commoda sed minùs honesta oblata est occasio. Cõstans, ast falsa fama tulerat fatis cessisse Stanislaum Witwicki Episcopum Posnaniensem, sub specie proinde salvandi ab avara manu primi occupantis derelicti ejus depositi intraverunt custodes corporis Primatiales milites operâ Nicolai Swięcicki Episcopi Kijoviensis, in domum quasi defuncti Episcopi, & omnis pecunia sub prætextu in securiorem locum eam transferendi, ablata est, consilio dicitur cujusdam Theologi, (Theologum enim fuisse non credo) asserentis, quòd cum suppositione integræ restitutionis, liceat semper uti alieno. *Falsus rumor de morte Episcopi Witwicki.* *Est occasio ejus pecunias auferendi.*

Quærebantur tales, qui irent Cracoviam, peterentq; ab Electore, ut abscederet è terris nostris, tanquam clarior esse deberet egressu, quàm introitu, donec tranquillitas interna perficeretur, sed non est inventus qui id auderet. Ad exercitum tamen missi sunt Alexander Drzeviccius Castellanus Lublinensis, Alexander Mokranovius Vexillifer Ravensis

Peracto hocce consilio quisq; ivit in vias suas.

COPIA LITERARUM AD PALATINUM PLOCENSEM MARESCHALCI REGNI.

CONsiderato penitiùs statu Reipubl: aliud nequeo formare judicium, quàm omnibus respectibus, præhabendam esse tranquillitatem patriæ, & restitutionem unionis inter status regni hujus, quod ut fiat, inclinandi sunt alii ad alios, hoc autem fieri nunquam poterit, si prætextus tantùm apparentes considerabimus, quo non solùm unionem, & partis unius ad alteram acccessionem, non juvabimus, sed etiam bellum civile accendemus, per pertinaciæ obstacula, quæ longè essent à nobis, si essentialibus tantùm intenderemus. Essentiale verò illud esse credo, ut hæc mediatio, quam feliciter incepimus, effectum sortiatur, quæ in campo, in zelo libertatis proponi non poterat, ignoscendum est delicatissimæ passioni propter quam etiam res optimæ videntur dissimiles & quasi impossibiles. Nunc verò dum consilia à campo ad curiam transferuntur, melior occurrit conjunctura, prosequendæ hujus mediationis, ex qua salus Reipub: pendet. Et ideo non tantùm arces & urbes, aperire decet, & oportet sed etiam omnium nostrûm corda. Pro candore proinde meo, & rectitudine non video, cur apertionem arcis impedias, tam ardens intrandi in eam nobilitatis videndo desiderium, nisi velis primum exemplum furoris civilis, & jus sceleribus dare, quod absit à consummatæ prudentiæ civibus, cum præsertim hæc arx nec sit ullum fortalitium, nec id ratio ulla belli exigat. Qui primus dederit occasionem ad bellum, hic erit incentor malorum, qui primus facilitatem ad unionem demonstrabit, hic erit restitutor salutis, & imminentis exitij amotor. Non consideremus proinde minora, propter majora, quia ex hoc consilio, quod titulum tantùm libertatum præsefert, speramus adhuc reassumptionem meliorum, ad conservationem jurium, integram pacificationem. Ad quam mediationem & Elector Brandeburgicus & nos Reipub: ministri uti mediatores compellabimus, ut deputati ad eandem destinentur, & ita per tuam renitentiam indeque disgustus, DEus avertat lanienam, possemus tibi objicere, quod Albertus Magnus quondam

dixit:

A.C.1697 dixit. Tringinta annorum opus perdidisti, dum hanc statuam mediationis quàm ad eloquendum aliquid, vix induximus, uno ictu inverteres, & electo novo nullum inde meritum si desertam & solitariam arcem, illi conservaremus, & ex cordibus Polonorum amorem in eum expelleremus, sine quo nullus regnare bene potest Monarcha, quod dum confidenter tibi denuntio, libenter haberem, ut prudentissimam tuam consulas æquanimitatem, & ut in hoc passu, mediam viam inter necessitatem & virtutem arripias, negotium enim concordiæ agitur, & de consequentia fundamentali fructuosæ mediationis res est, non de solitariis penatibus &c.

LXXV.
CARDINALI BARBERINO
19. Septembris.

Dum quæruntur media pacandæ Reipub: Elector Saxoniæ coronatur.

Conclusum fuisse scies in magna Reip: parte Rokosz, hoc est publicam conscriptionem circa conservandas in toto libertates, sine spe recognoscendæ obedientiæ, nisi prius jura & immunitates in integrũ restituantur. Agitatum est hoc consiliũ per dies aliquot, & finitum in eo, ut mediatio ab Electore Brandeburgico oblata, aliquibusque Ministris Regni nostri acceptaretur, & de modis salvandorũ vulnerum conveniretur, quo facto convocari à Primate deberet nobilitas ad accedendum electioni Electoris Saxonici. In quo dum omni conatu & diligentia, laborare cœpisset Baro Oberbek ex motivo Prependovij cõsiderantis iminens periculũ huic Principi, quem in adipiscenda corona tantùm juvit. Quamvis primum caput paululùm videbatur esse concordiæ contrarium ex ea vel maximè ratione, quòd Cæsaris Ablegatus cum Episcopo Passaviensi, Cracoviæ residente non potuerunt id concoquere, quòd postposita Cæsaris mediatione, Brandeburgicam acceptaverimus. Convenit proinde studio Cardinalem & inprimis diffidentiã fecit, ad Oberbegium affirmando, illum priùs cum aliis tractare consulereque, & tandem Cardinali, tanquam rem novam proponere. Nónne melius esset, si ille apertè honorẽ suum indemnem faceret, in quo operam suam Imperator offert, & quod id in mandatis habuerit comunicatum reddidit, offerendo mediationem suam non toti parti, sed ipsi soli Cardinali certissimum reddens, non tantùm honoris reparationem omnimodam fore, sed etiam & omne particulare interesse accomodandum, svasitq; hoc sibi utilius, & dignitati suæ convenientius medium arripiendum. Commovit id non leviter Cardinalem, cùm præcipuè per Spiritum familiarem restitutio debiti, hoc est centum millium talerorum, quos Galliæ mutuò dederat & præter eos altera quinquaginta millia talerorum, Palatinatus Inovroclaviensis pro Castellano Lenciciensi, plures aliæ dignitates Regni & Capitaneatus, aliæque plausibiles conditiones offerebantur. Accessit quod tarda, imò nulla ex Gallia resolutio veniret, nulla positivè declaratio intercederet, venturus ne sit Princeps Contius nec ne? quando nullũ absolutè pecuniarum videbatur supplementum, spe tantùm lactabant inani, quando Rokoszianum consilium propriis viribus diu manu teneri non poterat, quanpoquidem quasi unus alium prævenire vellet, tot jam Cracoviã properarunt. Inter alios Stadnicius aulæ Regni Vexillifer, oblatis ex proprio ærario pro sustinendo Rokoszo nuper centum millibus florenorum, tandem quinque millibus talerorum acceptis, & declaratione Palatinatus Volyniensis Cracoviã cum subjectione pro-

properavit. Ponderatis proinde ad æs & libram, hæc pars rationibus, *A.C. 1697* præveniendo pericula, quæ imminebant, & libertati & personis suis, satius duxit, dum eo nomine quærebatur tractatum reassumere. Communicatum id omnibus consiliariis equestris ordinis à Mareschalco, qui jam tacebant accepto pretio vel lucro, nec jam tam fervidè illum zelum monstrabant, quia frequentius in domo Præpendovii videbantur & rarus erat, qui jam aut non accepisset, aut accipiendi spem certam non haberet. Id efficiamus, ut nemo posthac nobis fidem habere ausit. Difficile est duab⁹ sedere sellis, & ancipiti fide ambobus satisfacere velle. Conclusum proinde non rejicienda esse media pacis; quis inchoata perfectis anteponat? cum mediatores, & plenipotentiarij Electoris Saxonici immediatè obtulissent, in omnibus justis petitis, circa conservationem libertatis, satisfactionem. Ne verò apud nobilitatem fides minueretur, expeditæ sunt universales literæ, quarum adjungo copiam, ut pro vigesima sexta Septemb., in ordine ad pacandã Remp. & restituendam libertatem convenirent de mediis concordiæ tractaturi, ubi de confirmatione electi Regis agi quoq; deberet. Interim mediatores & plenipotentiarij solennissimũ dederunt promissum, coronationem differendã esse ad duarum septimanarum spatium, ut intra hoc tempus nobilitas congregata taliter qualiter in libertatibus læsis contentata, novâ accedat nominatione, & reliqua expleat ceremonialia. Disputatum diu inter partes, sicut enim una securitatem differendæ coronationis omnino habere voluit, ita alia certitudinem, quòd hæc dilatio in suî elusionem non fiet, tandem post longas & multas conferentias visum est, ut Cardinalis cathegoricum daret responsum, dum id in scripto dare nollet, securosque redderet, verba non esse simplicia, sed re ipsa comprobanda, scilicet se nominationem Electoris promulgaturum, si libertati satisfiet, si coronatio differetur, quæ omnia in literis suis, quarum copiam adjungo Mareschalcus Electori expressit, cum autem Plenipotentiarii nõ essent absolutè hâc Cardinalis Primatis declaratione contenti, omninoq; vellent, ut saltem præsens senatus id confirmaret scripto, quod Cardinalis pronuntiaverat ore, disputatum diu, tandem videndo certum & imminens bellum, infallibile libertatis exitium, si coronatio absolveretur, nõ obstantibus tot contradictionibus, convenerunt in domum meam omnes (pacem ego cupiebam & conabar, quantum in me erat, an præstare possim, nescio, sed conabor, & hanc mentem habeo, quamdiu vitam) & propter bonum pacis ac tranquillitatis publicæ in hunc sensum compositum, subscripserunt scriptum, scilicet consulendo tranquillitati publicæ omnes se in suis personis, & pro amicis suis appromittere, quòd ubi libertatis restauratio pro præterito, & securitas in futurum facta fuerit, tunc sine ulla excusatione ad novam nominationem, & ad recognitionem Regis accessuri sint, adjecta conditione sine qua non, ut coronatio differatur, & id ipsum non gradus erat ad alia, non meta, aliàs scriptũ hoc nullũ robur habere debet. Redditũ proinde in manus mediatoris dictũ scriptum, reversale acceptũ, quòd illud restitui debeat. Abierunt cum his Oberbeckius, & Prependovius cum hac declaratione, si tribus tantùm horis ante coronationem Cracoviam venerint, certè & infallibiliter hanc dilationem se evicturos, & ita hoc negotium se suscipere, ut sustineant, donec effectum sortiatur. Cum igitur ex animi sententia, favente numine omnia succederent, hac spe nixi, petiimus Cardinalem ut omnis de nostro candidato, cogitatio deponeretur, cum nec coràm eum cernere liceat, nec ulla supplementi nummarii spes habeatur; præterea ut Cardinalis inconsulto etiam legato, qui adhuc spes venditabat inanes, mittat expressum Parisios, significatum, ne inde Princeps Contius moveat, aut si moverit, redeat.

A.C.1697 Et cùm in eo rerum nostrarum cardo verteretur, cum spes non dubia affulgeret, ex universali concordia tranquillitatem nascituram, tristis venit nuntius, non perpensis ullis rationibus quintâ currentis, per Episcopũ Vladislaviensem coronationem perfectam esse. Occasio erat tranquillandæ Reip. quam vereor nunc amissam, frustra postea requirentur promissa illorum, cum ipsa glacie fragiliora sint; Quomodo ijs insistendum, cùm nobis suffecisset, si constitisset non negligi, aut contemni. Nuntius hic pupugit corda omnium bene volentium bono publico, querelæ & si levant fortasse dolorem, non tamen tollunt, per hunc enim actum totum jus vetandi convulsum, nulla spes redintegrandæ libertatis relicta. Varii scribuntur fuisse causâ hujus accelerationis; alii in Litvanos reijciunt accelerantes, coæquationis suæ firmandæ causâ; alij in quendam magnæ potentiæ virum, qui non tanùm suadebat ad coronationem citra moram accedendum, sed & minas jactabat, tam Castellanum Cracoviensem, quam domũ Potoccianam recessuram, nisi coronatio acceleraretur. Scripsit mihi & multis aliis Palatinus Callissiensis, suos ipse, quòd nihil efficere potuerit, luctus canendo, & calamitati calamo lenimen quærendo, cui cum inter alios mens nostra probè esset nota, ipse quoque de nobis optimè Cracoviæ loquebatur, per amorem Dei, Patriæ & libertatis conjurando, ut dolorem nostrum justum moderemur, ne à mediis pacis recederemus. Quis tam iniquus rerum æstimator, qui non eum laude potiùs quàm reprehensione dignum judicet! Responsum tamen à Primo, eam eloquentiam Cracoviæ exerendam fuisse, ubi omnia violenta & abrupta, ut obscuris lumen, dubiis notitia redderetur, & non hic, ubi nihil intenditur, nisi ut pax publica restituatur. Ita fœdiore in nebula clarior elucet iris.

Accceffit tanquam ex condicto notitia Principem de Conti Parisiis movisse, qui non Gedani tantùm, sed & Varsaviæ comparuisset, quis facta coronatione à Partibus ejus stetisset, nunc verò cum jam sponsione teneamur, cum videamus, nos libertate excidisse, cum timeamus ut per absolutam potentiam, Electrix Acatholica adveniat, & coronetur, quid iis, quibus catholicæ Religionis defensio vitâ prior ac potior est, sperandum? an timore non percellantur. Videntes verò alia ex parte adventum Principis de Conti, declinatu esse difficilem, nec jus ad rem ei adimi posse, præcipuè cum libertatem nostram conservare ac tueri velit, cum non tantùm validam manum hominum secum adducat, sed & media ad sustinendum utriusque gentis nostræ exercitum. Cum Suecis stricta ei amicitia, parati in defensionem ejus Tartari, & sic etiamsi pace frui liberet, in arenam descendendum erit. Deliberabatur proinde quid esset convenientius, (ægri animi ista jactatio est) an amissa ex integro libertate & merito pro præteritis apud Principem de Conti, accedere ad Saxonem, & per id tamen non avertere bellum, an verò primo adhærere, ponere in DEO fiduciam, cætera quæ mortales admirantur, inania, caduca, infirma ducendo, sperareq; bonum Dominum fidem & libertatem defendentibus auxilio adfuturum, meliusq; sit mori cum libertate, quàm vivere in servitute. Mala tempora melioribus pensabuntur. Visa est proinde maturitas quædam in parte nostra, aut moderatio simul & vigilantia, lenitudineque temperata, ut neque per temeritatem quidquam faceremus pœnitendum, neque per socordiam quidquam præteriremus quod ad Reipublicæ commodum pertinere videretur.

Cum verò innotesceret Electorem Saxoniæ statim post coronationem Varsaviam venturum, viquе oppressurum bene sentientes, non est

visum

sum nobis totam libertatem in personis nostris evidenti exponere periculo, & satius cedendum duximus tempestati, & expediendum ad Electorem Brandeburgicum Tworzyanscium cum literis adjunctis, stipulantes nobis invicem, quòd unus alium non sit deserturus. Abivit Primas Lovicium acceptis ex armamentario Varsaviensi aliquot tormentis, pulvere cæterisq; requisitis. Ivit cum eo Mareschalcus Rokoszianus cum sat notabili assistentia ita, ut dictum fuerit ab his, qui viderunt utrumq;, majorem fuisse ejus comitatus numerum, quàm dum novus electus ante suam coronationem Cracoviam intraret. Notandum etiam corpus Regis Joañis caruisse exequiis, sed harum loco orationem funebrem dictam à Joanne Kurdwanovio Canonico Cracov: cum id officij semper Episcopi alicujus fuerit. Visum est etiam consilio ante abitum Cardinalis, nobilitatem pro 26 vocatam revocandam esse, quod & factum. *A.C.1697*

CONFOEDERATIO GENERALIS ALIAS ROKOSZ pro defensione Sanctæ fidei Catholicæ & protectione libertatis facta pro stabilienda libera Electione, in campis electoralibus inter Volam & Varsaviam 26. Augusti, 1697.

NOS Senatores Regni & M. D. Lit. Spirituales & Sæculares, ex omnibus Palatinatibus, terris & districtibus, pro stabilienda libera electione congregati concordibus omnium Ordinum votis decernimus. Sicut cuivis in libera Republica nato ipsius naturæ ductu inest libertatis amor, sicut in ea vivere jucundum, ita in ejus conservatione mori non est indecorum. Pariter nulli mirum videatur, quòd pro defensione hujusce libertatis, vitam & fortunas nostras periculo exponamus, soli DEo confisi, quòd sicut claré videmus periculum fidei nostræ, per introductionem in regnum Catholicum tam multorum millium dissidentium, ita idem DEus Exercituum hoc regnum sibi à sæculis commendatum conservabit intaminatum, & libertatem nostram velut in ipso cælo æstimatam filii DEi potenti brachio suo protegere dignabitur, incidimus in hæc sæcula, in hæc deploranda tempora, ut acquisitæ sangvine Antecessorum nostrorum libertatis, citiùs timenda jactura, quàm perchara illius fruitio speranda, quando fratres nostri obliti sui, patriæ non memores, contra unanimem consensum tam multorum Palatinatuum omnibus ferè contradicentibus Regem proclamarunt. Et ideo huc convenimus, non temnendo numero ex utraq; gente, & omnibus Palatinatibus, ad stabiliendam liberam electionem volendo Patriæ exoptatam pacem afferre, salvâ liberâ electione. Sed cùm tantam seriem malorum supremum malum comitetur, cum palàm constet, & omnibus Ordinibus Reipub: innotuerit, quòd per calcata jura permissu præsentium protunc Senatorum & Gubernatoris ad urbem & arcem Cracoviensem introductus Candidatus sit ab adversa parte, & ad depositorium insignium Reip: per Legatos nullâ authoritate legitimos; quòd in contemptum ordinis equestris extraditum diploma cum subscriptione aliquorum Senatorum, cujus extraditio, à M. D. Mereschalco præteritæ electionis, cùm consensu omnium ordinum dari debet, quòd denuntiatio nullo jure, ab Illustrissimo Episcopo Vladislaviensi habito in lucem prodierit, & illa comitiola ante-coronationis in eversionem jurium cardinalium indixerit, optimè sentientes de Republica pro hostibus patriæ declaverit (quod præsenti nostro decreto cassum & irritum facimus)

A.C.1697 pacta conventa, nec ipsis, qui fecere laudata, quia paucæ subscriptiones non sine protestatione factæ, ad juramentum, circa conscriptionem illorum inaudito exemplo nobilitas coacta, eadem pacta à dissidente coram Venerabili in templo, juramento firmata, civitas & arx Cracoviensis à dissidentibus occupata, propterea intolerabile sangvini & libertati nobilium judicantes, imò evidentem interitum libertatis nostræ videntes, cum consensu omnium ordinum pro DEo & libertate generalem confœderationem inducimus, à quo sancto opere, cui fide, honore, & conscientia ad ultimam usq; guttam insistere debemus, non recedemus, nisi illæsam in suis juribus Rempub: viderimus.

Ut autem ordinatiùs acta nostra procedant, assumpsimus nobis pro directore ex equestri ordine M. D. Stephanum Humiecki, Dapiferum Podoliæ, addendo illi pro consilio ex quovis Palatinatu & terrâ duos Deputatos, qui penes eum assiduo commorando (unius aut plurium absentiâ non obstante) consilia quàm saluberrimè expediant, & quodcunque iidem Deputati cum Magnifico Domino Mareschalco nostro, communicato consilio cum Illustrissimo Senatu decernent, hoc nos rato & grato suscepturi sumus, dummodo sinè præjudicio libertatis; volendo autem ut fortiùs agatur, in conservationem fidei sanctæ & jurium ac libertatis nostræ, una & indissolubili confœderatione cum Illustrissimo senatu tanquam cum senioribus fratribus, connectimur, siquidem constat, quòd æquè cadant jura libertatis, atque Senatûs, quando soli tantùm Eminentissimo Primati potestatem legibus debitam Illustrissimus Episcopus Vladislaviensis nullo legum auxilio, sibi vendicat, contra expressa jura specialiter anni 1550 punctum ejus tale: Et primariò circa coronationem Regis Poloniæ ita providimus & constituimus, ne ullus coronetur, donec priùs à Repub: spontè juxta privilegia Regni Poloniæ à Regibus data electus fuerit, quem liberis votis electum nullus alter coronare debet, quàm Archi-Episcopus Gnesnensis, secundùm privilegium illius à Casimiro III. concessum 1451 & ibidem contra jura in confirmatione Electionis Stephani Bathorei 1576 laudata in hæc verba. Habendo hoc ex jure libertatis nostræ, quòd nobis, nec nominatio alicujus Regem det, sed consensus omnium, in quo tanquam in fundamento nominatio & publicatio solidatur, propterea reassumimus, ex unanimi omnium ordinum consensu consilium ad latus Primatiale, ex ordine Senatorio, qui præsentialiter conferent, cum consilio formato, coram prædicto M. D. Mareschalco, nostro & nihil concludent, absque mutuo utriusque subsellij consensu, unde necessarium judicamus, ut vel in eodem loco, hæc utraq; consilia expediantur, vel tamen prope se, cum debita tam personarum, quàm consilij securitate. Concedimus præterea in casu ingruentis periculi ex consensu utriusq; consilij facultatem extradendi universalia pro comuni motu, cum subscriptione Eminentissimi Primatis, & M. D. Mareschalci nostri, quæ semel data trium valorem habere debent, siquidem præsentem confœderationem & intimationem ejus, pro duplici evocatione haberi voluimus.

Videntes autem in tam luctuosa Reip: dismembratione, eos adversæ sorti plurimùm obnoxios esse, qui primariò opponunt se pro libertate, ideò M.D. Mareschalci nostri fortunam & personam nobis ipsis & fortunâ nostrâ, nos tuituros declaramus, & vinculo juramenti inferiùs inserti, non deserturos eandem, nosmet obligamus, in sumptus autem ipsius extraordinarios dispensamus ærariũ R. & M. D. L. ut velit sumptus subministrare.

Prementes autẽ vestigia Antecessorum nostrorum, in similibus casib⁹ expediemus Legatos, tam ex senatu, quàm ab Equestri ordine ad Serenissimum

mum Electorem Saxoniæ, ut læsionem libertatis, & injurium deferant, in nullos se immittendo tractatus. A. C. 1697

Quicunque autem pro defensione fidei S. & conservatione communis libertatis, nollet ab adversa parte nobis accedere, imò ad violenta consilia partis adversæ eradicantes libertatem sese converteret, & post inchoatam nostram Confœderationem, à suo proposito non desisteret, & prætensæ coronationi contra jura Regni, per Illustrissimum Episcopum Cujav. vellet assistere, quam pro nulla & irrita haberi volumus, sicut & alia sancita, ipsamque denuntiationem, ad illos actus quosvis, talem pro hoste Patriæ declaramus, & contra eum decertaturos nos obligamus.

Coæquatio Juriũ Regni & M. D. L. cum sit contra jura & statuta M.D.L. abrogando omnia ministeria Reipub. propter unanimem & communem pacem violando legem positivam in constitutionibus M. D. L. cujus tenor talis, cap. 3. Art. 15. Promittimus etiam nos omnia privilegia terrestria, antiqua & nova, libertatem & consuetudines antiquas servaturos, & licet necesse foret aliquid novi in emolumentum Reip. decernere, Generalibus comitijs, cum consensu & consilio Senatorum nostrorum, ac omnium ordinum ad comitia spectantium scriptum in turbido, & coactè antè scissam Remp. & in scissa pactis conventis illegitimè abjuratum. Igitur illam tanquam inconvenientem, & contra jura, nec non contra vocem vetandi formatam annihilamus, & cassamus, per hanc nostram unanimem & conformem confœderationem & pro nulla declaramus.

Quæ acta nostra omnibus consentientibus, ut stabiliora sint, juramus omnes coram DEo omnipotente hoc scripto; quod unus ab altero non sit recessurus, nec status Equester à Senatorio, nec Senatorius ab Equestri, & hic uterque ordo, in protectionem suam suscipit quemvis ex idem sentientibus, præcipuè Magnificos Dominos Deputatos, ad utraque consilia tam senatoria, quàm Equestris ordinis ordinatos; si autem quisquam è gremio nostro auderet capitulationem inire, tunc quemvis talem, pro infami & hoste Patriæ declaramus, in quorum omnium meliorem valorem proprijs nos manibus subscribimus &c.

MANIFESTATIO EX PARTE ELECTORIS SAXONIÆ de nullitate illius Congressus, quem Poparcie Contiani vocant. Die 29. Augusti facta.

NOS Dignitarij &c. qui non tam ad universales literas Cardinalis Primatis, quos Palatinatus, & Districtus, ex multis rationibus acceptare non poterant, quàm ad famam stabiliendæ liberæ electionis, convenimus, ut integritatem ejus jam gloriosè peractæ, & insimul indemnitatem jurium & libertatis, in hoc ipso termino manu teneamus & præcaveamus, secundùm id, quod nobis fratres nostri congregati commiserunt. Convenimus proinde ex veteri hujus Reipublicæ instituto, in loco actui huic destinato, ut libertate sentiendi omnibus præjudicijs obviaremus, non recedendo nihilominus à mediis, si proposita fuerint, ad unionem animorum requisitis, cujus spes affulgere visa est. Sed cum pars adversa, nihil nisi ruinam liberæ electionis intendens, rejectâ mediatione Electoris Brandeburgici, & punctis moderationi mediatorum antè porrectis & nunc absolutè rejectis, accessit ad vim & potentiam, nulla admittendo media, quinimò præciso etiam loquendi secum commercio. Videndo proinde manifestam oppressionem libertatis & juris vetandi, accessimus, quod unicum protunc remedium erat, ad solennem mani-

*A.C.*1697 festationem & protestationem, quàm communi consensu omnium Palatinatuum, & districtuum contra omnes adversæ partis exorbitantias, & insimul omnes actus Rokoszianos publicè facimus, ex his præcipuè rationibus. Si majorum memoriâ allegant fuisse similes do Poparcia actus, in Stephani, sub Andreovia, Sigismundi sub Wislica electione, sciendum illud fuisse practicatum, dum Respub. non viritim, sed per nuntios eligebat Reges, inter quos facta erat scissio. Respub: ipsa tanquam Principalis campi electoralis Domina, communem motū totius nobilitatis (*pospolite Ruszenie* vocatū) decidebat pro eo, qui universaliter placuit omnibus. Nunc verò, quando Electio Serenissimi Regis nostri in persona Electoris Saxoniæ, jam peracta est, per congregatam eo modo nobilitatem 27 Junij, cùm in crastino formale Poparcie hujus electionis accessit in præsentia omnium Palatinatuum, & districtuum nemine contradicente. Quomodo ergo congressus particularis aliter sentientium ex una parte, corrigere id vult, quod authoritate totius & universalis Reipublicæ sancitum & stabilitum. Illud etiam quivis considerare debet, quòd Cardinalis Primas habens præ oculis practicata volumina legum, quòd similes congressus primò comitiola particularia in Palatinatibus præcedere consueverunt, rejecto tamen eo, quòd cardinalissimum erat, non indictis comitiolis, pro informatione fratrum necessariis, literas expedivit universales immediatè ad congressum generalem, & quidem libero arbitrio relinquendo, quicunque ultrò & sponte voluerit comparere pro illo actu, qui tamen ex vi nominis sui, & ipsa necessitate, non voluntarios, sed Reipublicæ formam requirebat, & quamvis congressui huic in literis universalibus, speciosum & civile propositum nomen, *ad stabiliendam liberam electionem,* re ipsa tamen, experti sumus, quòd hic actus satiùs fuerit publicæ oppressionis, quando cohortes à limitibus exotici militis numerosè conductæ, quando septa armis consilij arena, quando Nuntij terræ Visnensis, Palatinatûs Masoviæ, modesta libertate ad initium congressus hujus se opponere volebant. unus ex iis Danovius, per ferventiores aliorum voces, civili furori expositus, quod majorum non vidit ætas, & vix credet posteritas, in ipsa rota nemine protegente crudelissimè læsus, & vix non trucidatus, quando ad extremum omnibus illis qui liberam electionem generosè defendere voluissent simili cæde minati sunt, adducendo majores quotidie assistentias. Adverterunt quidem illi Domini debilia & fluxa fundamenta congressus sui, quando à campo in arcem aliam consilij speciem transtulerunt, sed & in eo loco, ubi pacatius res tractari solent, non deteruerunt intenta, imò tristiori scena, mutarunt tragædiam, quando congressui, *poparcie* dicto, exosum & ex annalibus publicæ calamitatis petitum, nomen Rokoszij imposuerunt, quando Mareschalcum Rokoszianum, & alios extraordinarios Magistratus, non præmonitis in eo fratribus domi manentibus, nec eo in comitiolis exposito, privatâ authoritate formarunt, quando Wierozomium Dapiferum Bielnicensem, ex occasione conscriptorum pactorum conventorum, in eadem arce crudiùs tractaverunt, quando ad extremum, in projecto hujus Rokoszij sævas leges, & infesta sancita sibi usurpando dictatoriam potestatem, contra proprios fratres scripta reliquerunt. Non defuerunt & nobis & animi & sufficientes vires ad resistendum, cùm præcipuè ex omnibus Palatinatibus, & nominatim ex Ducatu Masoviæ uti viciniori ad tuendas libertates & requirendas injurias fratribus nostris illatas, numerosissima confluxerat nobilitas, sed nolendo, sine communicato consilio fratrum nostrorum accendere civilis belli, avertat DEus, incendiū, accessimus inprimis justa moderatione, ad hanc solennem protestationem de

de nullitate omnium illicitorum, quocunq; sive *Popartie* sive *Rokosz* nomine vocitentur, per illam partem attentatorum actuum & simul de oppressione liberæ vocis jurium, libertatum, æqualitatis & innocentis sangvinis effusione, solenniter iterum iterumq; protestamur. Manifestando coram DEo & tota Repub: quod non ex nobis occasio ulterioris, quæ in abruptum rapitur scissionis. Quod sicuti fratribus nostris domi manentibus fideliter deferimus, ita penes conservationem Seren: Electi Regis nostri & Electoris Saxoniæ, & simul penes conservationem jurium libertatumq; nostrarum, exemplo majorum nostrorum fortiter viriliterq; agere, & ad monstandam promptitudinem nostram, comitia, si fuerit visum fratribus nostris, juxta pacta conventa requiremus &c. *A.C.1697*

COPIA UNIVERSALIS PRO CONCORDIA INSTITUENDA.

OMnibus & singulis, quorum interest &c. Quandoquidem eo motivo, nulli insistendo partialitati, Generali adhæsimus confœderationi, ut labantem libertatem fulcire possemus, & in suis juribus illæsam servare Rempubl; nec longâ mora gradi nobis videretur consultum, maximè cùm ad sananda læsæ libertatis vulnera, & pacificandam Remp: non desint media, quæ in commodū suum adhibere Reipub. liberum erit, necessarium judicavimus Dominationibus cum promulgatione Universalis notum facere, quod Seren: Elector Saxoniæ per Plenipotentiarios suos intercedente mediatione Seren: Principis Brandeburgici per legatum suum in omnibus læsæ libertati satisfaciendi, jura & consuetudines Patriæ restaurandi, à coronatione ab adversa parte cum denuntiatione sine consensu Reipub: indicta recedendi, & ulteriori arbitrio Reip. congregatæ committendi spem fecerit, ut huic inclytæ genti cum unanimi consensu pacificè imperare mereatur. Ideò tranquillitati publicæ studendo, & occurrendo bello civili, effusioni sangvinis, ruinæ Ecclesiæ DEi, & fortunæ totius Regni consultum duximus, descendere ad sananda vulnera Reipub: per convocationem Dōnum VV, ut Dōnes Vestræ convenientes sub Varsaviam ad locum Electoralem vallis designatum pretio salvandæ libertatis & tranquillitatis Reip. resolvant tandem sortes, & felicitatem hujus Regni, & vocantem sequentes DEum, pacem Patriæ suæ restituant. Proinde invitamus Dōnes Vestras, ut constituto tempore & loco pro decisione tam gravis rei compareant, quibus jura & libertas Patriæ cordi sunt. Nullum constituimus rigorem in jure de communi motu præscriptum, in hoc enim calamitoso tempore tam frequentes convocationes molestiam crearent, sed solùm quos amor Patriæ incendit, evocamus ad hunc locū, sperantes quòd hæc cura nostra optimo fine pro Reipub: pacificatione suscepta gratam in cordibus Dōnum VV. merebitur memoriam. Ut autem hoc universale nostrum in omnibus castris utriusque gentis quantocius divulgetur, expedimus illud, & unicè optamus, ut in Parœciis, civitatibus & oppidis promulgetur. In majorem horum valorem concessâ nobis à Repub: in hoc casu facultate, à Generali con-

A. C.1697 confœderatione approbatâ, & postea consilio utriusq; ordinis formatâ Dominationes Vestras invitamus nos &c.

COPIA UNIVERSALIS AD FACIENDOS CONGRESSUS Varsaviæ 27 Septemb. 1697 anno.

OMnibus &c. Quandoquidem sicut tam sanctum opus, hoc est confœderationem Generalem cum consensu omnium ordinum inchoavimus, ita usq; ad hoc momentum nihil prætermisimus, quo libertas nobilium violata quo ad omnia jura conservari posset, & propterea ad vitandos tumultus domesticos expediens judicavimus acceptare mediationem Seren: Electoris Brandeburgici, & acquiescere promissis DD. Plenipotentiariorum Seren: Ducis Saxoniæ, nimirum *imo* coronationem contra jura indictam differendam, & quidquid in his & antiquis consuetudinibus erratum, hoc totum ad pristinum esse reducendum statum, ecce autem talibus promissis sopitis, sperantibus tandem aliquando resipiscentiam concepti rancoris fratrum nostrorum, denunciatur certâ notitiâ, quòd suum Electum contra reclamationem nostram toti orbi notam, item adversus protestationem contra actum coronationis recens factam, & huc delatam à M. D. Mareschalco confœderationis, Illustr: & RR. Cracoviensi & Cujaviensi Episcopis, M. D. vice-Cancellario & Mareschalco Curiæ, Officialibus Regni & Ministris statûs coronarunt. Jus naturæ nos docet post longã patientiam defensioni locum esse; & quando non tantùm fratres nostros, sed per introductos externos milites libertas nostra petitur, ac per illos jam opprimitur, sicut Mag. Dõnibus VV. ex descripta relatione peractorũ comitiorum Palatinatus Cracoviensis patebit, quando sacrum insignium depositorium octo seris clausum violenter effractũ, quando obliti Seren: Regis nostri defũcti Joañis III. in pegmate laudabilis ab Antecessoribus ceremonia abrogata, quando nihil legum, nihil prisci moris relictũ. Docet ipsa parium ratio, & nos securitatem in cordibus M. Dõnum VV. & in illorum, quibus non est odio libertas nostra, quærere, proinde sistimus gradum congressûs sub Varsaviam pro die 26 Sept: siquidem de certo constat, quòd pars adversa omnibus viribus tendat sub Varsaviam, ut armis det jura populo, doceatq; nos sub bombardis comitia celebrare, sed visum præsenti consilio utriusq; ordinis, ut quævis Provincia majoris Poloniæ sub directione Illust: Castellani Calissiensis ad Lenciciã, Provincia minoris Poloniæ sub directione Illust: Sieniawski Palatini Belzensis ad Zawiehostũ, Provincia M.D.L. sub directione Illust: Palatini Vilnensis, M. Ducis M. D. Lit. sub Slonim. Omnes hæ Provinciæ, ut conveniant ad loca sibi designata pro 10 Octob. anni currentis, more militari sub pœnis de executione bellica sancitis pro lustratione in quovis loco præfixo, ad quæ designata loca omnes civitates, secundùm antiquas suas obligationes. Item M. D. Capitanei Tenutarii bonorum Regiorum expedire scultetos aut censuarios colonos, vel Feudatarios expedient, sub rigore contra renitentes in legibus expresso in eodem loco statim sub signa convocabunt M. D. Colonelli obligatos in suis Palatinatibus. Et si quispiam officio suo non satisfaceret, obligatos se sentiant omnes ad eligendum alium. Pro quo tempore & loco ut omnes M. Dões VV. ne unâ quidem horâ procrastinando convenire dignentur, amore fidei S. & injuriâ violatorum jurium obtestamur, sperantes in DEo, in cujus conspectu stamus, quòd ipse conculcatorum jurium nostrorum, rejectæ per contemptum, ùltro se offerentis complanationis futurus sit ultor, & ipsa libertas concitatura imperterrita corda Dnaõnum VV. Ut autem hoc

hoc nostrum universale quantocius possit pervenire ad MM. Dominationes *A. C. 1697*
Vestras ordinamus, ut illud in castris utriusque gentis, & in omnibus, præcipuis civitatibus, oppidis publicetur. Quâ de causa ex consilio utriusque ordinis. Ut supra.

COPIA LITERARUM
AD SERENISSIMUM ELECTOREM BRANDEBURGICUM AB EMINENTISSIMO CARDINALI PRIMATE REGNI.

Dolendum acerbúmq; Nobis accidit, quòd præclari conatus Serenitatis Vestræ in concilianda Regni nostri tranquillitate non illum sint effectum sortiti, quem optabamus universi. Nam per calcata omnia Cardinalia libertatum nostrarum Jura Serenissimus Elector Saxoniæ ex præcipiti magis, quàm prudenti consilio concivium nostrorum, spretâ mediatione & factâ declaratione per plenipotentiarium, neque tamen postea servata ad Regni solium die 15 præsentis evasit, coronamque Regiam effracto Arcis Cracoviensis thesauro insolitâ praxi usurpavit; ideoq; totum boni publici theatrum vel confudit, vel abrupit; omnium enim animos, quos jam præcipuus Serenitatis Vestræ respectus per suum legatum ad concordiæ media inflexerat, ita præcipitata nuper coronatio irritavit, ut tota quanta Nobilitas ubique fremere, & nihil nisi vindicias ultionémque spirare videatur. Nobis in tam acerbo rerum articulo, & belli civilis conspiratione aperta, illud occurrit inprimis, quod in omnium Regnorum quotidiano usu versatur, ut ad Serenitatem Vestram tanquam præcipuum imò unicum Mediatorem recurramus, ut nobis Serenitas Vestra & ex jure susceptæ mediationis, & ex constantissima semper in Rempublicam hanc benevolentia dignetur assistere, ut totam gloriam pacificati Regni nostri non alteri nisi Serenitati Vestræ omniũ retro temporum grata debeat recordatio. Non potest Serenitas Vrã gloriosiùs vires suas impendere, quàm, si nostram simul suamq; securitatem illæsam, integramq; servaverit. Profectò enim dum proximus ardet Ucalegon, plerumque vicinis ædibus par discrimen solet iñinere. Nolumus exaggerare, per quos gradus oppressæ libertatis ad Regnum penetraverit Serenissimus Elector Saxoniæ; jam enim hæc Serenitati Vestræ constant, quæ tamen novissimè contigerunt, & totam Nobilitatem ad arma accinxerunt, silere non possumus. Nimirũ parum fuit Serenissimo Electori Saxoniæ contra Jura Regnorum fines Poloniæ armatâ vi transgredi, parum Cracoviensem Regiam violenter occupare, parum mediationem Serenitatis Vestræ, & nostram ad concordiæ media inclinationem spernere; adjecit majora violentæ oppressionis documenta, quando thesaurum Regni, in quo corona & sceptrum servabatur, contra jus & fas effregit, aliquot millia armatorum Proszovicios, ubi Palatinatus Cracoviensis comitiola 9. currentis ex præscripto legum peragebantur, subordinari voluit ad oppri-

A. C. 1697 mendam eorum vocem liberam, qui ad comitiola confluxerant. Gravissimum hoc, & nullâ ratione ferendum vulnus nobilitati Polonæ videtur, quæ se meminit hucusq; majoris olim potentiæ jugum toties excussisse; Nos tamen quibus ex officio incumbit moderari Remp: & procellas tempestivè prævidere, iterum iterumq; Serenitatem Vestrã precamur, tanquam Mediatorem præcipuum, ut dignetur nobis in tam difficili, ac insperato casu opem suam ferre. Quod fusiùs Generosus Tworzyanski, uti oculatus spectator & actor, Mareschalcum enim horum egit, qui soli avitæ student libertati, Serenitati V. nomine nostro deferet, suppetiasq; cadenti & jam planè emorienti libertati petet. Cui benevolam aurem plenamq; fidem Serenitas Vestra dare velit, enixè petimus, plurimùm confidentes Serenitatis Vestræ benevolentiæ, pronoque ad salvandam libertatem nostram animo. Cui &c.

LXXVI.

JOANNI MAŁACHOWSKI

Episcopo Cracoviensi,

Varsaviâ 20 Septemb.

Certus de fide Neo-electi & coronati, controvertit de Electrice Saxoniæ.

Accepi præsenti posta, epistolam responsoriam, ad meas literas, in quibus nonnulla dubia, ex tam periculosis Reip: nostræ orta circumstantiis (ubi nulla præcautio est nimia) in plena fiducia tibi detuleram. Accepi & adjunctam informationem de conversione ejus. Non dubito equidem ego, imò jam piè credo, quòd Seren: Elector Romano-Catholicam fidem sit amplexus, nam postquam authenticum, quod misisti, testimonium Serenissimi inprimis Jaurinensis Episcopi de abjuratione facta secunda Junii die, anni currentis legi, accepique certam notitiam, quòd in oppido Piekary dicto, coram Episcopo Samogitiæ, eandem Catholicæ Religionis professionem confirmarit, & ritu nostro sacram hostiam acceperit, nulla ratione jam adduci possum, ut dubitem, quòd tam sublimium natalium & serenissimæ originis Princeps, tot qualitatibus imperio dignis præditus, deq; Christianitate in bello Turcico tam præclarè meritus, DEo inprimis Optimo Maximo, toti deniq; terrarum orbi imponere audeat, neque sincerè ad eum converti, in cujus conspectu nuda & aperta sunt omnia. Modico solùm neq; magni momenti premor scrupulo, quin illum mihimet sine mora solvam, nimirum quòd tunc primum ab eam Religionis nostræ Catholicæ professionem Serenis: Elector accesserit, quando spes Regni Poloni & coronæ affulgebat. Sit proinde securus planeq; de me supponat, quòd profundissimo cultu in Seren: Principis persona tantum divinæ gratiæ prodigium venerer, supplicesq; ad cælum protendam manus, ut confirmet hoc DEus, quod operatus est, ad majus Catholicæ Religionis incrementum.

Gratulor verò mihi, quòd in præterita Epistola mea insinuaverim auditam esse prædicationem Postillæ Acatholicæ in ædibus Domini Forbes Cracoviensis incolæ, in gratiam Saxonicæ militiæ, non ideo, ut præsumam

sumam, quod ex motivo præsentationis meæ, occurreris tanto malo, nam pridem mihi perspectus est incomparabilis tuus zelus, in ijs præcipuè quæ Religionis & Divini Cultus momentum spectant, verùm ut palàm faciam, quòd non potuerim majus referre solatium, eô quo me cumulasti, significando, hæc ampliùs non futura, & nobilissimos militiæ Saxonicæ Officiales, Serenissimi Principis exemplo publicam Catholicæ fidei facturos professionem; illius verò cujus jussu Acatholicæ Religionis instituebatur devotio, in ædibus Forbes, suspecta mihi videretur insperata revocatio, quia coacta voluntas, non est voluntas. Ineffabilis me quoq; incessit lætitia, ex eo quòd Serenissimus Elector, non sit passurus regnum Poloniæ hucusq; Catholicum illis sectis infici, quas Serenissimi novissimiq; Poloniæ Reges, non sine gravissimis difficultatibus ita radicitus extirparunt, ut in quibusdam Palatinatibus regni hujus, ne umbra quidem hæreticorum audeat comparere. A.C.1697.

Quod Serenissimæ Electricis personam spectat, liceat mihi pro candore sensum meum depromere. Accepimus certam notitiam & quidem ab ijs, qui Serenissimæ Electricis personam, Indolem, respectus, inclinationes intimè perspectas habent, quòd modica sit aut veriùs dicam nulla spes, ut Catholicæ fidei professionem faciat, in illis Provincijs, quæ in sua hæresi pertinaciam, constantiam solent appellare, & hoc titulo sequaces suos, in tam deformi proposito retinere. Insinuatum igitur nobis est expedire pro faciliori illius conversione, ut quàm primum ab illorum consvetudine retrahatur Serenissima Electrix, qui ejusmodi pertinaciæ solenniter applaudunt, atque in Regni viscera deductam svaviter ad Romanam religionem disponere. Hinc estne possibile, ut non totis artubus contremiscamus, nè fortè Serenissima Electrix, in spem futuræ conversionis adeò incertam, ad Regni solium deducta in apertum fidei discrimen, tantum quantum est Regnum sensim conijciat. Quis augur? quis sponsor? an non constaret sua fides illi proverbio, concessi muribus angulum, & ecce illi totam domum in hæreditatem suam converterunt. Quis scit; utrum non in propylæis templorum nostrorum, non ciconiæ tantùm sed etiam vultures nidos olim ponerent suos, licetne Princeps Celsissime, addam etiam Religiosissime (ut antiqui illius, & totâ digni posteritate legi, scriptoris verba adhibeam) advenam & peregrinam hæresim fidei Catholicæ, venerandæ Matris familias Reipublicæ istius incorporare? Reges quid sunt aliud, nisi sponsi Regnorum, proindeq; non tam Regum quàm Regnorum interest, qualem Rex uxorem habeat. Quicunque igitur vult hanc Rempub: Serenissimo Electori desponsare, optare debet, ne sponsam diversam moribus, & institutis, alienamq; à prima Religione habeat. Quòd si Serenissimus Elector vult esse sponsus hujus Reipub, quæ est Catholica sponsa, non supponat Acatholicam, si verò vult esse Pater Patriæ (hoc enim titulo, Reges nostros compellamus) non imponat huic filiæ matrem religione novercam, nam ejusdem omnino fidei debet esse Poloniarum Rex cum Regina, ut possimus sicut Regem Patrem Patriæ, ita Reginam matrem Patriæ appellare. Non egemus hac in re alienis exemplis, quid valeat possitque Regina, revocare in memoriam sufficiat Miecislai conjugem, hanc fata, quasi de industria Rixam nominarunt, fortè quia contra inquietum illius ingenium, neque Regni leges, neque pacta matrimonialia, neque viri authoritas prævalere potuerunt. Idem nobis omninò (quod avertant superi) in diversa religione meritò timendum, & tantò fortiùs, quò faciliùs sexus hic pervertitur, quàm convertitur, Hunc ideò fortè sancta Romana Ecclesia devotum appellat; quòd præconceptam, & longo usu consvetudinéque usurpatam devotionem, ni-

Kobierzycius Palatinus Pomeraniæ.

A.C. 1697 mis quàm arduum sit dissvadre, præsertim verò illam, quam à majoribus suis simul cum lacte materno primo omnium errorum fonte propè in ipsis cunis hausit. Et ideò parva omninò spes est conversionis & grande periculum, in tam lubrica incertaque spe tanti momenti molem, negotiumque regni totius struere, ad quod cæleste, orbisque catholici refertur interesse, Præsertim quando etiam politici respectus admonent, quàm frequenter impotentior hic sexus semetipsum regere ignarus, Regibus terrarum imperaverit. Potest ne quid periculosius regno huic contingere, quàm si nobis Regina diversæ Religionis imponatur.

Quanta novitas rei, dicam amplius catholicæ Religioni detrimentum? Evolvamus annales Regni nostri, non legemus in ullo folio, quòd aliquis Regum Poloniæ habuerit throni sociam diversæ Religionis, & si hoc nullâ lege publica cautum unquam fuerit.

Quia hæc Religionis cautio, Serenissimi Michäëlis pactis conventis inserta est, singulari curâ Avunculi mei, penes quem protunc sigillum Regni fuit, ut Regina catholica sit natione vel vocatione.

Unam non nisi Græci ritus Reginam memorant Polonæ Historiæ; sed neque hæc fuit coronata, eò quòd nollet mutare Religionem. Eadem in quanta nos pericula propter suam Religionem conjecerit, quantis bellis implicaverit, prolixè describit Cromerus noster Per fœminas Regnum hoc ad fidem Catholicam deductum est, quia Dąbrowka Mieçislaum, Hedvigis Iagiellonem ad fidem sanctam traxit, quæ per omnes temporum series hucusque illibata floruit, & protegentibus superis, in hanc usque diem integrè conservatur. Proinde non optandum est, imò potissimùm occurrendum, ne transverso rerum ordine, per fœminas iterum corrumpatur muteturq;. De Serenissimi Electoris Religione, uti jam superiùs innui minime dubito, nihilominus ita radicata esse non potest, sicut par est, quin cum lacte imbutus est illis principijs, ex quibus non vano metu percellimur, ne aliquando vacillet, & ne fœmineis lamentis, & precibus fortitudinem animi advenæ Religionis socia præsumat frangere. Cœlesti sapientia præditus erat Salomon, tamen sacræ literæ dicunt: averterunt mulieres cor ejus, & eousque inclinarunt, ut flexo simul cum illis genu idola adoraret. Ipse Deus optimus maximus prohibuit cum alienigenis communicationem, & ne connubia cum eis inirentur sacrosanctè vetuit, ex hac ratione, ne earum commercio corrumperentur. De Iustiniano magno illo Imperatore Orientis scribitur, quòd operum suorum gloriâ omnes retro Cæsares superasset, si Catholicam nactus fuisset sibi consortem Imperij. Quanto enim ille propensiori studio favit Catholicæ fidei, tanto ista callidiori consilio, clam Hæreticis adjumento fuit, nec non etiàm & firmamento. An ergo nobis similia non timenda? una Elisabetha in Anglia quanta incendia excitavit: an non meritò nobis quoque Polonis formidandum, par omnino discrimen? si in throno Regni nostri vel Acatholicam, vel non probatæ exploratæq; fidei Reginam poneremus; quantumvis universi Samsones essemus, fœminarum hæc arma sunt astus & dolus, vincunt plerumque, quia raro timentur. Multum me solareris, si hoc foret certum, quòd Serenissimus Elector, sincerè velit Serenissimam Electricem, tamdiu finibus Poloniæ prohibere, quamdiu in sua religione perstiterit. Utinam possemus de divortio cogitare, sed qua tandem via hoc sperari à nobis potest? Serenissimus Elector jam Catholicus, per libellum repudij relegare illam non potest, per Decretum verò Pontificium, utrum id fieri possit non invenio fundamentum in Canonibus. Rogo te demisse, ut legas diligenter punctum huc spectans, ex pactis conventis, sub nullitate electionis, ab illa parte subscriptum, & juramento tam ablegati Saxonici, quàm ipsius Serenissimi Electoris firmatum. Ubi forte inveniri

veniri poterit remedium, si juramentum ad literam observabitur. *A.C.* 1697

Terret me non mediocriter punctum illud literarum tuarum, in quo exprimis venturam aliam quoque partem militiæ Saxonicæ, in viscera Regni. Per Deum, istene unquam fuit, aut esse debet modus occupandi retinendique throni. Sperare ne potest Serenissimus Elector tranquillum imperium? quando violentis armis coget subditos ad obsequium, quæ conservatio libertatis nostræ, si conculcato jure vetandi ijsdē armis fracti fuerim⁹.

De Germanis meis fratribus sis securus, quòd quemadmodum ego, ita & illi non sunt nati ad excitandum incendium. Ordinaria hæc est illorum methodus, per depressionem satiùs de Republica meritorum struere sibi viam ad fortunam, ut obliquis artibus emergant ex obscuritate, cum non possint rectè factis. Fratres mei in illis positi sunt subsellijs, ibique resident, unde nullam cum ovili meo connexionem habere possint, multò minùs incendere.

Et hoc est responsum meum ad Epistolam tuam non sine aliquo rubore, quòd formam literariam excedere sim coactus prolixitate styli. Securus sum nihilominus, & spei plenus, quòd longiori Epistolæ propter gravitatem materiæ indulgere dignaberis.

RELATIO COMPENDIOSA PROFESSIONIS

sanctæ fidei Catholicæ, quæ facta est in manu Serenissimi Principis Christiani Augusti, ex Ducibus Saxoniæ Episcopi Jaurinensis per Serenissimum Electorem Saxoniæ die Sanctissimæ Trinitatis Badenæ in Austria Anno 1697

ALiquantum jam temporis est, ex quo Elector Saxoniæ meus cognatus intendebat mutare suam fidem, & pro proposito adeo sancto, placuit ipsi cum auxilio & assistentia divina eligere me, cum quo uti Parente latam semper confidentiam professus fuit. Hoc animadverto, quòd talis ovis voluntariè intenderet ab erroribus propriæ Hæreseos reducere se ad gregē Domini & considerando magnas atque proficuas consequentias, pro fide Catholica, quæ resultarent in tota Saxonia ad exemplū ipsius Electoris, non intermisi Deum desuper precari, & maximè semper stringendo confidentiā, usus sui dexteritate atq; industria ad consequendū intentū. Et sanè erat satis necessarium uti dexteritate, quandoquidem, præter difficultates & dubia mihi ab eo proposita, & resoluta, circa cultum Sanctorum, Eucharistiam sub duplici specie, & alium adhuc gravem respectum, quem habebat, debui adhuc operari tali modo, ut ejus intentio maneret secreta, & nemo conciperet minimam umbram mentis ejus. Propter quod, ut complanarem omnem difficultatem & dubium, quæ nihilominus concipiebat, necesse erat convenire nos solùm in locis indifferentibus, & liberis ab omni umbra & suspicione. Placuit Domino DEO, in hoc concurrere, faciendo me reportare ad gloriam suam, intentum fructum debilium laborum meorum, & 2 Junij, postquam illum benè instruxissem in Missa, quam habui Badenæ, in Capella Lauretana, consecravi hostiam unam, eamq; accepi post Missam, & portavi mecum ad cameram, virtute meæ Apostolicæ facultatis, & retinui, intra lumina accensa, quoad ipse Elector adveniret: qui cum indicio intimæ pœnitentiæ, depositis mihi in sacro tribunali confessionis, suis culpis, & facta distinctissima professione fidei, recepit ex meis manibus, in pignus veræ fidei Catholicæ neo-assumptæ SS. Sacramentum Eucharistiæ lacrymantibus oculis, & cum adeò magna resignatione sua, ut videretur

A.C.1697 deretur totaliter mutatus; ita ut inter conversos à me, possim ex veritate fateri, me non vidisse contritionem taliter ferventem, quàm in ipso. Testis est mihi DEus, quòd frequenter dixerim ipsi, ad probandam intentionem illius, quatenus adverteret, ne susciperet nostram orthodoxam fidem, nisi cum firmo animo ad persistendum & moriendum in illa. Siquidem pro assecuratione negotij salutis suæ, ita duntaxat debet intendere, videlicet ut accuratè observet leges nostræ Sanctæ Fidei, evitet pericula æternæ damnationis, nec aliter dogmata nostra amplectatur, quàm ex amore salutis æternæ. Quod à me percipiens, respondebat se in tali mutatione, non habere respectus humanos, sed potiùs hanc fidem amplecti ob unicam contemplationem æternitatis; quin etiam audacter dixit se tantum habere animum, quòd quantumvis, propter talem fidem neo-assumptam, deberet subjacere evidentibus periculis temporalibus, nunquam posset per ipsa turbari vel terrefieri.

BVLLA SIXTI V.

De non coronandis Regibus Hæreticis.

SIXTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis nostra solicitudo, quam pro tuenda ubiq; gentium & locorum, propagandaq; Catholica Religione suscipere tenemur, Paternaq; charitas, quam erga inclytum Poloniæ Regnum, in visceribus Christi præcipuè gerimus, & singularis zelus Orthodoxæ fidei, sinceraq; erga Romanos Pontifices, Sanctamque hanc Sedem devotio, quam ipsum Regnum, præsertim verò illius Prælati hoc maximè tempore præseferunt, jure optimo Nos inducunt, ut ijs, quæ pro conservatione ejusdem Catholicæ fidei, & pro publica ejusdem Regni quiete, & tranquillitate, piè ac prudenter à Prælatis præfatis statuta fuerunt, Apostolicæ confirmationis robur ejusdem Præsulibus supplicantibus benignè impertiamur. Nuper siquidem sicut expositum nobis fuit in Synodo Provinciali Petricoviensi, de more celebrata, Venerabiles Fratres Nostri Archiepiscopi & Episcopi Metropolitanarum & Cathedralium dicti Regni Ecclesiarum, simul congregati, & convenientes in unum, ut more vigilum Pastorum, Gregem Dominicum suæ curæ creditum, ab imminentibus luporum periculis incolumem, quantùm in eis est, præservarent: simulq; unioni & paci ipsorum Prælatorum ac Procerum & Populorum ejusdem Regni consulerent, inter alia sub Nostro & Sedis Apostolicæ beneplacito statuerunt, ordinârunt & decreverunt.

Quòd tam in præsens, quàm in futurum, nemo unquam agnoscatur, nec recipietur in Regem Poloniæ, nisi fuerit verè Catholicus: Quiq; Sanctam Catholicam & Orthodoxam fidem, quam Sancta Romana & Apostolica Ecclesia tenet, docet, & prædicat palàm, & publicè profiteatur, & sequatur, & in unitate ejusdem S. Romanæ Ecclesiæ permaneat. Quodq; pro tempore existens Archiepiscopus Gnesnensis, cui jus renuntiandi seu publicandi Regem ex Privilegio competere dignoscitur, neminem

nem renuntiet, aut publicet, qui fuerit dubiæ fidei, & non sit manifestè Catholicus. Ad tollendum verò dissidii & intestini belli periculum, nullus Episcoporum & Prælatorum, contra jus Archiepiscopi prædicti post renuntiationem ab eo factam scilicet de Persona Catholica, & servatis Regni statutis & consuetudinibus, in Electione Regis audeat nominare, renuntiare, aut coronare alium in Regem, alioquin à regimine & administratione Cathedralis, seu Metropolitanæ Ecclesiæ, cui præest, in perpetuum eo ipso suspensus, atque omnibus beneficiis Ecclesiasticis, quæ quomodolibet obtinet, privatus existat; & nihilominus hujusmodi nominatio, renuntiatio, aut coronatio, invalida, & nulla censeatur, ac nullius sit roboris vel momenti. *A.C.1697*

Ne quis nominatus à Rege Poloniæ pro tempore existente in Episcopum vel Archiepiscopum ad Ecclesiam aliquam Cathedralem vel Metropolitanam, ex iis, quas pro tempore vacantiæ jus nominandi, ipsi ex Privilegio Apostolico competit, assumat sibi honorem nec locum, néve in regimine & administratione Ecclesiæ hujusmodi, illiusq; Bonorum, quoquo modo se immisceat: nisi priùs à Sede Apostolica eidem Ecclesiæ de Persona sua sic nominata provideri, seu in Episcopum vel Archiepiscopum, Præsulem, & Pastorem, præfici obtinuerint, literis Apostolicis desuper expeditis; si secus fecerit ad illam & ad aliam quamcunq; inhabilis omninò censeatur. Quicunq; sive ex Senatoribus, sive ex Nobilibus, in promovendo Rege Hæretico, opem, consilium, auxilium, vel favorem præstiterit, vel consenserit, aut ei jam promoto adhæserit, præter alias Censuras Ecclesiasticas & pœnas in quas eos incurrere SS. Canonibus & Constitutionibus Apostolicis constitutum est, tam ipse, quàm posteri ejus, & descendentes ad omnes honores, dignitates, & Beneficia Ecclesiastica obtinenda, perpetuò inhabiles & incapaces sint, & esse censeantur, Nullus Episcoporum, seu inferior Prælatus audeat hæreticum hominem ad honores, dignitates, officia, vel beneficia Spiritualia vel temporalia promovere vel promoveri facere, aut intercessione, opibus, aut alia quacunq; ratione, ad ea assequenda juvare. Quodsi id attentare præsumpserit, pœnam privationis omnium & quorumcunq; Beneficiorū Ecclesiasticorū, vel officiorum, quæ obtinet, nec non suspensionis, ut præfertur, à regimine & administratione suæ Ecclesiæ ipso facto incurrat, & ad alia obtinenda incapax prorsus existat. Quicunq; ex ijs, qui pro Catholicis se gerunt, tepidis nimirum & falsis fratribus, Apostolicæ Sedis Authoritatem, jurisdictionem Ecclesiasticam, & Jura Decimarum publicè, vel privatim, directè, vel indirectè in Conventibus aut aliis in locis impugnaverit, tam ipse, quàm ejus posteri, ab Ordinibus, & honoribus, dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis in perpetuum arceantur, & ad illa semper inhabiles existant. Quoties ex necessaria communi & publica causa, ac de licentia seu permissione Sanctæ Sedis Apostolicæ conferendum est consensu publico ex Bonis Ecclesiæ subsidium, seu donativum aliquod Regi, vel Reipublicæ, illud per Deputatos suos Episcopi erigant; nè subditi & Bona Ecclesia-

A C. 1697 cleſiarum à ſæcularibus exactoribus expilentur & prophanentur, ac variis injuriis & damnis, prout plerumq; factum eſt, afficiantur. Si Epiſcopi aliter fecerint, pœnis in Concilio Generali Lateran: noviſſimè celebrato, & in Bulla Cœnæ Domini legi ſolita, aliiſq; Sanctionibus Apoſtolicis contra eos, qui etiam ſponte offerunt, inflictis, eo ipſo ſubjaceant. Demum quod propter omnes ſubitas dicti Regni neceſſitates, & improviſos eventus theſaurus, ſive ærarium publicum & commune omnium Regni prædicti Eccleſiarum, in aliqua Eccleſia, Arce, ſeu Caſtro providè, & accuratè inſtituatur, & cum omni diligentia & cuſtodia aſſervetur. Quæ omnia Statuta & Decreta, quò firmiùs & accuratiùs perpetuis futuris temporibus obſerventur, iidem Prælati per dilectum Filium Vincentium de Seve Præpoſitum Laſcen: & Internuntium ab ipſa Synodo Provinciali ad nos miſſum, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut illis Apoſtolicæ comprobationis robur adjicere, aliaſq; præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eorundem Prælatorum, ac ipſius Synodi pietatem, ſanctumq; & laudabile propoſitum plurimùm in Domino commendantes, eorumq; ſupplicationibus hac in parte annuentes Statuta, Ordinationes, & decreta prædicta, prout ſuperiùs deſcripra fuerunt, ex certa noſtra ſcientia deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, eaq; præſentis ſcripti patrocinio communimus, & illis perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac per eos, quos illa concernunt, & concernent in futurum perpetuò, firmiter, & inviolatè, obſervari præcipimus, & mandamus, omneſque & ſingulos juris & facti, ac ſolennitatum & ſubſtantialium, ſi qui in eis intervenerunt defectus, ſupplemus. Decernentes irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his, à quoquam quâvis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prædictarum Eccleſiarum, & quibusvis aliis contrariis Statutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, & immemorabili tempore pacificè obſervatis, nec non Privilegiis, Indultis, & literis Apoſtolicis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, ad effectum præſentium duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, illaque omnia & ſingula quatenus præſentibus literis in aliquo adverſentur, penitùs tollimus, & abrogamus, ac nolumus deinceps cuiquam ſuffragari, cæteriſque contrariis quibuſcunque aut ſi eisdem Prælatis, vel eorum alicui, ſeu aliis perſonis communiter vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi

di mentionem. Volumus autem quòd præsentium literarum tran- A.C.1697
sumptis etiam impressis, Notarij Publici manu subscriptis, & sigillo persona in dignitate Ecclesiastica constituta obsignatis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, exhibitis vel ostensis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis, approbationis, communitionis, adjectionis, præcepti, mandati, suppletionis, Decreti, derogationis, sublationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis DEi, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quingentesimo, Octogesimo Nono. Quinto Idus Februarij. Pontificatûs Nostri Anno Quinto E Cardinalis Pnat:
Locus (†) Sigilli plumbi in filo variegato sericeo penden:

Andreas de Alexijs M. Vestrius Barbianas.

CENSVRA SEMPER REIPVBLICÆ NECESSARIA.

IN omnibus Electionibus suis semper intenta fuit Respub. ne vicinos hostes in thronum assumeret, ne se involveret externis bellis, & inextricabili interesse innodaret libertatem suam. Ideò Principem Condæum licet multis vitrutibus & factis heroicis clarum, excepit à candidatura, licet Gallia nullis cum virtnis nostris esset intricata bellis. Et quid modò cùm universa penè Europa in ejus existat hostilitate, qualis Reipub. panderetur via ad partialitates exoticas, nemo tam ignarus Statista, qui hæc nesciat, qui non advertat per ejusmodi electionem viam pandi domesticis factionibus, æmulationi inter partes & extremæ confusioni in Republica.

2. Nemo contradicet virtutes Principis de Conti magnas esse, generis claritatem non minorem, animos bellum spirantes à natura inditos, sed præstantior debet esse ratio statûs apud filios suæ Patriæ, securitas libertatis propriæ, & consideratio prudens, ne exteris bellis, & vicinis odijs Galliæ involvamur, ex quibus Respublica per plures annos se non extricaret.

3. Quomodo credibile est, quòd Princeps de Conti ex promotione Serenissimi Regis Galliæ, ipse natione Gallus, Gallæ matrimonio junctus, habendo progeniem in Gallia natam, non hac intentione fieret Rex, ut Galli cum interesse promoveret, & Poloniâ uteretur tanquam instrumento nocendi hostibus Patriæ suæ, per quod an non involveretur Respublica bellis, & vicinorum odijs? quivis consideret.

4. Nunquid & hoc credi potest? Regem natione Gallum, & Reginam natione Gallam non prius cum legatis Gallicis & Ministris Domini sui cognati, & sangvine juncti collaturos de propositionibus senatûs consultorum, & non propositurus Serenissimo Regi Galliarum, quæ promovendo illius interesse servire queant, an posset sperari comitia non tam ex necessitatibus Patriæ, quàm ex instinctu aulæ Regiæ instituenda, & hoc quivis consideret, an non res conclusæ in conclavi cum Regina in assistentia Gallica conceptæ, ad senatum tantùm pro forma referrentur, & priùs secreto cum ministris Serenissimi Regis Galliæ agitatæ.

A.C.1697 5. Et hoc verendum, quòd publicè constat Galliam cum Turcis perpetuo fœdere junctam esse, pulverem nitratum, bombos, bellicorum operum Machinatores, navigia, & consilia palàm illis suppeditare contra Cæsarem Christianum. Quid fieret, si faciliorem & propinquiorem modum per Poloniam habere posset, nonne esset bellum tantùm ex condicto cum Turca, & amicitia re ipsâ propter diversionem Cæsaris Christiani, cum detrimento honoris sanctæ Crucis, & cum ludibrio Gentis Polonæ.

6. Et hoc patet, quòd Gallia per Poloniam, Hungaros concitavit ad rebellionem contra Dominum suum, militem conscripsit in subsidium Tekeli ex Polonis, insciâ Republicâ sine consensu comitiorum, etiamsi Polonus erat Rex, & quid fieret, si Gallus dominaretur?

7. Hoc adhuc certius est, quòd Turcæ colligati mandarent Tartaris, ut essent à nutibus Regis Galli, qui illos stipendio pro flagello contradicente Republicâ conduceret sibi ad extorquendum à Repub. quod vellet, & essent apud illum nomine tantùm hostes, re ipsâ colligati, sicut Turcæ.

8. Hoc igitur certum, quòd hæ omnes nationes partim gentiles, partim seditiosæ, uti Turcæ, Tartari, rebelles Hungariæ & omnes, qui pro licentia sua indigent subsidio, expectant in Polonia Regem Gallum, sicut Messiam.

9. Per Electionem Regis Galli cum omnibus nationibus vicinis paratum odium, & inimicitia cum Cæsare, cum Principe Brandeburgico, Saxoniæ, Hollandis, Anglia, & Moscovia, & cum omnibus alijs vicinis colligatis, qui militant contra Gallum, & qui amici Reipub. sunt. Considerandum præterea, an omnium horum odia liceat in se concitare, & omnes inimicitias in se contrahere, & Rempub. constituere lapidem offensionis maximæ parti Christianitatis, & exosum nomen illius toti penè orbi exponere. Per quod efficeretur, illos Monarchas, quibus non alia fuit intentio, quàm Rempub. habere sibi faventem tanquam indifferentem, & nulli noxiam, jam cogitaturos, qua ratione illi nocere, & quomodo illam divertere bellis queant, ne illis gravis sit, quod utrum conducat Reipub. quivis consideret,

10. Hæ ergo prænominatæ considerationes sunt essentiales statui Reipub. sunt & aliæ non minus perniciosæ ex ratione domestica, nimirum præcipitantia, & nimia præsumptio aulæ Gallicæ, immissio horum Regum in consilia Reipub. contemptus nobilitatis Polonæ per experientiam cogniti, luxus cum exinanitione domorum privatarum nobilium, augmentatio pervicacium Gallicorum consiliariorum & importunorum præceptorum Reipub: & contemptorum senatus, conferentiæ non faciles observatu, cum Ministris Gallicis, perturbationes per factiones internæ quietis, & unionis animorum, abolitio per novas leges antiquo-Polonæ sinceritatis & rectitudinis ac pudoris, quibus consilia & constitutiones Polonæ hucusque steterunt & floruerunt, adinventiones novitatum in elusionem liberæ vocis, calliditas, subtilitates, promotiones ad officia indignorum & faventium sibi ac interesse solùm Gallicum promoventium, fabulæ fœmineæ, & pervicacia in consilijs, statûs perturbatio confundens authoritatem & gravitatem Reipub. inventum privati commodi cum depauperatione inopum, subtiles persecutiones hominum proborum, opponentium se perversis moribus, inflexio justitiæ pro libitu suo, & alia infinita & innumerabilia mala, quæ anteactis temporibus sunt nota nimis omnibus.

Propterea hæc, sufficit insinuasse dilectis Patriæ filijs, & Senatoribus providis, ne serò postea doleamus, perniciosos imprudentiæ & inconsiderantiæ nostræ fructus.

AMI-

LXXVII

AMICO CONFIDENTI.

Pultoviâ 27 Septembris.

Impedita mediatione, fit coronatio, inchoantur comitia, eligitur Mareſchalcus

NOn dubiæ fidei nuntius tulit, quòd facta à Barone Oberbek, omnia ad rationis trutinam expendente, ac Prependovio, Electori noſtra propoſitione de differenda coronatione, petitaque poſtulati executione non in gratiam adverſæ partis, ſed ad conſervandam Reipub. integritatem, idque efficacibus adjectis rationibus petitis à mora modici temporis haud magnum cauſante detrimentum, convocatum ſit ſenatûs conſilium, manè antequam actus inciperet, ubi lectâ obligatione noſtrâ, adhæſuros nos Electo, poſtquā convocata nobilitas 26. die unanimi conſenſu, quem infallibiliter habebimus, Regem proclamaverit, omneſq; ad ſolitas coronationis ceremonias inſimul venturos; qui pacata volunt in Republica, differendam eſſe coronationem cenſuerunt. Reponebant alij ex prolongatione actûs coronationis innumera emanare pericula. Expeditum agebant ab adverſa parte ablegatum in Galliam (quod ſicut nullis nititur motivis credibilitatis, ita penitus à vero abludit) ad invitandum Principem de Conti, tempuſque tantùm adventûs ejus expectari, inſuper ſine conſenſu Electoris populi prolongationem eſſe non poſſe, & quod Principale eſt, ſi terminus coronationis differetur, jam Epiſcopo Vladiſlavienſi conceſſam ab Electore populo facultatem, ſuperſtite Primate exercendi Primatialia, ceſſaturam, longumq; fore iterum populum convocare, ſi adverſa pars refragaretur. An aliud in illo conſilio fieri potuit, in quo nihil eſſe ſolet tam inæquale, quàm æqualitas ipſa, nam cùm ſit par prudentia, par omnium vis eſt, & ſic ſpecioſa utilibus antepoſita, quaſi verò aliquis ſit, qui eo animo navigat, ut ſemper naviget, ſi quis militare diſcat, & nunquam militare deſinat. Quis eâ mente labores ſuſcipit, ut alios ex alijs perpetuò excipiat? quis ita turbida amat, ut nunquam optet pacata? qui navigat, portum, qui militat, victoriam, qui laborat quietem ſpectat, & illi non niſi exacerbantia, exulcerantia, ſemper nocitura proponunt, ut ſemper in turbido vivamus. *Impeditur mediatio.*

Itum ergo in Eccleſiam, mota prius quæſtione Calliſſienſem inter & Lencicienſem Palatinos, quis pomum Regale portare deberet, deciſum à coronando in favorem ſecundi, ex ea ratione, quòd ille jam non tantùm Calliſſienſis, ſed Poſnanienſis fuerit Palatinus, quo ceſſit propter Generalatum majoris Poloniæ, qui eſt cum iſtis primis Palatinatibus incompatibilis. *Actus coronationis*

Præibant intranti in Eccleſiam Regi Premiſlienſis Georgius Dönhoff M. R. Cancellarius, qui mille ungaricis acceptis pro expenſis itineris, nos deſeruerat, & in ipſa vigilia coronationis venerat, de actis illorum temporum plura dicere poſſem, ſed vel hoc plus ſatis eſſe arbitror; Epiſcopus Samogitiæ Kryſzpin, Calliſſienſis, Plocenſis, Vitebſcenſis Palatini. Poſnanienſis, Samogitiæ, Czerſcenſis, Gneſnenſis, Voynicenſis, Camenecenſis Caſtellani. Epiſcopus Cracovienſis Małachovius pedibus infirmus in cathedra ſedebat. Epiſcopum Poſnanienſem Stanislaum Witwicki morbus in hoſpitio tenebat Palatinus Lencicienſis Raphaël Leſczynſki Regale pomum, Caſtellanus Vilnenſis Ioſephus Słuſzka Regalem virgam, Palatinus Cracovienſiis Felix Potocki Diadema, portaverunt. Procancellarius Regni Carolus Tarło Mareſchalci munere fungebatur, ſcipionemque ante Regem præferebat. Qui totus erat ferro armatus paludamentumque cærulei coloris ex humeris e-

A.C.1697 jus defluebat altari majori appropinquans, expectante jam Episcopo Vladislaviensi Pontificaliter ornato procidit in genua & post in terram prostratus, litaniæ dictæ, unctus postea pro more & præscripto in Pontificali, indutus habitu Diaconali & post redeunti ex capella assistentibus à dextris & sinistris duobus Episcopis in sandalijs & cappa pretiosa porrexit gladium Episcopus Vladislaviensis, quem aliquoties vibravit, corona imposita, sceptrum redditum, & interea vivat Rex acclamatum, & reboantibus tormentis majoribus in solium Regale ductus sub Baldachino pretiosissimo. *Te Deum laudamus* cantatum, & Episcopus Premisliensis, ac Ensifer Regni Varszicius, deliquium passi, tardè enim hæc ceremonia absolvebatur, ex Ecclesia fuerunt transportati, numnismata argentea projecta, cum inscriptione nominis Regis, eo addito: Reget, & defendet. Accessit pòst suo tempore ad communionem, & ablutio ei impertita. Concionem habere debuit Suffraganeus Cracoviensis Stanislaus Szembek, sed quia tempus extractum erat, abstinere debuit. Instructum pòst magnificum convivium, assidebant Regiæ mensæ, Episcopus Princeps Passaviensis Cæsareus Legatus, Episcopus Iavrinensis Saxoniæ Princeps, & Baro Oberbek legatus Brandeburgicus. Hâc die vacantem Pocillaturam Regni reddidit Rex Stanislao Leszczynski Odolanoviensi Gubernatori, quod officium statim exercuit, qui non tantùm spem sui faciebat in flore, sed etiam autumni ubertatem exhibebat, exempla Patris accipiendo, ut præcepta. Credens ignavi hæredis esse accepto à majoribus honore conquiescere, ut de suo adijciat nihil.

Pocillatura confertur Stanislao Leszczynski

Regi mensæ assidenti allatæ sunt literæ, à residente ejus Hagâ, in quibus nuntiabat exijsse Parisijs versùs Poloniam Principem de Conti, additumque quòd ei Primas propria manu scriptum diploma electionis miserit, Turbaverat aliquomodo notitia hæc hilaria.

In crastino pro consuetudine usitatoq; more fuit Rex in theatro in foro ædificato, totoq; panno rubro cooperto paratum erat Baldachinum cum sede, dispositis per ordinem in omnibus plateis, quà transibat Rex, peditibus. Non describo pompam illam quæ fuit satis ingens, cum & Polona & Saxonica militia, pulchrè admodum Regi se suo præsentaverit. Rex vestitu Hungarico pileum Polonicum portans descendit in domum prætoriam, indeq; coronatus in cappa exivit præcedentibus consulibus & Magistratu Cracoviensi, claves portantibus, à quibus homagium acceptum, prævia oratione. Octo tunc facti sunt equites, vibrabat pòst Rex in quatuor mundi plagas ensem, pecunia projiciebatur, & dein descendit Rex in prætorium, ubi vestibus Regalibus exutus, in curru ad Palatium redijt.

Die 17 in Ecclesia Cathedrali fuit votiva de Spiritu Sancto, concionem dixit Joannes Kurdwanovius Canonicus Cracoviensis in præsentia Regis, Senatûs, & Equestris ordinis, qui reducto in Palatium Rege congregati sunt in conclavi Nuntiorum, ubi Poninscius Wschovensis Capitaneus ex alternata Majoris Poloniæ incepit actum Comitiorum, utq; ad nominationem novi Mareschalci ex M. D. L. accederetur suasit. Sed contrarius fuit Lukomscius Judex Witebscensis, requirendo ut ante nominationem Mareschalci verificarentur priùs omnes instructiones Nuntiorum, videreturq; exactè, utrum ad hunc actum, an ad alium Varsaviensem fuerint destinati. Primis activitas permitti debet, alijs negari, cùm sint partiales, & quis scit, an non ad impediendum præsens consilium sint destinati, sed & Makowieccius, & alij justa quidem illatione hac inventa, non nisi post electionem novi Mareschalci, id fieri ex more debere affirmabant. Urgebant proinde, præcipuè Majoris Poloniæ

Initium comitiorum

niæ Nuntij accelerationem electionis Mareſchalci, non tantùm propter imminentia pericula, ſed etiam propter ſecuritatem, & tranquillitatem publicam. Illata pòſt propoſitio de juramento, pro majori confidentia, ſuper fidelitatem novo Regi à quibuſdam urgebatur, ab aliis tanquam res nova, & libertati ſtatus equeſtris præjudicioſiſſimā rejiciebatur, quandoquidem hic ab ævo, ita fuit regibus ſuis fidelis, ut in ſinu cujuſvis nobilis ſecurè Rex quieſcere poſſet. Locutus deinde Stanislaus Rzewuſcius Chelmenſis Capitaneus in vim propoſitionis modeſtiſſimè inferendo, quòd præcipitare ſciſſæ Reipub: ſtatum, minimè conveniat, imò deliberandum ſanè credidit, utrum Comitia præſentia incipienda & finienda ſint, cùm præcipuè contraria pars facilitatem acceſsûs ad nos monſtret, ſinè quo executio ſancitorum noſtrorum certa nullo modo eſſe poteſt, validiſſimis rationibus ſubſequentia præſentium Comitiorum deducebat pericula, eo addito, conflictamur variis morbis, tandemq; interibimus. Si quid in nobis Poloni ſangvinis, ſi quid avitæ virtutis eſt, incumbamus ad eam gloriam, quæ noſtri generis eſt ac nominis propria, ex alienarum gentium manibus extorquenda, ut inter nos tanquam fratres agamus, Sed alij minus pro libertate zeloſi, murmurare cœperunt, & mitiora reprobârunt conſilia. Fuerunt aliquæ inter Litvanos controverſiæ, unus enim alij partialitatem pro Principe de Conti objiciebat. Interim Princeps Ianuſius Visniowiecki præmeditato ſermone in favorē coæquationis Litvanicæ multa dixit, idque captando benevolentiam eorundem, cum libenter directionē comitiorū habere voluiſſet. Interim Referendarius Regni Szczuka, quem non modò ætas, & uſus maximarum rerum erudivit, verùm etiam prudentia quædam naturalis, quæ planè vincit omnem artem, nunquam à conſtantia diſcedere patitur, intulit quòd ridiculus eſſet balneator, ſi quos lavandi causâ in balnea ingreſſos videt, ab ijs multis precibus petat, ut ſe lavent, ita ridiculus quiſque noſtrûm eſſet, ſi quod facturi huc conveniſtis, id ut faciatis, vos roget, ideoque neque translationem Varſaviam (quod alij ſuadebant) neque limitationē comitiorū permittebat, ſed intra duas ſeptimanas conſilia hæc finienda ſcriptâ ſolū modo denuntiatione Regis coronati, confirmatione jurium, & pactorū conventorum, omnibus alijs materijs in aliud tempus rejectis, obligato prius Rege, ut comitia pacificationis, & exorbitantiarū indicat, legatos ad contrariam partem mittat, ut ad nos accedant, hoſti deſpecto ſi deſunt vires, non deſunt artes, pro finali accelerandam nominationem Mareſchalci urgebat.

Decima 8tava Succamerarius Livenſis Ciecisżovius directè hunc actū impugnabat, neſciréque ſe declarabat activè ne, an paſſivè comitia hæc ſinè aljis fratribus incipi deberent, ſinè quibus nulla conſilia fieri debent, petendum ergo Regem intulit, ut pro comitiolis expedirentur literæ univerſales.

Audita eſt vox etiam Komorovij Culinæ Præfecti M. D. Lit. requirentis, ut juramenta Regis, & pacta conventa imprimerentur, incuſabátque quosdam qui ſuis inſuſurrationibus bonū aliàs Principē deſtruerent. Ubi ſint pacta conventa, quæſivit, numquid apud nos hic regnū tenebrarū eſt? & multa alia neceſſaria intulit. Wielourſcius Volinienſis Caſtellanides in favorem coæquationis Litvanicæ, quæ jam inceperat prælocutus, non eam rem nunc cogitari, ut auribus ſerviendum ſit, dicenda quæ urgent, quæ tempus, quæ rei magnitudo poſtulat, ac proinde principium Comitiorum diſſuadebat, quandoquidem conſtitutiones valorem non ſint habituræ in ſciſſa Repub: facta. *2do* quia pars adverſa exacerbabitur, *3tiò*

A.C. 1697 quia sunt fratres nostri, quamvis dissentiant, sine illis nec Comitia perficere, nec leges statuere ullatenus possumus. Suasit unionem, ad quam stabiliendam etiam aliqua media proposuit. Wolovicius Vexillifer Mscislaviensis confirmationem jurium coæquationis Litvaniæ legendam proposuit, sed & huic materiæ contradictio fuit. Petebant alij, ut Rex distributionem honorum ad generalem omnium unionem differret. Urgebant alij, ut Mareschalcus surrogatus instrumenta pactorum conventorum & juramentorum reciperet. Si sunt bona, cur illorum nos pudere debet? Obstitit lectioni eorum Referendarius Regni non tantum super æquales semper existentes, sed etiam omnem assequendi sui spem auferens, legemq; novissimam allegavit, ante omne Mareschalcum eligi debere, addiditq; cur puncta conventa legenda, si de correctione eorum, in quantum id necesse fuerit, non nisi sub novo regimine loqui poterimus? alij dicebant, non ideo violari legē, quòd pro informatione legantur pacta conventa, cùm præcipuè sub Polono Mareschalco conscripta fuerint, & nunc novus Mareschalcus eligi ex Litvania debeat, quæ ratio mihi non satis videtur fortis.

Pacta conventa requiruntur à Palatino Plocensi

Die 20 misit Rex Senatores ad conclave Nuntiorum, suadendo unitatem & Mareschalci electionem, inter quos cùm Palatinus Plocensis destinatus, illudque jam revelatū fuisset, pacta conventa ex ejus causa præsentari non potuisse, hoc in sui defensionem attulit, quòd præstitisset ignorasse Nuntios, cùm sic pateat, quòd occultum volebat, attulit inquam, illa pacta ad castrū Varsaviense reddita, quæ ubi arx in possessionē venit Rokotzianorū, repetere haud licuit. Exigebant nonnulli à Palatino assecurationem, quòd illa suo tempore intacta producturus sit, sed hic se excusabat cùm in aliena potestate arx Varsaviensis usque nunc maneat. Excitavit eò magis desiderium multorum habendi ea pacta, quò major recuperandorū fuerat difficultas, quorum levitas instructa dicendi facultate & copia, incredibile est quantas nebulas excitaverit turbarum. Præsentata sunt juramenta Regis sed non lecta. Tandem infirmo Poninscio Lipscius Dapifer Posnaniensis Directoris supplebat vices, qui electionē Mareschalci urgebat, sed alij iterum pactorum conventorū materiā excitârunt, ut omnino ante electionem Mareschalci Palatinus Plocensis originalia eorū procuraret, deducebatur impossibilitas habendorū, sed Iaranovius ex Cujaviensi Palatinatu Nuntius scire se pro certo asseveravit, & vidisse in manibus Voliniæ Palatini, Posnaniensis & Culmensis Castellanorum. Idem affirmavit Nuntius ex Belsensi Palatinatu, qui destinatus erat ad danda per oblatam in castro Varsaviensi hæc pacta.

Aliquot dies disputationi huic insumpti, cum alij non contenti nupernâ Palatini Plocensis de pactorum conventorum originali, certè & verè in castro Varsaviensi derelicto, omnino præsentationē eorū ita urgebant, ut satiùs finem comitijs imponendum crederent, quàm sine lectione eorundē ea finiri. Comitia esse temporanea, pacta conventa æterna declamando. Volebant nonnulli, ut Prependovi⁹ Castellan⁹ Culmensis cū ex relatione aliquorum constaret originale illud in manib⁹ ejus hærere, ipseq; id firmiter negaret, assertionem suam juramento in medio conclavis Nuntiorū comprobaret; si id renueret, ut mandatum ex cancellaria illi extraderetur, utq; quàm rigorosissimè judicaretur, nec profuit, quòd neo-coronat⁹ iterùm Senatores Trocensē, Voinicensē, & Inovroclaviensem Castellanos ad conclave Senatorum miserit, non tantùm ad conspectum suum more solito Nuntios invitando, sed etiam timorem omnem circa pactorū requisitionem amovendo, promittendoq;, quòd si id universis placuerit copiam pa-

ctorum

ctorum iterum subscribere non detrectet. Quo majori studio originale pa- *A.C.* 1697
ctorum denegabatur, eò ardentiori zelo ut omnino præsentaretur multi urgebant, incusando quòd jam contra illa multa fierent in distributione præcipuè vacantium, quando contra expressum punctum tot starostiæ in unam domum conferantur. Suspicionem tam pertinax denegatio faciebat, zelumque eò ferventiorem in plurimis ità accendebat, ut parum abesset, quin illa comitia sinè ullo effectu finirentur, jam enim multi ut valediceret Mareschalcus inclamabant, nisi tandem aliquando illâ declaratione fuissent contenti, scilicet copiam à Rege subscribendam eo addito, quòd concordet cum originali, quam immediatè post electionem novi Mareschalci vera protunc incipiente activitate lecturi sunt, & si quid corrigendum esset, omnino Regi, ut corrigatur repræsentandum. Acceleravit deinde electionem Mareschalci, quæ propter hanc concurrentiam sub alio prætextu erat dilata, generosissima Principis Janusij Wisniovieccij declaratio, quòd satiùs lucrari amores, quàm exercere odia velit, nempe libenter concurrentiam suam bono publico sacrificando, néve sibi ulla darentur suffragia, enixè petendo. Sapientis est, cum maximè possit nocere, nolle, & eò magis exemplum hoc laudandum, quò rarius hoc ævo, cum pauci sint, qui privata publicis postponant, & qui credant nihil in vita expetendum aut magni faciendum, nisi quod sit cum laude & amore Patriæ conjunctum. Vix proinde (tollitur electionis mora cum optimus objicitur) à primo Palatinatu Zawisza Minscensis Capitaneus nominari cœpit, statim reluctantis modestia auxit dignitatis opinionem, & conspirante omnium voto tanquam lectissimus elevatus est, & per verbum placet, omnia in unum collimârunt suffragia, & à substituto Mareschalcó qui equestris ordinis in eligendo sapientiam, ipsius in regendo futuram felicitatem, laudabat & ominabatur, cum competenti & digna panegyri regimen gratulabatur equestris ordinis, quod cum solito scipione redditum est. Electus postea expleto juramento facundo sermone equestri ordini pro collato officio gratias egit, & statim cum denunciatione suæ electionis pro consvetudine ad Regem tres Deputatos misit, qui quia in cubiculo & non in senatu ad osculum manûs admissi erant, rumor & strepitus sed injustus fuit, & statim a senioribus nuntijs dilutus, quod scilicet similes audientiæ nunquam in senatu dari soleant, ita illi quorum verborum neglectum rerum ignorantia consecuta est, confusi manserunt.

Zawisza eligitur Mareschalcus.

Notabis primò multos Palatinatus & Districtus absuisse, nec legatos suos ad hæc Comitia misisse, in eoque à præsentibus coargutos, quòd publicum bonum magis curare voluerint, quàm curaverint.

Notabis secundò pacta conventa absolutè subtracta esse, nec quisquam credit ita olim visura lucem ut erant conscripta, & si hæc in viridi, quid fiet in arido? si hæc in atrio, quid fiet in Palatio? sunt alia multa quæ scio, alij suspicantur, ita effractis pudoris & legibus debitæ reverentiæ claustris omni licentiæ patet aditus, nec quispiam inducitur, sed irrumpit. Plura dicere in re tam nota supervacaneum est, & temporis angustiæ prohibent, multa properanti prætermittenda sunt, quæ vel singula satis amplam ad scribendum materiam suppeditare possent; de his tamen satis, aut etiam plus quàm satis.

EIDEM

A.C.1697

LXXVIII.

EIDEM AMICO CONFIDENTI,

12. Octobris.

Acta in Comitijs post coronationem referuntur.

SI quid possum, non pete, sed jube, si quid non possum, tormento mihi non esto, cui hoc satis tormenti, quòd tu tamdiu in tormento. Hic nos casus tenet. Delego hoc superis, & illos voto convenio, ut pro me solvant, & sic mea hoc in passu impotentia, satis aqud te excusata esto.

Nuntii ex Platinatu Volinia.

Credo in præteritis omisisse me unum essentiale punctum, Nuntios Palatinatus Voliniensis cum protestatione exivisse, quam tamen revocarunt, inferentes, se à Palatinatu suo cum ea ad hæc Comitia missos esse conditione, ut coram tota, & non coram dismembrata Repub: comparerent, & propterea indifferenter se habuisse in electione Mareschalci, petierunt proinde, ut media arriperentur ad pacificandam Rempub: ante principium Comitiorum, secùs stante scissione non responsuros se pro Palatinatu suo, ut consensum præbeat ijs, quæ instante dismembratione concludentur.

Comparens 25. Septembris Mareschalcus cum equestri ordine in Senatu invenit sedentem Regem in throno assidentibus Senatoribus, post habitum eloquentem sermonem ad osculum dextræ Regiæ accesserunt, prælegit quemvis Palatinatum Mareschalcus equestris ordinis. Deerant Legati ex Districtu Osmianiensi, terra Vielunensi, Palatinatu Lenciciensi, Districtu Dobrinensi, Palatinatu Russiæ, Terrarum scilicet Leopoliensis, Premisliensis, & Haliciensis, Palatinatu Plocensi, ex Palatinatu autem Masoviæ, terrarum Wysogrodiensis, Ciechanoviensis & Nurensis, ex Palatinatu Podlachiæ, terrarum Droicensis, Mielnicensis & Bilscensis, ex Palatinatu Ravensi terrarum Ravensis, Sochaceviensis & Gostinensis, ex Palatinatu Culmensi, Margemburgi, & Pomeraniæ. Accedebant pòst ad idem osculum Legati ex civitatibus, Cracovia, Vilna, Leopoli, Posnania, Varsavia; nominaverat & Lublinum Mareschalcus, sed hæc civitas non comparuit.

In originale pactorum conventorum inquiritur.

26. Ad initium sessionis Mareschalcus novus relationem fecit de conferentia cum Prependovio, requirente ab eo originale pactorum conventorum, quod non tantùm non habere se verbo affirmavit, sed etiam digitis decussatim positis, juravit: Sic me DEUS adjuvet, quòd originale non habeam, sed in castro Varsaviensi reliquerim, sperans adversam partem juxta promissa nobis accessuram, paratusq; sum id ipsum juramentum in facie totius Reipub: sine restrictione mentis, nullum veritati fucum facturus explere. Non totus planè consessus ille hâc declaratione erat contentus, cum multis constaret à dictis facta ejus tam longè abesse, ac cælum à terra, sed omnino aut exhibitionem originalis, aut novorum, per Deputatos immediatam & celerrimam conscriptionem urgebant, cum hæc Comitia aliter finiri nequeant, mittendos ad Regem in hac causa delegatos, ut obtrectatoribus eripiatur omnis ansa convicij. Multa interim improperia contra Prependovium jacta, ita ut abalienationem ejus ab aula multi ferventissimè proposuerint, ad extremum formare contra eum processum volebant, nullamq; aliam consulendi materiam permittebant.

Voso-

Volovicius interim accepta voce zelosè satis contra Generalem exercitûs M. D. L. locutus est, quòd nulla in domibus eorum sit securitas, in quo puncto subveniri sibi à Republ: petiit, cum exoticus miles propria authoritate Ducis inductus in illos sæviat. Lex sexcentos tantùm & quadraginta Raitaros, habere jussit, & nunc plùs quàm quatuor millia numerantur, Tartarorum nisi centum octoginta esse debent, & nunc ultra octingentos videmus. Quomodo oppressio talis toleranda? nonne id principium eversionis statûs denotat? omnis dignitas, officia, honores in domum Sapiehanam translata, ita ut nihil nobis relictum sit. Non nos amovere velit Rex. Patiemur facile officiorum Polonicorum distributionem differri, sed urgemus hic & nunc juxta pacta conventa dispositionem Litvanorum, evitando ne in unam domum transferantur. Novam pactorum conscriptionem non credidit esse necessariam, sed in extracto corrigendam, quod videbatur etiam Referendarius Regni sentire. In eum ergo sæpe laudatus & laudandus Referendarius dixit sensum. Multum juvat in omnibus rebus, ut quis opportuno utatur tempore, magna sunt temporis momenta in rebus publicis, & multum interest, Si citiùs elegissemus Mareschalcũ, jam & pactorum conventorum materia sopita fuissent, ad quam resolvendam utimur his circumstantijs quis, quid, cur, quomodo, quando, & inprimis si quærimus quis, jam constat, Prependovium habuisse pacta, sed tam fortiter cum juramento & execrationibus asserit, illa à se in castro relicta Varsaviensi, credendum ergo ibi eadem reperiri, nec culpam in eo esse aliquam putemus, quæ nulla est. Quæ breviter sed nervosè dicta sufficiebant ad abstergendam ab illo maculam, benignè enim de eo judicabat, nec sine suffragio aliquo affectûs, ut ex sermone patebat, quod in rem, & famam ejus amicè fecisset. Si quærimus quid? non aliud certò respondetur, quàm originale pactorum, quod non perijt, sed in actis absconditum est, evitando periculum ab adversa parte. Quando id faciemus & corrigemus? cum ad manus non sint, alij vellent supplicare Mti, ut reddatur originale, alij ut nova pacta conscribantur. Ego verò optarem, ut extractum legat hic clarè Mareschalcus, & nos patienter audiamus, tacitoq; defectus si qui fuerint connotabimus, & cum scrupulis ad S. R. M. mittemus, hoc deest, in hoc error &c. Subscribet certè Sua Majestas totum illud quod proponetur, firmabimus id per constitutionem, quod in proximis exorbitantiarum seu pacificationis Comitijs Varsaviæ cum originali confrontabimus. Et eo modo impellemus ad extrema partem contrariam, sed spem imò spei fiduciam eidem relinquemus, quòd & ipsa in statuendis pactis conventis partem sit habitura, si ad nos accesserit. Et propterea non malè id cedit, quod casus tulit & in sapientiam, quod desit originale pactorum, quia non expedit, de illis concludere, & in illos legem formare sine illis. Dicet aliquis pacta conventa legi debere in Senatu, & in præsentia trium ordinum, ego autem dico; id inprimis ad equestrem ordinem pertinere, ut examinet quodlibet punctum, nec illud abs re judico, ut Regi supplicemus, quatenus dignetur Majestas sua illa pacta servare, super quibus tam solenniter juramentum explevit, & corrigat, in quo deviatum. Quantum autem pertinet ad Castellanum Culmensem? quantumvis & ego non deberem, ut jam id sentio, in executione officij mei ab illo impediri, magnum munus, magna invidia. Ingessit se ille in plura quàm expediebat negotia. Temperandum tamen tantisper justo dolori crederem, qui adhuc utilis potest esse, si nullum à facie Principis tristem abire permiserit. Intulit dubium Nuntius ex

A. C. 1697

Volovicij querela contra Sapiehas.

Iteratò in pacta conventa inquiritur.

A.C.1697 ex Palatinatu Cracoviensi, & si futura comitia rumpentur, nunquam originale pactorum nos habituros, & in æternum illudendum nobis. Ac proinde nulla esse media admittenda, sed omnino originale toties repetitum omnino restituendum, subjunxit Instigator Litvaniæ dictum sibi esse non tantùm àb officialibus castri Varsaviensis, Castellanum Culmensem Prependovium accepisse pacta, sed ea in multis punctis fuisse correcta, adcitandum ergo Palatinum Pomeraniæ Gninski, ex eo quòd ille ad conscribenda cum aliis destinatus fuerit, Castellanum Culmensem & Wirozomium. Petendum etiam Regem, ne uni vel duobus omnia consilia sua communicet, sensumq; tantùm particularem eorum expiscetur, sed ut omnes ad ea pertineant, quæ omnes tangunt. *3tio* ut nobis Rex extradere faciat computum & regestrum, cui & quantum datum, habemus enim expressum in instructionibus nostris punctum, ut scilicet informetur Respubl: an non inter promissa & data aliquid legibus & pactis conventis contrarium inveniatur. Illatum etiam est contra Stadniccium, quòd scilicet non tantùm nullam possessionem in Palatinatu Volyniensi habeat, sed quòd etiam illis planè ignotus sit; contra quod Nuntij Palatinatûs ejus protestati, nec eum unquam ad possessionem admissuros se declararunt.

Hâc eadem die Stanislaus Krasinscius Palatinides Plocensis summè læsus erat à militibus in porta Cracoviensis arcis, pro custodia stantibus, & magnum id movit strepitum, sed tamen authoritate Regis sopitum fuit.

Per aliquot dies nihil agitabatur, nisi de habendo omnino pactorum conventorum originali. Et cum Referendarius Regni intulisset, ut ad partem adversam literæ scriberentur, quatenus ad unionem venirent, & cùm alij per Regem scribendum esse putarent, ille replicuit, quòd sit periculosum authoritatem Regiam exponere, cum illa pars Regem non agnoscens nostrum, & literas Mtis suæ recipere recusabit, satius ergo scribendas à senatu credidit, quas & recipere & super illis se reflectere debebunt.

Tandem ipso tempore urgente, cùm nihil decisum fuerit, nisi ut per omnia Reipub: negotia ad comitia pacificationis differrentur, coæquationis tamen materia omnino intrare debuit. Mareschalcus captato opportuno tempore conclavi Nuntiorum valedixit brevibus verbis; amici fratres, amica pectora, amica corda valete. Cum in senatum venissent præsentavit Mareschalcus consessum Nuntiorum Regi & primo ordini, jungebat cum intermedio, conscriptis Patribus consiliorum viris, vovebat, ut coeant tres ordines contra tres Erebi furias. Requisivit pòst distributionem vacantiarum, quæ per Cancellarium Regni pro more in crastinum dilata, inferentem, quòd Rex panes distribuere non fulmina soleat, curabitque ne quisquam tristis à facie ejus abeat.

Ultimus jam dies 1ma Octobris erat, quo comitia finiri (in spatio duarum septimanarum erant destinata) debebant, tardius Rex ad senatum venit, tardiùs finita de distributione vacantiarum sessione particulari. Instante postea Mareschalco, tandem aliqua sunt declarata. Palatinatus Inovroclaviensis Francisco Galeccio, Posnaniensis Melchiori Gurowski Castellano Gnesnensi, Palatinatus Volyniensis Stadniccio, Palatinat9 Trocensis Sapiehæ Castellano Trocensi, Castellania Trocensis Kryspino, Venatoriatus Litvaniæ Dönhoff Capitaneo Kosierzynensi, qui aliquam difficultatem habuit, cum Frąckievicio Vexillifero aulæ Litvaniæ.

Distributio vacantiarum.

Post distributas vacantias promovit Referendari9 Regni, quotidie dicendũ aliquid boni ratus, & quidem audientibus omnibus, ut insistendo antiquis moribus recipiat Rex & à Senatu, & ab Officialibus juramentum fidelitatis, contra rebelles (aliorum consilium in eo contrarium neq; reprehenden-

Referendarij regni sententia.

hendendo, neque tamen omnia in eo posita censendo) contra rebelles non *A. C.* 1697
esse in primordijs sæviendum, sed pacatis medijs ad agnoscendum Regem inducendos. Et pòst in comitijs pacificationis seriò animadvertendum, si non resipuerint. Comitia hæc potiùs terminanda juramento fidelitatis, candido pectore erga Majestatẽ sine ullo interesse tanquã juratus consulebat Regi, petijtque ut benè, seriò & exactè consideraret pacta, his verbis alloquendo Regem, cum in quorum genere magnus omnino sit, in simili energia maximus. Quæras ô Rex pro tua particulari informatione, quæ pacta ad executionem non sunt reducta? quæras ô Rex utrum duo vel decem vacantiæ aliquibus contra pacta non sunt collata? quæras ô Rex utrũ terrigenæ & bene meriti dignitatibus à te datis potiuntur? quæras ô Rex, si per promotionem Cancellariæ Regni promotiones fiunt? recognoscat Cãcellarius & Vicecancellari⁹, an regestrũ benemeritorũ licuit ipsis Majestati Vestræ præsentare, & si cum notitia eorum illis datæ sunt dignitates, qui à throno lecti, vel si tantùm per reverentiam Majestatis legit, & aliquis alius in alienam messem immissa falce ea peregit, unde invidia, Majestati scandalum, aut desperatio adversæ parti. Fiat sanè, ut juramentis ligemur, etiamsi ferro hæc unio ligetur, frustra erit quando nascentur malè contenti, qui transeundo ad aliam partem referent, hîc omnia contra pacta fieri. Venena contra nos propinabunt, & parabunt. Non sine fundamẽto optavi, ut distributio hæc vacantiarũ differretur, habuissem⁹ enim media, quib⁹ allici possent, & nunc ad desperata, timeo, ne descendant. Consulebant deniq; ut nulla admissa materia post lectam constitutionem de recessu comitia finirentur, quod & tota Respub: vovere visa. Post lectos proinde residentes pro more brevib⁹ valedixit Mareschalcus. Omnia fausta & prospera precatus Regi, ut imperium à Deo collatũ perficere feliciter possit votis omnib⁹ petijt, ut publico Regni bono non minùs Rex vivat, quàm se Regno dignum vivere omnes verè & incorruptè confiteantur. Amem⁹ inter nos ô Rex eò constantiùs, ut urantur ac ringantur illi, qui te totum Regẽ, nos bonos subditos esse nollent. Orationi Mareschalci respondit Procancellarius Regni. Ad osculum Regis admissus est equester ordo, ac tandem coronidem comitiorũ imposuerunt. Quid ad hæc? fortè dices viam, quæ ad bonum finem ferret, ingressos, longè processisse, sed longè tamen ab eo, quo intendebant substitisse.

COPIA UNIVERSALIS
NEO-ELECTI.

AUGUSTUS II. DEI GRATIA ELECTUS REX POLONIArum, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Wolhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensci, Severiæ, Czierniechoviæq;. Hæreditarius Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Angriæ, & Wesphaliæ, S. R. I Archi Mareschalcus, & Elector, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, nec non Superioris & Inferioris Lusatiæ Burgrabius, Magdeburgensis Comes, Princeps Hennebergensis, Comes Marchiæ, Ravensbergæ, & Bartij, Dominus in Ravenstein.

OMnibus & singulis quorum interest hoc universali nostro denuntiamus. Quandoquidem ad hæc usq; tempora oblitus Patriæ suæ conceptus rancor, non tantùm adhibitis omnibus re-

A.C.1697 mediis, quæ vel in amore tranquillitatis publicæ, vel clementia & liberalitate nostra reperiebantur, componi, & pacari non poterat, imò plus adhuc ausus, cum omnes actus liberæ electionis nostræ infringere & pessundare præsumat, persequendo, & famam nostram non tantùm contumeliosis scriptis (quamvis hæc contemptu magis quàm responso digna judicavimus) & insuper extremis mediis, quando in congressu Varsaviensi præsumptuoso ausu Illustrissimi Primatis, ad cruenta tantùm & libertati infesta instituta, capita seditionis sibi elegit, quæ hunc furorem classicum, exosum & execrabile nomen confœderationis, promoverent, & eandem roborarent in perniciem & ruinam Reipub: ut nos in honore, fortuna, & fama, unà cum illis deprimerent, qui nos sic volente DEo liberis suis vocibus in Regem elegerunt. Cùm igitur, talis exsurgat sævities, ut omnibus pacificationis modis totaliter repudiatis, jam etiam in honorem nostrum involet, & nos ac omnes nobis adhærentes, pro hostibus declaret, protestamur coram DEo & omnibus ordinibus Regni, & M. D. L. & deniq; coram toto mundo, cui sinister rumor sæpe falsa loquitur, ut omnes sciant, videant & judicent, jurène an injuriâ petimur? I. Nihil aliud ad hanc nos incitavit concurrentiam, quàm æstimatio Generosi & Heroici Regni, ac succurrendi cupido, ut eam ab hoc hoste defenderemus, cum quo si nobis dulce fuit, etiam pro alieno Dominio decertare, multò magis pro proprio ac pro eo, quod non sors nobis obtulit, sed merè favor & affectus civium, non tamen quæsivimus longis & illicitis studiis, variis fallaciis, occultis machinationibus, dolosis artibus, criminationibus, candidaturam Regni hujus, sed gloriosis conatibus, manifestando nos tempestivè Illustrissimo Primati, & habitis ab eodem magnis illiciis, sicut hujus authentica habemus documenta. In solo tantùm Deo, nostram spem reponentes, omnia gratiæ, & liberis suffragiis ordinum Regni, & M. D. L. commisimus. Cùm igitur faventiore cœlo omnes ferè Palatinatus, concordibus votis nobis sint suffragati, & in campo electorali Illustrissimum Episcopum Cujaviensem stimulàrint, ut nos practicato olim exemplo ex voto publico electum nominaret, unde non cum detrimento libertatis, non cum oppressione, aut injuria alicujus, hoc pignus amoris & gratiæ ordinum Reipublicæ admittere licuit. Quòd autem Primas, contra tot protestationes, calcatis legibus, contempto Senatu, postposita authoritate tot Palatinatuum, alium nominaverit, sibi potiùs & non nobis, irasci debet, quòd contra firmatam juramento declarationem suam, non nisi concordibus votis electum nominandi, contra obligationem suam, ad custodiam legum positus, primum vulnus ipsemet libertati inflixerit: obstitit ipsi Mareschalcus equestris ordinis, ne juri & consuetudini obsisteret, sed huic aures non præbuit, & eques, in tanto numero contradicentium, electum suum nominavit. Electioni autem nostræ, non tantùm nullus contradixit, sed omnes velut legitimam agnoverunt, & prius cir-

ca

ca occasū solis, quæ omnes solennitates, secundùm jura continet, cum A.C.1697
nihil contrarium obtingeret, effectum suum sortita est, statim ibidem *Te Deum laudamus* cantando, actæ sunt DEo gratiæ. Præterea, etiam die sequenti omnes Palatinatus in campum egressi, ne viderentur esse, vel pœnitentes effectûs, vel præcipites, sed quod DEus semel nobis prædestinavit, hic nullum se immiscuit impedimentum, imò coram Illustrissimo nostro Plenipotente, emicuit plausus exultantis populi, quia quodcunq; per bombardarum strepitus, & tubarum clangorem in signum suæ lætitiæ exhibere potuerunt, totū hoc honori nostro sacrarunt. Et licet experti sumus talem affectum, & habuerimus tam numerosa agmina civium, attamen plenipotentibus & amicis nostris, visum est in omnes inquirere modos, quomodo renitentes in nostras trahere partes, & civibus jungere cives possent, fuerunt larga & generosa promissa, fuerunt varij à nobis declarati respectus, sed hoc nihil juvit, apparet enim quòd invadiata fides, quâvis meliora probabat, deteriora sequi sit coacta, fuerunt variæ sessiones, fervidæ persuasiones, fuit per jura amoris in patriam obtestatio, sed hæc nihil efficere valuerunt, & hinc ventum ad pacta conventa, inde ad expeditionem Legatorum, qui nobis ex sensu & voluntate Reip: in Tarnaviensibus montibus hanc notitiam attulerant, & à nobis juramentum supra pacta conventa, & professionem fidei Romanæ Catholicæ in tēplo Pickarnensi in ipsis confinijs susceperunt, antequam nobis instrumentum gratiæ & affectus publici omnium ordinum & M D. L. porrigerent: Hic etiam nobis locum subsistentiæ Lobsoviæ designarunt, & illuc deduxerunt, ubi tempore non pauco commorati, sed cum propter desolationem notabilem ibi subsistere esset impossibile, transtulimus nos ad arcem, non tamen præsumptuoso ausu, sed præcedente consilio, & dum nullum jus in contrarium exhiberi potuit, quia certè injuriâ legis facere noluissemus, habendo hoc, pro vinculo primo servare fidem legibus. Docuerunt nos præterea sub Stephano Rege practicata exempla, quòd ille non ordinariâ viâ ingressus sit arcem, & tamen nec hoc illi, nec huic, qui intromisit, criminosum fuit. Si etiam aliquos milites nobiscum adduximus, id factum partim ob dignitatem Regiam, partim ob securitatem publicam, partim ex pactis conventis, siquidem 6000 hominū, in prosecutionem belli, alere sumptu nostro obligamur, quos certè non alia ratione fovemus, idq; ex ærario proprio, & non oppressione hominū sustinemus. Contra quod nullus conqueri & expostulare potest, nisi hi tantùm, qui in nos per insimulationes, & invidiam hominum odia concitant. Nos autem non irâ, non odio, sed amore nitimur; omnibus connitendo viribus, ut totam Rempub: placare possimus. Prætenderunt mediationem Serenissimi Electoris Brandeburgici cum tali declaratione, huic se velle acquiescere, dummodo honor eorum hoc modo conservaretur, cui non tantùm consensum præbuimus, sed etiam plenipotentiam nostram dedimus, ut in virtute il-

A. C. 1698 lius, eò securius se quivis fundaret, quanquam & hæc statim rejecta, & magis nobis armis minati, antequam de illa quidquam diceretur. Postremò expostulavimus cum Illustrissimis Calissiensi & Plocensi Palatinis, Castellano Chelmensi, Mareschalco Regni Supremo, & Vice-Cancellario Regni, præbuimus cor nostrum patens, oblivionem offensæ nostræ, maximè vindictæ alicujus, & quæcunq; ad contentationem servire poterant, hoc solo fine, ut nos omnes tandem uno conjungeremur vinculo, amore & concordiâ, ut solas curas defensionis Reip. induere & exercere possemus, & præpararemus nos tempestivè in recuperationem avulsorum & repetendum Camenecum, sed cum DEus sinceris conatibus nostris non benedixerit, & reliquerit eos hucusq; in sensu reprobo, in tumore & fastu, dum se ad seditiosa convertunt consilia (sicut hæc jam sangvine conspersa Danowscij) quando in vulnera civium frameas suas parant & acuunt, volendo per cladem fraternam Principem de Conti Candidatum suum exponere, eligendo sibi Generalissimum Mareschalcum Confœderationis, & designato in hunc finem proventu Reipublicæ etiam nostro Regio, ut hoc subsidio suum consequantur intentum, ut sint soli Domini, & cæteri servi, utique etiam exercitum ipsum tali circumvenire, & in fœdus inducere voluerunt juramento, ut etiam cum discrimine libertatis sibi consentiret, sed hoc auctoritate & industria Illustrissimi Castellani Cracov: Supremi Exercituum Ducis, & amore ac præsentia M. D. Præfecti Venationis regni, tanquam Colonelli dissipatum, exhibuit hic in se forte, ac inexpugnabile pectus, & in nomen nostrum fidem suam obstrinxit, accipiendo à nobis ordinariam vigore pactorum mercedem suorū meritorum, proinde considerando mœstam faciem rerum, & atrocem scenam, in qua hæc succensa fax jam ferè inducitur, obligavimus nos ultrò Illust: Senatui & præsenti Equestri ordini, jurata fide Regia, quidquid thesauri à majoribus nostris collectum, quidquid omnis in universum fortuna nostra valet, quidquid virium & vigoris in nobis, etiam ad ultimam guttam sangvinis totum hoc in conservationem jurium, libertatis, & prærogativarum in recompensationem affectuum, & protectionem eorum civium, qui fideliter nobis assistunt, impendere promptissimè parati simus, ut famam, salutem & fortunam cujusvis, sicut nos ipsos conservemus. Inflammavit hæc cordialis protestatio nostra reciprocè corda adstantium, ut tam Spirituales, quàm Sæculares ordines, se invicem prævenirent, fidelitate & optimè nobis affecta voluntate, ut extingvibilem ardorem suum, non sola gratiarum actione, sed etiam juramento tanquam signaculo fidei, amoris, & gratitudinis erga nos testarentur, proinde antequam hæc classica tuba sæviora canet; denuntiamus Rdmis, Rndis, Illmis, Illustribus Dominis Officialibus, totiq; ordini equestri, tam in Regno, quàm in M. D. L. hanc infelicitatem Reipub: protestamur coram Deo, omnia nos fecisse, quæ ratio, vel facultas dictabat

bat, ut quocunq; modo hunc conceptum furorem sedare, vel contentare possimus. Adhuc non desistimus gratiâ, clementiâ, respectibus, & munificâ manu laborare, dummodo suavia lentaq; media reperiantur, & restituant universalem pacem, confidentiam, & amorem, hæc enim sunt prima, non tantùm Regum solatia, sed & regnorum firmamenta, & in nullo magis proficere volumus, quàm ut sint nobis mutua vincula amoris. Si autem obstinata corda, à concepto non desistent furore, nihil remittent de ferocia, non admittent saluberrimũ consilium, paternam spernent propensionem, in quo confidemus? confugiendum ad præsidium Electoris populi, ad expertam illam antiquorum Polonam virtutem, quæ sicut nos in throno hoc, per libera suffragia sua habere & collocare voluit, ita etiam in posterum heroica manu sua defendet, & tuebitur. Non quærimus aliunde subsidia, quia generosa pectora civium per se sufficient, & exprimient factis fortibus, quod sicut Dominum elêgêre, ita etiam tueri possunt, ut orbi & posteritati innotescat, quòd non omnia apud veteres meliora, & quòd sicut Stephanũ & Sigismundum vestri protexerunt antecessores, ita etiam propensionem & fidelitatem vestram insistendo illorum vestigiis magnitudinẽ animi & virtutem conservabitis in persona nostra famam vestam, & in illa libertatem vestram non permittetis labi &c. Cracov: 6. Sept. A.C. 1697

LXXIX.

AMICO CONFIDENTI 20 Octob.

De actis prope Gedanum cum Principe de Conti.

IAM lassi in via falsorum promissorum, eramus expectantes exoptatam horam, ut aliquod medium ipse Deus inspiraret, quo possemus salvis, Religione & libertate, cum aliqua specie saltem honoris ex hoc egredi labyrintho, in quem, solius boni publici & avitæ gloriæ nos induxerat respectus. Præcipitata coronatio inclinatu faciles avertit animos, contemni vel negligi videbamur. Et ecce tanquam ex condicto melior spes affulgere nobis cœpit, cum jam in via proximumq; Gedano Candidatum nostrum esse intelleximus, qui vitio nobis vertere non potuisset si ex impossibilitate ulterioris ei assistentiæ ad eas transivissemus partes, quas declinare haud poteramus. Melior est amicus unus propè, quàm decem longè.

Abieram ego Pultoviam ibique calamitatem Patriæ nostræ recogitans, DEum cum grege meo precabar, ut ipse auxilium ferret de excelso, cum 25. 7bris venit ad me Abbas Polignac legatus Galliæ, de appropinquante Principe Contio certum ferens Nuntium, divisum me gaudium & timor habebant. Solabatur me veniens, tanquam Angelus in succursum labenti Religioni & libertati, contristabat infallibilis civilis motus, & inde mille memoriæ occurrebant pericula, quæ non sine lacrymis Legato fusissimè explicui, voluique tam æquanimem ad redeundum habere, quàm ego alienus à turbis, quas prævidebam, constanter fui. Sed postquam sex horas rationum certamen durasset, tandem prævaluit incomparabilis ejus in persuadendo efficacia, timorem excussit, reluctantem in suas traxit partes, ut evidentibus crederem promissis, salutem nostram dependere ab acceptatione advenientis Candidati nostri. Longum foret, rationum certamen inter nos habitum tibi exarare, sufficiat dicere, quòd talem mihi fucum fecerit, ut intra aliquot dies itineri Gedanensi me accinxerim, acceptis per eundem legatum à Cardinali Primate ferventissimis literis, ut nomine publico Candidato nostro occur-

A.C. 1697 currerem, urgebar ad idem à Thoma Działinski Incisore Regni, qui jam venisse Principem de Conti Gedanum nuntiavit, habereque, & copias, & sufficientem pro sustinenda prætensione sua nervum, sed magnificentiùs hæc jactata fuerunt, quàm veriùs.

Antequam domo moverem, scripsi utrique Thesaurario, & Regni & M. D. Lit. rationes has, quibus convictus eram, obtestando per amorem Patriæ, ut mihi nuntiarent suos sensus, ex quibus ulterioris consilij caperem motiva. Respondit uterq; optimam à Deo ipso datam occasionem vindicandæ libertatis, facturumq; uterq; se promisit, quidquid è re Candidati nostri, (hoc enim ipsum è re Reipub. esse credebant) faciendum crederet.

His ergo literis acceptis promovi iter, aliquot dierum spatio Gedanum veni, & omni metu cujusvis periculi fluctibus marinis commisso ultra milliare in parva navi ad grandiorem (habebat autem secum 7 grandes) accessi navim, Regemque nostrum salutavi, mittoque tibi, quæ tum dicere opportuna credidi. Per aliquot dies visitabam eundem, & omnia quæcunque scitu ejus digna erant, pro sinceritate detuli. Veniebat quandoque ille ad littus nostrum Olivense, ubi ego in domo Generalis Brandt satis commoda cum plurimis officialibus prandio eum bis excepi. Videre licuit, habereque ad mensam famosum illum in mari Barth, ille enim navium omnium Præfectus erat. Post plurimas conferentias adverti, quòd paucos milites in defensionem suî duxerit, assecuratus enim erat à Primate & Legato, quòd ad littus illud Gedanense tot ex Polonico & Litvanico Exercitu esset copias reperturus, quot sustinendæ & defendæ ejus Majestati sufficerent. Nervus autem pro necessitatibus, & Regni & ipsius personæ, ut conjicere licuit, non erat sufficiens, aut non descendendum est in arenam, aut acriter decertandum. Facto proinde inter nos consilio (plurimi enim venerant in occursum) visum est nobis dare ei quasdam reflexiones super statu præsenti, quia, ut tibi verum fatear, dum ego toto cœlo diversa invenirem ab ijs, quæ legatus mihi proposuerat Pultoviæ, officij mei ducebam, bellum civile, quod certò certius imminebat, evitare & à Patria amoliri. Adnecto tibi copiam istius memorialis.

Venerat etiam inter alios Felix Lipscius Castellanus Siradiensis, qui prolixiori, sed eleganti sermone Candidatum nostrum salutavit, prout videbis in copia.

Fuit hîc etiam missus à Cardinali junior Towianski, qui videndo nos magis pro Republica (cùm eam Princeps Contius salvare judicio nostro nullatenus posset) quàm pro Candidato agere, valde offensus erat, & multa contra aliquos Cardinali scripsit.

Exiit interim per modum manifesti certum scriptum à Principe Conti, contra quod, intra aliquot dies vidimus remanifestum à Chezevio Notario Mariæburgensi scriptum, horum copias adnexas habes.

Cum ergo post longas & frequentes conferentias vidisset ipse Princeps Contius impossibilitatem stabiliendæ suæ prætensionis, cum Cracoviâ constans venisset fama, expeditum fuisse Polonicum sub Gałecio Palatino Inovroclavienli, Saxonicum sub Flemingo, in assistentia quoq; Generalis Brandt militem, palam & expressis verbis nobis declaravit, quòd satiùs crederet nunc redeundum esse, & in aliud commodius tempus promovendæ suæ prætensionis causam differendam, quàm & se & nos, qui ipsi favebamus evidenti periculo exponendos. Et quòd brevi in Patriam remeare constituisset, palàm determinavit. Quâ occasione captatâ ego cum multis aliis illi non sine lachrymis valedixi, cum illum Regno nostro dignum; nos ex permissione divina tanto Principe indignos judicassem. Abitum proinde brevi paro & hancce finio.

LITE-

A. C. 1697

LITERÆ PRINCIPIS DE CONTI

AD ORDINES REGNI EX ONERARIA SUB OLIVA. 5. Octobris.

FRANCISCUS LUDOVICUS de BOURBON PRINCEPS de Conti Dei gratiâ, & affectu inclytæ Nationis Polonæ, & M. D. L. in Regem electus

EMinentissimo Primati, Reverendissimis, Reverendis, &c. omnibúsque, quorum scire interest, universis & singulis promptitudinem nostram ad quævis officia offerimus, & significamus, quòd dum in littore Balthici maris sub Gedano constiterimus, non priùs limites Regni hujus tangamus, donec debitam gratitudinem cum omni reverentia Serenissimæ Reip. publico hoc nostro reddamus scripto, declarando promptitudinem nostram, & constantissimam inclinationem ad benè merendum de tam glorioso Regno. Si verò non tam citò, ut fortè debita pro suffragiis in Electorali campo requirebat gratitudo, comparemus, non renitentia nostra id causavit, sed Religiosa Jurium hujus Patriæ observatio, cui ex ordinatione Divina adjuvantibus Electoris populi affectibus præesse debemus; Modestia hæc nostra nullam contrariæ parti adjicit prærogativam, imò nostras confirmat, quia id considerari non debet, qui tardiùs, sed qui justiùs. Cum enim firmum sit nobis propositum, concessas à serenissimis Poloniæ Regibus leges, immunitates, & libertates ex integro manutenere, noluimus vel in minimo puncto easdem lædere; Etsi similis esset nostræ in alia parte moderatio, pupilla hæc Cardinalium jurium liberæ Electionis in integro fuisset. Certè enim nos, ut hactenus patuit, ad capessendum non properabamus in scissione Regnum, relinquendo decisioni Electoris populi hanc determinationem. Sed cum vidimus omnia cum legibus eversa, requisivit id à nobis ipsa gratitudo pro affectu exhibito, ut vindicias huic libertati daremus, quam Serenissimus Elector Saxoniæ in omnibus suis cardinibus commovit. Non credendum unquam, ut tanta vis juribus, & libertatibus Polonis fieri posset; & ideo, quamvis & nos, & meliori quidem modo, uti hoc quivis recognoscere debet, quicunq; sine passione res judicat ab Electore populo proclamati longè à limitibus Polonicis liberæ electionis exspectabamus confirmationem, & diutiùs exspectassemus, si nobis nuntiatum non fuisset, quòd tot contradictiones nihil profuerint, nec prodesse potuerint, ut ipsum evidenter patuit, quando nec liberæ electionis instauratio, nec Rokosz pro tuendis libertatibus juramento firmat⁹ violentam retardabat ambitionem, quæ volando potiùs, quàm eundo ad thronum properabat, dum nihil prisci & integri moris relinquendo in Silesiam, sub finem electionis, quasi jam in spem scissionis appropinquatum, Regius titulus ad primam notitiam non obstante præcustoditione Eminentissimi Primatis præcociter vendicatus. Contra antiquam praxim legis ab illis, qui ab integra Repub: ante scissionem destinati erant, sed à privatis pacta conventa scripta, quæ primò unus Achatholicus coram Vererabili Sacramento, & pòst Serenissimus Elector Saxoniæ juramento confirmavit; Legatio novo exemplo & cum dignitatis Reipub: aliquo detrimento excepta, limites Regni cum exotico & Acatholico milite transgressi, arx Cracoviensis cum eadem urbe occupata, aliæ so-

A.C.1697 lēnitates, vix legitimè electis Regnātibus, à jure publico concessæ, contra omne Jus & fas auxilio insolitæ ante ad lat⁹ Regiū custodiæ, præsumptuosè usurpatæ audientiæ legatis exteris datæ, vacantia officia distributa, & quod maj⁹ est, ut hoc nunc patet directè, contra eadē juramento firmata pacta. Ad coronationē nullâ non violatâ lege itū, non consideratis tot protestationib⁹ contra nullitatē actûs; sinè clavib⁹, quæ penes Senatores privilegiatos existunt, vi archivū & thesaur⁹ Regni aperta, & venerandâ legū fracta potestate earum quondā inclytæ nationi, quia sangvine partum, nemine contradicente eversum, nullâ relictâ viâ ad reparationem ruptarum legum & libertatum. Cùm proinde certa hæc ad nostras venerit notitia, non licuit nobis diutiùs morari, & iter tardare, deesseq; amantibus antiquas libertates suas Serenissimi Regni ordinibus, qui nos cum tot Illustrissimis utriusq; statûs, & gentis Senatoribus, & totis integre Palatinatibus elegerunt, & ore ejus, cui per leges competit, nominârunt; non licuit libero usque in hanc horam Regno vestigijs Hungarici & Bohemici Regni ex odio privatorum & vicina potentia ad similem crysim appropinquanti non assistere. Movimus proinde post diuturnam satis deliberationem Dunkierkâ 7. Septembris, ut in tempore opportuno statibus Reipublicæ regratificari possemus suffragia in favorem nostrî impertita, non subjugando libertates Polonas, evitando quamvis cum juribus & immunitatib⁹ luctā, sed ut vitam nostram Regi Regum, & Regno Poloniæ, quod nobis hunc honorem detulit, pro tuitione Religionis, legum, & libertatum imolarem⁹. Nam quicúnque profundiùs, & maturiùs præsentia consideraverit, facilè inferet, quòd ad perditionem omnium horum nulla vis paganorum, nullus unquam hostis id attentaverit, quod modò. Dum ergo Dominus Deus ex infinita bonitate sua periculosum, & ipso cogitatu incomodum iter emensos feliciter huc deduxit; stamus firmi, in parùm firmo aliàs elemento in onerarijs nostris & malumus non parcendo propriæ sanitati incommoditates autumnales sufferre, ut per id submissam ad præscriptum legum observantiam ostendamus, expectando compellationem hujus partis, quæ resuscitare mortuas planè libertates per sinceram nostram applicationem præoptat, quod non tantùm sperare, sed & securè expectare possunt, cùm non tantùm spem, sed & spei firmam damus fiduciam, quòd ab initio æquè, ac in progressu regiminis nostri nec jota unum, aut apex unus de lege præteribit. Non procedemus eâ viâ, quæ velut signo ad permiscenda omnia dato cuncta ex libidine agenda ducit, sed eruere volumus Serenissimorum Stephani & Sigismundi Magnorum Poloniæ Regum laudabilia præjudicata, nihil agendo, quod sit postea excusandum. In eò omnis conatus, cura, & sollicitudo nostra erit, ut cum gratia DEI restitutionem libertatum, tranquillitatem internam stabilire possimus, ut neminem pro præteritis arguamus, omnes liberè sentientes excusando, & universos singulosq; affectu nostro inducendo ad egregium humani animi ab odio ad gratiam deflexum, id ex corde, & super omnia desiderabilia optantes, ut egressi è mari, quod est unionum ferax, pretiosam animorum penes Religionem, & libertatem aut inveniamus, aut stabiliamus unionem, & ne Respublica, vel quispiam ex incolis ejus pullam vestem propter nos induat. Nunquam fuit, nec est intentio nostra, ut ad thronum Polonicum per cadavera populi Electoris ascendamus, sicut Serenissimus Elector Saxoniæ facit, dum alias Nationes in capita Poloniæ ducit, ut se in usurpato Regno manutenere possit, cujus authentica propriâ manu documenta patebunt, cupientq; palàm in acta referri; unde facilem ex præmissis libertas Polona elicere potest conclusionem, quid sperandum in arido, si hæc in viridi? non inducimus, quanquam media quoque non deessent,

in

in fines Regni exoticum exercitum, hi in curribus, & hi in equis, nos au- *A.C. 1697*
tem in nomine Domini, inprimis in gratia optimi Dei, cui sincera nostra pro Religione & libertate inclinatio in aperto est, pòst in cordibus & affectibus inclytarum harum nationum totam reponimus spem, satis erit virium, si satis animi; si nihilominus id oporteret, parati sumus tantum virium, quantum necessitas exiget pro vindicatione fidei sanctæ, & læsarum libertatum impendere, non optando, ut sangvis tam pretiosus per cognatas acies effundi debeat. Quinimò primam hanc nostram omnibus in genere, & cuilibet in specie adferimus instantiam (cùm nec propriam vestem induere manus non extendendo, quispiam possit) ut sint memores, quòd sint fratres, & proinde nullas inter se incipiant hostilitates, immunitatem & securitatem domorum, & bonorum Ecclesiasticorum, & sæcularium conservent, quia eo modo libertatem sentiendi sustinebunt, ab omnibus iis longè sint actionibus, quæ pòst effusionem sangvinis nobilitaris, & Christiani (avertat Deus) causare posset. Excitamus in cordibus inclytarum nationum memoriam & reflexionem illorum antecessorum, qui vicinam timebant Germaniam, nec eâ præcautione cum Gallia utebantur, quæ benefacere semper, damnum inferre nunquam potest, & satiùs galea in defensionem fidei, & libertatum claræ in orbe gentis Polonæ vocari, quàm Gallia posset. Veniat tantùm in maturam reflexionem differentia actionum tam violentarum ex illa parte, tunc, quicunq; demum sensum libertatis habet, sicut ad sensum contra eam commoveri, ita quivis prudenter Patriam amans hac nostra sine particulari ambitione, ad dandas vindicias Religioni & libertatibus sincerâ promptitudine moveri ad reciprocum in nos affectum debuit. Minimè nos angit præcipitata contra leges coronatio, quia, quod ab initio invalidum fuit, tractu temporis firmari non potest; facienti, quæ non debet, accidunt, quæ non credit. Malo fundamento superædificata domus casui subjecta est inopinato; In ruinam prona sunt, quæ sine fundamento crevêre; Bono exitu coronari nō possunt, quæ malo incepta principio. Ipsa pacta conventa jā juramento comprobata ex beneplacito & scribentium, & jurantis coronationem hanc illegitimârunt, quoniam in illis directè illud punctum invenitur, quòd ad coronationem nullatenus accedere Serenissimus Elector deberet, usq; dum Serenissima electrix veram Catholicam fidem non arripuerit, sub nullitate electionis ad id se obligavit. Et propterea licet tam ferventer amantium fidem, & libertatem tot Nuntij requisivissent originale pactorum conventorum, producere tamen renuerunt, quia in ipso limine jam in multis punctis est peccatum. Minimè ergo ambigimus, quòd hæc nostra declaratio, quam omnibus palàm fieri volumus, excitabit antiquum inclytæ nationis majorum zelum, qui bona, substantias, & vitam propriam, pro conservatione aureæ libertatis, & sustinendarum legum libenter impendebant. Quia nos in ea sumus intentione, non tam ut recipiamus coronam, quam nobis Respublica detulit, quàm ut manuteneamus liberam electionem, ut vindicias demus fidei, & oppressæ libertati, & his defendendis vitam, sangvinem, & totas vires nostras consecrare volumus.

RESPONSUM AD MANIFESTUM PRINCIPIS DE CONTI à parte Saxonica datum.

SCriptum hoc, quod ad universos status Reipublicæ nostræ jam sub regimine coronati Regis à Principe de Conti in forma literarum universalium prodiit, quomodo intitulari debeat, aliam non invenio deno-

A.C.1697 nominationem, nisi literæ ad rebellionem concitantes, & quoniam titulus præfixus electi Regis, tunc justè id addi potest, quòd ab usurpatore ad alienum Regnum aspirante promanavit, & quidem cum jactantia alicujus æquanimitatis, quod limites Regni Poloniæ tangere nolit, ipsis stativis ad littus maris Balthici contentus, sed fortè non ideo, quòd appetitus ad thronum Polonicum desit, quia is est certus, nisi vereretur, ne sibi causam periculi faciat, quando minimæ partis Reipublicæ hujus sit Rex, quia tam multi jam ab ea recesserunt, ac propterea nullum æqvum jus prætendendi habet, & illud ipsum animum ejus penetravit, ut simulando pacificum adventum sub specie gratitudinis, & gratiarum actionis pro hac gloria, quæ ipsi obvenit, nominationis, comparere se asserit, sed id suspicionem movere debet, quòd insimul aliquā promptitudinē ad vindicias Religionis, & libertatis, & constanti inclinatione ad Regnū nostrum profitetur. Induxit quorundam, dolendum! civium non postremorum hujus Reip: malignitas, qui abusi eminentiâ dignitatum suarum falsâ specie tuendæ libertatis, arrogantiâ nimiæ authoritatis, & fortè deformis lucri spe ducti, persvaserunt Principi de Conti, quasi omnium ferè suffragijs, & unanimi Electoris populi consensu proclamatus fuerit Rex, ut oris publicis Poloniæ appropinquaret, & adimpleret intentiones gestientis populi, cujus tamen cor procul est ab eo, tuendo Religionem simul ac libertatem; absconditis sub his prætextibus, venenatis suis, & in damnum Reip: vergentibus conatibus, quandoquidem non tantùm nos tanquam libera gens, sed etiam omnes extranei vident, quòd in Polonia nulla nunc vis fiat Religioni, aut libertati, nisi per eos ipsos, qui necessariò Principem de Conti in throno stabilire cupiunt; ut illi penes illum dominantes augeant sua, etiam cum pernicie Reip:, emolumenta & interesse. Jactat modestiam suam. Princeps de Conti, quòd tardiùs venerit in Poloniam, & ideo prætendit, quòd ei Regnū justiùs debeatur, sed hoc ipsum nullam ejus auget prærogativam, quia id factū non quia non voluit, sed quia nō valuit, imò cui datū est celerius Regno potiri præcedētiâ possessionis, eorū voluntatē & causæ justitia probat. Et in eo destruit Princeps de Conti jactatā modestiam suam quòd longior à Regno, quandoquidem alio regnante, & tamen libertates & immunitates nostras religiosè se manutenturum promittit, quod non amplius est in ejus manibus, quia jam habet Polonia Regem suum coronatum, & feliciter Regnantem. Cur ergo involat in aliena jura? cur id promittit, quod non est in ejus potestate? nónne id est, & contra modestiam, & contra sanam rationem? Ex oneraria in littore maris inter vagas procellas luctans cum tempestatibus, id appromittit, quod alius jam coronatus in throno firmissimè sedens in sua habet potestate. Si verò ea vera intentio esset principis de Conti, benè velle libertatibus nostris, & illas ne in minima quidem parte lædere, non invadendum erat Regnum alienum, ad quid jam in throno sedenti Regi, & quod majus est, arma paranti contra communem Christianitatis hostem, aversionem exercitûs à limitibus Hungaricis facere, & tam necessarium bellum & tam gloriosum impedire, bello nullos habituro triumphos? ad quid inducere cognatas acies? bona nostra ruinare; Jam enim civiles madent sangvine dextræ, sed quinimò non habitis ullis à Republica ad se ordinatis Legatis, ut communiter hîc fit ad electos Reges tam ex Senatu, quàm ex Equestri Ordine. Ad quid movere se ex Gallia? cùm consultius foret honori Principis, & tranquillitati Reipublicæ, manere. Professa fuisset Respublica nostra summam gratitudinem pro istis minùs necessarijs, quas pollicetur, vindiciis; quoniam omnia jura &

liberta-

libertates in suis hærent cardinibus, nec ulla vis illis fit, nisi per adventum *A. C. 1697*
ipsiusmet Principis, qui inclinatos jã ad plantas Regias rebelles cives ad novas furias exagitavit. Rokosz cadentes erexit ad sangvinis profluviũ, inter cives laxavit cataractas ad rapinas, & loco defensorum libertatis, lixarum auxit numerum. Non hâc viâ, nec eo modo processit Coronatus noster, cũ ex nulla ambitione, sed amore Reipublicæ, quippe fama, spe, veneratione multi destinabantur Imperio, & præsentem Regnantem fortuna imò providentia divina in occulto tenebat; ductus non tanquam raptor, quia tam magnorum Dominiorum & Principatuum hæres, & Domin⁹ tam multis ditatus proventibus, non alieno ære & subsidio fretus, magis Patriæ hujus, quàm suum quærens commodum, proprio ærario, propriis viribus non in præstito acceptis sustinet Regnum hoc, supplet defectus contributionum solitarum, solvit ex parte magna ex proprio peculio Exercitui à confœderatione amovendo, quam factio Gallica excitaverat Eundo proinde solito Regum Antecessorum suorum vestigio observat veteres leges, colit priscos mores, procedit per affectus civium, cum applausu universi populi. Princeps verò Contius inordinato fertur ambitu, & ad thronum Polonicum appetitu, quando videns parvam manum sibi adhærentium seditiones movet, Rokosium pecuniis suis sustentat, sed illæ non ex proventibus propriis collectæ, leve æs alienum colligendo ad sustinendam usurpationem suam, milites, exhauriendo Poloniam, omnesq; invitando, ut dominandi ejus cupidini serviant, qui contra immanem Christianitatis hostem servire possunt, non fundatus in affectibus nostris, qui Regi nostro coronato debentur, sed armis jus quærendo. Quod cũ DEI auxilio non succedet Principi Contio, quia contra parvam manum ejus dabit Deus Regi nostro exercitum fortem & numerosum. Quærit in hoc scripto prætextum læsæ Religionis, quòd Acatholicus pacta conventa juramento confirmaverit, resolvat veteres Añales sub Vladislao Iagellone, Stephano Bathori, Sigismũdo III, inveniet quis juraverit, & tamẽ De⁹ benedixit Imperio eorũ, nec permisit violare jura & libertates nostras. Inde autẽ, quòd inveniatur læsio Religionis Catholicæ non video, utiq; & Acatholicus dum justè jurat, DEum adorat; & per hanc adorationem DEus non læditur, nec fides sancta. Non deviavit proinde & Rex noster à recto tramite, imò videmus, quòd tam in favorem Religionis, quàm & libertatis nostræ lege manuductrice, quam tenerrimè servat, procedit, cùm eam pro basi & fundamento throni sui posuerit. Si legationes expedit, vel à se expeditas audit, nonne est Rex? nonne Dominus coronatus? Si dignitates, officia distribuit? nonne cum corona data est ei potestas? ut panem benemerentium benemeritis distribuat. Vacillant ergo omnes rationes, quæ contra Regem nostrum magis ingeniosa, quàm veritatis amantia confinxêre subjecta. Puncta hæc, quamvis sæpè falsò magnis Imperiis objectari solita in eo tantùm fidendo, ut in pessimo fundamento inceptis rebus, hanc originem turbarum apparentibus conceptibus ad velandam malitiam suam, verbis errorem suum cooperiant, & ornent, & quando angusta & lubrica est oratio, an ratio, ut sit aliqua saltem ostentatio. Quantum ad coronationem, meliúsne inveniri potest fundamentum? quando unanimis Electoris populi consensus, quando desiderium generale & amor, quamvis adhuc in Polonia non visæ personæ ejus intercedebant, debebátne differri unanimis totius Reip. unitas propter aliquot Senatores? sicut patuit in interceptis literis, ut meliorem occasionem turbandi, & commovendi Rempubl. haberent, subdolè se humiliabant quærendo sub prætextu corrigendarum libertatum per di-

 lationem

A.C.1697 lationem coronationis, sed illorum malitiosas intentiones Dominus DEUS confudit; aperuit oculos Regi, & eum coronavit. Et inde lacrymæ, hinc dolor Principis de Conti, quòd jam coronatum deprehenderit Regē, quòd desit occasio reducendorum horum, quæ semel divinitus facta validissimè subsistunt, quæ mutari nullatenus possunt; accepit enim sanctum gladium à DEI manu, in quo dejiciet adversarios. Pacta conventa tanquam fidelissimè juramento comprobata, ita nec in minimo derogatum illis, etsi dolo prætenditur, & objicitur, quòd in Comitiis Coronationis non est productum originale eorum; & quomodo illud produci debebat, quando arx Varsaviensis, ubi originale erat in libris authenticis, sub Rokoszianis existebat? sufficiebátne æquanimitas? non sufficiebat quasi evisceratio in nos affectûs Regij, quando iteratò, si Respub: id requisiverit circa reproductionem originalis pactorum conventorum in primis Comitijs Rex confirmaturum illa se appromisit juramento. Nónne hîc malitiæ vires deficere debebunt, cùm omnem Regis nostri in Rempub: sinceram & non dubiam videant propensionem. Serenissima Electrix non est Catholica, & ideo non est coronata, & ideo extra fines regni degit. Non vult hoc zelosus in fide Catholica Rex noster, non vult tanquam amans legum Patriarum, ut præcoci coronatione fiat aliquod præjudicium. Permittit faciliùs, ut longiùs ab eo degat, unde mentem Regiam interpretari licet, ne cum persona ejus frequentium satis perversorum dogmatum liberius introducatur exercitium, optimè videns, quòd nihil validiùs Rempubl: conservet, quàm Religio. Referimus proinde Principi de Conti gratias, pro pientissimis pro Religione, affectuosissimis pro libertate, appromissis vindicijs. Est nobis Rex, qui fortitudine & viribus, nervo belli, & potentiâ alijs Monarchis par; si aliquod periculum Reipub: indigeret operâ & ope ejus. Non necessarias proinde arbitramur Principis de Conti fortitudinis jactantias; conservet illam Domino Regi suo Christianissimo in integro, in necessitatibus Coronæ Gallicæ; nolumus nos hunc serpentem in sinu nostro alere. Nemo enim mortalium juxta viperam somnos securos capit, quæ etsi non mordeat, certè sollicitat; habemus Augustum nostrum, qui nos sustinebit, & fulciet, cùm satis sit nobis vivere sub Rege pio salvâ & integrâ Religione & libertate feliciter &c.

SERMO AD SERENISSIMUM NOSTRUM CANDIDATUM.

SErenissime, dicam Regum desideratissime. Non unam M. V. tot populorum desiderijs, jam olim exoptatam, sed totius fortunam regni Gallica tulit classis. Aliorum securitas in palago trepida, ut solet, nostra demum hodie fixit anchoram triumphalem. Optimæ spei promontiorum, si dixero, littus hoc, non errabo. Jam turpido enim Reipublicæ statu, illam Serenitatem, quam nobis adversæ nubes, pertinaciter detinebant; tam propè intueri, ingens est præsentis fortunæ augurium, habemusq; quo Ioannis III. magni Regis funera consolemur, conquiescunt felicî portu tædiosa Poloniæ vota, quæ hucúsque, non tam mari hoc Balthico, in quo stamus, & quo tu Rex Serenissime vehebaris quàm variæ famæ aurâ jactabantur. Tenemus jam te aspecto felicitatis publicæ fastigium, assequimur quod expectatione nostrâ diutiùs desideravim⁹. Tardè nimis euntem impatientis spei nostræ moram, tot simul gratijs solatijsq; cōpensa-

pensatam, gaudemus, dum ad bella nato, & in iis educato honori, antemurale Christianitatis committere, cor Europæ benevolentissimum Patri aperire, Polonæ aquilæ enses inter & hastas hactenus nidificanti lilia tua substernere, Ludovici magni, imò post Reges natos maximi, cum quo Regium hausisti sangvinem, semper triumphale nomen & suppares nomini virtutes suscipere, ac demum in te uno, quasi in compendio totum id licet venerari, quòd superior ætas, continua à tot lustris serie, è domo Bourbonica, Augustum in origine, immortale in gloria, admirandum in potentia, in belli pacisque artibus invidendum, in promovenda Religione orthodoxa singulare vidit emanâsse. Lilia ut coram Principe liliato deceret, non loquor. Nam ferrea Regni procella, quæ non è saxis homines, sed ex hominibus plerumque saxeos effecit, spinas scissionis miscuit, quæ tamen ipso frontis Regiæ aspectu, non videri non potest sine amore, & gratissima quadam virtutis violentia, dum nostram, imò jam jam tuam terram calcaveris, rosæ fient. Potens es etiam Domine de lapidibus istis filios Abrahæ suscitare. Eunt interim in obsequium illi, quibus avita Polonorum libertas cordi est, qui illam immortali majorum suorum exemplo constantissimè semper tuebantur. Non reperies in hac Regni parte quenquam, quem aut cæca spes in servitutem, aut fœda lucri cupido traxerit in subditum tibi cultum & venerationem. Non sumus ex numero illorum, qui citò deserunt, nisi semper accipiant, qui libertatis verum gustum non habendo, continuis largitionibus, vilibus servitutis præmiis retineri debeant in obsequio, sed qui expectabunt quotidie nova Majestatis Vestræ mandata, quibus animorum suorum studia probare possint, universos æquè ac singulos nostrûm, unica integritatis Regni nostri urget utilitas, omnes ea cura stimulat, ut sub liliis tuis publica felicitas reflorescat, avita Religio illibata hucúsque, pro qua majores nostri plus effuderunt sangvinis, quàm in ipso venarum fonte superfit, ita palàm sit, ut nos illius, & nostrî posteritas sit secura, ut libertas tot bellis quæsita, tot heroum redempta sangvine conservetur, ut inviolabili firmata fœdere, cum vicinis pax manu teneatur, sacri belli classico silentium non imponatur, quod olim nudo religionis amore armatus gloriosè cecinisti. Hæc sunt vota Eminentissimi Primatis, cui ritè nominandi Regem leges Regni, jus fasque concesserunt, quem ingentia merita Primatem primumque Principem ad eam Provinciam consecrarunt. Hæc est expectatio populi tui universi. Pluribus non distineo Majestatem Vestram, sivè quòd vix jam sperata, insolitaque lætitia verba eripiat, sivè quod non liceat morari longiùs eorum pariter vota, quos Majestati Vestræ videndæ, per tot terrarum intervalla trahebat hucúsque desiderium, sive demum ne spatium faciam, quod publica subveniendi populo Electori consilia differre possit. Iam proinde excede tam infido inconstantique elemento Regum optime, & quia non priùs occupas solium Majestate, quin subditorum animos populorum benevolentiâ, securus sis de constantissima fidelitate nostra, expandunt jam alas Polonæ aquilæ, in occursum tuum, patent Regni portæ, sed anhelantium magis corda civium; nihil reliquum est, nisi ut jam Regnū hoc tuo se devovens imperio Majestate tua corones, libertatem authoritate tuâ protegas. Subditos, veræ Religionis exemplo confirmes, omnes perpetuo liliorum tuorum odore recrees, & jam jubeas Poloniam tuam dici; hoc enim supremum fortunæ nostræ culmen, si tui diutissimè nominemur, & simus Principum sol optimorum.

A.C.1697

REFLEXIONES PRINCIPI DE CONTI
19. Octob. 1697. ad littus Olivense.

QUemadmodum publicam fortunam in persona Serenissimi Electi nostri, non uno Regno dignissimi veneramur, ita non debet esse

*A.C.*1697 esse admirationi, quod magis de securitate illius, quàm de nostra sumus soliciti. Nostræ enim securitatis spem nullam habemus, quia in tam gravi atrocique bello, nec scintilla bonæ spei affulget, quando cognatæ acies, consangvinea miscebunt arma, quando bona & fortunæ nostræ, in ferales abibunt cineres, & favillam, procul omni certitudine futuræ recompensæ. Nam etsi tot qualitatum Princeps, memor zeli & affectus nostri voluerit damna illata refundere sive Spiritualibus, sive sæcularibus bonis, ad Regiam distributionem spectantibus, tamen non nisi deserta Arabia omnibus conferetur (cum ubique par timeatur calamitas) pro amissis interea fortunis florentibus, & bene constitutis. Hinc argumentetur sacra Regia Majestas, quanto feramur affectu erga suam Regiam personam. Neque majorem in nobis excitat zelum tuendæ libertatis, quæ videtur penitus eversa à parte altera quia sunt nobis præ oculis manibusque ejusmodi media, quibus pacificè & sine tanta clade, exortæ & fractæ leges in orbitam reduci possent. Quemadmodum Regnante Sigismundo III. contigisse legimus, quando post complures annos inchoati regiminis, scripta est constitutio publica, pro liberæ Electionis integritate obtinenda. Neque alia deessent. Solus itaque (citra utilitatem tam publicam titulo conservandæ libertatis, quàm privatam ob fortunæ augmentum) erga Serenissimum Electum affectus noster facit omnium interim oblivisci. Quando igitur non tam nostrum interesse, quàm suæ Majestatis honorem, volumus promovere, difficile est non indolere, quòd sine illis mediis huc advenerit, quæ securitatem suam & tueri possint, & servare., Serenissimus Elector Saxoniæ habet realem & actualem potentiam, viresque paratas, tam ex sua, quàm ex Regni militia, totq; simul Palatinatibus, non ijs tantùm qui pridem illi adhæserant, sed etiam ex ijs, qui nostrarum priùs erant partium. Nam speciosis verbis, & re inanibus hucusque detenti, videndo alibi realitatem, jam à nostris partibus aut declinarunt, aut in proximo sunt, ut declinent. Utique tot antiqui viri, jam inde quoque decesserunt, non contenti, eo, quòd neque viderint respectum præteritorum meritorum, neque reflexionem ullam ad futura obsequia. Deinde quòd sit distinctio Hebræi, & Levitæ & Samaritani. Si ergo talia narrabunt fratribus suis, quid sperandum nisi recessus à nobis & accessus ad illam partem. Præterea aut præsenti hyeme perficiendum nobis omnino bellum est, aut ad futura veris tempora differendum. Ut hac hyeme agatur, arduum est, cum desint vires. Nam etsi Magni Duc. Lit. Exercitus huc advenerit, nunquid caro eorum ænea? nunquid non difficile est nimis in his partibus sub tam frigido Jove hibernare. Flumina ita frequentia quomodo poterunt superari? quando hæc congelabuntur ex integro, alia fracta in partes glacie dissolventur, & expeditum iter prohibebunt. Hyberna locatio Litvani militis in visceribus Regni irritabit magis nobilitatem, quàm conciliabit, si extrema tentare velit, ad bona sua vindicanda. Si verò differetur post hyemem totius belli moles, sub quo Jove? sub quo cœlo? & in qua provincia subsistet miles? in quamcunque partem declinaverimus, undique nobis discrimen imminet, occurrit periculum. His porrò incommodis pridem obviàm ivissemus, si Serenissimus Electus noster celeriùs advenisset, vel saltem, ut non foret necesse expectare alias vires, quæ serò comparebunt, vel ubi comparuerint, agere fortia ipsis temporis injuriis prohibebuntur. Prussiæ Provincia supplicat Regi Serenissimo, quàm primum expediatur Commissarius obviàm Litvano militi, cum parata promptaque pecunia, quâ venientibus provideantur necessaria, & damna per viam illata refundantur. Quia aliàs non sumus securi,

securi, an ipsi qui sunt partis aversæ, & quorum etiam ex nostris augetur numerus quotidie, non sint impedituri transitum; si adverterint injurias inferri subditis. Deinde verendum, ne detur aliqua offensæ occasio Serenissimo Electori Brandeburgico, cujus bona ad Regni viscera pertingunt, adeóq; ne hoc modo pacem cum illo servatam violare videamur, cogereq; illum, ut potiùs adversæ parti assistat. Prussiæ civitates non sunt contemnendæ, quæ tot cohortes colligunt, & aliis popularibus in casum necessitatis, ad resistendum notabiles enumerant summas. Et hoc considerandum proponitur Sræ Mti Vestræ; quod certa & infallibilis notitia sit, aliquot millia tam Poloni, quàm externi militis sub 14 vexillis, die 11 præsentis Cracoviâ exivisse cum illo mandato, ut quoscunq; invenerint nostrarum partium, captivos agant, vel tollant. Præterea, ut rectà huc eant in Prussiam, ad impediendum egressum è mari, & ulteriorem transitum Sræ Regiæ Majestatis. Litvaniæ Exercitus non est omnino certus, cùm scribatur nobis positivè non movendum ex stativis, quousq; non venerit ad illos Commissarius cum pecunia promissa, interim periculum est, ne à Saxone corrumpantur, quandoquidem pro certo scribitur, jam in Litvaniam expeditos esse Commissarios cum parato nervo. Exercitus nostri magna pars esset pro nobis, si Illustrissimo Palatino Belsensi mitteretur quantociùs securitas persolvendorum stipendiorum. Multi jam alienati minimè contenti, multi hic resident à variis expediti, qui suis Principalibus scribunt, nullam spem esse promissorum. Timendum ne omnes recedant, cùm etiam huc ordinariè scribatur paucos credere de adventu Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ. Et jam pridem apud plerosq; amisimus fidem, imò summam invidiam incurrimus, quasi omnes gratias & favores nobis vendicaverimus Regios, sine respectu absentium. Tot cohortes comparatæ in Palatinatibus variis, & multæ jam procinctum viæ expectant, verùm quia nulla consolatio affulget, nec spes præmii certa, verendum, ne contra nos eadem arma convertantur. Has reflexiones, & ij qui inde jam discesserunt, & qui adhuc subsistunt, quoniam coram non licet proponere, ob loci distantiam, porrigunt universi, cum omni reverentia altissimo judicio Serenissimi Regis, & audient, quid loquitur eis Dominus. In eam enim spem erigimur, quòd sicut præcipuè res nostra agitur, ita consilium nostrum in majori erit reflexione, quàm eorum quibus perinde est, si floreamus, atq; si pereamus. Omnis actio in celeritate consistit. Semel tantùm Romanis profuit Cunctator; Præveniri debet hostis, non expectari, ut robur & vires colligat. Debuerunt jam pridem expediri Commissarij ad varios, quod nostrâ plurimùm interest. Alii prece, alii pretio huc invitandi fuerunt, debiles auro potabili confirmandi. Nos verò hucusq; nihil omnino egimus, parte contrariâ in utramq; aurem & manum vigilante. Supplicamus igitur, ut dignetur S. R. Mtas habere respectum sinceri & puri zeli nostri, & metu illo qui palàm spargitur, quòd nos velit deserere, palàm liberare. A.C. 1697

SERMO AD SERENISSIMUM NEO-ELECTUM FELICIS LIPSKI CASTELLANI SIRAD.

A quibus populis ad Regnum postuleris, brevibus expedio. Pro Stemmate nō bicipitem avem, non allatos Leones, qui in tabulis Pöetarum cubile habent; sed candore notabilē ipso gerimus Poloni aquilam, cui non alia præda placet, quàm defensus terrarum orbis. Originem

A.C. 1697 noſtram nō ex alto repetimus: Ledæ genus, Jovis Martiſq; cedimus Phaëtonti & Romulo. Primam enim Poloniæ ſtirpem fortiſſimis debemus populis, Macedonibus, Illyricis, Croatis, Sclavonibus, Gottis, Vandaliſque Romanæ potentiæ fulminibus. Duo Regni noſtri latera gemino mari ita pulſantur, ut quotidie vigilantibus pro nobis fluctibus ad arma excitemur. Hinc Balthico, inde nigro Ponte jactamur. Böemiæ, Ungariæ, Sileſiæ, Opoliæ, Glogoviæ, Haliciæ Reges, nuper & Domini. Nō memoro Oſſam Boryſthenem, Salam triumphalibus columnis Polonorum inſignes, prætereo Danubium, Viſtulam, Vartam, Meotim, Tanaim, Tyram, non Græcorum commentis, ſed barbarorum naufragiis famoſos amnes, & ſangvine Turcarum, Getarumque ita toties decolores, ut nomen ipſum amiſiſſe intra ſinum & littora viderentur. Sunt auri argentique fodinæ non ignobiles; ſed bellis aſſveto populo, magis vacat placetq; ferro viſcera hoſtium rimari, quàm telluris, quæ nos tollerat, inde chalybs auro pretioſior, potiorque. Imminent nobis Carpatij montes, pars Alpium non extrema, verùm hæc munimenta naturæ nos minimè tuentur, fortiora enim (ſi Superis placet) Spartanorum more, pectora pro muro gerimus. Ab omni cæli parte ſtipamur hoſtibus, quaſi quibuſdam excubiis, aut veriùs induviis. Inde vicino potente, & malè tamdiu retentarum Provinciarum, nunquam non pavido poſſeſſore, hinc Sueco, Dano, Livone, inde Moſcho. Deinde rebellibus Valachis, Moldavis, Coſacis, Scythis, & Otthomanis; qui clades ſuas dum computant, vix nos credunt homines fuiſſe, qui tam profundum toties lunæ Turcicæ vulnus inflìximus. Silet alibi tuba, ſilent tympana frigidis ſideribus rigente cœlo, quin ad Decembres etiam focos acceptæ tantùm in bello cicatrices, inter belli ſpolia oſtentantur plerumque, alibi poſito clypeo reſpirat enſis & haſta: noſtro Marti per antiperiſthaſim acriore bello fervent hyemes, & domitis gelu fluminibus, auream gloriæ meſſem ferro legimus. Interim cum feras alii Principes urſos, Biſontes, apros, alces, cervoſq; & damas venantur, nobis Getas, Coſacos, Moſchos, Valachos, cæteroſq; barbaros in caſſes agere ex uſu eſt. Hoc nobis interea temporis otium, hic Martis Poloni ludus, gelata Sarmaticis nivibus longè lateq; flumina, ita Tartarorum clade frangere, ut fædata ſuorum cruore litora vix agnoſcant. Procul à me interim Natalis Comitis Mithologia, ſcio enim quàm ſit odioſa Cinenſibus pompa, proinde hic neque montes, ingenti provinciarum apparatu à nobis perfoſſos, neque claſſibus contecta maria, nec epotos in prandio ſtuvios narro, ut vanæ illudam credulitati, ſed ea tantùm referre propoſitum eſt, quæ Majores noſtri factis quàm faſtis aptiores egerunt, & alii quibus ad hoc officium plus otij hoſtis imbellis dedit, calamo prodiderunt poſteritati. Ea nimirum recenſeo, quæ tibi palàm faciunt Regum deſideratiſſime, à quibus populis heroica tua indoles majoribus triumphis, bellisque cælitus deſtinata poſtuletur. Superbiant barbarorum imperia armorum temporumque intervallis, imò ab ipſa quoq; antiquitate, quæ præter cælum & ſuperos neminem, me hercule meritò commendat, glorientur. Ponant ſexcenta in propylæis, imò ipſa etiam inter atria, quaſi in excubiis ſuorū ſimulacra Principum, eidem marmori, quo caluerunt ſimillima, dum regnarent. Polonia nō plures à Lecho Principes quàm ſedecim numeravit. Duodecim enim Palatinos non eſt cur recenſeam, cum nihil ſimul egerint præter numerum. Reges à Boleslao Chrobri ſupra triginta cenſet. Tu numerum Sereniſſime Electe non annis tantùm, quos ævo Tuo de noſtris, loco primi tributi jam pendimus univerſi, ſed bellis & trophæis extendes implebiſq;. Par enim ignaviæ pax à Polonis quouſq; ſuperſunt hoſtes, numeratur. Neq; hucuſq; in ſolio quenquam Regum Principumq;

cipumq; vidimus Poloni, qui Regni sui gloriam, præcipui alicujus operis immortalitate non consecraverit. Lecho Primo tot debemus civicas, quot fines armis comparatos. Præterea Gnesnam condidit, ibiq; nascentis exordia Regni dedicavit faustis candidisq; avibus. Lecho par Visimirus; Injecerit enim Hellesponto vincula Xerxes, ille ipsos maris Dominos captivos duxit in triumpho. Catenas ejus Sivardus ipse Rex Daniæ, carcerem Jarmericus Sivardi filius nobilitavit. Cracus domitis rebellibus, impositoq; nomine Cracoviæ, portentosæ magnitudinis Draconem, sub arcis exesa rupe latitantē prostravit, secundus è verò Hercules, si plura monstra in Polonia reperisset, Ritigerum Germaniæ Principem Vanda, Lechi secundi Imperium in ipso ingressu, fraternæ cædis abrupit dolus. Vigil ille tot Regnorum custos Premislaus Pannones ita bello exterruit, fregitq;, ut arma illi ampliùs ostentare non potuerint. Lesco fraudulentus nimiùm effuso ad sceptra cursu, vitæ stadium præcipitavit. Reliqui Lescones bello domitos in obsequio finitimos habuerunt. Popielus primus insignem arcem ad lacum Goplo dictum molitus, filio reliquit exornandam, nisi à cœlesti Nemesi submissi mures filum consilij humani præcidissent. Piasti mensis non puduit ipsos accubuisse superos. Semovitus armorum tolerantiâ ferreus, morum comitate Princeps aureus, Ungariam, Bohemiam, Cassubiam, Pomeraniam triumphali manu compulit ad tributum. Omnia jure belli accepturus, ni partem præscriptam ferro persolvissent. Lesco IV. difficillimam gloriæ partem implevit felicissimè, respirante hoste, bene partis usus est laudabiliter. Fines Imperij propagavit Zemomislus. Miecislaus primus orthodoxis initiatus sacris, accensa Polonis Romanæ fidei face, ipsos Deos barbaros vero Numini immolavit, ipsas aras idolaq; egit in hostias, ut tam solenni fumo gentili superstitioni lachrymas ad pœnitentiam provocaret. Tot ergo tantaq; primi Poloniæ Duces præstiterunt, inter imperij hujus rudimenta. Quid Reges non egerunt, ad quorum gloriam liberis omnium ordinum suffragijs invitaris Serenissime Electe. Certe Boleslaus Chrobri Bohemiam, Prussiam, Saxoniam, Russiam, non tam passibus, quàm victorijs emensus, par antiquo Herculi æmulus. Ossæ, Borysthenι, Salæ columnas æneas imposuit, non limites, sed indices Poloni nominis. Miecislai secundi acta conjugalibus consilijs, & præpropera morte sunt interrupta. Casimiro I. nascenti concussa tellus adtremuit, quasi in novi testimonium gaudij subsiliret, non trepidanti, sed tripudianti similior, nec vanum fuit illud exultantis elementi tripudium. Nam post septennale interregnum, ægerrimam (ut ajunt scriptores) Rempublicam lenta manu sanare aggressus, curavit felicissimè. Maslaum Masoviæ Ducem, cum ingenti Prussorum Ianzvingarumq; exercitu, ita fudit, ut Maslaus victoris evasurus vincula, ipse se in vincula induerit, avaramq; regnandi gulam, funesto tandem fune præfocârit. Boleslaus audax Bohemicus, Silesicus, Ungaricus victor toties longè, latéque propagavit imperium, major tamen feliciorq; futurus, si domitis ubique, cæsisque hostibus, se præterea ipsum vincere potuisset, Vladislaus Hermannus recisis triumphali ferro rebellium Prussorum, Pomeranorumq; capitibus, quæ jugum Regni e[illegible]sserunt, fluviū Drwęka ingenti cæde cruentavit. Boleslaus Krywoustus quadragesies septies captis belli Ducibus victor Henricū IV. Imperatorem Romanum, exercitu numerosissimo exutum, ægrè cum uno comite redire permisit in Patriam, ut vitam quam manibus jam non poterat, pedibus saltem tueretur. Vladislai secundi gloriam sumpta in fratrē arma obscurarunt. Boleslaus Crispus Prussiæ Pomeraniæq; Romanā fidē *bello* etiam persvasit, ne ipse latiùs, quàm DEus orthodoxus regnaret in *Polonia*. Miecislaus ter à civibus semper suis vitijs Regno pulsus, ter gravi ter-

*A.C.*1697 vi terræ motu concussa Polonia, quasi admonente tellure ejus imperia excutere voluisset, vix supremæ quietis spatium, tot inter motus invenit tandem. Geminas tamē sublevandis inopibus ædes, sumptu Regio excitavit, erexitq;, ut iis quos fortè miseros aliquando fecerat, implerentur. Nempe sterilis adeo nulla impietas est, quæ non speciem aliquam proferat pietatis in publicum. Habent sua obscurissimæ quoq; umbræ sidera, habent cœlestium ignium symbola stelliones, sub inani fumo ignis reconditur, altis scintillæ latent sub cineribus. Casimirus justus Prussiam, Pomeraniam, data victis veniâ ferro ad pedes Regios prostravit. Lesconis Albi famam, in exortu imperij Svetopelcus Pomeraniæ Gubernator extinxit balneo. Boleslaus Pudicus Iazigas ita uno prælio delevit, ut nomen quoque illorum amplius legi non posset. Russiam deinde, Silesiam, Moraviam armis stimulavit, movit vctoriis, incendiis Provinciarum accendit ad obsequium. Lesco non indecoro Martis pulvere niger dictus, Leonem Principem Russorum, Tartarorum, Litvanorumq; exercitu prævalidum, in suas egit casses; imò quòd rarum viderunt terrarum imperia, ipsum quoque cælestis militiæ Ducē divinissimū Michäëlem, inter signa suæ victoriæ prope Lublinum obtentæ numeravit. Henricum Probum ad primum Regni limen vigil allisit invidia, ut tanti mensuram nominis implere supremo fato prohibuerit. Unde à quibusdam scriptoribus ne quidem inter Reges numeratur, eò quòd nihil præcipuum pro imperij sui gloria egerit præter animam, probo insignem nomine. Quanquam ille Boleslaum Masoviæ Ducem ita bello fregit, ut vix cucullo monastico indutus prælio evaserit. Premislaus quoq; secundus non salutato adhuc Regno, & tantùm terrore sui nominis præmisso finitimis, inter Bacchi hilaria, Brandeburgensium Marchionum artibus, ipso die cinerum in favillas abiit. Venceslaus Böemus Regum sedem Cracoviam solido muro cinxit, & pro quadrata ex corio pecuniaria moneta, aureos argenteosque orbes substituens, effecit lege publica, ne quadrata rotundis ampliùs miscerentur. Vladislaus Locticus Brandeburgenses Prussos cædit, & Cruciferos, qui eversa religione, perinde tunc nomen Religiosum tenuerunt, atq; Africâ Scipio ille Africanus. Casimirus magnus exilis parentis filius, ut tanti nominis amplitudinem factis extenderet, viciniam ad tributum, quod excusserat, armis cōegit, Provincias urbibus exornavit; urbes muris induit, muros propugnaculis, Regnū munivit legibus. In convivio nuptiali Carolū IV. Imperatorem Romanum, Ludovicum Ungariæ, Petrum Cypri, Sigismundum Daniæ, Reges; Ottonem Bavariæ, Semovitum Masoviæ, Boleslaum Svidniciæ, Vladislaum Opoliæ Duces habuit, ostenditq; esse Polonis Domi ea, quibus maximi etiam Principes possint recreari. Ludovicus Ungarus profligato feliciter Masoviæ Duce in Ungariam, Rex magis Pannonicus quam Polonicus, festinavit victor, ut morte in Polonia non inventa, vitam inter Ungariæ suæ vites effunderet. Vladislaus Jagello Magno Ducatu Litvaniæ Regibus Poloniarū asserto, receptis Silesiæ arcibus, extinctoq; barbaro sacrificulorum igne purpurā Regni & solium illustravit. Vladislaus III. Poloniæ simul Rex & Ungariæ bis Amuratem ex acie fugat, adductis quatuor millibus captivorum, Bulgariam, Russiam, Romaniam, victoriis emensus, procellam tandem omnibus orthodoxis imminentem, objectu Regij pectoris dissipavit. Casimirus II. post diuturnum cum Crucigeris Martem, Mariæburgum, cæteraq; propugnacula, alia ferro, alia capit auro, ut potiùs suorum sangvini, quàm æri parceret. Joanni Alberto satis elogij scriptores, reliquerunt, quòd tot Regnorū Tyrannus, Turcarum scilicet Imperator, deposito fastu barbaro inducias belli apud se postulaverit. Alexander par magno illi Macedoni, depulso Regni finib⁹ primum

Stephano,

phano, deinde Bogdano Palatino Moldaviæ, vigintiq; Tartarorũ millibus cæsis præmissisq; ad tartara, victor cœlum subijt. Sigismundus I Scythica, Maldavica, Prussica, lauro insignis tot millia Moschorũ uno prælio fudit, ut rapidissimi Borysthenis curs⁹, objectis cæsorum truncis sisteretur. Sigism. Aug. Curlandiæ & Semigalliæ accessione auctus, repetitis cladibus cædit Moschos, sæpius enim tantæ Hydræ capita ex ipsis vulneribus pullulârunt. Henricus Valesius, breves admodum regni nostri deliciæ, ne primam quidem Valesiani nominis dissyllabam Polonis dedit, Castor Pollucem alterna morte redempturus. Stephanus Bathoreus regnandi rudimentis in Transylvaniæ exactis Principatu, Maximiliano inprimis Imperatori, terrori fuit, rebellium deinde pervicaciâ fractâ, vindicatâ Livoniâ, Balthiciq; littoris tumore depresso de Moschoviæ tandem Tyranno gloriosissimè triumphavit; aliàs callidissimus sub tam frigido Jove hostis, fatigatis pertinaci bello Polonis vicerat, nisi in Ulyssem incidisset. Sigismundus III, Maximilianum, Ericum, Carolum, Gustavum Adolphũ, à solij sui ambitione detinuit. Turcarum Scytharumq; copijs sæpius profligatis, Moschoviam non ferro magis, quàm cœlo suo armatam, Metropoli expugnata, Duce capto militiæ, cæsis exercitibus, ita perdomuit, ut inveniri diu non potuerint, qui vincerentur. Vladislaus IV. Alexander Sarmaticus, Mars Polonus, iterum Moschoviam in Severia, Turciam in Podolia, Sueciam in Prussia, stupente mundo, sola armorum ostentatione ad pedes egit. In Joannem Casimirum, multiplicem, validamq; simul procellam fortuna impulit, ex Moschovia Szeremetum, ex Suecia Carolum, ex Ungaria Racocium, Chmielnicium ex Ukraina, Hanum Tartarorum ex Scythia, ex ipsis Regni visceribus rebellem militiam. Actum erat de Regno, nisi tam frequens vaferq; Annibal in Fabium incidisset æquè fortem atq; cautum. Neque Michaëlis I. è terris exitus non triumphalis, illo enim celeberrimæ de Turcis ad Chocimum victoriæ die ad superos abijt, Barbarorum cladis idem author & Nuncius. Joannes III. si geminam illam ad Viennam Austriæ, & Ungariæ Parkanum palmam memorem, satis me ad tanti Regis immortalitatem dixisse reor, qui ad scopulos Pannoniæ ita Turcicum allisit Martem, ut Vezyro tot Regnorum triumphis superbo, animam eliserit. Adeo nemo adhuc post Reges natos extitit, qui basilico nobis opere sceptra sua non approbaverit. Neq; illum me velim credideris Serenissime Electe, ut quæ non fecimus ipsi, nostra putem. Cœnosum ac turbidum rivum perspicui fontis origo non commendat. Malo Tersites sit Pater, quàm si Tersitæ similem producat Achilles, vel Pulcheria Turpillium. Infamat, non attollit suæ impares stirpi majorum glória, & degeneres oculos ipsa Serenissimi quandoq; generis perstringit claritudo. Altior nobilitas arboris, clariùs prodit lappas & stolones. Publica Annalium fide constat, ea me hîc protulisse, non ut te ingentibus Regum meorum vestigijs à solio deterrerem, sed ut majora meditantem Themistoclem nostrum, quasi Milthiadis trophæis fortiùs ad immortalium decorum continuationem invitarem. Novimus enim Serenissimæ domus Bourboniæ devotam Bellonæ Martiq; indolem, æstimamus palmas & trophæa, Heroica opera tua, suspicimus, quæ nobis toties fama publica referebat. Novit te Ungaria, novit Anglia, novêre Confœderati, novêre hostes Galliarum. Et hæc sunt, quæ militarem populum ad tui Electionem, inclinârunt. Habebis ad nutum tuum arma, habebis expeditos in quemcunq; hostem cives, æquè tui amantes ac reveren-

A.C. 1697

A.C. 1697 tes. Possumus enim tam verè quàm liberè præferre gentis nostræ gloriam, supra aliorum Regnorum felicitatem, quòd admodum paucos è Regni finibus, neminem tamen hucusq; Regum è vita pepulerimus. Quisq; Poloniæ Principum securiores potest capere somnos in aperto, nudoque pectore civium, quàm armatus inter excubias. Miles suo Principi obsequentissimus, modico auctus ærarij publici stipendio, bella gerit, absolvitq;, in castris delicias aspernatur, dura Cerere necessitatem epularum frangit, & æstum Bellonæ frigidâ plerumque lymphâ temperat, quam ungula equi stare nescij, invitæ telluri expressit, ubi defecêre fontes sangvine hostium redundantes. Otium in regno frustra speraveris, in continua messe gloriæ triumphalis. Erunt Turcæ, Tartari, Moschi, rebelles Valachi, Moldavi, erunt iniquo jure ereptæ Polonis Provinciæ, in quarum campo licebit quotidie gloriæ tuæ longè latéque excurrere. Expandunt jam alas Polonæ aquilæ in occursum tuum Regum desideratissime, patent Regni portæ Principi liliato, sed anhelantium magis corda civium. Efflorebit Te Rege antiquus candor Polonorum, redolebunt ubique sceptri tui lilia, odoreque suo fœdas barbarorum cohortes à Regni finibus prohibebunt.

LXXX.
REGI CHRISTIANISSIMO,
Gedano die 19. Octob: scripta, ex Gallico traducta.

Maxima egit Majestas Vestra, immortalitate digna, sed indulgebit mihi, dum dixero, quòd hic actus cum nullo alio hactenus comparandus veniat, & hic unicus omnes adæquare videatur, quòd talem tempore belli cum tota Europa, dederit Nationi nostræ Regem, ut universum in admirationem trahere possit orbem. Non insinuo Majestati Vestræ ea commoda, quæ ex hac electione in rem Regni sui resultare possunt: sed liceat dicere pro vero in obsequium suum zelo, quòd stabilitas sangvinis Majestatis Vestræ in throno nostro totam ejusdem occupare deberet mentem, tanquam major omnium, quæcunq; esse possunt, cogitatorum. Reddo ego pro particulari meo interesse humillimas Majestati Vestræ gratias, quòd nos fecerit dignos, ut essemus tanti Principis subditi; sed quia tantum honoris est, & commodi Majestatis Vestræ, ut illum sustineat, quantum felicitatis Regni nostri, ut illum possideamus, officij mei duco, sicut devotus Majestatis Vestræ servus, & Regni hujus Senator, ut eidem cum omni veneratione repræsentem, & cum ea sinceritate, quæ bene convenit cum charactere, quem porto; quòd aliquod nascatur scandalum in Regno nostro, ex his informationibus, quæ certò certiùs datæ sunt Majestati Vestræ, quandoquidem tam magnus Princeps comparuit hic, sine sufficientibus mediis ad sustinendum honorem tam proximi sangvinis Majestatis Vestræ, & illius, ad quem vocatus est à Regno nostro. Nullus est, qui meliùs negotia mundi comprehendere possit Majestate Vestra, quæ totam regit Europam, eo modo, quocunq; eidem placet, Rex noster venit sine viribus, sine armis, & timeo, ne absint media pro sustinenda nostra militia, illo maximè tempore, quo Elector Saxoniæ viribus suis, & amplo ærario fultus, jam est coronatus. Verum quidem est, quòd Coronatio hæc magis valeat pro promovendo Electi nostri interesse, quàm pro stabiliendo suo. Sed ô Rex! scit bene

Maje-

Majeſtas V, quòd omnes rationes in iſto mundo tantum valeant, quantum illos vis armorum, & nummorum ſuſtinet. Parati nos ad effundendum ſangvinem noſtrum, quia id minimum eſt, quod ſacrificare poſſumus, pro hoc Rege, qui jam omnium noſtrûm lucratus eſt corda. Sed optimæ intentiones non ſunt capaces ad ſuſtinendam eo modo, quo poſſemus ſperare expletionem deſideriorum & votorum noſtrorum. Et ità cùm commoda Patriæ noſtræ juncta ſunt cum commodis Mtis V, audeo humiliter ſupplicare, ut non permittat ruinam horum, qui ſe obſequiis ſuis conſecrârunt, & ne fruſtra invocatum ſit magnum ſuum nomen ſuper nos. *A.C.1697*

Minatur nobis, Magne Rex, pars adverſa quin imò jam incipit aggredi fortunas & bona noſtra, quæruntur perſonæ noſtræ, quis honor Mtis V, ſi illi, qui profitentur ſe eſſe ejus ſervos, pereant? & peribunt certè ſi Mtas V. non aſſiſtet nobis militibus & pecuniâ. Omnis mora ô Rex! periculoſa eſt, omnia cedent bene, quando media ad promovendas res noſtras non deerunt. Si habuiſſemus media, ut ego prædicavi ſemper in tempore opportuno, nulla ſciſſio fuiſſet,& Mtas Vra gloriā habuiſſet,dando Coronā Poloniæ ſtante oppoſitione toti⁹ Europæ.Sed ea,quæ præterierunt, redire nequeunt, Mtas V. ſecura eſſe debet, quòd nobis non deſit cor, non affectus, non capacitas bene agendi, ſed deſunt media, Elector Saxoniæ expendit multum, evocatq; à nobis, continuis largitionibus amicos.

Dabit veniam Mtas V. zelo, qui me ſcribere ea facit, & qui me obligat, ad reiterandas humillimas preces, ut cogitet de nobis, qui Mtis V. obſequiis nos conſecravimus. &c.

LXXXI.
AMICO CONFIDENTI
Pulroviâ 9. Novembris.

De actis ſub Gedano.

VAledixi abituro, ut ajebat, intra aliquot dies Principi de Conti, & ſimul cum Martino Katſcio Palatino Kijovienſi Mariæburgum venimus,ibiq; Mareſchalcum Curiæ M.D.L. Alexandrum Sapieha reperimus, qui etiamſi à nobis informatus erat Principem de Conti reditum eâdem viâ, quâ venerat parare; voluit nihilominus ante abitum eum convenire. Ego ulterius iter meum proſecutus ante Prabuti civitatem Brandeburgicam habui notitiam, ibidē Epiſcopum Kijovienſem Swięcicium & Caſtellanum Caliſſien: Przyiemſcium pernoctaturum. Scies autem illos à Cardinali conſilioq; Rokoſzianorum Lovicii conſiſtentium miſſos fuiſſe ex eo fundamento, quòd à me genuinè de omnibus rebus informatus fuerit Cardinalis, & quia vera erant, quæ ego nuntiabam, ideo minus grata. Voluiſſet enim Cardinalis ſi jam Principē de Conti in Polonia non videret, ſaltem pecunias ſuas, quæ ipſi debentur ex debito an ex promiſſo haberet, ac proinde nova hæc & ad ſpeciem inſtructa legatio jam mihi diffidendo, qui pacatiora ſemper ſuadere ſoleo, inſtructa eſt. Præceſſerat etiam junior Towianski Gedanū volebatq; Cardinalem cum pleniori informatione adire. Sed cùm in via dictos Senatores obvios habuerit, ex perſuaſione eorundem cum iiſdem revertebatur, & ut dixi, illo veſperi, quo ego Prabuti tranſire debebam, conſtiterunt. Dubius ego hærebam, videréne illos, an non viſos aliâ viâ tranſire deberem? vicit tamen in contrarium ratio, qua ſi vidiſſem illos,

A.C.1697 illos, aut veritas dicenda erat, & tunc illi videndo, quòd nihil restat Gedani agendum, redire potuissent, & in me omnis culpa rejecta fuisset, si culpa dicenda est, omnes motus impedire inter nos. Si verò suspensa aliquatenus veritate prosequendum ulterius iter suasissem, & illis id accidisset, quod inferiùs scies, mihi iterum culpa adscripta fuisset, cùm præcipuè dilectissimus Towianski in periculum id, quod postea accidit, incidisset. Determinavi proinde ulterius iter meum prosequi sine ulla in transitu data notitia, sed cùm uno milliari longiùs progressus fuissem, scripsi schedam Episcopo, mentionem nullam faciens materiæ, dolorem tantùm expressi, quòd illis non visis transire debuerim.

Habui postea notitiam, quomodo Generalis Brandt cum aliqua Saxonicæ militiæ parte duobus diebus post adventum eorum Olivam venerit, quomodo Lubomirscius Sandocensis Capitaneus per mediam aciem defendendo se transierit, iterq; suum duobus stipatus per Prussiam promoverit, quomodo item Castellanus Callissiensis arte dispositam pro se capiendo militiam eluserit, quomodo Episcopus stans ad altare ex Ecclesia Olivensi extractus fuerit, in curru Gedanum cum infamia ad Flemingum, & Galeccium Palatinum Innovroclaviensem ductus fuerit, quomodo supellex ejus direpta in manu militari hæserit, quomodo vix à Regina Vidua Gedani tunc manente liberatus tandem redire potuerit, quomodo dilectissimus Towianscius ementito habitu Religioso (vestem enim Cistercienſem induerat) cum Principe de Conti, qui immediatè vela dedit profectus fuerit, quomodo Legatus Galliæ omnem suam supellectilem, exceptis scripturis à fideli domestico salvatis perdiderit, ad quem à Magistratu, & ab eo ad Magistratum scriptas literas habeo, tibiq; mitto. Venerat etiam Senior Towianski Castellanus Lencicienſis ad apportanda ducenta millia florenorum in prætensionibus à Principe Contio Cardinali in arce Mariæburgensi deposita, quas dum portabat in civitate Stumensi à Saxonibus pessimè tractatus, qui non considerato Senatoris charactere, non contenti, quòd pecuniam, omnemq; ejus supellectilem ei acceperint, etiam illum aliquoties percusserunt. Pecunia hæc ex dispositione Flemingii Mariæburgi iterum deposita, cui cedet nescio, habui autē notitiam, justè vel injustè nescio, contra eas formari prætensiones, & dubito valde, integram hanc summam ad manus venturam Cardinalis. Scriptum est mihi consilium formatum fuisse, me quoq; , quem prope transibat exercitus in via arestandum & capiendum. Et jam Galeccius Generali Brandt id officii commiserat, quod ille tamen majorem respectum characteris mei, quàm ille, quantumvis Senator habendo nullatenus suscipere voluerit. Itaq; Domini DEi gratiâ evasi illud periculum, & manus avaras, sanusq; per eandem gratiam redii. Cùm autem seriò meditatus fuissem, quid tandem ulterius agendum foret. Deserere partem Contianam ipsa necessitas & suadebat & cogebat, cùm nihil amplius spei in illa esset. Deserere autem non petitâ licentiâ, cui obsequium meum invadiaveram, non est visum. Credidi insuper pertinere id ad honestatem, ut eidem Monarchæ impossibilitatem ampliùs sustinendæ factionis hujus demonstrarem; petii proinde à Jelecio qui in negotiis à Wapowscio socero suo Gedanum quoq; missus erat, ut iter Parisios sumptu meo per postam citissimè arriperet, quod & factum, abiit plenissimè informatus non tantùm de iis, quæ jam peracta sunt, sed etiam quæ fieri necessariò debebunt, ut scilicet Rex Christianissimus acceptâ hâc verâ, sinceraq; relatione nobiscum dispenset, & ampliùs honorem suum in prosequendo hocce negotio non prostituat, conclusiq; intra me non accessurum me ad partes Neocoronati, nisi priùs responso Parisiis habito, quod brevi spero, & ut cū Cardinali

Episcopus Kijoviensis Gedanum.

Towianski navi abducitur.

dinali de mediis salvandi honoris tractarem, quod jam immediatè feci *A.C.1697*
describendo omnia genuinè eidem Cardinali, unde possit ulteriora consilia capere, & mihi suggere, cùm mihi videantur ea quærenda esse, in quibus nos frustratos postea non queramur, erramus autem si apud Gallos amplius quærimus &c.

LITERÆ A MAGISTRATU GEDANENSI AD MAGNUM DUCEM POLIGNAC LEGATUM GALLIÆ.

NON speraveramus post nupernam Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ cum Domino Præside civitatis hujus collega nostro perdilecto habitam conferentiam ad tales deventuram actus, quales nunc cum summa, non tantùm nostra, sed & universæ civitatis experimur consternatione. Securos nos reddiderat innocentia nostra, optimæ conscientiæ fulta testimonio, quâ freti non tantùm certo nobis persuasum erat, nos omne id, quidquid in occasionem offensarum ex parte Illustrissimæ Excellentiæ Vestræ acceptū fuerat apud Christianissimum Galliarum Regem exaratis eam in rem, pro exculpandis actionibus nostris, humillimis literis facillimè excusaturos, sed & apud Illustrissimam Excellentiam Vestram rationes à Domino Præside allatas tantùm ponderis habituras esse, ut eandem pro avertendis potius, quàm effectui dandis, ejusmodi damnosis attentatis, quæ nihil nisi hostile spirant, laboraturam crederemus. At verò dum aliud placuit, & naves civium nostrorum ex improviso in statione navium maritima jussu Præfecti Classis Gallicæ ibidem commorantis, violenter occupatas videmus, non potuimus quin sedandis perturbatorum, & summè commotorum civium animis, de remediis, quibus malo exinde resultanti obviam iretur, tempestivè cogitaremus, indeq; instantissimè eorundem solicitatione id tribuendum fuit, ut non tantùm portas civitatis omnes occludi, sed & omnia bona, ad mercatores Gallicæ nationis pertinentia ubicunque in civitate deprehendi possunt, aresto innodari, obsignari, & pro majori eorundem securitate, ne à populo concitato in prædam rapiantur, constitutis ad ædes, ubi reperiuntur illa excubiis custodiri faceremus. Considerantibus igitur nobis quantis porrò motibus agitanda sit civitas hæc, & quàm periculosæ exinde orituræ sint sequelæ, ni maturè componatur negotium illud & malum antequam altiores agat radices tollatur, per præsentes querelas nostras eo nomine ad Illustrissimam Excellentiam Vestram deferendas esse duximus, id ab æquanimitate ejusdem sperantes, ac enixissimè rogantes ut perpensâ nostrâ erga nationem Gallicam observantiâ quam nunc quoque quamdiu Classis Gallica in vicinia nostra stetit, quantum status rerum præsentium permisit, erga eandem abunde testatam dedidimus, eum gratiosissmè inire modum velit, quo non solùm restitutis & libertati suæ relictis navibus civium nostrorum nunc violenter occupatis, libera iisdem in mari maneat navigandi facultas, sed & apud Christianissimam Galliarum Majestatem civitati huic pristinam gratiam, qua hucusque semper gavisa est, intercessione sua gratiosissimè

A.C. 1697 sissimè conservare dignetur, quod dum nobis indubij ab Illustrissima Excellentia Vestra pollicemur, nos quoque eidem quam semper ergà Illustrissimam Excellentiam Vestram testati sumus observantiâ porrò non deerimus, non dubitantes optato nos ab eadem exhilarandos fore responso.

RESPONSORIÆ MAGISTRATVI GEDANENSI à M. D. POLIGNAC, LEGATO GALLIÆ.

Quando Magnificum civitatis Vestræ Præsidentem conveni nuper, statim ipsi significaveram instinctu pristini amoris, quo semper in civitatem vestram ferebar, & quem in promovenda sæpius navium interceptarum restitutione, vel saltem aliqua, uti ex ministerio meo potui compensatione testatus sum, quantum errorem admisisset Magistratus alioqui prudens, & in orbe celebratus, dum excessus innumeros & infames nullibi unquam auditos nedum intentatos adversus Potentissimi & Christianissimi Galliarum Regis Domini mei Clementissimi subditos, Officiales, Nautas, Vexillum & omnia sacrum & formidandum Majestatis suæ Nomen quovis modo repræsentantia, vel imperavit civibus suis, militibus ac servis, vel certè cognitos & benignâ per me ipsum expostulatione delatos toleravit, & continuari fecit. Exposui quid tanta facinora, & in ijs contumax perseverantia finalisque impœnitentia malorum in civitatem vestram adtraherent, jam attraxissent & in posterum, ni per solidum & competens remedium obviaretur essent attractura. Monui jam ex primis petulantiis Gedanensium indignationem Christianissimi commotam, & ab eo exjisse edictum, ut in omnibus Galliæ portubus interciperentur naves, quotquot reperirentur. Gedanenses homines sub arctiori custodia detinerentur, imò ut Gallicarum navium Præfecti omnes in mari, quotquot Gedanenses caperent fisco addicendas sine intermissione, donec plena & adæquata per Magistratum Civitatis Vestræ fieret ex integro de omnibus, & singulis excessibus prædictis, quos recensui pridem, & nuper satisfactio, & submissio, ipsa quoq; verba, ad rem hanc in literis Christianissimi 14 Octobris ad me datis contenta recitavi, quæ quidem omnia ex affectu meo amicissimè denuntiata, recipiscentiam suaderent, tam exigui apud vos fuerunt valoris, ut ipsa illa die, qua civitatem vestram ingressus & M. atq; Illustrem consilij vestri Præsidentem allocutus sum, scriba navis Præfecti in vestra civitate detentus per horas quinq; incarceratus, & contumeliosissimè affectus fuerit. Quid ergo potuit minus facere Illustrissimus Eques Dominus Barth classis Regiæ Præfectus officij sui peritissimus, quàm læsa per septimanas sex integras patientiâ tandem facere satis & quod ab initio potuisset, ac ipse tantùm melioris ex parte vestra processus tamdiu suspenderat, exequi tandem, ubi nullâ vos ad officium admonitione, sive adhortatione flecti posse intel-

intellexit. Sed hæc sunt minima, majora vobis imminent, & exempla potentium civitatum si præ oculis non habetis, capitibus certè vestris habetis timenda. Per vestras utiq; Magnificas & Illustres Dominationes incepta hostilitas, & ignem accendistis, quomodo extinguetis? ipsi videritis. Miror autem vos me uti vestrum apud Christianissimam Regis mei Majestatem advocatum & intercessorem rogare atq; impotentem vestram vindictam in solos mercatores Gallicæ nationis sub prætextu majoris præcustoditionis, ab aliquo tumultu plebis exercitam scribere, dum res ipsas meas, domesticos, equos & currus contra jus gentium & fas omne detinere præsumpsistis, & adhuc præsumitis, unde vos existimo contra solitam literarum vestrarum observantiam, quæ verbis non factis commonstratur, asperius velle ac magis in dies insanabile fieri vulnus. A.C.1697

Sic ergo ultimatò respondeo, ut primum ante omnia quidquid meum est, liberum in instanti faciatis cum legitimo & violato jure gentium & characteris mei excusatione. Quantum verò spectat ad naves vestras quæ justissima de causa detentæ sunt, hoc cum Illustrissimo Equite Domino Barth tractare poteritis, ista enim ad officium ejus, non ad meum pertinent. Maneo &c.

SERMO AD SERENISSIMVM POLONIARUM REGEM PRINCIPEM CONTIUM VLADISLAI PRZYIEMSKI CASTELLANI CALLISSIENSIS.

UT supra alios ad Regnum Poloniæ Candidatos emineres, placeresq; præter singulares illas animi tui dotes, quas pridem jam publicæ de te famæ elogio accepimus, duæ te virtutes præcipuè nobis commendârunt, nimirum Religionis Romano-Catholicæ, & natæ nobiscum libertatis amor. Non sumus de illorum numero Poloni, quos facilè decipiat vulgi rumor, aut assentatio, quæ sæpiùs illudit alijs, ubi de meritis Candidatorum statuendum est. Quingentorum supra mille annorum casibus erudita Respub. nostra, veluti suspiciosus senex, nec solâ ætate, sed experientiâ quoq; ipsâ trepidans diu expectavit oculorum illorum suffragium, ut illum te salutaret, quantum fama publica perfectissimis coloribus priùs absolverat. Scilicet avita Patrum nostrorum fides tot bellis quæsita, totq; heroum redempta sanguine fortiter nos admonebat, ut in Angelico liliorum Regno potiùs, quàm in omnigenæ hæreseos lerna Principem quæreremus, qui ereptas cum Provincijs Ecclesias vendicaret, & DEUM templis profanatis, aris Romanos Mystas restitueret. Alterum est, quod ad tua Serenissime Princeps sponte invitavit suffragia, quòd post liberam electionem tui securos omnes reddideris, servandæ nobis pariter libertatis tot legibus sancitæ, tot sæculorum praxi confirmatæ. Non enim prævolasti tempora inaugurationis tuæ,

A.C.1697 me offerebam cum Capitaneo Olstinensi in secreto & cum omni possibili securitate Camenecum Principem deducturum, unde salvâ evictione apud Turcas, illud Poloniæ restituendi, quod facile quidem fieri posse videbatur, Exercitum Polonicũ retrahere à Ducib⁹ potuissemus, & inde prætensiones nostras promovissemus, quod mihi pro captu meo convenientissimum videbatur; si autẽ aliter conclusum fuisset, ita res dispositæ erant, ut parvo negotio brevi præsentẽ Regẽ Lovicij habere potuisses; & nos hoc solamẽ, quod salvarem⁹ libertatẽ & honorẽ. Videbatur quidem Princeps magni ingenij & prudentiæ annuere consiliis nostris, sed quando Consiliarij maritimi id inaudiêrunt, ita obstiterunt omnib⁹ consiliis nostris, ut nihil haberi & extorqueri etiam cum invidia posset. Quidquid in terra suasim⁹, in mari dissuadebant: Abbas Polignac sub specie aliorũ negotiorũ remotus, & in terrã exclusus, in mari verò nihil fiebat absolutè eorum, quæ in littore concludebantur. Optavimus aliquẽ mittendũ ad ingressum Varsaviensem, idq; & ingenio præditum, & aliquâ pecuniæ summâ munitum, quæ ex dispositione tua optimum effectum habere potuissent; Ad famam enim omnia dirigenda. Optavimus, ut tria, vel quatuor millia talarorum (quid hoc est?) projicerentur, prudenter tamen inter hos, qui congregati erant, quia sicut prodigum esse, vitio vertitur, ita parcum esse laudi non tribuitur. Non erat auditus, quicunq; adibat naves cum bono consilio cum naso (ut dicitur) redibat; Et quod est majus, de die in diem negotia trahebantur, promissa vana jactabantur, quibus omnes eludebantur; Id ego optabam quoq;, ut, cum nihil dare vellent, statim expedirent. Residentia enim Gedani satis cara, quò diutiùs quis moratur, eò plus prætendit & eò magis, cum nihil dederint, murmurabit. Sed nec in hoc consilio delatum, quin imò, quod erat pejus, rarus erat, qui aliquod bonum verbum audiret, ut quis venit, ita abijt cum hac differentia, quod sicut cum præsumptione & aliqua superbiæ nota, ad castra itur frequentiùs, ex castris cum dolore reditur. Prima Prussia resilire à nobis visa, domus Czapsciana, cujus potior factio, cum Joanne Kos Palatino Culmensi malè contenta abivit, statimque ab alia parte prensata. Sciendum enim actualiter manere Residentem Saxonicum Gedani, & certo certius est, quòd distribuat omnibus illis pecunias, quicunq; sine ulla satisfactione à nobis recedunt, illisq; accedunt. Palatinatus Plocensis, qui tam fortiter & zelosè ab initio & usq; in hanc horam egit in potiori parte malè contentus. Ex Brestensi Inovroclaviensi, Podlachiensi, Masoviæ Palatinatibus omnes vertebantur murmurantes, qui tamen & tanquam singuli observandi, & tanquam non singuli timendi erant, ut enim libera in eam vergit partem, ubi plus apponitur, sic illi nunc huic, nunc illi favent, qui plurimum dat. Ut omnibus dare non expedit, ita nulli minimè æquum erit, cum præcipuè non defuissent media quosdam donis, nonnullos bonis verbis, aut promissis devincire, hæc enim summa curarum, hæc summa votorum nostrorum fuit, & hæc res multis agitata sermonibus. Sed nihil horum absolutè, & ita exijt rumor inter fratres, & forsan notitiæ hæ etiam in Litvaniam pervenerunt, quandoquidem ab omnibus residentes ab Abbate Polignac cum assignationibus congregati scribere Principalibus suis vera debuerunt. Quando ut cum periculo offensionis opportunè importunè & ore & scripto, ut aliquid saltem agere incipiant expostulavimus, aliud non habuimus responsum, nisi milites esse necessarios, se solùm cogitaturos, quid facto opus sit.

Interea expresè & palàm jactabant, nulla promissa ab Abbate Polignac facta exsolvenda esse. Discursus insolentiores etiam (nonne hoc naturale Gallorum illorum, qui aut tolluntur altissimè, aut humillimè deprimuntur) audiebantur, Poloniam non esse dignam tanto Principe, illum

lum propter se nihil prætendere, sed tantùm à servitute nos vindicare *A.C.* 1697
velle, reditum in Galliam meditari, & alia hujus generis plurima quorum illi stultitiæ lacte nutriti non considerabant consequentias, Timantem pictorem imitati, in cujus fabulis plus semper intelligebatúr, quàm pingebatur. Hi & his similes sermones, nihil boni in cordibus & animis Polonorum oderari poterant. Scandalizati & in eo multi fuerunt, quòd & tibi tantorum operum & tot impensarum pro illis factarum satisfactio protraheretur, imò Nepos tuus Towianscius, qui satis activitatis hîc monstravit, à multis, quidem principalioribus Gallis passim tanquam juvenis insolentior appellatus, etiam cùm abivisset, pessimis verbis tractatus à quodam fuit, & ego vindicias sumere honoris ejus satis fervidè debui. Thesaurario Litvaniæ illa quatuor millia talerorum, pro quibus ego etiam fide-jussi, exsolvere noluerunt &c.

Consumptæ sunt in his cunctationibus, & morâ, plures quàm tres eptimanæ, intra quas tum demum didici non minùs interdum oratorium esse tacere, quàm dicere, cùm nec de aula & necessariis rebus cogitaretur, nec currus providerentur, nec equi emerentur, nec argentea supellex mensæ (in stanno enim manducat) procuraretur, nec minima res ordinata fieret. Colossus autem utiq; magis eminet, dum monti impositus est; quod ego etiam cum periculo offensionis multoties insinuabam. Et quod est majus, sicut ab initio hujus factionis ita & nunc continua mendacia, vana promissa usq; ad nauseam caput rumpebant, quæ & ipse Princeps, dum eorum mentionem faceremus, mirari visus est.

Capitaneus Olstienensis versùs Cracoviam quàm tardè expeditus? nec cum plena satisfactione, quia non tantùm nihil pro persona ejus datum, sed nec minima officij alicujus assecuratio in scripto vel ope data. Quanta verò difficultas circa monetam, quando aurei cum additamento trium Szostacorum aliquibus deputatis à cohortibus dati & per id ad alacritatem minimè excitati. Quamvis id interpretabamur, aliter explicabamus, deducebamus, ad extremum etiam mendacia imitando.

Elapsis tribus septimanis, post sumptuum, & fortunæ jacturam, & me tædere cœpit, non tam ideo, quòd 150 equos nutrire deberem, cùm in eo parcus esse nequeam, scis me nec ambitiosè prodigum, sed nec sordidè tenacem esse, cœpi tamen experiri in modico meo, & per unum annum tam notabilibus expensis extenuato peculio diminutionem notabilem, cùm præcipuè haberem assecuratorium scriptum ab Abbate Polignac, quòd in expensis realibus secundùm apochas authenticè ab iis datas, qui à me numerârunt, satisfieri mihi debeat. Nolui tamen gravis esse, & certè nullum verbum nec indirectè pro domo mea dixi. Diffamare etiam non visum est, mutuum accipiendo Gedani, cùm hæc civitas omnia nunc scit, nihil reticet. Excurri proinde relicto toto meo comitatu Mariæburgum, ibi aliquod supplementum inventurus, quod & factum. Cùm Mariæburgum à domo Sapiehana venissent, loco cohortium, ad quas suspirabamus, novæ propositiones, & conditiones, volui in constanti relictis omnibus meis excurrere etiam Grodnam, illos accensurus, & huc ducturus, quod certè factum fuisset, nisi Dominus Polignac iterum me Gedanum pro consilio revocasset, ubi dum comparui, habuimus inprimis consilium inter nos Poloni; videbatur aliquibus, egressus è mari, & Mariæburgi residentia suadenda esse. Sed diffidentia aliqua propter attactum depositum à quodam, creverat in immensum; accessit Prussiæ & Gedani major nunc inimicitia, ad extremum

A.C.1697 mum sat modica copia hominum ad proportionem illorum, qui jam abiverunt, consilium id dissuasit. Præponebatur fortalitium Pucense, quod necessario milite munitum pro aliquo tempore fuisset sufficiens; proponebatur Stetinum unde vicina Polonia. Petii ad extremum ego, ut saltem ad decem dies abitus differretur, & promisi me excursurum in Litvaniam, ducturumq; aliquas cohortes, de quibus certam aliquam notitiã habuimus, quòd venire, & celeriter possent. Sed ipse Princeps reposuit; quòd absolutè Mariæburgum descendere non posset; morari autem diutius in mari non erat possibile, quia illæ naves perirent, & sic post varios sermones non sine dolore & dicentis, & audientium reditum suum declaravit, dispensando nobiscum, ut abiremus; certiorem tamen te facere debuit, nolendo sine compellatione abire, & forte optando, videre legatos à congressu Varsaviensi, qui jam prope esse dicebantur. Cùm verò in nulla epistola, quas multas Varsaviâ habebam, nuntiaretur mihi, quòd aliqua, mentio mei fuisset facta, quin imò Episcopus Kijoviensis fuerit destinatus, abeundum mihi esse duxi, non perdendum inutiliter tempus, quod alibi melius impendi potest. Obvios habui Mariæburgi Mareschalcum Litvaniæ, & Casimirum Oginscium Capitaneum Sandecensem in Sthum, omnibus bonum iter Gedanum gratulatus. Hæc ergo vera relatio actorum per 4tuor septimanas Gedani, si displicuerit, veniam peto.

Non tam sumptus, aut impensas doleo, quàm angorem animi, quo nihil gravius, quòd nesciamus quo nos fata ducent, & hoc ipsum verum indicat proditque dolorem, & simulationis fugat ambiguum; effundo enim cor meum tanquam coram Patre, & precor, ut credas, quòd nec uno passu à te abscedam ad aliam partem, non me inclinabo, ex te robur sumo in hoc mœroris mei deliquio, quod omnem dolorem meum mitiget, aut mergat. Hoc supposito mi Princeps liceat mihi quoque effundere sensum meum coram te, quod totus tremam, dum dum recogito, quæ nobis fient? Non considero personam meam; liberum enim DEO redigere me ad prima principia; nudus egressus sum &c. Sed res evidens totam poloniam in cineres abituram, sangvinis effusionem maximam futuram. Si hic accenderetur ignis, per aliquot annos extingvi non poterit, & non nisi ruinâ nostrâ hic motus cessabit. Et eritne postea saltem aliqua libertatis spes? meo judicio nulla affulget. Gubernabunt aliquot Galli, &, quod pejus est, insolentes bellum agent, quamdiu volent, nulli ex nostris quidquam permittetur. Si velles mi Princeps, posses prævisis iis, quæ ad honorem & interesse pertinent, hunc extingvere ignem vincendo te ipsum propter DEum & Patriam. Nonne major gloria erit tua, dum à ruina, quæ certè imminet, præservabis, quàm (etiamsi tuum finem assequeris) si cum tanta posteritatis injuria intentum prosequeris. Paratus sum & mori tecum, & certè neq; ad dexteram, neq; ad sinistram declinabo; experieris quod mutari nescius, personam tuam magis, quàm fortunam colo, & quod te nunquam deseram, nisi desertus. Hæc tamen reflexioni tuæ committo, tanquam juratus Senator, quidquid nocivum scivero &c. Cæterum, ut hactenus feci, cæco impetu tua mandata exequar, neq; ambigo, quod etiam mei tanquam boni, si gloriari licet, amici & servi memor eris.

CAR-

LXXXIII.

CARDINALI BARBERINO,

29. Novembris.

Electiones à divisis partibus factæ.

MAndatum tuum exequor ita libenter, ut debeo & soleo. Mitto pro informatione præjudicata scissionis duo, genuinè ex historiis nostris extracta. Adjungo factum præsentis, & quidcunque contra leges & consuetudines post factam hancce scissionem acciderit; comparationem quoque Candidatorum, ad entem tuam, huic me in omnibus conformare non sum oblitus. Adne- quoq; nuper factum manifestum, & cùm non sufficiat tempus plura ibendi &c.

Post excessum è Regni finibus Henrici Valesij duo Candidati à divisis ipublicæ Poloniæ Partibus electi sunt: Maximilianus Imperator, & Ste- inus Bathoreus, Transylvaniæ Palatinus; Primus à Primate Regni Uſ- inscio, à Stanislao Karnkovio Episcopo Vladislaviensi nominatus alter. ximiliani pars plurimùm dignitate nitebatur Imperatoria. Pro Stephani iorei Electione fortiores militabant rationes: sive ut Seren: Princeps a, quæ hactenus fuit sub tutela Reipublicæ soror Sigismundi Augu- posthuma domûs Jagiellonicæ, simul cum Stephano Transylvaniæ ipe in Reginam Poloniæ eligeretur, coronareturque, sive quòd natu- antipathia Germanæ nationis cum Polona intercederet. Iuvit præte- Bathorei Electionem metus non vanus Turcici belli, quem Legati à Othomanica præmissi, continuò nomine sui Principalis minabantur, loni ex domo Austriaca (semper sibi infensissima) Regem eligere rent. Occurrebat sæpius cogitationibus Regni Procerum nunquam ublicam Poloniam ruinæ propiorem extremæ, quàm si Germanus in n Poloniæ legeretur. Eò enim magis fugiendus credebatur Princeps, otens, & peregrinis viribus domesticæ libertati horrendus. Polonia on quærit Reges divites, sed bonos: à bonis salutem receptura, à ibus periculum. Auxit odium Maximiliani Imperatoris apud Regni es, quòd superbus illis titulus literarum à Maximiliano ad Rempu- ex Curia Germanica scriptarum videretur. Nam Reverendissimos trissimos Ordines à Regibus jam sibi dominantibus appellari cer- ; ab externo autem Principe Serenissimorum Ordinum titulum te- um contendebant omnes, tunc præcipuè, cùm mortuo Rege Se- Equites Majestatem Reipublicæ suâ ferant in persona. Inde com- Maximiliano ad Stephani Bathorei partes accedebant, respon- e exprobrantibus sibi inconstantiam Cæsarianis: non sibi in- onstantiam, sed amorem Patriæ. Prudentis esse errorem cor- Alios Navarchorum rectà ad portum deducere navem, alios oneas vias, & longos maris circuitus; cùm tamen utrisque pro meta sit. Bene agi cum Republica, ubi, cùm erratum datur tempus corrigendi, nec illico itur in præceps cum Interim Generalis armorum Dux à Senatu Reipublicæ de- , & propè Silesiam, quà Maximilianus ad Regnum itu- , arma ostendebat ad horrorem; Stephano in tu - simul pro confirmatione liberæ Electionis Stephani Batho-

Ima Electio Maximiliani & Bathorei.

Fredro folio 290.

Ex literis significatoriis de Electione Regis.

Fredro folio 300.

Idem fol. 301.

Ex literis significatoriis de Electione Regis.

A.C. 1697 rei, indictus fuit conventus Andrejoviæ pro die 13. Ianuarij Anni 1586. Maximilianistæ verò præsumentes de sui candidati electione, confirmatione illius abstinuerunt. Missæ interim in publicum utriusque partis querelæ. Pars electoria Stephani scripsit ad Maximilianum Imperatorem, ne fines Poloniæ ingrederetur, confideretq; tantopere suæ parti. Interea nobilitas quia nullius nisi legitimi Regis imperio subesse debet, inito pro libertatibus tuendis suis fœdere, impetravit per suos ablegatos, ut publico edicto legerentur nobilium cohortib⁹ Duces, quos inter præcipui fuère Stanislaus Gorka, & Stanislaus Cikovius. Veteranus tamen miles Generalissimo armorum Duci parere jussus à Senatu. Porrò Stephanus Bathoreus quantumvis ita proximus esset adeundo Poloniæ Regno, noluit tamen fines illius ingredi divisa Rep. singuli nihilominus Palatinatus pro faciliori rerum notitia habebant suos ad latus belli Ducum, qui significarent illico, si quid periculi à Maximiliano immineret. Compendio rem absolvam. Pars Bathorea optimis nixa consiliis legitimum censebat, quidquid pro salute fieret Reipublicæ.

Fredro fol. 193.

Idē fol. 202.

Ex literis significatoriis de Electione Regis.

2da electio Sigismundi III. & Maximiliani Archiducis.

DEfuncto Stephano Bathoreo Grodnæ 1586 13 Decembris duo iterum candidati eliguntur Sigismundus III & Maximilianus Archidux Austriæ, fretus Acatholicis. Fundamentum scissionis illius fuit, sive Zboroviorum cum Gorkanis in Ioannem Zamoyscium conspiratio, sive Christophori Zborovij exilium, ad quod fuerat à Stephano Bathoreo damnatus. Ex diversa parte pro Sigismundo III ex Catharina Annæ viduæ Poloniæ prognato, hæc inprimis ratio militabat, quòd esset ex stirpe Iagiellonica oriundus. Contra Maximilianum verò Archiducem Austriæ secundum ad Regnum Candidatum, omnes pariter illæ pugnabant rationes, quæ superiùs contra Maximilianum Imperatorem afferebantur. Singulariter tamen timebant Poloni, ne sub Rege Austriaco idem Regno Poloniæ contingeret, quod priùs evenit liberis Hungariæ Bohemiæq; Regnis, nec non aliis vicinis Provinciis in fædam servitutem à Germanica dominatione redactis. Itaq; Regni Primas Stanislaus Karnkovius die 9. Augusti 1587 Sigismundum III in Regem Poloniæ & Magnum Ducem Litvaniæ nominavit, die 17. Octobris coronationi destinatâ. Zborovii pariter juncti Gorcanis per Iacobū Woroniecki Episcopum Kijoviæ promulgârunt Archiducem Austriæ, fratrem Rudolphi Imperatoris. Sed ordines Regni Sigismundo faventes nominationem Archiducis Austriæ illegitimam publico suo edicto pronuntiarunt. Ex adverso Sigismundi electio Visliciæ confirmata, & arma fœderatæ nobilitatis publico pariter edicto in Maximilianum tanquam invasorem Regni decreta sancitaque. Interim Ioannes Zamoyscius magnus militiæ Dux, & Regni Cancellarius, sicut à primo comitiorum initio se in potestate senatûs futurum declaraverat, ita omnia illius arbitrio permittebat, quæ ex sua parte ad conciliandam in Repub. unionem pertinebant. Idem sine mora Cracoviam occupat, & suo præsidio munit, ne illam adeundi facultas Maximiliano Olomucij subsistenti concederetur. Rebus ita à Zamoyscio comparatis pro publica securitate & tutela Sigismundi, Zborovii Primatem Regni Stanislaum Karnkovium, captivum abducere Varsaviâ ex insidiis nitebantur, ni vigil in omnes partes Zamoyscius occurrisset, ad tutioremque locum Primatem reduxisset. nimirum Maximilianistæ omnia violenta quasi desperabundi tentabant, ut suum candidatum, quacunque demum ratione in solio retinerent. Econtra pars Sigismundo adhærens omnia prudenter, modestè omnia tacitéque consilia ad finem suum & integritatem Reip. dirigebat. Nam in electione Maximiliani non habebatur ratio salubrioris consilij apud Zborovios Gorcanosque, sed quisque adnitebatur, ut eligeretur non ille, quem de Repub. bene meritum, & nomini Polono ampliando idoneum

Piasecius fol. 60.

Piasecius fol. 64.

neum judicaret, verùm quem sibi benevolum, & æmulo suo infensum fore certò sciret. Interea temporis monetur per literas à Polonis Maximilianus, ne in Regnum veniat, nihilominus ille præfervido Zboroviorum fretus consilio, collectâ Germanorum manu armatâ Cracoviam properat, civesque imperiose urget, ut sibi portas sine mora pandant, & Regni tradant diadema, ni perire velint. Tandem irrito conatu, tentatis omnibus, majores belli machinas mœnibus civitatis admovet Maximilianus: sed occurrente cum valida Polonorum manu Zamoyscio, intra horarum trium spatium, instructâ acie superatur, fugaturq; & iterum repetito ad Byczynam prælio fractus ducitur captivus Crasnostaviam cum Woroniecki Episcopo Kijoviensi, Andrea Zborowski minore Regni Mareschalco, Gorka, & alijs præcipuis; Stadnicio ex acie fugâ sibi consulente. Ita feliciter depulso compositoque æmulo ad regendam liberam gentem se initiavit Sigismundus III. Suecorum, Vandalorum, Gottorumq; hæreditarius Rex, postquam faustis avibus, quia candidis aquilis contra nigras strenuè fortiterque priùs in Zamoyscio decertâsset.

A.C.1697

Author Lechiadis in Elogio Sigismundi Tertij

POst fata Serenissimi Ioannis III. Regis Poloniarum gloriosissimæ memoriæ divisa fuerunt suffragia; pars Serenissimum Franciscum Ludovicum Borbonium Principem de Conti, pars Serenissimum Fridericum Augustum Electorem Saxoniæ elegerunt, gravissimis ordinum Regni controversiis, aliisque rationibus, quæ contra utrumque Maximilianum militabant, accesserunt contra Serenissimum Electorem Saxoniæ, quòd pars adhærens Electori immemor Cardinalis legis: *Rex Catholicus esto*; & secundæ de Communione Catholica vel vocatione vel professione: Germanum vicinum semper Antecessoribus nostris ad hæc usque secula proximâ potentiâ formidabilem, nullâ ratione habitâ legitimæ Electionis per vim persuadere potiori Senatorum parti voluit. Nihil interim deerat, ex parte Eminentissimi Primatis avitarum legum integritatis diligentissimi, & Regni Ordinum illi adhærentium, quod ad commune bonum Reipublicæ & conservationem libertatis pertineret. Ideo in Comitiis Electionis proponebatur inprimis inquirendum in authores Confœderationis tam in Regno, quàm in Magno D. L. excitatæ. Deinde cognoscendum, quis contra omnem boni publici rationem, Convocationis Comitia tanto astu, tam prece quàm pretio præcidi imperâsset? sed pars (postea Saxonica) semper diversa publicis ostendebat consilijs, ne spatium cognoscendis authoribus superesset, semperque strepitum armorum, quantumvis dubium utrinque proferebat. Quo ita authoritatem congressus tenuit, ut vix tandem ad exitum quintæ septimanæ Electionis potuerit Director Comitiorum eligi, denuntiarique. Inde neque securitati congressus provideri, nec ullæ dispositiones ad novi Regis Electionem ritè poterant ordinari, sed dies extrema Nominationis expectabatur in turbido. Omnes nihilominus Regni Palatinatus, utriusque gentis, magno numero insidentes equis, promulgationem novi Principis opperiebantur. Verùm Eminentissimus Primas Regni vim legis à jure Nominationis præscriptam ad amussim impleturus distulit Electionem in crastinum. Postridie intrusit pars Saxonica nunquam aliàs denuntiatum Electorem Saxoniæ. Magnâ inde omnium admiratione inauditus hactenus Candidatus exceptus, ex his præcipuè rationibus, sive quòd Ablegatus, sive quòd propositiones concurrentis Principis omnino ignorarentur: sive demum quòd dubium adhuc superesset de vera Religione propositi Candidati. Pro antiquo ergo zelo avitæ religio-

3tia electio Principis Borbonij & Electoris Saxoniæ

A.C. 1697 nis ad Serenissimi Principis Borbonij suffragia Regni ordines, post maturam deliberationem descenderunt. Adversa parte econtra Electorem Saxoniæ proponente. Obstabat Serenissimo Electori, quòd lex inprimis Cardinalis in Electione Regum semper à Polonis observata violaretur, ratione Religionis regnantium in Polonia Majestatum: deinde quòd vicinus Princeps, præterea Elector Monarchici Imperij Regno libero semper hactenus formidandus imponeretur. Proponebatur præterea periculum tam libertatis, quàm Religionis, cùm constaret clarè de Serenissimæ Electricis firmo in prima hæresi proposito, & de illis, quæ inde sequi possent. Assumptus præterea fuit ad trutinam indigenatus domûs Saxonicæ, cui repugnabat Confœderationis ultimæ constitutio vetans assumere in Regem quemcunque Principem indigenam. Accessit non vanus metus, ne domus tam potens priùs lentè emeret bona terrestria Regni, postea successu temporis officia Regni, qualia sunt: Generalatus Exercituum, Mareschalcatus, sigilla, claves, Thesauri, Curules Senatoriæ, Capitaneatus, & alia Regni munia, quæ ab Officialibus oppressis vel senio, vel qualicunque demum injuriâ inclinatis, cuicunque demum Rege non invito, in Polonia vendi possunt. Addebat momentum præfatis rationibus, quòd Serenissimi Electoris Saxoniæ jactaretur à nonnullis gravior potentia, partim à domesticis, partim à vicinis viribus, à quibus Elector dependet Imperij. Conclusit ergo Eminentissimus Regni Primas ex nulla Religionis libertatisque parte posse sperari securitatem, si Elector Saxoniæ renuntiaretur. Nihilominus destinati ad mediationem partium Deputati, sive Commissarii, nihil impetrare toties repetitis vicibus per leges, per amorem Patriæ, per omnia demum sacra potuerunt plùs, quàm obstinati animi procul omni solidâ ratione de suo Candidato propositum. Tandem ex consilio Illustrissimi Mareschalci Regni, omnium Regnorum statûs peritissimi, expediti Internuntij ad partem Saxonicam, ut recederet à promotione Electoris, cum ea deliberatione: quòd etiam Contiani non essent contrarii discedere à suo Candidato, si interim alius rebus Polonis perinde par proponi posset. Nihil ea omnia moverunt partem Saxonicam tantò pertinaciorem, quantò plura priùs contra leges publicas deliquisset. Proinde Contiani accesserunt per suos Ablegatos, ut ab Eminentissimo Regni Primate impetrarent, quatenus illis novum Regni Electum nominaret, cum ea conditione, ut Rex esset certus, verusque Catholicus, præmissis omnibus à lege descriptis solennitatibus. Interim ad partem campi Electoralis venit Episcopus Vladislaviensis, scriptis priùs ad Regni Primatem literis, quòd non nisi coactus minis & armis vellet ad Serenissimi Electoris nominationem accedere. Cùm tamen Primati Regni nominatio Regum Poloniæ de jure conveniat. Admirationem igitur ea res non modicam inprimis movit, deinde quòd major Dux militiæ Polonæ cum minore tum Regni, tum alterius Provinciæ collega ad partes Saxonicas declinâssent. Tandem dilapsi temporis, speique melioris memor Eminentissimus Regni Primas, tot repetitis vicibus (concordi adhærentium voce admonitus; ut sole festinante ad occasum Regem nominaret) Serenissimum Principem de Conti in Regem & Magnum Ducem L. promulgavit, & frequentissimo comitatu ad agendas D. O. M. gratias ad Divi Ioannis Basilicam pluvio tunc cœlo properavit. Modico spatio interjecto, Pars Saxonica præeunte Vladislaviensi Episcopo sui Principalis præmissâ nominatione eandem sub vesperam imitata est celebritatem, singulariter connivente Episcopo Posnaniensi, inter consuetas senio suo lachrymas deprehenso. Neque tamen hic hæserunt Saxonicæ partis studia, obstantibus

cibus Regni legibus. Expeditus sine mora Dominus Dorpowski ad Serenissimum Electorem Saxoniæ cum denuntiatione Electionis. Interim Ablegatus Seren: Electoris Saxoniæ, noviter & obscurè Varsaviæ creatus à Castellano Cracoviensi, & aliis rerum consciis admissus. Pacta conventa contra jus & fas publicum scripta lectaque, non attendendo ad protestationem solennem partis oppositæ de nullitate actûs, neque admissis ad prædictum negotium componendum legitimis ex consensu suffragioque Reipublicæ Deputatis. Deductus præterea ex campo electorali ad urbem, insolitâ unquam consuetudine, & immemorabili pompâ Acatholicus ille Serenissimi electoris Minister, qui postridie præcipitatis antemeridianis horis, eadem pacta conventa in Ecclesia divi Ioannis exposito venerabili, juramento firmavit, ne quid non contra tam sacras, quàm profanas leges fieret. Non defuit tamen dignitati suæ etiam in illa perturbatione Regni Ordinum Eminentissimus Primas, jam ad partem Saxonicam, jam ad Regni Duces internuntios promovebat, qui suaderent saniora Reipublicæ consilia. Sed legati nunquam cum debito honore recepti, nullaque legum publicarum memoria, nulla oblatæ toties benevolentiæ testimonia apud partem contrariam valuerunt. Propositum igitur à quibusdam componendis rebus medium, & acceptatum ut omnes externorum Principum legati Varsaviâ excederent, ne ulli demum scrupulo in conciliandis partibus locus foret: conclusumque, ut nullus Candidatorum fines Regni divisâ Rep. ingrederetur sub nullitate electionis. Præterea facta est memoria diplomatis, sine quo legitima electio juxta Regni leges irrita censeri debet. Omnia tamen remedia specie veneni apud stomachantes habebantur. Cunctis ergo, quæ ex lege publica supererant, remediis desperatis, ut parceretur civili sangvini, dissimulavit tantisper Resp. datura spatium parti contrariæ, quo sua Regnique discrimina penitius introspiceret. Verùm neque ista Cõtianorum facilitas tantùm profuit, ut à suo pars altera moveretur proposito. Legatos nomine Reipublicæ ad Serenissimum Electorem Saxoniæ in finibus Regni jam præstolantem expedit contra adversæ partis suis nixæ legibus protestationem solennem. Interim tamen Serenissimus Elector Saxoniæ nondum compositâ Repub. introducitur Cracoviam, arx Regia proditur, ærarium publicũ; in quo Regni servabatur diadema, effringitur. Priùs verò quàm legibus concedatur, titulus Regis ab Electore usurpatus. Literæ à Regni Primate, monente Electorem Serenissimum, ne Regni fines transgrederetur divisâ Repub. rejectæ ideò, quòd Regis titulo frons Epistolæ caruisset. Legatus Moschoviticus pariter contra jus publicum admissus. Mediatio Serenissimi Electoris Brandeburgici jam spreta, jam admissa. Plenipotentiariorum promissa fides ratione protrahendæ coronationis illegitimæ labitur, eluditq; Contianos. Nihil tamen interea temporis à Contianis attentatum, nisi quòd olim contra duos actum fuit Maximilianos superiùs nominatos, nimirum confirmatio electionis instituta, & confœderatio Nobilitatis pro tuenda libertate. In tanta præterea Regni Ordinum procella, efficacissimum publicæ tranquillitatis videbatur remedium, ut pars Contiana conditiones mediationis Serenissimi Electoris Brandeburgici acceptaret, à quibus omnino non abhorrebat salvis legibus tam de Regũ electione, quàm coronatione præscriptis. Hac admissâ conditione, impletâq; actum erat de Serenissimi Principis Borbonii promotione, cùm verò se Contiani elusos à Plenipotentiariis deprehenderent, relictâ Varsaviâ oculos verterunt ad futurũ eventũ sive duobus Maximilianis, sive Stephano Sigismundoq; similiorem. In confirmatione enim liberæ electionis, quâ confœderatio contra Serenissimum Electorem Saxoniæ tanquam vio- A.C. 1697

 lato

A. C. 1697 latorem libertatum instituta, jurataq;, non erat cuiquam dubium eo ipso pro Serenissimo Principe de Conti tanquam primario Electo decisum æquivalenter fuisse à congregatis Regni ordinib⁹. Quandoquidem hos inter duos candidatos cardo omnium Regni consiliorum vertebatur, nec tamen quidquam contra alterum in campo Electorali cogitatū, formatūq;. Quin imò rationes contra electionem Serenissimi Electoris tanquā violentam, & palàm injuriosam juri vetandi plures quotidie adferebantur. Præsertim quòd Regno libero illum præstaret imperare, qui à nullo ex vicinis Principibus quocunq; demum titulo dependeret, totusq; esset Polonorū. Hoc est ille, quem nulli omnino respectus politici, obliquique inclinarent aliò, innecterentq;. Elector porrò Saxoniæ tanquam præcipuus Germaniæ Princeps, Cæsareæ potestati subjectus & Feudatarius, eam fidelitatem Romanorum Imperatori adeò testari obligatur, ut suspicionis etiam reus accusatusque ab æmulis facilè possit deponi officio Electoris (quod legim⁹ in eadem domo Saxonica jam pridem contigisse) Quo casu magnum Reip. immineret negotium, Regem Poloniæ cū Imperij Electore componendi. Videbatur prorsus omnib⁹ impracticabile libero Poloniæ Regno imperare, & alienæ subesse jurisdictioni, vi cujus ligatas semper habere manus cogeretur, Rex simul Poloniæ & Elector Imperij, quantumvis interea justæ forent aliunde rationes belli, vicinis intentandi. Præcisio verò hæc distinctioq; politica; quòd omnia illa exhiberentur, non tanquam à Rege Poloniæ, sed tanquam ab Electore Romani Imperij omnino persimili subtili aranearum telæ sub qua Majestas Regis Poloniæ, dignitasq; nulla ratione potest securè sui imminutionem sensim declinare. Siquidem Electorē Saxoniæ prohibent Regno Poloniæ officia quædam personalia Romani Imperii, ad quæ omnia præstanda vi Bullæ aureæ obligatur. Qualia sunt Mensæ Imperatoris ministrare ex Archimareschalci officio, & ad pompam equitatûs Cæsarei deducendam spectare, cæteraque ibidem inevitabiliter præscripta obsequia implere; præcipuè verò in vicariatu S. R. I. sub tempus interregni. Quæ per suos internuntios quantumvis præstaret Elector Saxoniæ in Regno nostro positus. quæ decentia? quæ honestas? quæ Regni semper independentis, & nulli hactenus servientis inde foret dignitas? Qui enim per alium facit, per se facere videtur. Admonebat non mediocriter suæ fortunæ, libertatisque Polonos, non absimilis casus Regni *Bohemiæ*, quòd postquam Elector Imperij tantisper gubernâsset, miserè paulò post absorptum est. Neque faciebat securos Regni ordines fama publica, de Electoratu Saxoniæ, minorenni stirpi suæ resignando. Tanta siquidem dignitas vix potest ætati tam pusillæ convenire ob rationes statûs Imperij. Præterea nulla, contra regulam viventis successio secura. In casu deinde præmaturæ mortis suæ prolis, nonne redire Poloniæ Rex ad primū Electoratum cogeretur? si vellet esse securus potiùs certæ hæreditatis, quàm Regno libero affixus pendere semper cum sua Regia progenie à dubijs postea suffragijs populorum? modus deinde administrandæ interim Reip: ab Electore Saxoniæ, admodum arduus incertusq; videbatur complurib⁹ ex senatu & omnino similis inchoatæ gubernationi Sigimundi III. Hic Sveciæ Rex hæreditarius abjuratâ contra fundamentales Regni Sveciæ leges hæresi, primo humanissimè à suis subditis acceptus, deinde expulsus amissâ Esthoniâ, parte Livoniæ non modicâ, ita difficili bello involvit Poloniā, ut parū ab ultima ruina distaremus. Expavêre igitur Regni ordines parem eventum Reip:, proindeque Serenissimo Principi Borbonio adhæserunt; memores pacis Monasteriensis, à cujus fœdere, pactisque simile per gradus periculum rebus Polonis timebatur. Sæpius iterum à compluribus geminabatur, im̄ortale Polonos inter atq; Germanos morum

rum

rum genijque discrimen, quod plurimum invulgi opinione valuit ad A.C. 1697 ferenda Serenissimo Principi de Conti suffragia. His non obstantibus, quemadmodum & aliis quoque protestationibus contra omnes Saxonicæ Partis actus, neque reflexione facta ad literas à Mareschalco confœderationis ad Cracoviensem & Vladislaviensem Episcopos, nec non ad Procancellarium Regni datas, ne non compositâ prius Repub: contra Jus & fas, tamque publicè illegitima præproperæ coronationis solennia attentarent. Nihilominus abruptis, aut præteritis affectata oblivione Regni legibus, itum est, quasi per certos gradus ad maximum Regni periculū, sanioribus interim consilijs adnitente parte Contianâ, ne simul tantùm, totque sæculis florentissimum Regnum exemplo Hungariæ, Boëmiæq; interiret; quibus tamen majus olim spatium ad occasum quàm interim nobis fata concessisse videbantur, nisi ad confœderationem pro tuenda liberæ Electionis integritate nobilitas accessisset.

COMPARATIO CANDIDATORū.

MAximiliani Imperatoris altius in adeundo Regno Poloniæ supercilium & Hæreticorum favor cessit Stephano Bathoreo in fortunam, quantumvis ille à Primate Regni, hic à Vladislaviensi Antistite legeretur. Uterque tamen par visus Imperio diversis partibus, si uterq; regnare simul potuisset, & uterq; pari legum semitâ ad solium properasset, sed Maximilianus Imperator spretâ Stephani Bathorei æmulatione differebat adventum in Poloniam. Quanquam uterq; non audebat fines ingredi Regni divisâ Republicâ. Stephanus tamen post confirmationem liberæ suæ Electionis Andrejoviæ celebratam, solidioribus nixus consiliis & Karnkovij suffragio Maximilianum Imperatorem toto Regno superavit.

In secunda pariter Electione Anni 1586. providentissimus armorum Dux Joannes Zamoyscius, idemq; ille Primatiali dignitate auctus Stanislaus Krankovius, qui Stephanum Bathoreum Maximiliano Imperatori prætulerat, facilè Archiduci Austriæ Sigismundum III. præposuit. Præcipuè quòd Sigismundus III. totus à suæ partis consiliis, non à passione & ambitione regnandi dependeret, expectaretq; Regnum, non involaret. Econtra Maximilianus divisâ planè Repub: titulum Regis Poloniæ ante solium Regni usurpare ausus, fines cum externo milite, quemadmodum facilè ingressus, ita facilè victus, captusq; à Zamoyscio.

Novissima tandem Serenissimi Borbonij & Serenissimi Electoris Saxoniæ promulgatio non absimilis prioribus, si ritè omnia discutiantur. Nam quemadmodum ibi diversi antistites suos Candidatos nominârunt, non observato Regni jure, ita pariter nobis interea contingit. Quemadmodum uterq; Maximilianus confirmatione suæ Electionis abstinuit, ita & Serenissimus Elector Saxoniæ. Quemadmodum Confœderatio instituta nobilitatis, ita contra nominatum Electorem. At verò sicut Stephanus & Sigismundus III. non nisi per confirmationem suæ Electionis ad Regni limina descenderunt, ita Serenissimus Princeps de Conti tunc primùm auditus est properare, postquam Pars Saxonica ad sui Candidati, quantumvis præposterè à Vladislaviensi Præsule Nominati coronationem, non attendendo ad Rokoszianorum protestationem, festinare scribebatur. Jam palàm est, quot spatiis uterq; ex his Candidatis in adeundo Regno secum differant; Seren: Princeps de Conti nunquam titulum Regis usurpavit, nunquam fines Regni ante confimationem li-

*A.C.*1697 beræ Electionis externo milite prætergressus. Nulla pacta conventa cum eo scripta. Nullam urbem ingressus, aut arcem Regiam, nullas legationes ab externis admisit Principibus, nulli distribuit Regni dignitates ex vacantibus. Nullis Rempublicam literis ad Comitia suæ Coronationis convocavit, multò minùs Acatholico usus est ministro. Nulla contra illum nobilitatis Confœderatio instituta. Secus omnia ex parte Saxonica publicis Regni legibus contigerunt. Quantumvis æquè fuerit (ut offensa abstineam) Seren: Princeps de Conti, imò potiori jure Electus Rex Poloniæ, quàm Elector; si ex integro rei series & leges Regni videantur. Præterea Seren: Elector sub nullitate Electionis solenni juramento Electricis suæ religione præstito palàm coronationem suam infirmavit. A tam verò publico discrimine procul fuisse constat Serenissimum Principem de Conti.

MANIFESTUM ROKOSZII GENERALIS IN CONSILIO LOVICIENSI FACTUM 12. Nov.

Universis &c, Significamus &c. Quòd non aliam metam, ad quam more omnium scissionum à majoribus nostris practicato tendebamus, manutentionem unicam sanctæ fidei, salutem libertatis præcipui humani generis boni jam apud nos debilitatæ præ oculis habentes, ad eum finem omnem laborem, fortunas, vitasque nostras direximus non quærendo ex publicis prætextibus privatum quæstum, nec propter distributionem honorum, & dona ferentium, non recedendo à cara & in solo Poloniæ Regno ad invidiam nationum hactenus florente libertate. Nullam agnoscimus partialitatem, quamvis electum nostrum pro Rege, & Protectore libertatum nostrarum invitavimus. Illud enim solo intuitu fidei, & libertatum indispensabiliter fieri debuit. Non acceleraſsemus id, si exoticas vires contra libertatem introductas ali pateremur. Utique DEus ipse contra alienigenas invocare etiam externa permisit auxilia. Nunc verò quando electus noster cum jure non armis Gedanum appulit, non tantùm nos à manu potentis salvare non potuit, sed nec ad descendendum ex navibus securitatem debitam invenit. Ac proinde tutela libertatis redit ad eos, qui eam agnoscunt & amant. Non canimus (avertat DEus) hostilitatem, quia codices legum, non arma in manu tenemus, & solos eos usque in hodiernum diem pro clypeo referebamus. Scimus hoc bene, quòd nemo in Polonia audacter regnare præsumpserit, qui generalem concordiam non vi & coactione, sed bonitate & clementiâ in se non converterit, qui liberæ gentis angores ex eversis legibus procedentes non prius sedaverit, & emolliverit. Fatemur, quòd velimus, & desideremus videre pacem, in diebus nostris, sed non aliam, nisi salvâ per omnia libertate; supplicamus proinde ad ad DEum nostrum, ut ille potentiâ suâ adimpleat vota nostra, quæ sunt suprema vota totius populi. Unica meta zeli nostri, ut sicut communis mater libertas non plus uni de dulcedine cœli communicat, quàm alteri, ita nihil sine injustitia fieri potest, quando nonnulli in defensionem vitæ, & fortunarum nostrarum commune bonum hactenus æstimabamus. Nulli facimus in eo injuriam, libertatem omnium ad omnes remittimus, & ipsi fatigatam curis publicis valetudinem in limina domorum nostrarum reducimus expectaturi salutem à Domino, & spem habentes, quòd nos honestas nostra, & amor in Patriam secure tutabitur. Ultra id petimus omnes, ne ullam occasionem ad irritandam alteram partem oriri faciant, relinquendo quemvis circa libertatem sentiendi; Si verò copiæ aliquæ, quæ jam fa-

tis

tis damnorum transeundo fecerunt, aliquem vellent aggravare, nuntient idipsum ad præsens consilium nostrum, & sufficientissima media, & remedia inveniri poterunt. Quando verò ad integram eversionem status Reip: placuit parti contrariæ reassumere tribunal Regni 4tâ Novembris in fundamento privatarum literarum directè contra jura, & leges Patrias, quia aut lex antiqua cadentiam sustinet illorum Judiciorum, aut lex novella destinat ipsis determinationem; Et hoc ideo, ut lege publicâ innotescat tempus judicij actori & reo, quod in hoc casu non observatur. Accedit, quòd pro illo tempore, quod privatim est destinatū, non comparuit completum Judicium, & hic defectus aliquot dies duravit. Et propterea nec attentio juramenti esse deberet, nec procrastinatio judiciorum. Pugnat & id contra hæc judicia, quòd omnes quasi Deputati sint controversi, quia stantibus protestationibus electi, quod non tantùm jus vetandi radicitus evertit, sed etiam aggravat conscientiam propter juramentū lege descriptum (quòd Deputationem hanc mihi non procuravi) & supra omnia in similibus Reipub: conjuncturis non debent animi Nobilium exacerbari novis indies jurium & antiquarum consvetudinum eversionibus, quia tranquillitas Reip: aliter non constat, aliter constare non potest, nisi per abrogationem actuum illicitorum. Et quare illa facimus, quæ cassari debent? ac proinde toties contra hunc Tribunalis Regni actum solenniter protestamur, &, ut manifestum hoc in consilio conclusum toti Regno Poloniæ, & Magno Ducatui Lit. pateat, ad omnes Palatinatus expedimus &c. A.C.1697

LXXXIV.

SVMMO PONTIFICI,

Varsaviâ 20. Novembri,

Nuntiat se à Candidato suo recessisse, regnoq; malè ominatur.

POst oscula pedum Sanctitatis Vestræ, non dubito constare pridem Beatitudini Vestræ, quanto studio conatuq; me applicuerim, simul cum Eminentissimo Primate nostro ad Electionem Serenissimi Principis Borbonij. Verùm postquam Gallia tanto temporis spatio dissimulavit respondere promissis, per Ablegatum Reip: propositis, & quasi negligere visa est nostram denuntiationem. Summa ratio publicæ concordiæ, quæ in casu difficili pro necessitate est, ad hoc consilium tandem nos compulit, ut relicto Serenissimo Principe Borbonio, in Electoris Saxoniæ suffragium concederemus; bellum civile; quod jam in procinctu fuit, declinando, parcendoq; sangvini populi innocentis. Non potuimus enim aliâ ratione Serenissimi Principis de Conti promotionem diutiùs tueri, illo absente, & omni prorsus subsidio pecuniario destituti, quo solo Confœderata militia Regni, & M. D. L. retineri potuit. Ut tamen rem totam sinceriùs aperiam, effundo animam meam, & cor ipsum denudo coram Sanctissimo Patre nostro, quod ex circumstantijs tam invitæ electionis, nihil aliud possit concludi, nisi quòd infaustum eventum sit habitura. Varsatur enim omnibus ante oculos Serenissimæ inprimis Electricis Saxoniæ obstinatum propositum perseverandi in sua hæresi, quæ tamen ob publicas rationes debebit ad Regnum admitti, quantumvis non coronanda. Deinde non caret hucusq; suâ animadversione ipsius Electoris abjuratio, tunc demum facta, cùm spes adeundi Regni affulgebat. Vix enim sine respectu humano, & sinè justa suspicione tam subita conversio Electoris intelligi potest. Ut ergo liberiorem

A.C.1697 conſcientiam habere poſſim, omnem ſcrupulum meum, quem ejuſmodi cauſavit Electio, humillimè depono in Paternum ſinum Beatitudinis Veſtræ, ejuſque ſacros pedes oſculor. Illud à DEo O. M. precatus, ut ad tutelam orbis Chriſtiani Sanctitatem Veſtram diu incolumem ſervet.

LXXXV.
AMICO CONFIDENTI,

I. Decemb. Pultoviâ.

Averſus affectus Primatis, colloquium cum Theſaurario Litvaniæ.

AD literas meas Cardinali Primati ſcriptas habui quidem reſponſum, ſed valde breve & evidentis diffidentiæ plenum. Magnus inde in animo dolor eſt, & pungit, fidem non haberi fidei meæ & fortè ideo, quòd evaſerim manus Saxonum & aliarum cohortium Gedanum appropinquantium, quas vix ementito habitu religioſo dilectus ejus declinare potuit junior Towianſcius, & in quas cum pecunia, quam à Principe de Conti vehebat, infeliciter inciderat Pater ejus Caſtellanus Lencicienſis. Et fortè etiam ideo, quòd ego bono publico magis, quàm privato commodo ſtudens conſilio fuerim perpenſa bene difficultate, & planè impoſſibilitate aſſequendi, quem optabamus, finis, conſilio inquam fueram eidem Principi, ut ſatiùs rediret in Galliam, Poloniamque relinqueret Poloniæ. Nihilominus ego ut nullum gradum honeſtatis omitterem, petij à fratre meo Palatino Czernichovienſi, ut Cardinalem Lovicij adiret, illique tanquam bene ſciens, fuit enim mecum præſens Gedani ampliorem, quàm ego ſcripſeram, redderet actorum relationem, & ſufficientẽ, quid ſperandum, quidque timendum, adferret informationem, nam cum laudanda cuncta feciſſem, nihil erat ex his, quod ille excuſandum haberet, quod inimici inſectandum, vel ego ipſe pœnitendum. Cùm etiam hâc eâdem die authenticam à Jeleccio Pariſios miſſo habuerim declarationem, ſcilicet Regem Chriſtianiſſimum nec audire quidem ampliùs de rebus noſtris velle. Rediit inde dictus Palatinus, ſed cum ſummo animi dolore, cum inprimis diutiùs quam fieri ſolet & debet, audientiam à Cardinali expectarit, quâ datâ plus invectivarum, quàm fieri debebat à Cardinali, ſed magis adhuc à peſſima fœmina ſatyraque quàm panegyri digniore Caſtellana Lencicienſi audiverit. Ita in iſta domo ſine diſcrimine felicem eſſe non licet, ubi uſque adeo omnia odiis patent, ut ipſa nuda veritas, licet formoſiſſimam dicant, amantem tamen neminem inveniat, ſed inanibus & falſis fabulis aures obtunduntur, præcipuè verò ab illa callida & ſubdola muliere, quæ ingentis amicitiæ ſpecie impoſturas ſuas velat, & peſſima comitate tanquam virtute ipſa mulier, quidquid intus eſt pertentat, explorat verba, verborum circuitus malignè detorquet & fœda ſimulatione ſui familiarem cuique bono virtutem excutit ſimplicitatem.

Venit interim Benedictus Sapieha Theſaurarius Litvaniæ Vyſzkoviam ubi longiſſimam habuimus conferentiam, præterita, præſentia, & futura commemorando, trutinando, & examinando, unde metus & ex metu conſilium. Reſcivi ibi & literas authenticas vidi Theſaurarii Regni, in quibus diſſuadet omnino Litvanis, ne Gedanum in defenſionem Principis de Conti veniant, rationibuſq; deducebat, quòd illa pars relinquenda eſſet, & pars Saxonica omnino amplectenda. Miraberis ut & nos mirati ſumus, quòd ſub eadem data, eodem die, & fortè eâdem horâ mihi tunc Gedanum proficiſcenti

idem

idem Thesaurarius scripsit, ut quàm fortissimè partes Principis Contij manutenerem, ut ipsi celerem in Poloniam ingressum suaderem, ut de illo eundem securum redderem, quòd omnes conatus, viresq; ejus & amicorum ipsius, quorum illi copia magna, in id convertet, ut Princeps suo potiri voto possit, ita res nostras nunc ab alto dejiciebat, nunc ab imo attollebat. Mittere se addidit in Litvaniam cum persvasione promovendi ad littus Balthici maris exercitus, evidenter verò contrarium in literis ad Thasaurarium Litvaniæ scriptis invenimus, cùm utrasq; confrontavimus. His ergo positis cum nullum resistendi jam Coronato superesset medium, convenimus, ut ego Varsaviam venirem, & simul Cardinalem accederemus, quid deinde succedet certiorem te facere non intermittam. **A.C.1697.**

Copiam conclusi senatus consilij Cracoviæ tibi adjungo cum sermone Palatini Siradiensis, ad Neo-coronatum habito, & cum certis literis ad quemdam Rokoszianum, responsumq; ut piè credo à manu Humieccij Mareschali; scio enim te similium ita curiosum esse, ut ego ad satisfaciendum tibi sum semper promptissimus.

CONCLUSUM DIE 8. DECEMB. IN CONSILIO CRACOVIÆ HABITO.

Comitia per novellam constitutionem declarata, siquidem ob adventum in oras Regni Serenissimi Principis de Conti, exindeq; consequentia moliminnia hîc & nunc designari non possunt, S. R. Majestas terminationem eorundem ad ulterius seponere dignatur consilium, ; ob eundem casum adventus prædicti aggressoris Regni S. R. M. N. Clementissimus diutiùs hic subsistere non poterit, sed illud iter consequendum amplectetur, quod impediendis hostium conatibus consultum videbitur.

2. In eundem finem præoptat S. R. M. in omnibus Palatinatibus illuc dirigendas, ut omnes bene affecti cohæreant secum, utque in quolibet Palatinatu ex Senatu vel Officialibus, aut ex Nobilitate optimæ fidei, atq; respectus personas deligere ac designare valeat, iisq; committat quatenus se omnibus consuetis atq; tumultuosis sine scitu & consensu suo atq; Magnorum Ducum delectibus opponant omnesq; talium authoramentorum motus impediant, ac amoveant. Quod ipsum specialiter Magnificis Ducibus Exercituum committitur, quatenus in authores talium inquirant, juxtaq; rigorem legum pro munere suo contra eos procedant. Idem quoq; omnibus Capitaneis Castrensibus S. R. Majestas demandando literis suis eosdem commonere dignabitur officij atq; muneris sui, ut brachio Regali turbas omnes atq; tumultus cujusvis rei ... s authoramenti absq; scitu Regio & Ducum compescere nitantur. ... verò copias Regias ex Hungaria ad eosdem memoratos casus S. R. ... adventantes præstoletur, pro conducendis, ac in bono ordine conservandis dignatur sibi reservare facultatem, vel cui competierit designandi Commissarios.

... Generoso Dziduczycki Ablegato Extraordinario ad aulas Cæsaream, Reipub: Venetæ, Principum Italiæ, atq; Curiam Romanam designato, exemplis aliorum Ablegatorum insistendo, ac præcipuè Venerabilis ...okum Canonici Cracoviensis sub interregnum expediti consentire...ur super summam à Senatu determinatam octo millium Imperialium quam Thesaurus Regni, seu ejus Officiales ad exhibitionem pun...13 ex Senatûs consilio deprompti sine mora exolvere tenebuntur; quod

A.C.1697 quodsi aliqua renitentia vel oppositio fuerit S. R. Majestatis literis universalibus, quàm primùm Notarius Thesauri, atq; omnium Camerarum monere dignabitur, quatenus summas ex proventibus Reipub: sub solutione de proprio nemini audeant extradere, nisi prævijs assignationibus Regijs ex Senatûs consilio.

4. Per eundem Generosum Ablegatum revocandæ erunt C. M. auxiliares copiæ sub tempus liberatæ obsidionis Viennensis, eoq; nexu desideranda assistentia mutuò ad præsentes Reipub: casus. Similis quoque instituenda erit ad Serenissimum Electorem Brandeburgicum pro urgendis vigore pactorum suppetiis, nec Moschoviticum quoq; in casu ulterioris necessitatis impetrandum subsidium omittendum erit.

5. Hyberna stativa Germanicis copijs S. R. M. ex omnibus circumstantiis judicat non alibi magis esse opportuna, quàm in Prussia.

6. Ad recipiendum homagium in Prussia, ac civitatibus ejusdem majoribus quantocius designandos fidelissimos Commissarios apprimè necessarium censet; idq; sine omni mora expedire curabit.

7. Illustrissimo & Magnifico Castellano Cracoviensi Supremo Exercituum Regni Duci significandum erit, quatenus tot copias conjungendas Exercitui Regio in Regnum commeare demandet, quot commodè dimittendas absq; periculo denudandorum finium Regni judicaverit. Tum etiam ex præsidiis fortalitiorum limitaneis, in quantum possibile militem pedestrem eductum militibus Regiis ad urbes tutandas relictis conjunget, taliter verò ordinandis copiis assignationes in stativis extraditurus prævijs juramentis fidelitatis.

8. Tribunal Regni Petricoviense casu quo die hesterna juxta suam incidentiam reassumptum non fuit, curabit modernus Capitaneus Petricoviensis pro munere suo, ut reassumatur in tempore per leges designato post publicationem literarum denunciatoriarum coronati Regis.

9. Proski remittendus ad suum munus in aulam Cæsaream, non pro negotiis tantùm belli ac fœderis sacri continuandis, sed etiam præsentium Reipub: necessitatum opportuniori communicatione, quo nomine ut solvatur illi quolibet quartuali à data præsentis Consilij unum mille Imperialium in specie, designatur thesaurus Regni, seu Officialibus illud sine mora quolibet quartuali per literas sumptu thesauri committitur, ut transmittant.

Nunc verò pro itinere unum mille Imperialium idem thesaurus præter quartualia providebit, quæ omnia expediuntur, ac expedienda sunt præsentis Senatûs consilij vigore.

SERMO JOANNIS ODROWĄSZ. PIENIAZEK, PALATINI SIRADIENSIS, CIRCA SALUTATIONEM S. R. Mtis IN ARCE CRACOVIENSI.

5. Novembris Anno 1697.

AD mandatum Serenissimæ Majestatis Vestræ in conspectu ejus Regio comparens, venio obediens, fidelis humillimi & devotissimi cultûs, simulque liberæ subjectionis S. R. M. Vestræ, Domino meo clementissimo ferens homagium. Agnosco & simul adoro immensam bonitatem Serenissimæ Majestatis Vestræ, quæ antequam me nosceret, prævenit gratiâ vocationis suæ, quam credo à DEo esse ordinatam, cùm veniat à Vicaria in terris Dei potestate, à Christiano uncto Domini & cum

usu

usu veniat, ut lucente splendidissimo sole, universa tam superna, quàm infima clara sint, & conspicua. Sum plenus bonæ spei, me gratia Serenissimæ Majestatis Vestræ, licet sim minimus mortalium in hac Rep: non fore despiciendum, quem conspicuum iudicij Regij reddit splendor, & in hac luce ambulans confido gressus meos simplices & sinceros ambulantes viâ antiquæ virtutis Polonæ, non allisuros ad scopulos læsæ Regiæ Majestatis, & adsit modo gratia, & virtus supremi Numinis, in cujus manu sunt corda Regum, qui Regna donat, & Reges creat, cui nemo dicere potest, quare facit hoc, ut imperfectum meum perficiat in obsequij fidelitate S. R. Majestati & Reip: ut S. R. Majestas copulato politico matrimonio cum Repub: & Regia domus cum libertate bene conveniens præsit, imperet felicissimè, tranquille, victoriosè, de immanissimis hostib9 S. Crucis in annos Nestoreos, summis votis prosequor, intimè optans, ut S. R. Majestas oppressæ Patriæ afflictis legibus & universo innumero populo Polono & M. D. Lit. sit clypeus fortissimus, solatium & defensio, & cunctis nobis sit Rex in benedictionem. A. C. 1697.

COPIA LITERARUM
CUJUSDAM CRACOVIA AD MARESCHALCUM ROKOSZIJ LOVICIUM SCRIPTARUM.

EXpedivimus feliciter (det DEus parem Principijs finem) coronationem Regis Augusti secundi talis Regis, quo nec optare meliorem, nec sperare licet. Sub cujus regimine, non tantùm reviviscet Re-ub. sed etiam totum id, quidquid à juribus & libertatibus Regni deviavit, l nativum redibit splendorem. Urbem, quam latericiam accepit, reddet armoream. Recommendatum eum reddunt digna attributa, Regiæ qua-ates, innata clementia, injuriatis favorabiles aures, meritis debitus respe-us, pauperibus liberalitas, nec hostibus etiam odiosus, Regem enim Patrēq; :ret. Quod verò te, qui non libenter similes actus relinquis, hic non vi-, non caret res mysterio, credebam certè, quòd curis publicis fatigatus ocul negotijs domi quiescas, sed alia venit huc relatio, quòd scilicet cre-leris in Deos alienos, in partes Gallicas transieris, reservavi nihilominus ı aliam aurem, precans te, ut me informes, & dicas, quis sis, & quanto-ıs propera ad Dominum. Audeo sacrosanctè promittere, quòd non tan-n pro impensis laboribus sub tempus Electionis Regis nostri sumptibusq; thesauro Regis participabis, sed etiam pro tam notabilibus in Patriam -itis, in memoriam majorum tuorum, tuorumq; inter Patres (non de-: enim adhuc vacantes curules) adnumeraberis. Expectamus proinde iose tanquam virum omni expectatione majorem, speroque quòd per-oni meæ acquiesces, aliàs non eris amicus Cæsaris. &c.

ESPONSUM EIDEM DATUM.

DEliberabam usque in hanc horam, & quando in hac Rep. propter infelicem scissionem quivis in suas vias declinavit, ego anxius maneo, & tædiosas fero in pectore curas, considerando quis se melio-ice tueatur? nolui infidis fluctibus immergere ratem, metuendo, ne :opo, in scopulum impingerem, quia libero nobili illuc inclinare, ubi ıs pro auro vendita, auro pulsa fides, auro venalia jura, pudor non ctebat, hìc verò ubi eam conservare, & quod extra orbitam decli-ad numeros reducere justos, apprehensio paucæ quantitatis bene senti-

A.C.1697 quodsi aliqua renitentia vel oppositio fuerit S. R. Majestatis literis universalibus, quàm primùm Notarius Thesauri, atq; omnium Camerarum monere dignabitur, quatenus summas ex proventibus Reipub: sub solutione de proprio nemini audeant extradere, nisi prævijs assignationibus Regijs ex Senatûs consilio.

4. Per eundem Generosum Ablegatum revocandæ erunt C. M. auxiliares copiæ sub tempus liberatæ obsidionis Viennensis, eoq; nexu desideranda assistentia mutuò ad præsentes Reipub: casus. Similis quoque instituenda erit ad Serenissimum Electorem Brandeburgicum pro urgendis vigore pactorum suppetiis, nec Moschoviticum quoq; in casu ulterioris necessitatis impetrandum subsidium omittendum erit.

5. Hyberna stativa Germanicis copijs S. R. M. ex omnibus circumstantiis judicat non alibi magis esse opportuna, quàm in Prussia.

6. Ad recipiendum homagium in Prussia, ac civitatibus ejusdem majoribus quantociùs designandos fidelissimos Commissarios apprimè necessarium censet; idq; sine omni mora expedire curabit.

7. Illustrissimo & Magnifico Castellano Cracoviensi Supremo Exercituum Regni Duci significandum erit, quatenus tot copias conjungendas Exercitui Regio in Regnum commeare demandet, quot commodè dimittendas absq; periculo denudandorum finium Regni judicaverit. Tum etiam ex præsidiis fortalitiorum limitaneis, in quantum possibile militem pedestrem eductum militibus Regiis ad urbes tutandas relictis conjunget, taliter verò ordinandis copiis assignationes in stativis extraditurus prævijs juramentis fidelitatis.

8. Tribunal Regni Petricoviense casu quo die hesterna juxta suam incidentiam reassumptum non fuit, curabit modernus Capitaneus Petricoviensis pro munere suo, ut reassumatur in tempore per leges designato post publicationem literarum denunciatoriarum coronati Regis.

9. Proski remittendus ad suum munus in aulam Cæsaream, non pro negotiis tantùm belli ac fœderis sacri continuandis, sed etiam præsentium Reipub: necessitatum opportuniori communicatione, quo nomine ut solvatur illi quolibet quartuali à data præsentis Consilij unum mille Imperialium in specie, designatur thesaurus Regni, seu Officialibus illud sine mora quolibet quartuali per literas sumptu thesauri committitur, ut transmittant.

Nunc verò pro itinere unum mille Imperialium idem thesaurus præter quartualia providebit, quæ omnia expediuntur, ac expedienda sunt præsentis Senatûs consilij vigore.

SERMO JOANNIS ODROWĄSZ PIENIAZEK, PALATINI SIRADIENSIS, CIRCA SALUTATIONEM S. R. Mtis IN ARCE CRACOVIENSI.

5. Novembris Anno 1697.

AD mandatum Serenissimæ Majestatis Vestræ in conspectu ejus Regio comparens, venio obediens, fidelis humillimi & devotissimi cultûs, simulque liberæ subjectionis S. R. M. Vestræ, Domino meo clementissimo ferens homagium. Agnosco & simul adoro immensam bonitatem Serenissimæ Majestatis Vestræ, quæ antequam me nosceret, prævenit gratiâ vocationis suæ, quam credo à DEo esse ordinatam, cùm veniat à Vicaria in terris Dei potestate, à Christiano uncto Domini & cum

usu

usu veniat, ut lucente splendidissimo sole, universa tam superna, quàm infima clara sint, & conspicua. Sum plenus bonæ spei, me gratia Serenissimæ Majestatis Vestræ, licet sim minimus mortalium in hac Rep: non fore despiciendum, quem conspicuum iudicij Regij reddit splendor, & in hac luce ambulans confido gressus meos simplices & sinceros ambulantes viâ antiquæ virtutis Polonæ, non allisuros ad scopulos læsæ Regiæ Majestatis, & adsit modo gratia, & virtus supremi Numinis, in cujus manu sunt corda Regum, qui Regna donat, & Reges creat, cui nemo dicere potest, quare facit hoc, ut imperfectum meum perficiat in obsequij fidelitate S. R. Majestati & Reip: ut S. R. Majestas copulato politico matrimonio cum Repub: & Regia domus cum libertate bene conveniens præsit, imperet felicissimè, tranquille, victoriosè, de immanissimis hostib9 S. Crucis in annos Nestoreos, summis votis prosequor, intimè optans, ut S. R. Majestas oppressæ Patriæ afflictis legibus & universo innumero populo Polono & M. D. Lit. sit clypeus fortissimus, solatium & defensio, & cunctis nobis sit Rex in benedictionem. A. C. 1697.

COPIA LITERARUM

CUJUSDAM CRACOVIA AD MARESCHALCUM ROKOSZIJ LOVICIUM SCRIPTARUM.

EXpedivimus feliciter (det DEus parem Principijs finem) coronationem Regis Augusti secundi talis Regis, quo nec optare meliorem, nec sperare licet. Sub cujus regimine, non tantùm reviviscet Respub. sed etiam totum id, quidquid à juribus & libertatibus Regni deviavit, ad nativum redibit splendorem. Urbem, quam latericiam accepit, reddet marmoream. Recommendatum eum reddunt digna attributa, Regiæ qualitates, innata clementia, injuriatis favorabiles aures, meritis debitus respectus, pauperibus liberalitas, nec hostibus etiam odiosus, Regem enim Patrēq; geret. Quod verò te, qui non libenter similes actus relinquis, hic non vidi, non caret res mysterio, credebam certè, quòd curis publicis fatigatus procul negotijs domi quiescas, sed alia venit huc relatio, quòd scilicet credideris in Deos alienos, in partes Gallicas transieris, reservavi nihilominus tibi aliam aurem, precans te, ut me informes, & dicas, quis sis, & quantocius propera ad Dominum. Audeo sacrosanctè promittere, quòd non tantùm pro impensis laboribus sub tempus Electionis Regis nostri sumptibusq; de thesauro Regis participabis, sed etiam pro tam notabilibus in Patriam meritis, in memoriam majorum tuorum, tuorumq; inter Patres (non desunt enim adhuc vacantes curules) adnumeraberis. Expectamus proinde tædiose tanquam virum omni expectatione majorem, speroque quòd persvasioni meæ acquiesces, aliàs non eris amicus Cæsaris. &c.

RESPONSUM EIDEM DATUM.

DEliberabam usque in hanc horam, & quando in hac Rep. propter infelicem scissionem quivis in suas vias declinavit, ego anxius maneo, & tædiosas fero in pectore curas, considerando quis se meliori judice tueatur? nolui infidis fluctibus immergere ratem, metuendo, ne pro scopo, in scopulum impingerem, quia libero nobili illuc inclinare, ubi libertas pro auro vendita, auro pulsa fides, auro venalia jura, pudor non permittebat, hìc verò ubi eam conservare, & quod extra orbitam declinavit ad numeros reducere justos, apprehensio paucæ quantitatis bene senti-

A.C. 1697 sentientium præcipuè nunc, quando leges silent inter arma, dissvadebat. Dum tamen literis tuis exploras mentem meam, quis sim, facile id ex hoc, quod in sinceritate cordis scribo tibi, intelliges, quòd sim ejus sensus, quòd scilicet communis mater libertas, in hac libera gente in quovis nobili super ruinam Patriæ cadentis debitam requirit compassionem, ut fleat ruentis fata Trojæ, quando hæc, quæ unica ad invidiam totius orbis gloriabatur libertate, nunc in auream mutata servitutem. Gens libera Dominium servitutis, audiebatur vocalis libertatis echo per Europam, & vicinæ tremebant potestates, nunc versa est in luctum cithara ejus, & ita, ut lugubre, & inpracticatum mundi cymbalum facta, nesciat, quo stet tacta dolore? gloriabamur lapide angulari libertatis, liberâ legum & Dominorum nostrorum Electione nemine contradicente, sed jam ter repetiâ vice, & hunc lapidem movemus. Elegimus nunc duos Reges & quidem fatis imperare potentes, quia in perniciem tam gloriosæ libertatis, & ex fundamentis commovendæ non sufficeret unus, elegimus duos, & utrumq; contra leges, jura, libertates, unico tantùm nominationis privilegio unus altero felicior. Non detraho, avertat DEus, Regijs qualitatibus Electoris Saxonici, sed hæ & fallere & falli possunt, nam & Iulium Cæsarem dum laudibus effert Historicus, ita ad finem addit: has tanti viri virtutes ingentia vitia æquabant, inhumana crudelitas, perfidia plus quàm pecorea, nullus Dei metus, nulla religio. Testantur historiæ & de Nerone, quòd ab initio ejus Imperij, cùm decretum quoddam mortis subscribere deberet, tremebat manus, & lachrymans infortunium suum accusabat; utinam literas non novissem. Et brevi pòst tantus evasit tyrannus, ut corpora occisorum hominum equis pro pabulo apponi jusserit. Sed his non perstringo Dominum, Regnatriois tantùm tutelam libertatis sumo. Electus legitimè, quia à libera nobilitate, quandoquidem pari gaudemus libertate, sed non à tota Rep; nominatus incompetenter, conductus in Regnum incompetētissimè, ubi codices legũ in manibꝰ esse debuissent, arma fuere. Adductꝰ inaudito à majoribꝰ nostris exēplo, cũ exercitu toto acatholico certè nõ pro defensione, sed oppressione libertatis. Scrip. stis pacta, juramentũ ab acatholico Flemingo in EcclesiaCatholica recepistis; justene? voluerũt nonnulli in confirmationem liberæ Electionis lapsis succurrere rebꝰ,& in unum convenire. Misistis hostes non fratres ad nos, ad rumpenda consilia instructos, & licentiosos, qui perstrinxerat generosa pectora ausus, & cum tremore redierunt ex campo, qui cum superba intraverant audacia. Exercitus Cracoviæ locatus cum Electore suo, unde & nos ex principiis sumebamus finem, & quando ibi omnis erat in armis salus, etiam nos processimus ad extrema, quandoquidem submergendus & novaculam arripit. Proposuimus sacrosanctè tueri libertatem in sacro Rokosz, non propter privatum interesse, quia propterea tunc etiam Principis Contij obliti sumus. Advertistis postea, quantum inter vos munere cæcus fecit error, propterea accessistis ad complanationem, sed tantum in elusionem nostram, firmiter credendo, quòd dum vitia prosunt, peccat qui rectè facit. Interea nos non fuimus alieni à concordia, quia libertatis jura, non Imperij curæ erant, voluimus reducere in vias rectas libertatem, quæ deviaverat, & ideo proposueramus congregati in campo nos Electorem Saxonicum Regem proclamaturos hac conditione, ut coronatio differretur. Sed nihil horum ex parte vestra factum, nostræ spes inani crepuêre vento, quia nunquam credere voluistis, Principem Contium unquam in Polonia compariturum. Indixistis comitiola, in quibus nullus Nuntius legitimè electus, omnes controversi pro comitijs

coro

coronationis electi, ad extremum thesaurum Regni, tot Regum & sæculorum depositorium rupistis, corona accepta, malum pessimè captum, quia non de ligno vitæ, sed ex quercu, cujus natura non pro hominibus, sed porcis fructus ferre solet, & ita coronastis per vim, quem adduxistis per potentiam. Experti sumus miseri Phryges, quòd nobis illusum fuerit, sedimus & flevimus Rempub: uti perituram, præcipuè nunc, ubi multæ imperandi leges, parendi nulla. Timebamus similia, quæ Krazynscio Palatini Płocensis filio acciderunt, cùm euntem unus ex Saxonibus ad conclave Nuntiorum cum charactere nuntij, baculo directionis in ipsa area salutavit. Quando Germana natio Polonos contēnebat, quando distributiones pecuniæ Saxonicæ, concurrentibus pro coronatione nominati, acceptas pecunias exprobant, quòd Rex coronam auro comparaverit, quòd eam non ita nimis sibi optaverit. Dum bene sentientes Rokoszianos perdendos, mactandos, bona eorũ ruinanda consiliarij Saxonici persuadebant. Cōmovit id non leviter nobilem animum, quòd non vano augure eadem sors nos pressura esset, & propterea externæ querelæ protectiones nostræ erant, quando nobis unam cervicem Caligulæ optabant, ut eò citiùs uno ictu omnes periremus. Congregati sumus sub Varsavia, & adacti necessitate Principem Contium Dominum & Protectorem nostrum proclamavimus, quandoquidem premente DEo, fert DEus alter opem. Externa auxilia etiam ab exteris quærere permisit DEus. Nullum inde vobis erat à nobis præjudicium, libertatem enim vestram intactā relinquebamus, nostrámq; ut amor in DEum & Patriam svasit, disponebamus. Ita pòst dextra Domini fecit virtutem, quando cum Electo nostro littus tetigere carinæ ad consolationē saltem afflicti populi. Tunc inprimis considerastis, quòd DEus nobiscum erat, consiliaq; inivistis contra libertatē & nos, Exercitum Electoris expedivistis, ut nos raperet. Legatos cum denuntiatione à nobis expeditos intercipere curâstis, bona Rokoszianorum transeundo, ruinare jussistis, & id facile fiebat armis contra eos, qui statutum & constitutiones Regni tantùm opponebant. Exactiones ingentes extorquebat exercitus, nobiles ad flagra damnati. Credebamus ab initio, Germanos ex naturali contra Polonos odio, id discretè fecisse, sed & nostræ Polonæ cohortes plurimùm damni attulerunt, ob conniventiam Ducum & benignitatem. Nulla dedimus repressalia, jure tantùm nos defendentes, spem nostram in Deo ultionum reponentes, & sperantes, quòd dabit Deus his quoq; finem. Et ecce insperatus venit Nuntius, quòd Brandt incursu facto in conventum Olivensem nobiles & Senatores ad Principem electum missos acceperit, custodiam eis dederit, nec sexui fœmineo, nobilissimis Senatricibus ibi præsentibus parcendo, Legati contemptim habiti, equi, currus, aliàque in prædam cesserunt. Legati Galliæ supellex, contra jus gentium direpta. Quid non agit unus acatholicus cum Oliva, quanquam die Veneris carnibus vescatur. Et tantò magis adhuc quid egit in terra lacte fluente, hoc est in Prussia, sangvinem exsugendo. Quanta gloria, quòd ille, qui nuper tubas inflabat cum Nephomene, liberam nobilitatem debellabat. Oppressus eques servusq; senatus. Et hic est tractatus pacificationis, hæc libertas Polona, sentiendi, quæ volumus. Hæc sunt initia absoluti Dominij, liberæ genti insupportabilia & nescia subdere colla jugo. Gaudebamus libertate superbi dono DEi, quòd sub Jove frigido hic Phœnix educatus, sed & hunc calefecimus, per convulsionē jurium, volendo experiri, quid ex ejus cinerib⁹ nasceretur? evolabit, evolabit ex hoc cinere alius sed nunquā in Polonia visus Phœnix absoluti Dominij, utinam nō fiat basiliscus ipso visu metuendus. Nauseam⁹ in libertate, quia nō cognoscimus, quid sit absolutū Dominium? non agnoscetur verò bonũ, nisi amissum. Noluimus alieno

A.C. 1697

Stanislaus Dąbski coronator.

A.C. 1697 alieno ſapere caſu, Hungarici & Böëmi liberorum olim Regnorum fato pereuntium. Neminem ergo incuſemus, niſi noſmetipſos. Non credidimus, quod nobis non vana prædixêre auguria:

> *Aquila nigra biceps albâ pereunte ſequetur,*
> *Juncta Lechis, nam ſic pereunt felicia Regna.*

Vidiſti Hungariam, noſti Böëmiam, cave tibi Polonia. Bibamus ergo hoc acetum, quod ipſimet nobis fecimus. Quàm feliciora erant ſæcula, dum debilioris ſexûs manus ſceptrum Regale ornârunt, dum libertatem ita ſervarunt, ut libentiùs mortem, quàm ſervitutem arriperent. O quàm fortunata ætas illa! quando ab agro ad thronum accipiebantur ſub ligneis poſtibus & ruſtica lana beati. Nam illo tempore pupilla libertatis intacta remanſit. Non nos juvabunt Comitia, quia hæc ſemper pro Majeſtate, & quanquam Comitia Polonorum martyria ſint Regum, audietur nihilominus non unus pro domo Cicero. Conſilia noſtra continuæ ſunt diſputationes, nec mirùm, quòd nihil boni concluditur, quia à diſcordibus, quamvis liberæ Reipublicæ æqualibus fratribus, rara autem concordia fratrum, & quandoq; loco auxilij laniena. Quid ergo? ultimum refugium à Domino, per quem Reges regnant. Et mater libertatis Religio ubi erit? Rex Neophytus, uxor Lutherana. Verum quidem eſt, quod & Stephanus Bathoreus & Sigiſmundus ſimiles erant, & pòſt zeloſiſſimi Catholici facti, ſed non ex quolibet ligno fit Mercurius. Regina, quæ hactenus in Lutheraniſmo perſiſtit, quid aget? nonne contra Religionem, quâ Regna conſtant, conabitur? ſed confido in Domino, quòd Eccleſiam ſuam defendet, & diſperget eos, qui volunt mala. Quando verò perſuades mihi contrarium DEo & libertati, infandum renovas dolorem, credidiſti fortè numerari me inter mobile vulgus, ſcio ego, quòd quotidie à nobis recedant, ſed hoc animum non turbat quietum. Mutetur qui vult ut luna, facilis aliis ſit deſcenſus averni. Me diu expectabis, nec fortè habebis, hanc partem teneo, tueborque, quam regit DEus, ducitque Libertas. Non me terret, quòd ſit numero parva, quia eſt juſta, virtutem quis amplectitur ipſam, præmia ſi tollas? ſumus pauci robore virorum Scævolæ, qui dextras ardenti imponere foco pro focis ariſq; parati. Non nos movent vana promiſſa, nec fulgor auri, nec minæ ſævientis terrent tyranni. Rem libertatis agimus, quam vos pro auro vendidiſtis, portetis proinde nunc compedes aureos, gaudendo pro libertate auro, nobis eſt grata, quia illam amamus, non nauſeamus in illa, quam barbaræ gentes appetunt. Altiùs ponit Scytha ſuas cabanas Palatiis Romanis, quia in illis liberior, Româ quid melius, Scythico quid frigore pejus, cur tamen ex illa barbarus urbe fugit? Quia verò illam defendere tenemur, arripiemus quoq; arma, utiq; defenſiva, nonne & DEus defenſionem indicit? Vende tunicam, eme gladium, & natura idem permiſit, vim vi repellere licet. Ponimus ſpes noſtras in innocentia noſtra, nec turbabimur etiam peſſimè victi. Non recedimus à Protectore noſtro, quia virtute non numero pugnamus, confidendo, quòd antequam Gallus DEo, Patriæ, Libertati ter cantet, non unus Petrus negabit unctum ſuum; quia violenta nemo diu Imperia tenuit. Unicum pro laboribus noſtris ſolatium, unica merces, vita libera aut mors glorioſa. Quod reliquum eſt, pro promiſſa pecunia gratias refero, verbiſq; Alexandri ad Parmenionem aliquid ſimile ſuadentem reſpondeo: & ego pecuniam mallem, quàm gloriam, ſi eſſem Parme-

menio. Vacantes curules non appeto, quia scio, quòd non locus virum, sed vir locum ornat. Contentus sum, quòd sim in Regno Regnantis Nobilis, unde cunabula Regum, exordiaq; Senatûs, & crede mihi, quòd si non magis honorem & honestatem æstimarem, certè tempore opportuno dum nundinæ erant pro vacantiis, vel dies Rogationum celebrabantur Cracoviæ, venire potuerim. Scribis, quòd non ero amicus Cæsaris, fortè spiritu Prophetico, quia ex his conjuncturis videmus & nos, quòd non habetis Regem sed Cæsarem. Ego etiam reciprocè invitando te ad nos in recompensam pro tutela libertatis antiquâ monetâ, verbis, non nummis, hoc est debitâ gratiarum actione & immortalitate nominis solvendum tibi appromitto. Interim non me tentabis. Vale tamen, & me ama. *A.C. 1697*

LXXXVI.

CARDINALI PRIMATI

Varsaviâ 13 Decemb.

Factioni Gallicæ se adhærere jam non posse asserit.

CUM hac intentione veni Varsaviam, ut simul cum Thesaurario Litvaniæ Lovicium irem, ibiq; te veneratus quærere non desisterem, quid ulterius agendum? verba innocenti reperire facile est, tacere difficile? Sed quia hîc invenio confirmationem eorum, quibus ex fiducia conscientiæ propriæ, credere omninò nolebam, satiùs duco omnes meas injurias DEo offerre. Judicet Dominus arbiter hujus diei inter nos causa si est, reprehensionem haud gravatè feram, ubi merebor. Sed non minùs audacter, quàm certè cum S. Paulo gloriari possum, cùm omnia fecerimus, servi inutiles sumus. Expectabo à Thesaurario dicto responsum, quod ab ipso enixè petii, ut saltem sciam, in quo peccavi? Rectum hactenus honestatis iter ita tenui, ut nemo nisi per calumniam objicere mihi quidquam queat, unum tantùm delictum meum esse credo, quòd sincerè quidquid mihi in Domino videbatur, palàm locutus sum & scripsi. Authoritatem tuam pro virili tueri, si quis usus mei, tibi sincerè servire volo, & non te deseram, nisi deserar. Quocunq; illabetur virtus, ubiq; suî secura. Ut tamen diutius Gallicæ factioni adhæream, quæ nos privatos per continua promissa ne dicam mendacia planè ruinavit, totum Regnum ex fundamentis evertere, & ad incitas (DEus avertat) cineresq; reducere posset, huic per conscientiam assentiri nullatenus possum. Servivi verè quamdiu, & quomodo potui, privatis stipendiis. Res ipsa parva sed animi mei dolor magnus est, quidquid mihi erat privati peculii, totum id impendi sine ulla imaginabili gratitudine. Nunc cùm imineat egeno populo ultima pernicies, jam enim hæreditaria bona ultimæ vicina sunt injuriæ, contra Episcopatũ furor paratur, nullatenus id conscientia mea permittere potest, ut dem occasionem ulteriorem lacrymis & gemitibus pauperum, & satiùs duco inclinandum ad voluntatem divinam, quæ evidenter nobis contraria videtur. Confundentur verò de me sinistræ relationes, cùm non ante sed nunc primùm sine ulla capitulatione vel contractu quærere gratiam, seu ante oblatam acceptare me resolvi non secretò, non clàm, sed palàm sensum meum aperire, quòd sine præjudicio religionis sanctæ, & libertatis, respectus & favores aucupari nolo, sed cùm etiam & Parisiis in eodem di-

A.C.1697 ſpenſor, & à te non ita tractor ut merui, malo iram quàm contemptum, ejicere nos magnum eſſet, excludere facile eſt. Cæterum erudivi animum & docui, vulgaria quædam contemnere, ſola virtute, quæ nullâ re indiget, nihil extra ſe appetit, contentum. Et hoc genuinè tibi deferens, non intro in profundiores rationes, ubi rebus nihil proficitur, nihil verbis aggrediar. Fui teste cœlo & terrâ tuus, nec deſinam eſſe, ſi volueris.

LXXXVII.
CASTELLANO CRACOVIENSI EXERCITUUM DUCI, 13. Decembris.

Queritur de oppreſſione ſubditorum.

QUando præſens Reipublicæ infelicitas, ita nos omnes confudit, ut neque privatim ſcribere inveteratasque amicitias exercere licuerit, tacui & ego, nec tibi detuli, quod antiquus noſter inter nos deſiderabat affectus, nunc dum gemitus pauperum urget & cogit, audeo, non in favorem meum, ſed in gratiam miſerorum ſubditorum ferventiſſimas coram te præſentare preces. Iam in hæreditariis meis bonis multi ruinam paſſi, de quibus nec jam loquor, quia Domino DEO meam & illorum detuli injuriam, ad quid congreſſus ſub Ravam inuſitatus, inauditus, nec ipſis, qui ei conſilium dederunt, laudandus? ad quid inquam ſervivit niſi ad ruinam ſtatus nobilis, ad oppreſſionem liberi ſenſus, ad vindictam ſumendam de his, qui aliter quàm vos in campo Electorali ſenſerunt. Habeo præcautionem, quòd & ad Epiſcopatum meum aliquæ cohortes deſtinatæ fuerint, quanquam de pietate tua non credo, quòd conditionem temporum velis accuſare eo modo, ut ille queſtus eſt Imperator, quòd nullis calamitatibus publicis inſigniretur, velut Tyberii tempora quibus obruta fuerunt ad viginti millia hominum caſu theatri apud Tarracenam. In memoriam reducas tibi, quantum anno præterito indiſcreta confœderati militis inſolentia damnum Epiſcopatui attulerit, & non permittas his cohortibus fruſtra comparere, quandoquidem centum armati ab uno nudo nihil accipient, nec id patiaris ut reliqui ſubditi in vicinam tranſeant Pruſſiam, Dominum, & religionem mutando. Securum te reddo, ut Chriſtianus multas reperiri in Epiſcopatu meo villas, quæ à duobus menſibus panem non viderunt, niſi ex compaſſione quantum poſſum, non quantum illi indigent paupertati eorum ſuccurrerem, magna pars fame periret. Scripſi & Regi, Paterno reſpectui puſillum gregem meum commendando, & ſpero brevi inſtanliales ad te ejuſdem literas (optima proinde in patrios referas exempla penates) quæ ne præpoſterè veniant, anticipo his ferventiſſimis precibus, quibus addat valorem compaſſio Chriſtiana, quam invoco &c.

LXXXVIII.
STEPHANO HOMIECCIO DAPIFERO PODOLIÆ MARESCHALCO ROKOSZII 15. Decemb.

Cur ad Regem acceſſerit.

CRedo & publicâ famâ, & privatis informationibus tibi delatum eſſe, quâ conſtantiâ ab ipſo initio manutenere voluerim id, quod Domino viſum pro bono, & publica Patriæ utilitate. Non movebar unquam ullâ tentatione, quæ debiliorem me fortè inducere ad id faciliùs potuiſſet. Sudavi & alſi uſque ad finem, non me abſterruit pe-

it periculum offensionis, non diminuerunt zelum ingentes sumptus, vitam, fortunam & quidquid reliqvum erat, volui semper bono publico immolare & defacto immolavi. Loquentur fortassis etiam me mortuo acta mea & obscurum posteris esse non sinent. Promovi ad coronam pro posse eum, quem dignissimum credidi pro fide Senatoria, & jurata conscientia, si in me situm fuisset, majora fecissem, & nullum, hic testor fidem, subterfugi laborem. Videns postea extremam legum & consuetudinum oblivionem in illis, qui in libertate nati & educati memoriam ejus deponere non debeant, non subterfugi subscribere Rokoszio sub directione tua, quem Senatorius & Equester ordo huic muneri parem judicavit. Tua enim merita & capacitatem hic negabit, qui te non novit, scias me ita, ut decet, te æstimare. Dulcius nihil radiat, quàm veritas, quæ nubem frangit.

Non declinavi per omne tempus, neq; ad dextram, neq; ad sinistram, rectum honestatis secutus iter. Ad primam notitiam Electi nostri ivi Gedanum, ut venerarer eum, cui vocem liberam, in campo Electorali dedi. Mansi ibidem in consortio dignissimi avunculi tui Palatini Kijoviensis quatuor integras septimanas.

Non memoro sumptus, viderunt præsentes ibi comitatum meum, propriâ experientiâ cognoverunt, quanto pretio constabat illa residentia. Expectavimus redemptionem Israel. Pacando verò Regno majores vires cur non comparuerint, aliam rationem non invenio, nisi quòd sic DEus voluerit, quòd bonitas ejus infinita, effusionem sangvinis, motus & fortè ruinam ultimam Patriæ nostræ necdum determinaverit. Causâ meliores fuimus, patrocinio multò pejores, agri jure cadere nemini non arduum est, regni jure jam possessi cui difficillimum non sit deturbari. Jam Rex coronatus in possessorio, nos tantùm in petitorio, cùm modicis viribus eramus. Redij Gedano & ex gratia DEi magnâq; meâ felicitate præveni & anticipavi omnes illas confusiones, quarum cuivis quamvis diverso modo sua pars obtigit. Considerando verò ad focum domesticum præterita, præsentia, & futura, invocato DEi nomine conclusi apud me nemine impellente Patriam nostram aliter salvari non posse, nisi per contrarium his, quæ hactenus fecimus, & quæ illi ruinam afferunt. Scripsi proinde Cardinali Primati, factâ brevi & vera relatione illorum, quæ vidi, & quæ rescivi. Addidi sensum meum, quanquam non sine sensu doloris, difficile enim pœnam Divinam occultare, quæ nos hâc confusione implevit. Neminem accusavi, quia qui erroris plures arguit, sui damnatur, semper enim importunè judicat, qui judicium suum communis sententiæ censorem statuit. Sensus verò meus non erat alius, nisi ut cum felle Christi mœrores nostros misceremus, calicem salutaris ejus acciperemus, sub potenti manu humiliaremur, negotiosissimam prorsus nostram abjiceremus vanitatem. Infeliciter pleraq; cadunt, quæ temere continuantur. Cadit qui plus posse vult, quàm valeat. Ut eum Regem agnosceremus, quem Dominus exaltavit, neque facta considerando, quoniam ille sic voluit, utq; in bonitate Divinâ omnẽ nostram reponeremus fiduciam, modò vellemus de reliquis in charitate, quæ ubi abest, ibi nihil boni esse potest, cogitare. Et quandoquidem superare non possumus, maturato opus est, nec inutili cunctatione agendi tempora amittenda, meliusq; cedere, reliquias libertatis sustinendo. Scio bene, quòd etiam optimas intentiones privati odii pertinacia, curiosa ad cognoscendam vitam alienam, desidiosa ad corrigendam

*A.C.*1697 suam, quia in publicum exitium intenta, ut evertebat, ita semper evertet, periculum fortè ac conscientia, factorum reddunt inquietos & hanc indignationem injustam causabunt sed non temere judicanda, quæ non videntur, imò nec omnia, quæ videntur, cum præcipuè omnis credulitas mala sit, pessima si fœminæ credis, quæ si semel fidem lucrata, iniquissima quæque persvadet, scis quam tangam, cuique ulcus inest? ac proinde concatenatam malorum si quis ulteriùs seriem vellet pati nec excutere, esset insensibilis.

Acceptâ à Rege civilissimâ compellatione respondendum eidem duxi, & eum agnoscendum Regem, quem digitus Domini visus est monstrare. Quemadmodum ergo detuli id ipsum Cardinali Primati, ita & tibi libenter defero hunc meum genuinum addendo sensum, quòd quò citiùs Regem omnes recognoscem⁹, eò celeriùs tranquillitate Patriæ gaudere, & lætari poterim⁹. Scio enim, quæ impedimenta opponant accessui nostro, qui verum gustum libertatis non habent, & qui absentiam nostrã pro beneficio agnoscunt. Adire insimul omnes, Regemque junctis manib⁹ recognoscere inter optata magis, quàm inter sperata numero, rarus enim est. absit injuria verbo, quia sua non quærat. Venerunt mihi ad manus vix non authenticæ Cardinalis Primatis propositiones, quæ omnia in rem ejus, nihil in rem nostrã continent, & non quærit, quod multis utile sit, sed quod sibi. Nónne ergo quidquid in alieno reprehendit, id in sinu suo recipiet? privatas spes agitans sine publica cura. Enervabitur proinde vis nostra, dum mutuam jam perdidimus confidentiam, & cum accidentalia essentiam rei manutenere prohibeant. Comitia pacificationis videntur ultimum remedium labentibus rebus nostris. Ego autẽ pro vili sensu meo dico, & nunquam me id dixisse pudebit, vel pœnitebit, quod ad comitia hæc cum tam parvâ jam manu reliquiarum nostrarum accedere sit idem, ac reliqvum libertatis perdere. Quia inprimis in comitiolis rarus ex amicis nostris nuntius eligetur, nec facile quispiam in congressu partem nostram tueretur, pateret nuditas ultimo Varsaviensi congressui similis, & contemtui haberetur, quia tempora nostra diversa sunt à priscis sæculis, in quib⁹ tantum unus, quantum mille; publica nunc pessimè habent, in privatis etiam suæ cruces. Possent ergo per conniventiam nonnullorum, in contumaciam aliorum talia constitui, quæ reliqvum libertatis ad finem jugularent; nónne ergo melius esset sine mora, & periculosis dilationibus ad Regẽ accedere & deinde junctis manibus habendo vocẽ in capitulo id constituere, quod Patriæ desideratam pacẽ, Regi, quem jam omnino recognoscere debemus, tranquillum deferat Imperium. Ita fama fert Regem non diu Varsaviæ moraturum, sed in Prussiam moturum. Cur ergo istud interstitium non accipiendum, cur maturè nobis non conveniendum in unum, cur comitia nõ prævenienda, in quibus (sim falsus vates) vereor, ut aliquid boni constituere possimus, si prius ad invicem non consentiamus. Ego palàm minimus Apostolorum in hac nostra parte servivi, ut decebat, quamdiu potui, potui autem felicior esse, nisi melior esse maluissem, protestor id coram te quòd propter nullum particulare interesse, publicè enim & privatim declaravi, quòd nullam velim vel inire, vel acceptare capitulationem contra DEũ, nolo aliquid habeam, ne non habeam DEum, sed quod non ex vano metuens pejora prioribus (felix ille cui ante lassitudinem peractum est iter) accedo ad Regem, cum hac expressa & positiva declaratione, quòd me nulla spes fortunæ, nullũ desiderium lucri ab eo abstrahet, quia supra omnia desiderabilia charissimæ constantiam debeo Patriæ, inclinabo me Regi, ut privata persona, non avellar tamen à te, cui id & subscriptione manus meæ toties ore promisi, conscientiamq; invadiavi. Agam tamquam privatus

tus Senator, & sic actus meos omnes dirigam, ut nihil excusandum habeam, credas verò obsecro, quòd nec consilij nec voluntatis meæ fuit, sed impossibilitatis, quantum metiri vires licuit, ampliùs in eo statu permanendi. Obsecro inquam per Christianam charitatem, ne me humana voluntate id fecisse credas, sed sicut præcipuè nobis incumbit, divinum consilium perquirebam, & vidi, sicut est voluntas in cœlo, sic fieri debere in terra. Scio ego quòd sola suspicio est apud vos, grande scelus, scio quòd multis subero interpretationibus, quæ hoc sæculo non desunt, quòd scilicet præcipitanter ad Regem accesserim, sed quare Cardinalis ipse voluit, dum me à confidentia sua alienum reddidit? in reliquo dabo rationem publicè & privatim, quicunq; eam audire voluerit. Bene fit, quod pro Republica fit, exitus acta probabit. Si in me delictum agnoscis, ignosce. Videbis verò & tu, quod publico necessarius fuerit hic accessus meus, quia pro modulo meo hoc consulam, quod publicam quantociùs adferre possit tranquillitatem, illud & publicè & privatim profitendo, quòd retro non recedam unquam, illi serviam, cui ut serviam, expressa est Dei voluntas. Hoc ex plenitudine affectûs dum defero, ad similia te invito, ut diffundatur hæc benedictio in universam Poloniam & ad signum vitæ certatim convolent universi, & ego occasionem habeam præstandi tibi obsequia, quæ non à te exigo, sed ipse exhibere cupio. Et iste est epistolæ finis, qui finis est ad justitiam omni credenti &c. *A.C. 1697*

LXXXIX.

SERENISSIMO REGI AVGVSTO

16 Decembris.

Agnoscit eum Regem, & Episcopatum suum commendat.

HOdie primum redditæ sunt mihi literæ Majestatis Vestræ de data 7. Novembris, quibus debita cum veneratione respondeo, & post tam manifesta Divinæ voluntatis, per quam Reges regnant, argumenta, debitam Majestati Vestræ reddo subjectionem, & illum reverentissimè agnosco, quem procul dubio cælestis calculus Regem nostrum destinavit. Sicut verò præsentibus hisce meis legitimum Dominum Majestatem Vestram & me fidelem esse ab hac hora subditum recognosco, ita Episcopatus mei bona, quæ anno proximè elapso Confœderati militis immoderata exactio propè exhausit, humillimè Majestatis Vestræ gratiæ respectuiq; Paterno commendo meq; cùm domo mea ejusdem profiteor. &c.

XC.

EIDEM 26. Decembris.

Curam oppressorum commendat.

COmpellatus à Majestate Vestra, ut secundùm morem antiquum cum debita veneratione ad deliberatorias dando responsum, sensum meum Senatorium exprimam, facio id, ut debeo juramento coram Serenissimo sanctæ memoriæ Antecessore expleto adstrictus Senator. Refero inprimis humillimas gratias, quòd velit dissensiones, & præsentes scissiones combinare quas nulla certè à persona Majestatis Vestræ aversio, sed beneficium libertatis cum magno infor-

A.C.1697 infortunio, imò ferè cum totali Reipublicæ ruina permittente Deo causavit. Ego de quolibet credo, pro me spondeo, omnes visâ sincerâ Majestatis vestræ in bonum publicum applicatione, evidenti in jura & libertates nostras respectu, omnique de emendanda in melius Reipub. mediatione ad eam properaturos metam, ut tarditatem nostram sincero obsequio Majestati Vestræ rependamus, & compensemus, juvemúsque quantum nostrarũ virium est, ut heroici contra hostem Christianitatis conatus ad effectum deducantur. Ut verò his benedicat Dominus de cœlo; petere audeo à Majestate Vestra, ut præ omnibus curæ sibi ducat, quomodo egentissimus populus à tam gravi liberari possit oppressione, in qua non jam lachrimis nihil proficientibus, quia hæ citiùs deficerent, quàm causa dolendi, sed planè sangvine cœlos penetrat, & vindictam à DEo promissam invocat, ut exurgat. In gravissimis terminis, & periculosissimo statu erat constituta Patria nostra regnante Ioanne Casimiro Antecessore Majestatis Vestræ, qui semper in rebus laceris fuit integer, in perditis semper æquanimis, in turbatis semper immotus, in convulsis semper constans, in desperatis semper Deo nixus. Qui cum humana defecissent salutis publicæ media, recursum fecit pius Princeps ad Deum, & succursum desuper eo modo sibi attraxit, quando publicum in Ecclesia Leopoliensi fecit votum, omnibus viribus libertationem à gravibus extorsionibus gementis, & pauperis populi procurandi. Tãtæ efficaciæ hæc publica Regis fuit appromissio, ut mirabili planeque insperato modo expulsis omnibus inimicis integritatem publicam viderimus restitutam. Illud ipsum & ego pro fide mea Senatoria optarem, ut te Regum optime venerentur hostes, colant amici, dummodo pauperes ut audies, illis occurras, ut videbis, adjuves, expectatione egenorum semper velocior, voto eorum semper pernicior. Nullus dubito, quod per eliberationem innocentis populi suppeditabit Dominus media Majestati Vestræ non tantùm contra competitorem præpostera meditantem, quæ jam voluntate divinâ magno nomini Majestatis Vestræ cesserunt, sed etiam contra hostem Sanctæ Crucis totum id præstabit, quidquid quivis fidelis religioni & gloriæ ejus vovere potest. Et hoc primum objectum esse deberet imminentium comitiorum, quibus terminus jam est destinatus, priusquam ad nos Senatores deliberatoriæ expeditæ, in quo contra antiquas regulas, & solitam praxim Cancellaria Majestatis Vestræ erravit. Non deerunt in consilio illo publico media, quomodo Gedano, & alijs partibus securitas provideri possit.

Optarem & illud, ut Majestas vestra paternè cum his qui deviarunt agere, & illos ad gratiam suam revocare velit, non prodeant extorta, nec hæreant suspensa beneficia, quia per id non tantùm tranquillitas publica, sed pacatum regimen eò magis ejusdem firmabitur, à quo amari se sentient, amare eum cogentur.

Minimè itidem dubito, Majestatem Vestram ex bonitate sua in publicis ad Palatinatus instructionibus palàm facturam, quòd omnes læsiones libertati illatas paternè lenire & corrigere intendat, quòd non tantùm ad celeriorem obedientiam, sed & ad affectum certiorem & sinceriorem trahet hanc gentem, cui particularem & specialem in Monarchas suos amorem non tantùm externæ attribuerunt nationes, sed etiam ipsimet non ex vano gloriabantur Regnantes, quòd in sinu cujusvis subditi securè & suaviter quiescere possent, quam felicitatem non tantùm Majestati vestræ opto, sed etiam cum grege meo in oppressione gemente DEum precabor, ut benedictione suâ valetudinem Regiam firmet, & hanc nomini ejus det gloriam, quâ possit Antecessores suos superare, & Regibus prioribus major omnium in se colligere virtutes, animos adæquare, singulos singulis, omnes omnibus titulis superare &c.

COPIA

A. C.1697

LITERÆ UNIVERSALES R. Mtis AD LITVANIÆ & SAMOGITIÆ DUCATUS. Radomii 27. Decemb.

Significamus &c. Post destinatam cælitus, & favorabilibus liberæ gentis vocibus oblatam, & capiti nostro impositam coronam, nulla magis cura, sollicitudoque cor nostrum Regium occupavit, quàm ut exoptatam in Regna nostra, simul nobiscum inferamus tranquillitatem, ut Regium diadema, non tantùm pretiosi uniones, sed & grata ornet innexa vitta olea. Dedimus hujus rei documenta, partim in acceptanda Serenissimi Electoris Brandeburgici mediatione, partim in adinveniendis mediis conciliandorum nobis affectuum, omnium & singulorum, quos libera ad aliam partem inclinaverat optio. Præbeant fidele testimonium hi, qui per omne hoc tempus, à felici coronatione nostra, ad latus nostrum manebant, tam ex Senatorio, quàm ex Equestri Ordine, si non illud præcipuè palàm in nobis erat desiderium, ut quàm citissimè disjuncta inter se jungerentur studia. Nonne & sub Gedano dum ingerentem se in viscera Regni nostri æmuli ambitionem defendere voluimus, non tam repellere, quàm destinatum aliàs urgere iter, & ad abitum celeriorem stimulum addere optabamus, nullam civibus inferendo hostilitatem, ut eò citiùs gratioso omnes ad nos compelleremus impulsu. Continuabamus ulteriùs exoptatæ Pacis opus, quando quasi omnia adversæ partis, ita inclinabamus subjecta, ut jam pauci restent, qui non debitam velint ipso facto Majestati nostræ profiteri subjectionem, determinato ad id præstandum, adhuc ante comitia pacificationis tempore, ut concordi grata unionis vinculo juncti animi, in publica dictorum comitiorum agitatione, abolitis omnibus Majestati nostræ contrariis actibus, in augmenta boni publici resolvi possint, in quo dum desudamus, & omnia impendimus momenta, & ecce veniunt ex Litvania, Samogitiaq; certi Nuntii, quòd ibi cuncta impleantur armis. Illud quidem fideli honoris & Majestatis nostræ adscribere possumus zelo, in bonamq; interpretari partem, sed cum gratia DEi, ad pacificandam hanc Patriam, alia offeruntur media, ad quid ferrum, ad quid effusio sanguinis? quis ex fraterno cruore fructus? si non sanguine Paterni madentes campi, sterilescentem producent fortunæ culmum, mortali civitates, & privatorum Nobilium bona cooperient cinere, extremam in Regnum hoc inducent egestatem, & propter id nec sanguine deservita Exercitui extorqueri poterunt præmia, ubiq; arma sequente gemitu, retinebuntur justæ ad prosecutionem, non tantùm offensivi, sed & defensivi belli contra immanem Christianitatis hostem cogitationes. Quò diuturnior, eò gravior animorum crescet divisio, & pòst secundùm edictum Divinum subsequetur Regni hujus, unici Regnorum Europæorum antemuralis desolatio, quod cum tenerrimo Paterni nostri cordis considerando dolore, & desiderando

quàm

A. C. 1697 *quàm efficacissimis mediis eam calamitatem à Dominiis nostris avertere, omnes utriusq; partis inter se contrariæ, in Palatinatu Vilnensi degentes, quàm diligentissimè præmonemus, ut zeli pro Majestate nostra moderentur habenas, ab omnibus ulterioribus expeditionibus, à motu publico, ab omnibus mutuis aggravationibus, præjudiciis, violentiis, & quibusvis aliis ad invicem attentatis abstinere, usq; si id necesse fuerit, à nobis per literas universales admoneantur, quandoquidem inclinatis ad nos adversæ partis, lætari jam incipimus affectibus, ut eò meliùs divisi inter se coagulari sensus possint, eò celeriùs prævià satisfactione utriusq; partis commodorum pristinam in Patriam inferre quietem. Quod cùm omnibus notum esse velimus, ut judicia in castris & aliis subselliis incipiant, declaramus, ut Imperium nostrum, in hac solida justitiæ sanctæ basi fundatum fructibus tranquillitatis gaudere possit. Quod ut omnibus pateat. &c.*

COPIA LITERARUM REGIARUM AD PALATINUM VILNENSEM. Cracoviæ 26. Decemb.

PUblicis circa actum felicis inaugurationis nostræ perfuncti votis, singularem lætitiæ accessum ex literis Sinceritatis Vestræ percepimus, quibus prout fidelem devotionis suæ erga nos cultum pro exemplo cæteris imitando Sinceritas V. ductu suo monstrare videtur, ita resolutum ejusdem animum, tanquam boni Nuntii prodromum reliquos pari studio secuturos minimè ambigimus, adeoq; pergratum nobis accidit hæc à fido pectore Sinceritatis Vræ processisse, de cujus integritate & probata, semper in Principes fide, rectoq; ergo nosmet ipsos benevolentiæ sensu nequaquam dubitavimus, serâ quidem non tamen minùs seriâ ad ministeria publica promptitudine, coadunatis in fundamento legum Patriarum civium aliorum animis Sinceritatem Vram tantò magis accedere gaudemus, quantò diligentiori curâ pacificum ingressum nostrum exhibere, antiquas Regni hujus libertates augere, & optatam inter Proceres concordiam sub regimine nostro promovere contendimus. Proinde persuasum habeat Sinceritas Vra nos tam illam ipsam, quàm omnes ejusdem sequaces non dissimili recepturos affectu, quo gratam liberrimæ gentis voluntatem, collatorumq; in nos suffragiorum momenta perpetuâ recordatione æstimare possimus. Totas vires quantumcunque belli vel rationes postulaverint, in conservationem inclytæ hujus Reipubl. ornamentumq; benemeritorum civium libenter profusuri. Id Sinceritati Vestræ, id reliquis, bono constantiq; animo pollicentes, eidem faustam optamus valetudinem.

ANNUS

ANNUS
1698.

XCI.

CARDINALI BARBERINO,

II. Januarij.

Nuntiat inter alia suum & aliorum accessum ad Regem.

HAbuisti Eminentissime Princeps quâlibet septimâ tributum obsequij mei, ut ipse voluisti, manu Secretarii scripta ex partibus nostris nova, qui sine dubio nuntiabat de me quod etiam per alios audisse te existimo, quid actitarim, per quæ discrimina in itinere Gedanensi transierim, imò per quæ vix non jactatus fuerim, ut aliis accidit, præcipitia. Nunc sub auspicium anni, debiti mei duco, ut ipsemet non verbis, sed devotissimo tibi corde & festa Nativitatis præterita, & principium anni intimè gratuler, voveamq; ut quàm diutissimè vivas bono Ecclesiæ, solatio nostro.

Habuisti transmissas omnes copias literarum mearum, quas variis scripsi in his circumstantiis, quæ nos ad mutandum systema non tam ducunt, quàm trahunt. Vidisti, quòd nullum omiserim gradum, antequam resolutionem accedendi ad Regem jam coronatum acceperim.

Consideravimus bene multi, toties falsis promissis & vanis pollicitationibus à Gallia nos elusos, ut unà cum Patria proximi fuissemus ruinæ, si DEus ex infinita sua misericordia non salvasset per abitū Principis Contij; scribitur verò & in itinere & Parisiis non ab illo sed domesticis ejus nomen Polonum proscindi, quasi ex nobis culpa esset, quòd in tempore talem ex Gallia non habuerimus succursum, qualem tam magnum negotium exigebat. Aliter certè quia sine passione, tu judicabis, dum historiam actorum verè & sincerè à me descriptorum in memoriam reduces. Qui fecit quod potuit, legē adimplevit. Nihil certè in conatibus nostris & seria applicatione defuit, modus tantùm prosequendæ ulterioris intentionis nostræ, non ex nostra sed ex Galliæ parte in tempore opportuno defecit, & dolebit aliquando Gallia tam bonum opus à se intermissum, illo tempore quo jam fructu laborū & sollicitudinum nostrarū in proximo erat, ut gauderemus.

Conclusimus jam aliqui svasu & ductu non tantùm rationis, sed etiam necessitatis, eum agnoscendum esse Regem, quem DEus elegisse videtur, idque cum intentione eum nunquam deserendi. Varsaviam cùm venissem, per literas æquè ac aliam compellationem præcipuè per fratrem meum Palatinum Czernichoviensem, iterum institi rationibus precibusq; apud Cardinalem Primatem, ut misereretur Patriæ, & ad ea accederet, quæ pacis sunt. Sed ille, absit injuria verbo, præcipuè apud te (qui nosti omnia) magis interesse suum quærebat, ut scilicet mutuò datam pecuniam prius vel ex Gallia reciperet, vel à coronato Rege solvendam extorqueret. Dicunt alii, quòd ex innata animi elatione per mediationem summi Pontificis novique Nuntij expressam missionem reconciliari velit. Negotiosissima prorsus vanitas! ut interea sibi meliores conditiones reddat, Patriæ nullo habito respectu. Convenimus nos, ut cum Mareschalco Regni, tanquam mediatore cum Thesaurario Litvaniæ, cum fratribus meis colligatisque ex senatu & equestri ordine obviaremus Regi, scio enim me peccaturum & in idem peccatum alios inducturum fuisse, si ijsdem aliud consuluissem aut concessissem, suffragentnr utinam & alii nobis per vota sua; alioquin viderint, quibus crèdant dicentibus; ecce hic est Christus, ecce illic est, quia oportebit eos ante tribunal Christi super hæc respondere.

Volui ego usque ad Abbatiam Vachocensem quam teneo, & qua Rex transitu

transiturus erat, excurrere, ibique pro posse humanitatis officia Regi exhibere; sed dissvasit id Prependovius Castellanus Culmensis Regi à secretis, scribendo non esse conveniens tractare Regem, antequam illi reconciliaremur. Misi proinde tantum aliquos ex domesticis meis, qui jussu meo omnia ad culinam, cellariũ, stabulum Regis & totius aulæ providerent. Igitur expectavimus in civitate Radomensi, ibique in vigilia trium Regũ in campo venientem Regem in trahis salutavimus, cum quo Oberbekius Brandeburgicus sedebat legatus. Locutus est primus Mareschalcus Regni Gallico idiomate in eum sensum: parvas moras magnum habuisse effectũ, dum sincere accedimus. Secutus & ego cum alijs, quorum nomine fidelitatem nostram sum testatus. Gratissima Regi erat hæc compellatio, voluit eqvum ascendere, sed nos petijmus, ut eo modo quo venerat, ulterius procederet. Præcedebam⁹ contenti ex optimo boni Principis affectu, qui video non placere maximis non potest, & maximi non placere ei non vellent. In conventu Patrum Bernardinorum substitit pro nocte Rex, cui eunti cum ordinario scipione suo assistebat Mareschalcus. Die tribus Regibus sacro, antequam Regem vidissemus, Castellanũ Vilnensẽ, cum Thesaurario Litvaniæ, qui hactenus sibi insensi erant, feliciter combinavimus & spẽ habem⁹ brevi omnes Sapiehanæ domui inimicos reconciliandos, quandoquidẽ eò omne studium nostrum vergit, ut exoptata inter cives unio redeat affectuum. *A. C.* 1698

Tertio die discessit Rex Radomiâ nobis assistentibus excepto Mareschalco Regni, qui abijt Varsaviam ad faciendas dispositiones ulteriores pro officio suo, ad solennem Regis ingressum pertinentes. Obviaverunt, antequam Varcam parvam in via civitatẽ venisset Rex, Principes Regi Alexander & Constantinus, sed culpâ illorum, qui cum eis erant, parum circumspectè. Neminem enim præmiserant, qui adventum insinuaret Regi, qui illos proximũ esse Regem informaret, unde exilientes ex curru equitantem Regẽ salutarunt, parumque disgutati sunt, quod Rex quoq; ex equo non descendisset. Sed id correctum fuit comitate & humanitate Regis, qui eos lautissimo convivio excepit, ubi in multam noctem nos quoq; adesse debuimus, multa signa mutuæ amicitiæ vicissim monstrata; quamvis errat & ille, qui amicum in atrio quærit, in convivio probat. Ego deliberandum esse didici cum amico, sed de ipso prius. Post amicitiam credendum est, ante amicitiam judicandum.

4 Leucis Varsaviâ tres propositiones à Principibus Regi porrectæ, quas intelliges ex annexa Mareschalci Regni copia literarum, quas Thesaurario Lit: scripsit & sensui huic Rex quoque detulit.

Crastina luce solennis Varsaviam erit ingressus, cujus & aliorum quæcunque occurrent, exactam vel à me, si id facere potero, vel à meo, Secretario habebis relationem.

COPIA LITERARUM

SUPREMI MARESCHALCI REGNI AD THESAURARIUM LITVANIÆ, 10 Januarij scriptarum.

Miratus sum vehementer, dum ex tuis intellexi, transmissasque à Principibus porrectas, an à Serenissima Regina legi propositiones. Similes mihi videntur petitioni illius matris filiorum Zebedæi, quandoquidem pugnant directè contra prærogativas & authoritatem Regiæ Majestatis. Inprimis cessavit jam omnis prætensio Majestaticæ conditionis per mortem Regnantis & talis circumscriptio, quam Regina proponit, & habere vellet, non ad nos paucos Senatores, sed ad de-

A.C. 1698 cisionem toti⁹ Reip: omninò pertinere videtur. Quæ authoritas Regis esset, si Con-Reges socios regni sine scitu Reip: nobis destinatos videret, quod quamvis sim certus Regiã Majestatẽ, pro summa prudentia, & æquanimitate in Rempub: nunquam permissuram, sed & ego pro munere meo, si quid tibi nocivum scivero, avertam, & ne illud fiat, me opponam. Non contraeo, ut Principes Regij, quàm maximos honores & affectûs demonstrationes à Rege habeant, sed id fieri debet privatim, ut verò ad functiones publicas, ubi splendor Majestatis coruscat, pertinere debeant, hoc nullatenus sentire & permittere pro officio meo possum. Tres tantùm apud nos numerantur ordines, quartus autem Principum ordo locum in Repub: habere non potest, & tantò minùs ad Majestatem Regnantis pertinere queunt. Cur ergo prætenditur, ut Majestatem suam ratificare debeant per sessionem in throno, penes Regem sub Baldachino in Ecclesiæ functionibus, nonne per hoc paritas conditionis prætenditur, quæ in Rege distincta est, & sola non cum socijs. Dedimus Regi per libera suffragia usum Majestatis, sed communicationem cæteris. Vivente Rege sanctæ memoriæ, assidebant Principes Regi in Ecclesia tanquam filij cum Rege Patre, nunc sederent tanquam Reges cum Rege, quia nec cum Patre, nec cum fratre, nec cum aliquo prætextu ad Principes Regios pertinente, per quod evidenter ostenderetur propioritas ad successionem. Filij Sigismundi Regis, nunquam in Ecclesia Regi assidebant. Ergo hæc petitio solvenda silentio. Sed proponat ad id petatq; Regina in comitiolis, quia nos eum locum, quem habet Rex, nullo modo alij præter illum permittere possumus.

Altera propositio, ut scilicet scipio, qui Regum sceptra præire solet, Mareschalcalis, Principes Regi protunc assistentes immediatè præcedat, nonne per id monstraretur, quòd Scipio ante Principes Regios eat, Rex inferiùs Principibus, cùm eos sequeretur. Scipio est index immediatus Majestatis succedentis, ac proinde præcederent Principes Regem, si Scipio ante illos portaretur, & tunc demum Rex subsequeretur. Piasecius in historia sua hæc formalia scribit: Princeps autem Vladislaus subsequebatur Regem Patrem suum. Ergo non præcedebat Patrem, nec ante eum portabatur Scipio. Ac proinde nec id unquam permittere possum, ut quempiam alium demonstrem Regem, nisi solum Regem nostrum. Malus esset in horologio index, qui solis cursum non sequeretur.

Tertia pariter propositio nullatenus concessibilis, ut currus Principum immediatè præcedat currum Regis, quia hæc propositio similis omninò est propositioni de portando Scipione. Currus Mareschalci Regni denotat, quòd in eo curru sedeat Rex, qui immediatè post eum succedit. Et eo modo primum locum currus Principum Regiorum haberet, quàm currus Regius. Accedit, quòd Legati Magni Monarcharũ sedere solent in curru Mareschalci, quomodo illi id concedere possent, ut præcederent currum Principum, tanquam ad eos, non ad Regem missi fuissent. Quantumvis hæ nos deficerent rationes, hæc sola resolvit, quòd delicata pupilla Majestatis non patitur lumen stellarum in meridie. Nec credo ausuros Senatores nostros, sine tota Repub: hanc quæstionem resolvere, & ego videns, quòd esset læsivum Majestatis Regiæ & præcipuè illius, in cujus domo non tantùm Regia, sed & Imperatoria Majestas fulsit, & qui avita decora augere magis volet, quàm usurpare, non possum permittere pro munere meo, ut in Patria hac

stan-

stante ministerio meo, vel in minimo prærogativæ Regiæ diminutionem patiantur me consentiente. Judicio Majestatis Suæ submississimè defero, utq; id in consideratione sit, enixè peto. &c. A.C. 1698

XCII.

CONSTANTINO WAPOWSKI

VEXILLIFERO SANOCENSI VARSAVIÂ 12. Januarij.

Constanter se Regi adhæsurum appromittit.

SEcurior semper ad scribendum via per expressos, ac proinde & ego taliter te affectu meo compello, qui constans esse debet, quia quicunque te semel adamavit, desistere nequit. In quo statu res tuæ sint absolutè nescio, quia hodiè scribitur, diciturq; non id quod in re est, sed quod cuivis placet; libenter tamen certitudinem in eo haberē non tam ex curiositate, quàm ex desiderio serviendi, si quis us[9] mei; ego de me genuinè defero, quod quamdiu potui eū manutenebam, quem nominaveram, advertens autem effectum sortiri non posse, quin imò ultimam Patriæ ruinam ab ulteriore intentionum nostrarū persecutione manaturā, abij Gedano, nullum bonum effectum longioris moræ prævidendo, & si adversi plurimum evenire poterat, quod per alios cudebatur; compellationem aut invitationem ad coronam, studio evitabam nolens conscientiam meam onerare, utpote cum infallibili sangvinis effusione connexam. Domi meæ maturiùs omnia mihi consideranti visum est, non esse aliud medium salvandæ Patriæ & nostri, nisi accessio ad eum Regem, quem DEus ipse elegit, deliberavi diutiùs, quomodo accedendum, credebam unà cum alijs ac proinde primò literis pòst ore Palatini Czernichoviensis fratris mei, compellavi Cardinalem Primatem, volens mentē ejus expiscari, eidē me accomodare, sed contemptui fortè habebatur mea confidentia, dici contra me amaritudines & indignè me Lovicij tractari ab illa tua præcipuè amica non tam rationabiliter, quàm terribiliter inaudivi, sed id me non malè habuit, gloriæ enim duco talibus displicere. Invenisti tu eò loci semper amorem, ubi satis abundeque est vitare odium, & vellem, ut non minùs argumento tibi videatur, quòd bonus sim, si huic mulieri è regione pessimæ non omnino placeā, DEo autē gratias ago, qui dedit mihi non vinci à malo, sed vincere in bono malum, non rependam certè ei malum pro malo, aut maledictum pro maledicto, vincar jurgijs, vincam ego obsequijs, invitis præstabo, ingratis adijciam, honorabo & contemnentes me.

Accessit quod in contumaciam non tantùm cudebatur, sed effundebatur, in nos omne malum, bona mea & fratrum meorum hæreditaria in Palatinatu Ravensi funditus eversa, ad Episcopatum sine timore Dei tot cohortes pro consistentia missæ. Certa erant quæ patiebar, majora quæ timebam. Quid ergo faciendū erat, longè jam erat, qui nos defendere deberet, quanquam & id fieri posse, quis crederet? ergo ad eum accessi Regem quem DEus ostendit nobis, non tam ut privatæ fortunæ naufragas tabulas quomodocunq; salvare possem, sed ut publico adessem commodo, cum ex vi Senatoriæ dignitatis post accessū ea proponere possim, quæ in rē Reipub: credam, ego certè curabo in occasionibus omninò ne taceam, nec me hactenus errasse puto, bonus enim videtur Dominus, quemvis audit, & libenter habet, quæcunque eidem proponuntur, in rem libertatis. Obviavi illi cū alijs 12 circiter leucis Varsaviâ summè contentus, quia nihil petij, & posui mihi legem, ut nihil unquam petam evitando disgustus, si negaretur; non dubi-

A. C. 1698 dubito tamen, quòd optimus Princeps supplebit bonitate, dum de sincero convincetur obsequio. Convincetur autem certò certius, qui. ;o nunquam ab illo avellar, nec retrò respiciam, nec ero similis ijs, qui Primis illis Ecclesiæ temporibus describuntur, quòd scilicet non deerant, qui Christum ore assumerent, & Platonem animo non exuerent. Nunquid ideo non oportet facere hominem quod debet, quia DEus facit quod vult? id ipsum consulam omnibus, nisi aliquis inveniatur, qui tricas, fabulas, promissa falsa, pollicitationes amet inanes. Tollat qui non novit. Cum hoc Rege si ipsi voluerimus & libertas integra erit & gloria nominationis nostræ exaltabitur, quid amplius vultis?

Hæc genuinè more meo tibi defero, & rogo, ut me eum credas, qui sum, salva per omnia libertate serviam huic, & spero, quòd dum in plena confidentia publicum promovebimus, facillime id, quod fratres nostri immemores æqualitatis sibi usurparunt, & in quo deviarunt, corrigemus, quædam bono publico condonantes, aliqua in vias planas reducentes. &c.

XCIII.
AMICO CONFIDENTI,
15. Januari.

Ingressus Regis Varsaviam describitur.

TAndem Rex Serenissimus secundâ horâ post meridiem ingressus Varsaviam, ad Ecclesiam S. Joannis descendit, quanquam ingressui ejus decima hora destinata erat, & venisset certè nisi ad multas preces Principum Regiorum Villanoviæ paululum moratus fuisset, magis propter convivium, quod pro Majestate sua instructum erat. Visitavit quoque pulcherrimam in Czerniakow Ecclesiam, ibiq; aliquatenus substiterat, donec comitatus suo ordine fuisset dispositus, unde solenni apparatu ad civitatem à civibus mercatoribus præcipuè verò Armenæ nationis in optimis equis fuit conductus. Currus Senatorij & aliorum officialium, quorum circiter 30 erant, occurrerant, in quibusdam Senatores, in aliis aulici eorum vehebantur, ante currum Regium præcedebat currus Mareschalci, in quo ego, Princeps Radzivilius Vicecancellarius, & Thesaurarius Litvaniæ sedebamus. Episcopus Vladislaviensis ante currum Mareschalci præcedebat, ordine suo servato alij Senatores Regni, & Palatinatuum Officiales. Equitabat penes currum Regium Referendarius Regni alloqendo, & de multis interroganti respondendo. Plurimi nobiles Regium currum in equis optimis antecedebant. Ante ipsum currum Dapifer & castrorum metator Litvaniæ, Subdapifer Regni, & utriusq; gentis Officiales currum Regium pulcherrimum & ditissimum, qui octo equis ducebatur, duæ cohortes Guardiæ Regiæ in vestibus splendidis sequebantur, deinde quinq; currus Regij pulcherrimi, quos quadraginta equi separatim ditissimè, & omnes æqualiter ornati sequebantur, sub signis Regijs ex argento elaboratis, & demum custodes corporis Equites numerum ferè sex millium complentes. Ante triumphalem portam præstitit civitas fidelitatem Regi ad currum ejus accedendo, claves reddidit, orationem dixit, cui Princeps Vicecancellerius Litvaniæ respondit. Ingressus verò Ecclesiam Rex salutatus est in medio Ecclesiæ, Clero assistente ab Episcopo Livoniæ Pontificaliter vestito, qui & missam coram Rege legit, cantatus hymnus *Te DEum Laudamus*, tormenta campestria Regis explosa, nam

nam arsenale Varsaviense à Cardinali Lovicium conductum. Ductus deinde est Rex ad Palatium & eodem vesperi in assistentia omnium Reginam viduam in Mariævilla morantem visitavit, ubi plurimæ Senatrices studio ad videndum & salutandum Regem congregatæ erant; Insumpsit Rex in hac cum Regina conferentia ultra tres horas in multam noctem semotis omnibus. *A.C.1698*

In crastino Alexander Drzevitscius Castellanus Lublinensis veniens cum Primarijs sui Palatinatus, ex Equestri ordine publico sermone & facundo professus fidelitatem in eum sensum.

Quem Christianus orbis victorem hostium Sanctæ Crucis toties vidit, hunc Regem ac Dominum nostrum veneramur. Relicta cuique sentiendi pro libertate libertas & nostrum in æstu interregni tenebat Palatinatum, donec dispositio Regis Regum, S. R. M. vestram nobis in Regem ac Dominum indigitavit. Hanc Supremi Numinis dispositionem libenter amplectimur, summas virtutes, quæ Reges decent, S. R. M. Vestræ agnoscimus cum obedientia ac fidelitate nostra ad pedes Serenissimæ Majest: Vestræ Domini mei Clementissimi provolvimur, spem non vanam retinemus, quòd licet non manè, certè tamen maturè, & in plenitudine fidelitatis, ac obsequij, dum nostram offerimus submissionem, compareamus, ex benignitate Serenissimæ Majestatis Vestræ operariis prioribus in vinea S. R. Majestatis laborantibus pro cujus tuitione conari, niti, consuetas inclytis nobilibus Polonis acturos nos actiones pollicemur, constantiam immobilem devovemus, vitam & sangvinem sacra esse obligantes, reponimus sub invictæ manus S. R. M. Vestræ protectionem libertates nostras, ac jura Reipublibæ, & dum nos ad pedes Sanctitatis Vestræ libentissimè inclinamus, sublevabit nos hostibus formidabile, nobis amabile sine fulmine Numen, fortis eadem & mitis S. M. Vestræ Domini nostri Clementissimi manus.

Deinde Nuntij à Principatu Samogitiæ studio Oginscij missi longiori sermone explicabant oppressionem Nobilitatis à domo Sapiehana implorando assistentiam & protectionem Regiam, ad excutiendum jugum, legerunt & instructionem, quam tibi non adnecto, quia est nimis longa, & propterea fastidiosa, quia scommatibus plena, utinam spiritus concordiæ non extingveretur, non enim securũ est accendere quod extinctum, accensũ extingvere non est nostræ potestatis. Eodem tempore vix prima finita fuit legatio, inceperunt Nuntii ab Exercitu Litvanico, ore Georgij Sapieha Dapiferi Litvaniæ, qui in sermone suo pectora, corda, & ferrum Exercitus Litvanici pro integritate Majestatis obtulit, petitque ut Oginscius tanquam violator legum proscriberetur. Legerunt & hi quoque longam instructionem, quibus Princeps Radzivilius solicitudinem Regis promittendo circa mediationem partium respondit &c.

XCIV.
BENEDICTO SAPIEHA
Thesaurario Litvaniæ 16. Januarij.

Cur partibus regijs accesserit, refert, nec ob id Primatẽ offendi debere.

Redux ex aula rescivi te ex mandato regio iturum Lovicium ad Cardinalem. Optassem te videre tibiq; loqui, nisi matura quies me præoccupasset, paucis te potiùs, pro veteri confidentia convenio, si molestum tibi fuerit, amicorum scias nobis utendum operâ. Scio

A.C. 1698 Scio te Cardinali amicum, mihi non esse inimicum, velis proinde rem nullo adhibito fuco proponere: Responsorias quidem specietenus habui sufficientes, quæ tamen materiam non multùm concernebant. Optabam esse Lovicij, ut palam facerem constanter me serviviſſe & si opportunè, importunè me ingero scribendo, novit Dominus me id facere constantiæ monstrandæ causâ, vili quoq; pendere literas, quas mihi redditas nosti, quæq; honoris mei continebant læsionem. Notum tibi, solum DEum, solam Patriam ac honestatem mihi curæ esse, flocciq; me facere verba malorum, quæ vel literis vel famâ de me feruntur, sufficit mihi ut ita vivam, ne quidquam excusandum habeam. Proinde ex tenero, quo in Cardinalem feror affectu, frustra fremente malignitate optarem unicè, & sincerè, ut Cardinalis consideret successura, ex præterito futuri consilium capiat, quem in finem, votis æquè ac suffragiis per diœcesim meam indictis succurro. Præterita oculis nostris obversantur, quòd diu nobis imposuerint, Primatialem authoritatem conculcarint, etenim sine falsis promissis, vanisque pollicitationibus nec Cardinalem nec nos umbra seduxisset. Nunc nulla est spes à Gallia & quamvis aliqua affulgeret, ne cogitare quidem de ea citra piaculum licet, quin opus illud, non nisi per effusionem sangvinis effectum suum sortiretur, nec tamen vel ita libertas foret extra naufragium, sicut modo facilè portum tenere potest, si ipsi fortunatam Argo inscendamus, quæ salutem populi, aureumque vehit virtutis vellus. Piaculum ergo credamus arbitria cœli, superûmque non probare, nisi valedicere paci, societatem deserere, scindere velimus unitatem, nonne melius ferendo facilè vincere ea, quæ fieri noluimus. Nihil ab hoc Rege habui, nihil peto. Non impedio hos, nec me illis oppono, qui clamq; palamque fortunæ meæ obicem ponunt, imò nulli ex ijsdem ipsis, cui opera mea opus est, desum, quia scio omnia in manibus DEI sita esse, sed prudenter examinando & considerando sic opinor, addendo semper si velimus, publicæ æquè ac privatæ saluti provisum fore sub hoc Rege, ac proinde obligor inspirare media tranquillitatis. Turcæ appetunt pacem etiam per mediationem Regis Galliæ. Dejecturos se fortalitium Belgradi & multa bona in rem Cæsaris appromittunt, si nos perstiterimus semper pertinaces, verendum ne fortè inconstantiæ arguamur, in hoc turbido; tunc salus nostra naufragat. Pax quæ dabitur, necessaria foret, non acceptanda erit. Bellum prosequi nostrarum non est virium, præcipuè cum in regno clavum teneat discordia, clavaq; Ducum nos opprimat, & his omnibus tam externam securitatem, quàm internam providendo obviare difficile. Quicunq; tres lites habet, duas si poterit componat, hoc est sapientis consilium, ego crederem amplius etiam tertiam, ut nullum caput turbido cerebro superfit; nam si concordia tollitur, odia aperta & occulta in animis gignuntur, adde fraudes; (ut jam experior) insidias & studium quovis modo perdendi & supplantandi. Cardinalis Primas totius mundi habenas regere posset, si se ipsum regeret. Omnia tamen scribentur in libro dierum sacerdotij ejus, primatialisque dignitatis. Consideret ergo in eo honorem & considerationem consistere, ut bene fiat Patriæ. Audivisti auribus, & manibus planè palpasti, præbeas ergo testimoniũ quo zelo honorẽ Metropolitani mei defenderim, credere hoc potest, scire nunquam potest. Sed per DEum non omnibus vana promittentibus, suaviter falsa narrantibus, fidem deinceps habeat Cardinalis non admittat, ad cor quæ non ut honor ejus conservetur, sed ut aliorum diminuatur, insinuantur. Melior est amicus qui ex affectu de futuris, præmonet. Scis utique & audivisti discursus cryticos, ipse defendisti rationesque in contrarium opposuisti. Hæc in medio planè somno scribo, jam enim solita mea hora appropinquavit, non dubitans affectum tuum in Patriam & Cardinalem plu-

lem plura tibi suggesturum. Quantum ad me certiorem reddas, non verbis aut ceremoniis me servum esse, fides ut Theologi affirmant est firma adhæsio rebus revelatis ob authoritatem dicentis. Fidem tamen si verbis non habet, opera loquentur, & ita illi satisfiet, ut omnino nec queratur, nec habeat, unde queratur. Quidquid faciat, decrevi semper diligere eum etiam non dilectus. Non defraudavi quenquam, nec Cardinali injuriam ullam feci, nisi relationes aniles id persuasissent, sed contra has concludo cum Alexandro: Si nos fabulæ debellare potuissent, pridem ex Asia fugissemus &c. *A.C. 1698*

XCV.
CASTELLANO CRACOVIENSI
Exercituum Duci, 19 Januarij.

Episcopatum & Abbatiam suam commendat.

MItto Leopolim, sciens ibi commissionem hybernalem absolvi, quia vereor, ne perficias opus coram Deo & universo orbe memorandum, quandoquidē tam numerosis cohortibus destinata consistentia plurimos è proprijs domibus, in vicinas Acatholicorum terras non sine detrimento Religionis expulit, altaria Domini ornamentis suis spoliata, quantum mœrorem mihi adferant facile colligit, qui scit, quantum honorem Ecclesiæ meæ, & decorem domûs Domini diligam, & ipse novit, qui scrutator cordium est DEus. Non aliud superest medium reliquias Episcopatûs salvandi, nisi ut ad te recurram non pro me, hanc enim fortunam faciliùs esset optare, quàm tolerare, quamvis te semper in veritate diligebam ut amicum, suspiciebam ut sanctum, sed pro reliquo populo Episcopatûs & Abbatiæ meæ, qui non jam lachrymis, hæ enim deficerent, sed sangvine planè penetrant cœlos, ut si aliqua est Christiana commiseratio, egenis compatiaris; tuam non extende potentiam, ut aliquando suavius & securius ævum exigamus, quàm superiori tempore. Vnde pro hoc ipso tibi laus, & gratiarum actio ab universa Polonia debebitur &c.

XCVI.
CONSTANTINO WAPOWSKI
Vexillifero Sanocensi, 20 Januarij.

Spem promotionis facit, facti juramenti rationem dat.

AD literas tuas de sexta currentis exaratas brevibus rescribo, eò quòd heri in favorem conclusæ concordiæ authoritate Regis inter Duces Litvaniæ in multam laboraverimus noctem, unde ex capite laboro, & ad hodiernum consilium punctualiter avocor.

Dominum Jelec certò scito benè lætumque valere, nam dies Bacchi Parisijs absolvit. Favente numine sanum spero rediturum non sine gloria, ubi in nos conceptum averterit furorem, pacisque oleam apportaverit.

Commoda & interesse tuum, etiam absque recommendatione ex debito affectûs sunt mihi cordi. Incisor Regni hâc vice non promovetur, quandoquidem Palatinatus Mariæburgensis jam cessit Prependovio Castellano Culmensi, Castellanatus autem Konopaccio collatus est. Alij quoque, quorum mentionem facis, non scandent altiùs, proinde hîc & nunc

A. C. 1698 nec tibi datur aſcenſus. Aliorum ſit iſta felicitas, lenociniis fortunæ ſtatim uti, tu naturâ factus es, qui fortunam inſita dignitatis tuæ vi cogere potes, verè fortunæ tuæ faber, ne de te ſtatuere poſſit, niſi quod deberet. Ad honores natus es, & non ſorte caſuq; in illis comparebis, cum æſtimari judicio, beneficio ornari meruiſti. Videlicet magnæ mentes contentæ ſunt, priùs honorem meruiſſe, antequam obtineant, & ſi illis tardiore rota faſces & dignitatum culmina adveniant, non alium gloriæ ſuæ meridiem requirunt quàm præclara geſſiſſe. Sis tamen certus, quia hæc non ex me ſcribo, quod ſemel locutus Dominus, ſtabit promiſſis.

Non ita ſuccenſeo falſa narranti, quàm tibi credenti, te non veris coloribus Gedani à me depictum eſſe. Non ſoleo ego mutare animum cum cœlo, & amor meus in te conſtans, etiam in diſtans agit; debuit quiſpiam aut malitiosè, aut non intellecto diſcurſu verba mea interpretari, non diffiteor tamen aliqua relativè me, quæ à Melchiore audivi, dicere potuiſſe.

Ante dies aliquot priuſquam judicia inciperent, juramentum exolvimus Senatorium, quia verò nunc etiam optimæ actiones ſiniſtræ ſubſunt interpretationi & ſæpiùs hi, qui bona fide, & ſine privato commodo Reipublicæ ſerviunt, plus vapulant propter ſeriam curam & ſollicitudinem eorum qui (prætextum tantùm libertatis, nunquam verum guſtum ejus habentes) venantur venduntq;, idq; cum ſollicitudine faciunt, ut alios criminentur, ſe extollant. Viſum eſt mihi proinde confidenter tibi deferre, quòd per hoc renovatum Senatorium juramentum nihil planè libertati derogetur, quin imò hoc fit, quod fieri ſolet, & debet. Nec ego certè ſalvo omni reſpectu, quem Regi devovi, ad illud explendum acceſſiſſem, nec meo firmaſſem aſſenſu tantùm, ſed & hortatu, ſi ſtatutum Herburti poſitivum oculos non aperuiſſet, & errorem communem non judicaſſet, quòd in rota juramenti Senatorij, non juramus niſi uni Regi, & non ſucceſſoribus ejus. Dum verò Rex juravit Reipublicæ in coronatione ſua, nonne vice verſa & Senatus ad reciprocum juramentum obligatur, quo non tantùm Regi ſed ſimul & Reipublicæ obſtringitur. Videas dictum ſtatutum, ex quo leges noſtræ, tanquam ex fonte oriuntur, rotam noſtri juramenti & convinceris. In coronatione omnium Regum id fieri ſolet, quod expreſſe in ultima Regis Ioannis denuntiatione coronationis reperies. Cardinalis Primas miſſum ad ſe principem Epiſcopum Javarienſem humaniſſimè excepit & jam eſſentialia ferè concluſa, de ceremonialibus & crumenalibus tantùm quæſtio eſt, vellem tamen ut id tantùm demandetur, quod narrari non pudeat, quamvis ingenuus animus malit non accipere quàm rogare.

Iter Regium in Pruſſiam eſt plus quàm certum, ſicut & reditus ante Paſcha; Comitia multi non optamus, antequam omnes accedant, unà publicæ tranquillitatis conſtitutio, Exercitui ſatisfactio, proſecutio belli aut concluſio pacis, correctio læſarum legum ſubſequetur. Determinatio eorum dependet à Lovicio, ſi certa inde ſperanda malacia. De chariſſimo noſtro Palatino Belſenſi vellem ſcire, quibus ſit in terris, ſi cuiquam benè, huic & ſincerè ſerviam, documenta affectus mei realia patebunt, nam ſcio & id præcipuè colo, quòd æquare Patrum nomina nititur factis, neſcit quippe inde naſci aliquid mediocre, ſed tot probati, quot nati.

Ut otium tuum domeſticum impediam, ſubmitto tibi & Litvanica

&

& Polonica, copias scilicet universalium Literarum & aliquarum etiam A.C. 1698
privatarum, videbis aliqua generalis concordiæ præliminaria, quanquam ut promittis, spero te in proximo venturum ad nos, jam nunc prælibans gaudium proximè pleneque futurum.

APPLAVSVS SAXONIÆ
IN POLONIA TRIUMPHANTIS.

POloniam toties jam populatricibus barbarorum prædis afflictam, lasciviente nuper confœderatorum exercitu, & vix adhuc satiatis militum odijs quis putaret, nunc in ultimũ discrimen varijs Patrum studijs dari superaret, ut si Reipub. deforet inimicus, maligniori fato per amicos opprimeretur. Ut enim Ioannes III. senio & rebus præclarè gestis pariter gravis, Polonorum imperium viduavit, non defuerunt, qui huic purpuræ destinarentur, quive Dominatum in libertatem ambirent, sola Polonia (nempe temporum habitum, quietemque Reipublicæ procerum æmulatio prætexet) parem tanto oneri non reperit. Igitur oblitterato Piastorum nomine sepositis Regiæ domûs prærogativis è re Poloniæ creditum, si dominandi potestas in exterum transferretur. Proposuit illico Germania, obtulit Italia, laudavit Gallia, qui hujus Principatûs fortunas capesserent. Vix de Electione agitari cœpit, dum alij secretioribus præmijs, alij falsæ assentationis ludibrio allecti in diversa abiêre, mox in Rhodani, iterum in Rheni, aut Tiburis classica conjurantes. Oceanum exinde par erat dici Poloniam, ubi sese tam grandia Europæ flumina exonerabant. Vario hoc vehementique confluxu, diu in turbido stetit senatus, spectavitque nutantem Rempublicam, fœdis pactionibus, servilibus ministeriis, & alijs obscuris artibus, Gallicis videlicet columnis fulciri, donec præpollente Patrum numero Serenissimus Saxonum Elector Rex accitus est. Assurrexit Augusto nomini Regiæ Lotharingicæ & Neoburgicæ stirpis excelsa & ad coronas nata, nec Polono Diademati impar soboles, sola Gallia acerrima pro more instigatrix in tumultum evaluit, non ignara vetus esse in hac Republica malum, ubi pauci incepêre, reliquos adstrepere, imò plerumque omnes velle, quod unus noluit. Cæterùm melioribus consilijs flecti cœpit inclyta natio, rata Rempub. senatum, populumque varia nomina non esse, ut in inconditum agmen legum inicium, lasciviâ discors, ignarum Magistratuum convertantur. Regem spectatum bello, Cæsaribus Regibusque ortum, non à Majorum Institutis diversum, non degenerem ad pericula, tot heroicarum virtutum præsidiis munitum, strenuum manu, profusâ munificentiâ, solida in vos dilectione facilem habetis, non ille per ambitum irrepsit, neque fortunæ illecebris evectus jam antea rarissimæ gentis à proavis moderator vocatus electusque & tot Patrum judicio adoptatus est. Senatum non emit, ditavit tamen muneribus, amor nempe hoc impendio non Regnum quæsitum. Proh ausus in ipso conatu dignus opprimi à tanto Principe tam pertinaci flagitio descisсere. Non adducar, ut credam vos Galliæ Idololatras in hoc facinus Vestro ingenio traductos, sed nec arte aut vanis incitamentis posse Polonorum animos in tam prava deflecti fascinationibus, & si quæ fallacior rerum imago est, quod enim invalidius consilium periculosa malle, quàm tuta & pollicitis in speciem magnificis fictaq; Vestri Ludovici cunctatione ludificari. An forsan avitæ Polonorum ceræ tam fluxæ sunt, quibus nullum ultra gloriæ vestigium possit imprimi, dum Galliæ mancipio longæ servitutis ministeria edocto libertatem Vestram jubetis ancillari. Defleri hæc piacula, defen-

A.C. 1698 la, defendi non possunt, Christianissimus cujus alumnũ incauti assumitis, desideria Reipub: toties frustratus, easdem nunc artes crebras magis quàm dignas memoratu in electoralem campum retulit, quis crederet fidem apud deceptos, apud contemptos pretium meruisse. Ille nimirum à vestris Regnis orbe toto divisus intumescẽte motu, Polono nomini subveniet, qui conterminã Angliam in socij obsequio non retinuit? ille in Ottomanorum ruinam conjurabit, quos damnato majorum exemplo tam iniquo fœdere complectitur? Ille deniq; pacta conventa servabit, qui promissorum, Sacramentorũque Religionem longo vitiosoque usu dededicit? O vos futuri improvidos, quousque tandem in Patriæ viscera sævietis? quousque judicia vestra cavillari, & magis pecuniæ, quàm Regis indigos credi patiemini? Conjurate, si libet, postquam prima conciliorũ frustra ceciderunt in novæ Electionis tentamina, nec ideo tamen tanto rerum novarum ardore Galli pullum excludetis, non jam amplius dijudicari potest, quid optimum factu sit, quàm pessimum fuisse, quod fecistis. Invadat jura Principis, & fasces Reipublicæ Borbonius, soli forsan ignoratis in hæc molimina affore Moscum, secutura Germanorum auxilia, imminentesque Saxonum copias justam de vestra audacia ultionem paraturas. Properate igitur fabro meliore politi culpam in decus vertere, in securitatem pericula, in fœdus discordiam; nos juvat errorem mersa jam puppe fateri. En tempus obliterandæ defectionis, en in deditionem venienti paratam clementiam; en Regem libertatis Vestræ propugnatorem, seu dicere mavultis ancile, quod manus cælitum fabricarunt. En denique Principem, qualem votis succurrit concipere. Verùm quid tam excelsa mentis hic moror encomia, nec enim illa aures ejus pati possunt, nec relata virtutum in æmuli comparatione opus est. Adest à Rep: vocatus Augustus, adest inquam non famâ tantũ, sed exercitu munia Regis à virtute non ab eventu sumpturus. Sed ubi amabo Borbonius? è longinquo videlicet prætensæ Majestati securitatem potiùs parat, quàm reverentiam, vosq; internis diffidijs relictos & tantùm socordia innocens, invalida conjuratione fatigat, jam verò inter spem metumque diu jactatum, metu devictum inaudivims. O præclarum Polonorum Ducem, qui arma expavescit nuntiis ex rumoribus exterritus, an non ergo receptui aliquando canetis, offusamque oculis caliginem discutientes illum destituetis, qui vos destituit, & qui concordiam Galli amore turbastis, Gallum pacis charitate deponetis. Reddite Patriæ corruptam tot jurgiis disciplinam, & vestrum munus erit, Reipublicæ tranquillitas. Huc aut Senatoriâ in gentem vestram pietate aut reparandi decoris cupidine vos ferri decet, non vulgare gloriæ monumentum erecturi, ubi malueritis in verba Augusti flecti, quàm adigi. Frustra utique & impotenti nisu tanto capiti cervicem opponitis, Saxone durior non erit. Pudeat jam inermi tentamento ultra desiderare, nõ vacillabit novus hic Piastus, quem tam pia stabilivit intentio, neque enim licet irrita cuiquam facta DEi fecisse DEo. Porrò si inclinatis ad credendum animis præsaga responsa quæ diversicolorem Regem præsignarunt veneramini, errat quisquis præter Saxonem Regem quærit: hic enim Lutherani dogmatis fuco exutus pulcherrimam salvificæ fidei induit imaginem, novercæque amplexibus ereptus in gremium matris, quam circũdatam scimus varietate, convolavit. Quodsi vetustioris fati leges nosse adamatis, aperiam; nigri olim equi simulacrum ceræ Saxonum referebant, consimilis nempe gentilium cultui color erat, at ubi Romana signa Diis Patriis affixère, album voluit spectari, ut fidei candorem revelaret bis diversicolor Saxonia. Sed nonne hujus præsagii notam in Borbonio pariter Galliæ cultores reperistis? reperistis sanè, & nemo ibit inficias, diver-

sicolorem

ſicolorem eſſe Contium, qui irritos demum ſuorum conatus expendens, non ſurdo orbi iviſſe in fabulam, aut expalluit, aut erubuit. Credibile eſt erubuiſſe, poſtquam eventu didicit, vel ipſius Galliæ exercitus non bellica tormenta, ſed vanæ Electionis phantaſmata expoſuiſſe. Mirum proinde non eſt Contii gloriam tam ſubitò obfuſcatam, cui tantùm fumum Gallorum caſtra litaverunt. Gratulor deinde Majeſtati Tuæ Sereniſſime AUGUSTE, quòd egregia facinora expleturo tam amplum gloriæ theatrum Superûm numina deſtinârint. Te non propria cupiditas, aliena utilitas Regem fecit, ut nempe propagatis in Orientem Regni finibus limitaneo hi demum ſaxo deſignarentur, & quisquis transgredi auderet, bis acutis gentilitii tui enſibus plecteretur. Ita huic Saxo monumenta æternæ laudis incidentur, & diffitebitur nemo multum differre inter Principem, quem homines, & quem cælites feciſſent. A.C.1698

COPIA LITERARVM
A MARESCHALCO ROKOSZII AD REGEM.

SIcut Monarchis data eſt perfecta protectio in terris, Regis adinſtar Deorum ſunt, ita in Mte V. eadem palàm eſt perfectio, quando ad vineam ſuam, vocare benignè dignatur operarios. Non plùs accelerantibus ad gratias Regias promittendo, quàm illis, quos matura deliberatio ad exoptatam, utinam brevi, inclinat acceſſionem, non deerit certè diligens mea ſollicitudo, ad eum ſolum terminum directa, ut nomen Mti V. populare per orbem & cælo creditæ virtutes, univerſalem in Regno hoc habeant agnitionem, Patria noſtra ſub dulci regimine ſuo carâ & exoptatâ gaudeat pace, & ego res bonis artibus in adorationem Mtis V. ducens, in bonitate ejus hanc lucrari poſſim æſtimationem, quòd conſtanter & ſincerè velim eſſe. &c.

COPIA VNIVERSALIS
PRIMATIALIS. 28. Januarij Lovicijs.

SIgnificamus &c. Non computando integrum annum publicæ orbitatis, jam ſeptimus recurrit menſis calamitatis ac triſtitiæ, quando etſi bellum non ſit, tamen pax non videatur, ſolitudo ſine hoſte, ſine flagello vulnera, ſub coronato capite in Patria noſtra ſpectentur, in qua duo ſoles in cælo viſi, nihil niſi funeſtum portendere poterant: Quid ſperare potuit, quando duos Reges. diſcolor diſcordia elegerat, bonitas verò Divina, quæ univerſo orbi finem ſuum, ut abbrevientur dies juſtorum, deſtinavit, ita omnes calamitates humanas vult habere ad correctionem breviores, & temporales, ipſamet obices amovet, iter ad concordiam & felicitatem publicam monſtrat receſſu unius Electi, acceſſu alterius in ſpiritu lenitatis, & affectûs, quando Regium Sereniſſimi coronati cor cum novo anno ita emollivit, ut non præbendo ampliùs aures aſperis & violentis conſiliis per ſuaviora amorem & confidentiam omnium civium attrahere ſibi de-

A. C. 1698 sideret. Compellando præsens consilium tam per Serenissimum Electorem Brandeburgicum cum propenso animo & declaratione, quòd quidquid ex orbita legum, tam per togata, quàm sagata, per civilia & forensia exivit, omne illud ad pristinam formam reducere, omni studio appromittat. Accepimus sereno vultu allatas nobis propositiones tædiosè desiderantes, ut pax & quies afflictæ reddantur Patriæ. Nullum tamen tractatum sine generali congressu partis nostræ inire voluimus, omnia hæc ad omnes pertinere credendo, & secundùm obligationem Rokoszii nostri, prospera omnia & adversa omnibus & singulis communicando. Jam proinde diutiùs non moramur fata publica, imus ductu rerum considerantes & recessum æmuli, & evitantes per collisionem domesticam, transferendi classici in Regnum nostrum, in Christianitate jam quasi cessantis. Relinquimus omnia deliberationi omnium, ut pro commoditate sua mansuro in ævum operi assistere, & sortes Reipubl: resolvere velitis, non differendo cogitationes pacis, ne crescentibus odiis ac simultatibus veniant majora metu. Quod ut omnibus pateat, hasce literas expedimus. &c.

COPIA LITERARUM

SERENISSIMÆ REGINÆ VIDUÆ AD PALATINATUS ET Districtus Regni & M. D. Litvaniæ.

Post titulos &c. *In omni calamitate, qua nos manus D. tetigit, in tam gravi & nunquam satis deplorando viduali statu ad extortam exclusionem Varsaviâ, contra morem & consvetudines antiquas id gravissimum & vix tolerabile accessit ab extortis contra nos & domum nostram, audacter dicimus, mendaciis, quòd laudabilia Regis sanctæ memoriæ, & semper in justa æstimatione memoranda merita obliterata. Hæc mutârunt antiquam Polonorum in Reges suos & domos eorum memoriam in profundum odium, hæc Principes Regios Filios nostros charissimos, tanquam hostes Patriæ judicarunt, qui in affectu in illam, nemini cedere vestigiis magnorum antecessorum eundo volent. Unicum tantùm restabat inde solatium, quòd veritas velari potest, abscondi omnino & semper nequit, & quo à mendaciis oppressos ipse DEUS solatur, quòd nihil sit tam clausum, nihil tam obscurum, quod tandem patere non queat, uti jam perfectus rerum interpres, tempus ipsum palàm facit. Ubi sunt illæ confœderationes, nexus, & conjurationes, quæ filios nostros ad Regnum ducendos promittebant; ubi exercitus Tartarici, Cosatici, Walachici, qui liberam Electionem turbare debebant, quis illis uti, & in rem suam adhibere ausus est, nunquid nos cum domo nostra quæsivimus, & operam eorum adhibuimus; ubi veritas, ubi vel ipsa apparentia? Non accusamus, DEus avertat, quenquam, nec calamitatis nostræ in quenquam rejicimus causam, relinquimus in manibus illis, quæ lacrymas viduarum & omnium pupillorum abstergunt, sed singulariter tam*

tantum obliti etiam characteris, & unctionis nostræ Regiæ petimus, rogamusq; per amorem hujus, qui propter quamvis injustitiam, præcipuè contra statum vidualem & pupillarem minatur Regnis, ut omnes vero oculo & judicio inspicere velint, & decidere. Si ad nos & domum nostram omnia hæc injustè objecta pertinere debebant & poterant, cognitoq; eo, statui nostro afflicto affectus cordium restituatur, quod pro unico solamine in ulteriori nostra habebimus vita. Et cùm ad limina Petri iter facere velimus, beneplacitum pro eo & securitatem bonorum & jurium nostrorum authoritate Reipub: fulcire velint. Supplicamus interim DEO Exercituum, ut charissimæ huic Patriæ benedicat, & reliquum vitæ dierumq; nostrorum ita exigere permittat, sicut est sanctissima ejus voluntas. Bonam interim valetudinem, felicissimosq; successus omnibus & singulis exoptamus &c. A.C.1698

XCVII.

AMICO CONFIDENTI

I. Febr. Varsaviâ.

Oginscius & Sapiehæ discordes, colloquium cum Rege.

MAximam inde, quam habeo communico tibi consolationem, quòd scilicet Rex omnia desideria nostra quæcunq; publico vel privato proponuntur ei nomine, eo recipit animo, quo optare possu-us; quanquam si quid diversum à nobis sentiret, id ei per nos integrũ, ut dicitur, lata est via. Quis scit an regni gloriam, quam ultimi sanctæ moriæ Regis aliqua in fine à provectiore ætate causata desidia, non-il obscuravit, succedanea diligentia illustriorem non reddet? nulli ad n accessus inaccessi, tam æquè faciles ad postulationes proponendas tus, ac egressus, nec fortunæ magnificentia pretium minorum animan vilipensione corrumpit. Repræsentavi Majestati injurias, quæ ab ercitu ejus contra leges, jus & æquum fiunt, ut prohiberentur, ut u-ersales literæ publicarentur, ad videndas, audiendas, & inquirendas ies injurias illatas, utq; sine dilatione injuriatis satisfieret. Audivit id enter (discentem assiduè multa, doctum fieri scimus) statimq; expedictas literas jussit, utinam qualia principia, talia sint, quæ sequuntur.

14. Elapsi mensis ceremonialia baptismi filii Referendarii Regni in Regia absoluta levante ex fonte Rege & Regina vidua, baptisante ii Cancellario, nomen infanti impositum, Augustus, Michaël, Casi-s, satis diu Regina cum Rege hoc eodem vesperi morati sunt.

Subsequentem diem Litvanicis negotiis impendimus, jam cruda fu-im contentionum imago, domusq; in mutuam cædem armatæ se erebant, non tantùm menti sed & oculo. Oginscius Subdapifer Lit- injurias toti Ducatui Litvaniæ à domo Sapiehana illatas propone- letrectabat Duci parere militia, cui nec animus deerat, nec furor, m vires adjuvabant, ut dubium foret, magisne ferro an furiis in-rabies insaniret. Propositionibus Oginscii dum adæquatè Thesau- Litvaniæ respondere non potuerit, visum est in scripto propositi-utuas judicio & arbitrio Regis proponere. Habui hâc eâdem die m & solatium excipiendi prandio in domo mea Principis Episco-riensis & omnium ex aula Saxonica notabiliorum. *Oginscius contra Sapiehas.*

Exercitus Litvanicus qui à Palatino Vilnensi abscesserat, publi-

cam

A.C. 1698 eam audientiam habere voluit, sed, cùm eam Thesaurarius Litvaniæ impedivisset, privatam in crastino Rex promisit.

item Exercitus

Elector Brandeburgicus expressum cursorem misit cum hac notitia, Ablegatum Galliæ nomine Principalis sui eidem declarasse, quòd amplius nec cogitare quidem de rebus Polonicis intendat, & eam in profunda relinquere velit pace. Habui hàc eâdem die confidentiorem cum Rege conferentiam (credo in illo, quidquid sub sole virtutum est, posse contineri) in qua id mihi dixit, quòd velit omnino incursionem Tartarorum impedire, & propriis pecuniis redimere pelles illas, quarum annuatim pretium illi genti solvere Polonia solet, & ex usu, tractatuq; quasi debet, & quod jam pro hoc anno id fecerit per manus Stephani Potocki Castrorum metatoris Regni, cujus literas eo nomine scriptas comunicavit mihi; intellexi non bene affectum Regem Castellano Cracoviensi esse. Habui etiam notitiam Româ jam acceptari Electionem Regis, & Cardinalis Barberinus cum titulo Majestatis Regi scripsit, Breveque Apostolicum, quod adjungo, misit, mihiq; gratulatus, quod literæ meæ Pontifici & Cardinali Spadæ in favorem Regis scriptæ multum ad hanc resolutionẽ profuerint & quòd Cardinalis Bullonius nomine Regis Christianissimi Pontifici declaraverit, quòd in favorem ejus ab ulteriori Principis Contii promotione recederet, & cùm Pontifex adhuc se indifferenter in hoc negotio habere dixerit, reposuit Cardinalis, quòd publicè diceretur Sanctitatem suam in id inclinare, & hoc sufficit Domino meo,

Incusabat Rex infortunium Regnantium in Polonia, quòd propter distributionem vacantiarum, cùm omnibus satisfieri non possit, avertantur à Regibus animi subditorum, & sæpissimè motuum ingentium sint causa, cumq; seriò quæsivisset, quid scilicet in hoc passu agendum foret, respondi ego pro sensu meo, quòd omnia hæc inconvenientia facile evitari possunt, modò Sua Majestas duo faciat, & si hæc effectui dabuntur, pax erit in regno & tranquillitas. *Primò* notet sibi si non in scripto, saltem in memoria merita civium, de illis non ab uno, qui passione duci potest, sed à multis, præcipuè verò Ministris status, secundùm præscriptum legum nostrarum informetur, & dum aliquid vacat perpensis benè meritorum diligentissimè rationibus digniori semper det, ut bene meritis ex conscientia merces, sed etiam præmia sint, sublevare cupiendo, quos probis moribus inveniet.

Colloquium in Rege.

2do Pernecessarium credo ex præjudicato (quòd multi inde disgustati fuerint) Regis præteriti, ut nullam moram & dilationem, in distribuendis vacantiis adhibeat, non exigat longiores preces, quod benevolus animus spontanea deliberatione concedere potest: augebit verò gloriam, si beneficia conferre, non perdere placebit eo scilicet modo largiendo gratias, quo industrius colonus spargit sementem, qui ex impendiis messes quasi gratitudinem agrorum, sua Majestas obsequiorum expectat. Illa est reverenda tanti Principis authoritas, quæ à recto tramite non declinat. Quo enim magis differet, plures nascentur competitores, & concurrentes, ex quibus & accipientes aliquando murmurant, sed magis qui non obtinent, ægrè habent. Cum dignissimo dabit, dum statim & sine mora dabit, nemo vitio vertet & importunitates evitabit, & judicia sinistra subdolorum, nam judicare de nobis possunt, qui etiam nostris jussionibus obsequuntur. Quanquam morem Regis JOANNIS, quem multi accusabant, nuncque tanquam vitiũ aliquod plurimi arguunt, pro scientia mea, non hac excuso ratione, quod utique in minori re Quintilianus in causa ad dicendum destinata quatriduo sæpè exordium non inveniebat? sed quod scilicet optimus Princeps cùm omnium nosce-

noſceret tam benè, quàm nemo melius qualitates, merita, capacitatem, non citò pro naturali cunctatione reſolvere ſe potuerit, cui daret, expectaſſeq; ſæpius vidimus, ut aliquid aliud ad diſtributivam veniret juſtitiam, quod inter pariter dignos partiri poſſet, quoniam & divina beneficia deferuntur aliquando dormientibus nec poſtulantibus. *A.C.*1698

Accuſabat inſuper Rex farraginem negotiorum, quibus obruitur, aliud enim ex alio naſcitur, cumq; in eo ſenſum meum requiſiviſſet, liberè reſpondi, ne præſentibus, laboret, & futuri tœdio. Propoſiti mei erat illa proponere, quæ credebam ad gloriam Regis pertinere, quia proſpera ejus ita mihi grata ut propria, ſuaſique, ut quia recens accedendo ad regimen Reipub: omnimodam habere nequeat rerum noſtrarum notitiam ad evitandos errores, quos ex ignorantia committere poſſet & ad excuſandas excuſationes, ſi aliqua negligit, neceſſarium crederem, ut Rex modum conſiliorum ſuorum à modo Hiſpanico caperet, ſalva interim per omnia legum noſtrarum & conſuetudinum ratione. Ut v. g. quadraginta perſonas plus vel minus ex Senatu & Equeſtri Ordine ſeligat, inter quos negotia Regni dum occurrunt aliqua perpendenda, examinanda, trutinanda, & poſt ſibi ad deciſionem porrigenda committat; ut v. g. tres, quatuor vel plures ad unumquodq; deſtinentur negotium. Occurrunt interna & externa. Sit conſilium certum ex certis perſonis electum, qui omnes correſpondentias cum externis circa pacta, fœdera & commercia habeant. Alij ad belli negotia deſtinentur, alij ad rem Oeconomicam, alij ad curam internam circa Tribunalia, judicia, Comitia, Comitiola, & ſimiles materias, ut quolibet die, ſi id neceſſitas ferret, iſti Deputati, abſentiâ unius vel plurium non obſtante, conveniant, materiaſque, quæ occurrunt ad illam ſeſſionem pertinentes trutinent, ac bene res digeſtas Regi ad deciſionem proponant, expeditiones immediatè faciant, dilationes nocivas omninò amputent. Id verò Majeſtas Sua omninò procuret, ut legi de Senatoribus reſidentibus omninò ſatisfiat. Sciendum enim, quòd hæc ſit veterum ordinatio legum, quòd ſcilicet, pro duobus quartualibus, unus Epiſcopus pro uno quartuali, aliquot Senatores ex majori & minori ordine in quibuſvis Comitiis ad finem conſtitutionum impreſſarum ordinentur, ut per turnum ſub pœnis in jure expreſſis penes Regem continuò reſideant, ad omniaq; conſilia admittantur, utq;, ſi in aliqua re neceſſitas foret, ſe opponant, ac de omnibus conſiliis peractis ſuo tempore in ſubſequentibus Comitiis Reip: integrè in onere ſint reſpondendi. Et ita firmiter neceſſitas reſidentiæ hujus, cuivis Senatori impoſita eſt, ut ſi (exceptâ tamen & juramento firmanda legalitate abſentiæ) aliquis non reſidere auſus fuerit, & præſumpſerit, teneatur Inſtigator Regni, & non citatum in Comitiis in judicium vocare, accuſare, pœnaſque in ſimiliter delinquentes jam ut dixi, expreſſas extendere, & ſi, ut aliquando fieri ſolet Comitia rumperentur, non obſtat quin ſemper reſidentia Senatorum ſit certa, cum quivis ordinem & turnum ſuum noſcat, ac proinde latere eum nequit quo tempore reſidentiæ ejus veniat debitum. Hos igitur eo modo, quo dixi ad reſidentiam deſtinatos ad Conſilia & Seſſiones, quas optarem vel maximè adhibendas credo, unde ingens fructus Regi & Reipub: veniet. *1mo* Dum res digeſta proponetur in brevis temporis ſpatio, negotia expediri poterunt ſine nimio tædio Regis, & brevi per has informationes ſciet tractare omnia aſſuetus univerſis, ut rebus ſalutiq; publicæ innexus cum principiis regnandi oſtendat humi reptare non oportere ubi gloria calcar addit. *2do* Quòd ſemper coram Repub: excuſabitur, ſi ali-

A.C.1698 quid displiceret, nam illi, qui id negotij agent, respondere publico pro actis tenebuntur, & omnia sine difficultate, & cum magno commodo Reipub: negotia absolventur. Quæsivit postea qui ex Polonis sint capaciores hoc ævo senioréſne an juniores, ego subrisi & respondi? Quod à senio nomen mite Senatus habeat, non ideo tamen à consiliorum sacrarijs tenera debet excludi juventus, præcipuè quæ in primo florentis ætatis vere, maturâ plerumq; cernitur autumnare ratione. Non ipsum albâ aspersum canitie mentum, mentem beatam consiliis fovet, nec inter solos senectutis sulcos fæcundum rationis excrescit semen, etiam tenera ingenia opimâ senilis prudentiæ grandescunt ubertate. Toties ab imberbi Apolline extra fabulam oracula depromi audivimus, & infantia Platonum ora mellitos consiliorum vidimus distillare favos, præcipuè dum fortibus indoles nutritur pugnis.

Gratissimus fuit ob datas informationes, & præcipuè ob factam propositionem primam de consiliis statimque (æquore de magno nil non summum) ad executionem in crastino prout fieri poterat illud ipsum deducturum se appromisit, sed obstantibus illis, in quorum manibus Rex, non sine damno Reipub: hæret, consilia hæc fidelissima, & uti in Domino mihi videtur, utilissima rejecta, & exclusa. Ita quippe consiliis, quorum non sunt Authores inimici; loco quòd convenientes libertatibus nostris & legibus insinuare novo Regi deberent maximas, sæpè nociva svadent, & non nisi utilitates suas privatas promovent.

Fuit aliqua mentio etiam de mittendo in Galliam legato, quam functionem, scis quis appetat, qui, quia amicus est & capax, eâ ratione Regi eum commendavi, ut scilicet aliquis ex parte nostra, ibi compareat, quia dum nihil à sua Mte accipimus, saltem in prætensionibus justis, multa enim ex proprio nostro peculio ad requisitionem legati nominatione Regis sui expendimus, quæ dum pro certo tam magnus & generosus Rex audiet, impossibile est, ut non satisfactionem imperet.

19. Venit Palatinus Vilnensis ex Litvania & Episcopus Vilnensis qui Româ non ita pridem redierat. Incepit proinde tractatus Litvanorum. Cōparuit quoque Casimirus Bilenski Regni Supremus Camerarius *22da* & ad Regem accessit, qui hactenus juramentnm suum strictè observans indifferenter se tenebat.

Aliquot dies post habitam audientiam Palatini Vilnensis, qui optimè à Rege acceptus est, concordiæ impendimus Litvanorum. Castellanus Vilnensis octoginta millia florenorum à Palatino prætendebat. Interim Episcopus Princeps Iavariensis cum Thesaurario Litvaniæ Lovicium ad Cardinalem missi. & Rex pro summa bonitate confidenter me præmonuit, Reginam Viduam & Cardinalem, clamque palámque inimicitiam mihi profiteri, sed quod id nullatenus mihi nociturum in corde ejus sit, certiorem reddidit. Si oderunt pravi, innocentiæ, si ijdem faveant, dubiæ mentis est argumentum, Regis autem declaratio plus addit pretij, quàm universa, quæ tellus pretiosa gignit.

25. Redierunt Lovicio à Rege missi, & scivimus, quod ante ignorare, qui Cardinalem novit, nemo potuit, nam quod aliis arcanum est, illis evidētia, quòd sola scilicet difficultas in numerāda pecunia consisteret, quam dum habebit, omnia in rem Regis fient, non sensus suos altissimos ita recondebat, ut solent opum avidi, apud quos nullus argenti color est, nec auri. Convocabitur nobilitas à Cardinali pro 18 Febr: nisi id propter iter Regis quod omnino ante comitia Rex peragere vellet in Prussiam differri deberet. Dictum est mihi à Rege, quòd Thesaurarius Regni nocte præ-

teritâ

pud Suam Mtem fuerit, multaq; in rem ejus optima se acturum erit. *A.C.1698*

demus hic impressas literas, à Rege ad Cardinalem, & ejus responmitto utrasq;. Interim non acceptare Regem universales Cardinaas, Thesaurarius Lovicium significavit, quarum copiam habuicorreximus suadentes Regi, ut pro bono publico dissimulet. Urq; alis pro 24ta Thorunium veniat, ibiq; Regi reconcilietur, sed non id futurum. Tu multo tempore exacto spe feliciùs vivas.

COPIA LITERARUM

ENISSIMÆ REGIÆ Mtis AD EMINENT: CARDINALEM PRIMATEM REGNI.

IUSTUS II. DEI GRATIA REX POLONIÆ, &c.

strissimo & Reverendissimo in Christo Patri Domino Michaëli R. E. Cardinali Radzieiowski Archiepiscopo Gnesnensi, Lega-Nato, Regni nostri Primati primoq; Principi, cognato nostro imo & honorando, salutem felicitatisq; incrementum. Illustissi-Rdme in Christo Pater, cognate noster charissime & honorande. hil obtigit charius Nuntio, quem nobis Illustris Magnificus Oberrenissimi Electoris Brandeburgici Legatus detulit, eò Illustris Vestræ omnes niti curas, & studia, ut omnia internis motibus in exoptata reponi valeant quiete. Exortam hinc solatii nostri nequimus copiam, quin eam cum obligatione nostra propensio optimi in Illustritatem Vestram studii exprimamus. Cujus ut estiora Illustritas Vestra in aperto habeat documenta, commisi Illustrissimo Episcopo Javariensi, Consangvineo nostro, ut no-i in eum reconditam hactenus intra præcordia animi nostri fus re exprimeret inclinationem. Quod dum eò libentiùs facimus, erventiùs commodis Regni hujus prospicere intendimus, Illustri-Vestra moderari velit, ut publica omnibus salus & quies redeat, s præsentibus & successuris ætatibus additura momentū. Optis interim Illustritati V. vovemus incolumitatem, vel maximo uantes obtutu ejus fruendi desiderio. Dabantur in arce nostra vienſi die 22. mensis Januarij. Anno 1698

RESPONSORIÆ

SACRA REGIA MAJESTAS

OC idem, quod Serenissimi Electoris Brandeburgici Legatus Mti V. detulerat, proximus sangvis Seren: & Rndmus Princeps Javariensis Episcopus confidentiùs confirmabit; summum & tranquillitatis publicæ desiderium erga Mtem V, illam veionem ac obsequium, quod non ducalibus modò, sed & impeus coronis decoro nomini ab orbe universo jure merito exigitur.

A.C.1698 tur. Sed ut illud distinctius à me, uti Primate gentis, quæ hunc solum, quem liberis suffragiis genuit, adorare consuevit, spectetur in eo omne studium meum, nec impigri erunt conatus, ut nec ego ad osculum manus Mtis V. præcociter accedens corrigendum aliquid in juribus, ac libertatibus relinquam, nec Mtas V. aliquid adhuc post accessum desiderari ad integram quietem suspiret, explorabuntur propè diem nobilitatis sensus in unum labium coadunandi, ad quem finem unà cum consilio indicemus congressum Generalem Lovicii pro die 18. Febr. ad quem Mtas Sua Commissarios suos expedire non dedignetur, eò vel maximè, ut quòd præceps obsequium confundit, victrix patientia ad gloriam restauret. Humillimâ interim Mti V. inclinor veneratione.

PUNCTA QUOq; AD CONSILIUM DATA TIBI ADJUNGO, & quid in eo dixerim. 30. Januarij.

1mo. Post accepta responsa ad literas deliberatorias S. R. Majestas exquirit sensus, quandonam Comitia institui debent? & quid in iis proponendum.

2do. Utrum permittendum sit Cardinali extradere Universales literas pro convocanda nobilitate in Rokoszo adhuc manente, cùm id directè pugnare videatur contra authoritatem Regis.

3tio. Appromissa pecunia Exercitui Litvanico est parata, sed quomodo in hac disunione eorum sit distribuenda, cùm nulla rerum sit certitudo.

Fuerunt & alia puncta minoris momenti, ad quorum resolutionem pauca hæc à me dicta.

Valetudinem optimam, gloriosum ab extra, pacatum ab intra non verbis, sed sincero & pleno affectu Mti V. gratulor Imperium; DEum precabor, cum tota Diœcesi mea, ut Mtem V. grande potentiæ suæ, & bonitatis miraculum, quàm diutissimè conservet. Decet quippe munera sua non magis magnitudo, quàm perpetuitas.

Ad puncta breviter; quandoquidem sub heroico Mtis V. regimine plura convenit agere, quàm loqui.

Indictionem comitiorum pro sensu meo non ponerem inter dubia. Lege sunt constituta, contra quam erubescendum loqui. Deliberatoriæ literæ jam expeditæ, sicut jura, ita & solennitates præcedunt, non retrocedunt. Necessitas ejus evidens, non tantùm ut Mtas R, sed & tranquillitas Patriæ integra stabiliatur, sed ut tam gravia vulnera libertati, & legibus inflicta, quantocius sanari queant, præcipuè novissimè renovata per eos, qui paratiores ire in perniciem civium, quàm hostium, im̃unitatem bonorum hæreditariorũ, pupillam cardinalium jurium ex integro everterunt. Bona Spiritualia contra DEum & conscientiam, absq; discretione, & quod majus est, exutâ æqualitate, quidam enim levamen, alii injustum senserunt, nullo concesso jure gravamen. Quod in comitiis DEo volente fusiùs, & expressiùs, etiam cum periculo offensionis in multis pro conscientia & scientia Rempubl: informando dicam, id quod debeo, ne mihi objiciatur canis mute, quamvis & si ego non loquerer, sua cuique loquetur conscientia. Quâ in illos injuriâ meruimus, eis quas partim passi sumus, partim patimur, miseriis aggravari. Nondum pristina hyberna persoluta

ı aliquibus partibus ob impossibilitatem sunt, & jam decernun-
, ut novis indictionibus pressa calamitas ad hæc tributa deficiat:
ısta vindicta expectat desuper, cum sit impium sentire de DEo,
ntinere possit super egenos & pauperes viscera sua, & avertere
ı singultu eorum & clamore.

npus comitiorum si secundùm legem, & continuam praxim fieri
, jam transiit computando ab extraditione deliberatoriarum, &
l pro majori factum esse Reip: bono, quia pacandis rebus impen-
propterea ego quoque auderem supplicare, ut determinatio co-
m ad aliquot mensium spatium differatur, donec omnia aspera,
in vias planas, donec Respub: ex integro pacificetur, & in unum
meliora sunt comitia remotiora, dum propter id sperantur tran-
a. In proximo est, ut Cardinalis Primas cum illa nobilitate, quæ
ıs hæsitavit, ad Mtem Vestram redeat, cur ergo non dandum
id faciendi? ut ita pacatis omnibus, pacatè etiam negotia Reip:
itiis imminentibus tractentur.

nde ad secundum punctum respondendo supplico humillimè Ma-
Vestræ, ut extraditionem nomine Cardinalis Primatis universa-
terarum benignè concedere dignetur, modò illæ convenientibus
ıs, nec extra orbitam, vel in minimo authoritatem Majestatis læ-
ıs compositæ sint. Nihil hic præjudicij, vel in futurum nocitu-
udicati video, cum totum in ordine ad pacificandam Remp: fieri
lo. Dandum aliquid libertati.

ıncta in Comitiis proponenda, expressi in responso meo ad deli-
ias, nolo cramben repetendo fastidium adferre Majestati Vestræ,
x corde, ut hæc Comitia, per tot adversa ad usum secundorum,
ıb: tandem adducant.

d puncta Litvanica paucis; Comitia in equis quæ desiderant, hic
: fieri non possunt, cùm ordinaria incidant. Si aliquando fieri de-
ıullatenus ea sub Varsavia permittemus, libenter hunc turnum &
tam M. D. L. cedendo.

e pecunia Litvaniæ numeranda, nihil. Scio enim dum res paci-
ıtur, non in inferiori respectu, Litvaniam fore, quàm est Re-
Polonis.

nio in infinito voto, ut Majestati Vestræ, & per Heroicam ejus men-
atriæ, & orbi Christiano prospera omnia, & digna sæculo suo
gant. &c.

XCVIII.

ıMICO CONFIDENTI,

18. Februarij.

ıentarium regni à Saxonibus occupatur, & evacuatur; Primas cunias requirit. Author nominatur Episcopus Varmiensis.

I Icit consilium eorum, qui hic & nunc indicenda Comitia sua-
debant, ego censere soleo, non pugnare, attamen quæ dixi,
iterum prædico, nulli usui Reipub: fore, cum non videam me-
dia, tam citò pacificandi Lovicij & crederem, dandum con-
gressui & concordiæ huic prius tempus, & nonnisi post con-
nem tractatûs ad Comitia, si cum fructu ea absolvere volumus,

A. C. 1698 cedendum, cùm præcipuè jam venerit à Cardinali responsum, se nullo modo Thorunii esse posse, in transitu Regis per eam civitatem.

Armamentariũ Regni Fuit apud me cum querela solenni Palatina Kijoviensis, cujus Maritus etiamnum Cardinali adhæret, quòd armamentarium Regni Ministri Saxonici possederint. Quod dum R. Mti retulissem, statim illud evacuare jussit, ut se constantem in pactis servandis monstraret, nisi id pollicitus fuisset, quod revocare quàm perficere satius esset, quod omnes quidem quantum arbitror mirantur, sed non omnes convertuntur. Dum Rex de futurorum comitiorum Mareschalco loqui inciperet, proposui ego judicio meo dignissimum Regni Referendarium Szczuka. Talis enim decet ut his difficilimis conjuncturis fiat Director, sed statim opposuit Rex, quòd dictus Referendarius sæpius videatur in aula Reginæ Viduæ ac proinde nullo modo commodis Regiis convenire, ut is Mareschalcus eligatur. Innocentia pulsata est, sed non concussa. Unde evidens est, Reginam non esse in ea confidentia Regis, quam multi credunt, & ipsa prætendit. *2do*, Clarum est, quòd jam solitæ in aulis criminationes, suspiciones, & in nostra incipiant, dum virtuti dicti Referendarii omni exceptione majoris obices ponuntur.

Comparuit etiam hic majoris Poloniæ Generalis, qui à magno Regni Cancellario petiit, ut sibi citationem seu mandatum extraderet, contra Thesaurarium Regni, qui in præteritis Electionis comitiis fabricatam à se confœderationem objecit.

Interceptæ sunt literæ ab Abbate Polignca, in quibus reditum iterũ Principis Contii appromittit.

3tia Febr: Regina in Russiam abitura aliquot horarum habuit audientiam.

Primas summam pecuniæ requirit. 5ta ejusdem venit à Cardinali declaratio, ut sibi statim 25000 talerorum solverentur, & festo S. Michaëlis 75000, secus se nihil inchoaturum. Recommendat etiam ferventissimè respectui Regio & generosæ liberalitati domesticam suam, (hæc erant formalia) Castellanam Lencicien., si Rex vult ut ad partes ejus transeat, & hic est zelus libertatis. Fuerunt etiam ad quosdam, ab eadem fœmina literæ, in quibus, *Vivat Augustus*, aliquoties intonat, in spem futuri præmii. Multa inde veniunt & planè innumerabilia, quæ aut ficta, aut mendaciis similia, nudè nuda loquor, nec retego verecunda, nec illa confuto, nihil à me unquam dicitur personæ odio, sed solo veritatis amore, veraciter omnia ponuntur, teste ipsa veritate, multa celant pavidi scriptores, aut nimiùm blandi, ego ex fide magis quàm odio tibi scribo. Quali ordine imò quàm extraordinariè id fiat, videat DEus & judicet, videat & Roma & Polonia, & doleat, misereatur & se accingat ad vindictam malè factorum, laudem verò bonorum.

Vidi etiam schedam Episcopi Vladislaviensis, ad Principem Javariensem scriptam, in qua plurima more suo dicit, contra regimen Prependovii declarati jam Palatini Mariæburgensis, & si Rex illum non deseret, abiturum se ab aula minabatur. Et cùm per Thesaurarium Litvaniæ in eo puncto expostularet, negavit Episcopus se scripsisse, quanquam originalia in manibus extent, & Palatino reconciliatus est, ita ille in verbis tantummodo promptus, in rebus agendis timidi & fracti animi, magis novandis quã gerendis idoneus, per plana an per obliqua ascendat, perinde habens. Legi aliquando de Manlio non modò orationes ejus, sed etiam actiones prima fronte populares fuisse visas, sed consideranti quo consilio fierent, omnino seditiosas. Idem Episcopus in publica conferentia asseruit probationesq; in manibus se habere firmiter dixit: Reginam Viduam cum Castellano Cracoviensi aliquid moliri proponendo & persuadendo Electori Bava-

riæ

it vindicias libertatis Polonæ in ſe ſumat. Addidit etiam Rex habere A.C.1698
: manibus interceptas Abbatis Scarlatii literas, ſimilia ſcribentis. Di-
.im cum Caſtellano Vilnenſi, qui viaticum quoque à Rege requi-
an in Litvaniam eundum eſſet. Obtulit ſe ex rationibus certis Palatinus
ienſis, quamvis Rex non libenter id habuit. Sed tamen prohibere no-
ctavâ proinde menſis in Litvaniam dicti Palatinus & Caſtellanus a-
t, ita in Polonia velle ampliſſimum conceſſum eſt, ſed etiã Regi limitibus
is quandoque definitur. Quærebat interim Rex ſollicitus de tranquil-
ublica, & invenit media, ut exnunc primam ratam, hoc eſt viginti
e millia talarorum exſolvat, reliqua hoc eſt ſeptuaginta quinque
idem talarorum pro Cardinali, pro Caſtellana ſex millia, pro filio
r millia, neglecto Patre Caſtellano tanquam minùs utili exolven-
m ſit. Et hæc eſt, iterum dico, vindicatio libertatis; perſeveravit, ut
et, unde contigit, ut inveniret, qui pecuniâ magis movetur, quàm
Qui autem diligit munera, non poteſt pariter diligere libertatem,
anus dedit mammonæ. Non eſt hoc ornare Patriam, ſed ſpoliare,
: cuſtodire, ſed perdere, non eſt defendere, ſed exponere. Leviora
graviora gravius manet judicium. O utinam tam vigil eſſet ad curam
is, quàm alacer currit ad liberalitatem Regis perimens nos pariter
ens.

ma Fuit apud me Palatinus Mariæburgenſis cum declaratione Epiſco-
'armienſis, hâc conditione ut dum Epiſcopatus Vladiſlavienſis vacabit,
enſum vel mortem poſſeſſoris Varmienſem in favorem Iavarienſis Prin-
mittam, qui etiam eo nomine aliquas propoſitiones per confeſſa-
ium mihi fecerat, ſed ego nec conditionatam hanc nominationem,
quem tractatum admittere unquam volui, cautamque habui cir-
ctionem, ne vel in minimo ſimoniæ incurrerem notam. Vulnus *Promittitur*
ens, noſtra fiet cautio, cum fieri nequit, quod volo, id quod po- *Epiſcopatus*
ri, volo, cum res circa difficile verſatur, nec vanos habeat res *Varmienſis.*
us, finis prætenſionis meæ erit finis deſiderii, nullis alijs medijs
ebo, nec adverſis fluctibus ibo, qui aſſequi non poteſt, ſequi deſi-
erim Regina Epiſcopatum huncce valdè optabat, à Regeque ur-
ro Cardinali Darquien Patre ſuo, qui mihi quoque propoſitio-
ecerat, promittens coadjutoriam, ſi concurrentiam pro hocce E-
u ei ceſſiſſem. Ridebis hæc & alij. Iam autem capitulum Var-
propter avertendos Saxones, qui iam Varmiæ graves eſſe inci-
in ſpem validæ protectionis vacantem Canonicatum Epiſcopo
iſi detulerat, & ſic totus honor in ſinum ejus illabi videbatur. Et
lis ex odio perſonæ meæ confidentiſſimas literas eidem Principi
offerendo operam ſuam in evictione conſenſus Reipublicæ in per-
jus, pro dicto Epiſcopatu obtinendo, nihil his movebar, nec mi-
ogitationem admittebam, voluntati & diſpoſitioni Divinæ me me-
nmittendo, atrocitas inimicorum nec animum nec vultum mutat,
nſum mœror hebetat, neque firmitas mea in curſu malorum ener-
quin imò erecta ſupra omnem fortunam æquanimitas majus Epi-
udicabit eodem privari. Obverſantur magnorum virorum exem-
religionem extulerunt in faſtigium recta agendi, mala tolerandi
ciâ. Cum etiam Epiſcopatu Plocenſi, retinendo Abbatiam Vacho-
quam Gomolinſcius Regis Secretarius in caſum tranſlationis meæ
ebat, ſim plùs quàm contentus; Quid ſatis eſt, cui Plocko parum.
die imminet congreſſus Lovicienſis pro quo, tales literæ univer-
ſales

A.C.1698 sales à Rege permissæ Cardinali prodierunt, quid ibi agitabitur, quidque concludetur, habeo ab aliis, tu à me. Venit hodie notitia ex Litvania, nullam ibi spem esse concordiæ cum Sapiehis, cum præcipuè contra verbum datum Palatinus Vilnensis Oeconomiam Kobrinensem, quæ est in possessione Castellani Vilnensis non evacuaverit &c.

COPIA LITERARUM
EPISCOPI VLADISLAVIENSIS AD CARDINALEM.
16. Februarij.

SI crederem in me esse vel scintillam odij, aut exiguæ sinceritatis erga te, non auderem, imò erubescerem arripere calamum corde & animo contrariante, sed quia mihi ipsi sum conscius, quòd hæc adversa Reipub: non ab humanis, sed Divinis proveniunt dispositionibus, sicut ea, quæ facta sunt, tibi non adscribo, ita nec me culpabilem agnosco, omnia enim adhibui media, ut prævisa vitarem jacula omni capacitate meâ, videns quæ subsequi debebant, semper tibi suadebam leniora & pacatiora & si quispiam aut in corde tuo, aut in publicum ita depingere me vellet, quasi aliquo moverer respectu; in ipsum peccaret DEum, cui manifesta sunt opera nostra. Sicut in hoc opere scissæ Reipub. nihil quæsivi, nec quæro de augmentis fortunarum, vel honorum, nam & in eo loco, in quo positus sum, nauseo. Nunquid laboro pro me, vel domo mea? nunquid usque ad odium personæ meæ ad omnia pacata non duco conservationem nominis tui, ut quàm maximè in conspectu Regio conservetur an non curo? quia id omnium nostrûm interest, ut prima fulcra & decora hujus Reipub. à Regibus quàm optimè tractentur, ne postea debiliores despiciantur. Indoleo & ego super hæc, quæ nunc in Litvania fiunt Rege innocuo, quia semper ad optima quæq; magis composito; prono ad ardua populi zelo. Proinde cùm sim extra omnem ambitum vanæ gloriæ, quod debetur à nobis magno nomini & honori tuo, hoc semper ex persona mea tribuam, & fracta ætate mea, unicum agnosco Patriæ Antesignatum & Primatem, & per sacra oro, ne memineris imperfectionum conturbatæ hujus Patriæ, sed de sede tua, salubribus prospicias mediis, ut populus ubique per fata istius Reipub. gemens & oppressus salvetur. Deosculemur in eo dexteram Divinæ voluntatis, quæ nobis posuit & dare voluit Regem, & cum authoritate tua, à qua ipse non recedam, si quæ corrigenda sunt, in conservationem & augmentum legum Patriarum sincerè zelum tuum juvabo, præcipuè pro libertatibus nostris optimum semen cadit in terram, quod spargitur in personam Regis. Minimè dubito, quòd tuâ confidenti manuductione, ad quam plenâ Rex inclinat fiduciâ, omnia huic Patriæ evenient bona. Ego autem malo esse ultimus, modò cunctis fiat benè, modò exoptatâ pace lacrimæ sistantur pauperum. Quibus verò favoribus in præsenti gaudeam aula, si sciveris hoc me ipsum in antiqua tua confirmabit gratia & confidentia,

cùm aliunde habebis informationem, quòd non privata com- *A.C.1698*
nea, sed publica tracto. &c.

ESPONSVM CARDINALIS
AD SUPERIORES 1. Martij.

; est plus quàm certa, quòd nihil sine beneplacito hujus agi-
r, qui digito orbem regit. Documentum hujus Electio præte-
1, quando alij pro domo Regia ex justitia meritorum præ-
.egis certabant, alij pro temporum exigentia Principi Contio
it. Dominus DEus tertium acriori æmulationi concessit, an
ium, an vero in desolationem? usque nunc difficile judicium.
m in spe, quando Dominum fortem, liberalem, gloriæ avi-
ectamus. Periculum in metu, quando consistentijs Saxonicis,
us eorum motibus jam populum audimus gementem. Ille ipse
:e evidenter instrumentum ad exequendum, quod tibi non
iebat, esse permisit. Mihi verò animum disposuit ad sustinen-
mnia, quæ è veteri jure & consuetudine sustineri debent pro
& ministerio meo. Omnia hæc dissona peccata nostra provo-
; placandum numen Divinum, ut charitas coagulet, quod di-
dismembravit, & spem in misericordia Divina firmam ha-
uòd portando nomen ejus, qui pro lapidantibus se, oravit, vi-
: cœlos apertos, & pacis dulcedinem. Nunc pari humanita-
teras tuas reponendo, dico me &c. &c.

REVE APOSTOLICVM
AD CARDINALEM PRIMATEM
INNOCENTIUS PAPA XII.

lecte in Christo Fili noster salutem & Apostolicam benedicti-
nem. Pontificiæ sollicitudinis, cui profectò deesse non possumus,
artes esse ducimus, non modò omnimodæ inclyti istius Regni
illitati prospicere, sed ea potissimum sedulò curare, quæ ad tu-
atque amplificandum Catholicæ Religionis cultum opportuna
essaria in præsenti rerum statu arbitramur. Quò verò clari-
tescat, id à nobis tota animi nostri contentione exoptari, ex-
narium etiam isthuc Nuntium ablegandum esse decrevimus,
unus Venerabili Fratri Fabricio Episcopo Feraviensi ob perspe-
neris ac virtutum dotes demandavimus. Hæc autem omnia,
cum Paternæ nostræ benevolentiæ significatione ad te deferi-
on tam ad explicandum tibi in sinceritate cordis consilium no-
quàm ut inde quasi stimulos perspectæ tuæ pietati, eximioq;
deremus, ad conferenda in hunc scopum studia, opemq; tu-
n præcipuè eidem Venerabili Fratri injunxerimus, ut in ijs,
et, negotijs, debitam semper dignitatis ac jurium tuorum ra-
habere non omittat. Quanta autem laudis accessio eximiæ tuæ
tiæ proventura sit, ubi compositis tuo etiam studio, si quæ for-

A.C.1698 tè supersunt dißidiis, cogitationes omnes ac vires strenuæ istius nationis in communem causam conspirent, cùm satis compertum esse sciamus, pluribus exponere supersedemus, dum tibi dilecte Fili noster Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die 22. Januarij. Anno MDCXCVIII. Pontificatûs nostri Anno 7timo.

COPIA LITERARUM
SUMMI PONTIFICIS AD EPISCOPUM CUJAVIENSEM.
INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabilis Frater &c. Gravi ac molestæ curæ, quâ nonnullâ antè pro injuncto nobis munere premebamur, metuentes, ne detrimentum aliquod ex dißidijs, quæ isthic suboriri videbantur, occasione inaugurandi novi Regis Catholicæ Religioni obveniret, spes sanè læta successit, ubi intelleximus charißimum in Christo Filium nostrum Augustum Poloniæ Regem Illustrem ejusdem Catholicæ Religionis, cui ejuratis pridem hæreticæ pravitatis erroribus solenni profeßione se obstrinxerat, zelum ubique inditum perhibere, nos itaq; prout Fraternitati tuæ jam innotuerit, non modò Regiis literis filiali prorsus in hanc S. Sedem, nosq; ipsos observantiâ refertis Paternæ nostræ benevolentiæ responsione, effusiq; gaudij significatione mutua officia exhibuimus, sed quò splendidiora Pontificiæ charitatis ipsi Regi præberemus argumenta; Extraordinarium quoq; Nuntium, qui indies aderit isthuc duximus ablegandum. Cæterùm eam de tua pietatis præstantia gerimus opinionem, ut nobis planè polliceamur, te consilio & ope tuâ in ijs, quæ Divini cultûs istis in Regionibus incrementum respicient, nullatenus esse defuturum, dum Fraternitati tuæ Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 8. Februarij Aō 1698.

COPIA BREVIS APOSTOLICI
AD REGEM POLONIÆ

Charißimo in Christo Filio nostro Augusto Poloniæ Regi Illustri.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Charißime in Christo Fili noster salutem &c. Ex ijs, quæ dilectus Filius Nobilis vir Comes Georgius Dirdusʒicki Ablegatus Majestatis Tuæ, dum tuas nobis literas redderet, deq; solenniter imposito Regio Capiti tuo Polonici Regni diademate certiores faceret, vivâ voce disertè ac luculenter exposuit, gaudium profectò nostrum, cujus tu pridem auctor fuisti, usq; adeo exuberavit, ut nequaquam liberum nobis fuerit ejus magnitudinem intra præcordia nostra concludere. Palàm itaq; earundem literarum testimonia in exultatione vocis annuntiavimus, misericordias Domini, qui mentem tuam charitatis ardore ita incendit, ut jam in Catholicæ fidei agnitione ijs omnibus, quibus authoritate præficeris, tuo exemplo prodesse exoptes.

Ut

em tam eximio pioq; voto, in quod unum quàm maximè deside-
ra conspirant, annuat DEus, cujus bonitatis non est finis, ipsum
er deprecari nunquã intermittemus. Dum interim lætum fau-
stius Regni Dominium ac Regimen, prosperos demum pro re
ana eventus auspicamur, M. Tuæ Apostolicam benedictionem
issime impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Febr. Aõ 1698.

COPIA BREVIS APOSTOLICI AD SERENISSIMUM REGEM.

harissimo in Christo Filio nostro Augusto Poloniæ Regi.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Harissime in Christo Fili noster. Paterno Apostolicæ charitatis ncensi zelo, atq; animo exultantes occurrimus in amplexum M. Tuæ, quæ superno lumine ducta, in portum se recepit salutis, nè lacrymas cohibere possumus cogitantes ætatẽ nostrã ab Au- bonorum omnium Deo usq; adeo fuisse protractam, ut viderent nostri semitas veritatis tenentem, adeoq; Pontificiæ nostræ dilecti- sinũ meritò excipere valeremus. Cùm enim accedat quodcunq; æ dignitatis fastigiũ, hæreditas præclara nimis, quam constitu- us inquirentibus se, inde potissimum docendum esse arbitramur æ nostræ gratulationis officium; unde tibi factum esse agnosci- eræ ac terrenæ felicitatis auspicium. Satis proinde assequi ver- m possumus, quo gaudio affecti fuimus, ubi primum vel ipso ru- publico nunciante accepimus, te ejuratis Hæreticæ pravitatis bus Orthodoxæ fidei professionem in manibus Venerab. Fratris iani Augusti Episcopi Javar: Consangvinei tui, cujus jam pridem Catholico Antistite dignum probè agnoverimus, emisisse, quam m lætitiam ea deinde planè cumulârunt, quæ ad voluntatis tuæ em proposito firmitatem magis magisq; significandam à te pera- isse intelleximus. Addiderunt luculentum hujus rei testimonium, à Dilecto Filio Barone de Lege nobis redditæ, ac pro ea, quâ in rebus agendis prudentia, explicatæ, in quibus nihil omittit, ad declarandam filialem tuam erga hanc S. Sedem, nosq; ipsos vantiam, ac devotionem pertineat, ex quibus omnibus certam n adducimur, splendidissimam Polonici Regni coronam, æter- pientiæ consiliô tuo capiti ideo fuisse impositam, ut tu Catholicæ cuius modò professor agnosceris, non multò post vindex, & or egregius evaderes. Age igitur Charis: in Christo Fili noster, tunitatem benemerendi de re Christiana ita arripe, ut spectata n bello virtus tua strenuis ac fidelibus populis incitamento sit, mplo ad profligandum immanissimũ Christiani nominis hostem, inde ad comparandos nomini tuo triumphos in terris, qui sunt additamentum eorum, quos in cœlis ob reportatam de te ipso iam te jam esse assecutũ in Dom. confidimus. Interim, ut læta c prospera cuncta contingant, enixis à D.O.M. precibus exposci- ac M. T. Apostolicã benedictionẽ amantissimè impertimur. &c.

XCIX.

AMICO CONFIDENTI

28 Februarij.

De actis in conventu Rokoszianorum Lovicij.

GEnuinam & exquisitam actorum Lovicij, à fideli manu mihi exaratam in compendio accipe relationem, prosequor singula sed strictim, quia eâ brevitate scribam, quam simplex & ab omni non necessario excursu libera postulat narratio.

Ante omnia scito, his diebus Thesaurarium Regni specietenus adhuc illo Rokoszij vinculo ligatum incognitò fuisse Varsaviæ, & nocte Regem visitasse, seq; ipsum unà cum amicis suis eidem subjecisse. Ut sua commoda promoveret, prætexuit aliena, beneficium se præstitisse Regi adventu suo arbitratus.

Conventus Rokoszianorum Lovicij

Die 18. Febr. erat dies Martis, ab Jove Principium sumpsit, dum congressus Lenciciensis in Ecclesia Patrum Dominicanorum congregatus est. Præsentes erant Cardinalis Primas, Constantinus Lipski Archiepiscopus Leopoliensis, Nicolaus Swiecicki Episcopus Kijoviensis, ex Senatorio ordine sæculari Martinus Kacki Palatinus Kijoviensis, Felix Lipski Castellanus Siradiensis, Tobias Towianski, Castellanus Lenciciensis. Ex equestri autem ordine ex Palatinatibus Posnaniensi, Calissiensi, Siradiensi, Lenciciensi, Ravensi, satis numerosa erat civium copia. Celebravit votivam missam Episcopus Kijoviensis, concionem dixit unus ex Patribus scholarum Piarum, excitando sacro entheo ad concordiam & unionem animorum, ac simul enumerando consequentias discordiæ, tam multa Regna per disunionem ruinata. Laudata magis quàm effectu comprobata de Cardinali dixit, melius autem esset, si audiret verum sine contumelia, laudaretur sine adulatione, & monstrarentur ei exempla, ad quorum similitudinem se effingeret. Post divina accesserunt ad negotia incipiente Mareschalco Rokoszij, qui indoluit inprimis sorti adversæ, cujus insolentia regnum perturbavit optabatque robore Rokoszianorum illi restituendam rerum universitatem. Indoluit & huic infortunio, quòd ante incepta consilia de convulsis juribus, de motis ex suis cardinibus libertatibus, tot jam abierint cives rupto juramenti vinculo in illam partem, ubi mancipata libertas, ubi semel à recto aberratum est, ubi in præceps pervenitur, continuò à rectis in retia & peccata contra statum, à vitiis in prava, à pravis fit lapsus in præcipitia. Potestne satis fida esse potentia, ubi nimia est, ubi non regitur, sed cuncta ex libidine aguntur. Celebravit perseverantiam Cardinalis, quòd constanter sacrum fœdus sustineat, & quòd hactenus eum nec odium cöegerit, nec gratia pertraxerit, ad partem adversam sine expresso justè fœderatorum consensu, videnda erant tanta tædia, bonorum eversorum squallor, gravitas ærumnarum, num labavit gressus, caligarunt oculi? tremuerunt viscera, brachia conciderunt ac ne quidem animus titubavit noster, innocentes autem & recti adhæserunt nobis. Quæsivit ad extremum quid videretur, accedendúmne ad mediationem in desiderio, ut pax detur mundo, aut ulteriùs prosequendum inceptum negotium. Proposuit itidem an Deputati ordinandi sint ad tractatum cum Commissariis à Coronato missis, quos & nominavit, Mareschalcum Supremum Regni, & Thesaurarium Litvaniæ, & primariò Oberbekium Serenissimi Electoris Brandeburgici Legatum. An verò sint ad consessum invitandi? locutus pòst Cardinalis Primas in eum sensum. Considerando faciem consessus præsentis quæro cum Evangelico Patrefamilias, & novem ubi sunt? tam multi ab initio erant, pro libertate zelantes, & nunc

Propositio Mareschalci

secuti

sunt vanitatem, multa dixit sed inania & speciosa, ac decepturo fu- *A. C.* 1698
cumlita, nihil habentia fronti suæ simile. Qui loquitur, quæ sunt o-
, & facit quæ honestissima, famam & honestatem perpetuam habet.
jecto verò cõsilii primò svasit illegitimos actus tribunalis Regni cas-
. Unus autem nuntius Palatinatus Posnaniensis post factũ condo-
n Patriæ super vulnera libertati inflicta intulit, quòd tanquam pa-
. & quidem nimis ægre multi necessarij sint medici, ne læsæ liberta-
medicina paretur. Multi hic desiderantur cives, præsertim ex Pala-
us majoris Poloniæ, cum 15 Februarij privatum suum Posnaniæ ha-
t congressum. Dilationem ergo ad aliquot dies petiit, ut expectaren-
sortem consolationis, quos habebimus consortes laboris, de celeri eo-
popondit adventu, cui petitioni multi deferebant, interim Chlebo-
ratias inprimis Cardinali (ita servilia dicebant securi de facilitate cre-
) & Mareschalco egit, quòd hactenus invictâ constantiâ Rokoszium
sustinuerint, non dubitando & ulterius in eodem vinculo permansu-
constantem fore asserendo etiam cum vitæ jactura. Necessariã pòst
it tranquillitatem, cui ut viam monstraret, petiit Cardinalem, ut ante
a tribunal Regni limitaretur, eò quòd in hoc cardo jurium & liber-
consisteret. Locutus & Castellanus Siradiensis, gratiasque egit Car-
(actæ Vittellio gratiæ consvetudine servitij) & Mareschalco, quòd se *Votum Castellani Siradiensis.*
rece, nec pretio devincire passi sunt, unde perennis eis gloria speran-
etijt ut lenirentur, non irritarentur affectus fratrum, & ut Commis-
d combinationem invitarentur. Inceptum Tribunal Regni quemlibet
, quia sapit convulsionem jurium, & legum. Dissvasit verò mittendas
ronatum expostulationes ad imponendum silentium jurisdictioni tri-
is, quia eò ipso agnosceremus eum pro Rege, antequam sanarentur
ra Patriæ, sed satiùs mittendum ad judices, ut in Areopago Regni si-
actum, & activitatem suam. Sed contrarius sensus in eo puncto fuit
Mareschalci Rokoszij, quia hæc propositio non acceptaretur, sati-
set, si id negotii cum commissariis tractaretur. Ante omnia ergo *Plenipotentia requirenda à cõmissarijs*
usum est exquirere à commissariis, utrũ plenipotentiam ad tractan-
habeant, & quis id inquirere debeat, in quæstionem venit. Resolvit
quæstionem Cardinalis explicando potestatem plenariam cõmissari-
, & certiores reddendo omnes, quòd adhuc ante coronationem Ma-
lcus Regni habuit jus agendi & mediandi cum Prependovio, & nunc
plenariam potestatem ad reassumptionẽ istius tractatûs & quòd re-
miserit ad eum neo-coronatus proxime sibi sangvine junctum (quod
ris plurimum continet & invidiæ minimè esse debet obnoxium) Epi-
m Principẽ Iavariensem, cui ille declaravit, quòd sine nobilitate nihil
udere velit vel possit, sed nec quidem ad complanationem accedere.
tebatur à me, ut per particulares literas convocarem nobilitatẽ, quòd
nõ videbatur, sed universales expediri, habetis temp⁹, tanquam præ-
& nunc ventura consideretis, ne similiter faciamus, ut ille, qui stultâ
ulatione remedia potiùs malorum, quàm mala differebat, lapsis suc-
e rebus, aliter tamen nisi per tractatum cum commissariis id fieri
oterit. Venerant eo tempore Zbievius cum aliis ex majore Polonia,
nquam dolentis Patriæ membra tantis compassi sunt vnlneribus, tue-
cum aliis libertatem parati petierunt, ut alii quoque ex Palatinatib⁹
niensi & Calissiensi expectarentur brevi comparituri. Missi sunt tan-
duo nuntii ad cõmissarios plenipotentiam exquisituri, & in crasti-
soluta sessio, quam incepit Mareschalcus, & referendo effectum ex- *Sola copia plenipotentiæ mittitur*
lationis, & præsentando plenipotentiam à Coronato, per copiam tan-
à Cõmissariis communicatã. Petiit postea brevem relationẽ unus ex
nuntiis

*A.C.*1698 nuntiis functionis commiſſæ deferendos magnos ſcrupulos comiſſariorum in comunicanda plenipotentia, adeo ut vix copiam dederint, & id etiam cum hac conditione, ut Mareſchalcus nulli eam concrederet, nec per copiã extraderet. Hic ex abrupto Zbyewius quæſivit, cur non debet nobis à cõmiſſariis originale plenipotentiæ præſentari, non nos concordiam & pacem petere utique debemus, ſed illi precariò agere & deprecari læſam libertatem, in actionibus ad Olivam per Galeccium & violentias ſtatui nobilitari evidenter illatas, quando contra legem neminem captivamus niſi jure victum. Nobiles & quod majus eſt Senatores contumeliis afficere, ſupellectili ſpoliare, ſub areſto tenere, ſexum etiam debiliorem, cui nec barbara Tartarorum gens inſultat, eum non habere reſpectum inferendo quòd ſic belli rationes conſtent, & perſonam actaque Magni Zamoſcij in defenſione Regis affectare præſumpſit in commune hoc tractandum, quia commune negotium. Præſens Wegierſcius qui paſſus multa, nam ad tormenta ferro fuit alligatus, ſuum dolorem ſummum expreſſit. Plaga recens dolore non caret, nec occultat vulnus, nec in tam brevi verſa in inſenſibilem eſt. Nos confundimur, nobis inſultatur, in opprobrium venimus, & contemptũ, planè pœna vix curabili, caſtigatione crudeli. Addidit, quòd cavendum aliis, ne id accidat, quod ipſi. In memoriam fuit reducta etiam Caſtellani Lencicienſis contumelia, quò grandius nomen, eò grandius ſcandalum, hinc acclamationes auditæ contra Generalem Brandt, ſi neo-coronatus lavat manus, nec ſe in mandatis dediſſe aſſerit, paratum decretum, ut luant pœnas hi, qui hæc abſque juſſu præcisè egerunt. Incipiat neo-coronatus à ſatisfactione, ut moveas alios, tu moveare priùs; cum non poſſit aut obumbrare tam manifeſtam veritatem, aut impedire tam exoptatam correptionem; melius non datur medium, niſi ut in equis conveniamus omnes, & ita reparemus libertatem feliciter, ſicuti eam peſſundedimus infeliciter. Acclamarunt plurimi præeunte Bronicovio contra hanc mediationem, aliter enim ſanari hæc vulnera non poſſunt niſi in armis, in loco delicti ſub Varſavia, & cum omnes quaſi in id conveniebant, ſubintulit Cardinalis, dum recta noſtra judicia contemnuntur, veſtræ quoq; plurimùm derogatur authoritati. Quod bene ſciat, quæ fuerit paſſus, dum multa inveniebantur media, ut divideremur, promulgabantur nova in maiori Polonia, quòd ego acceſſerim ad complanationem, idem de aliis dicebatur, nam ſcribitur etiam mihi Galeccij mandato tormenta majora exploſa eſſe in triumphũ, quòd ego redierim in gratiam cum Coronato, quòd ſi factum fuiſſet non habuiſſem eum dishonorem in diminuta authoritate mea, & maximè in perſona Caſtellani Lencicienſis, quem non tantùm omnibus ſpoliarunt, multiſq; contemptibus affecerunt, ducenta millia florenorum mea propria acceperunt, & non haberem tantùm damnum, quod juſto calculo ad octoginta millia florenorum facile computare poſſum. Nunc quia pacem quærunt, quia eam proponunt, huic non ſum contrarius, modò id fiat cum conſenſu veſtro & commodo Reip. Si verò in incepto perſeverare placet Rokoſzio, providenda mihi omninò à vobis ſecuritas, jam expertus ſum, & debet eſſe mihi cura futuri, ne quivis in vias ſuas abeat me relicto, ſi volumus omninò videre originale plenipotentiæ, optarem, ut illud iterum requiramus, ut ſcilicet videamus & ſciamus, in quo fundamento ſunt noſtræ ſeſſiones. Poſt expoſtulationem allata eſt plenipotentia, quam, dum Mareſchalcus legit, viſa eſt nimis læſiva, ex hac præcipuè ratione, quòd cum ſola perſona Cardinalis ille tractatus iniri deberet, tanquam ſole obſcurarentur minora lumina; alii contemptui habiti, quòd vehementer commovit multos, quia invidia illi in occulto, adulatio in aperto erant. Notabilis enim apparuit illorum, ad quos pertinet

Quæ res Zbyewium malè habet

Injuria civibus Regni facta.

Querela Primatis de injuria.

ostpositio, quasi magis pro more sententiæ dicendæ causa convoca- *A.C. 1698*
, non alio fine nisi ut majorem multitudinem præstarent, etiam
e aguntur non cognoscentes. Verùm quidem est, dicebant multi,
acem poscimus omnes propter conservationem fortunarũ nostra-
ed quando in eo tam ingens detrimentum patitur prærogativa no-
is, ingratæ sunt etiam pacis oleæ. Patefacta est plenipotentia, in
idens nobilitatis levipendium, quando nos tanquam minorẽ g-n-
opulum in postpositione tenendo cum Cardinali nobis non nomi-
ractare volunt. Thesaurarius Litvaniæ ad hanc accedit sub chara-
Comissarii mediationem, qui nobis sacrosanctè in Rokoszio tuitu-
è libertatem promisit, idq; solenni juramento confirmavit, nunc in
partem sinistram abiit, quem si nos tacuerimus, ipsa condemnat
utio, hæc expresse continens, quòd, quicunq; præstito semel jura-
super manutenendum Rokoszium, cum parte adversa ad aliquos
us vel capitulationes accederet, pro hoste & infami proclamatus est,
in mediationem ingredi, nobiscum tractare non debet, quod hunc
actum redderet illegitimum, cùm fœdifragus activitatem habere
ebeat. Aliquot horas duravit hæc disputatio. Locutus est Kochano- *Mediationẽ*
astellanides Czechoviensis facundè persuadendo prosecutionem me- *suadet Ko-*
nis, extollendo Regias qualitates, & personam coronâ dignam. Qui *chanovius.*
phare potest, tantùm non emendicat pacem, undè mœror in tripu-
nebræ in lucem transire deberent. Qui, quandoquidem est ignarus
rum legum & consuetudinum, conscribenda illi lex, quomodo de-
egere gentem liberam, ex ingenio, non artis sed gratiarum. No-
it eum Regem ex hac ratione, quod sit Rex Orthodoxus, quanquã
non noster. Excusavit discretissimè & Thesaurarium Litv:, quòd
n privato commodo ductus in partem Regiam inclinavit, quòd *Defēdit The-*
giam præsentiam non cupiditas eum traxit, sed còëgit necessitas, ne- *saurarium*
s non tantùm sua, sed suorum, multorum videlicet in Litvania jam *Litvaniæ.*
ssorum, & ut eò faciliùs tanquam magnus sensuum ponderator co-
re posset Majestatem cum libertate. Cujus rei veritatem cognosce-
& veritas liberabit eum à suspicione, cùm tantùm de eo suspicio sit,
ertitudo, & hæ inanes suspiciones, certæ necessitati præjudicare so-
uod nos viderimus, rationabilis ergo est mea petitio, haud diffici-
uæ mereatur effectum, ne non auditus judicetur, non convictus
mnetur, certè si injustè ab aliquibus impellitur, justum est ut sen-
revocetur, & etiamsi justè, pium esset, ut recipiatur, eandem ex-
onem alii inferebant ejusdem Thesaurarii amici. Legerunt postea
ctionem suam nuntii à Palatinatu Sandomiriensi, qui iterum no-
decima quarta Februarij Opatoviæ iniit confœderationem sa-
ortem, non obliti salisfodinarum, & Oeconomiæ Samboriensis, ut
emini illas sub prætextu arendatorio capitulationi satisfaciendo in
sionem tradat. Aggressi sunt & honorem Castellani Cracoviensis
ndo ruinam Palatinatûs sui per transeuntem inutiliter Exercitum,
ompareat in Campestribus comitiis obligabant; ut Brandt statue-
instabant. Thesaurarium Regni, quandoquidem non contribuit ad
tentionem Rokoszii, ad reddendas rationes stringebant, potestatem
m strictè circumscribebant. &c.

o. Febr: proposuit Mareschalcus præ omnibus negotium concor-
ichoandum, ne structura actûs hujus fiat in confuso, ut quondam
Babylonica incepit ædificari, consummari non potuit. Disseru-
go sermone Kolucius Judex Inovradislaviensis veteranus civis, & *Kolucii vo-*
erabat consequentias, mala subsecutura, calamitatem quæ ma- *tum.*

net

*A.C.*1698 net Poloniam per dissensiones. Adducebat antiqua exempla ruinatarum Monarchiarum, desolationem Romæ, ruinam Græciæ per bella civilia, rogabat & amore Patriæ obstringebat, ut temperarent zelum, ad mediationem accederent, unionem servarent & concordiam. Expertum se nihil concordi collegio firmius ad Remp: tuendam esse. Urbem nequaquam muris cariturum quæ non lateritiis mœnibus, sed viris munita est. Ut autem id ante omnia proponeretur coronato, ut Exercitum suum, qui tanquam gladius super cervices nostras suspensus est, ex Polonia ablegare, & ad suum remittere dignetur Electoratum, cùm & frequentioribus cadaveribus, & fœdâ hæresi Polonum àërem & intactam fidem, Religionemq; inficiat. Unde omnia infortunia, omnes plagæ nobis imminent, fames ad tantam hominum frequentiam, pestis ex infecto tam multorum cadaverum àëre, bellum civile etiam nos manet. Ergo unica saltem pœnà DEi affligamur. E diametro sedens Radecius animi constantem magnitudinem fide & audaciâ fultam portendens animabat generosa pectora, & excitabat exemplo majorum ad tuendam libertatem, si est aliquid adhuc reliqui sangvinis Poloni, virtutis antiquæ, quid cunctamur? cur non sequimur methodum antecessorum nostrorum, dextrè illi & generose sustinuerunt libertatem, diminuamus capita perversorum, cujus numerus in infinitum crevit, & sic pacatam reddemus Rempublicam. Multorum ad eundem zelum traxit sensus, addidit Brunikovius exemplum Cosacorum, qui ob amorem libertatis servitutis nostræ dejecerunt jugum, & nos justiori bello, facere hoc poterimus; alii petierunt tandem aliquod tempus ad corrigendam Plenipotentiam, quandoquidem hæc cum diminutione statûs Equestris facta videtur, interea etiam Palatinatus Majoris Poloniæ affore, quandoquidem non tantùm jura & libertates, sed etiam fides vim patitur, dum Varsaviæ ubi odiosum nomen hæreticorum, & Constitutionibus prohibitum in ipso foro nunc recenter pulcherrimam domum elegerunt, eamq; in templum commutârunt. Nonne obligatio Polonorum ut pro aris & focis ad sangvinis effusionem se opponant? Respicite plurium retrò annorum vel secundas vel adversas res, invenietis prosperè semper evenisse pro aris & focis decertantibus. Sed dolendum, hujus sunt opinionis Magnates adversæ partis, hujus animi nostris non bene propensi commodis, & securum reddunt coronatum, quod brevi pertrahent ad se prima capita, Cardinalem Primatem, Mareschalcum, & Senatores, aliosque ex civibus digniores, & tunc statim minorum gentium Populus in genu procidet, ad deprecandam Majestatem properabit; Petierunt ergo prolongationẽ, quia hæc concordia tantùm nostri videtur elusio. Incepit etiam murmur contra Thesaurarium Litvaniæ, quasi coronato insinuasset, non esse apprehendendam nobilium contradictionem, eò quòd nobilitas similis sit formicarum agmini aucto, & multiplicato. Sed ille omninò hæc negavit. Intulit Mareschalcus scrupulis tempus inaniter teri in solo certamine lingvæ, omnia imponi humeris alienis, ne digitum quidem proprium à quopiam admoveri; accedendum ad seria, & ad mediationem, illuc enim mentis acies intendenda, quantarum pars illa sit virium, an eis futuri simus resistendo; providenda, inprimis indemnitas Primatialis & securitas mea, qui in aliorum negotiis toties exauditus sum, puto me non confundendum, cum pro domo mea peroro, suadeo proinde pro conscientia, ut servatis servandis accedamus & sine mora ad complanationem. Prima virtus bene facientis, citò facere. Sed alii limitare & differre ad mensem Majum hunc congressum voluerunt, alij

Radecij

Brunikovii

xſpectandos qui proximè adeſſe debebant Majoris Poloniæ ſuadebant *A.C.1698*
las, confirmavit id Cardinalis Primas inquiens: quid priùs agam, an-
hæreo, cum multa & diverſa humeris meis incumbant negotia. Na-
r ſilendi neceſſitas, cùm non unum agitatur, in immenſum ſtudia
ntur, ego mei penitus obliviſcor, cum DEI tantùm & ſalutis publi-
adſit memoria. Non humile tamen votum eſt, quòd Major Polonia
: petit, nec digna negari. Addidit, ut ſolet, pro domo ſua nihil un-
n negligendo, quòd propriis ſtipendiis tamdiu militet, quòd illi gra-
it ſub cuſtodia, & ſemper in magna cautela vivere, ad extremum
uadebat, quòd nulla ſalus bello, ubi quæ opponantur, deficiunt vi-
ac propterea ſopiendæ diffidentiæ, jungendi diſcordes animi quan-
us. Bella metit, qui diſcordias ſeminat.

zima. Iterum Mareſchalcus innr't pretioſum tempus in pretio haben-
i eſſe, & ſortes Patriæ tandem reſolvendas, incepit à lectione pleni-
ntiæ jam correctæ, cum verò ad id punctum veniſſet, *& cum Parte ad-*
a iterum exarſerunt multi, illos terminos *Pars adverſa* dishonori ſibi
entes, quibus Kochanovius explicuit, quòd non aliter judicare nos, ne- *Offenſa ob titulum*
aliter nominare poſſit Coronatus, niſi partem adverſam, cum amicis
; tractat unquam, niſi malimus malevolos nos appellari, non eſt ergo
nalam partem hæc plenipotentia accipienda. Ignoſcendum Coronato &
icellariæ ejus, ignorantia non facit peccatum. Volumus ut rectè regat,
circumſcriptio Regiæ Majeſtatis in hocce loco & in hoc tractatu, primum
amus ei punctum, quomodo ſtatum nobilem tractare, & quem titulū
rabere debeat. Proponebat deinde honeſtum & utile fore, ſemper ob
is prætenſiones regredi poſſe ad Rokoſzium. Locutus poſt Caſtellanus
dienſis referens omnes injurias ſuas ex vindicta Ducum, per Exercitum
onis ſuis factas, & propterea optans quidem, ut mediatio & tractatus
ratur, ſed cum urgens neceſſitas cogat ad concordiam, non rejicienda,
acceptanda ſunt ſalubria media. Non eſt tam ſtrictè trutinanda ple-
otentia, honor enim in honorante, addemus nos nobiſmet ipſis hanc
rogativam, quando in capite complanationis apponemus, *Nos ſtatus*
ubl. ſuadebat opus aggrediendum, ſed citra quæſtum, ut nobis deſide-
noſtra ſine mora reſolvi poſſint à Commiſſariis, duoque puncta Prin-
liora ad tractatum propoſuit, ut ſcilicet tribunal Regni ſine lege funda-
ſtatim limitaretur, utque univerſales literæ pro comitiis & comitio-
in inſtanti revocarentur. Kraſnovius Dapifer Ravenſis in hunc ſenſum
itus: malis mala cumulamus, prima plenipotentia in controverſo erat,
ic correcta, & iterum eidem contradicimus, licétne ſuper tam exiguo
cto, tempus tam pretioſum conſumere, tanquam pro nobis altior ſit
rûm cura certáque. Primum deberet eſſe in reflexione tribunal Regni
ratione inceptum, prolongatio verò tractatus hujus ad ver videtur mi-
ion tantùm inutilis ſed & nociva; nunquid credimus tam oblitum ſui
: Coronatum, ut nobis tantùm impertiatur temporis, quantum neceſ-
aberemus ad armandos nos, obviaret procul dubio naturalis Germa-
induſtria his præparamentis, & nobis adimeret omnem ſecuritatem.
litus eſt etiam Laſcius Graboviecenſis Capitaneus, quem oſtendunt do- *Laſcij votū*
animi, præjudicia corporis, commemorando, quòd generoſi cives non
permiſerunt Gallorum ſpoliis capi, nec Cæſaris auro, à nobis fides
Patriam, amorque, in qua nati ſumus, libertatis, antiqua Polonorum in-
itas nullis largitionibus corrumpi conſcia, aurea merces erit, modò i-
n præ oculis habeamus pretium non irritæ ſpei libertatis conſervationē,
e memorem famam apud poſteros merebimur, te authore Cardinalis
inentiſſime, te Duce Mareſchalco digniſſime, & ſicut nos hactenus lau-

A. C. 1698 ream pro constanti zelo promeriti, ita oporteret vindice dextrâ hos nostros monere desertores. Oderint peccare mali, ij præsertim vexandi essent, qui gloriæ id sibi ducunt, quòd in artibus Machiavellum superent, quòd consilio non robore perdant libertatem, jura & prærogativam status nobilitaris. Necesse quidem esset pro conscientia & obligatione juramenti nostri, resistere potentiæ Coronati, ut sciat non posse se per potentiam potiri Regno libero, etiamsi simus multò debiliores, sed opes non faciunt virum, nec angustior res domi minuit dignitatem Catonis, nam meritum sufficit illi. Si Cato sit, relinquit habendi & crescendi anxietatem illis, quibus servile vitium, ubi per luxum & ambitionem dilapidaverint congestas à majoribus divitias. Bono cuique civi candor & recta semper dicendi sentiendique potestas in ore & animo est, limitibus suæ fortunæ contentum esse, id demum beatum est; non curanda ergo fortuna, non dignitas, id solùm agendum, ut libertas Patriæ conservetur, sed quia major ibi vis & bonam voluntatem nostram superat, dissimulandum & inutiliter non perdendum tempus in officio disertæ lingvæ. Explicavit pòst Radinensis Capitaneus, quid sit Rokosz? quòd scilicet sit civile bellum, exaggerando quanta inde laniena dum frater fratri non parcit, in duellum provocat, quibus inconvenientijs ut obviemus salva libertate & juribus, nunc consulendum, inutilis est animadvertentia circa illos terminos adversæ Partis, errores corrigendi, conscribamus hîc ad libitum, plenipotentiam agnoscamus, spondeo facilitatem Coronati, in ea subscribenda, emendaturus est in melius, quæ ignoranter peccavit, & nunc accedendum ad mediationem. Iterum Zbiovius petiit, ut limitaretur actus ad adventum aliorum ex majori Polonia, sed hæc toties repetita expostulatio, cum discrimine temporis quandam moverat suspicionem, quòd tempus de die in diem protraherent, & totam noctem fortè secretis Capitulationibus impenderent. Diu satis hæc materia agitabatur, etsi nunquam virtus prosternitur, cedit tamen; quia tandem conclusum, ut cum duobus punctis ratione tribunalis Regni, & comitiorum ad tractatum accederetur, ad quem destinati sunt & ex senatu, & equestri ordine. Venit interim correcta, cujus necessitatem præviderant commissarii, plenipotentia, correctaque his formalibus cum Illustribus & Magnificis nobis contradicentibus, in quo omnibus satisfactum est.

22ma. Responsum, quòd quoniam illa puncta circa tribunal & comitia nisi per senatûs consilium resolvi possunt, promiserunt commissarij Regi diligentiam suam, ut senatûs consilium convocetur, quid verò in eo decidetur die lunæ resolutio veniet. Maximè verò revocationem comitiorum suadebant nuntij Sendomirienses ex ea ratione, quòd nimis exacerbati in illo Palatinatu & discordes essent animi, si illi ad comitia accederent, hi consulerent, propter moram nostram magnum periculum esset tot bene sentientium. Erant aliqui non ad rationem revocantes, qui incusabant tamdiu Lovicij morari se sine ulla consolatione. Læsum etiam erat jus gentium, cum fenestræ in domo Legati Brandeburgici per frequentiorem minorum armorum explosionem fuerint ejectæ, & si Legatus sedisset in eo, quo solebat loco, certè ingens periculum vitæ ejus fuisset; sed quia quis Author fuerit ignorabatur, ignoscere debuit Legatus non libertati, sed licentiæ.

24ta. Longior paulò sessio fuit, sed & longè majorem præsetulit Majestatem, dum non tantùm multò numerosior nobilitatis copia comparuisset, sed & Sieniavius Palatinus Bellensis Sarmatici magna propago Martis (virum bene facientem verba consequi debent bona) cum Thesaurario Regni auxisset, & condecorâsset faciem congressûs cum ingenti domesticorum suorum assistentia, quæ satis totam amplam implevit Eccle-

siam

m. Incepit Mareſchalcus inquiens: & verba me deficerent, ſi
aliena Patria rogarem, ſed quandoquidem pro noſtra, pro
ia petendum eſt; inventurum me ſpero commiſerationem, ut
m per concordiam, per mediationem, integritatem ejus conſer-
s, quandoquidem concors voluntas, unio civium conſervant Rem-
um, imperia eruunt ſciſſæ voluntates, quæ commemoranda non
tanquam rudibus & imperitis. Retulerunt Deputati à Commiſ-
omnem ſe habuiſſe ſatisfactionem in punctis propoſitis. *Primò*
otentia ad mentem miſſa; *ſecundò* revocatio Comitiorum fieri po-
& erit, modò tantùm tractatus hic feliciter finiatur, ſubſequetur
mitiorum revocatio. Redditæ literæ ad tribunal, utq; Cardinalis
s & Mareſchalcus etiam eo nomine eos compellaret inſinuatum.
nnia ad vota & deſideria non tantùm promittebantur ſed fiebant,
ad unionem animorum accedere vellent. Quod facile perſuade-
illis, ad quod jam illorum mens inclinavit, ſed quoniam Gruſci-
itatio ſeu mandatum pro Comitijs extraditum eſt à Generali Ma-
Poloniæ, & hoc in quæſtionem venit tanquam punctum libertatis,
opter liberam vocem quiſquam accuſaretur, & judicaretur, pro-
unt Commiſſarij, quòd Rex à judicanda hac cauſa omnino abſti-
. Miſſi ſunt ad Oberbeckium Nuntij cum condolentia ſuper illud,
ipſi acciderat infortunium, omnimodam ſatisfactionem & juſtiti-
i author ſceleris compertus fuerit, promittendo. Iterum Gruſcini-
aggerabat læſionem ſuam ob datam citationem, & per amorem Pa-
libertatiſq; petebat, ut actus limitaretur, quandoquidem etiam Pro-
Pruſſiæ ſub jugo Germanico gemens comparere non potuerit, ſed
natus Sandomirienſis; contradicebat allegando periculum, quod il-
cinius, quàm Majori Poloniæ. Dicebant alij quòd neceſſe ſit ſcire,
Rex Galliæ recederet à bello Gedano indicto, & tam ma-
egati ſui læſione. Inferebant alij, quòd coronatus alleget, in in-
ionibus ad Comitia datis, quòd carò Regnum hoc comparaverit;
o ergo voluerunt, ut quandoquidem libertas etiamſi pro toto non
venditur auro, ſcire poſſint omnes, quid, & quantum cui datum;
t damna ab exotico milite illata, & plus ultra inferenda repræ-
itur, ſi tantæ vires, quanta in cordibus promptitudo eſſet, liben-
ro charis opponeremus pectora Thebis, ſed quia multum intereſt in-
egem, quem eligunt homines, & quem ſuperi, ſi ex præterito tem-
in præſens argumentum valet, cum jam evanuerit & omnis ſpes
um, & cœpti fiducia belli, res noſtras vel cum dolore compona-
eſt ſatius, cum honore & ſalute Reipub: inire tractatum, & jun-
lexteras dexteris, quàm in hac pertinacia perniciem Reipub: ex-
e & nulla pòſt emolumenta laborum videre, imò damna ſentire,
atus Sandomirienſis, Siradienſis, Lencicienſis, Ravenſis, tanquam
um incurſionibus omnibus per tranſeuntem militem everſi, Exer-
Coronati reſiſtere non poſſumus, difficile proinde concordiam de-
e, illiq; nos opponere poſſumus, cum hi, qui tractatum vel diffe-
m, vel abrumpendum conſulunt, pace quieteq; fruantur. Con-
Cardinalis, cum alij unionem & tractatum, alij limitationem re-
t, patet in bivio nos conſiſtere, neſcientes quòd iter arripiendum
ide maturiore conſideratione opus, propinquioréne an longiore
lendum ſit viâ? & ſeſſionem in craſtinum diſtulit.
n qua iterum Mareſchalcus compellavit omnes ad arripienda pa-

A.C. 1698 cifica media, cum non dubia affulgeat spes, (qui vidit & audivit testimonium perhibet) à Coronato in omnibus punctis totalem congressui præstandam esse satisfactionem. Institerunt verò Majoris Poloniæ Nuntij fortiter promovendo limitationem, & afferendo nullo modo se ad tractatum, sine alijs accedere posse, nullum aliud ab illis habendo mandatum, nisi ut limitationem & tractatûs, & consilij petant, & obtineant. Certabant ergo rationibus, præsertim qui ex Minori Polonia missi erant. Prævalebant nihilominus Majoris Poloniæ Nuntij, & cum longiùs ultra spem & opinionem, controversiæ protractæ fuissent, incepit Cardinalis in eum sensum loqui; maturiùs mihi inquirenti in causam extrahentem consilia nostra, videtur præcipua, & quasi unica esse diffidentia, diutiùs Patriarchæ exspectabant Messiam, & tandem exspectatio eorum versa est in gaudium felicis ejus possessionis. Cur & coronatus limitationem hancce non deberet permittere, quando cum majori ipsiusmet hoc fieri poterit commodo. Reflexione opus habet, Dominúsne nobis, an nos Domino magis diffidere possimus? quis magis contra leges peccavit? facile sciri & concludi potest. Instructio & resolutio celeriter venire potest Varsaviâ, & pro rato gratoq; acceptari. Domini verò Majoris Poloniæ Nuntij restrictivam habent potestatem, & proinde pertinaciùs refragantur, quia alia in tam arcto tempore, etsi alius instituendus foret congressus, à tanta longinquitate loci venire nequit. Separari sine mutuo & sincero consilio quæ securitas? circumveniri à Domino possumus, Dominum circumvenire non valemus. Et si per tam longum temporis spatium in odio dominabatur, cur & per aliquot adhuc id fieri non possit septimanas? cum jam multi accesserint, & cum Major Polonia certam det sponsionem, se cum majori solennitate accessuram ad tractatum. Mittamus ergo ad Commissarios adhuc semel, ut hanc nobis nomine Principalis sui indulgeant limitationem, quia si distrahemur, peribimus. Detulerunt omnes sensui Cardinalis, quanquam & multi acclamabant, non deerit providentia DEi, si fiducia nobis non defuerit, animati enim eránt zelo, & sola prioris libertatis recordatione, aut spe melioris. Missi tamen sunt Nuntij, inferentes coram Commissarijs, quòd amicus sit probandus, & cùm probatus fuerit, amandus. Si Coronatus Comitia differet, Tribunal Regni suspendet, omnium nostrûm rapiet corda, integra redintegratio confidentiæ mutuæ fiet; Interim ut limitationem indulgeret, petebant. Redierunt cum declaratione, quòd nullo modo hanc limitationem concedere, & ne quidem eam proponere petereq; à Principali, ut eâ indulgeat, possint, cum etiam ipsimet nullo modo convinci queant, necessariam esse. Quod dum Majoris Poloniæ Nuntij audiverunt, valedicere Cardinali & Mareschalco incipiebant obsecrando per amorem Patriæ, ut persistere in zelo tuendæ libertatis velint, & mutuò se non deserant, ne deserantur. Intulit Cardinalis, ergo vos nobis valedicitis, & me, qui arcam libertatis porto, sine consilio relinquitis? timeo verò ne omnes dicamur, novelli Parides, qui pugnare volunt magis, quàm possunt, ac proinde ut mutua ineamus consilia, crastinum saltem diem præstolemur, quod cum magna difficultate concessum est, & id præcisè tantùm ad valedicendum, cùm nullas possint complanationes, nullos vel minimos tractatûs articulos aggredi.

26 Magna exercebat curiositas omnes, prosecutione tractatûs, an limitatio, vel totius actûs integra annihilatio subsequi deberet? Excitabat solito more & stylo zeli pleno Mareschalcus ad unionem, quam ne-

iam publica deducebat utilitate, cùm nostra fortuna, non adver- *A.C.1698*
um, sed penitus eversa palàm sit. Eandem unionem multi alij urge-
d Major Polonia, ad quam & aliqui alij accesserunt, qui curiosè ri-
consilia, & temere aut perversè explicant, quæ somniarunt, scilicet ex
tibus Sirad: & Lenc: validissimis rationibus limitationẽ urgebant, neq;
loqui de tractatu permittebant. Chlebovius tamen magnam illis
t invidiam, quòd scilicet à Rokoszio recedere publicè nolint, sciſſio-
nen faciant quà publicè quà privatim. Et quòd in senatu & eque-
ine inter nos inveniantur, qui secretiùs, non ita tamen ut sciri ne-
jam Coronatum pro Rege agnoverunt, & his præmissis ausi sunt
ro consessu comparere. Radeccius etiam addidit ferventissimè lo-
quòd in eo loco de verbis multum, de opere sit nihil, & extra ex-
onem omnium, quidquid fiat, non intuitu fiat libertatis, sed sub spe-
dem privata quærantur commoda, proinde palàm sistendo activi- *Sistitur ac-*
leclaravit, nihil se agere permissurum præter solam tractatûs pro- *tivitas*
nem. Hàc inexspectatâ auditâ voce moverunt se locis, & Thesau-
Regni dolorem suum coram Cardinali explicuit contrà Chlebovium,
ecte personam ejus aggressus erat. Cui etiam cum gravem objiceret
uram, negavit Chlebovius, quòd id contra personam ejus dixerit, i- *Chlebovius*
ulit, per ironiámne an verè? nescio, DEus scit, quòd scilicet ille The- *purgat se*
& publicas rationes administret tam abstinenter, ac alienas, tam di- *coram The-*
r, ac suas, tam religiosè, ac publicas. Et in illo officio amorem con- *saurario*
ur, in quo odium vitare difficilè est, quòd strenuè tractet militiam
tè, ærarium innocenter & sanctè, quòd raro accidit. Quo sermo-
ntentus fuit Thesaurarius, timendo ne aliquid certius ei objiceretur.
m Mareschalcus revocatis ad loca sua omnibus, ingentem suum ex- *Querela*
dolorem, & palàm non per ænigmata & figuras dicebat supra vi- *Mareschal-*
s esse negotium, à se solo id sustineri non posse, cùm post varia ten- *ci*
ta, portum prope jam prospectans novis fluctibus in mare referatur,
i sive ex integro abruptus, sive in aliud tempus rejectus sit tractatꝰ,
on restet medium, nisi ut violenta arripiantur. Interesset verò pro-
securitati Personæ meæ & Cardinalis, quem non tantùm Primatia-
nitas, non tantùm tota Christianitas, sed etiam Roma ipsa proteget,
o non tantùm ordinarium mittit nuntium, sed etiam extraordina-
pro sola tuitione dignitatis Primatialis destinavit, ego autem quid fa-
non ingratos vocavit, sed immemores cum facta promissis nunquam
derint. Promisistis domi & foris consulere, duobus millibus hominũ
sistere, & ego nec duos vidi. Promisistis expensas meas, tam ex
, quàm M. D. Litvaniæ thesauris juvare & supplere, & ego pro-
fortunam consumo cum hoc unico solatio, quòd id fiat solo intui-
equij publici & vestri. Considerate limitatam vos habere potestatem,
ec tributa indicere in scissa Repub: nec Exercitum conscribere possitis,
s in visceribus vestris externum militem, qui facillimè conscriptiones
rum militum dissipare & dissolvere posset. Loqui aliud & amplius dis-
nequeo, non sum eloquens ab heri & nudius tertiùs & quamvis
us stringere paratus eram tam vaginam, quàm paginam pro liberta-
ore, nunc illis tantùm verbis utor, quibus usi sunt sancti illi viri in
tione unius ab alio, dum inter se quærerent, quo alter iret, invicem
spondebant: In latus Domini, ibi me quære, ibi me invenies. His ver-
bis valedicens utor, quærendo locum in præcordijs vestris, & charis-
ibertatis, ex qua dulce decus, columenque meum. Vadò in domum
tanquam egens terrigena, tanquam in exilium, in veritatis Patri-
veridicorum, tam procul abero à negotijs, quàm procul æquitas ab
ani-

A.C.1698 animis contrariorum nobis abest, scipionem & regimen non depono, nec ad dexteram, nec ad sinistram inclinabo; & vellem ut omnes ea circumstet sollicitudo, ne quis non Patriæ vivat, videbo tamen quid aget sua Eminentia, quid agetis vos cum plena spe, quòd hæc sincera circa bonum publicum cura in grata vestra perennabit memoriâ. Mittat interim Dominus redemptionem populo suo. Convertat vultum suum ad nos, & det nobis pacem.

His dictis & auditis abierunt omnes, & non nisi privatim commissarij cum Cardinali alijsque in seperato tractarunt, quod ex annexis melius intelliges, scribere enim plura non vacat &c.

COPIA LITERARUM

SUPREMI REGNI MARESCHALCI AD PALATINUM MARIÆBURGENSEM EX BLONIE 28 Februarij.

SPerans, redeuntibus nobis, Provincias accedentes non permissuras longiorem ex negotio nostro facere suæ Majestati relationem; in compendium reduxi rei transactæ summarium, quod mitto, & Polonicè & Gallicè pro sua Majestate, ut cùm venerimus, ampliùs non insinuemus, nec informemus, in quo puncto res nostræ sint finitæ? Cum Cardinali non fuerit securitas transactionis cathegoricæ, quandoquidem ad majorem Poloniam se revocat, cum illa insimul ad Regem accessurus & propter eam nihil sine illa conclusurus, Nos itidem negotium determinare noluimus, quia illud vadium in clenodijs, & aliis mobilibus hæsisset nullâ securitate prævia, quod fusiùs deferet Ribinicius, aut jam detulit. Mareschalcus Rokoszianus redijt ad propia tanquam jam non rediturus ad Rokoszium. Libenter etiam per abrupta accessisset, sed priculum sui à Rokoszianis prævidebat, qui ex desperatione vindicias ex illius persona sumere potuissent, ut non est novum in majori Polonia, & etiam Lovicij procurari poterant eidem insidiæ. Non monstravit quidem ille metum, sed illum tanquam in virum constantem cadentem certè habuit. Facilè alius Mareschalcus inveniri potuisset, ac proinde melius fuisset, si ad quærendum eum non fuisset data occasio & ansa. Cognovi ergo, quòd valedicere illis omnino non ausus fuerit, sed maluit in silentio abire domum valedicturus affectu, non verbis, & interim verberent modò absentem, facilius avocari poterit domo, quia hinc impossibile erat ob implicitas rationes & per Episcopum Kijoviensem, qui accedit, potest major Polonia tranquillitari, modò conditiones pecuniariæ non audiantur, nisi exiguæ, quia ego firmiter credo, quòd limitatio hæc non alio modo vocari debet nisi appetitus accipiendi. Et aliquomodo videtur mihi, quòd Cardinalis ob æmulationem contra eos, qui ab eo recesserunt, volebat finire ex se, & quòd separatim in contrapunctum ijs, cum quibus æmulatur per Principem Episcopum Javariensem tractabit, quia aliquid simile mihi insinuavit. Profectus est Oberbeckius ad suam Majestatem, qui omnia referet. Sed congressus hic in Blonie vult aliquid simile, quod Lovicienses. Intulerunt enim Propositionem hanc, ut novam ad tractandum cum illis procuraremus plenipotentiam, ut fortè authoritatem addere possent congressui suo, quod ego nullatenus permittere volo; quia per id ratificarem Rokoszium alio modo, & per infinitum negotium hócce progrederetur, & exitum habere tardè saltem posset. Ad extremum desideria privatorum venirent super tabulam, & desideria Reipublicæ pro prætextu tantùm speciolæ libertatis servirent, & Regi impossibile esset omnibus satisfacere;

nam

iam singuli nunquam exsatiarentur, si ergo requirent à nobis ulterius *A.C.* 1698
najorem authoritatem congressui suo, quàm convenit, datâ declarati-
ne, quòd eo nomine eant ad consilium Majestatis Suæ. Abibo hinc,
k malo per Epistolam mentem illis Suæ Mtis declarare, quàm hîc es-
e personaliter, propter privata & insatiabilia desideria; & satius esset,
it id honesto modo dissolvatur in absentia mea, quàm ut novo actui a-
iqua detur authoritas. Etsi aliquis aliquid volet, adeat Suam Maje-
tatem &c.

P. S. Mirabilia hic à nobis requirunt, DEus scit, quomodo finien-
ur; quia ego absolutè nulla inconvenientia permittere possum, quia no-
ingerere Regem in subjectionem Rokoszio voluntariam.

UMMARIUM OMNIUM EORUM, QUÆ ACTA A COM-
missariis à Sua Mte destinatis eidem pro relatione missum.

Primo Quandoquidem Major Polonia nullatenus dare voluit assensum,
pacificatio Reip: in instanti fieret, tunc Provincia Minoris Poloniæ
Rokoszio existens non per partes, vel personas, sed per integrum cor-
as gentis suæ factâ manifestatione recessit à Rokoszio, accedit ad Re-
em, nolendo amplius evidentibus malis implicare Remp, & gloriosos
e Majestatis pro Repub, & Sanctæ Crucis exaltatione conatus retar-
are.

2do Idem fecerunt Palatinatus Siradiensis, Lenciciensis & Ravensis
liones suas cum suo Senatu, & Equestri ordine omnes excepto Ca-
llano Siradiensi unanimiter à Rokoszio eo modo, quo Minor Polonia,
ciderunt, & benevolè illi valedixerunt.

3tio Jam ergo non cum personis privatis, sed cum totis Palatinati-
s transactum, & tractatus Commissionis non abruptus, sed ita fini-
cum Provincijs, ut Rokoszius in minori Polonia, in Siradiensi, Len-
iensi, & Ravensi Palatinatibus planè sit dissolutus.

4to Cardinalis Primas non cum integra Provincia Majoris Poloniæ,
ia aliqui notabiles Palatinatus recesserunt, remansit ad declaratio-
n duorum Palatinatuum, Posnaniensis scilicet & Calissiensis, & id
negativè contra accessionem ad Regem, sed tantùm dispositivè ad
sensum integrum horum duorum Palatinatuum, propterea quòd
rum Nuntij limitatam præseferebant potestatem ultimarij consen-
propter brevitatem temporis ad congressum horum Palatinatuum
um necessarij.

5to Non ergo abruptus tractatus, sed cum Provincijs integris, dis-
tione in illis Rokoszij formaliter finitus per instrumentum con-
liæ cum illis, in Błonie nomine Regio per Commissarios confir-
dæ, reservatâ accessione cum Majori Polonia ad Regem, quando-
; illis placuerit, cujus optimæ intentionis non leve dederunt do-
entum, quando Episcopo Kijoviensi in colligatione secum manen-
cessum ad suam Majestatem ultrò permiserunt.

Hic ergo status est rerum perfectæ hujus non abruptæ commissio-
quod pro informatione suæ Majestatis in vim relationis mittitur.

REFLE-

A.C.1698

REFLEXIONES SUPER HOC SUMMARIUM COMMISSARIIS SUÆ Mtis MISSUM. Varsav.

GRatissimè accipit Rex ea, quæ acta sunt, & quemadmodum gloriam virtutis non intercipit fortuita felicitas, ita nec infelix virtus amittit gloriæ titulum, semper honorata est, etiam ubi citra votorum culmen subsedit, etiam ubi eam exitus fefellit. Hæc tamen consideranda proponuntur.

1mo. Non potest bene intelligi titulus, quid Lovicii actum & conclusum, quoniam in Błonie novus quasi actus ad concludendum & ad conscribendas aliquas conditiones formatur. Quod consilio Suæ Mtis amplius non videtur necessarium, quando cum iis nihil conclusum, in quorũ manibus hæsit scriptum & tuitio Rokoszii, hoc est penes Mareschalcum scriptum, penes Cardinalem tuitio, quinimo abrupto Loviciensi congressu, ad quem solùm commissarii plenipotentiam habuerunt, videtur ipso facto illorum cessasse activitas. Non tamen it inficias, quòdsi prudentia Commissariorum prævidet aliquid inde boni evenire posse, & non involvens, nec in dubium trahens Electionem Suæ Mtis, ut concludant, & stabiliant, rem optimè visam.

2do. Nulli visum est, nec hactenus videtur, ut compellationes Provinciales, imò neq; Palatinales ex integro in tractatu nominentur præcipuè scripto. Quia dum denuntiabitur v. g. quòd Provincia minoris Poloniæ non per partes, vel personas, sed per integrum corpus gentis suæ accedit, & interea relinquitur Rokoszium in Provincia majoris Poloniæ cum nomenclatura Provinciali, quivis prudens & politicus quærere potest, quis ergo elegit Regem? si Polonia minor nunc tantùm accedit & major sub Rokoszio adhuc manet, & concludere deberet, quòd tantùm per tertiam Provinciam M. D. Lit. sed & ibi Rokoszium posset procurare aliquod divisionis instrumentum, & ita, avertat DEus ulteriores in Patria motus, hæ nomenclaturæ in alium non servirent finem, nisi ad projecta, scissiones, manifestationes, & quod summum est, ad repræsentationes externis Principibus, & nostrismet ipsis instrumentis convictiones, quòd Rex non fuerit Electus per Provincias & consequenter illegitimè. Credit ergo consilium S. Mtis, ut primum punctum in quantum ad aliquod devenirent Commissarii punctum, ita modificetur.

Quandoquidem Domini Majoris Poloniæ hi, qui usq; in hanc horam inveniebantur in Rokoszio, noluerunt assentiri huic, ut pacificatio Reipub: in instanti fieret, tunc aliqui ex Palatinatibus Provinciæ minoris Poloniæ, quicunq; tantùm comprehendi poterant in Rokoszio, nemine excepto, ita ut nemo amplius ex Provincia minoris Poloniæ in Rokoszio maneat, sed omnes & singuli, cuncti & universi ad Suam Regiam Mtem accedant nolendo amplius evidentibus malis implicare Rempub. &c.

Aliud punctum, sic vel similiter idem consilium S. Mtis temperandum credit. Idem fecerunt & hi quicunque ex Palatinatibus, Siradiensi, Lenciciensi & Ravensi, sive ex Senatorio, sive ex equestri ordine inveniri poterant in hoc Rokoszio omnes unanimiter, ita ut nec unus ex iis remanserit, nec remanere potuerit, declarârunt & benevolè à Rokoszio recesserunt, ad S. R. Mtem plenè accedendo.

Punctum tertium. Magnificationis integrarum Provinciarum, si deventum fuerit ad aliquod scriptum, ex integro & de toto non videtur necessarium ob rationes superius allegatas, sed sufficient illa duo puncta supe-

us posita, intentio enim harum reflexionum hæc est, ut examinetur, & publico instrumento declaretur, quòd in Provincia minoris Poloniæ, & superiùs nominatis Palatinatibus, nullus remansit Rokoszianus, sed nec declarare interest, in hac vel in illis multos fuisse, & eò minus, Provinciatim vel Palatinatim usque nunc obstitisse.

4to Punctum quartum videtur esse, omni præcautione plenum & necessarium.

5to Loco puncti quinti satiùs creditur eam inferre conclusionem.

Hic ergo tractatus non potest dici, quòd sit abruptus, sed potiùs pro laudabili pacificatione Reipublicæ reputandus, quando tam ex Palatinatibus minoris Poloniæ, quàm nominatis tribus Palatinatibus nec unus remansit, qui possit directè vel indirectè Rokoszianus vocari, & nullum titulum sumere tam ex Provincia minoris Poloniæ, quàm ex memoratis tribus Palatinatibus.

Reservationem accessionis quandocunque majori Poloniæ placuerit non addendam credit consilium Regium, nec memorandã, quia non tantùm videtur esse æquivocum, sed & apertè injuriosum Reipublicæ, quòd scilicet dependeat à beneplacito accessionis majoris Poloniæ. Nec illud documentum videtur canonisandum, & nec memorandũ: quòd permiserint Episcopo Kijoviensi accessum ad Regem, quia dictus Episcopus tanquam Senator, & liberi sensus, potest id ex se facere, ita, ut tot alij magnorum nominum cives non acceptâ licentiâ vel petitâ potestate, pro libertate quisque sua fecerunt: Illud enim magnas in se continet consequentias in favorem illorum, qui sine dicta licentia accesserunt, ut id ipsum maturiùs res consideranti, statim occurrere potest.

COPIA LITERARUM SUPREMI MARESCHALCI REGNI AD PALATINUM MARIÆBURGENSEM.

Ex Blonie 1. Martij.

Accepi considerationes consilij magnâ reflexione dignas, sed hæc puncta non erant in ordine ad tractatum insinuata, nec quisquam de illis notitiam habet, ego tantùm scripsi easdem pro informatione suæ Majestatis, ut sciat fructum nostræ negotiationis ex hac divisione Rokoszij, explicando suæ Majestati, quòd jam integra Provincia minoris Poloniæ ad eum accedit, & non ideo, ut illi tribuatur authoritas totius Provinciæ, quia id intelligitur de illis tantùm, qui in Rokoszio erant. Hæc proinde puncta illis ne minimam quidem authoritatem addunt, quia non pro illis scripta, repræsentant solummodo ...nmodum, quod affert in rem suæ Majestatis distractio & divisio hu... Rokoszij. Et quamvis Mareschalcus Rokoszij dicti non deposuit ...nem, non renuntiavit officio, sed tamen pro certo ad Rokoszium ... redibit, & interea pacificari possunt motus Palatinatuum Posna...sis & Calissiensis, quando sua Majestas ad illos expediet Episcopum ...viensem, qui id negotij in se sumit, servireq; suæ Majestati libens ...t. Et Cardinalis credo aliâ viâ accedet. Vidi enim copiam litera..., & habui ad suam Majestatem eo nomine scriptarum, in quibus ...estinatione & missione Fabricij Paulluccij Episcopi Ferrariensis Pon... denuntiat, quam tibi Regi communicandam mitto. Ac proinde ...o jam erit, qui Rokoszium manuteneat.

...orâ hac die ab octava matutina ad decimam noctis sedimus con-

A.C.1698 tinuò nihil manducando, sed tantùm disputando cum illis, non multum navigavimus, sed multum jactati sumus, nam noluimus unquam convinci, nec talia puncta admittere, quæ videntur derogare honori Regio Sicut v. g. persecutio horum, qui in coronatione Regi assistebant, pœna in Gubernatorem Cracoviensem Minoris Poloniæ Generalem pro tradita arce, & his similia, quæ nec memorare quidem permitto, & non semel ex impatientia abire volui ex sessione, quasi rediturus ad suam Majestatem, & valde hæc ostentatio me juvit; accelerârunt enim ulteriora puncta. Jam vicini sumus ad finiendum tractatum, unica tantum nos moratur dilatio Comitiorum, à qua nullatenus recedere volunt, quia ut verum fatear, sub hac conditione recesserunt à Rokoszio Lovicij, & magnam actionem præstiterunt, ut hæc dilatio in favorem eorum concedi possit. Et cùm jam disputare incepimus de impossibilitate ex ratione temporis, ingentem doloris monstrârunt sensum sæpius ingeminando, nos bonâ fide à Rokoszio recessisse. Quanta infelicitas nostra, quòd credidimus verbo nobis dato! ad extremum nullatenus etiam cum periculo rumpendi tractatûs id illis persuadere possumus. Considerando proinde furorem popularem, qui jam pacificatus per accessionem ad suam Majestatem tot & tantorum, & iterum magnus accenderetur ignis, si seducti quasi à nobis redirent ad Rokoszium· Luctamur cum necessitate ex una parte volendo illis persuadere, ex alia videndo, & timendo, ne desperatio illos aliò trahat, qui cum Palatinatibus Siradiensi, Lenciciensi, & Ravensi separatim ad Regem accedent; videmus impossibile quasi esse, ut id evincamus. Intra unam horam per expressum significabo tibi Cursorem, quid in eo puncto conclusum fuerit. Aliæ omnes conditiones sunt tolerabiles, & minoris momenti, hoc tantùm circa comitia punctum duos dies nobis absumpsit, & nullo modo ab hoc recedent, ex hac vel maximè ratione, quòd multi sint inter eos dignissimi & populares, qui non possent pati se frustrari functione Nuntij ad Comitia, qui etiam certè, quoniam jam accedunt suæ Majestati, essent plusquam necessarij. &c.

COPIA DISCURSUS FACTI IN CONSISTORIO 27. Januarij à Pontifice.

VEnerabiles Fratres. Cùm pro egregia pietate, & perspecto zelo vestro communis nobis fuerit animi lætitia, quam sanè maximam experti fuimus, ubi primùm audivimus Augustum Saxoniæ Ducem, præcipuum olim Hæretici pravitatis assertorem nunc charissimum in Christo filium Nostrum Poloniæ Regem erroribus, quibus natus, & intricatus fuerat, ejuratis Catholicæ fidei veritatem amplexum fuisse. Nullum nobis dubium esse potest, quin animos æquè vestros ingenti nunc gaudio afficiant uberrimæ significationes, quas idem Rex addere voluit, filiali suæ in nos & hanc S. Sedem observantiæ, illas proinde, quas tum ab ipsius Regis ad nos datis literis, quæ mox legentur, tum novissimè ab ore extraordinarij ejus Ablegati fusiùs excepimus, tametsi vobis jam innotuisse arbitramur, easdem tamen apud nos ex hoc commemorare opportunum & æquum nobis visum est, ut scribantur in generatione altera. Quis enim

enim aut fidelis Pastor inventâ, quæ perierat ove, amicis, vicinisq; suis invocatis gaudium suum non aperiat, aut bonus Pater revertente domum filio, qui peregrè profectus fuerat, seq; peccâsse in cælum, & coram eo confitente splendidè & magnificè non epuletur, & quidem hoc potissimum consilio redeuntem ad nos tam Illustrem filium, & ex cujus reditu lætiora nobis indies meritò speranda supersunt, paternâ charitate amplectentes, extraordinarium ad eum Nuntium ablegare decrevimus Venerabilem Fratrem Fabricium Episcopum olim Maceratensem, quem scilicet nuper ad Ecclesiam Ferrariensem transtulimus, quemq; ob spectatam ejus prudentiam, doctrinam atq; pietatem. &c. A.C.1698

VENERABILI FRATRI CHRISTIANO AUGUSTO EPISCOPO JAURINENSI.

INNOCENTIUS PAPA XII.

VEnerabilis Frater. Cùm ea quæ Fraternitas Tua indefesso Catholicæ Religionis & constanti pietate egit, atq; in præsens agere non omittit, cognita admodum nobis, ac per se tam præ..ra sint, ut nec ab animo nostro, nec à piorum hominum memoria ..ilè excidere possint, meritò confidimus, nullas etiam de cætero oc..iones tibi oblatas in filialis tuæ erga S. sidem observantiæ declaotionem, quin eas protinus, & alacri, prout soles, animo amplectaris. .l obeundam itaque extraordinarij Nuntij munus apud charissimum ..hristo filium nostrum Augustum Poloniæ Regem, cùm isthuc à ..is ablegetur Venerabilis Frater Fabricius Episcopus Ferrariensis, ..m non modò generis præstantia, sed eximia virtutum decora spe..bilem reddunt, eidem injunximus, ut explicatâ tibi Paternæ nostræ ..itatis magnitudine, prudentiæ tuæ, ubi opus fuerit, consilio potissi..n innitatur, meritò confidentes te spei, quam in tua probitate ..lituimus, nullatenus defuturum esse, ac tibi Venerabilis Frater ..stolicam benedictionem peramanter impertiamur. Datum &c.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO AUGUSTO POLONIÆ REGI ILLUSTRI.

INNOCENTIUS PAPA XII.

..harissime in Christo Fili noster. Præclarum adeo Pontificiæ no..stræ charitati augmentum lætitiæ fuit, felix Majestatis Tuæ ..ad Regale Poloniæ solium evectio, simulque præstita per Te A..æ huic sedi, nobisque ipsis filialis observantia, ut quamvis in..udium, quod inde hausimus congruis significationibus testa..i facere non omiserimus, illud ipsum tamen per Venerabilem ..n Fabricium Episcopum Ferrariensem, cui ob eximias generis ..ni dotes, extraordinarij ad Te Nuntij munus demandavi-

A.C.1698 *mus luculentiùs declarandum tibi esse duximus, ab illo itaque fusiùs intelliges non modò Paternæ nostræ benevolentiæ magnitudinem, sed ulteriùs quàm firmam in DEo spem constituamus, fore ut constans & egregium tuum de Catholica Religione benemerendi propositum indies magis augeatur. Cætera disertè explicabit memoratus Venerabilis Frater, cui nostro nomine, quæ in mandatis habet, exponenti faciles ac benignas aures te præbiturum esse planè nobis pollicemur. Interim Majestati tuæ felices rerum eventus jugibus precibus à DEo precamur, & Apostolicam benedictionem amantissimè impertimur. Datum &c.*

EJUSDEM MARESCHALCI REGNI AD EUNDEM PALATINUM eâdem die.

Totâ die usque ad rupturam quasi tractatûs egi, sudavi & alsi, ut revocatorias comitiorū exigere, & planè extorquere desisterent, promittendo illis, quòd Varsaviæ corā sua Majestate comparituri, ex communi consilio inveniri poterunt media talia, dum cum senatu præsenti conferemus, ut omnia finiantur bene; sed nullo modo recedere ab hac cōditione voluerunt, toties quoties repetendo, se eo vel maximè pretio recessisse à Rokolzio, magni ergo non ex vano timeri debuerunt motus, cùm desperati manifestationem facere, tractatū abrumpere, & iterum ad Rokolzium redire planè cùm lachrymis voluerunt, incusando infelicitatem suam, quòd cum tanta elusione sua id facere obligarentur. Videndo ergo, quid agebatur, & quantum subsequeretur scandalum, si ab ultimata ad suam Majestatem accessione abscederent cum tanta consolatione malignantium, quantum odium causæ suæ Majestatis subsequeretur. Persvadebant mihi & Legatus Brandeburgicus, & Thesaurarius Litvaniæ, ut nō essem tam difficilis. Recessi ergo ex sessione, & seorsim cum illis consiliū inivimus, in quo visum est non proijcere per hanc negationem pondus ultimatum accedentium, in quo & fama, & substantia rei continetur. Conclusimus proinde mittendum esse ad suam Majestatem, & vix indultum nobis ad cras. Repræsentabam illis, quòd impossibilitas temporis excludet nos ad satisfaciendum verbo nostro, quòd debemus invadiare, non considerando consequentias, propter solam tantùm concordiam cum illis, quòd suo tempore idipsum displicere illis poterit, & interea Rex confunderet actus Reip. per variationem promulgatarum jam literarum universalium. Cùm etiam & aliqua comitiola in aliquibus Palatinatibus sint expedita, Mitto tibi articulum, super quem convenimus, in quo illud optimum est, quòd terminus senatûs consilij decisioni relictus, & pòst, quòd in magno Ducatu Litvaniæ non variabuntur comitiola, tantùm in Regno, & Ducatus Litvaniæ, in quo nunc maximè difficultas, non mutabit suas literas universales, expectabit tantùm terminum Polonicarum, nec habebunt, cui irascantur.

Nihil ergo restat, quod possit ex hoc diminui articulo, qui etiamsi ad effectum deduci non deberet, melius tamen est, ut ducantur ad suam Majestatem, quando jam familiariores erunt, & jam accedent, quis scit, an non reddentur capaciores in hoc puncto Varsaviæ; quanquam mutare illud non optarem propter infirmitatem verbi, quando præcipuè Litvania contenta erit, ubi nunc maximè exagitantur motus, hic in Regno etiamsi aliquis

aliquis inveniatur, qui id ægreferat, facilius in partes trahi poteſt, quam ut propterea diſſolutum jam Rokoſzium iterum per rupturam augeatur, & reviviſcat, quia accedentibus his in fundamento manifeſti, quòd facere, & imprimere volunt, magna aura rebus ſuæ Majeſtatis accedet, & ſecus, ſi retrocederent à nobis, & ad magnam Poloniam redirent, pejor eſſet præterito morbo recidiva. Deſero proinde hæc omnia bene ponderata & conſideratæ ſuæ Majeſtatis reflexioni ſubdo, & cathegoricam, eamque, quàm promptiſſima eſſe poteſt, expecto declarationem; quia aliter fieri non poteſt; aut enim ruptura erit ſcandaloſiſſima, aut concedi debet hic articulus, qui eſt talis. *A. C. 1698*

Quantumvis univerſales literæ jam comitia intimârunt; quia tamen ex poſtfacto notabilis Reipublicæ pars, quæ in Rokoſzio exiſtebat, nunc ad ſacram Majeſtatem cum caſſatione ejuſdem accedit. Proinde pro pleniori inter ſtatus confidentia, & occurrendo ulterioribus internis motibꝰ ex diffidentia emanaturis declarant Regij commiſſarij ſacræ Regiæ Majeſtatis nomine, quòd aliæ extradentur literæ univerſales priores revocando, & alium terminum comitijs & comitiolis ex ſenatûs conſilio deſtinando. Ad Magnum verò Litvaniæ Ducatum quamvis lex & praxis in eodē termino comitia ac comitiola habendi illi Provinciæ cum Regno Poloniæ deſtinet, non extradentur aliæ literæ, ex quo hæc Provincia integra maturè ante comitiola ad ſuam Majeſtatem acceſſit.

EJUSDEM MARESCHALCI AD EUNDEM EX BLONIE 2. Martij.

Accepi literas tuas jam poſt finitum tractatum horâ primâ noctis. Omitti in tractatu articulus de comitijs nunquam potuit, quia videbatur non tantùm ſcandaloſa, ſed & ſummè præjudicioſa ruptura. Cantabimus cras manè, *Te DEum laudamus*, quia plus aliquando valet cura in Polonia, quàm ipſum negotium, etſi infectis rebus abiviſſemus, ſummum odium immedicabilis rabies ſubſecuta fuiſſet, unde & everſio comitiorum & deſperatio populi, & inde parati prætextus, ex mala fama rei deſtructæ ſolatium, & fides inimicis Regijs. Ego ex ſtatione mea, & pro fide Senatoria aliud ſuggerere in his motibus nequeo conſilium, niſi ut comitia hæc tanquam lapidem offenſionis non indicat, nec nova inſtituat, nec vetera differat, expectando uſque ad finem autumni, facilis prætextus defenſionis Reip: & expeditionis contra Turcas. Amovebuntur per id rumores, offenſiones, diſſenſiones, & alia offendicula ſtatûs, & quod ratio nequit, ſanaret mora. Noſceret primò exercitum Rex, & exercitus viciſſim noſceret Regias dotes, & heroicas qualitates, & ejus amorem infallibiliter acquireret, & confœderatio penes perſonam Regiam concludi poſſet. Aſſiſterent & Palatinatus Ruſſiæ, illa heroica gens, quot fortitudinis ſocij, tot ſui Regis eſſent aſſertores, & domeſticæ contentiones confuſæ manerent magnitudine geſtorum ſuæ Majeſtatis. Rediret ex campo potens amore & manu, haberet jam certum & fidum exercitum, qui illum infallibiliter amaret, nec contra merita ulla invidia quidquam agere poſſet. Prolongarentur proinde comitia ſine offenſione & invidia inter ſtatûs, quia prætextu laudabili, glorioſo ac meritorio, & ſubſequerentur pacatiſſima conſilia, quia res turbidæ maturarent, & per amicos corrigi poſſent, cætera æquanimitas Regia ipsâ morâ ſedaret & prudentia, quantumvis quiſpiam adverſarius Regius tentare vellet, diſſiparetur ut nebula, quandoquidem Rex cum potentia nationali, jam ex civibus &

A. C. 1698 bus & militia sibi addicta illi resisteret, nullus auderet tam gloriosè arma tenenti obicem facere & certè non posset, si sibi Rex devinciret exercitum, qui est devinciendus, quia hi contentionibus non laborant, audire mandata, juvare, non impedire sciunt. Frater meus, Thesaurarius Regni & Palatinus Belsensis multos ex exercitu in partes Regias pertrahere possunt, admittat tantùm in confidentiam & jubeat, informabunt illi, cum quibus sit conferendum, qui obligandi, ut maturè, antequam Rex in campum exeat, pacati fiant animi, & ut jam certus sit Rex de illorum obsequio. Hoc proinde prætextu opto, & peto, ut tam invidiosa comitia usque ad pacificandas res domesticas laudabili actu differantur, nec possum svadere, ut cum odio publico manuteneantur. Non moror ulteriùs, cras dabo rationem villicationis meæ, quia aliter per rationes statûs fieri non potuit. Cardinadis Mazzarini Hispanos in tractatibus vicit, concedendo illis omnia, quæcunque voluerunt, & post fecit cum illis, quæcunque voluit. Denegare, quæ desiderantur, non semper proficuum &c.

C.

JOANNI MALACHOWSKI

Episcopo Cracoviensi, 2. Martij.

De Clenodijs Primati missis & rupto aut translato tractatu.

Fideliter tibi scribo, quia fideliter amo, nec enim sincerus est amor, ubi dubitantis scrupulus suspicionis fæcem retinet. Non dubito informatum te esse, quomodo Mareschalcus Regni Supremus cum Thesauraio Litvaniæ, præter Oberbekium Electoris Brandeburgici tanquam mediationis Legatum Commissarij ad tractatum fuerint à Rege missi. Quomodo in aliquot privatis & publicis sessionibus pessimè Cardinalis tractatus fuerit, quòd scilicet privatas conventiones faceret, & mercaturam exerceret libertatis contra nobilitatem, sciverunt enim missa fuisse per Oberbekium certa clenodia ad speciem pretiosa, in re autem ipsa non adeo cara, ut prætenditur, ideoq; non omninò Cardinali placuerunt, ac de alijs in locum priorum, vel in augmentum cogitare Rex debuit, Vidi literas Commissariorum illorum, in quibus rubori sibi esse ajunt, quòd sint obligati ea scribere, quæ cum illis Cardinalis, sed maximè Castellana Lenecicien: agit, quemlibet adamantem, quemlibet lapidem pretiosum, ex illis missis clenodiis scrupulosè examinat, æstimat, rejicit, quæ cum Rege tam generoso, imò cum aliquo mercante Judæo fieri non deberent. Qualibet die proinde variantur propositiones.

Pater *Vota* dixit mihi, sibi Româ scribi, Dziduficcium Zydaczeviensem Capitaneum Regis Romæ Ablegatum declarasse in privata audientia Pontifici, Reginam Electricem inclinare ad Religionem nostram, & non expectaturam cum abjuratione adventum Nuntij extraordinarij, DEus hanc det felicitatem, sed nullam adhuc ad similia videmus apparentiam. Scribitur etiam Lovicio, quòd per subordinatas personas, quæ & nominantur, facta fuerit aliqua insinuatio, ut Princeps Jacobus pro assertore & defensore libertatis eligeretur, unde si hoc fieret, eò ferociùs timeri deberet civile bellum.

Natum Principi Casimiro Czartoriscio Filium Rex cum magna regni Cancellaria ad fontem tenuit Baptismatis 23tia & eadem die Lovicio

cio, cum non libertas, sed donaria sint in mente, remisit Cardinalis sa- *A. C. 1698*
phiros ingentis magnitudinis & pulcherrimos (quod unum est ei inter multas virtutes, unum hoc vitium, quod illas superat omnes) qui in vadio antequam pecuniæ secundùm conventionem promissæ redderentur, manere debebant. Placuerunt satis Cardinali, displicere enim non poterant, sed Castellanæ non arridebant, ac proinde remissi cum declaratione, quòd nisi miserit Rex adamantes, concordia dissolvetur, mirum jam non est, ut hominibus libertatem fastidientibus mulieres imperent, frustra cæteri aliquid suadent, illa repugnante. Studio proinde tranquillitatis publicæ misit Rex Elephantem adamantibus planè obrutum, & alia pretiosa clenodia, quæ plus quàm triginta millium talerorum pretium adæquant, quas rupto tractatu Lovicij 27. quanquam Cardinalis retinere voluerit, remiserunt Commissarij non sine periculo, quod ille, qui portabat vix evasit, nam illi insidiæ instructæ erant. Et hæc est libertas.

25ta Habuit audientiam Czari Moschoviæ Ablegatus, Unde evidenter patuit Monarcham illum satis zeli pro Rege nostro habere.

Notitiam de rupto tractatu magno mœrore & sensu Rex accepit, & fortè læsa patientia in furorem versa fuisset, irata enim potentia tanto placari ægriùs potest, quantò reputat honestiùs nocere cum possis, velle, cùm præcipuè non libertatis, non Reipub: negotium agi videret, sed proprium tantùm commodum, jam jura non consilio ferri famæq; malæ magis quàm bonæ esse. Referebatur enim Regi nobis præsentibus, quantum Cardinalis iratus fuerit, quod illæ primæ gemmæ non fuerint sufficientes, cum verò alias Oberbekius portasset, & in mansione Towiansciæ reposuisset, quæ summè illi placuerunt, venit ex improviso Cardinalis, & furiosè illudi sibi arguebat, sed dum in aurem ipsi dictum fuisset ab Oberbekio, esse jam alia clenodia, & Domina monstrasset digito, in mensa ea jacere, sereniori vultu videns illa dixit Cardinalis, quòd ille Elephas pulchros dentes haberet, sed cum Commissarij nihil vidissent solidi, cum Cardinalis adhuc plura desideraret, quietationem verò, quæ requirebatur, cum obligatione reddendorum illorum pretiosorum, quotiescunq; condicta summa pecuniæ numerata fuisset, dare noluerit, & verbo tantùm promittebat, quod jam toties mutatum & plus adhuc requirebat, præcipuè pro Castellana, & filio ejus unigenito. Commissarij timentes ne & clavem frangerent & seram non aperirent, ne scilicet Cardinalis acceptis clenodijs, sua prosequeretur intenta, ad Regemq; accessum differret. Clenodia arte dum Cardinalis cum Castellana consuleret, ceperunt & exportarunt.

Tractatus proinde Lovicij abruptus sub prætextu dignitatis, (dedecus arbitrantur inceptis etiam malis desistere) item sub prætextu prætensionis Majoris Poloniæ, ut ad frequentiorem numerum hic differri potuisset, & ita in Błonie translatus est, credoque, quòd cum integra Minori Polonia, & aliquot itidem integris Palatinatibus concludetur, unica enim conditio, ut Comitia differantur jam indicta sopienda restat &c.

AMI-

CI.
AMICO CONFIDENTI
7 Martij.

Articuli in Blonie conclusi. Controvertitur de tempore comitiorum.

Tandem tertiâ Martij venerunt Commissarij cum articulis in Blonie conclusis. Iam accedunt ad Regem, quorum essentia est talis.

1mo Quandoquidem jura & libertates Reipub: per Electionem in duas partes divisam, aliàs scissionem, violatæ sunt, quòd Rex Serenissimus per juridicam & liberam securitatem sive diplomate sive constitutione, quàm firmissimè corrigere, & in orbitam redigere non denegat, imò promittit, nihil pretiosius ducens, quàm libertate gentis Polonæ, gloriosum suum condecorare imperium, tunc commissarij Regij nomine suæ Majestatis securos omnes reddunt accedentes, quòd supra dictam securitatē liberæ Electionis ex præsenti casu, jam combinatam à tribus statibus Reipublicæ, sine ulla contradictione Regis conscriptam, & in volumen legū quàm efficacissimè pro libertatibus nostris inserere permittet.

Libera electio

2do Quandoquidem scissionis casus occasionem dedit inducendi exercitûs exotici in viscera Regni, partim ex consilio, partim ex necessitate aliqua resistendi venienti æmulo, ne id inposterum in exempplum trahi possit, lege id firmandum quàm efficacissimè promittunt Commissarij nomine suæ Majestatis, sub verbo Regio, quòd sua Majestas omnem curam adhibebit, ut punctum hoc in volumen legum inseratur, & defacto in re ipsa observetur.

Non inducendus miles externus

3tio Non postremum malum videndo ex occasione ejusdem scissionis, quòd pacta conventa non consentiente totâ nobilitate in scissione Partium non ab his deputatis, qui in actu Electionis ad id destinati erant, conscripta, per quod summa incommoda legis, & nonnulli articuli contra instituta majorum nostrorum pugnantia, & praxim consiliorum usitatam turbantia cum damnosis consequentijs occurrant, proinde Domini Commissarij Regio nomine assecurant, quòd hæc pacta conventa ex consensu ordinum omnium, quando necesse fuerit, mutari, & de nova radice iterum conscribi, emendari, & id quod damnosum videbitur legibus vel consvetudini publicæ, vel civium vel consiliorum præjudicio alicui, deleri Rex permittet, ita, ut omnes articuli ex consensu hujusce partis, quæ ad hæc pacta conscribenda non concurrit, nec super illa consensit, de novo scribi, & unanimi consensu in volumen legum inseri possint, quæ sua Majestas nexu juramenti approbare non denegat.

Pacta conventa

4to Prærogativæ omnes liberæ Electionis & primariè Primatialis dignitatis de nominatione Electi concorditer Regis quòd in orbitam per constitutionem Regni reducentur, nomine Regis Commissarij appromittunt.

Prærogativa electionis

5to Super damna omnia ab exercitu Saxonico varijs illata in omnibus Palatinatibus & districtibus Commissarij destinabuntur, qui judicandi, injuriatis & damnificatis justitiam & satisfactionem faciendi potestatem & mandatum habebunt, cum ea præcautione, quòd in posterum nulla similia damna fient, nec præjudicium statui nobilitari bonisque ejus, in Regijs autem & spiritualibus bonis proprijs sumptibus vivere debebunt.

Damna à Saxonico exercitu illata resarcienda

6to Exercitum exoticum, quem pro securitate sua non pro oppressione libertatis Rex, uti fide Regiâ assecurat, & quidem ex consilio Senatûs Cracoviæ habito induxit in viscera Regni hujus, certò ex Polonia educet, quando per unionem Reipublicæ securitatem personæ & Regni sui habebit, & nunquam eos amplius, nisi in defensionem Reipublicæ & id cum pleno trium

Exercitus externus educendus ex Regno

trium statuum consensu reducturus est.

Diploma electionis à Mareschalco comitiorum

7mo. Quoniam diploma Electionis non solet reddi nisi à Mareschalco comitiorum ejusdem, quòd nunc non est factum, tunc in futurum providetur, ne ullus audeat id facere, & id constitutione in futuris comitijs firmabitur, in quibus dictum diploma præteritæ Electionis Mareschalcus Majestati suæ reddet.

Limitandũ tribunal

8vo. Repræsentarunt & id accedentes, quòd pro tribunali Regni deputati obstantibus protestationibus electi contra liberam vocem vetandi fuerint, & quòd electio Mareschalci contra praxim solitam non in pleno deputatorum numero facta fuerit; proinde non præjudicando tribunalibus, & deputatis in futurum eligendis sua Majestas literis suis limitationem præsentis tribunalis intimabit, materiam autem cassationis judicatorum in subsellijs tanquam ad omnes ordines Regni pertinentem ad comitia differet.

Respectũ in vacantijs.

9no. In vacantiis futuris, quandoquidem ex munificentia Regia alteri jam parti distributæ sunt, respectum suæ Majestatis benemeritorum horum, qui nunc accedunt, Commissarij appromittunt.

Expẽsæ thesauri.

10. Expensæ ex utroq; thesauro sub tempus Rokoszij erogatæ per authoritatem Regis, quam interponet in rationibus futurorum comitiorum pro persoluto habebuntur.

Exorbitantia militũ Generalis Brandt.

11. Milites sub regimine Generalis Brandt existentes, contra mandata & expressam voluntatem Regis quòd ausi fuerint, non tantùm illos, qui Olivæ erant, ex Senatu & Equestri ordine, sed & alios venientes & Gedani existentes tumultuariè aggredi & magna damna causare, tunc, ne tanti ausus viderentur esse impuniti, promittunt Commissarij, quòd non modò tantàm exorbitantiam non proteget Rex, sed etiam citari Generalem, ad quodcunque videbitur subsellium, punirique pro delicti qualitate permittet.

Aliud tempus comitijs destinandum.

12. Quamvis pro Comitijs jam expeditio ex Cancellarijs emanaverit, quia tamen ex postfacto exoptata in tanta parte Reipub. quæ in Rokoszio hactenus erat, fit accessio; proinde pro plenìori inter status confidentia, declarant Commissarij nomine Regis, quòd aliæ literæ universales, revocando primas, & alium terminum Comitiorum, & Comitiolorum determinando, quem Rex cum consilio Senatûs destinabit.

Libertas in tractatibus

13. Quandoquidem accedentes ex Minori Polonia in præsentibus tractatibus desideria sua pro libertate promovendo non tantùm sibi, sed & alijs in Magna Polonia existentibus student, & præcipuè cavent, ut cuilibet accedenti in iisdem tractatibus, quæ ad universam Remp. spectant, locus sit liber, qui competens relinquitur, ut quivis nunc vel in posterum pro libertate & juribus Reipub. vellet aliquid addere in his omnibus ad æquanimitatem, apertumque ad omnem facilitatem pectus Regium cuilibet Commissarij Regij declarant.

14. Quam omnimodam securitatem quàm efficacissimè sicuti in articulis est descripta, Commissarij supra nominati, tanquam Regis plenipotentiâ confirmant quæ est talis:

AUGUSTUS II. DEI GRATIA REX POLONIÆ.

NOtum testatumq; facimus universis & singulis præsentes visuris, quomodo nos cupientes in Regno hoc pacata & tranquilla omnia reddere, aliisq; partium differentijs finem impo-

A. C. 1698 nere, jam olim cœptum cum Illustrissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Archi-Episcopo Gnesnensi Primate Regni, nec non Illustribus, Magnificis, Generosis Senatorij & Equestris ordinis nobis contradicentibus circa mediationem Serenissimi Principis Domini Electoris Brandeburgici, Fratris nostri charissimi necdum tamen ad exitum deductum negotium rursus reassumere, uberrimâq; quantum in nobis est gratiæ ac benevolentiæ nostræ testificatione in planum deducere Illustrissimis & Magnificis Stanislao Lubomirski Mareschalco Regni, Benedicto Sapieha M. D. Lit. Thesaurario, Supremis Commissariis idem committendum esse duximus, uti quidem præsentibus committimus, dantes iisdem plenariam potestatem, & omnimodam facultatem nomine nostro tractandi & concludendi, quidquid ad unionem animorum & compositionem status præsentis Reipub: ex commodo publico congruum & necessarium pro sua prudentia & amore in Patriam judicaverint, cunctaq; verò per eos in eum finem gesta, pro rato & grato habituros esse. In cujus rei fidem manu nostrâ subscriptas sigillo communiri jussimus. Dat: Varsaviæ 15. Febr. 1698

Muniti, in omnibus immobiliter & integrè Regem Serenissimum manutenturum Commissarij Regi assecurant, illudque ipsum Baro Oberbeck Serenissimi Electoris Brandeburgici Magnus Legatus, & præsentis transactionis Mediator Plenipotentiarius inviolabili verbo nomine Principalis sui, omni majori securitate cavet & spondet.

NOS etiam vice versâ Senatores & Equester ordo Provinciæ Minoris Poloniæ, sicuti & aliorum Palatinatuum, qui accedunt, & nomina sua in hoc tractatu adscribunt, universalibus literis Cardinalis Primatis pro actu præsenti, & in termino 18. Febr. Lovicium convocati, acceptâ in desideriis nostris sufficienti & perspectâ circa Reipub. & libertatum nostrarum per Commissarios Regios securitate, Rokoszium, in quo hactenus permansimus, cassamus, annihilamus, & ad Majestatem suam Serenissimi Augusti II, jam in præsenti actu pro Rege nostro agniti liberè accedimus, & illatam, secundùm leges, obedientiam uti Domino nostro per nos electo, declaramus & assecuramus.

Accessio Rokoszianorū 4tâ Martij Publicum ingressum fecit illa Pars ad Regem accedens præeunte Nicolao Swięcicki Episcopo Kijoviensi, qui more solito non sine motu vacantis post mortem Stanislai Witwicki Episcopatûs Posnaniensis extorsit nominationem, qui nomine Senatûs ad Regem peroravit, & nomine Equestris ordinis Łaszczius Capitaneus Graboviecensis respondente Magno Regni Cancellario. Satis magna & pulchra fuit nobilitatis frequentia, ducentibus eandem Sieniavio Palatino Belsensi, & Lubomirio Thesaurario Regni. *Senatus Consilium.* Die sequenti fuit Senatûs consilium, in quo deliberabatur super articulos tractatûs hujus, circa alios, parva vel nulla fuit difficultas, omnia enim videntur proposita in rem Reipublicæ. Solus articulus circa differenda comitia difficultatem, & quidem summam causavit, in qua materia quis sensus meus fuerit, nuntiare tibi placet. Dixi proinde in ea verba.

Semper mihi visa sunt comitia esse necessaria, sed non nisi stabilitâ concor-

concordiâ fine hac effectus eorum vel nullus, vel periculosus, quia avertat DEus rupturam, & inanem ejus dissolutionem, non esset inprimis gloriosum Regi prima comitia videre rupta; periculosum esset Reipub, quia post rupta Comitia, & præcipuè ea, quibus nomen pacificationis in recessu coronationis datum, quid sequitur nisi turbidum? & pro pacificando eo, aliud non suppetit medium, nisi Comitia in campo, quæ si quis optat, hic tranquillitatem in Patria non optat, quia jam per experientiam scimus, sit ne hic modus utilis ad pacificandum & ad aliquid boni peragendum? non suadebam Comitia, & ex aliis multis rationibus, quæ protunc occurrebant. Scripsi in eadem materia ad Palatinum Mariæburgensem, adhuc Cracoviæ existentem eo momento, quo me determinaveram sequi voluntatem DEi, hunc recognoscere Regem, quem illa monstravit. Obviavi Regi cum eadem præventione, suasi idem in consilio Ante-Comitiali, sed quando vidi conclusas, & jam res determinatas, quando inter alias rationes dictum est mihi, in his comitiis consistere firmitatem Majestatis Regiæ, & ex alia parte multæ sinistræ relationes confidentiam Regiam à nobis avellebant, debui evitando ulteriores, injustas suspiciones, cedere non tam rationibus, quàm necessitati & conclusum consilium in fundamento recessûs in coronatione, in qua Rex Comitia brevi convocanda promisit, ratum habere. Faciebat quidem bonam spem desiderati exitûs Cardinalis & aliorum declarationes, quòd concordia & quidem perfecta celeriscꝫ succedere omnino deberet. Reflectendo igitur super imminenti bellica expeditione non tantùm in Aprili, sed & Martio, si fuisset practicabile in illis suppositionibus illa exoptassem. Datâ proinde ratione consilii mei, nemo respondere pro effectu tenetur, nunc ad id, quod est in quæstione. A.C. 1698

Grave est consilium dare, cujus effectus dubius. Dabitur consilium bonum, quod secundùm DEum & bonum publicum videtur, si non sequatur bonus effectus, tunc in authorem culpa. Multa mutantur circumstantiâ temporis, & tamen non venit in considerationem illud tempus, quo consiliũ datur, & quod fuit pro tempore bonũ, sed illud tantùm quo effectuatur, quamvis bene Italicũ sonet proverbiũ, *altri tempi altre cure*.

Grave est consilium dare, quando sive in illam, sive in aliam partem ceciderit semper evidens periculum. Si vellem comitia, tunc hi, qui accedunt, disgustabuntur, quia hâc conditione accessisse videntur, ne illa fiant; si nollem comitia, quis sponsor, quòd similiter, vel adhuc magis in omnibus Palatinatibus id ipsum displicebit, quando illudi sibi credent, quando similes cassationes, ut fiunt in Anglia parlamentorum in futurum subverebuntur. Nec convincit, quòd sint nunc convincentes rationes, quia postea eædem rationes cessabunt. Fateor ego, quòd sint magnæ, sed si quis voluerit, invenientur & pro illo tempore contrariæ, quòd non est difficile, & non est tam mala causa, quæ patrocinium non inveniat. Nihil gravius, quàm primum exemplum, dum autenticatur, si ante non habuissemus scissiones in Polonia non subsecuta fuissent talia inconvenientia, quorum non tantùm spectatores, sed actores fuimus.

Grave est consilium dare, quando illud post res affertur, quomodo volumus consulere, ut differantur comitia, & hodie jã comitiola peraguntur, nonne certa subsequetur laniena; quia hi, qui jam electi sustinere se in officio sibi commisso conabuntur, hi, qui sibi optant, ut nuntij declarẽtur & in comitiolis præteritis esse non potuerant, honorem suum tuebuntur, & certa ut dixi laniena, nam unus alterum ejicere infallibiliter vellet. Velle tamen comitia non est integrum, quia Commissarij & pleni-

A.C.1698 nipotentiarij punctum hoc concesserunt, concluserunt, subscripserunt, ac proinde inviolabile esse deberet.

Quid ergo agendum in rebus tam difficilibus; nempe per rationem naturalem eò inclinandum, ubi minus difficultatis est; in rebus illis in quibus rationes etiamsi convincant, cogere tamen nequeunt, ad alia media eundum; quando persvaderi non potest, ad preces recurrendum. Hos, qui jam se pro comitiis parant, difficile est rogare, difficile est ab illis exoptatas habere declarationes, difficile sperare, ne hoc illis displiceat, quia sunt absentes. Hi autem qui contradicunt comitiis, sunt hîc præsentes, ac proinde minus est difficultatis, in evincendo à præsentibus, quàm absentibus. Si verò illi tantùm tribuerunt tranquillitati publicæ, tantùm præstiterunt propter authoritatem Regis, cur non debet esse bonum ex integra causa; cur & in eó cedere non deberent precibus Majestatis, quandoquidem in his & libertas continetur. Commodum & interesse in eo vertitur Mtis, ut per internam tranquillitatem & perfectam firmari comitia possint. Est magnum & interesse publicum, si non adhuc majus, dum profundiùs considerabuntur jura libertatis. Habemus jam coronatum Regem, quem ipse Deus, ut res est evidens, in throno posuit, ille idem penes talenta coronâ digna, penes vires & divitiarum sufficientiam sese manutenebit. Sed libertas tamdiu gemet, tamdiu in periculo erit, quamdiu per comitia liberam electionem non stabiliemus in futurum, quamdiu non obviabimus, ne scissiones fiant, quæ quàm propinquæ nos exposuerint ruinæ, probatione non eget. Voveo Regi Serenissimo quàm diutissimam vitam, sed avertat DEus (mortales sumus, nec thronus, nec suprema dignitas amovere ab eo potest, quod naturæ debemus) DEus avertat inquam aliquid sinistri, nónne libera Electio nostra periret? quia usque dum lex hæc Cardinalis non firmabitur, non corrigeret, si eo puniret nos DEus, quid fieret, quivis prudens concludet. Æquè proinde Mtis ac libertatis interesset. Si comitia non essent, iret Rex in campum, quia illum detinere difficile, & non licet. Sumúsne securi, quòd cùm erit extra, turbo aliquis vehemens nos non collidet ad intra. Si saltem hoc Rokoszium non per partes, sed in integro dissolvi potuisset, adhuc esset tolerabile, quia speraremus aliqualem tranquillitatem, sed cum videamus, contra verbum datũ non tantùm res non esse pacificatas, sed magis eas misceri, nescio, quomodo hic saltus sit optandus, ut transilire velimus comitia, & pacificationem ad intra, & transire ad operationes ab extra.

Volumus ut tribunal cesset, estne hoc potestatis Regiæ? ergo & propter hanc causam comitia necessaria, ut Respub. sui domina decidat, secundùm id quod volet. Declaravit Rex Serenissimus non iturum se in campum, si comitia non habebuntur, consequenter nec exercitum suum educet, quia prius debet securitatem suî providere ad intra quàm ad extra operationes belli incipere. Quis est tam crudelis & contra Regem, ut tamdiu maneat sine firmo in throno stabilimento; & contra pauperem populum, ut tamdiu patiatur.

In Litvania tanti motus, & jam revelatum arcanum, quòd pacificari non possint, nisi in comitiis, si hæc differentur, & quod majus per cooperationem Thesaurarij Litvaniæ, uti Cõmissarii, quantæ suspiciones, quanti motus erunt, facile conjicere quisque potest: si non cessabunt motus, tunc præter continuam ad invicem & reciprocam ruinam quomodo Dux Exercitus Litvanici in campum procedet? ad frequentissima petita Litvanicorum Palatinatuum, ut comitia in campis indicerentur, semper à Rege responsum, quòd comitia ordinaria esse debeant in fundamento non violandæ legis, cùm hæc evanescerent, redibunt illi ad primã propositionẽ, & hi mo-

hi metus magno sangvine (sim falsus vates) constabunt. Rex indicere comitia nec solet, nec debet per se, absque consilio, consilium verò convocari non potest, quia indictis semel comitijs consilia cessant, ut dicitur: taceat Parochus præsente Episcopo. Voluntatem habebat quivis Senator dandi consilium, pro vel contra, modo dum est conclusum, necessitatem manutenendi. *A.C.1698*

Concludo proinde, quòd mihi non videatur contraire tractatui concluso in virtute plenipotentiæ Commissariis à Rege datæ, quia agitur, ne verbum datum videatur mutari, sed optarem, ut omnia adhibeantur media, ut quàm maximè eos ipsos petamus, ut liberè ab hac prætensione recedant, ut hunc articulum ex tractatu eximant, ut non tantùm superficialiter, sed & ex corde in omni veritate, si non rationibus convicti, saltem authoritate Regis, ferventissimis precibus nostris devicti ab hoc puncto recedere velint.

Post hunc sensum meum etiam paulò fusiùs expressum, aliorumque idem sentientium vota non tam libenter, quàm reverenter pars illa accedens, cùm retrocedendi nullum esset medium, cessit à prætensione sua. Rex etiam hodie Varsaviâ abiit in Prussiam, quem & ego sequi debeo.

Accepi interim literas Nuntiorum Majoris Poloniæ, ad alios Palatinatus 5tâ Martij scriptas, & manifestationem eorundem, contra mandatum datum Gruszczynio, quas adnecto.

COPIA LITERARUM MAJORIS POLONIÆ.

Adhuc Superi in suspenso habent, quidquid desideria publica beare debet, adhuc fata indecisum tenent, quo felicitatem publicam impellere volunt, nondum consilium Lovicienſe peregit crisim de constanti tuitione hujus Reip. & clarè videmus, quòd medijs nostra navis in undis naviget, & longè quem petimus, portus abest. Quanquam in Lovicienſi consilio affulgebat nobis dulce pacis nomen, nec scimus, veróne vultu? sed non licuit tam præcocem fructum qui ex sancitis legibus emanare solet, & debet, avidâ decerpere manu. Nec scimus adhuc, cur universalitas concludendi de universis, ad paucos redacta fuit? Cum verò hoc, quod ad omnes pertinebat, concordi Loviciensis Consilij sensu omnibus redditũ, si Palatinatꝰ Vestri legitimâ agnitâ cooperatione approbare volent, quandoquidẽ in unione animorum semper volumus esse omnis vestri mandati sequaces. Non procul sunt Palatinatus nostri ab eo, ut media acceptentur pacis, modò ex turbido tranquilla & serena lux redeat. Non licet nihilominus mala malis sanare, non licet ad pacem per calcatas accedere leges, & convenit, ut prius satisfiat legi & postea publicæ quieti. Metuebamus nos, ne esset gravior medicina morbo, ac proinde satiùs duximus à promissa pace continere manus, dando locum sanandis legibus, quando tardiora sunt remedia, quàm mala, & scimus bene, quòd pax & quies bonis artibus indigeant. Absit, ut quispiam abhorreat à pace, modò sit honestum pacis nomen. Rogamus vos pro-

A.C.1698 proinde ut velitis simul nobiscum concurrere, ut bene sit Patriæ, & rogamus eam confidentiam, ut ulteriores intentiones vestras candido nobis velitis aperire sensu. Et nos pariter in occurrentibus & occursuris consilia nostra & sensus in tuitionem & conservationem publici sensûs coadunare non negligemus. Optamus ut Dominus DEus pias nostras secundet intentiones, mutuos omnium uniat sensus, nos certè quidquid possibilitas suadebit, & obligatio coget, prompto quamvis impari exequemur officio. Quanquam non constet nobis, quâ methodo pax publica fieri possit, quæ si omnium votis exoptanda, ergo omni ore invocanda, quia in regno libero ad communem assensum, veteri sæculo confirmabant Reges jura, leges, nunc verò malevolentia humana imponit modum, & non hoc loqui permittit, quod sensus rectus cuiq; suggerit, sed ut placentino sermone demulceantur aures, & non id, quod ratio ministrat, sed quod placeat, proferre licet in publicum; delicti arguuntur, si qui majorum non blandiuntur erroribus. Perstringit proinde Palatinatus nostros extraditum Grufzczynio mandatū de libera voce, quòd in campo Electorali libero sermone ursisset, ut in arenā prodiret author Confœderationis militaris, redditurus rationem viperini partûs contra Patriam. Neminem indigitabat, neminem nominabat, & quamvis generalis sermo ad nullius contumeliam pertinet, tamen malevolo sensu omne id sumptum, quando & libera vox primo, ideoq; stupendo exemplo ab acri calamo scriptum petitur mandatum. Prævideant igitur Palatinatus nostri sequelam satis periculosam, ac proinde non sine sensu doloris hanc infelicitatem vobis communicamus, rogando ut simul nobiscum oppresso assistere velitis conservando in pristino libertatis statu opprimendos &c.

COPIA MANIFESTI EORUNDEM.

NOS Consiliarij &c. In tuitionem legum & immunitatum nostrarum nuperrimè in congressu nostro, dolendo vocis liberæ audito funere (Deus avertat) per oppressam liberam nobilis vocem, & per extraditum Adamo Grufzczynio mandatum. Considerato eo, quòd à condita libertate hócce inconveniens nullo modo nec tempore practicatum est. In veteri Roma facta tantùm puniebantur, dicta impunè erant, nunc verò malitiosè mero equestris ordinis contemptu & aggravatione, quando tanquam ab æqualitate segregatus unus ex nobis pro libero sensu, impetitur, & convenitur. Primum proinde in persona Grufzczynij DEO & universâ Repub. teste quòd non tam partialitate erga concivem nostrum, quamvis sit os de ossibus nostris ducti, quàm salvando liberam vocem, unicam nostræ libertatis pupillam, concordi animo convenimus ad omnimodam tuitionem dicti Grufzczynij calumniosissimè oppressi, & id ipsum juramento firmavimus. Et cum ex mandato eodem pateat, quòd aliqua contra liberam vocem nominati concivis nostri facta fuerit protestatio, cujus copiam hactenus non habemus, nihilominus tamen solennissimè contra eam reprotestamur, & eliminationem ex castro hujus protestationis & elatioris di-

Cti

cti mandati urgebimus, ne sit unquam documentum, & vestigium tam scandalosi in perditionem liberæ vocis impetûs contra quam praxis locorum consilii hujus Reip: obtinuit, ut responderetur, sed mandata extrahere, præcipuè in scissa Rep. præcipuè sub tempus comitiorum Electionis, ubi cuivis nobili nominare, exorbitantiasq; quasvis corrigendas urgere liberè licet, & cùm id in judicium venit, eversionem statûs sapere videtur. Cùm eodem mandato & circumscriptus nobilis injuriosè, & ad pœnas criminales vocatus. Licuit ne os liberi nobilis calumniatori forensi æquare? qui solus effrœnatæ lingvæ est & procacis. Acceptâ proinde tam enormi læsione honoris statûs nobilitaris, quæ corda civium penetrare debet, & cujusvis, si verus est erga caram libertatem excitare zelum, hæc mala, hæc pericula deberent, cùm similis oppressio & circumscriptio successivè hoc præjudicato, si aliquot decretum prodiret, totum Equestrem ordinem afficit. Ac proinde manifestamur &c. A.C. 1698

CII.
EIDEM AMICO CONFIDENTI 15. Aprilis Varsaviâ.
De actis Thorunii, Mariaburgi, & Gedani, &c.

INveni Regem Thorunii, ubi à Collegio Societatis JESU salutatus Rex, & ego nemine protunc ex Ministris existente respondere debui, idq; in eum sensum. Hujus nominis cui omne genu flectitur, per quod Reges regnant, cui Sua Mtas suum sceptrum refert in acceptis, hujus nominis, inquam, socios quidni benignè excipiat S. R. Mtas, vota quæ pro incolumitate ejus diuturna, prosperitate omnigena nuncupatis, desiderisq; omnium bonorum jungitis, quidni non tantùm auribus audiat, quas ut magnum decet Principem, omnibus semper apertas tendit, sed & cordi literas literarumq; Magistros habeat. Non dubitetis eruditi Patres de protectione, sub Augusto I. in Poloniam venistis, sub Seren: Augusto II. certè florebitis. Ad osculum manûs accedite, quod vobis hujus rei quæ nomine Majestatis Suæ ex mandato dico testimonium evidens, & arrha infallibilis erit. *Rex Thorunij salutatur.*

13tia Venit Rex Mariæburgum, comparuit quoq; magnus Regni Cancellarius, & alii Senatores. *14ta* vocavit me Rex (illa opportuna gubernandi est ratio, quæ magis attendit, quantum prosit, quàm quantum possit) & cum infinita bonitate quæsivit, quamdiu adhuc silebo, nec ab illo petam eam, quam à longo tempore in corde suo destinavit ad Varmiensē Episcopatum nominationem, & statim jam paratas Varmiensem scilicet pro me, Plocensem pro Ludovico Episcopo Alexiensi Suffraganeo Præmisliensi fratre meo subscriptas præsentationes mihi dedit, ex qua occasione multa dixit, quæ contra me à Regina Vidua, à Cardinali Primate fiebant, impediendo omnino ne dictum Episcopatum haberem; ego gratiis ut decebat præcipuè pro tam generoso obligandi me modo actis hoc in excusationem attuli, quod mihi in mentem venerat, quòd scilicet accusatio mea similis sit illi: Dominus Abbas S. Dionysii accusatur ab hominibus, sed à bonis omnibus, qui in Ecclesia & circuitu ejus sunt, excusatur. Cognoscet Rex melius in tractu temporis, fidelitatem meam & domus meæ. Nunquā deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit observantia virtutis & honestatis. Nullum verò probitatis testimonium meliùs quàm odio haberi ab iis qui probitatem oderunt. Felicitas verò nostra, quòd is sit nobis Rex, qui prius examinat, utrum delatio sit vera, antequam credat, nam quemadmodum in vulnere prius apparet sangvis quàm plaga, & quemadmodum prius *Rex Mariæburgi. Confert Episcopatus Varmiensē & Plocensē*

AC. 1698 ùs emicat fulmen quàm tonitru audiatur, ita apud indiscretos Principes erumpit priùs condemnatio quàm probatio, & perit delatus, priusquam coarguatur. Ita eâ viâ aggrediuntur me inimici mei, qua nequaquam me possunt superare.

Ex carcere liberat Ballum.

Manebat Mariæburgi in aresto Ballus notus tibi ex Patre Gallo in Polonia qui Marchioni de Bethune additus fuit pro Secretario, & pòst in eodem quasi officio ultimo legato Abbati Polignac assistebat. Hic ergo in ultima expeditione ad Olivam, cùm omnis supellex dicti legati direpta fuisset, multiq; domestici ejus capti, ille quoq; Ballus Mariæburgi in carcere satis stricto detinebatur. Quem statim ad instantiam meam Rex è carcere in hospitium duci jussit, eiq; totam libertatem pòst donavit. Et cum illo conferre me jussit, quatenus redux Parisios, quòd ipsi indultum & permissum est, Suæ Mtis in Regem Christianissimum affectûs propensionē declararet, viamq; ulteriori mutuæ aperiret correspondentiæ, quod & promisit. Fieri enim potest, ut qui hodie sunt zizania, cras sint frumentum.

Prætensio Gedanensium explosa

Nomen Senatus non datur Gedanensibus.

17. Venit Rex in Suburbium Gedanum, ibiq; in horto Grudkii civis Gedanensis pernoctavit, in crastinoq; ingressum solennem in civitatem fecit, prætendebant Gedanenses, ut equites eorum, quos in occursum, Regis miserant, non currus Senatorios, sed immediatè currum Regium præcederent, sed statim explosa est tanquam insana prætensio, ut tamen aliquomodo illis satisfieret, dum Rex in domo Gratiana jam substitisset, vidit eos transeuntes, personamq; suam Regiam in fenestra illis præsentare dignatus est; occurrit Magistratus ante portam, cumque in oratione sua senatum Gedanensem nominasset Orator, statim correctus est à magno Regni Cancellario his formalibus: Non dicite Senatus, sed Magistratus, Tráctatus pòst solennissimè Rex fuit, sed tamen non Magistratus ut moris ante fuisse dictum est, ad mensam servivit. Instructa fuit alia mensa pro Senatoribus, sed satis frugalis ita, ut etiam proprium vinum Regium biberimus.

Ex Polonia delatum, multa comitiola rupta esse, & vix aliqua bene finita. Rex in Ecclesia Carmelitarum pro solennitate S. Josephi fuit & ad ædificationem devotus erat. *21ma* autem visitavimus Abbatiam Olivensem, ubi Generalis Styrum tum factis vir magnificus, tum factorum ostentator, haud minor ab Imperatore venerat cum declaratione, quòd Imperator & Regi & Reipubl: assistere omnino velit.

Modus præsentandi Episcopum in Varmia

Evici tandem, quamvis non multis agendum erat, ab Episcopo Principe Javariensi resignationem Canonicatûs Varmiensis, qui illi ab aliquot mensibus à Capitulo delatus erat, in spem nominationis ejus ad Episcopatum & protectionis contra militem Saxonicum; Ex consilio Joannis Georgij Kunigk Cantoris Varmiensis antiqui mei adhuc Romæ amici, hominis verè digni, resignationem hanc in mense Capitulari procuravi, qui proximus est, quia diutiùs Româ, si in Martio resignatus fuisset, expectanda foret, & tardiùs veniret. Non dubito verò de affectu illius Capituli, in quo non desunt mihi quoque amici, eligendum me in Canonicum fore. Hoc enim Privilegio (cujus tibi copiam mitto) istud Capitulum gaudet, ut neminem nisi ex Canonicis in Episcopum eligant, ita per multas tribulationes oportet nos intrare in Varmiam. Restat adhuc si non integra in hoc Capitulo eligendi Episcopi libertas, saltem major, quàm in aliis umbra. Non solent quidem, & jam non debent eligere nisi eum, quem Rex præsentaverit, nihilominus tamen ex more & consuetudine, Privilegioq; ille, qui nominatus est, procurare solet de Canonicatu sibi provideri, quem aliquis ex amicis, si aliàs non vacaret, in favorem

vorem ejus resignat. Et tunc quatuor Canonicos, inter quos nominatus est, Regi præsentent. *A.C.* 1698

Interim quia festa Paschalia imminebant, & ego, ut scis, ad sponsam meam, quoties occurrunt solenniora festa, properare libenter soleo, petij à Rege licentiam abeundi in Diœcesim meam, & 26ta die Mercurij Majoris septimanæ Pultoviæ comparui, ubi omnia illa officia peregi, ad quæ obligabar, post quæ fui Varsaviæ ad videndum extraordinarium Nuntium Paulucium in Poloniam missum pro reducendo Cardinale Primate in gratiam Regis, & accommodanda reliquâ illa nobilitate, quæ adhuc aliquam speciem Rokoszij manutenebat; longam cum eo Nuntio habui conferentiam, speroq; de bonitate & activitate ejus, quòd omnia aspera in vias planas reducet. Statim etiam abijt ad visitandum Lovicij Cardinalem, & ad persuadendum ei, ut primum omnium cogitet, potestatem suam ad singulorum auxilium, non ruinam universorum comparatam esse. Ab eodem Nuntio habui notitiam, quod 4 Martij publicè *Te DEum laudamus*, pro felici Augusti II. Electione Romæ cantatum fuit. Scribitur mihi Gedano, Gomolinscium à Rege in Litvaniam missum, ubi magni motus timentur, Regemq; die Iovis magno apud PP. Dominicanos in devotione fuisse, ibiq; imitando Regem Regum cum magna ædificatione populi, 12 pauperibus pedes lavisse, illosq; cum humilitate extraordinaria osculatum & prandio excepisse, ad mensam serviviſſe & ministrasse, cuilibet præter integrum vestitum decē aureos pro eleemosyna dedisse. *Rex Gedani pauperibus lavat pedes.*

Scriptum & id, cui non ab omnibus fides habetur, magnificum ex auro Regale Gedanenses Regi dedisse, & plus fortè daturos fuisse, si Rex ab ipsis quod unicè optare videbantur, juramentum fidelitatis in persona sua recepisset. Manistas quoq; obtulisse cunas argenteas, in quibus infans in puro auro positus erat.

Episcop⁹ Princeps Iaurinensis rectà Gedano in Saxoniam viā parat, ut credunt aliqui, Reginam ducturus in Poloniam, ubi jam in confinijs Pater Serenissimæ Reginæ, Princeps de Barid invenitur.

Die Paschatis confessus Patri *Vota* in Schodlandt apud Patres Societatis IEsu, publicè cōmunicavit, ibique prandiū sumpsit increpans domesticos suos, quòd nihil sacri pro more Poloniæ mensæ suæ apposuissent.

Ex Litvania delatum, cōmissionem indictam Grodnæ evanuisse ex ratione, quòd confœderata militia Litvanica recuset adhuc Imperia Ducum, nec iis obsequi velit, credunt aliqui sub tempus comitiorum Varsaviam hanc commissionem transferendam. *Commissio in Litvania*

Cum Rex post visos ignes artificiales, qui digni dicuntur fuisse suâ Mte, circumibat fortalitium Gedanense, in magno periculo fuit, dum volens in equo certam transilire fossam cecidit, & nisi arbor fortè fortuna ibi inventa fuisset quam Rex in periculo existens utraq; manu arripuit, ibiq; detentus fuit, amplius regnantem, nec quidem viventem vidissem⁹. *Casus Regis*

4ta Aprilis tractatus fuit in Minda à Præsidente cum Magistratu solennissimè.

Determinatum cum Electore Brandeburgico fuit colloquiū, in Prussia ejusdem cum specificatione etiam temporis, quod multis displicuit, timentibus ne id quoque imminentibus comitiis displiceret.

Ex Litvania venerūt quoq; nova à Palatino Vilnensi in quibus significatur quòd Oginscius ipso die Iovis sancto, sub Vieluna comparuerit, & aliquod parvum certamen, cum Godebscio partium Sapiehanarum ductore habuerit. In crastino verò super fluvium dictum Niewieza ex alia parte constiterit. Transiverunt tamen Sapiehani, quamvis non sine difficultate *Certamen Sapiehas inter & Oginscianos.*

A.C. 1698 tate illud flumen, miserunt primo exhortaturos totam militiam, & quemlibet separatim, ut ad Duces redirent, sed nullus est permissus cum illis loqui. Dum verò Oginscius spolia omnia ex civitate Caunensi suis promisisset Asseclis, ut eò alacriores ad pugnam haberet, inprimis Zaranek cum aliquot cohortibus versus Caunam inclinaverat, sed Sapiehani impediverunt. Interim ad Oginscium miserant, ut cùm omnibus neglecto jam Principe Contio unum Regem agnoscerent, ipsi quoq; ad unionem redirent; sed Oginscius reposuit, veniant ergo sub regimen meum, quia nemo est me senior, nemo tantorum in Patria meritorum. Dum ergo nulla concordiæ spes erat, instabat prælium, sed Oginscius majorem fortè ex adverso videns potentiam, illud evitavit & omnes projectis vexillis fugisse dicuntur, magna spolia habuerunt Sapiehani & aliorum ex nobilitate, qui illi assistebant in prædam cesserunt, unde magnus tumultus in Oginscium inclamantium quòd illos perdiderit.

14ta. Aprilis redijt Rex Varsaviam, ubi quæstio erat, quis prius audientiam habere deberet ex nuntijs, ordinariúsne an extraordinarius? & conclusum horâ quintâ vespertinâ ordinario, horâ octavâ extraordinario dari debere, quod & factum.

Imminet crastinâ die tempus comitiorum, quorum relationem mittere tibi suo tempore non intermittam &c.

PRIVILEGIŨ CAPITULI VARM:
SUPER ELECTIONE EPISCOPORUM VARMIENSIUM.

IN Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos SIGISMUNDUS DEI Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, nec non Terrarum Cracoviæ, Sendomiriæ, Siradiæ, Cujaviæ, Russiæ, Prussiæ, ac Culmensis, Elbingensis, Pomeraniæq; &c. Dominus & Hæres. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis & singulis, præsentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quòd, cùm defuncto bonæ memoriæ olim Reverendo in Christo Patre D. Luca Episc: Varmiensi ejusdem Ecclesiæ Prælati, & Canonici ad electionem novi Episcopi & Pastoris processissent, fuissetq; orta aliqualis controversia super eadem electione, quæ videbatur nobis facta non observato tenore cujusdam Articuli, inter olim serenissimũ Principem D. Casimirum Regem Poloniæ Genitorem nostrum charissimum & Reverend. Patrem D. Nicolaum Episcopum Varmiensem, & ejus Capitulum per quandam inscriptionem facti, in quo cavetur, quòd ijdem prælati & Canonici Ecclesiæ Varmiensis defuncto eorum Episcopo, personam gratam Regibus Poloniæ eligere teneantur. Cumq; ejusdem Articuli de eligenda grata Regibus Persona, interpretatio in dubium hinc inde traheretur: Nos prospicere cupientes, ne qua posthac controversiæ occasio inter nos, vel successores nostros Reges, & Dominum Episcopum, ac ejus Capitulum dictæ Ecclesiæ Varmiensis super electione Episcoporum, & gratitudine personæ eligendæ exoriri possit. Ad tollendam omnem ejusdem Articuli inposterum ambiguitatem maturâ deliberatione & consultatione cum Consiliarijs nostris Spiritualibus & Sæcularibus habita: cum Reverendo Patre D. Fabiano Epi

no Episcopo Varmiensi moderno, ac ejus Ecclesiæ Capitulo, in hunc, qui sequitur, modum devenimus; Quod, cùm contigerit vacare Ecclesiam Varmiensem, Prælati & Canonici ejusdem Ecclesiæ tempestivè, & ante Electionem novi Episcopi mittere tenebuntur de gremio suo Nuntios ad nos & Successores nostros legitimos Reges Poloniæ, si fuerimus, aut iidem Successores nostri fuerint in Polonia, non tamen in terris Russiæ, aut M. D. L. usq; Vilnā & non ulteriùs, & significare per eosdem Nuntios suos obitum sui Episcopi, & diem Electioni novi Pastoris præfinitum. Et præterea dicere tenebuntur nomina omnium Prælatorum, & Canonicorum Ecclesiæ suæ præsentium & absentium ab Ecclesia, ac declarare pro eorum judicio vitam, mores, dignitatem, genus & omnem conditionem statûs uniuscujusq;. Quòd si forsan pro eo tempore nos, aut nostri Successores non essem9, seu non essent in Polonia, sed in terris Russiæ, aut ultra essemus, seu Successores nostri essent in M. D. L. ultra Vilnam, tunc iidem Prælati & Canonici, ne fortè Electio nimis tardetur, & Ecclesia præfata alicui periculo aut incommodo subjiciatur: Obligati erunt per suos Nuntios omnia superiùs descripta Reverend: D. Archi-Episcopo Gnesnensi pro tempore existenti, aut ejus Paternitate extra suam Provinciam existente, Vladislaviensi aut Plocensi Episcopo significare; Qui quidem D. Archi-Episcopus, sive alter ex supradictis Episcopis, illo absente sinè omni mora per suum tabellarium, sive Nuntium, de illis omnibus, quæ sic significabuntur, nos & Successores nostros curabit reddere certiores. Ex quibus quidem Prælatis, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ nos quatuor pro arbitrio nostro nominabimus, non alios tamen, quàm qui sunt veri terrarum Prussiæ indigenæ, ac per specialem Nuntium nostrum, seu literas clausas significabimus ipsi Capitulo, quos judicaverimus ad illius culmen dignitatis, & locum in Consilio nostro magis idoneos, & nobis gratos. Ipsi verò prælati & Canonici prædicti unum ex illis quatuor, quem voluerint, aut judicaverint meliorem, & utiliorem, deligere in Episcopum tenebuntur, & erunt adstricti. Et, quia ex longa mora Electionis aliqua difficultas vel impedimentum evenire poterit; Itaq; post acceptum de morte Episcopi à Capitulo Nuntium, supradictos quatuor octo dierum ad summum spatio nominare debemus. Et hoc ampliùs adjiciendum ipso Dno FABIANO Episcopo & ejus Ecclesiæ Varmiensis Capitulo assentientibus, voluimus. Quòd, si quando nos, vel Successores nostri filium sive fratrem germanum intra quatuor supradictos nominare vellemus, qui priùs esset de gremio Capituli Ecclesiæ prædictæ, id in nostro, & Successorum nostrorum Regum Poloniæ arbitrio, & potestate erit, ac si ijdem filius vel frater terrarum Prussiæ indigena esset. Cùm autem dicti Prælati, & Canonici, sicut præfertur, unum ex iisdem quatuor nominatis elegerint, intimare debebunt nobis, & Successorius nostris novum electum, & cum eo supplicare, ut illum nostris literis Sedi Apostolicæ & SS. Domino commendemus, ut Electionem de eo fa- A.C. 1698

A.C. 1698 ctam cum gratia confirmare dignetur. Quâ quidem confirmatione, & provisione secutâ idem Electus, juxta tenorem & inscriptionem cum superiùs nominato olim D. Nicolao Episcopo Varmiensi, & ejus Capitulo factam, præstabit juramentū nobis, & Successoribus nostris, prout in eadem inscriptione latiùs continetur. Reliqua verò, quæ in eisdem Articulis cum supradicto D. Nicolao Episc: Varmiensi habitis continentur, salva & integra permanere debent in perpetuum, & inviolabiliter observanda. Ea verò, quæ his literis continentur, ipse D. Fabianus Episc: Varm: prædictus, cum Capitulo Ecclesiæ, firmiter, illæsè & inconcussè tenere, exequi, & inviolabiliter perpetuò observare debebit, & ejus Successores debebunt. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes literas scribi fecimus, & sigillo nostro communiri. Actum in Conventione Generali Piotrkoviensi. Die Martis 7mâ Mensis Decembris, aliàs in vigilia Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ. Anno Domini Millesimo, quingentesimo, duodecimo, Regni verò nostri sexto.

Præsentibus Reverendissimo, & Reverendis in Christo Patribus Dominis Joanne Archi-Episcopo Gnesnensi & Primate, Joanne Cracoviensi, Joanne Posnaniensi, Erasmo Plocensi, Fabiano Varmiensi, Mathia Præmisliensi, & Regni nostri Cancellario, Jacobo Camenecensi Ecclesiarum Episcopis, nec non Magnificis, Venerabilibus, Generosis & Nobilibus Nicolao de Camienycz Cracoviensi, & Campi-Ductore Regni nostri generali. Nicolao de Ludbrancz Posnaniensi, & Capitaneo Lenciciensi. Joanne de Tarnow Sendomiriensi, Jaroslao de Lasko Siradiensi, Joanne Jarandi de Brudzew Lenciciensi, Nicolao de Grethkow Brestensi, Joanne Odrowąsz de Sprowa, Russiæ terrarum Generali, Othone de Chodecz Podoliæ, Nicolao Firley, de Dambrowicza Lublinensi. Georgio Baysen, Mariæburgensi, Nicolao de Pilcza Belzensi, Andrea de Radzicowcza Plocensi & Ravensi Capitaneo, Prandota de Zelasna Ravensi Palatinis. Luca de Gorka Posnaniensi, & Capitaneo Majoris Poloniæ Generali, Christophoro de Schidlowicz Sandomiriensi, & Regni nostri Vice-Cancellario, nec non Siradiensi, Sochaczoviensi & Gostinensi Capitaneo, Stanislao de Ostrorog Calissiensi, Janussio Latalski Gnesnensi. Joanne de Przeremb Siradiensi. Alberto de Glaczianow Lenciciensi, Nicolao de Schiedlowicz Radomiensi, & Succamerario Cracoviensi, Regniq; nostri Incisore. Nicolao Jerdan de Zaliczin Visliciensi. Andrea de Oporow Brestensi, Hieronymo de Cobylani Rosperiensi. Andrea de Tanczin Bicensi, & causarum Curiæ nostræ Referendario, Georgio Krupski de Orchow Belczensi, Stanislao de Pothulice Miedzirzcensi, Jaroslao Sokolowski de Wrancza Landensi, Petro Gorski Naklensi, Joanne de Bochotnicza Malegostensi, Stanislao de Sprowa Zarnoviensi, Martino Skemitzki de Bogoria Zawichostensi. Stanislao Kuropathva de Lazuchow Chelmensi Castellanis. Stanislao de Chodtz Mareschalco & Capi-

Capitaneo Leopoliensi. Andrea de Koszieletz Thesaurario, Scepusi-ensique, Oswiczemensi, Sandecensi, Juniwladislaviensi, & Bidgo-stiensi Capitaneo, nec non Zuppario, & Magno Procuratore Jo-anne Sculteti Sacræ Theologiæ Professore, Archidiacono Varmiensi. Joanne Latalski Gnesnensi, Cracoviensi, & Lenciciensi Præposi-to, Petro Thomiczki Decretorum Doctore, Archidiacono Joanne Karnkowski Canonico Cracoviensi, Stanislao Goretzki Præposito Ca-lissiensi Ecclesiarum Secretarijs nostris; Stan. Jaroczki Mareschalco Curiæ nostræ, Raphaële de Leschno Capitaneo Szlochoviensi, Henri-co Itfeldt Proconsule Thorunensi, Ambrosio Storm Nuntio & Nota-rio Gedanensi Civitatum nostrarum. Adamo de Drzewicza San-domiriensi, Stanislao Lasloczbi Posnaniensi Terrarum Succamera-riis, Nicolao Oczieski Capitaneo Costensi, & Magistro Agasonum Curiæ nostræ & aliis quàm pluribus Dignitariis, Officialibus & Cu-riensibus nostris, circa præmissa testibus fide dignis sincerè & fideli-bus nostris dilectis. Datum per manus præfati Reverendi in Chri-sto Patris Domini Mathiæ Episcopi Præmisliensis & Regni nostri Cancellarij sincerè nobis dilecti. A.C. 1698

CIII.

EIDEM AMICO CONFIDENTI.

29. Aprilis.

Initium & finis comitiorum.

Comitia 16 Aprilis vix vivere inceperunt, & desierunt, quia in i-psis præliminaribus rupta sunt, præmissæ tamen soleñitates, ego votivam de Spiritu S. Missam dixi, Episcopus Livoniæ zeloso heo pacificum ingressum ad hunc actum exaggeravit. Post voti-n cui Rex publicè sub Baldachino, non ut ante Rex JOANNES fa-e solebat, dum ex superiori loco & Votivam & Concionem audie-, rediit cum Senatoribus & alia officialium Regni frequentia ad pe-ralia Palatij, Nuntii verò Equestris ordinis ad suum solitum conclave, in exiguo satis numero, qui facile dinumerari poterat, quia quinde-tantùm erant, in omnib⁹ enim Palatinatibus, aut rupta, aut limitata at comitiola. Ergo in paucitate comitia nihilò segnius incepit Zawisza taneus Minscensis, præteritorum coronationis comitiorũ Mareschal-n turbido, nam nec levare scipionem Nuntij Palatinatus Vitebscensis iiserunt, qui postulabant, ut sacro sancti haberentur, quibus ipsi Dij acri, neque sancti sunt. Idem est plus posse in Rep: quod plus levi-habere, imperiosè Nuntij Mareschalcum alloquebantur. Non inci-D. Mareschalce comitia, ordinarium Scipionem non leves, quia hic est nullitatis, & habemus juramento firmatam instructionẽ, ut na-a hæc comitia, & ante cunas opprimamus, nec ulla alia permittemus, mpestria comitia in equis, comitia exorbitantiarũ juxta pacta con-Ita legum ferendarum causa creati Nuntij nihil juris in Rep. re-unt, prius pene quàm ipsi liberi fuerunt, dominari jam in adversa-

A.C.1698 rios voluerunt, & nos sub titulo æquandarum legum nostra jura oppressa videbimus & sentiemus. Victi tamen precibus concesserunt Mareschalco, ut congressum illum Equestris ordinis salutaret, quod & fecit facundè ex circumstantia veris ascensum Regium in Regnum deduxit, & spem in flore existentem fructibus comitiorum consolatus est. Sed post finitū sermonem, reiteravit iterum protestationem contra totum actum Bieganscius Mareschalcus & Nuntius Braslaviensis cum aliis quinq; & abivit ex conclavi, nec se Mareschalco, & Referendario Regni aliisq; detinentibus manere ullatenus voluit; passivè proinde loqui debebant, & Mareschalcus cū consensu omnium per unum ex Provinciis ad Protestantes restitutionem activitatis petituros destinavit; nec aliud vel ipse vel alij addiderunt, quasi in re satis obvia. Voluit quidem Mareschalcus, ut in instanti hæc deputatio fieret, & reditus illorū cum relatione expectaretur, sed quia hospitia eorum ignorabantur, nec tam citò redire poterant ablegati, soluta passivè sessio, & ad cras ad audiendam relationem in spem regressûs facta.

17ma. Tuebatur libertatē Mareschalcus & ulterius progredi nolebat, cum non unus, sed sex cum protestationibus exiverint. Facta pòst relatio, à Bākovio Culmensi Succamerario hesternæ negotiationis, irritos fuisse conatus suos, omnes persuasiones, omnesq; preces nihil profecisse. Intendebat proinde Mareschalcus valedicere, quia si stantibus protestationib⁹ vellet aliqua congressus Nuntiorum attentare, palàm declaravit nihil se omnino agere permissurū. Erant multæ voces, præcipuè autē Referendarii Regni, nullus nunc in Polonia (verè dico) præ Szczuka visus, cujus ore melius eloquentia loqueretur, sed quod magis æstimo, mens ejus nihil præter publicum videt. Arguebat ille præcipitantiā illorum Nuntiorum ad faciendam protestationem. Comitia campestria solidissimis rationibus impugnabat, contraq; illa protestabatur & Mareschalcum pro more & consuetudine petiit, ne cum valedictione properaret, utque satius in spem melioris fortunæ solveret sessionem.

Qui spem aliquam & habuit, & 18vâ fecit restituendæ activitatis, quoniam adhuc contradicentes morantur Varsaviæ, & cum nulla esset activitas, limitare voluit sessionem, sed à Jerusalscio Vexillifero Bilscensi petitus ne limitaret; occurrunt enim materiæ, de quibus quamvis interlocutoriè tantùm conferre est necesse. Et interim Olszevius Nobilis terræ Livensis obtulit Mareschalco protestationem ratione hominis occisi in itinere à militibus Saxonicis, penes quem & pecunias multas ijdem, ut vocabat latrones acceperunt, cujus vindicationem necis Cieciszovius, tanquam ex Ducatu Mazoviæ Nuntius promoturum se promisit. Posniak Nuntius & Vexillifer Osmianensis omnino instabat, ut Mareschalcus valediceret, sed ne id fieret, iterum contradixit Referendarius limitandámque potiùs sessionem suasit, quod & factum.

In crastino verò quærebat Mareschalcus, valedicendúmne an sessio solvenda, quandoquidem non redintegratur activitas. Iterū Posniak protestatus contra actum totum exivit. Petentib⁹ pòst multis loquendi licentiam, alto silentio respondebat Mareschalcus, & dum importunè idem requirerent, respondit se stante contradictione nec securè posse, nec debere distribuere voces, conclusum nihilominus, ut more antiquo distribueret voces, ad loquendum passivè. Variæ ergo cœperunt materiæ, ut pactorum conventorū memoria, requisitioque ubinam sint, cum in comitijs coronationis originale eorum, tam diligenter, & inter Annā & inter Caipham quæreretur, & tamen non est inventum. Quod Galeccius Palatinus Inovroclaviensis non nomine Ducū sed suo proprio universales literas ad Exercitum Saxonicum extradebat, oppressiones nobilitati faciebat, quare subjun-

subjunxit Vexillifer aulæ magni D. Lit. deductis prius inconvenientijs, *A.C.* 1698
quod hic terminus dilationis comitiorum quæratur, ne examinentur multa hæc & similia, ne introspiciatur in senatûs consilia ante & post coronationem, quæ absoluto arbitrio in materiis statûs concludebant. Veniebant quoque contradictiones contra comitia campestria, quia contra legem indicerentur, & augerent non minuerent exorbitantias, per terram non per cælum progredi deberent, & sic vix spirantem suffocarent Rempubl. Fuit etiam compellatio Mareschalci, ut privatim peteret Regem, quatenus dignetur lapsis succurrere rebus & suam interponere Mtem, ad redintegrandam tam necessarij consilij activitatem.

Aliquot adhuc dies impensi sunt, sed inutiliter. Nec profuit legatio Regia per Episcopū Livoniæ, Palatinum Braclaviensem & Castellanum Samogitiæ qui persuadebant, ut aut ulteriora consilia prosequerentur, ıut actum ad aliquot septimanas limitarent, intra quas sua Majestas ex-pectabat aliquam notitiam ex Litvania, ex qua potuisset capi consili-m, quid ulterius pro componendis illius motibus faciendum esset? neurum fieri potuit, nam cessante activitate prosequi non valebant, multò ninus limitare. Post longas proinde disputationes tandem 28. valedixit x iisdem circumstantiis verbis uti inceperat Mareschalcus, accusando ıvida fata, quæ eripuerunt consessui huic florem, & uvam acerbam reliquerunt. Insinuavit eadem valedictione & suū interesse, petendo omnes, t in futuris instructionibus non obliviscantur, instantias suas ferre ad R. I. pro sigillo minori, quod ipsi jam est benignissimè promissū. Explicuit l extremū hanc dolendā valedictionem, quòd quosdam vix cognoverit, ios vix salutaverit, reliquos expectaverit, cum amplexu, hisque finivit vers, & jam tempus adest, lingvis animisque favete. Ruebant post Nuntij in utuos amplexus, & sic evanuerunt potius hæc comitia quàm finita sunt, ıia dolendo fato & exemplo, absque ullo initio. Ubi pravæ cogitationes, ibi ces contumaces, & inconsultæ, quia pauci sunt, quibus aliqua ex hosto spes & publica mala singulis in occasionem gratiæ trahuntur.

Hâc eâdem die audientiam publicam habuit illustrissimus Paulutius piscopus Ferrariensis Nuntius extraordinarius à sede Apostolica ad agulandos Polonorum animos missus.

Unicum verò diruptorum horum comitiorum erat comodū & fru-s, quod Domus Potocciana cum Jablonoviis in gratiam redierit.

Visum est etiam, ut in ipso initio comitiorum sua Mtas scriberet ad molinscium literas, quarum copiam tibi adnecto.

OPIA REGIARū LITERARUM
JOANNI GOMOLINSCIO NOMINATO KIJOVIENSI IN LITVANIAM 17. Aprilis Scriptarum.

aut nos Polonicè, aut Fidelitas vestra, his idiomatibus, quæ nos inelligimus, scriptas literas intelligere posset, reciperet à nobis non ine animi dolore expressum propria manu angorem, ad quem nos entes conjuncturæ ducunt vel invitos. Ergo literas has ita volu-, tibi interpreteris, tanquam contenta earum, vel ex ore nostro au-, vel à manu propria reciperes.

[ta credebamus, quòd sinceræ intentiones nostræ, quas habuimus bemus, quemlibet ex subditis nostris ad mensuram meritorum conm reddere, omnium devincire affectus, præcipuè tamen eorum, er testimonia, stante, vel absolutâ Electione nostrâ, fidelitatis suæ particu-

A.C. 1698 ,particulari modo nostrum meruerunt respectum, & ecce videmus, quòd ,ubi sperabamus rosas, incidimus in spinas. Inceperunt heri comitia, quæ ,diligenti curâ horum, qui nunc contra ea agunt constitutione felicis ,coronationis nostræ sunt confirmata, veniunt in primo limine (quan- ,quam multis Patribus orantibus, ut ponerent odia in perniciem itura) ,contradictiones ab illis, qui in defensionem & stabilimentum authorita- ,tis nostræ, vitam & sangvinẽ litare declararunt. Scimus optimè, nec huic ,contravenire volumus, quòd jus vetandi cuivis Nuntio legitimè electo ,competit, licet comitia rumpere, sed adimere potestatem, eò magis cum ,est lege firmata, convocandorum, aut non convocandorum comitiorum ,Regibus Poloniæ, hoc necdũ rescivimus, quinimò cognoscimus & senti- ,mus bene, quid prærogativis nostris debeatur, quòd scilicet tẽpus indicẽdorũ ,comitiorũ ex arbitrio & beneplacito nostro cũ senatu comunicato depẽde- ,at. Tot responsa à nobis ad compellationes usque & afflictionem aliorũ da- ,ta, poterant convincere, sicut de affectu nostro nunquam immutando, ,ita & de voluntate præcisa. Si verò ut patet evidenter intentionibus ,nostris contraeunt, quid sperandum, nisi, quòd hi, qui nobis suas pro- ,pensiones sunt testati, non tantùm nutant, sed & fidem in nos tam in- ,justè mutant. Ut proinde monstremus, quòd nos in corde ictus hic pu- ,pugerit, committimus tibi, & ferventissimè requirimus, ut ubicunque hæ ,literæ te invenerint, etiam in reditu Varsaviam retroceas, illucque viam tu- ,am dirigas, ubi Castellanus Vitepscensis, Vexillifer Litvaniæ, Succamera- ,rius Brestensis, Vexillifer Mscislaviensis & alii ejus partis reperiri possunt, ,& ut illos vel insimul existentes vel separatim manentes, ut commodi- ,tas feret, nomine nostro interroges, quousque tandem in hac pertinacia, ,quæ nobis minimè placere potest, permanebunt? aut bonâ intentione hic ,nexus incepit, aut parum bonâ, & contra nos; si pro nobis, cur cessa- ,re non debet, quando id non tantùm nostrum proprium, sed & publicum ,Patriæ exigit interesse; si bonâ intentione factus, hoc est, ut coæquatio ,fineretur, ut reducerentur alieni à nobis, quotiescunque coæquatio in inte- ,gro est, & erit, hanc enim semper defendemus, nec mutari permitte- ,mus, cùm omnes redierint ad nos, cur non quærunt media ad finem? ,quando domum Sapiehanam recepimus in sinum nostrum, revertentem ,ad nos, licétne venientes repellere qui cor paternum omnibus apertum ,monstrare debemus. Licet ne per sangvinem subditorum tranquillisare ,res, quando omnes cogitationes nostræ, ut eum conservemus, profundere ,& nostrum cum illo, contra inimicos Sanctæ crucis desiderant. Nemo ,autem id nobis justè objicere poterit, ut aliquos cum injuria aliorum re- ,cipiamus, ut non cognoscamus quid debeatur his, qui tanquam primo- ,geniti monstrato nobis in Electione & pòst, singulari affectu, exigunt à ,nobis eam gratitudinem, in qua nos à nullo superari permittemus. Si ad ,domum hanc aliquas habent prætensiones, num deerunt media, præ- ,cipuè in hac Patria, cui æqualitas in respectu & amore & quam sangvi- ,ne proprio mercati sunt, vindicandarum injuriarum, nonne pro mune- ,re nostro, quod nobis Dominus DEus impertitus est, Regiminis in hoc ,Regno ad assistendũ oppressis obligamur? an deficient modi? ut privata ,commoda pacificari possint, sine præjudicio publicorũ. Dum nos equum ,conscendere contra hostem fidei nostræ intendimus, reliquum hoc tem- ,poris quod nobis modicum restat, cùm ad pacem res inclinent, & hæc ,longinqua esse non potest, ita impendere publico volumus, ut quindecim ,annorum damna & tam ingentia compensata videat patria, & illi adime- ,re potestatem, exarmare, sumptus tam ingentes ad eum finem jam factos

ad nihi-

ad nihilum redigere, gloriam nobis adimere, propter quam directè thronum hunc appetivimus, & in eo gratiâ DEI consedimus, audent & præsumunt, & toti mundo ad extremum monstrant, quòd cui inimici deerant, hoc ab amicis pati debet. Hæccíne est continuatio affectûs, quem ab initio experti sumus? in recognitionem cujus parati eramus & sumus, omnia desiderabilia in favorẽ eorum agere. Nónne hæc evidens est aversio à nobis, & ita se res habet, volumus, ut expisceris. Non amplius nobis non diutius illudant Patriæ, spem in Deo ponimus firmam, quòd ille qui nos in throno posuit, in eodem conservabit. Curas nostras conquisitis acerbitatibus non augeant, cùm sufficiamus statuendis remediis. Malumus in reliquo apertam videre hostilitatem nomini & gloriæ nostræ, quàm audire contestationes affectûs in verbis, & in re contrarios experiri affectus. Tunc offertur absq; necessitatis suspicione concordia, cùm à superiore offertur. Dolor extremus cordis nostri ad hanc nos cogit expressionem, quem non Cancellaria nostra, sed nos ipsi confidenter depromimus, seriò requirendo, ut ultimatò quæras, quid sibi volunt hi actus, qui directè contra nos pugnant? quando auctoritatem nostram invalidant, pro qua sustinenda nihil nobis erit grave agere & pati. A.C. 1698

Quidquid testari possumus affectûs faciemus, & ea, quæ jam facta sunt, non considerabimus. Mittant ergo tales, qui ad perficienda Comitia sincerè juvare possint. Nos omni nisu curabimus, & omnem applicationem eò vertemus, ut in omnibus suis prætensionibus ex integro illis satisfiat, quà publicè quà privatim ut quivis sub lege vivendo suis gaudeat prærogativis. Et si Comitia Campestria necessaria erunt, nec hæc declinabimus, sed licétne permittere lanienam civium? & aggressum jurati Christianitatis hostis, repetitionem ablatorum, interesse Patriæ publicum posthabere? Expectamus à te declarationem positivam & ultimatam, ne diutius tam pretiosum tempus inutiliter teramus, & ludibrio inimicis simus. Non dubitamus, quòd omnia hæc pro dexteritate tua innata, & propenso in nos affectu, prudenter sis executurus &c.

COPIA LITERARUM AD KOCIEL CASTELLANUM VITEPSCENSEM, à REGE SCRIPTARUM 13. Maji.

OMnes cogitationes nostræ aliam metam aliumq; non habent terminum, nisi Regni hujus bonum, visum proinde est nobis hisce te compellare, quæ Oginscio, Pociejovio, Wolovicio, & aliis illius Partis sequacibus volumus, ut communices, ut sciant expressum cum omni sinceritate sensum nostrum.

Zelus hic, quem monstrâstis in initio obsequij in nos, dignus laude est, & gratitudinem à nobis exigit, habebitq; certam, cùm præcipuè hi, qui nobis hactenus adversabantur, jam suam nobis declarârunt, præstantq; subjectionem, quando per seriam nostram applicationem coæquatio generaliter à nobis acceptata, quando expressa, & non immutanda accepimus promissa, quòd omnes prætensiones tam publicas, quàm privatas acquietabunt, secundùm nostram Regiã decisionem. Credidimus proinde, credimusq;, illos contra commoda Reip: agere, qui per motus & turbida semper nociva id evincere volunt, quæ pacificè perfici possunt. Expedivimus eo nomine & hac intentione universales Literas nostras, in quibus expressimus & voluntatem nostram

A.C. 1698 & desideria tranquillitatis publicæ Misimus Secretarium Cameræ Nominatum Kijoviensem, cum certitudine affectûs nostri in vos, & propositionibus, quæ tendebant ad pacificationem ulteriorem, & perfectam, quam ex animo, & toto corde præoptamus. Sed cùm omnes curæ & solicitudines eò magis incitabant corda ad inceptos & præcogitatos motus, qui non tantùm magnum præjudicium publicis commodis attulerunt, impediendo eo modo, qui nunquam amplius practicabatur, & qui directè impugnat gloriam nostram Regiam, minuit reputationem in orbe, quæ nobis cum vita æquiparatur, & quam semper pretio proprij sangvinis conservabamus. Proponimus igitur considerationi maturiori vestræ, utrum hæc omnia movere ex fundamento cor nostrum non debent, etsi post tot labores & sudores in adducenda ad pacis media adversâ Parte, quando credebamus, & sperabamus continuationem affectûs ab illâ, quæ ab initio nobis erat fidelissima, & ecce loco tranquillitatis continuationem motuum cum tantis damnis & præjudicio publici, & oppressione pauperis populi, qui sine ullo merito tanta patiuntur, contrarium videmus. Augeretur justus dolor noster, si ulteriùs velletis continuare, quod & gloriæ nostræ & bono publico planè est præjudiciosum, quandoquidem utrumq; in futura expeditione bellica consistit, pro qua omnes fecimus dispositiones. Reliqua Capitaneus Minscensis vobis referet, cui fidere debetis, nam non minus nobis est fidelis, quàm cum interesse vestro colligatus, qui certiores vos reddet, omnem securitatem & gvarantiam super nos accepimus, quòd nulla vindicta in personas vel bona eorum subsequetur, & quòd ea omnia nos ipsi accommodabimus ita ut omnes in universum, & in particulari sint futuri contenti, nihil deest, nisi, ut ex utraq; parte omnes cessent hostilitates, & ut hîc omnes Varsaviæ quantocius compareatis, ubi sub securitate, authoritate, & guarantiâ nostrâ omnia ad placitum finientur. Non differatis proinde adventum, per quod testabimini nobis eundem zelũ, quo cœpistis & sitis certi de nostro constanti affectu, sed vicissim res est justa & necessaria, ut & nos pariter de vestro in nos affectu simus securi, qui in eo patebit, quando nihil facietis, quod sit contra gloriam & satisfactionem nostrã, quæ semper juncta erit cum bono publico. Referimus nos in reliquo NB. ad secretiorem dicti Capitanei Minscensis negotiationem.

P. S. *Mpp a Italico Idiomate. Non impediatis hãc Campaniã, in qua consistit bonũ publicũ, & gloria nostra. Sitis certi de nostro affectu, cui omnino debetis confidere.*

CIV.

AMICO CONFIDENTI. 18 Maji.

Acta in mediatione refert.

POST priùs finita, quàm incepta comitia occurrebat negotium pacificationis Rokoszij Lovicienfis, quod usq; in illã horam pertinaciter accessum ad Regem denegabat, donec Cardinalis Primas (qui ita ut quondã Antonius semel induxit sibi in animum licere quod vellet) sua finiret cõmoda, donec contractũ de certo quanto, de tempore solutioni præfixo, de securitate promissorum perficeret quod potius

potius affirmari quàm refelli poterat, nam id occultis primum sermonibus, mox vago rumore vulgabatur, quod mirabatur non tantùm extraordinarius sed & ordinarius Nuntius. Inter quos nonnulla erat difficultas, cum nesciretur, cui major authoritas competeret. Ordinarius tamen ad jurisdictionem in Spiritualibus solitam; extraordinarius ad illud negotium compositionis inter Regem & Primatem, Superioritatem quandã habere visus. Iterum Cardinalis Primas pro quinta Maji convocavit nobilitatem, cujus universales literas tibi adjungo. *A.C. 1698*

Die verò destinatâ, hoc est quintâ Maji satis in parvo numero comparuit nobilitas, ac videns Cardinalis debilitatas vires, & pusillum gregem per frequentiores accessus à Rokoszio ad Coronatum, omnes cogitationes suas & intentiones eò direxit, ut tandem agonizantem per scissiones animorum, langvere amplius non permitteret, & quando nulla spes restabat, sustinendi Electi Principis Contij, & recusandi jam coronati, visum est turbis internis imponere finem & Palatinatus illos penes se restantes flectere ad unionem. Ergo post finitam Votivam per Suffraganeum Chelmensem Dluzevium, post mutuam salutationem incepit è statione sua sessionem Mareschalcus his formalibus: Jam duobus annis, Respub. in orbitate sine Rege, & lege manet. Unus integer annus in scissione, & continuò agitatur motu. Adhuc apud nos Interregnum, quia non habemus eum Regem quem nobis elegimus, illum verò agnoscere, qui est impositus quanquam sensus libertatis non permittat, urgens necessitas resolvere debet, & felicitati nostræ adscribere debemus, quòd adhuc aliquod temporis spatium ad reflexionem & recognitionem nobis indulgeatur. Melius proinde quassatam in turbido restaurare, quàm novam ædificare navem. Agnoscimus omnem facilitatem & conatus Domini Regnantis, & non minus providentiam Summi Pontificis, quando Nuntium extraordinarium ad nostrum congressum ordinat, pro mediatione, & combinatione Mtis cum libertate; non intrando proinde in ullas materias ulteriores, crederem ante omnia necessarium, ut ad visitandum prædictum Nuntium ex parte nostra destinemus, quod & factum.

In crastino post inceptam sessionem intimavit Mareschalcus relationem Delegatorum ad Nuntium, Castellanus proinde Lenciciensis explicuit, cum qua expressione immensæ gratitudinis suscepti sunt à dicto Nuntio. Incepit pòst loqui Cardinalis ex illo textu: misereor super turbam, quia triduo sustinent me, quis justam non habeat compassionem super hac Repub., quæ tamdiu dulcedinem libertatis desiderando in orbitate sine Rege & lege manet, ipsas tantùm sustinet ruinas & aggravationes immunitatum; condolendo tamen super sortes nostras non deest nobis adhuc tempus ad restitutionem jurium & libertatum nostrarum, dum tempus habemus, operemur salutem, corrigenda in tot partibus conturbata libertas, enumerabat inconvenientia, quibus futura scandalisabuntur sæcula, cives magis incusabat quàm Regem, nam illorum fides ita in servilem timorẽ submissa, ut metuant offendere Principẽ, quasi non potior sit veritas quàm Regum gratia. Comitia & tribunal Regni sine lege fundata stante protestatione solenni, desolatio tot Palatinatuum, cum tanquam locustæ panẽ pauperum cum sangvine mixtum consumunt. Frustra accusaremus in eo Coronatum, quia facilitas ejus ad concordiam ineundam est optimè nota; fratres nostri sunt in culpa & causa malorum; invehebatur contra illos qui variis artibus vinciunt Principem plerũq; obscurum adversus alios, ipsis incautum; velimus proinde non hæsitando applicare nos ad unionem animorum, ut edocta rectius sapere possit Polonia, sit congressus iste noster novissimus, & primus ad felicem & exoptatam unionem; consolabitur nos

A.C. 1698 DEUS, quòd non invocavimus nomen Domini in vanum, juratam manutenendo fidem, & abſterget lachrimas gementis populi. Tandem ad connotationem punctorum incitavit conformando ſe ad voluntatem, & arbitria omnium. Refutata ſunt pòſt aliqua puncta congreſsûs Bolemovienſis ad quem deſcribendum aliquatenus excurrere & deferre tibi debeo, quod aliqui ex Palatinatu Siradienſi & Ravenſi motu Felicis Lipski Caſtellani Siradienſis convenerant, ubi dict⁹ Caſtellanus primus locutus, quòd non ceſſet in indefeſſo ſtudio ſuo his ſervire Palatinatibus & ulterius cum diſpendio ſalutis & fortunæ ad idem ſponte & ultro ſeſe offerebat non dubius de bono exitu, nam ſæpius & cygni triumphant de aquilis laceſſiti. Cùm verò miſerint Ablegatos ad Cardinalem in his circumſtantiis expiſcando ejuſdem ſenſum (ſcis quatuor tantùm milliaria eſſe Bolemoniâ Lovicium) voluerunt audire relationem. Primus Ablegatus erat Laurentius Swidzinius, qui nullâ oretenus factâ relatione reponſum in ſcripto ſigillo obſignatum reddidit à Cardinali; cùm verò iterum impetitus fuiſſet, ut ore referret, quid effecerit cum Collegis apud Cardinalem ſuper deſideria Palatinatûs, reſpondit, id, quod attulit in ſcripto ſufficienter informaturum, loco ergo gratiarũ actionis, ſævũ id malique moris, murmurabant omnes, & præcipuè Alexander Mokronovius Vexillifer Ravenſis urſit relationem, cùm ille non tanquam ſimplex cum literis curſor, ſed à toto Palatinatu Ablegatus fuerit. Hoſtes igitur repente ſine cauſa facti; durior inter eos cœpit controverſia & ad arma deventũ eſt, urgentibus id commotioris ad omnia turbanda conſilij quibuſdam è nobilitate, vixque hic tumultus ſedatus. Eſſentialia autem reſponſi à Cardinali erant, quod deſtinatus pro 16tâ Aprilis Lovitij congreſſus propter tenuitatem herbarũ, quæ congregatis ſufficere non potuiſſent, ad 5tam Maji dilatus. Petijt etiam Cardinalis, ut interea ſua combinarent deſideria, cum quibus pro generali congreſſu, tanquam cum re paratâ in tempore deſtinato comparerent. Ibi ergo multa puncta conſcripſerunt, ubi ſui quiſq; commodi, plus quàm publici ſtudioſum ſe præbuit, quæ longum eſſet enumerare; inter alia hoc etiam erat, ut iterum à Primate Rex coronaretur, quanquam multi ſciviſſent, quòd hæc ceremonia repeti nequeat, & conditio aliquid contra bonos mores faciendi, non magis obliget, quàm, quæ per rerum naturã impoſſibilis eſt.

Redeo ad Lovicienſem congreſſum, ubi poſt refutata multa puncta cõgreſſus Bolemovienſis, hoc volebant aliqui, ut Rex ſeorſivum Diploma ſecuritatis daret Regno noſtro, quòd nullas unquam neque ipſe pro perſona ſua, neque domus ejus ad Rempub: relinquat ſibi prætenſiones, ut Electorem ſe non ſubſcribat, quandoquidem Reges Poloniæ nunquam ab Imperatore dependentes erant, pudeat libertatis ſuæ Poloniam, quæ tantopere ſervit. Inter cætera multa ſunt dicta, & plurimæ ſcomaticæ acclamationes erant, contra Gaſeccium Palatinum Inovroclavienſem à quo tot injuriæ Senatoribus & Nobilibus illatæ allegabantur. Quia verò Commiſſarij Regij nondum comparuerant, dilata ſeſſio.

Poſtulata ad Regem

Cùm etiam 7*ma* necdum comparuerant Comiſſarij Regij, Radomiecius Mareſchalcus Rokoſzij Palatinatuum Poſnanienſis & Caliſſienſis, puncta quæ in privato connotaverat, non niſi comparuerint, producere voluit. Erat quoddam dubium de adventu Commiſſariorum, qui tamen jã proximè venturi erant. Inſtitit Chlebovi⁹ (facundia ſine parſimonia verborum importuna profluentia eſt & morbus haud ſe retinentis ingenij) contra Epiſcopum Vladislavienſem aſſiduum monitorẽ coronæ appellans exaggerando anteacta in illegitima nominatione, & coronatione. Provocabat ad ſcribendas literas Pontifici cum ferventiſſimis precibus, ut à dignitate Epi-

Chlebovij invectiva

æ Episcopali abjudicaretur, scribique legem urgebat contra eundem Episcopum, ideo leges in facta constituuntur, quia futura in incerto sunt. Incusavit etiam illos qui recesserunt à Rokoszio, apostasiam huic recessui adscribendo. Felicitate gliscit temeritas. Excusavit Cardinalis accessionem aliquorum ad coronatum, & quod non deberent accusari pro opere non malo, quandoquidem illi pro domo nostra Oratores sunt, nunc actores pro parte Rokoszij, persuasores mediationum pro bono publico, nam frequenter qui ab uno regi nolunt, affliguntur à pluribus. Addidit momentum Mareschalcus exemplis sacris actionem excusando, & peccatum necessarium nominando, si Adam non peccâsset Redemptorem non habuissemus. A.C. 1698

Comparuerunt tandem Commissarij die 9. Maji quorum non tantùm adventum denuntiavit Mareschalcus, sed etiam Plenipotentiam datam legit ex qua omnes erant contenti, nemo enim adeò intractabilis est cui suum deniq; manubrium non sit, quo capi ac teneri possit, quæ ut in actis publicis insereretur institerunt Majores Poloni, ut discant posteri ex actionibus nostris præsentibus zelum tuendæ libertatis. Connotabantur interea puncta ad concordiam, quæ inferius videbis, aliquot dies huic connotationi insumpti, non quod id necesse foret, sed quia ut nonnulli non ex vano suspicabantur, nondum erant privata accommodata commoda, cùm verò vacare crederetur stabuli Præfectura eandem Mareschalco Rokoszij aliqui vovebant, Cardinalis verò dilectissimo suo Nepoti destinaverat. Unde non levis cœperat esse diffidentia, facilè ignem concipiunt quæ paulò ante extinctæ sunt faces.

Dux Radivilius Vice-Cancellarius Litvaniæ Primarius Commissarius Regius erat, qui nullius servilis sententiæ sponte author, & quoties necessitas ingruit sapienter moderans qui multum tam liberalitate suâ, quàm etiam activitate profuit. Regressum sibi præcaverunt, in casum contraventionis tractatui huic ad Rokoszium, si aliqua libertatum violatio palàm esset, si præmonitio Cardinalis trina non proficeret. Quanquam Principes tædio novitatis semel placitæ pro æternis plerumque servare solent.

Ad octavam duravit hic congressus quâ facta est conclusio tractatûs variis materiis in quæstionem venientibus, minati sunt Cardinali si amplius impediret tractatum & ille aliquando audacter tumidus, sæpius tamen abjectè timidus omnia concedebat, jamq; ipse contentus nulli rei contradicebat. Post connotata verò puncta & conclusa finitum feliciter negotium, & gratiæ DEo actæ, quid subsequetur, brevi scies, nunc *1mo* Universales literas Cardinalis pro congressu; *2do* Puncta conclusa leges.

COPIA LITERARUM Universalium.

Significamus &c. Quando lætum Ver canum pellit hyemis horrorem, Mavors Europæus publicæ satur calamitatis crudum ferrum in vomeres vertit, sola Polonia infortunio suo gaudere videtur, & delectari, suoq; discordiæ gloriatur certamine, privatorum commodorum plaudit theatro. Sperabamus, quòd ultimus Lovicìensis congressus curatis publicis vulneribus, obfirmatis infirmis, fortificatis confractis inducere debuit in compagem unam divisam Remp. Videre

A.C. 1698 dere erat quasdam ad eam felicitatem ultrò ducentes apparentias, sed expeditis præliminaribus separavit infeliciter inconstans Februarius. Causas & fomenta non inquirimus, suus sit cuiq; morsus. Non tamen adhuc nos deserit provida DEi bonitas, quando Summi Pontificis paterna charitas plorans filios suos, in utero matris collidentes de sede sua respicit mala nostra. Et sicut toti planè orbi solatia pacis & tranquillitatis authoritate suâ adducit, ita & Patriam nostram ad eum dirigere volens scopum, mittit extraordinarium Nuntium suum, ad sedandas omnes in illa exorbitantias, ad procurandam generalem Reipub: hujus tranquillitatem, ne vel cicatrix maneat læsionum publicarum, & libertas communis cum Religione inprimis vigorem pristinum conservet. Sicut id Brevia Apostolica testantur; acceptamus filiali reverentiâ & obedientiâ hanc Sanctitatis suæ interpositionem, & nolendo diutius fata morari, reassumimus iterum media reducendæ internæ quietis. Deferimus vobis omnibus ad omnes pertinere judicando sensum malorum, omnium implorando auxilium & cooperando ut pax & quies reddantur cunctis; & quamvis longiori remigio fessi, magnum iteramus æquor, declarando novum generalem congressum Lovicij pro die quinta Maji invitando omnes, & amore Patriæ, ac dulcedine libertatis obtestando, ut, cui fides sancta, integritas legum cordi est, concurrere velit pro illo tempore, pro sustinendo & corrigendo eo, quidquid sangvine Majorum nostrorum comparatum est, in quo uti assistentiam omnium optamus, ita cum plenitudine votorum expectamus. &c.

PUNCTA LOVICII STABILITA
Per Commissarios Regios.

1mum Punctum Religionis non disquiritur in persona Regia, quia habemus Romanam de illo certitudinem; Regina verò ut socia Regni, ita socia Religionis in finibus Polonicis compareat.

2dum In Exercitu Regio, ut nobiles Catholici & possessionati Officiales sint.

3tio Custodibus corporis ut Rex ex proprio peculio stipendia solvat.

4to Ut inposterum in absentia Primatis non Episcopus Cujaviensis, sed Archi-Episcopus Leopoliensis plenariam potestatem habeat nominandi.

5to Ut inposterum in præsentia Primatis non audeat Episcopus Vladislaviensis nominare sub amissione honoris sui & fortunæ.

6to Ut Cardinalis Primas confirmet Regem impositione Coronæ super caput ejus, sine aliis solennitatibus.

7mo Diploma procuretur à Rege, quòd nullam habeat prætensionem, ad Poloniam, & quòd nunquam erogatos vel erogandos requiret milliones.

8vo Post expeditionem futuram immediatè ut exercitum suum non inducat in Poloniam, sed eum in Saxoniam quantociùs ablegét.

9no Diploma, quod nunc tantùm comprobat Regem, noster Generalis Mareschalcus manu suâ subscribat.

10mo

10mo Ut universalibus literis pro comitiolis à Rege expeditis addat certam relationē, quantum Rex ex millionib⁹ promissis Exercitui exsolverit.

11mo Ut proventus ad se pertinentes in Thesaurum ejus veniant, & non distribuat Rex Oeconomias, nec quidem pro tempore aliquo, ne egeat.

12mo Regestrum producat Palatinus Mariæburgensis omnium summarum, quas in privatas personas elargitus est.

13tio Tribunal Regni cassetur Petricoviense & Lublinense, ulteriora judicia inhibeantur, jurisdictioq; ejus cassetur.

14to Ut Turnus Majori Poloniæ pro Tribunali futuro servetur.

15to Honores, dignitates & vacantiæ, ut per spatium duorum annorum non nisi parti Rokossianæ conferantur.

6to Sal ut Palatinatui Posnaniensi distribuatur secundùm constitutionem 1656ti.

17mo Ut Cancellaria Regni cautior sit, nec Privilegia super Privilegia extradat.

18vo Domino Czarnkovio jactura substantiæ in legatione Moschovitica de pane meritorum compensetur.

19no Mandatum seu citatio contra Gruszczenium eliminetur.

20mo Protestatio quoque in Palatinatu Pomeraniæ contra eundem & Rokoszium facta pariter quoq; eliminetur.

21mo Aucta potentia unius domus cùm multum prævaleat in Polonia, ut Ministeria Regni in unam domum non conferantur.

22do Oppressis sub Oliva ut ex justitia distributiva præmia, oppressoribus verò pœnæ decernantur.

Reliqua reservata sunt ad Comitia, quæ ut fiant in campo seriò promovebant.

Hæc puncta subscripta sunt à Nicolao Swięcicki Episcopo Kijoviensi Nominato Posnaniensi, Carolo Duce Radziwilio, M. D. L. Procancellario, quæ ego, ut ingenuè tibi fatear, vix credo à Rege posse approbari.

CV.

AMICO CONFIDENTI,

29 Maji.

Acta in Senatûs Consilio

Controversia inter Palatinum Lecicienscm & Thesaurarium Litvaniæ

JAM de concordia Lovicij facta, de tractatu per commissarios Regios concluso audivisti, nihil à quoquam factum, cujus fructus ante non præviderit; nescio autem utrum sciveris controversiam fuisse satis magnam Palatini Lencicienſis cum Thesaurario Litvaniæ, quia primus adversæ Parti assistere videbatur; Alter autem sæpius inculcabat, ut potiùs pacandæ Majoris Poloniæ, quæ est in motu, curam haberet, & ex tutela sua Litvaniam, dimitteret, nec quæreret gloriam alienâ injuriâ; non in obscuro plerumq; habentur, quæ augendæ infamiæ alicujus componuntur: quæ controversia durasset amplius, nisi ego pro amicitia uttiusq; eandem dissolvissem quærendo à Thesaurario utrum vera sint, quæ ex Litvania scribuntur, cumq; ille, an de istis novis dubitarem, quæsivisset, respondissem ego quidem credo, quamvis multa inde veniant sæpius mendacia, sed nemo alius; ridere cœperunt omnes, & ita controversia illa quæ ad iram utramq; partem jam inducebat, sopita est.

Incendium.

13tia Maji incendium erat magnum in suburbio, unde & meum stabulum in cineres abiit non sine magno domus meæ periculo, quam Rex ipse in equo accurrens liberavit, & ego timens simile aliquod periculum jā

ante

A.C. 1698 ante inceptum de palatio satis commodo cum Thesaurario Litvaniæ per mediationem Constantini Sieniavij Canonici Vilnensis finivi, quanquam me magnum pretium dedisse, & tu quoq; argues.

Primas prætendit pecunias. Vidi literas Cardinalis ad Thesaurarios Regni & Litvaniæ scriptas, in quibus urget ab illis, ut in satisfactionem pro sumptibus in Rokoszio expensis, à thesauro Regni centum, à thesauro Litvaniæ quinquaginta milia florenorum illi citra moram numerentur. Ita vides quòd Cardinalis occasionum plerumq; haud segnis observator, nullam planè occasionem numerandæ pecuniæ omittit.

Vulnerati in Litvania Ex Litvania venerunt nova Oginscium Subdapiferum Lit: esse vulneratum, Pociejum vix evasisse idem periculum, hujus currus spoliatos, accusantur ex parte Sapiehana id fecisse, quod Rex ægrè satis tulit. Plerũq; enim fit ut cui malum conflare volueris, concilies benevolentiã & gloriã.

21ma. Venit notitia de morte Constãtini Lipski Archiepiscopi Leopoliensis, cujus grande desiderium mansit per memoriã virtutis; concurrunt multi, Nicolaus Wyzycki Secretarius Regni per se, Episcopus Livoniæ per multos non per se, sic, ut olim Romæ non virtute præditis, sed gratiã & potentiã pollentibus ad summos quoq; aditus pateret, repulsæ metu id quod virtuti eorum debebatur petere verebantur, nihil enim stultius, quàm id ambire, quo non aliud quàm repulsam passus ignominiam consequare. Sic quos subsequi oportebat, præeunt, qui priores subsequuntur, Constantin⁹ Zielinski per Cardinalem Primatem, qui *22da* Varsaviæ comparuit, publicam in senatu habere voluit audientiam sed id negatum; In cubiculo proinde quòd vocatur marmoreum salutavit Regem, cum satis exigua assistentia, quæ ingens & numerosa promittebatur, Amphora cœpit institui, & urceus exit. Solennitas hæc in diem anniversarium nativitatis Regiæ inciderat. Disputabatur pòst, utrum Cardinalis Regi jurare debeat, & conclusum, ut illud privatim in conclavi Regio expleret. Consilium fuit *27ma* cujus puncta hæc fuerant.

Mors Archiepiscopi Leopoliensis Concurrentes

Senatûs consilium

1mo. Imperator in literis suis de data *23tia* Aprilis significat de inclitatione Turcica ad pacem, per mediationem Regis Angliæ, & statuum Hollandiæ requirendo deputationem Commissariorum nostrorum cum debita instructione. Mitto tibi & literas Imperatoris, & alia quæ protunc hanc materiam concernentia consilia fuerunt communicata. Quid ergo respondendum, quæ instructio cum ultimis gradibus, saltem provisionaliter danda; & quid pro Legato assignandum.

2do Pro expeditione bellica futura, quam Rex, quàm gloriosissimè perficere vellet, cùm artileria Regni sufficientem non habeat provisionẽ, unde supplementum habere debet.

3tio Serenissima Regina Poloniæ Vidua petit permissionem eundi Romam ex voto, iter hoc duorum annorũ erit, indemnitati ergo bonorũ suorum providendo Regis & senatus consilij consensum desiderat.

4to In jure Patronatûs Regio, quandoquidem hactenus nullam resolutionem non obstantibus tot promissis habeamus, quærit Rex quid faciendum? quia per hanc moram magnum damnum & præjudicium juribus Regiis & Reipub: & multa inconvenientia fiunt, sicuti ex Abbatia Mogilnensi, ad quam Casimirus Rostkovius Canonicus Varmiensis est nominatus, ipsi Religiosi ejusdem Abbatiæ suæ Mti supplicem obtulerunt libellum, incusando infelicitatem suam, quòd ab octo annis Abbatem tædiosè expectarint.

5to Sakin Ablegatus à Repub. stante interregno in Sueciam nondũ revocatus, petit aliquod subsidium, quod per honorem Reipub. denegari non posse sua Majestas insinuare dignatur.

In hoc

In hoc Senatûs consilio pauca in hunc sensum dixi. Gratulabar Majestati Regiæ sine cura verborum, quia affectu magis, quàm verbis, & valetudinem bonam, & finem authoritate Regis motibus internis impositum per novissimum tractatum ex quo omnis felicitatis non spes, sed fiducia. Facile malorum memoriam amittemus, quando concordes sub felici Majestatis Regiæ regimine publica reflorescet fortuna, ita ut cum S. R, Mtas ex permissione devina Rex noster integrâ Republicâ in campo Electorali proclamari non potuerit, nunc scissâ gloriosius non potest agnosci, quàm dum & Majestas Regia & libertas nostra, ut nihil supersit, per ultimum hunc accessum confirmantur, cum non magis Regiæ authoritatis quàm civium habita est ratio libertatis. Affectum in Reges, zelum pro libertate indivisibiliter majores nostri nobis reliquerunt, & proinde utrumque defendere tenemur. A.C. 1698

Puncta breviter more meo sic ex statione mea resolvi. Quòd scilicet nullum sit dubium, Imperatorem non tantùm tam magnis bello Turcico factis expensis, sed etiam propter commoda sua, quæ ubique primum locum tenent, modò aliqua vel minima offeratur apparentia, cogitaturum de pace & tractaturum. Dum ergo mediatio Regis Angliæ & Statuum Hollandiæ intercedit, nullum est dubium, quòd illam acceptabit. Si verò requirit Commissarios nostros, expediendum omninò citissimè aliquem capacem, qui diligenter exquirat, in quem finem res inclinent, ut si certa apparentia erit inchoandi tractatus, Mti Vræ nuntiet & tunc mittendum Legatum, & Plenipotentiarium, ne in egestate tanta thesauri, inutilia expendamus. Ad conscribendam instructionem non multum laborandum est, quia quando ante aliquot annos similis apparentia ad pacem erat, expeditus fuit *imo* Vladislaus Kos Palatinus Mariæburgi, & novissimè Stanislaus Malachovius Palatinus Posnaniensis; hos ergo observandos crederem, addita tantùm melioratione in favorem nostri, ut ad minimum notabilem aliquam summam pro expensis, pro tam ingentibus damnis habeamus, qua tam magnum exercitui debitum suppleri possit. Iustè autem id prætendi debet, quia non pro nobis, sed pro colligatis bella gessimus. Sumptus pro legatione jam est practicatus ac proinde de quanto non est amplius loquendû, modò his expensis Thesaurus satisfacere queat.

De expeditione Artileriæ longè ante cogitandum erat, non eò tempore, cùm jam in campum exeundum est, sed quando infelicitas Reip. sic tulit, sat citò si bene. Rogatum ergo velim Thesaurarium Regni, ut omni meliori modo etiamsi Thesaurus vim aliquam patiatur instantaneè aliquo notabili succurrat supplemento. Quantum verò id esse debeat periti in arte decidant.

Serenissima Regina Vidua meretur eum respectû ex gratitudine, nô tantùm erga personam suam, sed ob memoriam tanti Regis, quæ nunquam in cordibus nostris extingvi potest; justa petenti non est deneganda gratia, sed pro duobus annis tantùm licentiam petit, cur non concedatur id Dominæ nostræ præteritæ, quod privatissimæ etiam personæ est concessibile; si longiorem residentiam cum retentione jurium suorum à Rep. concessorum, dispensationem requireret, fortè non possemus nobis tantùm arrogare Senatores, ut sine comitiis id indulgere valeamus, stante præjudicato Reginæ Eleonoræ, sed quando tantùm pro duobus annis, ego pro loco meo nullum habeo scrupulû, præcipuè cum hoc iter ex voto arripit, quia recordor puncti in Bulla Cœnæ Domini, quòd quicunque limina Apostolorum visitare volentem impediret, excommunicationi subest. Nulla igitur in hoc puncto monstranda renitentia, quinimo optarem, ut demus parvum hoc post tam ingentia damna solamen & non addamus satis affli-

A.C.1698 ctæ negativam afflictionem.

Jus Patronatûs Regium à tanto tempore evinci curatur, nec evincitur. Petimus, nec audimur, quia fortè malè petimus. Optarem proinde propter compendium, & propter perfectum finem, ut ex præsenti hoc senatûs consilio deputentur & assignentur deputati, qui sivè cum Roma, sivè cum Nuntiatura agant, & efficacissima inveniant media ut negotiū hoc pro justitia & æquitate tandem aliquando finiri possit.

Dominus Sakin meretur respectum,& expedit,ut quantociùs ipsi succurratur, quia quò diutior erit ejus ibi residentia, eò majora faciet debita & inde major Reipub. pudor quæ servientes sibi evincere, non deserere & solet & debet.

Finivi infinito voto ut Dominus DEus salvum faciat Regem & consilium ejus confirmet.

Post consilium finitum habui licentiam abeundi Pultoviam, quo Rex quoque venire debet iturus pro venatione ad quam ab Electore Brandeburgico in sua Prussia instituendam solenniter invitatus est.

COPIA LITERARUM

CÆSAREARUM AD REGEM POLONIÆ DATARUM,

Viennæ 23 Aprilis 1698.

LEOPOLDUS (tit:)

Postulat à nobis arctus quo Serenitati Vestræ, & inclytæ Polonorum Reipub. juncti sumus, sacri fœderis nexus, ut eandem nihil celemus eorum, quæ sanctam illius observationem quocunq; modo spectare queant, unde cùm nobis Serenissimus & Potentissimus magnæ Britanniæ Rex communicârit literas, sibi tam à Legato suo in Turcia, quàm ab ipso Supremo Vesirio scriptas unà cum propositione tractandæ pacis à dicto Vesirio facta, nihil prius nobis faciendum duximus, quàm ut de ijs omnibus, ut & de literis à Serenißimo magnæ Britanniæ Rege ac Ordinibus Generalibus fœderati Belgij hac de re ad nos exaratis Serenitatem Vestram per Ablegatum nostrum extraordinarium Illustrem & Magnificum Carolum Julium Sedelnicki Comitem, ac Dominum, in Choltiz confidenter certiorem redderemus. Et quamvis ista propositio non sit ejusmodi, ut pacem desuper, completam, & undequaq; convenientem sperare liceat, pro eo tamen ac ex alijs præmißis sperandum est, Turcas postulatis suis haud firmiter inhæsuros, sed æquioribus in tractando conditionibus locum daturos esse. Grave sine dubio, & vix à culpa alienum Serenitati Vestræ æquè ac nobis fore videbitur oblatam hanc occasionem tentandæ amicabilis compositionis, & sistendi profusionem humani sangvinis omnino rejicere. Quamobrem sicuti per nostrum Supremum Cancellarium Comitem Kinski prædicti Serenißimi magnæ Britanniæ Regis Legato mentem nostram prævïè exposuimus, prout ex illarum literarum exemplo pariter exhibendo patet; sic Serenitatem Vestram peramanter requirimus, ut & ipsa nobis hoc super negotio sensus suos candidè non tantùm exponere, sed & suo inclytæq; Reipub. nomine Commißarios deputa-

putare non gravetur, qui accepta ulteriori à Turcis declaratione unà cum nostris & Venetorum Reipub. ministris loco congruo de pace cum Turcis & DEo T. O. M. annuente negotium tam salutare ad optatum finem perducere unanimiter tentent. Viennæ 23 April. A.C. 1693

Interpretatio Copiæ scripti continentis Puncta, quæ ut fundamentum sint tractatûs pacis cum Cæsare & Confœderatis Imperij plena Serenitatis subscriptione firmata sunt.

CUm ad concludendam pacem excelsum Imperium inter & Cæsarem atque ipsius Confœderatos gloriosissimorum inter maximos Principes Christianæ Gentis & absolutorum inter eximios Dominatores Principum ejusdem Nationis amicorum nostrorum Regis Britannici ac Statuum Generalium, Nederlandæ mediatio ab Imperiali quoq; Majestate sit accepta, eo fundamento, ut quæ in utrorumque possessione sunt, denuò in possessione eorundem maneat, in forma judiciorum conclusioni pacis data est facultas & auctoritas Imperatoria cum ista exceptione, ut Germanicæ militiæ ex fortalitiis, quæ sunt in Transylvania, exeant, fortalitia reddantur Transylvanis, Transylvanica Regio iterum in pristino statu ponatur, & ut tranquillo statu fruatur, sit sicuti prius sub patrocinio utriusq; Imperatoris.

Fortalitium Temesvarij cum Territoriis ab antiquo sibi attinentibus limites habeat Maurusium & Tibiscum fluvios. Titul quod inter Tibiscum est ac Danubium, maneat desolatum, & in dicto districtu de novo nulla arx erigatur, sed subditi sicuti modò quibus & quæ tribuere solent, denuò tribuant.

Terræ quæ ultra Savum existentes parent arci Belgradinæ, iterum pareant.

Petrovaradinum demoliatur, Illok & Possega & Bruth evacuentur, & limites ponantur in locis opportunis atque idoneis.

Oppida & Palancæ in Confiniis Bosniæ ultra flumen Unnam posita cùm modò sint cum suis territoriis in nostra potestate, sive Palancæ sive Oppida, quæ sunt citra Unnam evacuentur, & confiniorum confusio evitetur.

Favente DEo his conditionibus pax cum Cæsare concludatur, atq; cum confœderatis ejusdem etiam pax simul ut componatur, data est Imperatoria facultas.

Camenecum demoliatur, Poloni omnino ex Moldavia exeant, atq; secundùm antiquos limites vetusta cum Polonis amicitia renovetur. Pariter data est Imperialis facultas, ut sub fundamento de *uti possidetis*, cum Venetis Pax concludatur, quando convenient in unum locum congressûs Plenipotentiarij directione mediatorum, aliqua fortalitia, si quæ sunt apta confiniis Imperatoriis, aut evacuentur, aut demoliantur.

Datum die 15tâ unici inter menses mensis Reseb à sacro exitu. Anno 1109.

A.C.1698

COPIA LITERARUM
A SERENISSIMO REGE ANGLIÆ AD SUAM MAJESTATEM CÆSAREAM, 21. Martij 1698.

GVILIELMUS III. DEI GRATIA MAGNÆ BRITANNIÆ Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor, Serenissimo; Potentissimo, & Invictissimo Principi & Domino D. LEOPOLDO Divinâ favente clementiâ electo Romanorum Imperatori, semper Augusto, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regi, Archi-Duci Austriæ, Duci Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Virtembergæ, Marchioni Moraviæ, Duci Luxemburgiæ, superioris & inferioris Silesiæ, Comiti Habsburgi & Tyrolis, Fratri consangvineo & amico nostro charissimo salutem perpetuamq; felicitatem. Serenissime Potentissime ac Invictissime Princeps Frater, consangvinee & amice charissime.

Cum omnes sincerum animi nostri in Majestatem Vestram Cæsaream affectum & in commoda Imperij Germanici studium singulare testandi occasiones accipere cupiamus, omnibusq; ad eadem procuranda & promovenda officiis nostris uti parati sumus cumq; pace æquis conditionibus cum Turcis ineunda tam honori & incolumitati Cæsareæ Majestatis Vestræ, quam Imperii emolumentis consultum iri existimemus, eâ mente mediationem nostram aliquo abhinc tempore per nobilissimum Virum Dominum de Paget *Legatum nostrum Constantinopoli residentē aulæ illi obtulimus, quam illis gratam & acceptam esse tam ex literis Legati nostri prædicti die 23 mensis Januarij proximè elapsi Adrianopoli datis quàm ex aliis ab ipso Vezjro ad nos scriptis, unà cum pacis conditionibus ex parte Turcarum propositis, cùm manifestum sit literarum istarum, & conditionum exemplaria ad Majestatem V.C. per Legati nostri prædicti Secretarium, qui chartas ipsas ad nos pertulit, quantocius transmittenda duximus, & cùm pacis conditiones à Turcis propositæ, & quæ per colloquium, per Legatum nostrum & Vezjrum eâ de re ventilata sunt, quibus quantum à quibusdam ipsorum postulatis quo melius Majestati Vestræ Cæsareæ satisfiat, recedere tandem posse Turcas autumat Legatus noster, explicatum est sub oculos Majestatis V.C. simul & semel posita sunt; ipsa uno quasi intuitu perspiciat & perpendat, utrùm illa animorum Turcicorum ad tractatum pacis cum M.V.C. ipsiusq; fœderatis inchoandum propensione, quæ sinceritatis speciem præsefert hoc tempore utendum sit, & in incepto procedendum, & si ea Majestatis Vestræ mens sit & meditatione nostrâ in eum finem, uti ei visum fuerit, haud abs re fore ducimus, & Majestas V.C. Legatum nostrum prædictum, ac etiam Legatum DD. Ordinum Generalium, unitarū Provinciarum facultatibus & mandatis suis quan-*

tocius

tocius instruat, ut in hoc opere cum Turcis sine mora pergatur, dum A.C. 1698
anni tempus negotiis transigendis, quàm actionibus militaribus magìs opportunum, quibus tamen se accingunt Turcæ, si pro pace conatus minus bene successerit.

Nos mandatum in hac re Legato nostro prædicto dedimus, & Dominos Ordines Generales eadem suos daturos non dubitamus, ut junctis consilijs opus hoc modis, quos Majestas Vestra Cæsarea præscripserit prosequantur. Quod superest Majestatem Vestram Cæsaream Divini Numinis tutelæ ex animo remittimus. Dabantur in aula nostra Kensington 12 Martij Anno 1698 Regni Nostri X.

Cæsareæ Majestatis Vestræ

Amantissimus Frater & Consanguineus Gulielmus Rex.

AD SERENISSIMAM BRITANNICAM MAJESTATEM LITERARUM SUPREMI VEZIRII & absoluti Administratoris, Excelsi Imperij Othomanici Interpretatio.

GLoriosissime inter maximos Principes Christianæ Gentis & absolute Dominator inter eximios ejusdem Gentis Monarchas, Director rerum Christianæ Reipub: Chlamyde amplitudinis & honoris ornatissime. Regnorum Angliæ, Scotiæ, Irlandiæ, & eidem subjectarum Provinciarum Rex ac Dominator observandissime, dilectissime, altissime, Amice Noster Guilielme III, cujus fines DEus ipse coronet, probitate & sospitate, & concedat tramites omnes rectitudinis & amplitudinis. Præmissis prælibatis & salute completis annuntiationibus ac oblatis prælectissimis ac sinceritate accumulatis Cōsalutationibus, quæ possint stabilire fundamenta amicitiæ, & confirmare basim unionis inter nos amicissimè significatur, & benevolè exponitur ex Vestris literis Regiis, benevolentiâ plenis, quas attulerat antè hac ad fulgidam portam inter egregios & eximios Viros, Magnates, æstimatissimus Legatus Vester *Mylord de Paget*, innotuisse acceptam fuisse vestram mediationem à Cæsare, & ejus Confœderatis, ut per compositionem, & reconciliationem intercedentis inimicitiæ pax & amicitia iterum coalescat, ac proinde Vestram Serenitatem per summam sinceritatem optare, ut per reconciliationem civitates, atq; servi DEi populi quiescant planè in amicitia & bona correspondentia vestra, quæ ab antiquo cùm fulgido Imperio servatur, nullum accidit momentum, quod non pergratum sit, atq; benevolentia vestra nullatenus in dubium vertitur. Præterea gloriosorum inter magnos Christianæ Gentis nostrorum veterum amicorum statuum Generalium, quorū fines bonitate & integritate confirmentur, similiter quoq; isti mediationi consensum declaravit Legatus eorundem D. *de Collier*,

A.C. 1698 qui residet in felici Porta. Mediatio Vestra ab excelso etiam Imperio est acceptata, propositio tamen de *uti possidetis*, quam illi tanquam fundamentum proposuêre in sensu stricto non est apta decori excelsi Imperij, ac proinde cùm cogitatum sit non esse inclinatum atq; annuentem Cæsarem propositionibus idoneis his tractatibus, & cùm consideratum sit, solùm suscepisse istam propositionem ut proficuam aliquibus suis intentis, re verâ autem non esse propensum, ad pacis conclusionem, non fuerat redditum responsum. Quoad præsens autem cùm prælaudatus Legatus Vester declaraverit ex Vestra Sinceritate utriq; Imperio præstita, mediationem Vestram non esse interruptã, sed eodem tenore facultatis frui, atq; continuari propensionem ad tractatus utrisq; utiles & idoneos, & causam dilationis fuisse responsionis abnegationem, atq; quandocunq; Vestræ Sinceritati daretur responsum Excelso Imperio idoneum & intra terminos facilitatis per interpositionem mediationis Vestræ & adhibitis Vestræ Serenitatis amicæ nostræ & Statuum Generalium posse sisti cursum sangvinis humani, & incendium hostilitatis extingvi, ad terminandum negotium istud nos excitavit, itaq; sublimi throno & altæ Sedi Serenissimi, Augustissimi, Amplissimi, Potentissimi, Maximi inter eximios Reges ac decoratissimi inter Monarchas, Altissimi Domini mei retuli, Cæsaris, atq; Confœderatorum proposita ratione ad amicitiam & pacem, inclinationem, & amicæ nostræ Vestræ Serenitatis mediationem exposui, Sua itaq; Majestas non abnuit tractatus pacis misericordiâ flexâ erga pauperes, utrorumq; subditos, ut nempe quiete civitates, & tranquillitate populi fruantur, & præcipuè fisa amicitiæ Vestræ Serenitatis, atq; puncta satisfactioni honestissimæ Imperiali congrua, scripto tradita posita sunt in manibus prælaudati Vestri Legati, quæ postquam unà cum literis nostris pervenerint, faxit DEus, ut per sinceritatem & æquitatem, quæ tanquam in centro in corde Vestro sedem habet, Regiæ mediationis officia expleantur. In similibus tractatibus cùm Vestra Mediatio in gradu sit plena auctoritatis & utrorumq; vices possideat, atque tanti valoris æstimetur, si quæ impedimenta offendant, eorum ablatione amicitiam & fœderationem ad antiquam normam iterum renovandam, & faciente DEo utrorumq; Plenipotentiarios in idoneo loco congressum facturos esse ad reliqua quæ ad pacem attinent, perficienda, ac stabilienda, atque ita servos DEi subditos quietos & contentos fore consideramus. Sin autem prout convenit Mediationi Vestræ debitum honorem haud præstantes, & huic tam probo negotio, per æquitatem, temperantiam, atq; justitiam, æstimationem haud adhibentes, abhorrebunt à pace iterum in favorem eorum, qui miserentur servorum DEi, emicabit, quidquid sub velo Divinæ prædestinationis latet parentibus DEo, salus effulgeat. Data in hibernis DEo protectæ civitatis Adrianopoli. Ex Interpretatione Alexandri Maurocordati, Interpretis Generalis Fulgidæ Portæ.

COPIA

COPIA LITERARUM CÆSAREARUM AD CZARUM MOSCHOVIÆ DE PACE CUM TURCIS. Viennæ 23 April. 1698.

LEOPOLDUS (tit.)

Quò sinceriori in Serenitatem Vestram ferimur affectu, quoq; magis cupimus constantem cum eadem amicitiam colere, eò proniores etiam sumus id re ipsâ præstare, ad quod ex fœderis nexu, obstringimur. Confidenter itaq; Serenitati Vestræ significamus, qualiter Serenissimus & potentissimus Magnæ Britanniæ Rex nobis communicaverit literas sibi tam à Legato suo in Turcia, quàm ab ipso Supremo Vezirio subscriptas, ut & propositionem tractandæ pacis à dicto Vezirio factam. Quæ tametsi non sit ejusmodi, ut pacem conficere queat, nobis tamen visum fuit ea Serenitati Vestræ pariter ac reliquis fœderatis nostris unà cùm literis à dicto Serenissimo M. Britanniæ Rege, ac Ordinibus Generalibus fœderati Belgij hac de re ad nos exaratis communicare, simulque superaddere, quæ per tit: Supremum nostrum Bohemiæ Cancellarium Comitem Kinski, *eò, quòd in ista propositione nulla Serenitatis Vræ mentio facta sit; prædicti Serenissimi Regis Legato de Serenitate Vestra insinuavimus: prout ea omnia per extraordinarium Ablegatum nostrum in Polonia Illustrem ac Magnificum Carolum Julium* Siedlnicki, *Comitem ac Dominum à* Choltiz, *Serenitatis Vestræ ibidem existenti Ministro exhibere jussimus omnino confidentes eandem Serenitatem Vestram non tantùm ad experiendam per universales tractatus amicabilis compositionis viam & sistendam humani sangvinis effusionem, si æquæ conditiones offerantur, pronam, sed suos etiam Commissarios deputaturam esse, ut acceptâ à Turcis ulteriore declaratione, unà cum nostris reliquorumq; fœderatorum nostrorum Ministris loco congruo de pace cum Turcis & Tartaris agant, & DEo T.O. M. annuente negotium tam salutare, ad optatum finem conjunctim perducere tentent. Qui de cætero Serenitati Vestræ vitam longævam & felicissimos rerum successus fraterno affectu apprecamur. Dat: ut suprà.*

COPIA LITERARUM A DD. STATIBUS GENERALIBUS UNITI BELGIJ AD SERENISSIMAM MAJESTATEM CÆSAREAM. 31. Martij 1698. scriptarum.

Quemadmodum maximi semper fecimus Cæsareæ Majestatis Vestræ amicitiam & propensam erga nos & Remp: nostram voluntatem, quam sæpius experti sumus, sic etiam quacunq; latâ occasione documenta dare conati sumus, quanto studio Cæsaream

A.C. 1698 ream Majestatem Vestram prosequamur, & quantopere res ejus nobis cordi sint, hæc etiam causa est, cur aliquot abhinc annis unà cum Serenissimo & Potentissimo M. Britanniæ Rege Cæsareæ Majestati Vestræ officia & mediationem nostram obtulerimus ad componendū Turcicum bellū, quod miseranda cum populorum strage & agrorum devastatione longo nimis tempore gestum est, & etiamnum geritur. Non licuit quidem nobis esse tam beatis hactenus, ut exaudita sint, quæ pro conciliatione, pace, & concordia, Maximorum Imperatorum, & plurimarum, quibus imperant, gentium votis irritis, quas simul adhibueramus nostris conatibus, non tamen hanc curam abjecimus, & spes etiam iterum aliqua affulget, sopitum hoc per aliquod tempus pacificationis negotium reviviscere posse, &, si faveat Numē ad optatum finem perduci. Communicavit etiam Seren: M. Britanniæ Rex pro amicitia, quæ inter nos intercedit, & pro conjunctione, quæ causam hanc nobis communem fecit, literas, quas tam à Legato suo apud aulam Turcicam degente, quàm ab ipso Supremo Vezirio accepit, atq; pacis conditiones, quæ ab ea parte proponuntur, de quibus ad Mtem Vram Cæsaream plura scribere supersedemus, quoniam scimus Cæsareæ Majestati Vræ harum omnium à Rege M. Britanniæ Copiam factam esse per eundem Secretarium, qui literas has nostras perferet, gloriosum reverà non minus, quàm jucundum nobis foret, si nobis cum Seren: Britanniarum Rege conciliantibus, pax inter tantos Imperatores, eorumq́; fœderatos conciliaretur, itaq; non potuimus hoc rerum statu non rogare Cæsaream Mtem Vestram, ut pro summa sua prudentia cogitet, atq́; perpendat, quatenus occasione, quæ, ut vobis videtur, favet, dum ad pacem proclives sunt Turcarum animi, utendum putet, & si placuerit Cæsareæ Majestati, denuò experiri, an opus tam salutare ad optatum finem perduci queat, operâq́; & mediatione nostrâ pridem non ingratos iterum uti judicio C. Mtis V. relinquimus, an non è re futurum sit, Legatos apud Portam tam nostram quàm Regis M. Britanniæ quantocius reddi de voluntate Mtis V. C, eosq́; mandatis & facultatibus necessariis muniri, ut absq; mora cum Turcarum Imperatoris Ministris opus hoc peragant, ne tempus interpositum, eductiq́;, qui adhuc in hybernis stant Exercitus, consilia mutandi ansam præbeant. Interim nos Legato nostro mandata damus, quemadmodum Serenis: & Potent: M. Britanniæ Rex se Legato suo dedisse nobis indicavit, ut, junctis consiliis opus hoc prosequantur, eo modo, quem C. M. V. præscripserit. Cæterùm Serenissime, Potentissime atq́; Invictissime, Imperator DEum Opt. Maximum rogamus, ut Cæsaream Majestatem Vestram diu sospitem conservare, & prosperè ac feliciter regnare sinat. Dabantur Hagæ Comitum die ut suprà.

COPIA

COPIA LITERARUM A COMITE KINSKI AD LEGATUM ANGLIÆ MYLORD PAGET 24. Aprilis. 1698.

ILLUSTISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE LEGATE COLENDISSIME.

Vidit Sacra Cæsarea & Regia Majestas Dominus meus Clementissimus ea, quæ Excellentiæ Vestræ humanissimis suis literis 22. Januarij nuperi Adianopoli datis fusius perscribere visum fuit. Abinde etiam vidit ea, quæ Serenissimo & Potentissimo Magnæ Britanniæ Regi ab Excellentia Vestra transmissa pariter communicare & Londino remittere similiter datis ad Sacram Cæsaream & Regiam Majestatem literis fœderati Belgij Ordinibus Generalibus comitari placuit Sacra Cæsarea Regiaq; Majestas Dominus meus Clementissimus amicissimi Regis & præmemoratorum fœderati Belgij Ordinum Generalium paci reducendæ destinata Officia, & per Excellentiam Vestram tum huc ad aulam Cæsaream notificata, cum etiam apud Excelsam Portam Ottomanicam interposita obstricto recepit, & agnoscit animo, pari etiã affectu & æstimatione considerat Excellentiæ Vestræ huic prædicto fini adhibitas industrias & defatigationes utrisq; gratam vicem semper repositura. Et quò minus cùm apud DEum tum apud mundum de rejecta aut neglecta pace, & non cohibita humani sangvinis effusione sibi & suis Serenissimis Fœderatis quid responsi avertetur, aut etiam opprobrij concıliet. Jussit Sacra Cæsarea & Regia Majestas Dominus meus Clementissimus Excellentiæ Vestræ præsentissimis significare, quod posteaquam pro S. Cæsarea & Regia Majestate ejusq; Serenissimis fœderatis, Rege scilicet & Repub: Polona, & Repub: Veneta stabilita, & reciprocè sine omni limitatione, exceptione aut etiã reservatione à Porta Ottomannica acceptata fuerit, illa inter Imperatores Romanos, eorumq; gloriosissimos Antecessores ex una & Turcarum Imperatores, eorumq; gloriosos Antecessores ex altera parte, haud interrupta observantia, recepta & usitata regula, uti possidetis, *ita porrò possideatis. Tum Sacram Cæsaream Regiamq; Majestatem cum Serenissima Repub: Veneta promptam esse venire ad tractatus & congressum, in quibus salvá per omnia dicti,* uti possidetis, *ita possideatis, basi, tractari poterit de iis omnibus, quæ vel confinia concernere, vel etiam citra obligationem, & solius communis convenientiæ causâ per evacuationem, aut demolitionem reciprocam quorundam minorum locorum in Hungaria, aut aliàs stabiliendæ & assecurandæ paci tam tum stipulatæ deservire poterant convenire juxta ea, quæ in commune commodum tum fieri posse judicabuntur. Et quia pro hic & nunc nemo ministrorum Regis Poloniæ in hac aula Cæsarea existit, ideo citatis & expressis*

A.C. 1698 *Cursoribus Serenissimo Regi & Reipublicæ Polonæ facta est propositionis Ottomannicæ communicatio, à quibus responsa, ubi primum appulerint, Excellentia Vestra per expressum sine mora communicata transmittentur, nec dubitat Sacra Cæsarea & Regia Majestas altè præfatum Serenissimum Regem & Rempublicam se cùm æquitati, tum etiam amicorum sensui, laudabili moderatione accommodaturos, sed reliquum est pacis sanciendæ obstaculum ex eo natum, quòd altissimè præmemoratæ Sacræ Cæsareæ & Regiæ Majestati, prætactisque suis Serenissimis Fœderatis commune sit cum Magno Czaro Moschoviæ Duce fœdus, cujus cùm nulla sit in Ottomannica propositione facta mentio, instanter Excellentiam Vestram rogo, ut modo dictum impedimentum ministerio Ottomannico insinuare, eiq; removendo se applicare non gravetur, quod si favente DEo sub Serenissimi & Potentissimi Magnæ Britanniæ Regis, nec non fœderati Belgij Statuum Generalium auspicijs, ductu, & directione Excellentiæ Vestræ pax honesta & secura cum Porta Ottomannica concludi poterit, non dubito, reductione quietis populorum, & interruptâ sanguinis humani profusione Excellentiam Vestram rem DEO gratissimam, toti Christianitati proficuam, Regi suo gloriosissimam, & sibi apud omnes summè meritoriam, præstituram. Cui dum prosperum successum sincero corde apprecor, ejusdem favoribus impensè me accommodans maneo &c.*

Comes Kinski.

INTERPRETATIO

TRADITI A PLENIPOTENTIARIIS EXCELSI OTTOMANNICI IMPERII PRO FUNDAMENTO PACIS INSTRUMENTI.

Ratio præsentis Instrumenti hæc est. Nos infrascripti Ministri, qui favore æternarum inspirationum im̃ortalis Creatoris universi famuli duorum Sacrariorum Minecæ & Medicæ, Protectoris Sacræ civitatis Hierosolymorum, & Ægypti, & Algeri occidentalis, Cæsareæ, & Damasci, & Aleppi, & Musul, & Zekrusul, & Babylonis, & Diarbekir, & Erceprum & Trapezontis, & Sebastiæ, & Caraman, & Maras, & Asiæ, & partium Europæ, & Regionum Scythicarum, & Circasiorum & Abasium, & Crimeæ, atque in nigro & albo mari sitarum, Cretæ & Rhodi, & aliarum Insularum, & maritimarum Provinciarum & civitatum Regis & Sultani filij Sultanorum, filij Musttaffa. Ita in Regio mandato ad tractatus pacis sumus deputati, & omni authoritate instructi. Quorum interest, omnibus notum facimus, quod ab antiquis nunquam omissâ observantiâ, observatam Regulam, scilicet *uti possidetis*, atque, ut unusquisque possideat, ea, quæ possidet, eodem tenore, quo declaratur, & fusè explicatur instrumento tradito à Plenipotentiariis Cæsareæ Majestatis, & Venetæ Reipublicæ, modò etiam in tractatibus pacis cum Imperatore Romanorum, & Rege à Re-

à Republica Polona, ac Czaro Moſcoviæ, atq; Veneta Republica tanquam fundamentum pacis ſtatuimus, & omnib⁹ expreſſis conditionibus exequẽdum fovere bonâ fide declaramus, atq; affirmamus, & mediatione ſublimiorem antiquorum excelſi Othomanici Imperii & utriuſq; benevolorum Britannicæ Mtis, & Statuum generalium uniti Belgij, & officijs, atque directione admodum æſtimatorum Legatorum eorundem, per congreſſum inſtitutis tractatibus ad regulandas pacis conditiones, ſecundùm convenientiam ſtatûs rerum ac rationis temporum, de quorundam locorum permutatione & demolitione territoriorum & limitum ac terminorum tractabitur, & ratio etiam executionis ſuo tempore præſtandæ ſtatuetur, & ſtabilietur, ac, prout benè judicabitur, reliquis conditionibus & pactis & conſequentibus pacis ad bonum ordinem redactis cum Cæſarea Majeſtate recepto more ac formâ induciarum, & cum ſingulis reliquorum confœderatorum ratione ſtatui rerum ac temporum conveniente, atque utili favore Altiſſimi DEI, alma pax coaleſcat, atq; prædictũ fundamentum pacis, & conditio ad Regem & Rempub. Polonorum, & Moſchorũ Czarum quoq; extendatur, ac vigore horum utrinq; traditorum inſtrumentorum præmemoratus locus reſervetur, ut congreſſui interveniant, & ad ineundam pacem cum excelſo imperio ſic ut Cæſar & Veneta Reſpublica de proprijs pactis tractent, atq; ea ſtabilient; atq; poſthàc ut inito congreſſu, ſicut declaratum eſt. Datum 13 Menſis Machazer Anno 1698vo in Caſtris propè Sophiam. *A.C.* 1698

CVI.

AMICO CONFIDENTI,

16 Junij.

De actis in venatione Jansburgensi.

VEnit Pultoviam Sereniſſimus Rex ultima Maji miſſo prius ad Electorem Bielinio Supremo Regni Camerario. Venit autem ipſa mediâ nocte & cum illo Caſtellanus Samogitiæ, Olſtinenſis, Perislavienſis Capitanei, & paulò pòſt Theſaurarij Regni & Litvaniæ, Palatinus Inovroclavienſis, Maſoviæ, & Mariæburgi; lætiſſimus fuit Rex quia nonniſi horâ ſextâ matutinâ cubitum ivit, nihilominus in craſtino, quæ erat Dominica infra octavam Corporis Chriſti, in Eccleſia collegiata officio divino & proceſſioni adfuit.

2da Junij prandium in Kleſzevienſi prædio meum ſumpſit & pòſt in Praſznyſz pernoctavimus. Oblitus verò ſum unius notabilis rei, quæ *1ma* Junij evenerat, quòd ſcilicet Prependovius cum Bechlingo Saxoniæ Miniſtro ingentes contentiones circa ſalifodinas Wielicenſes habuit, ita, ut primus multam in gratia Regis diminutionem obſervaverit, quia ſe Majeſtas ſua pro ſecundo declaravit, cui jam antè meditata ratio contra imminentia, quod ita primum commovit, ut etiam abire Regemque relinquere voluerit, niſi amici diſſvaſiſſemus. Id etiam ſcito, quòd ego nullatenus comitari Regem volebam, ſed magis precibus, quàm mandato ejus victus feci, cui parere non volo tantùm, ſed & debeo; Rexq; in meo curru, quem ſatis commodum habui ſolus mecum ſolo, locus enim plures non capiebat, iter hoc abſolvere voluit.

3tia Ergo Junij auditâ Miſsâ & proceſſione infra octavam Corporis Chriſti ſolitâ in Praſniſenſi Parochiali Eccleſia abſolutâ in Chorzele prãdium ſumpſimus, unde abſolutâ itidem pomeridianâ Proceſſione abivimus, & in arce Szczytnenſi jam ad Electorem pertinenti pernoctavimus,

A.C. 1698 mus, solenniter ibidem tractati ab Officialibus ejusdem Electoris, quibus præfuit officium salutationis absolvens comes Dönhoff unus ex Camerarijs Electoralibus.

4ta Junij prandium instructum fuit ab ijsdem Officialibus in via & in tentorio ex folijs arborum facto, solenniter itidem tractatus est Rex. Volebat Elector unum ad minimum milliare in occursum venire Regi, sed tam citò venimus, ut vix quartam partem milliaris conficere potuerit. Descendit Rex ex curru meo & post ceremonias ab utrinque factas, ascendit currum Electoris, & nos ad alios currus studio paratos. Tribus vicibus approximante Rege explosa sunt tormenta, quæ non sunt nimis multa in hoc novo Jansburgensi fortalitio. Conduxit ad parata cubicula Regem Elector ubi duas horas in conferentia impenderunt. Paratus erat thronus, quo ordinariè non utitur Elector, sed in favorem Regis, duo tantùm ad mensam sedebant: Interim ad tractandos Senatores destinatus erat Princeps Olstinius, quorum, aliqui dum quendam disgustũ monstrassent, Marckgrabius frater Electoris invitavit omnes, alijs (me præcipuè, qui non soleo ventilare me in omnem ventum) minus curantibus ceremonialia, cùm ad venationem tantùm & assistentiam Regi venissent. Nimis propè Regem parata erat mappula pro Electore, sed Rex ipse mensæ appropinquans sedem suam & alia in medium movit, ita ut inter Regem & Electorem satis notabile fuerit spatium.

5ta Junij visitarunt Senatores Electorem, post quam audientiam, visum est expostulare cum Ministris, quòd ultra spem ceremoniale inceperit, quod esse non debuerat, quandoquidem merè propter solatium venationis hoc iter Rex arripuit, quærebantq; quam distinctionem modò Elector facit Regem recipiendo ab eo quo illum toties recipiebat in domo sua Electorem. Contestabantur Ministri magnum desiderium Electoris ut sua Majestas sit contenta ex illo. Debuit esse in prandio satisfactio, ut scilicet Rex solus in medio sederet, Elector in parte, sed quia Rex indispositus erat, privatim manducavit, in cœna tamen reparatus error & ita Rex sedebat ut conveniens erat, & nos desiderabamus, contentique sumus, quòd evicerimus communis desiderij expletionem, & illud quod Regi competebat.

6ta Invitati sumus pro prandio ab Electore, ubi Rex in medio mensæ sedebat, Elector in dextera, ita ut Baldachinum solum tantùm Regẽ tegeret. Marckgrabius in sinistra parte, Senatores secundùm suum ordinẽ. Bibit quisque secundùm ætatem, liberalissimè tamen ad sonitum musicæ, tubarum & tormentorum. Horâ quartâ itum ad locum venationi destinatum medium milliare Jansburgo, ubi tentoria præparata in medio plena sclopetis. Emittebantur animalia in certis locis detenta, quæ omnino penes tentoria transire debebant, & cum magna voluptate occidebantur. Accidit ut Palatinus Inovroclaviensis aliquantulum ebrius ex sclopeto consultò pulvere tantùm sine globis onerato jaculatus occidisse se porcum silvestrem inclamârit & nos scientes risimus. Octoginta magnæ bestiæ ceciderunt, sine numero minores, Regis & Electoris maximè enituit jaculandi peritia, cum nunquam frustra uti nos sæpius, jaculati fuerint, redivimus in arcem sed ita fatigati, ut rarinantes in cœna comparuerint.

7ma Post ientaculum sumptum, & ampliorem quàm necesse erat potum abijmus; multò longiùs Elector conducebat, & usque ad limites

Poloniæ

Poloniæ Rex tractabatur, qui unâ Pultoviam rediit, & ibi duos dies integros moratus, tertiâ post jentaculum conduxi eum tam celeri passu in curru meo, ut intra quinque horas Varsaviam venerimus, unde incrastino ego ad mea redij, paraturus me pro synodo, quam pro 17ma indixi. A.C.1698

15tâ quæ erat dies Dominica venerunt ad me cum postulatione ad Varmiensem cathedram Ujeyscius & Butler Canonici Varmienses, quibus facundo ore invitantibus respondi, quòd non me fallat quantum cum accessione, vel cum mutatione dignitatis immineat mihi negotij in cathedra illa, undique Acatholicis circumfusa, adeo ut propè fuerit subduxisse humeros, nisi pares in doctissimo & dignissimo Collegio ferendo oneri Atlantes suspexissem. Quidquid ergo in me titulo repetitæ dignitatis contulerunt, cùm omnes simul referre non possim gratias, quamvis eximias me debere intelligam, curabo ut affectibus & suffragiis quibus præter alios digniores me quoque cumulârunt, non indignus olim existimer, nec ingratus. Eodem fermè tempore venerant & Canonici Plocenses, cum certis, à Capitulo punctis, fuissemusque satis læti nisi ego stomacho laborassem, qui me & scribere ulterius non permittit.

CVII.

AMICO CONFIDENTI.

Pultoviâ 21. Junij.

Synodus Pultoviensis.

JAM tibi communicavi Synodum me indixisse in Ecclesia Collegiata Poltoviensi pro 17ma Junij, si puteus, ex quo hauritur coronandus, multò magis obligatum me judicavi, ut Episcopatu meo Plocensi (qui me argento potavit & aurô) cedens & ad alium me conferens, aliquâ eum insigni adornarem coronide, quo fine librum in memoriale affectus mei, ex exotico idiomate in Polonicum à me traductum imprimi curavi sub titulo *speculum veri Sacerdotis* & illum cuivis ex clero reliqui, donoque dedi. Adnecto tibi præfationem huic libro antepositam, ut affectum meum in hanc Diœcesim melius intelligas.

Præterea Synodum à 50 annis intermissam die quâ destinaveram celebravi Pultoviæ in Collegiata quam cohonestârunt suâ præsentiâ Albrachtus Georgius Dönhoff Episcopus Præmisliensis Supremus Regni Cancellarius ut Præpositus Cathedralis Plocensis, Dux Sielunensis, Nicolaus Poplawski Episcopus Livoniæ uti Decanus Cathedralis, Martinus Załuski Episcopus Rosmensis Suffraganeus Plocensis, Stanislaus Boglewski Abbas Plocensis, Capitula, Cathedrale, & Collegiatum, Decani triginta, ac Parochi plerique, quos omnes triduo hospitiis & mensâ excepi. Synodus ipsa juxta præscriptum Pontificalis & directionem Gavanti est incepta, continuata, & perfecta, neque uno jota omisso. Sermones meos tibi transmitto. Director horum comitiorum erat Adamus Rostkowski Sacræ Theologiæ & Juris utriusque Doctor, Archidiaconus Dobrinensis in Cathedrali Plocensi, Præpositus Varsaviensis & Pultoviensi, eosdem (cæteris paribus) actus prudenter dextrè & zelosè gerens, sicut Mareschalcus in comitiis Regni, nec verebar ne faciliora bene perficeret, qui jam difficiliora optimè perfecit, ita bene ille omnia, ut nemo melius. Quia verò plura jam sub tempus Regiminis pro bono Diœcesis

A.C. 1698 cesis statueram, ut ea majus habeant perpetuitatis robur, eadem in Synodalia redegi statuta, quæ tunc relegebantur, cunctis ad quodlibet à Directore interrogatis utrum placeret? respondentibus, placere, promulgabantur pro lege. Si verò in quopiam notaretur ab aliquo difficultas, ea discutiebatur, & quod ex omnium erat unanimi sententia decidebatur. Quamvis enim non ignorem penes unum tantùm loci ordinarium vim esse vocis decisivæ, sciens tamen jugum esse magis suave dum volenti imponitur, & unumquemque libentius ea amplecti & exequi, quæ ipsemet probavit, nihil inter statuta inseri permisi, quod non omnibus placitum esset. Præbui etiam non molestas aures omnibus sua desideria vel dubia exponentibus. Ut verò citius omnes in hoc expedirentur, designavi aliquot Prælatos ad auscultanda & discutienda certorum Decanatuum negotia, quæ autem Deputati resolvere non audebant, ea compendiosè mihi in synodo referebant, ut omnibus omnia fierem. Conclusio inter mutuos omnium amplexus, plausus & jucundas lachrimas est peracta cum tanta animi mei voluptate & universorum satisfactione, ut si eam prævidissem, nullum anni circulum absque synodi celebratione prætermisissem Corona ergo imposita est & finis operi die tertia, nihil per gratiam DEi omissum, quodcunque nos tot synodorum praxes continuâ serie docuerunt, si quid tamen desiderabitur, par successor adimplebit. Faxit tantùm DEus, ut quæ nos plantavimus, rigavimus, ipsemet det incrementum, & successori eum inspiret zelum, ut quæ nos scriptis, ipse typis mandet, quæ nos cœpimus & constituimus, ipse perficiat & exequatur.

SERMO IN PRIMA SYNODI Sessione 17 Junij habitus.

QUod S. Paulus ad Romanos; Nolo vos ignorare fratres, quòd sæpe proposuerim venire ad vos, sed præpeditus fuerim, hoc ego ad vos propriâ vitâ meâ chariores fratres cum ingenti animi sensu dico, quòd id hactenus habere solatium non potuerim, quod hodie cum ineffabili lætitia mea experior, cùm omnes congregatos video cùm vestrâ frui præsentiâ, cum vobis confidenter loqui possum, uti certè sine cura verborum simpliciter adinstar medici, cujus ægrum visitantis quæritur non ornatus sed auxilium: nolo vos alloqui subtilibus conceptibus, libentius vellem, meliores, utinam, quàm sapientiores facere. Quærite apud me non blanda sed necessaria, non deliciosa, sed fortia; quid enim juvat pompam tenere præcepta daturum. Quidcunque Spiritus Sanctus ad cor & os inspiraverit hac & aliis sessionibus, ad vos loquar & loquar his verbis, cum quibus Regimen Diœcesis hujus ex DEi voluntate incepi, quæ tanquam tesseram in omne tempus pastoralis meæ curæ elegi: videte vocationem vestram, dico autem vobis omnibus, sicut quondam S. Joannes scripsit, ita ego dico vobis infantes, qui receptâ gratiâ Christi, nunc primùm à defraudante recessistis mundo. Dico vobis adolescentes, dico vobis juvenes, qui appropinquatis ad honorem Apostolicæ dignitatis; dico vobis Patres, qui usque in hanc horam labores juvistis meos, excitando ulterius cum Nazianzeno vos magnæ urbis cives, primi esse debetis in virtute. Quis mihi det ut pectus meum simile sit veri illius amoris symbolo, quod Philosophi Platonici ex crystallo tam mundo elaborârunt, ut integrum videretur cor, quia certè spectaretis meum ardentis affectûs plenum, in omnes promptam voluntatem, & succursum vestrum, indefessam sollicitudinem, ad ducendos vos in cælum, inextingvibile desiderium. Quis mihi det? ut quod Socrates

uni

uni ex diſcipulis ſuis, dixit, te tibi meliorem reddam, ut ex hac Eccleſia nemo revertatur, niſi melior. Quis mihi det? ut in limine Eccleſiæ hujus ſtans Angelus Diœceſeos hujus cuſtos ſcribat in illo: hæc porta Domini, juſti intrabunt per eam, ut qui eſt bonus, melior adhuc hinc redeat, qui defectibus aliquibus obnoxius, extra limen eos relinquat, nunquam ad eosdē rediturus. Quis mihi det? ut id quòd in pſalmo legimus: aſcendunt montes, & deſcendunt campi, hîc inter nos verificetur; ſi aliquis intravit ſuperbiâ inflatus, ut ex improviſo bonorum exemplo converſus ex Babylonico in Sionis mutetur filium. Non enim ſufficit, ut quilq; dicat: video vanitatem Ægypti, ſed omnino oportet, ut eam abominetur. Avertat Dominus Omnipotens, ut incidam in aliquem, qui inficit äërem fœtente fumo, quem deberet luce cœleſti illuminare, qui ſimilis eſſe vellet imaginario illi diviti, in cujus theſauro plus de plumbo, quàm de auro, in horreis plus de palea, quàm frumento, avertat bonus DEUS, ut inveniatur talis, qui Eccleſiam hanc ingredi pedibus præſumeret, & animam extra portam relinqueret, nónne eſſet talis tanquam iris ſine veris coloribus? videte fratres vocationem veſtram. Exivimus ex Ægypto, ex Chaldæa mundi, dolis & fraudibus plena, ſecuti ſumus Chriſtum ad guſtandum fel, ad portandam crucem ejus, & quis vellet eſſe falſus Abrahami filius, & quis vellet apparentiam tantùm monſtrare ad oblationem, & non veram voluntatem, deſideriumq;. Proinde cum affectu, quantùm poſſum, maximo adjuro vos, videte vocationem veſtram, vellem ex corde non verba, ſed roſas in bonos, ſpinas in malos projicere, aperiendo cor, adſtringendo quemvis ad apertū pectus, vellem & Spirituales & temporales neceſſitates veſtras intelligere, & id, quod ad animam, & id, quod ad corpus pertinet, tanquam paſtor paſcere, tanquam pater adjuvare; nunc uti ferro, quod aperiat vulnus, nunc goſſypio, quod prudenter & delicatè extergat. Vellem ex animo non tantùm publicè vos ſed quemlibet privatim quærere cum Chriſto; quid tibi vis, faciam? quis ſcit, an non invenirem reciprocum in cordibus veſtris affectum? fierem vobis quod Hebræis manna, quæ ſapiebat ad guſtum deſerviens uniuſcujuſq; voluntati, mutari pòſt poſſem in tubam Ioëlis, extenderem arma, provocarem in duellum defectus Spirituales, indicerem bellum perverſis morib⁹ ejicerem abuſus, & dimitterem vos ex hac Eccleſia ita ſanctos, ſicuti Apoſtoli exiverunt ex cœnaculo, ut poſſitis accendere hos, qui in peccatis congelati ſunt, refrigerare hos, qui in delictis ardent, humiliare illos, qui ſe in altum nimis extollunt, exaltare qui cadunt, docere ſimplices, eradicare peccata, ut exeatis tanquam Ioannes, ubicunque expedit inclamantes, non licet: ut in vobis habeant ſuos Ægyptij Moyſes, luxurioſi Phinees, Idololatræ Elias, avari Eliſæos, mendaces Petros, blaſphemi Paulos, ut non contemnatis vulgum, ſed doceatis, pauperes adjuvetis. Si nos erimus boni Sacerdotes, totus mundus convertetur, & bonus erit: non exquiro à vobis, ut ſitis ſimiles Thomæ in Indias excurrenti, Andreæ in barbara Tartaria Evangelium prædicanti. Non perſuadeo, ut hic in altum evolet, qui à natura pedes habet, non alas. Non vos duco, ut aſcendatis columnas, & ibi pœnitentiam cùm Styllita incipiatis; non vos privo veſtibus veſtris, non onero gravi cruce humeros veſtros, relinquite Carthuſianis ſecreta cubicula, Camedullis ſylvas, Monachis chorum, mendicantibus nuditatem, funes, jejunia; videte fratres vocationem veſtram; id tantùm facite, quòd Chriſt⁹ Apoſtolis, quod nobis Apoſtoli prædicarunt; non vobis aliud indulgete, non dicite cum illis, quæ non prohibentur, non ſponte permittuntur. Mallem privari oculis, quàm videre aliquid mali, & tacere; mallem elingvis eſſe quàm videre aliquid vocationi contrarium, & non clamare, mallem auribus eſſe deſtitutus quàm audire aliquid indecori, A.C. 1698

& non

A.C. 1698 & non exclamare, & non incusare, mallem esse surdus, cæcus, mutus, quàm videre, audire, & obligationi meæ non facere satis, nec eò vos ducere, ut viventes inter filios Evæ luceatis tanquam planetæ inter filios hominũ. Si essem⁹ boni Ecclesiastici, audiret nos, obediret nobis mundus. Magna pars ejus per nos aut illuminata, ne erret, aut exercitata, ne peccet, aut fortificata, ut sit constans non tantùm in vera fide, sed & in filiali timore, ne offendamus eum, qui nos creavit. Quo major dignitas nostra (Sacerdotij dignitas in æternum) eò majus virtutum omnium esse debet exemplum, ne, avertat DEus, eò gravior sit casus, quò facilior ruina è sublimi. Æmulemur proinde charismata meliora, induamus *Dominum* Nostrum JEsum Christum, ut exemplo Turonensis Episcopi fiamus gemma Sacerdotum, speculum gregis Dominici, ne cogantur delinquere, qui nos volunt imitari. Luceat lux nostra coram ijs, qui in domo sunt, & qui foris sunt, & aspiciunt per cancellos & fenestras. Mundemur quotidie diligenter, qui non vasa tantùm Domini, sed Dominum ipsum portamus. Sacerdotis est, dicit Nazianzenus, DEum esse, & alios efficere Deos, imaginem Creatoris restaurare, superni mundi opificem agere. Quanta dignitas nostra? audite Areopagitam: divinissimum est cooperari DEO in salute animarum. Conveniat res cum titulo ne pœniteat DEum fecisse nos Regnum & Sacerdotes sibi, sit odor in flore; ut optat Bernardus, & sapor in fructu. Sit odor in floribus, viriditas in folijs, sapor in fructibus. Clarissime fons æterni luminis, expellas tenebras nostras, animate animorum sol clarifica nostros intellectus. Doctor infallibilis veritatis duc nos viâ nostrâ, cœlestis Informator hominum imprime in meliori cordium nostrorum parte, indelebili charactere id, ut possimus sequi vocationem nostram. Influat in nos gratiarum tuarum diluvium, descendat ros misericordiæ, ignis Spiritûs Sancti, ut hanc Synodum eo expediamus modo, quatenus ex illa soli DEo laus & gloria, nostræ & ovicularum nostrarum animabus fructus sit & consolatio &c.

IN ALIA SESSIONE.

ET hanc sessionem dilectissimi, & vitâ ipsâ chariores Fratres mei ab alia non incipiam materia, hesternis verbis, eundem percutiendo clavum, iterum utor: Videte vocationem vestram. Relinquo omnes alios discurs⁹, sequor Augustini doctrinã: qui docet, vitabit omnia verba, quæ non docent. Nosco me, nosco vos, & sentiens, quòd simus Filij primorum Genitorum nostrorum, & hæreditantes inclinationem ad mala, quæro diligenter, ut debeo: Vinea nostra post primam sessionem, uvásne fert an labruscas? quæro, sumúsne similes Apostolo? de quo Chrysostom⁹: non examinat mandata Domini sed paret. An nobis pudori sunt claves Petri, character spiritualis? An volumus mutari in baptisterium pro Fidelib⁹? ad quod quicunq; accedit filius iræ, recedit plenus gratiâ; num abscondimus spinas frequentiori rosarum folio? an non tenemus abditum serpentem inter flores? an non tegimus venenum in pretioso lapide obductis vasis; poteſtne S. Augustinus laudare nos eo modò, quò submissionem deprædicavit Abrahami? accessisse non hæsisse, quia plerumq; psittacus senex renuit disciplinam. Nónne retia nostra solùm venantur ventum? sagittæ nostræ an non aberrant à meta? labores nostri súntne inutiles? sollicitudines nostræ súntne vanæ? aramúsne agrum, sed infæcundum, serimus sed sine fructu, similes illi, qui imponebat nummos in saccum pertusum, ædificabat

bat Palatia super arenam subsistere in defluente continuò aqua. Videte vocationem vestram, DEus sic jubet, quis illum non audiet? pudeat Successores Apostolorum, exclamat Bernardus, lucem non esse mundi sed modii, sumamus exemplum ex militante juventute, quivis desiderat, ut in prima linea ad prælium exponatur, quivis, dum aliquod expugnatur fortalitium, vellet super muros apparere primus, quivis aperit pectus ad jacula, ad nudos enses, & rarus est qui audaciam cordis non monstret, ad effundendum quoq; proprium, ad videndum inimicorum sangvinem. Sed hoc est adhuc minus, quia de fama, gloria & reputatione agitur. Considerate tantùm, dicit S. Cyprianus, latrones, hi subjiciuntur severitati ejus, quem sibi superiorem elegerunt. Præpositus hîc agnoscitur, & timetur, non quem divina sententia constituit, sed in quem factio perdita, & nocens caterva consensit. Currunt alacriter ad perditionē æternam, exponunt prius corpus, quàm animam, ut tantùm obedientiam testentur diabolo, in persona ductoris sui. Et inter nos Spirituales nónne inveniuntur tales, qui obedire nolunt DEo, in vicariis ejus, ibi Præpositus agnoscitur, & timetur, cui regimen commissum non à Sanctissima Trinitate per manus suorum Vicariorum, sed à Diabolo per sacrilegas conjurationes. Erubesce Sion, pudeat vos Spirituales, confundamini, qui Evangelium sequimini, ita clamat ad vos miles, ita objicit vobis hic, qui DEum verum non cognoscit. Et nos plerumque incusamus, si severiùs arguitur quisquam justè, quanquam S. Bernardus dicit: In quantùm gravaris, in tantum lucraris, quanquam conniventia horũ qui regunt, est tanquam rubigo in lucentibus armis, quæ ea destruit. Deviaretis ab æterna mercede, si frenum non teneretur, ne cadatis, si calcaria non adhiberentur, ut curratis, si hi, qui vos ducunt in montem Thabor per indignam compassionē nutrirent vos lacte, dum exhibere amarum ex felle potum & loco ejus, ut ascendendo ad perfectionem defatigari deberetis, cooperirent capita vestra rosis delicatis, adulando mentibus. In quantum juvaris, in tantum tua tibi præmia minuis. Elige ergo, prosequitur cum solito zelo Bernardus, quos diligas, at qui gravando juvant, hi tibi promeritores, illi fraudatores meritorum existunt. Felices Diœceses, in quibus Spirituales desiderant disciplinam Ecclesiasticam, quid mihi faciendum? ut ante scilicet prælegi, maluiq;, sic nunc præeligo & malo ex persona mea, minorem vestrum affectum, aut majus odium, ut evitem pœnam mollibus destinatam, eum siquidem (meus me docet Chrysostomus) qui istud suscipit officium, non oportet mollem esse. Scitis, quantùm constet cura circa animas vestras, quandoquidem teneor strictam reddere rationem Christo Domino pro imperfectionibus vestris, si dissimularē in vobis aut negligentiam in factis, aut tepiditatem in orationibus, aut sæcularem spiritum in sermonibus. Habete me proinde excusatum, si sæpius graviter contra vos insurgebam, timebam enim ne me condemnarem, ut vos salvos facerem. Arguebam ne arguerer. Nihil novi prædico, hoc tantùm vobis semper inculco quòd à Spiritu Sancto didicerunt Apostoli, à Christo ejus Vicarij, nos ab Apostolis: quicunq; nupsit cruci, adsciscere sibi debet clavos, ut patiatur, non aureas arripere palmas, ut lætetur. Facies Christi apparuit Joanni Evangelistæ, non florens rosis, sed circumdata ferro, ensis inter dentes, qui non projiciebat mel, sed de ore ejus gladius prodibat, utrâq; parte acutus, id præcipuè significans, quòd fortiter verbo divino sine misericordia ulla contra defectus insurgendum, sine respectu contra delinquentes agendum, cum hac præcisa resolutione, ut sentiant vulnus in cordibus, ut sangvis in illis appareat, ut irato Domino Levitica manus mille subjiciat victimas. Gladius dicit Richardus, utrâque parte acutus, qui amputat lu-

A. C. 1698

A.C. 1698 xuriem carnis, qui intus resecat malitiam cordis. Dico autem id non ideo, quòd hæc inveniantur inter vos, sed ne in ullo ex nobis inveniantur, ut in nemine ex vobis verificentur, sed ut cum applausu cælesti, cum admiratione mundi, terrore inferni monstremus nos successores veros primorum Patrum, discipulos veros Christi. Quàm pulchrum, si videaris, & prosis? docet Ambrosius. Nolo lucem ex carbonibus, qui offendunt oculos, luceat lux vestra: videte vocationem vestram. Recordamini, quod PIUS II. scripsit: mali medici corpora, imperiti Sacerdotes animas jugulant; vestra vita alieni morbi medela erit. Vox vestra, doctrina vestra, omnis actio vestra ejus debet esse vigoris & valoris, ut ex quibusvis lapidibus filios Abrahæ faciatis. Ut verò id facere possitis, necesse est, ut sanctitatem comitetur doctrina, quia thronus in cælo circumdatus est à Seraphinis, qui ardent amando suum & nostrum Creatorem, diu noctuque laudant eum, Seraphin stabant super illud, clamabant Sanctus &c. In terra è contrario arca testamenti, & Sanctuarium DEi redditum fuit sub custodiam Cherubinorum. Sicut proinde in cælo sufficit amor in infinitum bonum accensus, ita inter nos plus aliquid ultra amorem, ultra sanctitatem, hoc est ut sapientia nostra confundat hæreticos, doceat simplices. Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testamenti inter duos Cherubin. Væ Ecclesiæ Christi, væ Congregationi fidelium, si in ea deessent sapientes, etsi diligerent. Amor decorat Christianos, sapientia defendit à sagittis Diaboli, sustinet à lædentibus mortalium inventionum ictibus. Et propter id Christus non dixit Vicariis suis: mortificate vos jejunio quadraginta dierum in similitudinem Moysis in monte Sinai; non dixit: sepelite vos, tanquam Elias in vix accessibili inter frequentes arbores Carmeli vertice, sed jussit id: discite abscondita scripturæ, prædicate in omni terra Evangelium, scrutamini scripturas, & docete omnes gentes. Eo fine primâ die novæ Ecclesiæ fundationis non fortificavit membra Apostolorum Spiritus Sanctus, ut pati possent, sed armavit lingvis, ditavit intellectu, ut facti Magistri totius mundi diffunderent ubique lumen veritatis, expellerent ex quovis terræ angulo superstitiones, tanquam umbras infelicis peccatorum ignorantiæ. Ruisset jam & cecidisset ædificium fidei, si Joannes Evangelium forti lapide inauditæ Theologiæ non renovasset ejus fundamentum. Ita sanè in hoc exilio magis egemus succursu à sapientia, quàm deliciarum ab amore Seraphin in cælo, Cherubin in terra. Si in DEo tanta non esset sapientia, non timeremus ejus fortitudinem, respectum non haberemus ejus omnipotentiæ. Ita Bernardus ad Eugenium: quid tam timendum, quàm potestas, cui nihil potest resistere, quàm sapientia, cui abscondi nihil potest. Concludendo in laudem infinitæ sapientiæ, poterat minùs timeri DEus, alterutro carens, nunc autem perfectè oportet timere illum, cui non oculus deest omnia videns, nec manus omnia potens. Pulsate & aperietur vobis, sed non aperietur, nisi sapientibus, & timendum, ne ignorantibus dicatur: nescio vos; si quis ignorat, dicit S. Paulus, ignorabitur. Quantus pudor, dum sæculares ignorantiam Spiritualium aut corrigunt, aut contemptui habent; multitudo sapientum, dicit Salomon, sanitas est orbis terrarum. Unde cum Doctore gentium contestor vos hodiernâ die, ut hanc discatis sapientiam, quæ est necessaria ad dandam scientiam salutis plebi, ad reddendum DEo populum acceptabilem. Nónne scitis monitum S. Pauli? argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina; & quomodo docebitis si

ipsi

ipsi ignorabitis, quomodo ducetis? si ipsimet viam nescitis: Sacerdotis est, docet sanctus Hieronymus, scire legem Domini, & ad interrogationẽ de lege respondere. Estis lux mundi, non anteponatis ergo tenebras luci. Estis sal terræ, non corrumpite, sed servate integros, ut & vos, & ego vobiscum coram Patre cœlesti gloriari possimus: quos dedisti mihi Pater, non perdidi ex eis quenquam. Nullus periit sine baptismo, nemo sine Sacramento pœnitentiæ mortuus. Erit Sacerdotij dignitas in æternum, & Regni ejus non erit finis, si cum debita sanctitate hoc sciemus, quod ad doctrinam curæ nostræ concrediti gregis pertinet; qui enim erudiunt ad justitiā multos, fulgebunt sicut stellæ firmamenti in perpetuas æternitates. *A.C.1698*

IN TERTIA SESSIONE.

JAM tempus est dilectissimi, & vitâ semper chariores fratres mei, ut diffundatur in consolatione cor meum, dum video, quòd ex gratia boni Dei Synodus nostra initium felix, progressum fortunatum, hodie finẽ ultimū accipiat efficacem. Diffunditur inquam cor meum à consolatione, obruuntur insimul oculi lachrymis, dum considero illa Chrysostomi mei verba: nemo mihi dicat quòd multi correcti sunt, hoc non est,quod quæritur, sed ut omnes quousq; non videro, respirare non possum. Non satis est, cogito mecum, & dico cum zelosissimo hoc Episcopo non satis est vitæ nostræ, ut medietas corporis sentiat in se vigorem. Si sentit calorem febris in venis, si alia pars plena malorum humorum, extingvit spiritum vitæ: multi correcti sunt: scio pro certo, & Deo gratias ago, sed sit sanè, hoc non est, quod quæritur, sed ut omnes, sufficit quod in unam manum gangræna descendat, sed & hoc multum; satis est, ut unum membrum periculosè sit vulneratum sed & hoc minus, satis est, quòd extremum digiti inficiatur veneno, nam ex eo moritur homo, quanquam totum corp⁹ condolet. Nonne justum est, ut palleam in facie, frigeam & tremam in toto corpore, obmoriar in anima, quanquam immortali, metuens, ne inveniatur, utinam verò non inveniatur in corpore mystico Ecclesiæ nostræ Diœcesis hujus aliquod membrum infectum, si inter centum oves desit una, Pastor ille centum oves habebat, non sentit de nonaginta novem salute delectationem. Unus tantùm luxuriosus miscuerat se inter primos Christianos Corinthi, & ita afflictus fuit Paulus, ut consolationem non invenerit ex alijs optimè viventibus. Apud Corinthios unus tantùm erat fornicarius, & tamen unum gemebat Paulus. Unus Cometa inter mille stellas turbat omnes sphæras, evertit totum mundum. Nemo ergo me consoletur,quod pauci sint tales, qui ad instar illius Indiani accepto ab Italo Menson vocato, pro una gallina imperiali in specie, imposuit eum in os, & videns, quòd illa moneta non fuisset bona ad manducandum, exspuit illam, cumq; ira dixit: Eas hinc procul insipide Europæe, ad quid hoc, quod mihi das ? si illud ita manducare nequeo, ut tu gallinam, quam tibi vendidi. Est ne aliquis inter nos, qui res spirituales judicat, tanquam panem quotidianum, & quia manducare non potest, ut hic Indianus monetā, omnia in jocū vertit. Invenitur ne aliquis Mom⁹, qui solus tantū & unicus erat inter falsos Deos invent⁹, qui cum nulla satisfactione, nulla consolatione abivit illudens (ut Philostratus ait) Deam fuisse placituram, si sandalia crepitantia non habuisset? Plurimi reperiuntur tales, quos DEus trahit, tanquam Patriarcham Nöe: Ingredere tu & omnis domus tua in arcam, & tamen non sunt tam obedientes quàm Nöé. Destinatum, denuntiatum, proclamatum est diluvium, & illi se contra illud non parant; apertus portus, & illi profun-

A.C. 1698 dius & periculosius mare petunt, & illi evidentibus se exponunt periculis, magis iliis placent stultæ & privatæ imaginationes, quàm veræ Evangelij doctrinæ, ut bonam viam aggrediantur, quam sequuntur sapientes, pij, devoti, & illi, nihilominus vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum: Ita sunt obcæcati intellectus eorum, ita opiniones falsæ occupârunt animum, ita pertinaces errores prævenerunt. Colligunt ventum ex omnibus partibus, tanquam nescirent, quòd stricta DEo ratio inde reddenda sit, quòd illud judicabit is judex, cujus inquisitio est sine fraude, cujus sententia est sine errore, cujus decretum excogitatâ appellatione evitari non potest. Inveniuntur sanè, utinam non inveniantur, cum gravi cordis mei dolore ita immemores vocationis; ut abjectâ bonâ viâ hanc arripiant, cujus finis est præcipitium, ingrediuntur navim plenam foraminum, incipiunt prælium in quo infallibiliter perdent, seminant in fundo, qui est certè infœcundus, projiciunt se inquam, ut submergantur, eunt in infectas peste domos, ut se inficiant: hæc ne sunt tolerabilia? meus Chrysostomus inclamat: quicunque es, appropinques ad nos, reflectas te primò, antequam super te veniat pœna hujus, cujus ictus infelix principiũ est æternæ pœnæ. Coronare vult DEus frontem tuam immortali coronâ, & tu paradisi flores projicis in terram, & conculcas. Promisisti cum juramento fidelitatem perpetuam militaturus sub glorioso Christi Crucifixi vexillo, & pòst pudendum rebellisantium vis sequi signum. Quid protuit, quòd Christus rectum te reddere voluit, uti illam à nativitate curvatam mulierem, si iterum sub onere antiquarum & malarum consuetudinum cadere, & incurvari vis? Quid prodest, quòd viderint oculi tui, quòd redierit visus? si odio habendo lucem, ipse tibi eruis oculos? Quid prodest, quòd redierit tibi auditus, si iterum pejus scorpionibus vis surdascere? Mundavit te Christus ex lepra cur gravior adhuc tibi placet scabies? Sanavit Christus membra tua paralysi infecta, & tu desideras, ut magis adhuc, quàm ante, inficiantur. Eduxit te omnipotenti verbo ex fœtido malarum consuetudinum sepulchro, & tu iterum tantùm ex te producis fœtorem? Potestne graviorem febrim aliquis invenire Doctor, majorem chirurgus in aliquo vulnere gangrænam, lapidarius marmor *tam durum*, aurifaber adamantem tam pertinacem, agricola terram *tam infœcundam*? Exire è recto tramite, est errare, longiùs illo abire, est perire. Cur ergo non odio habes cepe Ægyptium? cur non invenis gustum in cælesti manna? Repetimus opera, teste Ambrosio, non jam undis purganda, sed flammis. Ædifices tibi, utcunque placet, intentiones *invidiâ* dignas, destruet illas DEus. Sume locum & super ipsas mobiles *fortunæ* rotas, dejiciet te ex illis DEus; trahas filum impertinentis *spei*, succidet illud DEus. Cur ergo exoptatum bonorum non tenes comitatum? Digniores sunt in corpore nostro oculi, quàm digitus, & tamen meliùs est esse digitum, ut docet Augustinus, & esse in corpore, quàm oculum, & evelli de corpore. Nihil facilius inveniri potest, quàm prætextus ad defraudandos homines, sed non invenies media, ut abscondi possis coram oculo DEi. Agnoscit DEus prius mendacium tuum, quàm illud proferas, prius cognoscit glomum, antequam illum explices, prius rejiciet excusationem, antequam tuum aperies os. Inclamare proinde cogor ad omnes: Videte vocationem vestram filioli mei ita Ambrosius Discipulos vocabat: Filioli mei ita vos æstimo, sicut video. Imago quædam animi loquitur in vultu: Honoro tanquam Angelos in Diœcesi mea,

mea, qui vivunt secundùm vocationem; abhorreo, tanquam à cadave- *A.C.* 1698
re mortuæ fidei, qui ab illa recedunt. Viverem in illa consolatione, ex qua mori voluit Simeon, cùm in sinu suo Christum strinxisset, si vestrûm omnium, qui ad me pertinetis, tam bona esset vita, ut in naturam commutaretur. Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon & homo ille justus & timoratus, super quod commentatur Gverricus Abbas, non timentem dixit, sed timoratum, non horarium, & perfunctorium, volens significare timorem, sed qui versus esset in habitum, qui altius timoris imbibisset affectum &c. Non sunt vera illa lumina, non sunt planetæ si ibi, ubi maximè lucere deberent, extingvuntur; nulla est virtutis gloria, si lucere desistat. Executio mandatorum DEi certos nos non reddit de salute; peccatum contra illa aperit infernum. Scio ego, quòd placere omnibus sit impossibile, præcipuè autem uti legimus Proverb. 9: Corripe sapientem, & amabit te, corripe insipientem, adjiciet odisse te. Super quæ verba Augustinus non dixit: incipiet, sed adjiciet, quia jam oderat. Qui non amant disciplinam, legum Ecclesiasticarum observantiam, tanquam illi pisces magni projiciunt se in retia, rumpere ea volunt, vitam desiderando nullo oneratam jugo. Nos verò qui sumus sequaces Christi Crucifixi, odio habere debemus totum id, quidquid separat nos à cruce. Non inveniatur tam indigna in corde spirituali cogitatio, ut non faciamus id, quod docuit Christus, quod docuerunt Apostoli; non inveniantur tales, de quibus Ambrosius, multos cœpisse, nec impléſſe: progrediantur de virtute in virtutem, non tædeat nos laborum in vinea hac Christi. Parum laudis habet corona virtutum (ita Valerianus) quæ ex labore non descendit. Laborandum est memorando, quòd solus bos mutatus in Cherubinum, leve onus & jugum Domini (idem Valerianus) quod non gravat nisi aut perditos, aut perdendos. Quid prodest, quòd simus sacerdotes? nihil tibi proderit dicere, Abrahæ sum filius, docet Ambrosius, si vocationi nostræ non respondebimus. Et ego verbis Chrysologi pro modestia loquentis finire vellem, angusto sermone res latissimas, sed scientiæ, intellectui vestro lata sunt, quæ in sermone nostro videntur angusta. Dabam me vobis dilectissimi Fratres per totum regiminis mei cursum, quanquam id quoque parum fuit; sentio enim, quàm sit exiguum. Tota mea applicatio erat pro utilitate vestra spirituali, si propter peccata mea inefficaciter, tunc ad DEum recurro, ut ille ipse, qui nutu unico in ipso cursu currentem detinuit solem, qui fluentem Jordanis retroire fecit aquam, qui ex duro silice eduxit mel, extraxit ex gravi lapide oleum, ipse confirmet bonos, corrigat malos, emolliat duritiem cordium ex lapide factorum, reducat errorem viarum non rectarum, detineat rotas currentium voluntatum, amoveat à nobis omnia infortunia, calefaciat omne frigus, detineat omnem levitatem, ut omnes in alios mutati ita illi soli serviamus, sicut ante eum offendebamus, ita reformationes nostras observemus, ut antè delictis nostris scandalisabamus. Faciat id, qui desiderium pauperum exaudit, qui non destinat horas. Veni quando vis, quando tibi placet; nullum apud illum commodius tempus altero est; conjuncturæ non sunt ullæ meliores, quia semper æquales. Inveniemus claves ab omnibus thesauris, nunc præcipuè, quando in tam sancta reperimur congregatione. Si illo tempore, quando duo vel tres in nomine Domini congregantur, tunc particulariori nunc modo dum tam numerosa sanctorum, sapientum & prudentium adest frequentia. Nonne debemus sperare gratias modò illud sicut ait meus Chrysostomus, à DEO petamus, quod nobis expediat accipere, &

A.C. 1698 & illi placeat præstare, & ego cum ordinaria tessera, videte vocationem vestram, his verbis finio, quibus Bernardus ad primarium Cardinalem Romæ usus est. Haymeno Cardinali & Cancellario Bernardus Abbas, Domino vivere, & in Domino mori.

ALLOCUTIO CLERI DIOECESIS PLOCENSIS IN ABITU AD CATHEDRAM VARMIENSEM IN LIBRO IN SIGNUM FRATERNI AFFECTUS & INDELEBILIS AMORIS RELICTO.

HÆc erat, & est voluntas DEi, ut Cathedram Varmiensem ascendam, an descendam? qui ascendit ipse est, qui descendit. Quicunq; in me Dilectissimi, propriâ vitâ cariores Fratres mei, sincerum & cum teneritudine consideravit in vos affectum, fateri debet & dicere, avulsus est ab eis quòd violenter & cum sensu dolentis animi avellere à vobis cor debeo, ad quos conglutinata erat anima mea. Diœcesim hanc perpetuo quodam judicio diligebam, & tanquam sponsam non tantùm defendere sed etiam cum periculo offensionis condecorare, ac ditare curabam pro modulo. Viros eximios & dignos, quos in se complectitur, æstimavi semper, & quantum potis erat, in tempore fuit respectus illorum. Videt Dñus in cujus conspectu nuda sunt omnia, quàm sit mihi grave transferri à vobis, & quòd id non faciam, ut fortè id interpretari potest malignitas, propter aliam rationem, nisi ut conquassatam gravibus obsequiis publicis (quorum nullum unquam intermisi) valetudinem aliquomodo in solitudine sustineam, propriæ animæ saluti, & publico laborando, & historiæ sæculi nostri conscribendæ vacando. Ita tamen transferor à vobis, ut cælum non animum mutem.

Cùm verò, sicut dicit S. Augustinus, antequam Pastor suum gregem Patrifamilias reddat, ordinariè ante noctem reductas ex campo oves, quamlibet separatim ostendendo, numerat, ita & ego ex corde optarem, ut cum quolibet ex vobis facto computo in integro non tam successori, quàm cælesti patrifamilias gregem meum, nobilissimam portionem gregis *Christi*, & ovile reddam; & ideo etiam Synodum, cùm non potuerim prius propter occupationes publicas id facere, jam post nominationem meam in Varmiensem Cathedram expedivi. In memoriam reducite vobis, qui audivistis, legite, qui Synodo non adfuistis, quia omnia hæc imprimi feci, imitando sincerè amantes prolem suam parentes, qui dum longinquum aliquod ab illis arripiunt iter, relinquunt illis pro memoriali salubria & necessaria monita, quibus in absentia eorum regi & gubernari possint. Longiorem navigationem suscepturi fortius plerũq; admonemus amicos, ut se ad nostra componant instituta, sapiens Consiliarius scripsit Cassiodorus. Et Sinesius addit: extremæ voces, sive è vivis, sive è terris abeuntium majus pondus habent: Quis scit, an ultima hæc verba mea in diligentiori & recentiori non erunt memoria? quàm hæc, quæ stante jurisdictione meâ tam frequenter audivistis, & legistis, refricando memoriam tesseræ meæ: Videte vocationem vestram fratres.

Propheta Elias amato suo Elisæo abiens pallium Propheticũ pro æterno reliquit memoriali, ego dum ab hac Diœcesi avellor, hoc Spirituale donum, unde quivis legere, & intelligere facilè potest strictiorem vocationis suæ obligationem, librum hunc in æternam amoris Paterni memoriam relinquo, ex corde optando, DEumq; indignus precando, ut fiat Spiritus iste

iſte in vobis, quo liber hic ſpirat, & à quo denominationem ſuam, tanquã Spirituales habetis, & tanti dignitatem nominis virtute, ſanctitate, ſapientiâ, zelo adæquare curatis. Hic tanquam in ſpeculo omnes, quos in formã gregis DEus elegit, videbitis & amabitis in vobis, qualis debeat eſſe vir ſecundùm cor Dei, verus Eccleſiaſticus. Hinc zelum cum prudentia, inſatiabile gloriæ Dei deſiderium, dilectionem decoris Domûs Dei, amorem concrediti gregis, curam de illis diligentem haurietis cum gaudio, in hoc libro, quem adamavi, quem furando me ipſum mihi, & negotiis Reip. ſæcularibuſq;, non parcendo ſanitati, & in itinere interpretabar, libenter & diligenter, cor meum ibi & oculi. Librum hunc pro ultimo vale vobis offerendo, non totus abeo, ſed magna pars mei, quia cor meũ manet vobiscum: opto mihi eam felicitatem cum Job, ut hunc librum non in humeris, non in manibus, ſed in corde, & memoria portetis; quis mihi det, ut in humero portem librum? ut hic liber in tempore ſuo in coronam cuivis mutetur, & circumdem, ſicut coronam. Utique liber hic eſt talis, qualem nominat Malachias, ſcriptus eſt liber monumenti timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus. Utiq; in hoc libro inveniuntur monita ſalutis; ſi verò cum Authore in aliquibus locis, expellendo vulpeculas vineam Domini demolientes & populantes, aliquo caſu læderem, exquiſitas uvas, non meæ hoc manui, ſed vulpeculis ſub umbra uvarum ſeſe abſcondentibus, adſcribendum. Non credo autem, ut ab imagine hac veri Sacerdotis, à ſpeculo hoc, quod liber hic repræſentat, aliquis deberet avertere oculos, niſi is, qui aliquos in facie ſua cognoſcit defectus, & rugas & illis privari nullatenus cupit; quinimò ſic credo, quòd ſicut in quodã templo viſum eſt vas æneum, tanquam ſignum pœnitentiæ, in quo ſpeculabantur Sacerdotes, & lavabant maculas ſuas; & quod admiratione dignius, vas hoc confectum erat ex ſpeculis cum inſcriptione: de ſpeculis mulierũ. Non ſatis erat dicere de ſpeculis, ſed addi debuit mulierum, quia alius modꝰ eſt uſûs ſpeculi, quo utitur vir; accipit ſpeculum in manum, & quaſi tranſeunter videt ſe in eo. Mulier verò ponit ante ſe ſpeculum, unam & aliã horam impendit, conſulit, conſiderat, ſi in crinibus ſit ſymmetria, ſi unus alteri correſpondeat &c. Sic debet eſſe diligens, exacta ſine diſtractione pœnitentia; in amaritudine moratur oculus meus, hoc & ego optarem, & eam gratiam à quovis tanquam ultimam & maximam expecto, ut hunc librum diligenter, non perfunctorè legat, ut ſemel lectum in partem non amoveat, & ſpes in Deo eſt, quòd magnum faciet fructum, qui bonus eſt, erit melior, qui malus corrigetur. Quanquam per gratiam Dei non reperitur in hac Diœceſi, quod Doctor Eccleſiæ Sanctæ inculat; quando Sacerdotes erant plumbei, & lignei erant calices, nunc calices aurei, & Sacerdotes lignei. Faxit Deus, ut omnes ſimus tales, quales vult fieri Auguſtinus ſuper illa verba ſcribens: Petre diligis me; paſce oves meas, paſce ſicut meas, non ſicut tuas; & ego finiendo hanc allocutionem, quinimò finiendo Juriſdictionem effundo cor meum in valedictionẽ veſtram, deprecor, ſi quis ſcandaliſatus in me fuerit, ſi neglexi debitam circa animas veſtras curam; quanquam; gratias agens pro eo divinæ Majeſtati ſentio, & ad vivã veſtram appello memoriã, quòd quamvis ipſe peccator omnes vos voluiſſem videre Sanctos, quòd amavi ſincerè animas veſtras, non petij lanam, non requiſivi ubera plena lacte, non ſollicitavi privata cõmoda ſed volui, & curavi ſemper id unicum, quatenus Sacerdotes boni eſſent Spirituales, ſæculares, veri & non ficti Chriſtiani, quòd & avulſus à vobis portando omnes non tantùm in fronte, ut aliquando Aaron nomina filiorum Iſraël, ſed in profundo cordis, DEum indignus precabor, ſpem non dubiam habens, quòd reciprocũ teſtabimini mihi affectũ, quòd ſincerè ad DEum

A.C. 1698

A.C. 1698 um suspirabitis, ut sicut ego desideravi vos videre, & facere bonos Ecclesiasticos, ita & ego ipse non in verbis, non in apparentia, sed in ipsa re ex misericordia divina bonus esse possim Episcopus.

CVIII.

AMICO CONFIDENTI.

30 Junij.

Discordia inter Castellanam Vilnensem & Sapiehas, collatio dignitatum.

FInita Synodo vocatus à Rege Varsaviam me contuli relicto Pultoviæ Magno Regni Cancellario, qui ad convivium ab Adamo Rostkowski Præposito Pultoviensi erat invitatus optimeque & pro generositate Patrisfamilias ordinaria, & pro dignitate hospitis convivium instructum fuit. 22da tractavit etiam Rex Villanoviæ Cardinalem Primatem & Nuntium Paulucci, ubi junctâ operâ nobiscum accommodare voluit Rex differentias inter Cardinalem & Episcopum Vladislaviensem, sed Cardinalis nullatenus sincerè id voluit.

24ta duo juniores Sapiehæ scilicet Stabuli Præfectus cum Castrorum Metatore voluerunt visitare Castellanam Vilnensem, sed cum ipsa portas claudere jussisset, multa ipsi improperia dicta sunt, & explosiones etiam sub fenestris vel in fenestras auditæ, quæ actio non videtur esse gradus ad concordiam in Litvania faciendam, super qua desudamus. Per aliquot dies hoc negotium cum ingenti strepitu agitabatur, cùm illa satisfactionem omnino talem prætenderet, ut scilicet Domini illi delinquentes sessione turris aliquot septimarum punirentur, sed illi nullatenus id facere voluerunt, ita ut Thesaurarius Litvaniæ ferventiùs rem filij sui Castrorum Metatoris agens ad duellùm Castellanum Vilnensem provocârit; sed Regis authoritas, & nostra dilgentia id impedivit; voluit Rex in satisfactionem Castellanam visitare, sed illa declaravit nullatenus se condescendere etiam authoritate Regis interveniente posse; unde Rex valde ægrè hoc tulit; In crastino tamen hoc est 29na tota die laborando persuasimus tandem Castellanæ rationibus Christianis, ne adeo mordicus, ut ante concordiæ contraveniret.

Tractabatur etiam concordia inter Cardinalem & Majoris Poloniæ Generalem, quæ etiam operâ nostrâ finita est, quam adjungo.

Decimâ quartâ Junij declaravit Rex magnum Litvaniæ Mareschalcatũ minori Mareschalco Sapiehæ; minorem autem scipionem equiti Pociejo, Starostiam Samogitiæ Vexillifero Litvaniæ Oginscio, Vexilliferatũ Josepho Principi Czartoriscio, Notariatum Campestrẽ Castrorũ Metatori, hoc verò post eum officiũ Pociejo declaratum. Fuit quædã diffidentia inter Mareschalcum Litvaniæ Sapieham, & Capitaneum Olstinensem, sed per mediationem Regis finita est. Towianscius quoque junior provocaverat ad duellum per schedam contumeliosè scriptam Prebendovium Palatinũ Mariæburgensẽ, quod Regi valde displicuit, declaravitq; Cardinali partes se semper defensurum Ministri sui Prebendovij. Unde Cardinalis non leviter disgustatus abiit Varsaviâ & in crastino hoc est vigesimâ secundâ finita est concordia Litvaniæ, DEus det longævam, quod inter vota potius numerandũ, quàm inter sperata, timeo etenim ne sopita hæc potius quàm ex integro extincta sint, & ne ex privatis injurijs publicũ fiat dissidiũ & Rex summè contentus quòd Cardinalis abierit, ex manibus Nuntij *Davia* benedicti-

nedictionem nobis omnibus Episcopis assistentibus in mitris accepit; normam autem benedictionis huius Regi ad bellum contra Turcas proficiscenti mittere tibi non abs re duco, potest enim aliquando necessaria esse. Quâ acceptâ Goram quatuor leucis dissitam abiit me in currum suum accepto. In crastino verò ivimus per aquam in aulam albam, seu ut nunc appellant, Odfocium pulcherrimum Palatium Supremi Regni Camerarij, ubi Rex ita me solicitavit, quatenus irem cum illo ad præsenten bellicam expeditionem, ut me nullatenus excusare potuerim; abivi ergo Varsaviam, ad iter me paratur⁹; interim vigesimâ octavâ venerant nova, quòd Dapifer Litvaniæ Sapieha vicerit prælium cum Oginscianis, quorum multi in acie ceciderunt. Non moror amplius, cum nimiò plus expeditione mea sim occupatus. Mitto tibi pro curiositate ex Cancellaria Saxonica Regias instantiales. A.C. 1698

LITERÆ INSTANTIALES SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS, ad Judicium Tribunalitium Lublinense Judæi Infanticidii accusati.

Postquam nobis relatum est à Tribunali nostro Lublinensi Judæum quendã nomine Alexandrum incarcere teneri, ac infanticidij accusatum, mortis supplicio destinatum esse, nec non fœminam ejusce criminis ream haberi, ac puniri debere; misimus è Nobilibus nostris Generosum, fidelem nobis ac dilectum Præfectum militiæ Drausen, *ut ad executionem latæ jam sententiæ in hac causa differendam voluntatem nostram Tribunali proferat & explicet; cui fides & obedientia sicut nobismet ipsis habenda, nec quidquam in hac causa committendum, donec ipsi præsentes simus, & decernamus. Dabantur sub manu nostra & sigillo Regio Ryczywolij die 26. Julij Anno 1698.*

INFORMATIO DE BENEDICTIONE REGI PROFICISCENti ad Castra contra Turcas.

SI fiat post Missarum solemnia, Rex descendit de Throno, & genuflectit in aliqua distantia majoris Aræ in loco, quantum fieri potest, dignissimo. Si verò expresè venit ad templum, vel de mane, vel post prandium ad accipiendas benedictiones, tunc occurrunt ad portas Ecclesiæ Episcopi pluvialibus & mitris parati, oblatâq; Regi à Metropolitano vel digniore cruce ad osculandum, aspersoq; eodem aquâ lustrali deducitur Rex scholâ cantante Psalmum 143. ***Benedictus Dominus DEus meus, qui docet manus meas ad prælium &c.***

Postquam accesserit ad majorem Aram, genuflectit, aliquantulum distans, in loco dignissimo & Episcopi procumbunt cum mitris apud faldistoria circa gradus aræ disposita pro dignitate eorum, ita tamen ut nullus vertat humeros Regi, & statim Metropolitanus vel dignior intonat Litanias, quæ pro commoditate loci & temporis possunt esse cum cantu, vel sine cantu, in ipsismet Litaniis post versum: ***Ut inimicos S. Ecclesiæ humiliare digneris,*** additur; ***ut Turcarum conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris; Te rogamus audi nos.***

Finitis Litanijs surgunt Episcopi depositis mitris, & Metropolitanus dicit: ***Pater noster,*** quo finito incipit Schola Antiphonam: ***Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam,*** interimq; Episcopi reassumptis mitris sedent in suis faldistoriis, & alternatim legunt Psalmos.

A.C.1698 Psalm. 19. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis &c.*

Psalm. 120. *Levavi oculos meos &c.*

Surgentes & deponentes mitras, quando dicitur *Gloria Patri*, &c. post Psalmos depositis mitris genuflectunt, & dicunt versus

℣. *DEUS judicium tuum Regi da,*
℟. *Et justitiam tuam filio Regis.*
℣. *Salvum fac Regem nostrum Domine*
℟. *DEUS meus sperantem in te.*
℣. *Mitte ei auxilium de Sancto*
℟. *Et de Sion tuere eum.*
℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
℣. *Benedictus DEUS quotidie*
℟. *Prosperum iter faciat DEUS salutarium nostrorum.*
℣. *Vias tuas Domine demonstra ei*
℟. *Et semitas tuas edoce eum.*
℣. *Fiant prava in directa*
℟. *Et aspera in vias planas.*
℣. *Angelis suis DEus mandavit de te*
℟. *Ut custodiant te in omnibus viis tuis.*
℣. *Domine exaudi orationem meam*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Quibus recitatis surgit Metropolitanus, vel dignior, cæteris genuflexis, & legit orationes sequentes.

OREMUS.

DOmine IESU Christe Fili DEI vivi, qui es verus & omnipotens DEUS, splendor & imago Patris & vita æterna, quæsumus clementiam tuam, ut hunc famulum tuum Regem nostrum, qui pro salute populi tui electi properare, & pugnare desiderat, semper & ubiq; protegas, atq; à periculis omnibus eruas, & à vinculo peccatorum absolvas, acceptumq; votum ad effectum, deducas optatum. Tu Domine, qui es via, veritas, & vita, & in te sperantium fortitudo, ejus iter disponas, ac prospera cuncta concedas, ut inter præsentis seculi angustias tuo semper auxilio gubernetur. Mitte ei Domine Angelum tuum Raphaëlem, qui Tobiæ comes fuit in itinere suo, ejusq; faciem à corporis cæcitate liberavit, in eundo, redeundo sit ei defensor contra omnes visibiles & invisibiles hostis insidias, & mentis, & corporis cæcitatem ab eo repellat. Qui cum DEO Patre &c.

OREMUS.

DEUS Omnipotens in cujus manu victoria plena consistit, qui etiam David ad expugnandum rebellem Goliam vires mirabiles tribuisti, tuas humili prece deposcimus, ut hunc famulum tuum Regem nostrum pietatis tuæ custodiâ munias, & illæsum custodias, & concede ei, ut ad munimen & defensionem Sanctæ Matris Ecclesiæ, & ad confusionem inimicorum crucis Christi, ac fidei Christianæ prosperè procedat, inimicos S. Ecclesiæ prosternat. Tu enim es DEUS, qui conteris bella, & cælestis præsidij, sperantibus in te præstas auxilium, per unicum Filium tuum Dominum nostrum &c.

Post orationes surgunt omnes Episcopi, & reassumptis cum Metropolita-

politano mitris accedunt ad Regem, quem Metropolitanus aspergens aquâ lustrali, ac benedicens dicit: A.C. 1698

Per Sacram hujus aquæ aspersionem det tibi omnipotens DEus ad eundum & redeundum suam gratiam, & benedictionem. Et benedictio omnipotentis DEi Patris ✝ & Filij ✝ & Spiritus Sancti ✝ descendat super te, & maneat semper, Amen.

Data benedictione surgit Rex, admittitq; Metropolitanum, & cæteros Episcopos ad osculum pacis, qui singuli in amplexum venientes, dicunt: *Pax tibi, & victoria contra crucis inimicos.* His peractis incipit schola Antiphonam; *Adjuva nos DEus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui libera nos.* Interimq; Rex flectit de novo, & Episcopi ad sua faldistoria stantes legunt alternatim Psalm: 78. *DEus venerunt gentes &c.*

His peractis dum repetitur Antiphona, depositis prius ad *Gloria Patri* mitris, genuflectunt, & recitatis versibus sequentibus surgit ad legendam orationem sequentem:

℣. *Eripe me de inimicis meis,*
℟. *Et ab insurgentibus in me, libera me.*
℣. *Domine exaudi orationem meam*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣ *Dominus vobiscum*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

DEus, qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium, potentiâ tuæ defensionis expugnas, auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam, ut inimicorum nominis tui feritate depressâ incessabili te gratiarum actione laudemus. Per Dominum &c.

Diaconus *Humiliate vos ad benedictionem.*

Pontif. *Sit nomen Domini benedictum &c.* Et dat populo solennem benedictionem, post quam omnes abeunt.

CIX.

CARDINALI PRIMATI, 28va Julij Varsaviâ.

Suggerit modum evitandi consistentias militares.

NON essem importunus tibi habens præcipuè aliqua præmonita & documenta, quòd non merito, sed solito infortunio meo (tantùm opinio præjudicata potest) detraxisti mihi eam confidentiam, quam cælo & terrâ teste mereri non intermisi, eram enim, sumque cultor magni nominis, ut nihil in hac parte excusandum habeam, nisi fortè quòd aliquando veritatem, quæ nihil magis odit, quàm abscondi, dicere ex officio Characteris coactus fuerim (quanquam multa scientur quæ consultò tacentur) Offero id ipsum DEo, coram quo omnia nuda, malo tamen esse importunus, quàm silere, quando jurata conscientia, quidquid nocivum scivero, scribere cogit, avertendo futura, quæ imminent.

Insinuavi tibi Varsaviæ, quòd magna esset apparentia (ubi aliquid timetur, cautio nunquam nocet) rediturum pro hyeme in viscera Regni exercitum, non tantùm nostrum, sed & Saxonicum, cujus in cordibus utriusque magnum vidi desiderium. An verò reditus hicce, nisi remittant de sua consvetudine, integram Ecclesiasticis bonis non adferet ruinam, ab experientia facillimum argumentum, ea enim, quam affectant, non tam est libertas, quàm libertinitas, id est impunè ad libitum per fas & nefas vivendi licentia. Non dubito ego, quòd tu pro summa prudentia id consideras,

A.C.1698 pro debita solicitudine avertere velles; quia verò mihi innotuit ad Thermas te profecturum longiusque à nobis abiturum, liceat quærere, quomodo nos pater relinquis & deseris, qui inter maximos terrores sumus?

Ego non potui ullatenus excusare me Regi ex hac præsenti expeditione, & jam sum in procinctu præter votum meum, & si non præter opinionem, vel hoc solo, DEus testis, intuitu, ut ibi pro virili adsim eliberationi pauperis populi à gemitu, & nostri ab ultima ruina. Faciam ibi quæ potero, quia tamen pro sensu meo vana effectûs spes, si rationibus deerunt illa, quibus preces nostras stabiliamus. Videretur mihi proinde, ut maturè circa S. Michaëlis festum compareant Commissarij ex Capitulis cum summis hybernalibus, quia quod moræ datur, jacturæ accrescit. Si non poterit esse, quod certè tolerabilius esset, quàm consistentia in visceribus cum duplici, vel semiduplici hybernali, ad minus cum simplici pensione Leopoli nos redimere, tamen per mutuas conferentias, quis scit, an non possemus media invenire declinandi à malo, quod pejus esset priori. Scribo alijs Episcopis & Capitulis sine ullo imaginabili particulari interesse, meamq; ad obsequia & publica & privata offero promptitudinem: si acceptabitur consilium, crederem, quòd non erit inutile, & spes bona me tenet; si reijcietur, saltem coram DEo & mundo liber ero in conscientia, quòd Ecclesiæ & patriæ auxilio adesse voluerim, quod non tantùm per epistolam scriptum, sed velut per syngrapham volo sponsum. Minus semper habui & usque nunc habeo salutem meam, postposui eam, & postpono publicis commodis, sumptus ingentes ab opere non me removent, debita contraho, evacuatum enim tot publicis expensis, continuis obsequiis, jam planè est peculium, sed nec id considero, modò videam tranquillitatem publicam, sufficiet mihi. Precor benedictionem Metropolitanam, & mandata tua opperior. Et si particulare aliquod habuero mandatum, exequar libenter. Quid optabilius quàm cohærere inter nos, quod unicum est inter fastigia votorum meorum, præstanda tibi spondeas, quæ scis deberi.

CX.

CARDINALI BARBARINI 28va Julii.

Comitaturus Regem ad castra, refert aliqua de turbis Litvanicis.

POst conclusam taliter qualiter domûs Sapiehanæ cum Nobilitate Litvana complanationem, quia dubito duraturam, quandoquidem privata inter publicos actus studia eminent, post acceptam à Nuntio Apostolico pro bello contra Turcas solitam benedictionem voluit Rex, ut eum comitarer in hac expeditione, utinam gloriosa. Erat quidem paratum cor, sed non æquè caro mea. Voluissem id facere, sed prævolanti voluntati obstitit sanitas, & invisam primò desidiam nunc amare coactus sum, pleneque me excusaveram rationibus ita convenientibus, ut remittere aliquid Rex de suo fervore debuerit, jamq; ego credebam me totaliter liberum, sed cum in domum Camerarij Supremi Bielinski Rex descendisset, meq; in consortium itineris illius ad Camerarium accepisset, ita precibus, mandatoque me constrinxit, ut rationi meæ authoritas Regis prævaluerit. Rara est in Dominos justa negatio. Comitari igitur, cùm nil esset ultra, quòd me excusaret, dum sanitatis meæ nulla est habita ratio, Regem in campum cogor vel invitus, quia præstari sibi Rex spondet, quæ scit deberi, & semel dictum semper credit. Intra duas septimanas incommodo & sumptuoso itineri me accingo, sumoque audaciam mittendi tibi has annexas, quibus benedictionem Pontificiam pro itinere imploro,

ploro, ut, cui omnia debeo, etiam amplius debere possim. Non dubito Sanctitatem suam temporibus nostris gratulaturam Principem talem, dum audiet tanta præparamenta pro ista expeditione, quæ, si DEo placuerit, magnam paterno animo sine dubitatione adferet consolationem. Rex noster de sua semper remittere debita vult severitate, & sinè cæde, & sangvine de subditis suis vult triumphare. Cardinalis autem Primas etiam post reconciliationem aliam offensam in Regem prætendit, quòd illius felicitatem & subditorum in eum amorem pati non possit. Ac proinde, dum Rex pura quæ sunt, nuda videri vellet, cùm eum nihil magis anxium habere soleat, quàm ne cōposita turbentur, cùm inimicos reconciliandos, & novos amicos parandos semper & ubique sibi credat expedire, cùm desideret multos sibi devinctos habere, quod illi gloriosum, reprehensioni nemini fuit, tunc Cardinalis, tanquam immodicus libertatis usus servitutis debeat esse occasio, libertatis vocabulum obtendit in favorem eorum, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi. Domestici ejus, quæstui intenti tanquam ex condicto habent malè loqui de melioribus; ita favi dulces inter fel amarum non nascuntur. Talis detractio tamen laus est, non postrema, & ita concatenata iterum malorum, timeo, ne recrudescat series. Et quamvis Rex optimus, omne, quod est ante oculos ejus, bonum & optimum faciet, quod placet Cardinali, hoc Regi est optimum; nihilominus quamvis optare sine ulla dubitatione debemus, sperare integram inter illos confidentiam vix possumus. Verum solatium ergo ab alto petendum, & credere esse necessarium, ut sua Sanctitas benignissimè provideat. Prospiciendum enim malum, dum nascitur, postquam adoleverit, frustra remedium quæritur. Ita non potest esse verum bonum, nisi habeat impugnationem mali. *A.C.* 1698

In Litvania nullus est pudor, pietas, fides, Jus, æquitas, leges, amor, omnia cessere ferro, fortior regnat manus, & timeo, ne Jura gladius dicat, & legem jubeat atrox libido, quandoquidem parere legi nolunt, qui legem sanxerunt, & adversa pars etiam non minus contumax, quàm illi pertinaces. Si ejusmodi apum mella non placent, saltem non deberent excitari aculei injuriâ, vel contemptu. Sed haud facilè est uni parti assignare culpam, quæ utriusq; est; vitiis nemo est, qui sine nascatur; optimus ille, qui minimis urgetur. Adeo Domina nuper Sapieharum fortuna adversæ partis parere videtur arbitrio, dum paternæ virtutis studiosa proles, juvenes nēpe filii Palatini Vilnensis, quos claris dextera factis commendat, insultare Nobilitati ausi sunt, ita, ut pro tot oppressionibus nobilitatis lento gradu ad vindictam divina processerit ira, & timendum, ne tarditatem supplicii gravitate compenset. Non scribo plura; iter enim aggrediendum est, & quod in illo fieri solet, tardiùs cùm exeam, velocitate pensanda erit mora. De protectione tua semper mihi polliceri audeo, de obsequio in te meo tibi planè confirmare possum. Expeditionem nostram fore gloriosam spero, & certè voveo nec dubitans, quòd fortunam optes Regi prosperam, ex affectu in Patriam naturali, & per illum toti Regno. *Litvaniæ status*

PONTIFICI INNOCENTIO XII.

POst oscula &c. Nullâ ratione me potui excusare Serenissimo Regi nostro ad bellum properanti, & intimè flagitanti, quatenus Majestatem suam ad castra usque comitarer. Dissvadebat quidem iter valetudo tot prius laboribus, & difficillimis Reipublicæ curis attrita, nec non expensæ haud mediocres per continuos hosce annos in publicas Regni functiones erogatæ, sed vicit omnes rationes meas tum Serenissimæ Majesta-

A.C. 1698 tis fortissima authoritas, tum intimum desiderium bene merendi de publica securitate Ecclesiarum, quibus non mediocrem imminere prævideo tempestatem, à reduce ex castris militia, si non sit propè latus Majestatis Regiæ, qui velit sincero consilio tam præsentibus malis occurrere. Apostolicam proinde Sanctitatis Vestræ humillimè imploro benedictionem, ut tam difficilis expeditio mea illum habeat successum, quem in votis habeo. Securus interim pergam &c.

CXI.

JOANNI MALACHOWSKI Episcopo Cracoviensi, Vars. 29. Julii.

Relictis dissidijs inter Sapiehas & Oginscianos accingit se itineri.

SI non frequenter scribo, tamen pectore toto te veneror, & animus meus erga te idem est ac fuit, utique affectum meum sæpè non sperasti, semper spectasti, prius quàm velles, & magis quàm velles, illudque à me in posterum non exspectare tantùm, sed etiam exigere debes. Volui tuus semper esse, nec unquam velle desistam, & hanc resolutionem nisi mors mihi adimet nemo.

Per aliquot septimanas requisitus & ferventissimè sollicitatus à Rege Serenissimo, ut illum ad castra comitarer, semper ita me excusabam, ut rationes meas convincentes approbasse videretur. Caro non satis firma, pera adhuc infirmior pro me militabant. Tandem cùm 22 Julii accepta benedictione à Nuntio *Davia* quam distulerat ad abitum Cardinalis, abivit subscripta prius concordia Sapiehanæ partis cum Oginscianis, cujus essentialia puncta tibi mitto, & super quæ sex integras septimanas sudavimus & alsimus; sed an concordia hæc sit durabilis vix credo, quia eodem ipso die, quo hic conclusa ex tædio vindictam quærentes Sapiehani contra Oginscianos, qui illis nuper satis ingens fecerant damnum, coegerunt planè in præsentia Episcopi Samogitiæ, Palatini Vitepscensis Kryszpinorum, qui officio mediatorum tunc fungebantur, Dapiferum Litvaniæ, Palatini Vilnensis Filium, ut vicina Oginscij castra aggrederetur, quod & factum, longius & pertinax fuit hoc prælium non sine notabili sangvinis ab utrinque effusione, nihilominus tamen Sapiehani campo & victoria potiti sunt, ipse Oginscius ultra limites Litvaniæ in Prussiam Brandeburgicam pro securitate sua ventis & velis citiùs cucurrerat, cumq; eum Dapifer insequeretur, prohibitus fuit ab Exercitu Brandeburgico, qui se mandatis Electoris excusabat, quorum hæc erant formalia, ut debiliori assisterent parti. Venit etiam hæc ipsa notitia ad Oginscium Subdapiferum Litvaniæ fratrem Germanum Gubernatoris Samogitiæ, quæ aliquomodo primæ relationi videbatur esse contraria; Interim dictus Subdapifer accusatus erat coram Rege, quasi post conclusam concordiam, & post abitum Regis dixisset ad suos commilitones. Accedite ad nos, venite ad fratres & sitis securi, quòd manutenebimus libertatem, quamvis aliquis fortissimus etiam eandem impugnare vellet; Addidit etiam alia verba, satis honorem Regium lædentia. Commendaverat ergo Rex Bechlinio, ut cum illo expostularet, dum verò id in præsentia Castellani Vilnensis fuisset, & cum dictus Castellanus ferventiùs quoq; ut ejus aliquomodo moris est, locutus fuisset, audivit quæ noluit, cum dixisset, quæ voluerat; Multi sunt quibus non placet imperium Bechlingi, qui jam non cuniculis sed planè machinis petit Rempub. (multi fumi, multi fuci) quòd eo superbiæ devenerit, ut sustineri nequeat, & videtur malum quærere populo. Alia jam facta cernimus

Dissidia inter Sapiehas & Oginscianos.

Aversio à Bechlingo.

nus, alia in proximo ventura formidamus, tempus enim est nunc malos pejores fieri, & audacius machinantur multa, quibus connivetur & indulta primæ audaciæ venia, secundæ est occasio, quis scit, an perniciem aliis non inferet? ac postremum sibi non inveniet? A.C. 1698

Cum vero tempus Commissionis hibernalis appropinquet, de ea mature cogitandum; Scripsi Cardinali Primati pro officio & zelo quæ credidi necessaria, ad quæ ut tu quoq; cooperari velis, tuâ & tuæ Diœcesis vel maxime interest. Ego magis publicum, quam meum proprium avertere libens vellem damnum. Cum quis ad suum commodum omnia quæcunq; agit, refert, vir bonus non est.

PUNCTA CONCORDIÆ IN M. D. L. FACTÆ, VARSAVIÆ AUTHORITATE REGIS 22. Mensis Junij subscriptæ.

INvaserant proh dolor! ab ipsa electione, & etiamnum ab ipsa durant in M. D. Lit. ex occasione constitutionis de coæquatione jurium Litvaniæ cum Regno Poloniæ graves & hactenus inauditæ discordiæ, ut jam strepentibus armis modum civilem excederent. Quando Rex omnibus humanitus possibilibus mediis pacem, & quietem internam, in Patriam inducere curans, ab utraq; parte pro Gvarante constitutus authoritate suâ Regiâ, intercedente mediatione ex senatu & equestri ordine Commissariorum, ad perpetuo abolendam præteritorum memoriam, status Litvaniæ ab omnibus armis, motibus, & conventiculis, in posterum his conditionibus, sub fide, honore, & conscientia, & virtute servandæ libertatis ab utraque parte susceptis, in perpetuum hæc conclusit.

Constitutio coæquationis jurium M. D. Litvaniæ cum Regno Poloniæ, tanquam unius indivisibilis Reip. cum ordinatione in suo tenero, & valore, juramentis ab utrinque diversis actibus stabilita, confirmata, acceptata inviolabiliter observari debet, & secundum illam clavæ, sigilla, scipiones, & claves thesauri M. D. Lit. distribui non obstante alio usu antiquo.

In documentum hujus officium Ducis penes assistentiam, & attendentiam thesauri assignationes secundum repartitionem per Palatinatus & districtus juxta proportionem tributorum & militum acceptatæ, & secundum Tariffam à deputatis porrectam & subscriptam conservando semper computum exercitûs novem millium usque ad proxima comitia extradere debet sine ulla renitentia & impedimento in futura commissione, quæ in Brzescie Litvaniæ in præsentia Ministrorum & Ducum Litvaniæ, electorumq; à quovis Palatinatu Commissariorum absolvi debet, incipietque duabus septimanis ante festum Sancti Martini duas septimanas integras duratura.

Reassumendo vero Commissionem ex comitijs coronationis indictam in toto cum Commissariis ibi expressis destinatam in auctionem & electionem Commissariorum unius ex quovis Palatinatu, & districtu conveniendo tantæ necessitati ex particulari sua bonitate Rex Serenissimus universales literas pro die 25. Augusti anni præsentis extradere jubebit. Exprimendo in hisce ipsis universalibus literis nomina Deputatorum ex senatu. Ibidem dispositio Tartarorum in computo existentium, qui nunc ad expeditionem bellicam tenentur, utraque pars ad ultimariam decisionem Palatinatuum, & districtuum differt.

Pro locatione etiam exercitûs ex benigno permissu Regio, antequam in futurum, alium locum Respublica providebit, in quantum extra exercitus hybernare non posset, extradet in eadem commissione authoritas Duca-

A. C. 1698 tis fortissima authoritas, tum intimum desiderium bene merendi de publica securitate Ecclesiarum, quibus non mediocrem imminere prævideo tempestatem, à reduce ex castris militia, si non sit propè latus Majestatis Regiæ, qui velit sincero consilio tam præsentibus malis occurrere. Apostolicam proinde Sanctitatis Vestræ humillimè imploro benedictionem, ut tam difficilis expeditio mea illum habeat successum, quem in votis habeo. Securus interim pergam &c.

CXI.

JOANNI MALACHOWSKI Episcopo Cracoviensi, Vars. 29. Julii.

Relictis dissidijs inter Sapiebas & Oginscianos accingit se itineri.

Si non frequenter scribo, tamen pectore toto te veneror, & animus meus erga te idem est ac fuit, utique affectum meum sæpè non sperasti, semper spectasti, prius quàm velles, & magis quàm velles, illudque à me in posterum non exspectare tantùm, sed etiam exigere debes. Volui tuus semper esse, nec unquam velle desistam, & hanc resolutionem nisi mors mihi adimet nemo.

Per aliquot septimanas requisitus & serventissimè sollicitatus à Rege Serenissimo, ut illum ad castra comitarer, semper ita me excusabam, ut rationes meas convincentes approbasse videretur. Caro non satis firma, pera adhuc infirmior pro me militabant. Tandem cùm 22 Julii accepta benedictione à Nuntio *Davia* quam distulerat ad abitum Cardinalis, abivit subscripta prius concordiâ Sapiehanæ partis cum Oginscianis, cujus essentialia puncta tibi mitto, & super quæ sex integras septimanas sudavimus & alsimus; sed an concordia hæc sit durabilis vix credo, quia eodem ipso die, quo hic conclusa ex tædio vindictam quærentes Sapiehani contra Oginscianos, qui illis nuper satis ingens fecerant damnum, coegerunt planè in præsentia Episcopi Samogitiæ, Palatini Vitepscensis Krytzpinorum, qui officio mediatorum tunc fungebantur, Dapiferum Litvaniæ, Palatini Vilnensis Filium, ut vicina Oginscij castra aggrederetur, quod & factum, longius & pertinax fuit hoc prælium non sine notabili sangvinis ab utrinque effusione, nihilominus tamen Sapiehani campo & victoria potiti sunt, ipse Oginscius ultra limites Litvaniæ in Prussiam Brandeburgicam pro securitate sua ventis & velis citiùs cucurrerat, cumq; eum Dapifer insequeretur, prohibitus fuit ab Exercitu Brandeburgico, qui se mandatis Electoris excusabat, quorum hæc erant formalia, ut debiliori assisterent parti. Venit etiam hæc ipsa notitia ad Oginscium Subdapiferum Litvaniæ fratrem Germanum Gubernatoris Samogitiæ, quæ aliquomodo primæ relationi videbatur esse contraria; Interim dictus Subdapifer accusatus erat coram Rege, quasi post conclusam concordiam, & post abitum Regis dixisset ad suos commilitones. Accedite ad nos, venite ad fratres & sitis securi, quòd manutenebimus libertatem, quamvis aliquis fortissimus etiam eandem impugnare vellet; Addidit etiam alia verba, satis honorem Regium lædentia. Commendaverat ergo Rex Bechlinio, ut cum illo expostularet, dum verò id in præsentia Castellani Vilnensis fuisset, & cum dictus Castellanus ferventiùs quoq; ut ejus aliquomodo moris est, locutus fuisset, audivit quæ noluit, cum dixisset, quæ voluerat; Multi sunt quibus non placet imperium Bechlingi, qui jam non cuniculis sed planè machinis petit Rempub. (multi fumi, multi fuci) quòd eo superbiæ devenerit, ut sustineri nequeat; & videtur malum quærere populo. Alia jam facta cernimus

Dissidia inter Sapiebas & Oginscianos.

Aversio à Bechlingo.

mus, alia in proximo ventura formidamus, tempus enim est nunc malos pejores fieri, & audaciùs machinantur multa, quibus connivetur & indulta primæ audaciæ venia, secundæ est occasio, quis scit, an perniciem aliis non inferet? ac postremùm sibi non inveniet? A.C.1698

Cum verò tempus Commissionis hibernalis appropinquet, de ea maturè cogitandum; Scripsi Cardinali Primati pro officio & zelo quæ credidi necessaria, ad quæ ut tu quoq; cooperari velis, tuâ & tuæ Diœcesis vel maximè interest. Ego magis publicum, quàm meum proprium avertere libens vellem damnum. Cum quis ad suum commodum omnia quæcunq; agit, refert, vir bonus non est.

PUNCTA CONCORDIÆ IN M. D. L. FACTÆ, VARSAVIÆ AUTHORITATE REGIS 22. Mensis Junij subscriptæ.

INvaserant, proh dolor! ab ipsa electione, & etiamnum ab ipsa durant in M. D. Lit. ex occasione constitutionis de coæquatione jurium Litvaniæ cum Regno Poloniæ graves & hactenus inauditæ discordiæ, ut jam strepentibus armis modum civilem excederent. Quando Rex omnibus humanitùs possibilibus mediis pacem, & quietem internam, in Patriam inducere curans, ab utraq; parte pro Gvarante constitutus authoritate suâ Regiâ, intercedente mediatione ex senatu & equestri ordine Commissariorum, ad perpetuò abolendam præteritorum memoriam, status Litvaniæ ab omnibus armis, motibus, & conventiculis, in posterum his conditionibus, sub fide, honore, & conscientia, & virtute servandæ libertatis ab utraque parte susceptis, in perpetuum hæc conclusit.

Constitutio coæquationis jurium M. D. Litvaniæ cum Regno Poloniæ, tanquam unius indivisibilis Reip. cum ordinatione in suo tenero, & valore, juramentis ab utrinque diversis actibus stabilita, confirmata, acceptata inviolabiliter observari debet, & secundùm illam clavæ, sigilla, scipiones, & claves thesauri M. D. Lit. distribui non obstante alio usu antiquo.

In documentum hujus officium Ducis penes assistentiam, & attendentiam thesauri assignationes secundùm repartitionem per Palatinatus & districtus juxta proportionem tributorum & militum acceptatæ, & secundùm Tariffam à deputatis porrectam & subscriptam conservando semper computum exercitûs novem millium usque ad proxima comitia extradere debet sine ulla renitentia & impedimento in futura commissione, quæ in Brzescie Litvaniæ in præsentia Ministrorum & Ducum Litvaniæ, electorumq; à quovis Palatinatu Commissariorum absolvi debet, incipietque duabus septimanis ante festum Sancti Martini duas septimanas integras duratura.

Reassumendo verò Commissionem ex comitijs coronationis indictam in toto cum Commissariis ibi expressis destinatam in auctionem & electionem Commissariorum unius ex quovis Palatinatu, & districtu conveniendo tantæ necessitati ex particulari sua bonitate Rex Serenissimus universales literas pro die 25. Augusti anni præsentis extradere jubebit. Exprimendo in hisce ipsis universalibus literis nomina Deputatorum ex senatu. Ibidem dispositio Tartarorum in computo existentium, qui nunc ad expeditionem bellicam tenentur, utraque pars ad ultimariam decisionem Palatinatuum, & districtuum differt.

Pro locatione etiam exercitûs ex benigno permissu Regio, antequam in futurum, alium locum Respublica providebit, in quantum extra exercitus hybernare non posset, extradet in eadem commissione authoritas

Duca-

A.C.1698 Ducalis assignationes in ea loca, quæ sunt intimata in constitutione coæquationis, prævià tamen ibidem comportatione summarum pecuniariarum per duas ratas exercitui, secundùm novum constitutum, & secundùm computum acceptatum. & sufficienter per Notarium Campestrem in præsentia Ducum in campo verificatum, & subscriptum, & in quantum ex aliquibus Palatinatibus vel districtibus laudatæ contributiones, & solitæ portari, non portarentur, tunc per decretum ejusdem commissionis executio militaris destinabitur, in reliquo officium Ducale facere debebit circa antiquum usum ad ulteriorem Reip. decisionem.

In recompensam verò amoris in publicum, quem & Dux & Thesaurarius in diminutione munerum solitorum æquè ferunt, certando debito affectu, & æstimatione erga munera substantiæ illorum satis onerosa pensionem pro clava majori Ducali includendo Cancellariam centum millia florenorum, pro clava minori septuaginta millia, pro officio Thesaurarij centum millia annuatim ex publicis proventibus ordinat & destinat. Restat verò in integro solita pensio pro Primoribus Officialibus, & quamvis aliqui proventus extraordinarij M. D. Litvaniæ per ordinationem coæquationis, ex dispositione Thesauri Litvaniæ sint exempti, & extracti, & ad Palatinatus adjuncti, sicut, Monopolium tabaci, capitatio Iudaica, tamen thesaurus simul cum tributis, qui penes illum pro diversis ordinarijs expensis remanent, tenere poterit, si id Palatinatus concedent, modò hoc genus contributionum stabilitarum dictâ ordinatione ad repartitionem in exsolutionem exercitui inducat, salvâ semper & per omnia plus offerentiâ in thesauro præcustoditâ.

Tali principio principalium difficultatum facto cum debita utraque pars tam generaliter sumpta, quàm particulariter quivis contra partem, persona quævis contra personam, omnes offensiones suas, injurias personales, dissensiones, minas, vindictas more Christiano in Vulneribus Christi deponendo & authoritati Regiæ, Mediatorumque sollicitudini condescendendo æternis temporibus sibi condonant, & unus alteri dimittit omnia, nec quidquam ex ijs, quidcunque demum præteritum fuerit, super alium repetere, reciprocum reddere, castra sub bonis terrestribus locare nullo jure poterit, nec debebit sub fide, honore, & conscientia. Nec quisquam in futurum pro comitiolis viros militantes Reipub: juxta constitutiones Regni ducere poterit, sine præjudicio tamen solitæ Ducum assistentiæ, damna verò & injuriæ reales reciprocæ & mutuæ differuntur ad comitia futura, quæ Rex quàm citissimè poterit, indicturum se appromittit, & partes omni curâ & sollicitudine obligant se curaturos, ut illa felicē habeant exitum, nec ut ex parte aliqua vel occasione concordatorum quovis prætextu & colore rumpantur. Præcavendo insuper, ut omnes constitutiones de officiis, ne jurisdictiones convellantur, scilicet ultimæ instantiæ judiciorum Ducalium in suo robore maneant, secundùm coæquationem jurium cum Regno.

Quam concordiam Deputati ordinis equestris tam à tribunali, quàm à Palatinatibus quibusdam ad Principales suos deferre tenebuntur, & ejus omnimodam acceptationem sincerè appromittunt. Declarando, quòd Palatinatus & Districtus, quicunque nunc sub armis sunt, aut ipsi ad expeditionem bellicam progredi, aut delectos inter se in locum suum substituere tenebuntur. Ex nunc exercitus quoq; educi debebit, ut ab omni motu liberi sint, ut comitiola, lauda, congressus, invasiones, executiones decretorum in aggravationem honorum latorum, & omnes processus ex hac occasione venientes desistant, & ad domus suas pacificè convolutis

signis

signis abire debent. Pro cujus eò celeriori executione, extraduntur universales literæ Regiæ ad Palatinatus & districtus de hac stabilita concordia informantes, & eandem denuntiantes cum admonitione ad deponenda quævis arma, ad cessandum à quavis ostentatione congressuum, aut cohortium ex Palatinatibus congregatarum, utque executio hujus tractatus sine ulla dilatione fiat, in ijsdem literis universalibus benignissimè intimabit. A.C. 1698

Hæc verò omnia puncta, & in illis expressæ conditiones, ut inviolabiliter ab utraque parte manuteneantur, in suam Regiam authoritatem Rex accipit, & tanquam Rex & Dominus, & tanquam Gvarrantus ad hanc concordiam incitatus, declarando semper virtute Regiâ omnibus adesse modis illi parti illamq; sustinere, quæ opprimi deberet ab alia, contra præsentem inviolabilem compositionem. Hanc concordiam Rex subscripsit, & nos ad id destinati Commissarij.

CXII.

AMICO CONFIDENTI, Leopoli 26. Augusti.

De actis cum Czaro & Leopoli.

DUodecimâ post abitum Regium abivi Varsaviâ, diverti Bialam ad Ducem Radzivilium Litvaniæ Cancellarium persuasurus ipsi ex commissione Regis, quatenus ab itinere ad castra abstineret, & illud pacificandæ Provinciæ Litvanicæ impenderet tempus; diffidentiasq; sopiret, quæ præcipuè ex recenti prælio Dapiferi Litvaniæ cum Oginscianis iterum reviviscere possunt; Serpens cum frigore torpet venenum, nihilominus habet, sed non exerit. Timeo non ex vano, ne ab hocce fonte calamitatum scaturiant Iliades. Non nimis grata hæc Principi fuit propositio, nec libenter eam acceptavit; nec se capiebat exundantis tristitiæ magnitudo, quia noluisset hanc expeditionem intermittere, quæ in universo orbe speratur gloriosa, facta jam sufficientissimâ provisione. In hoc proinde negotio resolvit se Princeps, saltem Leopolim ad Regem venire, ibi duobus diebus adventum Regis anticipavimus, quos ille Ravæ cum Magno Moschoviæ Duce insumpsit, qui consulto venerat ad Regem acceptâ Cracoviæ notitiâ de illius in Russiam itinere. Fraternitas inter illos Principes conclusa est, donaria mutua intercesserunt, conferentiæ longiores habitæ, nemo scit quid portendant? Cum mutua satisfactione post aliquot dierum interstitium separati sunt, Car Moscoviæ in suam ditionem propter pacificationem motuum, qui non perfunctorii sunt, properavit ad faciendam executionem captivorum, qui in adventu ejus morti destinati sunt. Transeundo per Zamoscium invenit ibi casu Leopolim euntem Nuntium Davia, cum quo satis confidenter egit, bibitq;. In affectûs contestationem crucem cum catena ab eo dono accepit, & illi frustum grandioris magnitudinis Smaragdi dedit, posset esse ingentis pretij, si fuisset purgatum.

Rex quoq; post valedictionem cum Caro 15ta Augusti uno milliari Leopoli sub papilionibus constitit; Nos verò quotquot inventi sumus Leopoli, tam ex Senatorio quàm ex Equestri ordine in crastino obviàm ivimus Regi, eiq; equitantes assistebamus, qui in cathedralem Ecclesiam, per portam triumphalem ingressus reboantibus tormentis, & occurrentibus in limine Ecclesiasticis, quorum nomine Archidiaconus & sede vacante Administrator Leopoliensis longo & præparato sermone salutavit Principem. Postea audivit Rex Missam, qua finita immediatè visitavit Reginam Viduam quæ præcesserat, unaq; integrâ horâ ibi mansit, inde ad Pala-

A.C. 1698 Palatium Palatini Belsensis pro residentia ejus destinatum in suburbio declinavit. Revisitavit in crastino Regina; Interim Exercitus Polonicus & Saxonicus sub Leopolim appropinquabant cum ingenti damno; & illius regionis præjudicio, quandoquidem sterilis annus erat, & continuæ pluviæ metere & colligere non permittebant. Alia pars Exercitus Regij ex Hungaria veniens non tam citò sperabatur, & ideo dispositio nulla fuit, quo eundum esset, an in Moldaviam, an verò versus Camenecum. Venit post missus ab Imperatore cum literis Imperatoriis & aliis ad negotium pertinentibus scriptis, & intra aliquot dies iterum comparuit notitia à Gomolinscio Kijoviensi Nominato & in aula Viennensi Regio Ablegato, Turcas concurrere de pace, & jam vicinos esse tractatui cum Imperatore, jamq; finem eidem imposituros, abiit Viennâ Secretarius Legati Anglici. Afflixit summè hæc notitia Regem, ex qua occasione, sine mora erat indictum consilium Senatûs, cui visum est expediendum esse cursorem cum expostulatione ad Imperatorem, pacem non esse ineundam sine nobis pro nobis, præcipuè in hoc fundamento, *uti possidetis*, quia si nunc nobis non restituetur Camenecum, diutius certè expectandum erit. Misit etiam Rex ad Pontificem expressum cursorem tanquam ad Gvarrantem colligationis, ut evincat suam authoritatem; quas literas hic adnecto; Interim præmonitus est Malachovius Palatinus Posnaniensis destinatus ad tractatum hunc Legatus, ut quantociùs illi itineri se accingeret.

Tractatus cum Turcis

Habuimus hic aliquam difficultatem particularem, cum castrorum metatore Potoccio, & Capitaneo Olstienensi Lubomirscio, qui in convivio apud Ducem Radzivilium à verbis utrinq; læsivis ad duellum se provocarunt, multa collisio fuisset inter has domos satis potentes, nisi Rex partes authoritate suâ composuisset.

Duas septimanas impendimus Leopoli, nec scivimus quonam Rex Exercitum suum ducere vellet, quandoquidem continuæ pluviæ ponebant obicem, nec multum aberat, quin de felici expeditionis hujus desperaretur eventu. Auxerant calamitatem nostram dissona & diversa Procerum consilia in ordine ad educendum Exercitum; Unde ego cùm non sine dolore vidissem torrentis instar nostos Consiliarios præcipitari in pejus & multò plures invidiâ quàm virtute certare, & denique non tam Reip: causâ, quam cupiditatis suæ gratiâ ambire consilij sui effectum, palàm feci, nihil minus durabile esse, quàm abusum concreditæ potestatis. Nec id in homines cadere posse, nisi consuetudo mali sustulisset admirationem, vulgatum enim de illis aliquid, quia verum erat, curavi accommodare contrariantes sibi; nonnulli enim in Moldaviam, alij versùs Camenecum eundum suadebant, nec concludere determinativè permittebant. Cum verò tandem resulsit Phæbus, movit Exercitus Regius *ima.* Septembris versùs Dniestrum, seu Tyram fluvium, ubi parum subsistere jussus, unde adveniente Rege prævio consilio resolutio fiet, quo? & quomodo tempus & necessitas postulaverit, eundum erit.

22dâ abiit Regina Leopoli post valedictionem Regis per Jaworoviam ad limina Sanctorum Apostolorum; Interim Princeps Regius Alexander, qui officium aliquod satis aliis honorificum, sibi verò aliquatenus tanquam tanti Regis Filio indecens in manus Regias iterum resignavit, pro eoq; gratas egit, quod Rex plus nimio ægrè tulit.

Conspiratio Litvanorū.

Venerunt interim variæ literæ ex Litvania, quarum tibi copias adjungo, quæ nihil boni in illis partibus promittunt. Jam enim Generalem, ut vocant, elegerunt sibi Colonellum, scilicet Kociel Vitebscensem, cui convocandæ, quoties necessitas feret, & ipse voluerit, nobilitatis potestatem dede-

dederunt plenariam; Jam illa pars nomen sibi universalis Reipub: Litvanicæ sumpsit, nomen in interitum potius multorum quàm salutem, nec credo finem miseriarum fore sed mutationem. Inauspicatus medicus qui necando discit mederi. In isto mari quotidie majores erunt fluctus; ad quos avertendos, sicuti ad sanandos quosdam morbos non jam collyrio, sed cauterio opus est, cum jam incipiant mysteria, quæ timeo & tremo, ultimã & illis & nobis minantur perditionem. Video enim eos, cùm jam in levioribꝰ remediis nullã spem haberent, ad acriora descendere, ne deessent corrigendi authores, & ut opprimerentur justè, qui injustè se erigebant.

MEMORIALE JOANNIS GOMOLINSKI NOMINATI KIjoviensis Ablegati S. R. M. Poloniarum Imperatori porrectum die 8vâ Augusti.

EXposui nuper in prima audientia Sacræ Cæsareæ Majestati Vestræ nomine Serenissimi & Potentissimi Poloniarum Regis Domini mei Clementissimi sinceri animi ejus & immutabilis in Sacram Cæsaream Majestatem studii indicia, repræsentavi gratas vices nomine ejusdem Sacræ Regiæ Majestatis & Reipublicæ pro solenni simulque debita sacri fœderis observantia, quòd scilicet non prius Cæsarea Majestas tractatum pacis cum Porta Ottomannica reassumi voluerit, quàm de ea re Potentiis fœderatis notitiam communicasset. Jam insistendo instructioni ex Cancellaria Regni mihi traditæ, humillimè Sacram Cæsaream Majestatem peto, ut alias propositiones gratiosè admittere dignetur.

Desiderat Serenissimus Rex Dominus meus Clementissimus, ut cursus prædicti tractatus non aliter per Ministros mediantium Potentiarum absolvatur, nisi præviâ semper communi notificatione, neque momenta rerum devolvantur ad illos terminos, per quos punctum illud sacri fœderis, ne pars sinè parte tractatum ineat, pessundari videatur. Quare injunctum mihi est, ut Vestram Cæsaream Majestatem Dominum Clementissimum humillimè petam, quatenus scripto obtineam, quòd nullatenus tractatus hîc cum Porta reassumendus concludetur, & determinabitur, nisi simul cum omnibus partibus fœderatis, inter quas computari magnum Ducem Moschorum tractatu simultaneo comprehendendum sacra Regia Majestas desiderat, cui eadem sacra Cæsarea Mtas etiam ex parte sua quàm primum significare curavit literis suis de reassumendo eodem tractatu. Quoniam sub manu Ministrorum mediatricis potentiæ pro aliis partibus sat favorabiles concertare videntur conditiones. S. R. Mtas in summis votis habet, ne tractatus pro Polonia conditione non tantùm crudâ, sed & crudeli, demolitione, inquam, Cameneci absolvatur. Testari enim DEum S. R. Mtem. Dominum meum clementissimum, & integrum senatum nomine Reip: non modò demolitione sed neque salvâ restitutione Cameneci, neque possessæ Moldaviæ concessione quieturos fore. Tot enim immensa damna ac jactura propè perditi per continuationem sacri fœderis Regni Poloniæ sunt in facili obtutu. Marcessit hucusque Regnum Poloniæ perdito militiæ flore in tractatu belli hujus, langvescit corpus illud fracto robore in Viennam, Bessarabiam, seu in Budziacen, in Moldaviam, ut taceam aliis expeditionibus amissam Kijoviam & Smolenscum cum integris Provinciis magnam Regni exæquantibus partem in gratiam sacri fœderis non sine dolore recolit. Depauperatas colonias continuis militiæ stativis, exinanitas terras excursionibus Tartarorum. Triginta milliones contracti debiti apud Exercitum præter expensas jam in usum belli hujus consumpti,

A.C. 1698 sumpti, ad ducentos milliones pecuniæ meminisse tenetur. Quare ut hæc Poloniæ damna S. C. Mtas pro incomparabili justitiæ & æquitatis amore commodis ex hoc tractatu pacis emanaturis resarcire annitatur, obnixè ex commisso Principalis mei pete, aliàs dolenda non nisi effusi Nobilitaris sangvinis prostarent indicia, & fumans candela illa, quæ aliis inserviendo in se consumpta manet. Conditiones itaque à Republica ubi necessitas exiget proponendas, tempestivè Sacræ Cæsareæ Mtis commendat Sacra Regia Mtas, respectui.

Licet Sacra Regia Majestas Dominus meus clementissimus judicet magnâ deliberatione in tractatu pacis procedendum, cum salus populorum ab hoc momento pendeat, reflectendo se ad eas rationes, quòd Turca, quò magis exhaurietur, & vires suas attritas sentiet, eò gloriosioribus Sacræ Cæsareæ Majestatis, simulq; aliorum Fœderatorum Principum assentietur conditionibus, eo fine Sacra Regia Maiestas Dominus meus clementissimus raro visas in Regno Poloniæ apparavit vires, florentissimos & fortissimos instruxit exercitus nullis proprij ærarii parcendo impensis, considerando insuper, ne conclusâ pace fractas hostis colligat vires, easq; contra Sacram Cæsaream Maiestatem Dominum clementissimum omissâ contra alios Principes hostilitate, maximè cùm adversa etiam sub velamine conclusæ pacis semper ad res omnes invigilet hostilitas, convertat, cum quo difficilior postmodum foret lucta. Has licet Sacra Regia Majestas Dominus meus clementissimus habeat reflexiones, non renuit nihilominus pacem, modò illæsa Sacræ Cæsareæ Maiestati, & sibi æquè sit gloriosa ac utilis.

Quo ad locum tractatûs Sacra Regia Majestas Dominus meus Clementissimus, eum libentissimè concedit, si ad præsentiam Sacræ Cæsareæ Majestatis Domini potentissimi peragentur, hîc Viennæ; Quodsi in campo vel in alio tertio loco, nullatenus posse se permittere declarat, ut ad præsentiam subalternæ præsentiæ, scilicet Generalium armorum hæc negotiatio devolvatur. Cum ipsemet ex potentijs colligatis in campum progressus momentis belli invigilaturus sit, adeoq; respectum hunc tractandi negotij circa præsentiam suam obnixè desiderat.

RESPONSUM NOMINE IMPERATORIS DATUM.

SAcra Cæsarea Majestas Dominus noster Clementissimus perpensis, quæ eidem nunc Serenissimi & Potentissimi Poloniarum Regis ab ejusdem Ablegato extraordinario Reverendissimo Domino Joanne Gomolinski Episcopo Kojoviæ & Czernichoviæ nominato, Abbatiæ Vachocensis perpetuo Administratore oretenus & in scriptis, circa futuros pacis cum Porta Ottomanica tractatus exposita sunt, benignè eidem responderi demandavit, quòd, cùm Sacræ Cæsareæ Majestati in omnibus vitæ, & Regiminis, Imperii, Regnorumq;, & Provinciarum suarum nihil fuerit antiquius, quàm stricta observantia fœderum contractorum, religiosam suam fidem testatam orbi reddere, prout hactenus se reddidisse, & ipso facto pacta inita adimplevisse credit, eoq; fine tot annorum vix explicabiles impensas, ut sociis belli potentem hostis diversionem, & utilem proprij compendii occasionem procuraret, sustinuerit, imò vacillantes hoc ipso firmaverit. Non videt Sacra Cæsarea Maiestas causam datam, ob quam sua Regia Majestas Poloniæ novam, ac superfluam scripto à Sacra Cæsarea Maiestate obligationem requirat.

Deinde Sacra Cæsarea Maiestas haud aliàs pro se, quàm pro fœderatis

ratis suis hactenus conditiones stipulata est, integrumq; illis manet in ipso *A. C. 1698*
congressu proponere, quas tempori, & præsenti rerum statui judicarent esse accommodatas, quibus obtentis omnem desiderabilem, rationique conformem operam, & auxilium à Sacra Cæsarea Majestate Serenissimus Poloniæ Rex, & in pectore alienum Sacra Cæsarea Maiestas videtur repudiare. Colloquia de sistenda effusione sangvinis humani ab hoste oblata, non tamen propterea pax jam confecta est, sed multa peragendi necessitas, dummodo vires proportionatæ & propriâ potentiâ nixæ in promptu sint; Si pax honesta & secura obtineri nequeat, rei bello promovendæ sat temporum & occasionum præbebit.

Eaque propter non tantùm libentissimè intelligit Sacra Cæsarea Majestas, quòd Sacra Regia Majestas Poloniæ tam luculentas in Regno suo vires apparaverit, & exercitus florentissimos fortissimosq; instruxerit; sed & nullis sua ex parte pepercerit sumptibus, ut, sicut integro hujus belli cursu factum est, ita etiam nunc præcipuam maximamque hostium vim adversus Hungariæ Regnum derivatam excipiat, & eam sociorum finibus, quo facilius illi arma sua præparare queant, aversam detineat. Quod autem 4to locum ipsum congressus concernit, omnem Sacra Cæsarea Majestas movit lapidem, ut tractatus vel hic Viennæ, vel saltem in alio quodam commodo loco Hungariæ instituēretur, nullatenus tamen adduci potuit Porta à Ministris Mediatorum, ut longius quàm ad pagum Salankament Plenipotentiarios suos mitteret, quo cum illa etiam Ministros suos Cancellarium videlicet Imperii sui *Offendi* dictum, & Maurum Cordatum olim interpretem, nunc à secretis suis jam destinârit, & locum intermedium Ministris mediatoribus sub tentorijs obtulerit, non videtur Sacræ Cæsareæ Majestati, & Dominio Veneto ea propositio contra Mediatorum mentem reijcienda, & propter tam exigui momenti formalitatem pacis colloquia differenda esse; dici enim vix potest, quòd negatio hæc ad præsentiam vel directionem subalternæ potentiæ devolvatur, cui nec ipsi Generales interfuturi, quæ non in eorum, sed cuique belligerantium parti proprio, aut communi cum socio campo medio pro mediatoribus inter utrasque loco instituenda sit. Proinde omnino confidit S. C. Mta fore, ut S. R. Mtas consideratis pro summa sua prudentia urgentissimis rerum, temporumq; circumstantiis hujus acceptationi loci assensum suum præbeat, ibique Plenipotentiarios suos sufficienti mandato instructos circa *15tam* Mensis proximi Septembris præstò esse jubeat, cùm de iis quæ comparitionis neglectu in posterum deterius evenire possent S. R. Mtas respondere non queat: Quod reliquum est, S. C. Mtas prædicto Domino Ablegato gratiam & benevolentiam suam Cæsaream propensè confirmat. Signatum Viennæ sub altissimè S. C. Mtis Sigillo Secreto die 14. Augusti 1698. (LS)

COPIA LITERARUM REGIARUM AD SERENISSIMUM Imperatorem Romanorum in suburbijs Leopolis 21. Augusti Anno 1698.

Ex literis atq; communicatis à Majestate Vestra de acceptato cum Porta Ottomannica pacis fundamento, uti possidetis, ita possidete *instrumentis, accedit animo nostro, universorúmque Procerum Regni hujus mentibus tantum doloris, quantum periculi pro honestè, securè, ac utiliter pace in rem Reipub: concludenda. Quid enim* uti possidetis *emolumentum afflictæ patriæ hujus, ac propè perdita*

A.C.1698 *ditæ sacro fœdere accessurum est, reparandis impensis, damnis unius alteriúsve Palancæ aggregatione in Moldavia? Quæ honestas aut securitas pacis? si antemurale Christianitatis Camenecum, avitum tot sæculorum decus Regni hujus non meruit tantùm depurati ab interesse respectûs, ut singularis, atq; clara remittendi illius integrè in proprias manus Christianas integrè caveretur exceptio. Pax talis, non pax sed fomes, atq; ignis mox resuscitandi, perpetuòq; alendi belli contra Regnum hoc modicis nimis sopiretur cineribus, hæc, & quæ inde secutura sunt, quemadmodum celare Majestatem Vestram non potuimus, ita eandem peramanter, ac vi sacri fœderis utilitatisq; simultaneæ requirimus; quatenus per justitiã, quam M:as Vestra unicè colit, & quâ Regna perdurant, ita demum in tractatu hoc res, atq; statum Reipub: hujus pensare, ac manutenere contendat, ne ullus locus pœnitentiæ sacri fœderis, atq; succursûs dati relinquatur, perpetuaq; illa, ac vetus Reipublicæ non in Christianorum tantùm, sed in propriæ utilitatis usum cum Majestate Vestra fœderata offendatur amicitia. Quid utilitatis, ubi ex æquitate ipsa, atq; singulari erga nos Majestatis Vestræ affectu & Regnum hoc inviolabili semper amicitiâ futurum fore confidimus, eidem felicißimos rerum eventus cum plena valetudine animi precamur. Dabantur &c.*

COPIA LITERARUM AD SUMMUM PONTIFICEM.

21. Augusti Leopoli.

POst oscula beatorum pedum Sanctitatis Vestræ, & mei, Regnorumq; meorum humillimã commendationem. Quàm primum communicatum est mihi Seren: Imperatorem Christianorum, ac inclytam Remp: Venetam suo atque Colligatorum suorum nomine convenisse in pacis cum Porta Ottomannica conciliandæ fundamentũ, Uti possidetis, ita possidete, *venit necessitas insuperabilis querulandi coram Sanctitate Vestra uti Guarante sacri hujus contra Turcam fœderis. Posito enim tali fundamento ad tractatum futurum palàm est, res, ac rationes Regni mei nunquam pejores fieri posse, quàm ex sacro hoc fœdere. Cùm etenim Polonia distincta tot ab hostium terris continuis tum Budziacensium, tum Crimensium Tartarorum excursionibus, nullas præter exiguos in Moldaviam loculos, ad fundamentum pacis tale,* uti possidetis *parare sibi potuit acquisitiones, quam redintegrationem pro deletis fundis, Provinciis, pro redditis trans Borysthenem terris, tribusq; latißimis Ducatibus Kijoviæ, Smolensciæ, Czernihoviæ in gratiam sacræ Colligationis ad pertrahendum Magnum Ducem Moschoviæ pacis ex præsidio motu fœderis à Seren: Imperatore sperατura est, si tam facilè illi non viso in manibus Christianorũ Cameneco clavi Regni hujus, ne dicã totius Europæ decore fuit fundamentũ pacis,* uti possidetis, *quàm difficilè patriæ isti portionem suam ac hæreditatem sæculorum Camenecum nempe in secura*

sua

ſua poſſeßione non videre, nec ea nunc per DEI gratiam ardua foret, ubi jam eousq; progreßi ſumus, cum tot millibus propriarũ noſtrarum Copiarum, præter Regni ac M. D. L. Exercitus, niſi tam præcipitatus ac propè condictus Tractatus totam DEI cauſam, ac negotium Chriſtianum de manibus eriperet, ſpem animumq; inſolito ſuo caſu cum ſumma injuria Regni mei præcidendo, hæc non alio fine quàm profundiſſimè Sanctitati Veſtræ inſinuata eſſe cupio, niſi ut cognitis malis Patriæ hujus, cui Divina bonitas me infelici tempore hoc praeeſſe voluit, forti ac virili niſu, tanquam communis Chriſtianorum Pater, atq; ſacri fœderis contra Crucis hoſtem Guarrans & Protector, partes meas ac Regni mei ita ſuſcipere velit, ut non fida tantùm ac honeſta, ſed utilis pro damnis Reip: pax haberi valeat. Quod ni futurum ſit, opportunè coram Sanctitate Veſtra manifeſtari Regnum meum non poſſe aliquando non quærere infelicitatis ſuæ, ac damnorum authorem. Non patietur itaq; Sanctitas Veſtra tractatu hoc in fundamento, uti poſſideris, *ſolas miſerias, calamitates, ac vaſtiſſimas ſolitudines factas gratiâ fœderis ſacri in lucro ac poſſeſſione Regni hujus relinqui, non permittet ex ſimultanea colligatione æqualia commoda ac damna ſupponente alios gaudere, reliquos flere, ſed, quantum eſt in manu ac poteſtate ſua omni meliori modo ſtatui rationibusq; Regni mei circa tractatum præſentem aßiſtere dignabitur. Quorum juſtitiam modò Sanctitas Veſtra exercebit, ſed erga me ſingularis paternæ gratiæ, atq; integram hanc Remp: documenta dabit, quæ filiali ſemper relaturus gratitudine, nunc feliciſſimum rerum Chriſtianarum, ac ipſius imminentis hujus tractatûs arbitrium cum longævâ valetudine animitus precamur.*

A.C. 1698

PUNCTA AD CONSIDERATIONEM PALATINATUUM, ET DISTRICTUUM M. D. L. PORRECTA.

QUomodo in hoc paſſu Reſpub. juvare ſe poteſt, quando exercitus M. D. Litvaniæ opprimit Palatinatus, expeditas ex Palatinatibus cohortes regimini Gubernatoris Samogitiæ commiſſas, tollendo publicam ſecuritatem, delet. Congregatam nobilitatem Samogitiæ in ſubſidium illarum cohortium, ex mandato Palatini Vilnenſis, & Dapiferi M. D. Litvaniæ diſſipat, bona nobilium in ijſdem Palatinatibus invadit, diripit, ſubditos opprimit, & nova quæque hoſtilia exercet, inſuper ſangvinem nobilium, per Tartaros equites effundit, Siccariatum exercet. Quid ergo ulterius faciendum? fovendúsne an dimittendus, & diſſolvendus erit?

Videretur diſſolvendus, maximè propter eliberationem ab omni oppreſſione nobilium, liberæ vocis, ſecuritatis, publicæ ſalutis, honorum & fortunarum, quæ in quali oppreſſione hactenus fuerint, explicare non eſt neceſſe, recens enim exſtat memoria, cùm non liceat etiam videre executionem legis recens conſtitutæ. Si M. D. Litvaniæ exercitum hunc patietur, nec locatio ſecundùm ordinationem legis, nec repartitio unquam acceptabitur. Videmus jam aliqua puncta per Litvaniam diſperſa, per quæ ſtatuta lex abrogatur circa prærogativas Miniſtrorum, quando additum in illis, quodſi exolutio non declarabitur à Palatinatibus Exercitui, tunc ad antiquum

A.C. 1698 antiquum morem rediturum regimen Ducum, unde subsequitur, comitiola rumpenda, contributionibus contrariandum per subjecta subordinata, & ita militem in viscera Litvaniæ intraturum, sub prætextu non solutæ mercedis ab aliquo Palatinatu vel Districtu, integrum Ducatum passurum stationes, prædas, & alias depopulationes.

Ad dissolutionem Exercitûs modus satisfactionis in deservitis quartualibus inveniendus omninò, quia hic est & esse debet gradus primus. Quamvis ergo experta est Respublica tam multa gravia, & sibi contraria, quæ amovere possent ab exolutione laudatorum quartualium, tamen tenetur per tractatum in *Szkudy* stabilitum, & juramento confirmatum cum Exercitu Regio & Reipublicæ per Commissarios ex Palatinatibus & districtibus deputatos, manutenere & exsolvere, cui ut satisfiat, hoc medium proponitur, ut scilicet *Czopowe, Szelęzne* & hiberna, aliique proventus specificati in tariffa, qui sunt destinati, pro satisfactione annua, habeat exercitus secundùm repartitiones, exclusis nonnullis in tractatu Szkudensi expressis.

Si opponetur conjunctio armorum cum aliis Principibus Christianis, unio M. D. Litvaniæ cum Regno Poloniæ, vi cuius tenemur dare subsidia Reipublicæ, quamdiu durat bellum cum Turca; reponitur ad id, quòd in comitiis campestribus brevi futuris providebitur, sive expeditione à Palatinatibus, sive parata pecunia subsidium. Et nunc cùm hæc hyems quietis solatium adferet, erit potentior applicatio ad ulteriorem tranquillitatem post ruinata bona Regalia, & Spiritualia. Unica hæc spes restaurationis.

Si Exercitus hic Regius & Reipub: aut in præsenti expeditione, aut post expeditionem rediturus in reprobum ibit sensum, nec se permittet dissolvi, recipere nolet constitutam mercedem, renunciando tractatui Szkudensi, antiquas oppressiones, transeundo vel morando facere volet, quomodo huic obviandum incommodo, permittendáne ruina, & totalis Patriæ desolatio?

Mittendi essent Nuntij ad Regem, ad Duces, & ad Exercitum, quòd Respublica non potest amplius pati hunc exercitum, & quòd illi parata est exsolvere quatuor quartualia declarata, si huic contrarij erunt, cur motus tertius nobilitatis approbatis primò antiquis laudis, & confœderationibus fieri non deberet ad obviandum illis?

Cohortes expeditæ à Palatinatibus & districtibus quomodo debent subsistere, sine quibus audebit Exercitus ab obsequio Reipublicæ recedere & in omnem licentiam, nobiliumq; aggravationes & oppressiones eruere. Quomodo etiam cohortes in computo Reipub: existentes, cum Republicáque tenentes conservari debent, quæ sub regimine existunt Gubernatoris Samogitiæ.

Has proinde reflexiones pro teneritudine fidelis mei in Patriam obsequij ad trutinam mitto Vilnâ 6tâ Augusti. Michaël Casimirus Kociel Castellanus Vitebscensis.

Rationes, quòd concordia M. D. Litvaniæ quam fama divulgat, quasi Varsaviæ 22dâ Julij anno currenti sine notitia Palatinatuum & districtuum Litvaniæ facta sit, subsistere & acceptari non debeat.

Unanime hoc fuit desiderium Palatinatuum & districtuum M. D. Lit. petere, ex voto populari Regem, videndo tam frequentes & ingentes exorbitantias, & efferentem se supra æqualitatem ambitionem, ut comitia Campestria optimum sanandorum vulnerum Reipub. antidotum expedirentur, quæ dum tam citò concedi non poterant, expediverunt suos dele-

lega-

legatos, Leonem Oginscium Subdapiferum M. D. Lit. & Ludovicum Pociey Succamerarium Brzestensem conveniendo suam Majestatem, ut propter efficacem partium differentium combinationem, extradere Cancellariam suam jubeat literas universales ad M. D. Lit. denuntiando actum commissionis, locum & terminum, in quem Palatinatus, & quivis districtus Commissarios eligant,& omnes illis prætensiones publicarum & privatarum injuriarum conscriptas committant ad discernentiam; utque in eodem termino Commissarios à latere suo pro hac mediatione sua Majestas mittat, ibi palàm fieret, quàm integre læsa libertas, motæ ex cardinibus antiquiores leges, gloria Dei eradicata, novella lex coæquationis non observata, securitas publica toties violata, & omnes usurpatæ per tot annos potentiæ, actiones modum civilem excedentes, corda nobilium ad coactam debitámque excitârunt resolutionem.

Tractatus nullus Varsaviæ fieri potuit, quandoquidem ad illum ab ordine Equestri, à Palatinatibus & districtibus nullus fuit missus Plenipotentiarius, nec potuit quisquam in publicis injuriis inducere personam M. D. Lit. & tantò magis circa materiam status, quod non nisi in comitijs Generalibus fieri solet, decidere, sicuti est actio, ultra computum antiquum Exercitûs insciâ nobilitate notabilem numerum exercitûs addere, augeréque Tribunalitia decreta, & illorum executiones tollere, pensiones pro clavis Ducum, & pro thesauro alias ultra solitum extollere, alias de recenti destinare præsumptâ tantummodo aliquorum authoritate; non potest proinde propter hanc tam necessariam reflexionem hæc concordia acceptari, cùm præcipuè tractatus cum exercitu per Commissarios à Palatinatibus & districtibus delegatos cum exercitu M. D. Lit. conclusus, & ab utrinque juramento confirmatus in Szkudy 3tiâ Martij anni currentis omnino in oblivione fuit, in quo tractâtu Exercitus Litvaniæ intuitu tam magnorum damnorum eidem illatorum, quatuor tantùm contenti erant quartualibus, salvâ largitione suæ Maiestatis. Et nunc iterum tractatus nominati status nobilitaris ad principia redire deberet, & sub illis satisfacere. Hoc responso dato Generali, descenditur ad particularia puncta concordiæ hujus & quidem respondetur.

Ad 1mum Punctum: hoc est ad coæquationem M. D. Litvaniæ cum Regno Poloniæ, respondetur; videretur punctum hoc esse laudabile, si illud inferiora contenta non invalidarent.

Ad 2dum Officium Ducale extradere tenetur assignationes solutionis secundùm repartitionem ad Palatinatus & districtus; ad illas tamen vigore coæquationis officium Thesaurarij nullatenus pertinere potest. Nulla etiam Commissio ad liquidationem cum exercitu esse potest, post finitos tractatus anno currenti, exceptâ hac commissione, quam constitutio coronationis à statibus Reipub: destinavit pro exdivisione millionum in exercitu Litvaniæ ex elargitione Regis declaratorum, in qua commissione quatuor quartualium à Repub. declaratorum exdivisio, & realis liquidatio fieri congruè potest in præsentia illorum tantùm Commissariorum, qui constitutione coronationis sunt destinati, nullos alios de novo ex senatu ad dictam commissionem pertinere volentes admittendo Commissarios.

Ad 3tium Locationem Exercitûs ex clementissima adhuc pro hac sola vice Maiestatis suæ concessione in œconomijs Regiis, donec Respub: alia providebit loca, ad debitam gratitudinem quemvis ex concivibus fidelibus subditis obligat. Utique pro locatione exercitûs authoritas Ducis assignationes extradere non debet, quia id solis Commissariis per constitutionem coæquations destinatis commissum, quorum authoritatem & secu-

A. C. 1698 ritatem tam fortiter firmavit Respublica, ut, quicunque contrarius esse exdivisioni, & huic locationi vellet, pro hoste reputandus sit Patriæ, & eò ipso infamis. Et quoniam universales literæ Ducis non tantùm id prohibebant, sed etiam ad judicia sua ducere Commissarios à Republica destinatos volebant, per quod contraventum est sancitis Reipublicæ, comportatio summarum pecuniarum non alibi fieri debet, nisi in Palatinatibus & districtibus, ad quos deputati à cohortibus cum assignationibus Ducis venire tenentur secundùm constitutionem coæquationis.

Ad quartum. Convenimus in eo, quòd munera & munia clavæ majoris sint satis onerosa, nihilominus auctioni pensionis contradicimus, & moribus antiquis secundùm consvetudinem Patrum nostrorum, non nisi pro clava majori sexaginta millium, pro minori quadraginta pensionem admittimus. Donativum Mercatorum, Monopolium tobaci, capitatio judaica, adjudicata sunt per legem novellam coæquationis ad Palatinatus & districtus, quæ jam sunt in exercitio colligendarum harum prædictarum contributionum. Esset proinde præjudiciosum statui nobili totius Reipublicæ constitutionem privato immutare studio, & proinde directè impugnaretur coæquatio M. D. Litvaniæ.

Ad 5tum. Tartari Gens subdita & sangvinis Christiani avida tot constitutionibus tenentur ex fundo terrestri ad obsequium Suæ Majestatis & totius Reipubl: nec ullatenus computari debent in numero Exercitûs M. D. L. per consequens nullam participare mercedem, hyberna, locationes. Declaratio verò per Dapiferum Litvaniæ & Succamerarium Brestensem data in instructione ad Regem in Generali laudo M. D. L. pro fundamento tribunali juxta novellam legem sub Vilna congregatorum Palatinatuum & Districtuum in memoriam reduci debet, quòd ad nullam animorum combinationem, & tractatûs Palatinatus & Districtus, M. D. L. accessuros se declararunt, donec omnes Tartaricæ cohortes, genus pernitiosissimũ, Desultoriorũ quoq; qui ultra computum Reip: habetur, numerus magis pro privato obsequio in oppressionem statûs nobilis, dissolutionem Comitiolorum, invasiones domuum nobilium, varias depactationes & sangvinis fraterni effusionem conductus, ante omnia dissolvantur, & ab obsequio Reipub: & omnimoda mercede amoveantur.

Ad 6tum Omnes offensæ, prætensiones publicæ & privatæ, invasiones domuum nobilium, violentiæ, sangvis in variis locis fratrum nostrorum effusus, jura gentium in aggressione Legatorum violata, publica consilia toties adhibito brachio militari conturbata, æraria publica in propriam utilitatem conversa, nullatenus sub amnistiam præsumptâ aliquot personarum totius Reipubl: authoritate ingredi poterant, cùm contra æqualitatem nobilium extollens se præsumptio in id contumaciter sese resolvit, ut & ipsam delicatissimam libertatis pupillam, liberam vocem circumscribendo omnes commoverit ex cardine leges, cum pro satisfactione aliquot personarum privata commoda in Comitiis imminentibus prohibet, contradictiones neq; rumpere permittit, quamvis cum summo præjudicio libertatis nostræ aliquid institui posset, imò obviat contradictionibus, & tuturam id ipsum quibusvis illicitis modis sese obligat.

Ad 7timum. Videtur expressè supplantationis adversæ partis studium, quæ in se assumpsit formam, jurisdictionem Reip, exprimendo quasi ad conclusionem horum tractatuum, quòd Delegati à Palatinatibus & Districtibus & à Tribunali M. D. Lit. fuerint, ut verò à Palatinatu nullo vel Districtu, tum nec à Tribunali quenquam Plenipotentiarium ad tam damnosam statui nobilitatis combinationem misimus, nec mittere cogitavimus,

vimus, ita solenniter contra illam protestamur. Evidens & in eo per abrupta media partis adversæ malignitas, quando contravenire intendit decretis, & tribunalitiis executionibus, nec minus repugnat exactionibus tributorum. Cui dum contrariantur, tollunt fundamenta locationis, & repartitionis, & per consequens ipsam tollunt coæquationem. *A.C.1698*

Ad 8tavum. Non tantum ergo ex præmissis rationibus hæc prætensa concordia acceptari non potest, sed etiam eam & ipsæ subsequentes tyrannicæ adversæ partis subruunt actiones, cùm de recenti post concordiam factam, quæ quasi in vim propositionis conclusa est, postpositâ Majestate Regis, qui pro Gvarrante acceptus sangvinem fratrum nostrorum Districtus Vielenensis in Ducatu Samogitiæ effuderunt, sicuti & contra expeditas cohortes ex Palatinatibus & Districtibus pro manutentione Regiæ Majestatis, Patriarum libertatum, & coæquationis destinatas expleverunt hostilitates per Dapiferum Litvaniæ cum Equitibus, Tartaris, alijsq; exoticis militibus; destructionem omnium frumentorum, combustionem domuum nobilium; ruinam aliquot Villarum, invasionem & prædam earundem, variis deniq; depactationibus omnem ademerunt apparentiam ad aliquam concordiam, imò ad defensionem & vindicias libertatis quemvis nobilem excitant, & solicitant.

LITERÆ UNIVERSALES AD PALATINATUS M. D. L. Pro convocatione Vilnam expeditæ, à Kociel Castellano Vitebscensi Generali Colonello Palatinatuum & Distr: 5 Augusti Vilnæ.

POst titulos &c. *Quandoquidem contumax in eversionem jurium liberæ Gentis adeo adversariorum nostrorum devenit ambitio, ut finis unius mali, gradum disponat ulteriori, & in ruinam non tantùm honorum, & fortunarum nobilium, extendit armatam manum, sed & in vitam, uti novissimum exemplar contra fratres nostros, pro congressu venientes ostendit, quando Tartari, Equites, alijq; exotici milites, à Repub: contra hostem S. Crucis conscripti, sumptibus Patriæ, ex mandato Palatini Vilnensis, sub regimine Dapiferi Litvaniæ existentes, hostiliter nobilitatem funditus deleverunt, militaribus receptis insignibus, in æternam status nobilis infamiam, spoliatos, & vulneratos ad tormenta ferro alligârunt. Nec contentus eâ strage civium Dapifer M. D. L, partem libertatis nostræ cum Exercitu Palatinatuum & Districtuum, Majestatem Regiam fideliter & legem coæquationis defendentem petebat: Oginscium Gubernatorem Samogitiæ cum nobilitate ejusdem Ducatûs, in excubijs existentẽ, tã impetuosè aggressus, cum tormentis majoribus, ut vix non theatrũ sangvinis totius nobilitatis effusi effecisset, nisi providentia DEI de faucibus eliberasset Leonis, & in aliam partem Dapiferum ad pejora adhuc tentamina, sub prætextu quasi mandati Palatini Vilnensis, aliò avertisset. Hunc ergo fatalem casum nobilitatis defero fratribus, per viscera ejusdem patriæ, & amorem ejusdem libertatis (quæ si perierit, quid nobis reliqui?) precor omnes, ut commune junctis manibus propulsare velitis malũ, in vindictã injuriarũ illatarũ, & effusi*

A.C. 1698 *sangvinis fratrum nostrorum, quæ per conniventiam in omnes nos cadere deberet. Sopiamus in herba hæc, antequã potentia & colligatæ vires fortiores reddantur, & faciamus inter nos pro bono publico fraternum consilium, pro quo delegatos mittatis è medio Vestrî Vilnam pro die 25ta præsentis, ut confirmetur juramento firmata confœderatio, & concludatur, quid cum exercitu faciendum, sine præjudicio coæquationis, & quomodo obviandum, ne rediens ab expeditione exercitus, in transitu ulteriora damna bonis nobilium præsumat inferre, & quomodo præsentia avertenda pericula, cùm adhuc sine nobis, contra nos, aliqua quasi concordia, & tractatus nocivus conclusus fuerit, de quo, dum accepi notitiam & in contentis eversionẽ coæquationis juriũ, & liberæ vocis oppreßionem animadverti; protestatus sum in tribunali, cùm alijs Palatinatuũ & Districtuũ Officialibus, Vilnæ existentibus, in ea spe, quòd quicunq; legerit puncta, quæ hic adjungo, hujus quasi conclusæ concordiæ, dextrã jungendo dextræ, etiã de nullitate illius protestabitur, quandoquidem id, quod in coronatione Regia sanctum & immobile, quia juramento confirmatum, in ævum fieri debet firmum, etiamsi in id ipsum, proprio sangvine & vitâ obsigillare unà omnes, si illud extrema requireret neceßitas, obligamur, quæ omnia zelo boni in sinum vestrum defero.*

LAUDUM M. D. L. CORAM ACTIS TRIBUNALIS VILNENsis Reipubl: Litvaniæ die 17. Augusti factum. Quod Raphaël Szumski, Subdapifer & Subpalatinus Vilnensis, tanquam coram se factum recepit, sub titulo; Laudum Palatinatuum, & Districtuum totius Reipub: Litvanæ cujus contextus est talis.

NOS Senatores, & Nuntii ex Palatinatibus M. D. Litvaniæ, & districtibus, quicunq; in tam præcipiti Reipubl: casu, congregari potuimus Principalium nostrorum in domibus relictorum nomine, & illorum Palatinatuum, qui propter longinquitatem loci, & temporis brevitatem, nullatenus nuntios suos mittere huc poterant, sed in scripto nihilominus, uniformitatem sensûs & manutentionem eorum, quæ hic constituentur declararunt, congregati hic pro die 14. Augusti Vilnam, ex comitiolis nostris, 7ma Augusti absolutis, vigore innotescentiarum Michaëlis Casimiri Kociel Castellani Witepscensis, Mareschalci tribunalis Litvaniæ, Colonelli & Directoris universalis, ob casum ingruentis mali, quando exercitus Litvaniæ, ausum à sæculis inauditum facere præsumpsit, malúmque contra Patriam matrem suam, contra nobilitatem Ducatûs Samogitiæ, contra expeditus ex Palatinatibus, & districtibus in tuitionem libertatis, coæquationis jurium, reparationis, locationis sub regimen Oginscij Generalis Ducatûs Samogitiæ Gubernatoris datas cohortes aggressus est. Quando pallio subjectionis æternæ cooperata puncta, quasi concordiæ Varsaviæ conclusæ, nomine Gvarantiæ, Serenissimi Regis authoritate publicari cœperunt per hos, qui nobis jura coæquationis eripere, & in nihilum redigere allaborant. Quando eodem die, quo hæc concordia Varsaviæ, cum illis est conclusa, qui nullam à nobis habuerunt plenipotentiam, cum Tartaris, Desultoriis & aliis in computo Reipub: existentibus Dapifer Litvaniæ aggressus est, lanienam

enam & excidium tentavit, nos perpetuum hoc statuimus laudum, quærentes ultima remedia ad salvandam Rempubl: quod manutenturos nos, fide, honore, & conscientia, omnes & singuli obligamus. Et in primis antequam accessimus ad hoc consilium, solennissimam fecimus manifestationem contra eos, qui ministeriis Reipubl: in unam domum collatis, sunt graves Patriæ nostræ, in qua omnes injurias, & prætensiones, ad illos declaravimus, & quod omnes vindicare velimus, sicuti idem ipsum instrumento hoc unanimis consensus manifestamus, nec prius ab hoc constituto recedere volumus, usq; dum integra Respublica, & singuli privati in prætensionibus & injuriis suis commodam habuerint satisfactionem, quam manifestationem ad acta tribunalis M. D. Lit. obtulimus, ut universus videat orbis, & posteritas legat, quæ presserunt, quod generali consensu, & scripto confirmamus & approbamus. A. C. 1698

Primum & principale objectum consilij nostri præsentis est exercitus Litvaniæ, qui incrassatus & impingvatus gleba Patriæ, ruinatis omnibus bonis oneri militari subjectis, tandem recalcitravit & manum extendit contra matrem, contra Dominam suam Rempublicam, quam tam multis juramentis fefellerunt, qui constanter illam defendere debebant, eoque nomine tractatum in Szkudy voluntarium cum Commissarijs ad id destinatis, mutuo juramento firmarunt, & tamen à nobis recesserunt, augendo fastum potentûm, qui jam cessasset, si mutatione hac fidei suæ, exercitus non excitasset, & verâ ad illos accessione à Republica non recessisset, & illicitis facinoribus, & ausibus inpracticabilibus non monstrasset, quòd sit Reipub: contrarius, contra illam rebellis, & tanquam infidelis mercenarius, ac proinde illum amplius alere, amplius solutionem mercedum continuare nolumus, nullum obsequium ab illis desideramus, & præsenti constitutione declaramus, & quantumvis conveniret pro inobedientia, & extensione manus in Rempublicam, nullam mercedem exsolvere huic exercitui, nihilominus Respublica, cum sit mater Filiorum suorum, tanquam ingratos clementi alens ubere, non dimittit de sinu suo, sed tractatum Skudensem in toto confirmat, & secundùm eum exercitui mercedem ex nunc declarat, hoc est ad summam à Rege in felici Electione promissam, trium millionum trecentorum millium triginta trium florenorum, grossorum decem, adhuc exsolutionem quatuor quartualium appromittit. Separat nihilominus Tartaros, tanquam hostes Patriæ, ab æquali divisione ad quam & Desultorios in computo existentes, secundùm expressam legem, sexcentos scilicet tantùm equos, ad hanc admittit summam, id sibi præcavendo, quod quidcunque post Skudensem tractatum actum est injuriarum, illa Reipublicæ & privatis illata damna defalcabuntur, & quòd post exolutionem quatuor quartualium, immediatè Exercitus dissolvetur, in quo puncto si obedire exercitus noluerit, tanquam hostes Patriæ aggrediemur, cum hac præcautione, quòd summam à Rege declaratam, & superius expressam, jam dissolutus exercitus, in domibus suis expectare tenebitur, donec Rex Serenissimus reditu facto, ex hac expeditione, illam non exsolverit, & propterea statim sub vexillis & Regimentis, eligere sibi Deputatos ad recipiendam hanc summam tenebuntur, quæ non aliter nisi per Commissarios constitutione destinatos, exercitui dari, & inter illum distribui debebit, nullas privatas largitiones requirendo, utque eo nomine Castellanus Witeplcensis Regi scribat, committimus. Ut verò eò felicius & efficacius hæc dissolutio exercitûs & satisfactio eidem fieri possit, declaramus, & constituimus nomine Principalium nostrorum, in domibus manentium, motum publicum militarem viritim nemine excepto, quicunque tantùm nobilem

Appromittitur merces militibus

Dissolvendo Exercitus

Motus cōmunis indicitur

A.C. 1698 bilem se dicit, ad quem congressum, tam pro consilio, quàm pro resistentia contra illos, qui sancitis Reipublicæ obedire nolent, invitamus ad consortium nostrum omnes Senatores, tanquam seniores fratres. Qui motus publicus nobilitatis sub vigore legum de expeditione bellica sancitorum, in omnibus conformando nos ad statutum M. D. Litvaniæ constituimus, ut æqualitas fiat pauperioris fortunæ, cum ditiore, ut scilicet viritim omnes compareant, ita ut pauper nobilis, aliquos tantùm numerans subditos, sibi subjectos, ipse pro se comparere debeat, & ditior nobilis etiam pro se compareat, & ex substantia sua, separatos homines, & ex fumis decem, secundùm ultima abjurata, equum Cosaticum in subsidium Reipublicæ statuere debeat, idque sub pœnis de expeditione bellica sancitis, præcipuè autem ex Principum, & magnorum virorum bonis, ex fumis decem, unus equus expediri debet, locus congressus hujus motus militaris sub Grodna, tempus 15ta Octobris destinatur, utq; eo nomine maturè universales literas expediat Castellanus Vitebscensis, tanquam Generalis colonellus obsecramus, pro quo congressu nostro, si aliquis in persona sua non compareret, jam eo ipso haberi debet, & est inimicus coæquationis, repartitionis, & locationis, aut amicus illorum, qui contra hanc legem insurgunt, quos etiam absentes judicabimus & contra eos, tanquam juri publico contrarios, decretum ferre, & forti executione eos aggredi promittimus. Ut verò in eodem congressu perfecta exercitui fiat satisfactio, secundùm obligationem nostram, omnes Palatinatus & Districtus comportabunt summas suas ex omnibus contributionibus, quæ in lege specificantur, collectas; & ubi propter renitentiam potentum, hæ contributiones lege coæquationis constitutæ, in aliquibus Palatinatibus vel Districtibus colligere non esset permissum, ubi hybernæ, secundùm usum antiquum extortæ, per oppressionem, & convulsionem, publici juris immediatè in ijsdem bonis, quæ vim publicæ legi intulerunt, defectus summarum exercitui destinari debet, quo contentari tenebitur. Tariffa pro exolutione horum quartualium constituta, si esset minor, aut major, tunc DEo dante, in hoc generali congressu moderabitur. Tribunal M. D. Lit. cum interea limitari debet, tantum temporis pro tam sancto opere, impensum, computando cum reditu ad domos proprias, ut omnes causæ Palatinatuum & Districtuum judicari possint, defalcabitur. Obligando nobilitatem, ex omnibus Palatinatibus, ut ad domos suas redeat, assistentiam suam potentibus non præbeat, ita, ut, si aliquis ex illis unâ septimanâ, ante motum hunc generalem non redierit, statim bona eorundem à Centurionibus invadi, possideriq; debeant, & postea tanquam post perduelles, jure caduco benè meritis per gratiam Regiam cedere queant. Quæ omnia in Palatinatibus, & Districtibus, cum omni diligentia exequi obligamur, & executionem indubiam manutenebimus. Tartari quanquam indigni sunt compassione, quòd tam crudeliter sub Jurgenburgo, & Wieluna sangvinem nobilium profuderint, damus nihilominus illis spatium, ut unâ septimanâ, ante terminum communis motûs, ad domos suas redeant, si autem non redierint, & dura corda contra Rempub: Dominam suam retinere præsumpserint, tunc tanquam cum hostibus nostris procedemus. Perstrinxit nos rumor, nunquam alias auditus, quòd pars adversa, in Ducatu Samogitiæ rusticos Skudenses, & Cretenses armavit contra Patriam, in Russiam quoq;, ubi bona ejus consistunt, literas universales misit, dando omnimodam subditis suis licentiam, ut manus contra capita nobilium levarent, qui rumor, ut pupugit viscera nostra, ita omnem securitatem providendo constituimus, ut in his Palatinatibus & Districtibus, ubi am-

plæ

plæ potentum reperiuntur ditiones, pro conservatione pignorum nostrorum, tantæ cohortes nobilium compareant, quantæ necesse erunt, ad avertendum adæquatè malevolam hanc rusticorum intentionem, ne nimium excrescant vires partis adversæ. Quoniam inaudimus etiam, quòd per capitulationes, aliquæ Oeconomiæ Regiæ datæ sunt illis in administrationem, tunc declaramus, quòd ad possessionem harum Oeconomiarum nullatenus eos admittemus, usq; dum Respub: in integro pacificabitur, & propterea missis à Sua Majestate Commissarjis, committimus, ut ingerentibus se per vim, ad possessionem Oeconomiæ Mohiloviensis resistant, in quo Palatinatus forti manu, omninò juvabunt. Quia Sua Mtas, tanquam omnigenæ bonitatis exemplar, quidquid fecit, invitus fecit, & ad importunas instantias eorum, qui alium elegerant Regem, propter celeriorem in patria tranquillitatem hoc ipsis indulsit, nostrâ civium interest, ut præcustodiamus, nè Princeps egeat, & mensa Regia condignè sit provisa, obstantibus tot legibus, & constitutionibus, quæ nostris favorabiles sunt intentionibus, nè scilicet impetrentur bona Oeconomica. Ac proinde ne Rex ab adversa parte, sinistrè de non admissa illis administratione informetur, vel quod voluntati ejus, contrarij simus, quòd omninò ob solum Regis bonum facere prætendimus, & id ipsum per Legatos nostros, suo tempore ab universa nobilitate congregata mittendos informabimus, interea ut punctualiter Rathæ omnes thesauro Regio exolvantur, attendentiam iisdem Commissarlis committimus, præmonendo cives Mohilovienses, ne audeant quemquam citra voluntatem Reipub: in administrationem hujus Oeconomiæ, intromittere. Quod ut eo melius ipsis liqueat, denuntiabit id Castellanus Vitebscensis universalibus literis suis, & si aliæ Oeconomiæ eodem oneri, per similes capitulationes subjacere deberent, tunc, ex futuro publico nobilitatis motu, illas eliberare, & ad mensam Suæ Maiestatis vindicare promittimus. Interea proventus, antequam in campo compareamus, ut in Palatinatibus & Districtibus, urgente forti executione à subditis recipiantur, & conserventur præmonemus. Contributiones verò solitæ, ut pro termino destinato comportentur, seriò injungimus, ut non vacuis manibus, circa dissolutionem exercitûs comparentes, omnibus difficultatibus obviemus. Illud etiam nobis præcavemus, secundùm præcustoditiones, jam à nobis factas, addendi, augendi, & immutandi, quidquid visum fuerit in manifestatione nostra, in tribunali oblata, & si quid obliti fuerimus, in illo tempore & loco, liberum erit vindicare, uti sunt manifesta homicidia, per Dominos potentiores, deliberatissimè facta, confusiones Officialibus terrarum illatæ, ut in posterum similes ausus per repetitionem illatarum injuriarum, eradicari possint. Damna etiam quæcunque Reipub: causata sunt, ex occasione contravenientium coæquationi Reipub: præcipuè in conscribenda nobilitate pro defensione hujus juris, expediti ex Palatinatibus militis, omnia hæc, ab illis, qui causam & ansam prædictis damnis dederunt, vindicabimus in eodem termino motus nobilitaris. Promittimus etiam nobis, quandoquidē pars adversa lapidem omnem movet, in eversionem legis coæquationis, & Tribunalis M. D. Litvaniæ, quòd inibimus media, quomodo, & qui deputati tribunalitij, debent destinari pro futuro tribunali, ut non aliter judicent, nisi ea methodo, quâ nunc judicatur, & regestra causarum militarium, fiscalium, conserventur in toto, & quicunque in causis fiscalibus, quæcunque sunt jam judicatæ, attentare vellet decretorum immutationem, contra eum, omnes toto nostro nobilitatis motu acturos, & processuros declaramus. In defensionem judicatorum, in tribunali authoritatis, ne videlicet

A.C. 1698

Oeconomia recipienda

Dāna vindicanda

Deputati ad Tribunal.

A. C. 1698 cet à nullo commoveri queat. Quandoquidem nos, cum Corona Polona, primò unio, pòſt, tot vincula animorum, ad extremum coæquatio Jurium ita illigavit, ut unum & indiviſibile Reipub: corpus, vocari poſſit, nec licet, ut proſpera, & aſpera ſimul non communicemus, uti uno ſenſu doloris juncti. Ac proinde Colonellus noſter generalis, omnes has actiones noſtras deferet, nomine totius Reipub: pro Comitiolis Regni poſt feſtum Nativitatis Beatiſſimæ Virginis, die lunæ imminentibus, utque impreſſam manifeſtationem noſtram, ubique communicet, volumus, ut videant fratres noſtri, quæ patiamur, & nos non deſerant, ſed uti legi in campo Electorali formandæ fervore ſuo, momentum addiderunt, ita nunc juvare nos, contra potentias miniſteriorum non deſinant. Si exercitus in obedientiam eundo bonis modis diſſolvi vellet, tunc homicidia nobilium, invaſiones bonorum, ſicuti accidit Mareſchalco Oſmianenſi, & aliis cum magno damno, & opprobrio nobilitatis, non obliviſcemur, imò refuſionem damnorum urgebimus. Sin ſecus & ſi per contumaciam exercitus agere velit, tunc in Palatinatibus ex bonis eorum, qui damna cauſarunt, refundi debent injuriæ, & modus ſanandæ ſecuritatis publicæ in comitiolis quærendus, quæ in diverſis locis præcipuè verò in Samogitia læditur, ſicut accidit in perſona Bielevicii judicis Samogitiæ, quem liberè, & unanimiter electum, in Directorem comitiolorum redeuntem ex circulo, adverſæ partis aſſeclæ tyrannicè vulnerarunt, & tanquam latrones omnibus ſpoliarunt, quæ oppreſſio, & damna illata, in eo termino & ſecuritati publicæ, & honori providendo compenſari debebunt. Hoc etiam nobis præcuſtodimus, in quantum exercitus non exiret in campum, ſed hîc, in viſceribus Regni, aliquid cogitaret hoſtile, damus omnem licentiam, petimusq; Caſtellanum Witebſcenſem, ut non expectando terminum 15tæ Octobris, ſtatim acceptâ eâ notitiâ, de malevolis conatibus univerſalibus literis nos compellet, ut equos conſcendamus; & nos nomine fratrum noſtrorum, domi manentium, declaramus, quòd poſt prima univerſalia, etiamſi duarum tantùm ſit ſpatium ſeptimanarum, ad hanc expeditionem, non expectando illum terminum deſtinatum nos parabimus, ibique comparebimus, ubi motus hi à militia illati, contineri queant. Si autem nonniſi in termino 15tæ Octobris, ut tribus ſeptimanis ante terminum deſtinatum, univerſales literas ad Palatinatus, & diſtrictus expediat. Hoc verò laudum unanimiter conſtitutum, manibus noſtris ſubſcribimus.

MANIFESTATIO REIPUB: M. D. L. IN TRIBUNALI VILnenſi, die 16. Auguſti, coram Judicibus ejuſdem præſentata, & in acta inſerta.

INprimis coram DEo, uti Catholici, coram Sereniſſimo Rege noſtro, uti fideles ſubditi, & pòſt, coram univerſo orbe, coram judicio generali tribunalitio M. D. L. nos omnes, quicunq; hic Vilnæ 14ta Auguſti, vigore univerſalium literarum Caſtellani Witebſcenſis, Generalis Palatinatuum & diſtrictuum Colonelli compartimus, ex conſenſu omnium Palatinatuum electi, & approbati manifeſtamus, & ſolenniſſimè proteſtamur, quòd quoniam tam longa Reipubl: liberæ gentis patientia, eam uſq; in hanc diem habere non potuerit felicitatem, ut malignitas contra libertatem noſtram contra jura coæquationis, repartitionis, locationis exercitûs Litvanici veniret aliquando ad hanc reflexionem, ut matris ſuæ Patriæ, in illa nutriti filii, honoribus ac fortunis aucti domeſticis eam non affligant deſideriis, quando loco pacificationis, diſſenſionum bella geri placu-

it,

it, & extendere manum, extrahere gladium in capita nobilium, dum factâ, quasi palliatâ concordiâ, initis tractatibus cum illis, qui nullam id faciendi à Republica habuerunt potestatem. Intraverunt cum Tartaris & desultorio milite, cum tormentis ausi sunt sub regimine Georgij Sapihæ Dapiferi Litvaniæ victrices quondam ex hostibus Patriæ aquilas vertere in capita nobilium, & sub Jurburgo die 22da Julij aggredi, & nobilitatem Samogitiæ mactare, occidere, & ingentem lanienam, sangvinisq; effusionem exercere. Descendimus ad id in tam præcipiti, & nunquam alias in hac Patria practicato casu, brevibus terminis, authoritate à nobis in præsentibus congressibus, præcipuè in ultimis Vilnensibus Comitiis, sub securitate tribunalis M. D. Litvaniæ anni præteritis, potestate datâ expediendi innotescentiales literas, ad Palatinatus & Districtus M. D. Litvaniæ, ut pereuntem sub Jurburgo libertatem, & fratres nostros illuc expeditos salvarent, quàm citissima equorum conscensione, cum autem factâ sangvinolentâ actione statim abjerunt interni hostes, quos quandoquidem assequi, vel in loco invenire difficile nobis esset, expeditæ sunt à Generali nostro Colonello revocatoriæ, ut ab armis tantisper ad consilia, in hoc misero statu Reipublicæ accederemus, & ut satius à Palatinatibus & Districtibus Nuntios cum omni plenipotentia, Vilnam expediremus, ubi junctis manibus & consiliis huic malo occurrere possemus. Cum ergo pro die 7ma Augusti, & pro die 14ta ejusdem hunc congressum Vilnæ Castellanus Vitebscensis destinavit, qui in hoc perturbato statu propiores Vilnæ essemus, venireq; possemus electi à Palatinatibus, convenimus. Alii verò, qui aut comitiola non habebant, propter tardiorem universalium expeditionem, & necdum elegerunt Nuntios, quamvis multi Palatinatus & Districtus, in scripto sensus suos nobis submiserunt, declarantes, quidquid in rem Reipublicæ statuemus, omne id pro firmo se habituros. Ac proinde nos, quicunq; tam ex ordine Senatorio, quam Equestri, Dignitarij, Officiales Terrarum, Nobiles, Incolæ, ut etiam & nos, qui à Palatinatibus cum plenaria facultate missi sumus Nuntij, non descendendo ad ullum negotium tractandum, quomodo possit ulterius salvari Patria, ante omnia hanc manifestationem facimus. Et inprimis, quod pertinet ad hunc actum, cujus non aliud est objectum, quàm facta laniena civium, & postea, quod maximum & principale est, publica per projecta, & copias transmissas, (originale enim necdum vidimus) certa puncta quasi conclusæ concordiæ, Varsaviæ per Leonem Oginscium Subdapiferum Litvaniæ & Ludovicum Pociey Succamerarium Brestensem hinc à congressu Vilnensi ad Regem missorum, cum simplici denuntiatione, quæ patimur à potentioribus, & cum querelis eo nomine exponendis, quibus nullam facultatem, ad tractandum & concludendum Respublica dedit, nec characterem hunc à Republ: sibi datum, ullatenus monstrare possunt. Ac proinde nos omnes hic congregati, contra talem concordiam, si illa facta est, quæ tangit pupillam libertatis nostræ, quoniam in illa tota coæquatio jurium sublata, vox libera contra rumpentes comitia læsa, auctio exercitûs Litvanici, supra computum in Comitijs millesimi sexcentesimi nonagesimi constituta, in Electione & coronatione Regis Serenissimi approbata. Tartari conservati, ingrossata Comissio, in constitutionib⁹ Regni legibus firmata, comutata judiciorum tribunalis executio labefactata, judiciorum belli Ducũ us⁹ antiquus & reinductio renovata, verbo, cũ in his punctis quot literæ, tot sint hostiles characteres contra libertatẽ nostrã, proinde nos, hanc concordiã factã, tanquã alentẽ ubere magnas dissidias, non tantùm non acce-

A.C. 1698 ceptamus, ſed illã inſtrumentumq; ejus conſcriptũ pro illegitimo, & omnia jura libertatis lædente ſcripto habemus, illoſq; authores ejuſdem, pro illegitimis actoribus, & plenipotentiarijs ſine ulla data illis poteſtate recognoſcimus, & declaramus, & ſicuti de hoc ſcripto & punctis hujus concordiæ, reſervamus nobis locum dicendi, & inſtandi, ut in futuris DEO dante comitiis, annihilari poſſit, actionem etiam cum authoribus ejuſdem, de injuſtè uſurpatà ſibi plenipotentia, coram tota Republica, judiciúmque ejuſdem reſervamus, interea vigore illorum illegitimè ſcriprorum punctorum, ne quis audeat credere, quòd coæquatio jurium, repartitio, & locatio debilior fieri deberet, præcuſtodimus nobis, imò quod ibi ſacrilegè ſcriptum, ne comitia, ſi exigerit neceſſitas, in hoc puncto rumpi queant, quòd tribunalitia decreta, executionem ultimam, & deciſivam habere non poſſunt, quòd commiſſio lege firmata non ſubſiſtat. Magnæ penſiones, pro clavis, & clavibus Litvaniæ illegitimè deſtinatæ, Tartari, tanquam Sicarij nobilitatis, in computum contra expreſſam legem recepti, & alia inconvenientia, tunc omnia hæc tanquam illegitima, & tanquam nunquam facta reputamus, & agnoſcimus. Et contra omnia puncta, ſicut ſolenniter proteſtamur, ita illa in Palatinatibus, & Diſtrictibus, non tantùm acceptare nolumus, ſed etiam ſi neceſſitas foret, & aliquis vellet ſecundùm ea agere, ſangvine noſtro, vitâ & fortunâ contra talem, non tantùm in domibus noſtris, non ſolùm in congreſſibus noſtris, ſed & DEo dante, cum in campum exierimus, tanquam contra hoſtes Patriæ acturos nos declaramus, & quandoquidem in eodem projecto, per totam Litvaniam diſperſo, inſertum eſt, nomen Sereniſſimi Regis, nomine Gvarrantiæ cum ea declaratione, quòd parti concordiam hanc renuenti, virtute Regia reſiſtet, & illi, quæ læſa fuerit aſſiſtet, proinde ſicuti nos id apprimè angit, ita Majeſtatis authoritatem, in eo attractam eſſe, quòd nullatenus manutenere poſſumus, quia ad manutenendum tractatum nullatenus tenemur, quem nunquam tenere promiſimus, nec cum plenipotentia Legatos noſtros miſimus, nunc alios ad ſuam Majeſtatem expediemus, ne id lædat cor Paternum Majeſtatis ſuæ, contra nos fideliſſimos ſubditos, quin imò ut tanquam Dominus, & ſupremus arbiter intentionum noſtrarum, non nos, qui in hanc Gvarrantiam nomen Regis non induximus, ſed illos intruſores in hunc tractatum, culpabiles agnoſcat, pro quo mandato, ſeu citationes, pro comitiis, tanquam de crimine læſæ Maieſtatis, & malè geſti officij, ultra inſtrumentum ſibi datum, per inſtigatorem Litvaniæ extradere, ut Rex permittat, humillimè petemus, ut reſpondeant coram Republica, & condignum actionum ſuarum experiantur judicium. Et quoniam non tantùm hic actus malè expeditæ legationis, & concluſæ quaſi concordiæ nomine Reipublicæ, in everſionem liberæ vocis, legis novellæ coæquationis jurium, cum Regno, repartitionis, locationiſque deſtructionem, non tantùm inauditus auſus exercitus Litvanici ſub regimine Dapiferi exiſtentis objectum eſt congreſſus hujus, ſed & aliæ noſtræ injuriæ, quæ nos coegerunt, ad talia aggredienda, proinde proteſtationi huic jungimus omnia vulnera Reipub: quæcunq; pertulit, quæ in comitijs campeſtribus, Deo dante, aliquando à Rege indicendis, latius vindicabimus, tempus, & campus ad has vindicias liberæ vocis oppreſſionum, in diverſis comitiolis, quæ ſub armis abſolvi debebant, in aſſiſtentia ſtudio conductorum Reipub: militum. Non poterunt non commemorari etiam ibidem, tot comitia rupta, ſolo privati boni prætextu, per ſubjecta ſua, deſolatio bonorum Regalium, terreſtrium, & ſpiritualium, per licentiam militiæ indultam, excommunicatio promulgata, ſolo ambitu, per ſavorabile decretum directoris tribunalitij

nalitij, scandalosè per carnificem, in foro Vilnensi combusta, invasiones *A.C.1698* bonorum, per protectionem, & subministrationem militum Reipublicæ suis favoritis. Directiones in commissionibus, in tribunalibus thesauri sibi arrogatæ. Jura Majestatis & distributiva justitia sublata, per non admissionem ad honores à Rege datos, non nisi suis adhærentibus, honorum privationes, illorum qui pro libertate certabant, honorum magnorum in Republica virorum (quibus & natalitia commemorabuntur) aggressio. Hibernorum in proprium usum reductio, militum verò assignationibus solis defraudatio, pro commodo primum suo, ex Starostiis summarum collectio, per quod assignationes militibus exolui non poterant, Et cum certa non esset locatio, ex una, ad aliam villam per totam hyemem ambulare debebant, in illo termino liquidationis expensarum, quasi pro commodo Patriæ factarũ, in computis thesauri, ad ostentationem assignationum Ducalium quietationes, & satisfactiones à deputatis datas monstrando, & thesauri assignationibus tantum militib9 solvebat, quæ nunquam quasi exsolvebantur, quia inprimis pro commodo suo thesaurus extorquebat, & super ignota nomina illos expediebat, unde militi Reip: illudebatur, exactio verò, pro thesauro, & clavis, multum superat tenorem legis. Ibidem loquemur de fructib9 stante interregno, ex bonis Oeconomicis, earumq; ad mensam Regiam pertinentium desolatione, Capitaneatuum per aulicos, post fata possessorum, immissos ruina, violenta manentium ibidem equorum, & supellectilis ad inventarium non pertinentium possessione, in quibus, & alijs nostris oppressionibus dum tanto tempore fuissemus patientes, in felici Regis nunc regnantis Electione, tanquam æqualiter nati, per publicam legem coæquationis jurium, immunitatem nobis, occurrendo his inconvenientijs, procuravimus. Illi autem tanquam potentes, aucti honoribus & ministeriis in una domo, in eo contrarij, non tantùm ad uniformitatem accedere noluerunt, sed etiam liberam Electionem ruinando, contra confœderationem in convocatione stabilitam, in qua dissentientes pro hostibus patriæ agniti, pro certis personis hoc recipiendo munus, citra consensum totius Reipublicæ sibi elegerunt alium Regem, quem in limites patriæ induxerunt. Rokoszium impresserunt & ibi innocentes, pro consiliariis ejusdem Rokoszii, nunquam tali Electioni consentientes, inscripserunt, unde quantum sit, ex motibus patriæ præjudicium, nemo non videt. Et quamvis accesserunt ad feliciter regnantem Regem, prævijs capitulationibus contra pacta conventa, non contenti adhuc his, contraveniendo novellæ legi constitutæ, juratæ confœderationis, ultra mentem Regis confirmatæ, pejora his ausi sunt, quando omnem securitatem, non tantùm in congressibus Comitialibus, everterunt, sed & publicas vias armarunt, postas Reipublicæ interceperunt, literas alienas rapuerunt, pro Comitiolis Samogitiæ armati, exercitu Litvaniæ comparuerunt, non judicatum innocentem, quinimò datâ amnistiâ sub Bresce securum Bokiejum mori fecerunt, contra Samogitiam, in motu nobilitatis, pro fundatione Litvaniæ euntem cum exercitu, sub Cauna aggressi sunt, & postea, cum Exercitus Litvaniæ, facto tractatu, in Szkudi, & juramento firmato penes Majestatem, & jura coæquationis stare obligavit se, illius in damnum Reipub, ut omnino quadraginta octo quartualia requirant, injustæ solutionis cum gravamine Reipub: obstricto, cùm interim quatuor quartualibus exercitus contentari volebat, innocentium fratrum incarceratio, nobilitatis ex omnibus splendoribus deprædatio, & ad extremum, quod dolendum, magnæ spei juvenem Białozorum, in exercitu non servientem, pro consilio

A.C.1698 lio tantùm Colonelli manentem, injusto modo condemnârunt, & Grodnæ sine misericordia occidi fecerunt. Cum verò contra omnia hæc attentata, querulantes Nuntios ad Regem miserimus, istos, qui contra concessas querelas ausi sunt, & præsumpserunt nomine Reip: præjudiciosam facere concordiam, contra jura gentium, in via, per milites Reipub: interceperunt, deprædati sunt, & vulnerarunt, & postea facto tractatu res acceptas, & instructionem nostram, illis datam non sine pudore restituerunt. Qui pro ea actione, quanquam nostram non mereantur compassionem, sed quod per injustum tractatum sanatum est, nos malè habet, quandoquidem ab illis, sub palliato tractatûs prætextu, cum non essent à Repub: Plenipotentiarij, privatam rem agebant, non nostram. Sed quoniam hic scandalosus actus, & violata Legatorum nostrorum securitas, uti totam Remp: lædens, in oblivionem tradi non potest. Sicut etiam immissio Tartarorum sub Liponski, deprædatio bonorum nobilium, judiciorum in vicinia Tribunalis Lit: in iisdem Liponski fundatio, innocentium hominum, per mortem illegitimam pœna & executio, tangit nos in libera gente natos. Et nunc recens incursio & aggressio contra nobilitatem illicita, 4. Ecclesiæ deprædatæ, domus nobilium incineratæ, funditùs eversæ, & alia quæcunq; & publicam & privatam tangunt injuriam acta, solennissimè protestamur, & in futuris DEO dante comitiis campestribus, vindicaturos nos appromittimus, & quoniam in hac protestatione nostra omnes prætensiones ad ministeria inseri non poterant, tunc relinquimus nobis libertatem augendarum, minuendarum, & meliorandarum earundem. Non obliti magnæ, & insupportabilis injuriæ nostræ, quam bona terrestria passa sunt per locationes, & consistentias, in illis militares, per extortas hybernas assignationibus Palatini Vilnensis factas, sicut etiam in bonis advitalitiis, aliquoties permissæ consistentiæ, translationes cohortium sæpius factæ, immissiones novorum vexillorum, antiquorum revocationes, hybernarum frequentes aliquot vicibus repetitiones, cum præjudicio, & onere bonorum advitalitiorum & tenutariorum. Et quod nos, vel maximè afficit, est accepta notitia, quòd iidem potentes ad bona sua in Russia, & Samogitia existentia, literas suas universales miserint, resolvendo manus rusticorum in capita nobilium, ac proinde de his omnibus protestamur, & vel in comitiis campestribus, vel in primo Reipublicæ quoquo modo congregatæ congressu, vindicare non intermittemus. Quam manifestationem, cum verbaliter in Tribunali Litvaniæ faceremus, non tantùm idem tribunal eam libenter acceptavit, sed etiam omnes illius tribunalis judices, contra id ipsum insimul nobilcum protestati sunt, & ita cum tribunali Generali Litvaniæ, nos Dignitarij, Officiales Terrestres, & Castrenses, tota nobilitas, & nuntij, ex Palatinatibus, eandem subscribimus manifestationem.

CXIII.

AMICO CONFIDENTI, 19. Septembris.

De actis cum Tartaris, item de Senatûs consilio.

ABijt Rex citissimis passibus Leopoli, animum ut expleret suum, accepto Nuntio, quod Tartari fortiter nostros aggressi fuissent, 8va & 9na præsentis sub Podhaice, quam expeditionē, satis pro nostris gloriosam, quamvis in parvo satis numero fuerint, quia tantum sex millia nostrorum, & sexaginta millia Tartarorum numerata. Felix Potocci-

toccius Palatinus Cracoviensis campi Dux Regni videns, quòd incubuit *A.C.* 1698
belli tota ruina, sibi latam ostendendæ virtutis nactus materiem vix in Podhaice bonis suis hæreditarijs comparuit, statim in varias partes cohortes Regni misit, ut scilicet informari posset, quid sibi velint appropinquantes Tartari, & quàm resolutionem præseferant. Constans relatio à Bassocio, & alijs excubijs Castellani Cracoviensis venit, Soltanum Kaplongierei cum sexaginta millibus Tartarorum ex illa parte Poloniã aggressurũ. Eventus veritatem probavit, nam opinione citius sub Oleximiec & Zbaraz bene pastis equis, cum intentione aggrediendi Exercitui nostro appropinquavit, & acceptâ notitiâ à captivo de parva quantitate Exercitûs nostri ad Monastericzka sub regimine Zaboklicij Castelani Camenecensis, qui bene persvasus, & informatus de intentione hostium & eorum approximatione movit versùs Podhaice ex mandato Palatini Cracoviensis, fiducia est fortunam sibi spondere, qui non parcendo fortunæ propriæ, & saluti loca illa, quæ nullã defensionẽ habebant, & tanto minus resistentiã dare hosti poterant, deserere jussit, non tamen citius venire, quàm octavâ currentis poterant, quo die etiam Skarbek Castellanus Haliciensis adfuit, & Tartari jam noctu adfuerant trajecto fluvio Stirpa sub Bubulinice duabus leucis à Posthaice, Exercitum suum Soltan ita strictè tenebat, ut nec unicum Tartarum separari à se permiserit, ita, ut difficilè fuerit habere certam notitiam ante adventum, quamvis circa Exercitum Tartaricum Valachi Palatini Cracoviensis omnimodam diligentiam accipiendi alicujus adhibuerunt, sed ab eo tempore, quo movit Soltan de Złotniki, nullatenus id habere potuerunt. Hoc igitur die, hoc est octavâ currentis moverat, ut dixi, versus Podhaice Castellanus Camenecensis vir militaris & strenuus summæq; experientiæ (si potestis, bonos laudate, sin minus, transite) cum magna præcautione in Comitatu Castellani Haliciensis à dextris habens fluvium Karabiec à Podhaicis fluentem, à sinistris parvas aliquas sylvas circa Zawołow. Sobiescius Pincerna Regni anteibat, quem octo tormenta cum corpore Exercitûs sequebantur. Camenecensis Castellanus à tergo erat, omnesq; currus eum præibant; venerat etiam Castellanus Lubaczeviensis cum aliquot cohortibus, & Jacobus Kalinovius Castellani Cracoviensis commilito. Transitum per fluvios armaverat Castellanus ordinatis ad id cohortibus; illo ipso tempore ex alia parte Podhajecij Soltan venerat, & statim cum tumultu & clamore, ut solent, valido versus arcem aggressi sunt, cum quibus Bolubasza, & Szczerbnia centuriones, Valachi Palatini Cracoviensis fortiter egerunt. Quoniam verò ex tormentis de arce Podhajcienſi magnum damnum sentiebant Tartari, voluerunt ex alia parte aggredi, sed, & illuc filium suum Capitaneum Krasnostaviensem cum turma Desultoriorum sub Lodzinio, & aliquibus cohortibus misit, ut transitum illum defenderent, ita ut iterum aliò divertere debuerint per antiquam civitatem, quam possidere, aut comburere voluerunt, cumque ibi Legionem Thesaurarij Regni sufficere non potuisset, iterum Palatinus submissis illuc varijs cohortibus removit, ita ut inceperit Suburbia Podhajcensia comburere, sed & ibidem filij Palatini Robczinensis, Zucinensis, & Thomaczensis Capitanei adfuerunt, dedit animum ad fortiter pugnandum ultima necessitas, multamq; hosti resistentiam fecerunt, juvit eos & Nagurscius. Magna pars Tartarorum in illũ Exercitum, qui cum Castellano venerat Camenecensi vires suas verterunt, sed iterum cum auxilio aliarum cohortium est repressus, & abire debuit ultra fluvium, ibique milliare unum & medium sub Nowosiełki & Cho-

 ropiec

A.C.1698 ropiec pernoctare. Conferebat interea cum Castellano Camenecensi Palatinus non dubius, quòd quæ acciderunt, accidere possunt, & quia omnia eo die felicissimè successerunt; cum tantùm Wolscius cõmilito Principis Constantini vulneratus, & alius occisus fuerit, quamvis in continuo conflictu Exercitus fuerit, providebatur in futurũ & nihil quieti hac nocte datum, cùm verò manè non ita citò venturũ inimicũ credens ad melius ordinandũ Exercitum exivisset, cumque parvã illam quantitatem Exercitûs sine pedestribus cum modica artileria in tres lineas ordinasset; & cum suos Hungaros & jaculatores, quotquot ex illis meliores erant, Palatinus immisisset, omniaque vix ordinasset ad defensionẽ, & ecce quod erat, esse non destitit, Tartari tumultuosè appropinquare cœperunt sub ipsum Exercitum nostrum incurrendo, sperandoq; ex improviso se victuros, Soltanus etiam in declivi ex sylva, ubi via à Monasterio versùs Podhajec præsens adfuit, in tresque partes contra nos Exercitum suum distribuit, ita ut omnes eodem tempore aggrederentur; in dextra ala Pincerna Regni existens, cum magna gloria gentis Polonæ (rectus est veri tenor) impetum illum sustinuit magnamque gratitudinem illi, qui strenuè rem egerunt, meruerunt; cominus enim pugnandum erat, tormenta etiam multũ juverunt, ita ut inimicus ab illa parte vincere non valens cum vulneratis & occisis, quos illi statim eripere & abducere solent, recedere debuerit, in aliam que partem retrocedere, ubi ob defectum pedestrium, quamvis aliquoties nostræ cohortes illos vicerint, cedere debuissent, si ex dextra ala Wyzyccius Vexillifer Kijoviensis & alii à Palatino ordinati non juvissent, & ab illa parte quamvis non sine damno suo, longè tamen majore in hostibus repulissent, ita ut inimicus pro nocte abire debuerit sub Buien, & omnem prædam, quam ante congregaverat, comburere & noster Exercitus sine omni confusione in numero paucissimo, quia non omnes adhuc commilitones ad cohortes venerant, per gratiam Dei mansit. Post expeditum hunc conflictum examinavit Palatinus omnes captivos, quorum ingens erat numer⁹, de quantitate Tartarici exercitûs, & omnes diversim & distinctim examinati conveniebant, electi exercitus sexaginta millia fuisse, ad idq; ordinatos, ut exercitũ Polonicum delerent, de cujus parvo numero certas habebant notitias. Referebant id quoq; ijdem captivi, quòd in crastino cum majori adhuc furia nostrum Exercitum aggredi prætendant, extrema nobis vel sibi quærendo fata. De quo informatus Palatinus in defensionem suorum omnia necessaria ordinavit, & aliquod vallum ad proportionem hominum jecit, tormenta ex arce in defensionẽ exercitûs deduxit, & præferendo salutẽ publicã, exercitumq; conservãdo, omnes quotquot sui erãt homines pro assecuratione tergi ordinavit, omnia quæcunq; in allodijs erant, fœna frumentaq; & omnia pro conservatione exercitûs distribui fecit, proprio ærario damna subditis suis protunc illata recompensavit. His vehitur belli fortuna carinis. Cùm verò benè paratus & cum forti animo ulteriorem hostis expectasset insultum; & ecce venit notitia Soltanum ulterius movisse, quod etiam expeditæ eo nomine aliquot cohortes retulerunt, quòd scilicet fluviũ Stripam transierit, si aliquid novi intendat videbimus. Hoc tamen certum, quòd jam abiverunt versus Camenecum, multa tamen damna in Pokucie, ingentem hominum numerum abducendo, fecerunt: Interim Rex dolens aliquomodo quòd Exercitus Polonus eam habuerit gloriam, nullâ Saxonibus relictâ, consilium pro 17ma Septembris in Brzezani Senatui & Ducibus indixit. In quo consilio Castellanus Cracovien-

coviensis primum punctum resolvendo magnis rationibus suadebat Regi, ut cum Exercitu tam pulchro Saxonico, nostro, & Litvanico moveret versus Camenecum, ut notum fieret nomen inimicis ejus, ut persequeretur inimicos & tam pulchro Exercitu comprehenderet illos, nec reverteretur, donec deficerent, viam Regiam ad quærendam immortalitatem ingrederetur ipse suæ Archimedes gloriæ, nisi bellum habere quàm gerere mallet, non permittat sibi hoc dissuadere, multa experiendo conficiuntur, quæ segnibus ardua videntur, quandoquidem ibi hæret adhuc hostis, cælum etiam favere videtur, nam nulla actione facta redire ex campo, nec Regi gloriosum, nec publico utile, & his terris Russiæ plus nimiò damnosum, quia eodem tempore, quo Exercitus hinc abibit, Tartari qui necdum à Camenecο recesserunt, infallibiliter iterum redibunt, grassabuntur, prædabuntur & omnia hostilia nemine obstante agent. *A.C. 1698* *Sv a detur persecutio Tartarorũ*

Quod attinet tumultus Magni Ducatûs Litvaniæ, quandoquidem in malè cœptis honestior illis videtur pertinacia, quàm pœnitentia, quandoquidẽ contra jus Majestatis, universalia à Castellano Vitebscensi prodierunt, pro motu generali nobilitatis, optabat, ut Sua Majestas novas literas universales anteriores illicitas & illegitimas cassantes extradi ex Cancellaria sua jubeat nisu in adversum constanti, ut verò eò efficaciùs motus hi civiles sedari possint, consulebat Regi, ut finitâ hâcce expeditione personaliter in Litvania compareret, ad compescendos illos, qui non quærunt populo pacem sed malum, putantq; aut sibi noceri ne à Jove quidem posse, aut se nocere etiam Jovi posse, sciendo quòd illorum præcipuè consuetudo sit petere, quæ eripuerunt. In id ipsum plurimi Senatores, in eundem sensum loquentes coincidebant. Palatinus Vilnensis longâ serie deducebat, quòd ab afflictionum pondere respirare non concederetur, & ut videat ista quotidiè & ferat, ferre non potest, hæc inconvenientia illorum, qui contra domum & personã suam offensi, etiam authoritatem Majestatis aggrediuntur, non deferendo universalibus Regis, non contenti finitâ sub Gvarrantia ejus concordiâ, benè meritum exercitum cassare, in Tribunali Litvaniæ pro rebellibus declarare, Electionem Capitaneatus Samogitiæ primam invalidare, aliam novâ praxi & inaudito exemplo firmare, contra quem actum in eodem consilio Senatûs, & personam electi Capitanei solenniter protestatus est, declarando eandem protestationem in facie Reip: in futuris DEo dante Comitiis sese confirmaturum & tanquam oppressionem suam coram omnibus statibus demonstraturum. Ad alia puncta nihil addidit, & de locatione exercitus Regij absolutè nihil. & Castellanus Vilnensis dixit contumaciam eorum accusando, qui tam desideratæ concordiæ non detulerunt, quia illis magis rapina quàm pax interna placet. Petijt utraq; pars, ut Rex quantociùs Grodnam pro pacificandis hisce rebus adiret, præmissis de præsentia sua innotescentialibus literis, quibus motui ulteriori obviari potest. *Rei Litvanica commendatur Regi.*

Ad secundum punctum, in quo Rex justitiæ satisfaciendo excusato prius eo, quòd conscriptus magno sumptu suo proprio exercitus Saxonicus aliqua damna, quæ sunt quasi à transeunte milite inevitabilia, pluribus privatis fecerit, immediatè commissionem se daturum promisit, quæ omnia connotare, & in instanti injuriatis satisfacere mandato Regio obligabitur. Debitas gratias pro eo & Castellanus & õnes Senatores agere non intermiserunt, eundo non tam in verba, quàm in vota. Scribit mihi unus ex amicis confidenter, quòd ex utilitate *Satisfactio pro damnis promittitur.*

publica

A.C. 1698 publica placuit, ut sub titulo gratiarum agendarum recognosceret Princeps, quæ facere deberet. Gratiæ inquam actæ sunt pro Regia clementia, item pro sollicitudine circa bonum publicum, quòd tam magno sumptu in recuperationem ablatorum ab hoste & in extensionem limitum Poloniæ Exercitū suum huc induxerit, insinuando cum summa discretione, quod bona nobilium oppressa fuerint, domus eorundem spoliatæ, tempus verò commissionis à Rege promissæ, quantocius accelerandum crediderunt, ut in comitijs expeditè illius fieri possit relatio, pro facilitandis difficultatibus comitialium consiliorum, Addidit Palatinus Kijoviensis Kaccius cum alijs imò præ alijs suum & bonorum omnium votum; utque esset ratum, DEum precatus est, majusq; inde decus sperabat, si Rex id fecisset; ut etiam ante congressus in Palatinatibus antecomitiales commissio hæc fieri possit, propter acquietationem exacerbatorum animorum. De loco diversi erant sensus.

Ubi locandus miles Saxonicus

Ad tertium punctum. Ubi Rex, cum educere extra limites Regni exercitum suum non possit, antequam Tractatus cum Turcis finiatur, & interim hyems ingruit, vellet sua Majestas, ut sine omni imaginabili damno in Polonia hyemem absolvere possit, ne verò maligna interpretatio adversi aliquid gloriæ Regiæ meditetur, parat⁹ est ad dandam omnimodam securitatem, quòd inprimis nullum inde fiet damnum, & quòd primo vere extra limites eum deducet, vel in Moldaviam, si id necesse fuerit. Punctum hoc delicatissimè præcipuè à Castellano Cracoviensi (aliud haberent hoc dicente pondus verba) tractatum, qui dicto eo: scis Rex quàm omnia velim tuâ causâ vix langventi ore innuit, quòd nullum videat modum locandi in Polonia Exercitûs Saxonici. Alij ferventius instabant præeunte Palatino Cracoviensi dicenteque, invitus ea vulnera attingo, sed nisi tacta tractataque sanari nō possunt, petijtque, ut Rex exercitum suum in Moldaviam expediret, ubi sufficientem pro omnibus habere poterit subsistentiam, sive fuerit conclusa pax, sive non, si fuerit conclusa, tunc totum id, quod possidebunt imperio Regis cedet, si pax non erit, tunc in futura expeditione etiam exercitus Polonus assistet ad sustinendum id, quod semel in possessionem cederet. Commodissimè autem id fieri poterit, & succedet hoc cum Dei gratia, à qua venit robur & fortitudo, & latifundia ejus terræ sunt sufficientia, cum etiam & partem Valachiæ adjungere poterunt; subjunxit adhuc idem Palatinus formalia; pro anima tua ne confundaris decere verum, quòd nec Duces, nec Rex ipse habeant potestatem locandi ejus exercitus in visceribus Reipublicæ sine consensu ejusdem, quamvis addidit vana in id remedia legum, nisi desuper mutentur affectus, cum tamen hæc infelicitas quæ in Patriam cadere potest suprema esset, occurrendo ne multa in Republica admodum æqua constituta frustra habeantur, nullum medium occurrit, quod ea in parte Regi possit insinuare; solus tamen Palatinus Mariæburgi hoc medium propinavit, ut in Oeconomijs tam Regni quàm M. D. Litvaniæ exercitus locaretur.

Ubi locandus miles Polonus

Ad quartum punctum, quomodo scilicet, si bellum continuandum locari debeat exercitus Regni; vel si pax fieret, quæ ejus dispositio? omnes quasi concurrerunt, exercitus locaretur ex hac parte Vistulæ, alia autem pars, ut hyberna ex bonis Spiritualibus & Regalibus solvat. Palatinus Mariæburgensis solus iterum meliora & utiliora svadere visus, inferebat, quòd casu quo facta fuerit pax, posset aut cassari, aut minui computus exercitûs Polonici, cui contradixit Castellanus Cracoviensis

viensis, afferendo, hoc nullatenus esse practicabile sine comitijs; allegavit Palatinus (futura possunt ex præteritis prævideri, ipsæ res evanescentem memoriam excitant) quòd post expeditionem Zuraviensē diminutus fuit computus, quod refutavit Castellanus, quia illi tantùm erant cassati, qui illi expeditioni non adfuerunt. Non conveniebant in eo puncto Senatores cum eo cui major emolumenti privati spes quàm metus publici damni in corde erat, & aliqui volebant hanc materiam ad aliud tempus differre, ut prius sciretur de tractatu cum Turcis. A.C. 1698

Ad quintum punctum. Quid scilicet faciendum esset cum illo exercitu, qui nuper tam gloriosè sub Podhaice rem egit. Quem unanimi sensu totum consilium munificentiæ Regiæ commendabat. Tot cohortium damna à Tartaris illata, dignus est operarius cibo suo. Gratiæ pòst actæ Palatino Cracoviensi, qui restitit inimico, & tanta damna in bonis suis hæreditarijs pertulit.

Ad sextum. An Rex Exercitum suum jungere cum nostro deberet, cum deficiant occasiones ulteriorum operationum. Omnes in eo convenerunt, & precati sunt Regem, ut præsentiam suam videndo exercitui tam Polonico, quàm Litvanico indulgere velit, securam reddentes Majestatem, quòd vitam & sangvinem omnes eidem sacrificare velint formalibus hisce, nec te deseremus nisi te ipse. Post finitum consilium urgebat Castellanus Cracoviensis declarationem comitiorum, & inde extraditionem deliberatoriarum, sed Rex videndum prius tractatûs cum Turcis effectum, antequam comitia indicerentur, credidit.

Ut verò melius acta hujus Senatus consilij videas, adjungo conclusionem Regiam, commissio etiam pro prima Januarij in Decembrem transmutata.

CONCLUSUM
Brzezanijs die 17. Septembris.

Ad primum. Cùm S. Regia Majestas Dominus noster clementissimus videat ex una parte declive, serumq; tempus, præsentis bellicæ expeditionis, tractatum pacis cum Porta institutum interrumpere profundiores operationes, ex alia verò parte exardescere plùs solitò odia civilia in M. D. Litvaniæ, quæ nuper in satis laboriosa complanatione videbantur esse sopita, inde censet, se obligatum esse in persona sua illuc, nempe Grodnam quantociùs descendere, quò possit securam & tranquillam reddere internam quietem. Quòd verò spectat ulteriores bellicas operationes, has S. R. Majestas remittere dignatur ad Illustres belli Duces, uti majorem praxim habentes per continuum belli usum cum Tartaris, judicaret tamen pro sensu suo, ut potiùs ad observandos gressus hostiles aliquod corpus militiæ ad decem millia ascendens relinquatur in loco aliquo securo ad oras Tyræ, quàm, ut totus Exercitus debeat se fatigare quærendo vel insectando hostem. Illa utiq; pars exercitus relicta ad Tyram, reliquo dimisso ad stativa, casu quo pax non coalesceret, deberet converti pro tempestiva præsidii Camenecensis obsidione, aliàs blocada; quòd si pax succederet, hæc eadem militia præstò esset pro evacuandis aut recipiendis fortalitiis nobis ex pace debitis, salvâ possibilitate præmissorum exequendorū.

Ad 2dum. Sacra R. M. licet pro usu & obsequio Reipub: induxerit militiam suam, mavult tamen ad se, quàm ad quempiam alium damna pertinere, adeoq; pro inquirendis ijs per tractum militiæ suæ factis, ac simul pro satisfactione Commissionem declarare dignatur Varsaviæ circa primos dies Decembris anni præsentis instituendam.

A.C.1698 *Ad 3tium.* Præoptaret S. R. M. Dominus noster clementissimus hîc & nunc militiam suam extra limites Regni educere, sed, cum nullatenus rationabile sit retrovertere ante notitiam de perficiendo, necne tractatu pacis; interim, cùm hyems cœlumq; rigidum succedat, non videt alium modum, nisi ut pars una exercitûs sui locetur in bonis propriis mensæ Regiæ, pars altera in fronte hostici, nempe in fortalitio Ss. Trinitatis, aliisq; cooptatis cum consensu proprietariorum contiguis locis, quò aliter primo vere ad operationes bellicas sit expedita, si pax non succederet; pars tertia in Litvaniam amandetur in proprias Oeconomias vel alia loca, similiter cum consensu proprietariorum, etsi suspiciones inde crescere, ac divulgari nonnulli velint, S. R. Majestas Dominus noster clementissimus convincet illas omnino esse malevolas, ac ad summam invidiam nominis sui tractas. Si enim esset aliquod in corde Regio contrarium Reip: huic, aut nocivum libertatibus, nunquid curaret sopiri motus, aut turbas per Confœderationem Rokofzij excitatas, nunquid tantâ sollicitudine & cura unionem & concordiam in M. D. Lit. promoveret? per totum tempus Varsaviæ insudando complanationi, cum jactura bellicæ expeditionis, & hucusq; omni studio & nisu ad acquirendos animos sese applicando, nunquid demum tantum apparatum, tantam pedestrem militiam in supplementum defectus nostri ob casum expugnationis Camenecii induceret, quæ defacto succedere potuisset, si sua M. uti ignara moris, & usus in patria hac non frustrata fuisset, in promissis acquirendorum curruum, boum, & annonæ, adeoq; optimam intentionem Sacræ R. M. Domini nostri clementissimi non suâ culpâ, sed errore promissorum nullatenus mereri injuriosam censuram, quin potius justam & æquam intelligentiam, cùm omninò appromittat, si pax subsequatur verno tempore totam militiam suam educendam extra limites.

Ad 4tum Exercitûs Regni, & M. D. L. locatio & dispositio remittitur ad Illustres belli Duces.

Ad 5tum. Justissimum est cohortes damnum passas à Tartaris consolari; easq; censet Sacra Regia Maiestas sublevari, per opportunam missionem pro stativis hybernis.

Ad 6tum. Licet quidem summâ necessitate obligatur S. R. M. ad sopiendas res Litvanas quantocius hinc abire, nihilominus quò amori & affectui suo erga militiam Polonam satisfacere valeat, libenter desiderat se in ea præsentem reddere.

Quantum ad Comitia ex votis Senatoriis proposita S. R. M. Dominus noster clementissimus, non judicat posse terminationem eorum fieri priùs, antequam res Litvaniæ sopiantur, notitiaq; de congressu ad pacem instituto superveniat, posse tamen Cancellarium Regni deliberatorias in ordine eorundem ad Senatum expedire.

Recommendatas Personas nempe Magnifici Potocki Palatini Cracoviensis Campi-Ducis Regni respectu navatæ operæ in nupero cum Tartaris conflictu, ut & desolationis bonorum hæreditariorum Podhaice, tum & Generosorum Camenecensium, & Haliciensium Castellanorum S. R. M. benignissimo complectitur respectu tantæ desolationis habituras memoriam in futuris DEo dante Comitiis.

Quantum demum ad illatam satisfactionem prætensionum, eam S. R. M. remittit ad Thesaurarium Regni, & M. D. L. quatenus juxta tabulas ultimi tractatûs præstari curent, ad quem videlicet illorum hæc satisfactio pertinuerit, quidquid verò persolverint, vel persolverit totum hoc prævia quietatione dicti Ablegati in rationibus calculi pro rato & grato

grato habebitur præsentis Senatus consilii vigore.

CXIV.

EIDEM AMICO CONFIDENTI 22 Septembris.

Relatio ex via Legati Malachovij.

EXpeditum fuisse Stanislaum Malachovium cum titulo Legati ad tractatum cum Porta Ottomanica, jam credo scivisti, qui sextâ currentis, accepto comitatu satis insigni à Regni Proceribus pro assistentia sibi addito etiam noctibus non parcendo, magnis passibus iter suum prosecutus est, uti mihi ex Tokay de data 14ta Septembris scribit, magnam se incommoditatem habuisse insinuans, præcipuè per Alpes Makocovienses transeundo, & quòd iter ejus lucernam oleat, quia magnam ejus partem cum laternis expediverit, milliaria valde longa, vias itidem valde malas, nec quasi humanas describit, quas etiam continua pluvia eò magis destruxit. Ex Tokay relicto suo comitatu, equi enim valdè fatigati erant, cum paucis personis per Aggriam postâ sumptâ perrexit, nam per Segedinum illa non currit, propter parvam viarum securitatem; in Aggria à Commendante Butlero, qui nuper hic militabat, humanissimè exceptus, & addito comitatu militari per deserta loca, ubi frequentia rudera civitatum, fortalitiorum, & villarum extabant conductus. Budæ non repertis Commissariis, ut credebat, expedivit ad aulam Cæsaream literas, significans Nominato Kijoviensi Ablegato nostro, ut adventum ejus denuntiaret, scribitq; quòd Plenipotentiarij non accelerent adventum, & vix intra unam septimanam sperentur. Arcanum hujus dilationis assequi non potest, fortè cum Porta per viam secretam adhuc de aliquo puncto disputant, cum præcipuè Belgradum vel Themisvar rehabere præoptent, viribus suis & fortitudini fidendo; omnes enim in eo conveniunt, quòd nunquam aliàs tam florentem Imperator habuerit Exercitum, uti nunc est, præcipuè verò pedestres debent esse exquisiti, & triplo numerosiores per aquam hic approximantes, sicut jam multos observavit, & forsan aut aliquid à Turcis extorquere, aut antequam conclusio tractatuum fiat, prælio volunt experiri. Ductus etiam fuit ad Castra primarius Ingenierus nomine Dumund qui illi retulit, quòd certissimè aggredi Turcas Exercitus Imperatorius intenderet, unde infallibilis consequentia, quòd adhuc restet aliqua cum Porta disputatio. Quia mallent prius in congressu tentare tractatum, & post, si bene finiri non posset, prælium inire, si secreto aliquid non tractarent. Petit idem Palatinus per viscera Christi, ut fortiter & validè expeditionem prosequatur Rex in tantis conjuncturis, quandoquidem apud Germanos in fine motus sit velocior, & volunt omnino notabile aliquid agere ad fundamentum positum, *uti posidetis* partem aliquam terræ adijcere; & Generalis Rabutin movit ex Transilvania versus limites Moldavicos, & Valachicos cum Exercitu non alio fine, nisi ut hasce Provincias inter possessa adijciat. Venit notitia etiam, quòd Princeps Eugenius relicto pedestri Exercitu, versus Themisvarum movit, ad occurrendum ingenti provisioni, quæ à Turcis versus illud fortalitium est expedita. Castra Turcica sub Belgrado, Germanica sub Petchireten, apparatus bellicus magnus, continuò per Danubium portantur tormenta, infallibile est, quòd vastas cogitationes habeant, & non priùs tractatum incipient, antequam fortalitium aliquod aggrediantur.

Instructionem in ordine ad tractatum eidem Palatino datam, si non habuisti, accipe, & memoriale ab Ablegato nostro datum eique responsum.

A.C.1698 INSTRUCTIO S. R. M. DOMINI NOSTRI CLEMENTISsimi ad tractatum pacis simultaneè cum colligatis Christianorum ab una, & Porta Ottomanica ex altera partibus conciliandæ, Illustri & Magnifico Stanislao Malachowski Palatino Posnaniensi &c. Magno Legato, atque Plenipotentiario Regio, & Reipublicæ data in Cancellaria Regni &c. Mense anno 1698.

Imo. ILlustris & Magnificus Legatus Plenipotentiarius receptâ hac ex Cancellaria atque thesauro Regni expeditione, quàm primum accinget se itineri, rectà in Hungariam versus eum locum, qui pro congressu ad tractatum hunc designandus est. De eo autem, ut opportunè scire valeat, instituet correspondentiam tam cum Ablegato S. R. Majestatis Viennæ, quàm cum Cæsareo hic commorantibus.

2do. Apparatum decorem Aulæ, atque honores debitos Regi & Reipublicæ habere, servare, ac proferre omnino curabit, quo avita Regni hujus, nominis S. R. Majestatis Domini nostri clementissimi gloria non retineri modò, sed augeri valeat. Ut verò, aula atque comitatus suus bene ac decenter regi valeat, habebit ordinariam magnus Legatus facultatem, & potestatem judicandi ac decidendi, omnes intervenientes casus.

3tio. Cùm tractatûs istius fundamentum rationibus Regni nostri, contrarium nobis inscijs per Serenissimum Romanorm Imperatorem, atque Rempub: Venetam suo & nostro nomine cum Porta Ottomanica peractum sit, nempè uti possidetis, ita possidete; præ primis ante omnia annitetur declarare regulam hanc, & fundamentum, uti possidetis, nequaquam involvere possessionem Cameneci, Podoliæ in manu Turcarum, cùm de eo semper, & per omnes tractatus seorsiva, ac specialis integrè restituendi præcustodita fuerit conditio.

4to. Tali igitur securitate, atque exemptione Cameneci, &, uti possidetis integre Regno huic restituendi habitâ ac stipulatâ, nec non declarata perpetua ad Podoliam & Ukrainam, sangvine ac tantis Reipub: impendiis jam pridem per Dei gratiam vindicatas, quorum pactorum ac in universum omnis, cujuscunque prætensionis ad liberrimum hocce Regnum etiam donativi Tartarorum vulgò Kozuchy abolitione & cassatione pro primo gradu promovebit in solatium damnorũ, deperditarumq; Provinciarum, terras Valachiæ ac Moldaviæ cum Budziack prout in suis sunt circumferentiis Regno nostro perpetuò, ut jam olim pertinebant, attribuendas.

5to. Quòd si huic gradui opponatur fundamentum, *uti possidetis*, instituet congressum cum Legatis Christianorum, præcipuè Serenissimi Imperatoris, repræsentabitq; fundamentum hoc sine nobis contra nos acceptatum esse, aliàs quâ ratione pensandæ erunt nobis Provinciæ Kijoviæ, Smolensciæ, & Czernichoviæ totaq; terra trans Boristhenem, atq; Zaporovia in gratiam fœderis sacri ad Moschoviam avulsæ? quo loco exaggeranda damna desolatione Regni, perditi non semel exercitus, factæ perutiles pro Serenissimo Imperatore diversiones; uti testantur expugnatum Budinum, eo anno, quo Illustris ac Magnificus Dux Jablonovius post sylvas Buskovienses exercitibus Turcarum cum Seraskiero, atq; Crimensibus, Bialogrodensibusq; Tartaris cum Hano occurrens memorabili per continuos novem dies conflictu eosdem fatigavit, ac apertâ sibi per itinera insuperabilia Bukoviensia via illusit; captum Essekium eo tempore, quo Serenissimus Divæ memoriæ Rex ingressus oras Budziacenses, Seraskierium cum exercitu Turcarum, atq; Hanum cum universis Tartaris contra se sustinuit; egesti

sti deniq; jam ducenti, debiti adhuc & insoluti Exercitui triginta milliones, pro quorum meliori expressione suppeditatur hic copia Instructionis recentis ad Serenissimum Imperatorem Ablegato extraordinario Reverendissimo in Christo Joanni Gomolinski Nominato Kijoviæ Episcopo datæ satis disertè commemorantis præmissa omnia. A.C.1698

6to. Post omnem navatam industriam, atque operam, si gradus iste nullatenus successerit, stabit in secundo immobilis retinendæ scilicet, ejectis tamen, ac transportatis omnibus in Asiam Tartaris ex Budziak, Moldaviæ integræ; idq; jam ex fundamento, uti possidetis. Capitalis enim Moldaviæ Jassij adhuc anno 1686 Regi in persona ibidem existenti juramentum fidelitatis præstitit, atque obsidem fidei suæ Archi-episcopum suum in manus Regis tradidit, ab hoc gradu recedere non poterit, nisi periculum rumpendi tractatûs, atque contra solum Regnum nostrum resuscitandi belli Turcici præviderit.

7mo. Pro tertio & ultimo gradu supposito semper integrè restituendo Cameneco, atque abolitione omnium Pactorum, & cujusvis prætensionis, ut jam supra insinuatum est, persistet circa Territoria & districtus Moldaviæ actualiter à nostris militibus, & præsidijs possessos, videlicet circa Cernicoviensem, Socaviensem, Chotimensem & Sorocensem, juxta suos limites antiquos, & dependentias ita, ut limes sit ulterior fluvius Tyras protensivè ad mare nigrum, ab eo gradu non poterit dimoveri, nec habebit facultatem, nisi prius acceptâ à S. R. Majestate novâ resolutione casu quo illa necessaria fuerit.

8vo. Ordinem tractandi negotij, utrum scilicet omnes insimul legati Christiani per primos suos gradus, tandem per secundos, & sic ad ultimum se expedire & finaliter se resolvere, an verò per potioritatem temporis sacri fœderis unusquisque integrum suum tractatum absolvere debeat, relinquit S. R. Majestas Dominus noster clementissimus prudentiæ magni Legati. Videtur tamen esse magis naturalis simultaneo tractatui modus, absolvendi per gradus omnium Legatorum simul & semel. Sed hujus resolutio melior ex re oculis subjecta fieri poterit.

9no. De compensandis damnis per Turcas & Tartaros antiquioribus, & recentioribus nihil quidem in gradibus insinuatum est, sed per omnes curabit pro sua industria compensationem eorum promoveri, quantum fieri poterit. Eorundem quoque damnorum à Serenissimo Imperatore urgebit redintegrationem, si ibidem dabitur occasio, vel saltem præcavebit securitatem conveniendi de iisdem compensandis, non solum ex rationibus supra positis, sed etiam ex capite retentarum, vel aliò distractarum decimarum; de Regno scilicet Neapolitano & Siciliæ nobismet solis per fœdus applicatarum.

10mo. Terra Sancta atque locus passionis Dominicæ Domini Nostri JEsu Christi, quatenus prout olim ita nunc habeatur in administratione & curâ Ritus Catholici Romani, Religiosorum Patrum Bernardinorum, omnino promovebit, ac obtinere curabit.

11mo. Cùm in tractatibus omnibus benè ac faciliter obtinendis plurimum intersit favores multorum comparere, studebit omni opera lucrari Hani Tartarorum comitis Tokelii Interpretis Maurocordati, aliorumq;, quos valere cognoverit, secretam pro partibus nostris assistentiam, & adjutorium apud Ministros Portæ

12mo. Non ideo tamen naturalem cursum quærendæ omni nisu amicitiæ atque gratiæ Ministrorum mediantium potestatum intermittet, quinimò illos præ primis favorabiles partibus nostris reddere omni, quo poterit, cu

A.C. 1698 rabit modo, ad quos etiam conciliandos literas à S. R. Majestate accipiet.

13tio. Singularem quoque habiturus est amicitiam, atque confidentiam cum Legato Moscoviæ, cujus junctâ operâ facilius negotium hoc in partem Reipublicæ succedere poterit.

14to. Restitutionem omnium captivorum tam à Turcis, quàm Tartaris urgere, atque procurare non intermittet;

15to. Singularis curanda est in eo tractatu cautio, ne post factam pacem Tartari ordinarias insolentias, atque excursiones in Regnum quovis obtentu attentare præsumant, talique casu licitum sit hostiliter contra illos agere, terrasque eorum invadere, ac de ijsdem, si ita fortuna concesserit, excludere, Portâ Ottomanicâ ad id se non miscente, neque protectionem ullatenus suscipiente, vel in offensionem rupturæ pacis talem hostilitatem trahente.

16to. Prævidendum diligenter erit, ne tractatus Sacri fœderis inter Potentias Christianas contra Turcas stipulatus ad tenorem perpetuò defensivi belli modernis pactis quovis modo infringatur.

17mo. Instrumentum demum ultimatæ legationis, & quæ circa eandem sunt, habere ad manus curabit.

18vo. Ex instantissima recommendatione Sacræ Sedis unito cum aliis Christianis Legatis consilio promovere in articulos pacis annitetur, quatenus Patriarcha Syriæ ritus uniti Græci detrusus ex sua sede astu Schismaticorum restituarur in possessionem ejusdem, eâdemque ipse, & sui Successores fruantur in futurum sine quavis persecutione. Catholicis demum omnibus, in statu Turcico existentibus, quatenus privilegia antiqua reddantur cum libera Ecclesiarum ædificatione, antiquarumq; reparatione, extra omnem persecutionem, & jurisdictionem Patriarcharum ritûs Schismatici Græci.

Reliqua in eosdem fines diligenter, ac utiliter peragenda, illibatæ fidei, activitati, dexteritati & prudentiæ committuntur.

CXV.
REVEREND: PATRI GENERALI SOCIETATIS JESU.
30. Septembris.
Petit concionatorem Regium.

HAbemus, unde nobis tota, quanta Europa meritò gratulari possit, quòd eum nacti simus Regem, qui raro in Saxonia exemplo veri Numinis Religionem est amplexus. Verùm nondum tenemus votorum nostrorum fastigium, nisi eum habeat novelli spiritûs moderatorem Regia Majestas, quem omnis color deceat cum Aristippo, & qui cum Apostolo Paulo sit omnibus omnia. Novæ plantæ discreta manu tractari, servariq; debent, ne fortè vel nimio rigore, vel immodico æstu decoquantur. Nondum solida adultaq; maturitas frugum à positione pendet seminantis. Proinde dignetur Reverendissima Paternitas Vestra pro Apostolico suo zelo, cujus fama totum orbem implevit, unum ex suis Patribus cujuscunque demum sit Provinciæ, Varsaviam destinare, qui Theologiam & Controversias sapiat, dicereq; possit dignas Majestatum auribus Conciones Gallico idiomate. Sumptus in viaticum expensos ego refundam, & eò loco reponam, ut sit omninò contentus non sine singulari Apostolicæ messis solatio, in tanta præsertim Acatholicorum frequentia. Quod si præstiterit quamprimum Rñdma Paternitas Vestra (de quo minimè dubito) tunc sicut Socie-

Societas JESU nata sub Augusto I, ita majora indies sumet incrementa sub II. Interim me resq; nostras sanctissimis plurimùm commendo suffragijs. *A.C.1698*

CXVI.
AMICO CONFIDENTI 27. Septemb.
De actis in castris.

SCribitur mihi ex castris Regem peracto consilio venationi indulgere, & satis indiscretè Exercitum Saxonicum cum nostro agere, multos in via ex nostris disarmari, vulnerari, adductos etiam aliquos Tartaros, à Rege nec examinari, nec recipi, unde argumentantur eum nihil amplius aggredi velle, quamvis Castellanus Cracoviensis præmonuerit, Tartaros nostro Exercitui approximare, Regem uno milliari à Brzezany exercitum suum locasse, ipsum tamen in castris Polonicis subsistere.

22da Septemb. locatis in vicinia trium gentium castris, Polonorũ, Litvanorum, & Saxonum medio ferè milliari à se invicem dissitis, tentoria verò Regis in nostris castris fixa sunt, exercitus noster juxta mandatum Ducum ex equo non descenderat, sed tantùm humiliter se ex illis inclinaverat, quod parum ægrè Rex tulit. In tribus lineis Exercitus ordinatus fuit, quem lustravit cum admiratione, & fortè invidia assistentium Saxonum, quod tam diuturnum bellum sine perceptis stipendiis, tam copiosus, viris, equis, armisq; splendens extaret, unde haud contentus frontem ejus intueri, etiam latera & tergum introspicere non est dedignatus, suspicando primam frontem tantùm fuisse adornatam, & cohortes locis prioribus motas ac ijs quæ oculis Regiis objicerentur substitutas, sed ubiq; plenos & immotos deprehendit. Adfuit huic lustrationi Dux Virembergius Exercitus Saxonici campi Mareschalcus, qui plures tribunos nostros tenerè amplexatus, gratulabatur nobis, eũ militiæ splendorem & robur, nec dubitavit palàm affirmare, quòd in vita sua similem non vidisset equitatum, quamvis à puero arma tractasset, & exercitus plures vel ipsemet duxisset, vel lustrasset. Hic qui mihi scribit, sensum suum confidenter addit, quòd Rex non eam exinde perceperit animi voluptatem, quin imò notârunt aliqui dolorem concepisse, timendum ne pariat iniquitatem. Cohortes Principum Regiorum pulcherrimè apparuerunt, equi optimi & pulchrè ornati, ita ut & ipsi nostri auderent affirmare, jam pridem se tam ordinatum non vidisse exercitum, quamvis multæ cohortes deerant, quia in varias partes multi ad observandum hostem erant expediti; Pedestres quidem non ita benè comparuerunt, sed equites ita pulchrè, ut mirarentur exteri, tanquam ex terra exercitus ille insperatò excrevisset, cujus numerum & splendorem infesti nobis sinistrâ informatione detulerant. Principes Regij ante suas cohortes coram Rege steterunt. Extraordinariè vestitus, & pulcherrimè quidem Referendarius Regni amatus mihi semper & amandus coram sua Hussarorum cohorte visus est. Cùm verò Rex hanc lustrationem finivisset, ter salve ex sclopetis datum. Sumpsit pòst prandium Rex in tentoriis nobilissimis Castellani Cracoviensis, ubi satis lætus erat & hilariter biberunt. Interim cum certum mandatum (Ordinans vocatur) Castellanus Cracovien: subscriberet aliquibus cohortibus ad explorandum de hoste mittendis, & Regi aliquis novo incentivo insinuasset, quòd tamen non decorum fuit, ut Castellano infamiam pararet, sibi affectum Regium venaretur, similia nonnisi à Rege sub-

Lustratio exercitûs.

Mandatum Ducis impeditur à Rege

A.C. 1698 subscribi debere, valdè Rex turbari hoc, quasi quidquid Poloni faciunt, displiceret & ægrè ferre cœpit; cùm verò Castellan⁹ Cracoviensis protestatus, esse sibi erga Regem suum fidem, pro Patria immensam charitatem, fusissimè & jus suum & consuetudines deducendo, dixit Rex flectendo iram vindicem, quòd nimium vinum ulterius de seriis loqui non permittat, sed in crastinum conferemus; interim ne hæ cohortes exirent & mandatum illud revocaretur, ordinavit. In ea tempora incidimus, in quibus etiam periculosum est bene fecisse. Et pòst ad sua tentoria abivit, ante quæ in custodiam destinatam cohortem suam propriam invenit, ac omnes commilitones lautissimè tractavit, qui continuò vivat AUGUSTUS inclamabant.

Postera die reconciliatus Castellanus Regi, postquam is de consuetudinibus nostris sincerè fuerat informatus, dixitq; idem hæc formalia: ego te mi Castellane habeo pro Patre, & me & Exercitum meum sub regimen tuum libens trado, qualemcunque satisfactionem habere volueris, habebis semper, projicias tantùm post tergum omnes offensas. Ita ex eadem scaturigine & dulcis & amara aqua emanat. Respondit. Castellanus plurimum sibi esse honoris in conscientia facti sui. Interim congregati commilitones mœstæ quærentes solamina mentis, qui in vicinia castrorum bona sua habebant, & maxima damna à Saxonibus patiebantur, & omnem videbant nocendi voluntatem, cùm non quiescant pauperis populi vox à ploratu & oculi à lacrymis, magnos tumultus & acclamationes ante tentoria Regia facere incipiebant, clarâ & distincta voce dicentes, inconsultè mulcetur angvis, donec caput omninò obteras, semper nocet. Viperam ponas in auro, permanebit vipera, solatia quippe nunquam paria tanto dolori, cùm nemo satis posset & admirari & conqueri super dolendo nec reparabili damno, à dictis fortè ad facta accessissent, nisi à majoribus Officialibus retenti aliquatenus fuissent, maximè tamen contra Palatinum Mariæburgi hi insultus fiebant, cui etiam exprobrabant, quòd in ultimo consilio senatûs dissolvendum exercitum suasisset, quod per totum exercitum divulgatum erat.

Reconciliatio ejusdem

Tumult⁹ in exercitu.

24tâ Habuit Rex consilium privatum, quid cum suo exercitu faciendum? suadebat Castellanus Cracovien. partem equitatus sui ad partem quoq; exercitûs Poloni selectam jungendam, eundemq; versùs Camenecum ad expellendos ex illis campis Tartaros & omnem aditum ad eam urbem interdicendum ex adjacentibus fortalitiis, sed cùm id placuisset multis, Regi non placuit, qui ob serum temporis nihil jam agi posse declaravit.

Consilium persequendi Tartaros non acceptatur.

Urgebant etiam Duces Litvani, ut quantocius Rex in Litvaniam propararet ad extingvendum ignem, jam fortiter erumpentem. Incusavit Palatinus Vilnensis à Litvanis confœderatis, bona *Rozany* dicta funditus desolata esse, nihilq; proficere patientiam, nisi ut graviora tanquam facilè tolerantibus imponantur. Non est injuria pati, quod prior feceris, omnia more famæ credentium otio augentur. Tumultus interim non perfunctoriè in castris Polonicis incipiebat, passim inclamabatur; Polonis gravia mandari, à Saxonibus nec minima fieri, non Tartarorum sed Polonorum jugula peti, ita palàm dicebatur, ex inopia præcipua plerumq; oritur audacia. Inquirebatur author, qui consilio fuisset Regi, ut tantùm exercitum in viscera Regni induceret. Petebatur à Castellano Cracoviensi dispensatio & venia ex castris abeundi, fortunasq; proprias defendendi, ab illis præcipuè, quorum domus erant

Querela Ducum Litvaniæ.

Tumultus in castris.

erant conterminæ, planeq; jam ruinæ subjectæ, motos vix potuit Castellanus componere fluctus; agebat tamen: tribularer nisi de bonitate Regia mihi constaret, appromitto; inquiebat, rogaturum me S.R.Mtem, ut insolentiam Saxonum compescat, attentos vos volo, quæ Domino loquar, volo enim ut id fiat congruè, & vos sufficienter audiatis. Interim Notarius campestris M.D.Lit. ab exercitu missus ad castra Litvanica Regem invitavit. Ubi Rex intra unam horam, vicina enim erant, constitit, & supra spem aliorumq; interpretationem satis pulchrũ vidit exercitum, & quamvis equitatus non ita fuit numerosus, suppleverunt tamen pedites, nam supra quinq; millia bene ordinati inventi sunt. Prandit pòst Rex apud Palatinum Vilnensem, prandio finito explodebantur sclopeta ejusdem exercitûs, & quidem cùm meliori ordine, quàm in exercitu Polonico. *A.C.1698*

Interea significatur Regi, quòd Potoccius Krasnostaviensis Capitaneus Palatini Cracovien. filius mero æstuantem inviserit Prebendowscium Palatinum Mariæburgensem in ejus tentorio, ibiq; nescio, qua de causa (sed sufficiebat sola ebrietas) à verbis ad verbera ventum est, quibus Capitaneus Palatinum dicitur malè tractâsse, suâ gestatoriâ securi, id est hobucho, absq; ullo tamen vulnere, aut signo contusionis, quæ proinde negabatur à Palatino, ictus tamen comminatum sibi fuisse fatente, satisq; eos ad gravem alterius culpam, & sui injuriam fuisse inferente. Attonitum hæc & tanquam subito malo stupentem reddiderunt Regem, cum præcipuè bene jam potus fuisset, & jam illi pro virtute ira, pro consilio furor, pro ratione impetus esse cœperat, nam sui Ministri offensam reputans suam, seu timens etiam sibi, illico proripuit se ex nostris ad Saxonica castra, quò paulò pòst transferri etiã tentoria eadem præcepit. In magno certè periculo fuit Palatinus Mariæburgensis malè tractatus à multis, qui in consortio venerant Capitanei, cui plùs licet, quàm par est, plùs vult quàm licet; salvatus tamen est à militibus Flemingij & cum hac doloris expressione iverat ad Regem, cui redeunti jam obviavit, tria millia statim Saxonum ordinata sunt, & per ordinem disposita; Rex autem in suo Saxonico exercitu tentoria poni jussit, & jam amplius ad exercitum nostrum non rediit Redierunt generales nostri Duces ad castra, & maximum tumultum invenerunt, dolentesq; plurimos audiverunt, quòd Palatinum vivum reliquerint, contra Saxones dimissionem petebant, & licentiam, ut scilicet eos delere possent inclamantes sæpius: Regem agnoscimus pro Rege, si vos Duces nobis non assistetis, habemus jam alium, quem bonum fore credimus; frena sunt nobis injecta nullo modo perpetienda, nónne jam alligati & constricti sumus amaro vinculo servitutis? mitigati tamen aliquatenus, cùm eis appromitteretur, die sequenti mittendos esse nuntios ad Regem cum certis punctis, ad quæ conscribenda invitati sunt pro hora quinta matutina, sanioris fore mentis manè, quàm vesperi credebantur. *Tumultus inter Potoccium & Prebendovium.*

Palatinus Cracoviensis valdè indoluit huic inconsultæ filij actioni, videreq; eum noluit. Palatinus Mariæburgensis constanter negabat se percussum fuisse, quanquam illi, qui id viderunt contrarium affirmabant. Palatinus Belzensis post infirmitatem suam venit ad castra. Palatinus autem Vilnensis reducto Rege ad castra Saxonica rogatus, ut sua Litvanica admoveret Saxonibus castra; quòd quidem promisit, sed non fecit, nam postera die promissi oblitus tres leucas versùs Litvaniam cum toto exercitu abivit; quod valdè Regi displicuit, ita, ut con- *Exercitus Litvanicus se separat.*

A.C.1698 sternatus dixerit se in Litvaniam non iturum, alliterq; milites suos dispositurum. Hac die Rex è castris se non movit, sed cum suis confidentioribus consiliis impendit diem, quomodonam reparari hæc confusio deberet? si hic exercitum meum, dicitur Rex exclamasse, non haberem, quomodo tractarer; cùm Ministrum meum ad latus meum in conspectu planè meo tam enormiter confuderunt. Ab exercitu quoq; nostro relatum, quòd in consessu suo illud concluserint, mittendum esse ad Regem, cum agnitione & subjectione sui ejus dominio, sed urgendo eductionem Germanorum extra Regnum & compensationem damnorum per Regium exercitum illatorum, nec non revelationem Authoris, qui consilio fuit Regi, ut tantum exercitum in viscera Regni induceret, ut manu suâ mandata exprimat redeunti exercitui suo, quomodo se gerere debeat in itinere; utq; illa instructio imprimatur, quatenus omnibus innotescat, ut Commissarius ex quolibet Palatinatu, qui assistat, & ne damna fiant invigilet, ut victualia tam pro illis, quàm pro equis tribus ante adventum diebus paratâ pecuniâ solvantur secundùm ordinariam taxam. Præter tectum, paleamq; pro dormiendo, ac ignem nihil aliàs prætendant, secus facturus & aliquid accepturus, statim coram toto exercitu satisfaciat, Officiales nullas largitiones, discretiones, & id genus exigant, sub amissione officii sui, quinimò quolibet manè exeundo, quietationem de præstita satisfactione habeant. Ut etiam invigilent Officiales, ne ullus disordo, aut præda fiat, si quis autem excessum aliquem committat, statim puniatur, si quid auferatur vel surripiatur, Officialis solvat, & ex deservita mercede defalcet præviâ inquisitione, aut comprobatione juratoriâ. Castrorũ Metator & alii Potoccij abierunt ex castris, ne complices facti haberentur, non approbando sed vituperando.

Decernitur Legatio ab exercitu ad Regem.

Interim Duces convocatis Primoribus exercitûs, initoq; consilio rogârunt Referendarium Regni, uti virum potentem opere & sermone, & Regi non ingratum, ut mitigaret suam Majestatem, eique persuaderet, quòd illa privata rixa & offensa nullatenus ejus Sacram tangat Personam. Si Capitaneus peccavit in Palatinum, puniendum; est Pater ejus, est Dux exercitus, sub quorum est jurisdictione, judicandum certè pro suo merito. Quod verò propter unius culpam toti exercitui Rex exhibeat se infensum, id nec Regiæ dignitati, nec æquitati convenire. Referendarius sic instructus venit ad Regem, ibique invenit quosdam Proceres Polonos Ducibus & ipsi Referendario minus faventes, vel forsan in turbido melius se piscaturos sperantes (sic sub ridente herba angves latent, sub hyblæ nectaribus toxica conteguntur) qui Regias aures præoccupârunt, easq; seu veris, seu falsis rumoribus impleverunt. Eò jam dementiæ venimus, ut qui parcè adulatur, malignus fit. Ita illi injuriam Palatini extollebant eitam coram Majestate, esseq; initium seu præludium seditiosæ in exercitu contra Regem conspirationis, cujus non ignarus esset etiam Referendarius; verùm longè plures ibi esse Majestati fideles, qui etiam Referendarij caput tollere parati sunt asserendo. His & similibus ita animum Regis exacerbârunt, ut Referendarium nec solitâ vultûs serenitate exceperit, nec ad ejus verba aliud reposuerit, quàm, quòd hæc tantùm sunt verba; Vos Poloni aliud dicitis, aliud agitis; Subsumpsit Referendarius: faciemus omnia, quæcunq; mandaverit Majestas Vestra; hic Rex post varias furias, minas & diras tandem dixit Referendario; Verbales istæ promissiones judicandi & puniendi Potoccij non mihi satisfaciunt; adfer mihi scriptum

Referendarius mittitur ad Regem.

Malevola quorundã informationes.

Rex Referendario offensus.

ptum authenticum à Ducibus, & mox eum ad exercitum & Duces abire jubet credens nunquam ad se vivum rediturum, sed in exercitu trucidandum. Referendarius ut sibi nihil conscius, nam virtus instar palmæ est, inter pondera crescit, ita certus nulla in exercitu contra Regiam aut suam Personam esse molimina, securus pergit ad castra, fortes fata non angunt, imò nec tangunt. Exponit Ducibus Regis iram & desiderium Sine cunctatione Duces scribunt Regi promittendo & obligando se judicaturos, & condignè castigaturos Potoccium. Revertitur præproperè Referendarius nocte in aliquot jam horas extracta & auxit authoritatem dicendi, quando sermo ejus opere complebatur, attulit enim hoc scriptum, quod Rex desiderabat. Attonitus Rex ad primum intuitum ejus mox è tentorio suo excedere jubet Ducem Vitembergicum, ac alios Generales chartasq; aliquas supra mensam extensas, ipsemet invertit, ac Referendarium affatur, quomodo sit salvus? an non ei aliquid accidit triste, obstupescit & Referendarius ad talia quæsita, & vicissim quærit ex Rege, num ideò miserit ad castra, ut non reverteretur vivus? num aliquæ structæ sint ipsi insidiæ, & occasionem habuit arguendi illos, qui questui habent malè loqui de melioribus, quibus aut nomen adimeretur aut mores, cum ex responsis Regijs quamvis ambiguis potuerit sat intelligere, quàm falsâ opinione Proceres nominati illum imbuerant, quamvis nemo vult ita falsum dicere, ut nesciat ipse, quid verum sit. Dum verò scriptum authenticum Ducum præsentavit Regi, magis adhuc is obstupuit, quòd tantum evincere valuisset, perlectumq; idem scriptum Referendario reddidit, & jam benigniùs eum respicere, ac familiariùs alloqui cœpit, reservato tamen contra exercitum Polonum furore, ac repetitis sæpiùs minis, quòd pro illo ausu Potoccij totum delere jam in animo constituit, & ideo Generales, quos hic vidit, convocati sunt, ut cum eis de modo, tempore & forma aggrediendi Polonos ratio iniretur; Si non credis inquit; Ecce delineationes Ordinum Exercitûs mei, & revolvit illas chartas inversas, in quibus diversæ erant delineationes exercitûs inituri prælium, dixitque; unum tantùm restat mihi dubium, quosnam debeã opponere vestris Hussaris? an meos loricatos? an verò pedestres, & ostendit utriusq; ordinis in chartis figuram. Referendarius vix sui compos ad tam inopinatam & planè temerariam Regis resolutionem, cœpit eum dehortari, non derogat generositati elephantis, si infesto culiculum se subtrahat gregi, deprecari, imò & deterrere; Sed Rex ad omnia uti Marpesia cautes. Tandem Referendarius dicit ei, impossibile est Majestatem Vestram ad hanc devenisse resolutionem sine aliquo cum nostris condictamine, cuinam ergo tantopere fidit? quantum me spectat, licet sim fidelissimus servus, & subditus Majestatis Vestræ, uti magis nemo, tamen hoc audacter confiteor, dicenda enim semper & ubiq; est veritas, quòd si viderem Majestatem Vestram contra nostrum exercitum progredi, cogerer prævalente patriæ amore M. Vestram deserere, & me ex adverso opponere, sive hoc esset cum bona, sive cum mala sua gratia, nec aliud promittere possum, etiamsi M. V. extrema minari mihi vellet, seu eadem hoc instanti patefaceret; Nec dubitet omnes Polonos, modò nostra redeant in mores tempora priscos, ejusdem esse mentis, & animi. Rex nonnihil tergiversatus tandem fassus est, habere se compromissum à D. Sapieha Palatino Vilnensi & Duce Exercituum M. D. L. quòd inito certamine cum Polonis ac Saxonibus, ipse cum suo exercitu ad partes Regias esset transiturus.

Idem benignius acceptatur.

Intelligit jactas contra se calumnias.

Intendit Rex tollere Exercitum Polonum.

Palat. Vilnensis falsa an tempore missio.

A.C. 1698 Replicat Referendarius ſe omnino non poſſe credere, Palatinum Vilnenſem talia promiſſa adimpleturum, tantúmque fidei & amori illius in patriam fidebat, ut caput ſuum Regi offerre eventu contrario minimè dubitârit, ſuis illum plurimis abundare virtutibus, qui alienas amat, idq; Rex inſinuavit, quòd maximi ſemper actus prudentum ſit non temere credere. Poſt hæc abit Referendarius ad caſtra Polona jã albeſcente polo, videtq; turmas equorum varias ab Agaſonibus ex paſcuis diſtantibus à caſtris aliquot milliaribus conduci, interrogat eos, ad quid hæc? Reſpondent omnes læti; Pugnabimus cum Saxonibus, circa ortum ſolis omnia in caſtris noſtris erant parata ad prælium præter Ducum voluntatem; non enim credebant Regem adeo oblitum ſuî eſſe, ut eos omnino aggreſſurus eſſet. Vel ſi id facere vellet, non exiſtimabant conſultum fore uni prælio ſummam rei committere, ſatiuſq; duxiſſent ei infauſto caſui exercitum ſubducere, ac dein varijs inſultibus, & ſtratagematibus hoſtem affligere eâ freti fiduciâ, quòd, tali ratione ſuos conſervare ſalvos, illos verò ad unicum delere poſſent. Verùm Deus diuturniorem forſan nobis decrevit pœnam. Nam dum manè Rex ante ſuum exercitum progreſſus verſùs eum locum, unde exercitus Litvanicus poterat proſpici, nec amplius eum vidit, ac intellexit, quòd noctu abierit, ac aliquot milliaribus, ut dixi, inde retroceſſerit, fremere, ringi, ſtridere dentibus, imò & commordere digitos ſuos cœpit; mille diras, minas, & improperia contra Sapieham evomens. Nihilominus ſuum exercitum progredi imperat. Referendarius accurrens totis viribus Regis iram lenire, impetum illum emollire conatur adjuvantibus Regiis Principibus Alexandro & Conſtantino; videns verò obſtinatam & perfractam Regis contumaciam, factâ ei reverentiâ abituriens elatiori voce, ac vehementiori affectu hæc in eum projecit verba: Ne facias hoc ô Rex, quia & nos, & te ipſum perdes; non ſic Poloni DEum colimus, nec ſic vivimus, ut exercitus tuus nos vincere debeat. His dictis paululum ſe ſubduxit. Ita vir orationis libertate & fide charitateque in Patriam valuit, ut illi qui contrarium ſvadebant tanquam viles & ignavi artibus & aſſentatione tantùm potentes confuſi remanſerint, & Rex qui non conſilio, ſed impetu quodã ad id trahebatur recolligens ſeſe, & collocutus cum Duce Wittembergio ac alijs Generalibus expediverit Flemingium ad ſuum exercitum, forſan ut ſiſteret gradum, nam poſtea plus ultra non proceſſit. Redijt Rex ad ſua tentoria, Wittemburgius ſummas egit gratias Referendario, quòd ſuo zelo Regem à tam nefando avertiſſet propoſito, oſtenditq; illi ſpatium, quod exercitus Saxonicus eo manè emenſus erat verſus noſtrum.

Poloni parati ad conflictum præter Duces.

Rex Palatino Vilnenſi offenſus.

Zelus Referendarij avertit Regẽ à propoſito.

Hanc relationem genuinam, quam habui, communico, plura ſcripturus, dum plura accepero.

CXVII.
EIDEM AMICO CONFIDENTI 10 Octobris.

Inter alia agitur de Tribunali.

JAM præteritis denuntiavi tibi quid acciderit in caſtris, & quod tam pulchræ intentiones, fortiaque propoſita, loco hoſtilis vix non civilem effuderint ſangvinem, niſi, ut conſtanter ſcribitur, Referendarii Regni curâ ſcintilla hæc magnum portendens incendium extincta fuiſſet. Cujus alii deprædicant ſummam prudentiam, animi fortitudinem, & Patriæ

triæ amorem, ſunt tamen nonnulli, qui dubij erant, an non convenientius fuiſſet non detinuiſſe illum torrentem, atq; permiſiſſe, ut ſuo impetu raperetur, ac flueret brevî exſiccandus; timent enim hoc repagulo detentum in totam Poloniam redundaturum, & fortè majorum malorum diluvium invecturum. A.C.1698

Venerat Palatinus Cracovienſis afflictus Pater ad Regem, cui ſine ulla mora audientia data, nam Rex perſuaſus erat, unde conſilium abfuerit, culpam abeſſe. Cum ſumma igitur ſubmiſſione non ſine lachrymis Regem deprecabatur, utque juvenili ardori temeritatem illam indulgeret, humillimè ſupplicabat, flectere tamen animum Regium nullatenus potuit, qui declaravit, non ſe ex hoc loco cum exercitu ſuo moturum, uſque dum per judicium militare juſtitiam ex Capitaneo Cracovienſi habuerit, cum plena ſatisfactione; in eo enim honor ejus vertitur; & ita Palatinus abſque ulla rediit conſolatione, miſſi etiam ab exercitu legati cum omnimodæ fidelitatis teſtimonio, perpetuæ erga Regem voluntatis expreſſione, & cum ſupplici libello contra oppreſſiones Saxonicas, & cum humillima petitione, ut Rex authores conſilij, qui inducendum in viſcera Regni exercitum ſuaſerunt, detegere vellet, ſed reſponſum nullum habuerunt, antequam plena læſi honoris ſatisfactio data fuiſſet. Cùm verò Rex poſitivam à Ducibus accepiſſet declarationem, Capitaneum Cracovienſem in commiſſione Hybernali judicandum eſſe, lætior eſſe cœpit eâ facilitate inventa.

Palatinus Cracovienſis Regi ſupplex.

Movit exercitus Saxonicus verſus Zloczow, & Rex interim cum Conſiliariis Germanicis diſpoſitionem exercitûs ſui faciebat pro hyeme deſtinando certos, & quaſi totum equitatum in Litvaniam, alios in Pruſſiam, reliquos in Oeconomias Samborienſem, Sandomirienſem, & fortè etiam verſus Cracoviam; Tormenta Leopoli & Jaroslaviæ relinquenda deciſum. Fortalitium Zloczovienſe ſummè placuit Regi. Iterum Rex addidit pro milite ſuo ſine conſenſu, & nec quidem, ut ſcribitur, notitiâ Ducum noſtrorum, cum Epiſcopatu Præmislienſi Strienſem, Viſnicenſem, & Drohibicenſem Capitaneatus. In Litvania Generalis Trontmansfort (ut cuncta ferme nova, varia fama ſuccedunt & oriuntur) In Polonia Generalis Bergholtz regent. Princeps Wittembergius (cujus militares artes, per otium ignotæ) valedixit Regi, quod ab aliquo jam tempore facturum ſe mihi inſinuaverat; non enim ipſi placuit modus regendi Regius ab initio Regni cum ſuis ſubditis, frequentiuſque in memoriam reducebat diverſum longè à Guillielmo Rege Angliæ, dum Regnum illud ſub ſuum dominium trahere volebat, præcuſtodiendo ſemper, ne vel minima injuria ſubditis, quibus dominari volebat, fieret, exercitum ſuum propriis ſtipendiis alebat, & in magna diſciplina tenebat, ſciebat enim pauciores ea caſtra deſerere, ubi diſciplina militaris regnat, quàm in quibus diſſimulatur, ac proinde tantùm profecit, ut nunc Angliam regat, & in amoribus illius Regni vivat, quarum actionum dictus Generalis Wittembergius oculatus teſtis fuit, ſub hoc enim Rege diutius militavit. Videns ergo hic diſordinem, maluit abire, quàm hic reputationem, quam in aliis expeditionibus acquiſiverat, perdere; nec conſilia continua cum Saxonibus excluſis Polonis illi placebant, ſæpiuſq; pro confidentia quam mecum habuit, dicere ſolebat, quòd Reip. & Regi melius proſpiceretur, ſi penes eos eſſent conſilia publica, quorum impenſis, operâ, periculo, ea oporteat ad effectum perduci.

Princeps Wittembergius valedicit Regi.

Litvanicus Exercitus ſub Ianow conſiſtere juſſus eſt à Palatino Vilnenſi, ut ibi caperent conſilium, quid facto opus, ſi à nobilitate admiſſi non fuerint in conſiſtentias, qui Exercitus conſtanter Ducem ſuum defenſurus credebatur, ſcilicet metu tenendi, quos fides non tenuiſſet. Urgebant Litvani

A.C. 1698 vani Regem, ut promissos milliones, etiam exercitui Litvanico enumerare jubeat, quidquid in partem ejus cedere debet; sed ego credo, id futurum post Kalendas Græcas. Loco summarum pecuniariarum, summæ fortè imminent ab Exercitu Saxonico in Litvania oppressiones.

Insperatè Rex Leopoli 4tâ Octobris comparuit, ita ut jam in domo Principum Regiorum esset, quando tormenta arcis & urbis audita sunt.

Nuntij ex Samogitia

Auditi sunt etiam pòst Nuntij ex Samogitia, inprimis gratias agentes pro collato gubernio Samogitiæ Oginscio, & pòst incusantes malam fidem Sapieharum, quòd tractatibus factis in papyro, civili sangvine satiârunt dexteras; ac proinde illum tractatum Varsaviæ invalidantes, de nullitate, quanquam Majestatis fuerit interposita mediatio, protestati sunt.

Instituerunt etiam, quod non ingratum erat Regi, ne appromissas summas in rem M. D. L. distribuat inter oppressores æqualitatis, sed illas conservet ad ultiorem decisionem. Informârunt pòst, quomodo communi jubente necessitate naturalis defensionis motum nobilitatis inter se constituerint ad retorquendos violatorum legum impetus, & transgressorum constitutæ coæquationis. Ut ergo Rex confirmaret hunc illorum congressum, petebant; ut enim est protestor æqualitatis contra potentes, ita efficaciter juvare nobilitatem debet, aliàs si Rex non proteget, tunc credunt, surrecturum aliquem de ossibus eorum ultorem. Respondit Rex ore Referendarij, se satis esse contentum ex applausu distributivæ justitiæ in personam Oginscij, & ad requisitionem eorum postulataq;, Sræ Majestati curæ fuisse magis, non qui lautior, sed qui fuisset illis acceptior, detracta omni suspicione passionis, sed hoc eum angebat, quòd tantum temporis impenderit concordiæ ad tranquillitatem ducendo res turbidas M. D. Lit, & tamen Regiis curis non satisfactum, ut enim demoliendi quàm extruendi ædificij via est facilior & compendiosior, sic initam concordiam facile evertere, aliam instituere ingens opera erit, difficiliùs enim turbida sedantur, quàm integra commoventur. Igitur propter sopiendos eosdem motus, maturiùs quàm voluisset, non prosequendo hostiles conatus expeditionem finire debuit campestrem; pacificum ad intra quantociùs volens videre Ducatum Litvaniæ, & si necessitas id requisiêrit paratus est personaliter ibidem comparere, & non Domini sed Patris ritu manutenendo semper subscriptam concordiam cum ijs agere; videt quidem S. Majestas, quòd omnes constantes in obsequio erga eandem videri velint, sed constat constantia magno, & rara est hoc præcipuè sæculo animi firmitudo, & nullâ re magis labefactatur status Reipub: quàm crebra constitutorum mutatione.

Generalis Fleming destinatus erat in Prussiam, sed hodie mutata erant mandata; in Litvaniam enim jussus est ire, & Generalis Borstein in Prussiam.

Palatini Belsensis querela

Venerat Palatinus Belsensis petens cum debita submissione Majestatis appromissam satisfactionem pro desolatione bonorum ejus per exercitum Regium, repræsentando summam egestatem subditorum suorum, cum nec panem pro hyeme habituri sint; ut ergo Rex pro conseminatione, uti verbo Regio promiserat, summam aliquam enumerari faceret; petijt, sed multa verba in vim responsi, nihil defacto habuit; nam Rex scire se dixit ex certis informationibus, quòd in aliis bonis abundantia granaria Palatinus haberet, quæ pro supplemento aliorum subditorum sufficere possent, utque pecuniam à sua Majestate nullam speret. Nemo enim dat quod non habet, securum tamen reddidit, quòd in tempore suo exhibiturus illi esset tantas gratias, quæ præsentem repulsam abunde compensabunt.

Misit interim Rex Mniszek Capitaneum Sanocensem ad confœderatos Litva-

Litvaniæ, ut quantò plus ipsis licet, tantò libeat minus, ut arma deponerent, pacis media quærerent, significans iisdem brevi se in Litvania compariturum. Venerunt etiam ab Exercitu Polono Nuntij cum supplici libello, ut Rex in ijs locis, ubi ordinariè suas consistentias polonus exercitus habere solet, Saxonicum non locaret, sed similes propositiones aut non audiebantur, aut illis nunquam respondebatur. *A.C. 1698* *Mnifzek mittitur ad Litvanos* *Supplex libellus ab exercitu Polono*

Quanquam in punctis Lovicij conclusis erat etiam separatum de Tribunali Regni, & alternata Provinciæ Polonæ minoris. Sed, ut alia non observata, sic & in hoc ex rationibus suis noluit Rex fieri ea, quæ à Cardinali & aliis prætentebantur.

Audivisti credo, anno præterito post Festum S. Francisci die lunæ proximo secundùm morem judices deputatos ex Palatinatibus convenisse Petricoviam ad inchoandum Supremi Regni Tribunal, quod Rokosziani disturbare tentabant, sed à cohortibus missis ab Exercituum Duce repressi & dispersi sunt, attamen absq; effusione sangvinis. Inceptum igitur Tribunal per electionem Mareschalci, cujus honor & sors cecidit super Pstroconscium Castellanum Spicimirensem ex turno majoris Poloniæ. Ex Capitulo Gnesnensi, & Leopoliensi nemine comparente locum præsidis tenebat Canonicus Cracoviensis Ruskowski. Cùm verò unus ex Deputatis, qui nuper miles strenuus, nunc Statista egregius, Senator prudens, & semper vir honestus Casimirus Rostkowski Castellanus & Deputatus Visnensis deduxisset constitutionibus Regni præfixum esse spatium sex hebdomadarum post coronationem Regis, ut non nisi eo lapso hæc judicia Generalia instituerentur, illa verò dies vix duarum septimanarum attigit terminum post coronationem Serenissimi Augusti, ideoq; sic lege ducente limitari debuit illud Tribunal, & defacto limitatum est. Post Pascha verò jam hoc anno pro more congregati Lublinum Deputati, cum Mareschalcus Pstroconius non compareret, & invitatus à Collegis, ut veniret, spem adventus sui non faceret, elegerunt ordinariâ formâ alium è medio sui Mareschalcum Szydłowscium Castellanum Visogrodiensem, qui usque ad ipsum Tribunalis exitum virgam Directionis tenuit. Cum verò Petricoviæ iterum post festum S. Francisci incipiendum erat Tribunal, ingens in ipso limine exorta est difficultas, de qua nunc alternata seu turno eligendus esset Mareschalcus. Nam etsi juxta cursum ordinarium tangebat is minorem Poloniam, cùm jam ex majoris Poloniæ turno, anno præterito electus Mareschalcus adhuc Lublini hos fasces gereret, quia tamen Rokosziani non recognoscebant illud Tribunal pro legitimo, utpote durante Reipub: scissione inchoatum, ideoque inter puncta accessionis suæ ad Regem Augustum caverunt sibi electionem Mareschalci ex majoris Poloniæ turno, proinde diversa in studia distrahebantur Deputati cum tanta pertinacia, ut, si ex minore Polonia fuissent Deputati præsentes in numero Senatorio ad judicium completum requisito, maluissent Petricoviâ discedere, & Lublini Tribunal inchoare, quàm in electionem Mareschalci ex majori Polonia consentire, sed dum hoc succedere non valuit, videbatúrve hæc medicina pejor esse morbo, nec alia suppetebant media, obsistentibus majoris Poloniæ Deputatis, & successionem pariter minantibus, sine quibus non esset numerus completus Deputatorum Sæcularium ad judicium sufficiens, transactâ in mutuis certaminibus totâ die, usque ad horam noctis decimam, tandem electus est Mareschalcus ex majori Polonia Lipscius Castellanus Siradiensis. Erat aliquis ex Spiritualibus Deputatis, qui insinuavit non attendendum esse ad turnum, sed indifferenter quempiam esse eligendum, quod omnes Spirituales approbarunt, sed majoris Poloniæ Deputati id non acceptârunt, contendentes *Tribunal inchoatur*

saltem

A.C.1698 saltem in hoc manu tenendum esse articulum suæ accessionis Rokosziranæ. Postquam hoc innotuit aulæ, scripsit Rex literas ad Tribunal arguendo hanc electionem, quasi illegitimè factam, & cassatam esse volendo. Verùm quòd factum erat, fieri nequiit infectum, dum Rex pro verbis verba reportavit ac pro literis literas, cum deductione juris, quo fuit taliter processum.

Adnecto tibi literas Regias 24ta Septembris ad Tribunal Petricoviense scriptas.

COPIA LITERARUM REGIARUM AD TRIBUNAL 24. Sept. scriptarum.

POst tit. *Dum per exoptatam omnium Reip. statuum universalis concordiæ conclusionem tam pulchra unanimium affectuum harmoniâ lætari incepimus, & aliqua feliciter accommodavimus dissidia animorum, circa alia in M D. Litvaniæ pacificationem omni meliori modo, & diligentißimam adhibendo curam, nihil optatius nobis erat, quàm ut revertantur in Patriam tempora pacifica, & auspicata ad intra tranquillitas. Eripit nobis è manibus hanc felicitatẽ fatorum adversitas, confundit solicitudines nostras, quando cum præjudicio legum & antiquarum consvetudinum exanimes Jurium tabulas fregistis, & alternatam minoris Poloniæ intermisistis, unde tam ingens motus, & gravißimæ collisionis inter Provincias orta est occasio. Jam nos in hoc loco circumdant Civium disgustus cum justo dolore & sensu contra tam gravem injuriam minoris Poloniæ, & inauditum à condicto tribunali agendi modum accusando, locumq; quærendo ad vindicandas & invocandas leges. Videmus tanquam in specula venientia mala, turbata consiliorum publicorum momenta, imminentes futurorum comitiorum difficultates, & quantò propiùs mala Reip. spectamus, eò magis affligi debemus, nam dolor hic perstringit adusque medullam cordis nostri. Nos consilia publica in viam rectam educere optabamus, & post tot vulnera saucia & ægræ Reipublicæ internam pacem, & perfectam inter status fovere confidentiam, & credidimus, quòd exemplo nostro amantes Patriam Filij, quieta turbidis antehabendo, proprias prætensiones, præcipuè contra leges & consuetudines publicis utilitatibus remittere; si verò contra præteritum tribunal, post felicem Coronationem nostram secundùm legem inchoatum, quod hactenus continuatur Lublini aliquid poterat obtendi, tunc id ipsũ non à tribunali incipiente, cujus nulla potestas condendæ legis, sed exequendæ corrigi debebat, sicut bene hoc intelligimus, sed ad cognitionem hujus difficultatis tota Resp: in comitijs congreganda pertinere debebat. Obviando proinde civilibus turbis nolendoq; videre Remp: in tam difficili domesticorũ dißidiorũ labyrintho, visum est nobis ex Senatûs consilio præsentis consilij compellare vos. Sicuti seriò protestamur, & amore patriæ, per quidquid sacrũ & carũ est in ea obligamus, ut saluti publicæ postponendo prætensiones, & non cadendo in profundiores semper differentias, gravioresq; dissensiones, à persecutione judiciorũ vestrorum tantisper supersedeatis, donec futura*

tura

tura Comitia, quæ brevi indicturi sumus, hanc quæstionē resolvant, & id, quod cum lege convenit, discernant. Et nos sicuti devotum caput in defensionem patriæ, & salutem nostram in pericula exponimus, ita omnes prærogativas, patrias leges, & inveteratam nostram authoritatē Regiā firmiter propugnare in animo habemus. Et dum complectimur Remp: dum auxilia libertati invocamus, iterum intimando vobis Senatûs consilium, instantissimè requirimus, ut ad incidentiam futurorū comitiorum judicia vestra in suspenso tenere, assumq; limitare non intermittatis. In quo si fidelitates vestræ justis desiderijs nostris & præsentis Senatûs condescendere non velletis, manifestamus nos coram DEo, & Repub. quòd, quidquid inde mali redundaverit, non nobis, sed pertinaci ambitioni adscribetur. Quibus valetudinem bonam &c. &c. A. C. 1698

CXVIII.
CARDINALI BARBARINO, 13 Novembris.

Nuntiat Elbingam à Brandeburgico milite occupatam, ejusq; prætensionem refert

NOvam rem, nec nobis speratam defero tibi *Eminentissime Princeps*, scilicet his diebus Elbingam Civitatem Prussiæ è Principalioribus præcipuam, ab Electore Brandeburgico obsidione cinctam, & occupatā. Non peccabo in sæculi nostri gloriam, & memoriā temporū, si pro informatione & publica Romæ, & privata tua, si pro innocentia veritatis agens nudam apertamq; Elbingensis hujus negotij faciem (reducto sipario) descripsero, altiusque re sumptâ jus Electoris & nostras defensiones, sine passione tibi deduxero. Commune enim illud sæculorum vitium, ignorantia veri, sæpe quemadmodum maximorum Regū facta, ita fata Regnorum, præcipuè alienorum remotis auribus, cum quadam authoritate libertatis deferre consvevit, non prout fiunt, sed prout vulgò fieri existimantur. Ne verò longior sit prologus, quam ipsa Rei gestæ narratio, negotij totius pando seriem per compendium.

Anno Domini sexcentesimo, quinquagesimo septimo, supra millesimum in sextam evolventis se Novembris lucem, delapso, divæ memoriæ Serenissimus Ioannes Casimirus Poloniarum Rex, vario simul Marte, sed præcipuè decumani belli Svetici procellâ eò delatus fuerat, ut post privatos, & ut ajunt, angulares congressus, in quibus perpetuæ possessioni Serenissimi Electoris Brandeburgici Civitas Elbingensis præsentibus magis, quàm valituris promissis addicta primum erat, ex singulari dein senatûs tunc præsentis consilio, intervenientibus magnorum Principum legatis eidem Serenissimo Electori Brandeburgico Friderico Vilhelmo ex certis pactis huic perpetuo Dominio, & juri in Elbingensem civitatem eâdem die renuntianti in Hypothecam concesserit illam, per Commissarios à Repub: deputandos tradendam, donec ipsi summa quadringentorum millium imperialium fuerit persoluta, quam postremo ad trecenta millia imperialium idem Elector reduxerat anno 1660.

Dilapso ergo finibus Poloniæ exercitu Suetico, & Elbingâ ejusdem

A.C.1698 dem præsidio solutâ mittitur Vladislaus Rejus protunc Thesaurarius Curiæ Regni, postea Palatinus Lublinensis cum alijs Commissarijs à Rep: destinatis ad tradendam Serenissimo Electori Elbingam titulo Hypothecæ; circa quod dum variæ oriuntur hinc inde difficultates, & obstacula, supervenit interea temporis festinatis itineribus cursor à Serenissima Maria Ludovica Regina rerum Polonarum, vicinarumq; supra sexum peritissima, insinuans Commissarijs, ut pro ingenio suo, actualem realemq; Elbingæ possessionem, quoquo modo vel titulo alterius pignoris (pro majori partiũ securitate) diverterent. Cùm enim illa Elbingæ cessio ac hypothecatio facta fuisset à Rege & Regina, alijs etiam, quam tabulæ pactorum sonarent, respectibus. ut scilicet Elector & Leopoldum ad Imperij fasces suo suffragio, & Condæum ad sceptrum Polonicum suâ ope juvaret, prout id quidam magnæ notæ illius ævi Senatores scripto posteris tradidêre. Quod subodorati quidã Poloni pro conservandis juribus & limitibus patriæ zelantes se executioni illi innominati contractûs opposuerunt, ut & Regina aliam coacta sit induere mentem, eamq; tali modo Rejo aperire. Satis erat innuisse promptissimo in omnes partes Palatini Lublinensis ingenio, ut Reginalis Majestatis votum optatus eventus (nondum prius consultis Regni totius ordinibus) feliciter sequeretur. In locum enim Elbingæ sub specie pignoris Fraumburgum & Brunsberga Varmiensis Episcopatûs Civitates, à Serenissimi Electoris Brandeburgici præsidio sine mora insidentur. Imminebat post modicum temporis intervallum solenne juramentum Serenissimo Electori Brandeburgico à statibus Ducalis Prussiæ persolvendũ, & traditio absoluti Feudi Prussiæ. Tanti negotij perfectio absolutissimæ prudentiæ, neque minoris experientiæ viris à Repub: commissa est, nimirum Illustrissimo & Reverendissimo Antistiti Stephano Wydzga, nec non Illustrissimo majoris Poloniæ Generali & Regni Procancellario Ioanni Lesczynski, cui singularis intercedebat cum Serenissimo Electore amicæ consvetudinis necessitudo. Nactus opportunam occasionem Præsul Varmiensis vindicandi suum Episcopatum ab externo præsidio, fortiter reluctabatur prius descendere ad perficiendum commissæ Provinciæ tractatum, quàm Electoralibus præsidijs episcopales civitates solverentur.

Post complures, illasque difficiles controversias, maluit Serenissimus Elector præfatas civitates à præsidiario milite suo absolvere, quàm absoluti Feudi (differendo scilicet quæsiti juris executionem) prærogativâ excidere, vel dubiam reddere. Et hac occasione Varmia simul & Elbinga realẽ possessionem & præsidiũ Electorale declinarunt, Hypothecâ Elbingensis civitatis ad ulteriorem Reip: decisionem relictâ. Gravissima enim, quæ continuâ serie Remp. circumstabant, negotia non concedebant tantum intervalli, ut hæc prætensio, & circumstantiæ Hypothecæ ad amussim discuterentur.

Ergo post quadraginta, & quod superest, annorum silentium Serenissimus Elector pertæsus moræ jus lapsum & abolitum vindicaturus aggreditur Elbingam, eo planè modo, quem Elbingenses in sua desuper informatione typis impressa tibi explanâbunt.

Advolat sine mora Elbingensis Secretarius Leopolim, tradit Epistolam & à Cardinali & à Magistratu scriptam Regi è castris reduci. Sensit inprimis Rex doluitque hæc ab amico pectore, tot sibi necessitudinum titulis obligato profecta, in illas angustias incidisse temporis, quo totus penè miles ad fines Podoliæ constitutus Orientem jam respiciebat,

ſpiciebat, non Pruſſiam, procul à tempeſtivis Elbingæ ſuppetijs. Auxêre publici ſensûs acerbitatem tot Electoralis amicitiæ monumenta, noviſſimo in congreſſu in Iansberg. Sereniſſimo Regi noſtro demonſtrata, eo præcipuè vulnere, quòd primæ à coronatione Regia expeditionis gloria novâ hac Elbingæ occupatione interturbari videretur ijs quos præſumpta amicæ viciniæ fiducia à viſceribus Regni tam procul extulerat. Infremuere omnes ad hæc novi belli initia, quòd nimirum ex illa cæli parte fulmen erupiſſet, ex qua certa ſerenitas quotidie ſperabatur. *A.C.* 1698

Nihil tamen in ea rerum procella geſtum præproperè. Intempeſtivis enim remedijs potius accenduntur mala, quàm extingvuntur, & præcipitem feſtinationem celeris plerumque ſequitur pœnitentia. Placuit ergo Sereniſſimo Regi in ea deliberatione mora ſalutaris, nam conſilium Leopoli ſuper ea re inchoatum continuandum Varſaviæ, è publica præſentium Senatorum videbatur ſententia, fortiter aſſerentium, non progreſſurum ulterius Elbingâ Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum, adeoque ſupereſſe aliud remedio ſpatium eliberato Cameneco. Quare Sereniſſimus Auguſtus unâ tantùm laureâ, quam de Scytharum fuſis fugatisque aliquot millibus ad Padhayce per exercitum Polonum reportavit, inſignis, utramque militiam in Patriæ viſcera retulit, ac ipſemet ſolo Elbingæ intuitu Varſaviam properabat, ibique ſenatûs conſilium indixit. Omnia in hac materia occurrentia inſtrumenta exactè adjungo, habebis informationem civitatis Elbingenſis. Literas Electoris ad Regem & Senatores eo nomine ſcriptas, Repræſentationem juris prætenſi; Literas à Cardinali Primate ad Regem, ad extremum literas Regias Senatoribus ſcriptas, convocandò ad conſilium Varſaviam, ad extremum copiam literarum mihi ſcriptarum, unde intelliges Eminentiſſime Princeps, quàm cordi ſit hoc negotium Regi &c.

INFORMATIO CUR SERENISSIMI ELECTORIS BRANdeburgici, militis intromiſſionem, civitas Elbingenſis Anno 1698. evitare non potuerit.

QUandoquidem multi illorum, qui de calamitate alienâ gaudent, amplum ſibi pandunt theatrum, ut variis contra humanitatis, æquitatis, ac veritatis rationem fictis opinionibus malè de civitate Elbingenſi ſentiant, alioſq; ad malè de ea ſentiendum inducant, acſi juramenti Sereniſſimo ac Potentiſſimo Regi Poloniarum præſtiti, fidelitatis, inviolatæq; in ſeram Poſteritatem propagandæ famæ oblita, ſine ullo neceſſitatis dictamine, Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Militem intra mœnia intromittere præſumpſerit: Viſum eſt, pro deductione innocentiæ, ea quæ nuda veritas ac rerum geſtarum ordo dictitat, brevibus exponere, ut ex ijs, omnes quorum intereſt, intelligant, quàm immeritò odio ſcindatur, quàmq; innocenter in diſcrimen honoris vocetur civitas. Nam ſine ſontica cauſa alienum militem intra valla ſuſcipere, quid aliud foret, quàm faſtidio præſentium, ſpes novas meditari? quod de civitate Elbingenſi qui dixerit, neſcio, an effugiet illius Judicis nomen, qui paſſionibus corruptus in causâ fert ſententiam. Sic enim exiſtimandum eſt, Magiſtratum ac cives rei magnitudinem intellexiſſe, anxiâ mente intra intima viſcera juramenti Sanctimoniam volviſſe, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis Poloniarum Domini ſui Clementiſſimi benigniſſimum Sceptrum.

A.C.1698 ptrum pensitâsse, omniaq; illa, quæ humanâ prudentiâ in illo duro, præcipiti, improvisoq; rerum discrimine capere poterat, bene trutinâsse; nisi tandem in extremo necessitatis statu, cùm non amplius cum hominibus, sed cum crudeli ignis elemento, sibi in mediâ pace pugnandum fore videret, fatali temporum imperio, ad tempus cedere coacta fuisset. Hæc cùm ita sint, promittit sibi benigniora judicia civitas, inprimis ab ijs, qui rem non tantùm ab hodierno die metiuntur, sed etiam ea, quæ ante quatuor annorum decades acta sunt, ac necessitatæ intromissioni Brandeburgici militis dedêre occasionem, æquâ animi lance perpenderit.

Est itaq; origo, fons ac scaturigo, fatalis hujus periodi, omnisq; mali illud temporis punctum, quo Serenissimo Electori Brandeburgico Friderico Wilhelmo p. m. mediantibus pactis Bydgostien: die 6tâ Novembris Anno 1657. Civitas in hypothecam concessa est.

Sanè nullum gravius vulnus tunc temporis infligi poterat Civitati nihil tale speranti, quæ æternam ac immortalem connexionem cum totâ Serenissimâ Repub: habere debebat, quamdiu vigeret Reip: spiritus. Nec magis lethale vulnus, violentis manibus sibi ipsi inferre poterat Serenissima Respubl:, ac ita pectus inclytæ Provinciæ aperiendo, per quod ad ipsum cor successivè pateret aditus?

Nihil minus metuebat illô tempore civitas, quàm quòd tali modo à corpore Reipub: deberet avelli, confisa verbis: (ex quibus æternam cum Republ: connexionem sibi spondebat) Privilegij Incorporationis D. Casimiri Regis de Anno 1454. quorum tenor hic est: *Ad honorem Omnipotentis DEI:: præfatorum Prælatorum, Spiritualium & Sæcularium &c. Militarium, civium, & omnium incolarum Terrarũ Prussiæ:: benevolam & spontaneam deditionem, regimen, Tutelam, Gubernationem, subjectionem, Obedientiam accepimus, assumpsimus, tenoreq; præsentium, non per errorem, aut improvidè, sed de certâ nostra scientia ac voluntate, in DEi nomine assumimus & acceptamus, Terrasq; & Dominia prædicta Regno Poloniæ redintegramus, reunimus, invisceramus & incorporamus:: promittentes pro nobis, Hæredibus & Successoribus nostris ac universo Regno Poloniæ, quòd prædictas Terras ac Dominia atq; Prælatos Spirituales & Sæculares, Barones, Militares, Nobiles, Cives, Oppidanos, & cujuscunq; conditionis, status, præeminentiæ homines existant, contra quascunq; adversitates, impugnationes quorumcunq; hominum, illis præstabimus velut fidelibus & subditis nostris, Regalem assistentiam atq; defensam. Nec illos aut Terras prædictas à corpore & integritate Regni nostri Poloniæ alienari, sequestrari, scindi patiemur.* Quæ omnia in reciprocâ sponsione Ordinum Terrarum Prussiæ repetita leguntur.

Ex quibus satis clarè patet, quàm indebitè non tantùm contra Civitatis Elbingensis, (ut quæ cum cæteris Constatibus Terrarum Prussiæ spontaneâ accessione ad Regnum venit) sed maximè contra Jura Terrarum Prussiæ Cardinalia, hypothecario vinculo innodata sit, inprimis cum oppignorationes sunt species alienationis, quia sæpissimè nihil facilius naturam suam mutat, quàm hypotheca. Hinc illa illorum, quæ civitatem Elbingensem afflixit & affligit inclementia. Non tamen vult civitas pluribus movere hoc argumentum toti Reipubl: omnibusq; incorporatis Pro-

vincijs

vincijs notum: hoc solùm fatetur, quòd maluerit ex innato eoq; debito erga Rempubl: Provinciamq; amore; sub hypotheca fortunam suam ad tempus lugere, quàm ut Serenissima Respub: olim de sua desperaret, modò in tempore eliberatio facta fuisset. Quicquid autem sit; fluxit ex hoc hypothecario Jure omnis illa calamitas, cujus ut olim peteretur cassatio; quod etiam factum est, stetit penes civitatem; ut verè cassatio realis obtineretur, unicè in Serenissimæ Reipub: potestate fuit situm. Quod, cùm nescitur, quâ injuriâ temporis neglectum sit, ideò licitum putavit Serenissimus Elector vi aggredi civitatem, cujus hypothecaria possessio denegabatur. A.C.1698

Series autem rerum hæc est. Die 13. Mensis Octobris, cum inter tranquilla pacis tota Provincia, nullam prævideret aut metueret hostilitatem, circa mediam noctem ex oppido Hollandino Miles Brandeburgicus, sub ductu Magnifici Dn. Generalis locum tenentis de Brandt Civitatem versus, tacito, veloci tamen passu properabat, eâ intentione, ut per occultos ausus, circa primum diluculum, portam aliquam occuparet, ac ita in suburbiis ac alibi jam latitanti militi, ad ipsa Civitatis mœnia aperiretur aditus. Etenim circa mediam noctem, à Decurione quodam, militem Brandenburgicum Civitatem versùs tendere, ad Præsidem Civitatis deferebatur: qui sinè ullâ morâ cum Commissario bellico ac præsidiarii militis Præfecto, valla ascendebat & per plures stationes collocato auctoque milite, omne illud agebat, ut secura esset Civitas, ac hostiles insidiæ evitarentur. Interim circa primum diluculum nonnulli Officiales Brandeburgici in civitate pernoctantes, per ministros suos à Præside, non sinè suspicione aliquâ petebant, velit concedere, quò civitatis portæ solitò citiùs aperirentur, ut ita iter suum, cum periculum sit in mora, eò expeditiùs absolvere possint. Quorum cum frustraretur expectatio, vidensq; Illustris Dn. Generalis de Brandt, contra morem pontes pensiles non dimitti, nec portas civitatis aperiri, tympanistam ad exteriora valli demandabat, cum petito, ut sibi concederetur cum Præside & nonnullis è civium numero extra civitatem colloqui. Quod petitum, cùm à Præside coram toto Magistratu expositum esset, expediebatur Secretarius ad Dominum Generalem, ut audiret ac referret ejus desiderium. Cùm ergo modò dictæ intentioni firmiter inhæreret, respondebatur: condescensurum in hoc civitatis Magistratum, ut Dominus Gener. missis in civitatem obsidibus, coram duobus Deputatis è Magistratu & duobus ex communitate, in horto quedam non procul à civitate sito, explicaret animi sui sensus. In quod cum utraque pars concederet, talia in loco destinato coram Deputatis proponebat: habere se à Serenissimo Electore in mandatis, ut civitatis Elbingensis tanquam hypothecæ à quadraginta jam annis debitæ caperet possessionem, eamq; milite suo muniret, tamdiu, donec à Serenissima Republica totalis summæ facta fuerit exsolutio. Equidem petijsse Serenissimum Electorem sæpius satisfactionem, sed in hunc usque diem nihil obtinere potuisse; si civitas justissimæ huic expostulationi sinè mora daret locum, nihil æquè curaturum Serenissimum Electorem, quàm ut circa privilegia, jura & immunitates salva conservaretur, sin minus fore, ut cum validiori exercitu aliisq; instrumentis bellicis, ex Pillaviâ ac aliunde transportandis, possessio extorquenda veniret. Ad quæ, habito in Magistratu consilio, ab ijsdem Deputatis respondebatur: non posse civitatem in tam gravi materia quidquam decernere; postponendas esse hujusmodi sollicitationes Juramento fidelitatis non ita pridem Serenissimo Regi Poloniarum præstito, adeoque sine consensu ejus frustra peti hypothecariam possessionem; unicum civi-

A.C.1698 civitatis in obtinenda dilatione esse remedium, quàm Dn. Generalis concedere haud gravaretur, usque dum, tam ad Serenissimum Regem pro eliberatione, aut aliâ medela, quam ad Serenissimum Electorem pro avertenda hostilitate expeditæ, ac iterum receptæ essent literæ. Non enim sperare civitatem, se à Serenissimo Electore mediis violentis ad id addactum iri, quòd contra conscientiæ, fidelitatisque militaret rationem. Ad hæc regerebat Dn. Generalis: non esse in potestate suâ ullas concedere dilationes, esse sibi satisfaciendum voluntati Serenissimi Electoris, executione militari, frustra obtendi conscientiæ læsionem ac perjurij metum, quandoquidem novô juramenti vinculô civitas non deberet stringi, cum Serenissimus Elector non directam sed hypothecariam solùm intenderet possessionem. Equidem se velle ad triduum cum milite suo revertere versùs Hollandinum, interea autem nihilominus curaturum, ut omne illud perficiatur, quod ad hostiliter aggrediendam urbem foret necessarium, ne de denegata hypothecæ occupatione ampliùs glorietur obstinata contumacia. Interea in ea nocte ad Serenissimum Regem Poloniarum, ac Serenissimum Electorem Brandeburgicum cum literis mittebantur Secretarij; alter ut justissimas de intentione Serenissimi Electoris moveret querelas, exoraretque protectionem; alter ut hostilia deprecaretur, donec à Serenissimo Rege Poloniarum obtineret civitas clementissimā declarationem.

Interim augebatur quantum fieri poterat, numero miles præsidiarius, famulique opificum ad capienda arma promisso stipendio cogebantur, ac publicis mandatis in civitatem vocabantur servi rusticorum, exploratores emittebantur, aliaq; omnia, quæ temporis ac statûs tum præsentis conditio efflagitabat, perficiebantur.

Hoc dum agitur pluribus, Berolinô redux Secretarius, referebat Serenissimi Electoris de habenda possessione civitatis immutabilem nullisq; precibus aut rationibus flectendam voluntatem, tradebanturq; civitati à Serenissimo Electore Brandeburgico literæ, quibus hypothecaria possessio non sinè gravi comminatione & variorum periculorum ruinæq; denuntiatione, expostulabatur, cum adjuncta coram DEô ac toto orbe contestatione, Serenissimum Electorem, si in casum resistentiæ, tristia ac atrocia quævis subiret civitas, quibus & cor Electorale afficeretur, non fore inculpandum.

Die 31. Octobris cum copiosiore perq; suburbia sparsô milite, iterùm civitas cingebatur ac hostilia quævis pro cogendâ eâ parabantur. Ideò conveniebatur per Deputatos ex utroq; ordine D. Generalis de Brandt, cum petito, ut militem suum extra territorij Elbingensis fines educeret, quandoquidem nec à Serenissimo Rege Poloniarum D. suo clementissimo nec ad reiteratas ad Serenissimum Electorem literas, tulisset responsum civitas, sin secus vim vi repulsum iri. Regerebat ad hæc D. Generalis: sibi severis mandatis à Serenissimo Electore iterùm injunctum, quandoquidem primâ vice, spe potiundæ urbis excidisset, ut nunc manu armatâ, ac cum ruina, civitatem impeteret, intromissionemq; urgeret, nec enim amplius Serenissimum Electorem hypothecâ suâ cadere velle, aut posse.

Die 3. Novembris, tempore matutino, convocabantur in prætorium seniores tribuum ac contuberniorum jurati, quos communicatis priùs Serenissimi Electoris Brandeburgici literis illis comminatoriis, nomine magistratus fidelitatis ac juramenti, Sacræ Regiæ Majestati Poloniarum non ita pridem præstiti admonebat præses civitatis, insimulque urgebat, obfirmarent erga hostilia quævis animos, hac certa spe freti, adfuturum opportuno tempore, succursum. Nuntiarent hæc confratribus suis,

ſuis, ac poſt meridiem circa horam ſecundam coram magiſtratu, quid qu= *A.C.* 1698
vis eorum declaraſſet, referrent. Itaq; circa horam determinatam, reverſi; nomine ſuorum confratrum plurimi unô nunciabant ore; paratos ſe eſſe extrema ſuſtinere, modò de concepta ſpe mox adventuri ſuccursûs, non exciderent. Interim cùm circa noctem prædicti diei, miles Brandeburgicus foſſam tranſire, nec non die 4. Novemb, circa meridiem, alteram fluminis Elbingæ ripam, occupare intenderet, exploſis tormentis bombardiſq; repulſus eſt.

Fruſtra itaque repetitâ pro dilatione obtinendâ inſtantiâ, remonſtrabatur D. Generali, unicum ac firmum civitatis eſſe refugium in legitima ſui defenſione, adhibituramq; civitatem ea remedia, quibus pari violentiâ, vi intentatæ occurreretur; minùs æquas eſſe cum ruina civitatis, denuntiatas minas, eaſq; ſine juris gentium læſione ſineq; præcedente monitione & manifeſtatione bellica, ſtante inter Seren: Remp: ac Sereniſſimum Electorem amicitiâ, confœderationeq;, in effectum deduci non poſſe; Æquiſſimas econtra eſſe civitatis petitiones pro impetranda dilatione, cum ſine S. R. Mtis conſenſu, contra juramenti ſacramentum, fruſtra peteretur, quod petitur, neq; exinde ullo modo Sereniſſimi Electoris prætenſioni, quidquam derogari. Iterùm ad hæc D. Generalis: non amplius eſſe in ſua poteſtate, vel latum ungvem diſcedere à præſcripto mandato, multò minùs cunctandum ſibi eſſe, donec literæ Regiæ receptæ eſſent, condeſcenſurum equidem adhuc in dilationem, uſq; 6tam Novembris, attamen cum præcuſtoditione, ſe ſpatium ulterius non conceſſurum, ſive interea à Sereniſſimo Rege, Poloniarum civitas reciperet literas, ſive non, ſiquidem hæc ad ſe non pertinerent. Quô ſpatio præterlapſo, cùm nondum à Sereniſſimo Rege, civitas accepiſſet literas, nova petebatur dilatio quæ ad 12. Novembris prorogabatur.

Interim ex Pivallia, Colberga, Regiomonto, Memelo, ac aliunde mortaria, tormenta, ollæ igniariæ miſſiles, vulgò bomben, pyrius pulvis, ac aliæ plurimæ machinæ bellicæ, in majori copiâ advehebantur, ſuggeſtuſq; erigebantur, unicè, ut in caſum reſiſtentiæ, tota, aut ſaltem maxima civitatis pars, incendio deleretur, ac durante incendio, à prædæ cupido milite, facto tranſcurſu diriperetur. Dum hæc fiunt, nec à civitate prohiberi poſſent, cùm ob paucitatem militis præſidiarij, excurſiones inire non eſſet ſecurum, ac exploſione tormentorum bombardarumq; ob obſtantia in ſuburbiis ædificia, ægrè erectio ſuggeſtuum, multò minùs exportatio tormentorum è navigijs, impediretur, ſecundùm nutum ac vota, quicquid pro violentâ intromiſſione impetrandâ videbatur neceſſarium, hoſtilis miles erigebat, donec die 9. Novembris, die Dominica, circa devotionem veſpertinam, ante elapſum dilationis terminum, Dn. Generalis, coram Deputatis ad ſe, datis obſidibus, accerſitis, categoricè exponeret: equidem dilationem ad 12. Novembris, civitati ſe conceſſiſſe, verùm à Sereniſſimo Electore, per duos curſores, ſeverioribus exhibitis mandatis, ſub rigore inclementiæ Electoralis admonitum eſſe, ne amplius cunctaretur hoſtili vi, cùm lenitas nihil proficeret, aggredi civitatem. Iterum petitâ ad præfixum terminum uſque, à Deputatis dilatione, reſpondebatur à D. Generali: fruſtra eam deſiderari, ſiquidem capitis periculo, ulterior conceſſa dilatio, redimenda foret, nec amplius vanas de injiciendis in civitatem ignibus, cùm omnia jam forent parata, eſſe minas, immutabilem Sereniſſimi Electoris ſtare voluntatem, incendiô ac ruinâ ſi aliter fieri non poſſet, occupare civitatem, nec amplius credendum eſſe, rem in vanum tractari, ſed, ſi verba hæc

ſui

A.C.1698 sua abluderent à vero, aut cum mente sua non convenirent, ejurare se, non tantùm sanctum Christiani nomem, sed etiam (horrendum dictu) beatificâ in Regno gloriæ, visione DEI, in æternum fore privandum. Itaq; non sine summa difficultate, inprimis cùm omnia ad expugnandam urbem parata essent, (siquidem quadraginta & octo tormenta bellica, quorum ultra viginti erant majorum tormentorum quadrantes, & duodecim magna mortaria, inter quæ duo, ducentorum & viginti pondo reperiebantur, civitatem versùs, pro injiciendo igne, directa, ac aliquot millia saccorum arenâ repletorum, virgultorumq; fascium ultra sedecim millia; fossis transeundis, disposita erant, aliquotq; centum globi in fornacibus jam candebant, milesq; ad adoriendam civitatem instructus, in procinctu stabat) obtentâ in crastinum diem, nempe 10. Novembris, ultimâ dilatione; circa septimam matutinam nomine magistratus, omnium civium in vallis consistentium per Secretarios, ratione defendendæ urbis, explorabantur animi; à quibus unanimi ferè voce ac lingvâ responsum conclusumq; est: Quandoquidem de obtinendo succursu omnis evanesceret spes, ac frustra præsumeretur victoriæ eventus, satiùs videri, Serenissimo ac Potentissimo Regi Poloniarum D. Domino nostro clementissimo, Serenissimæ Reipublicæ, ac toti Provinciæ, mediantibus articulis, sartam salvamque servare civitatem, quàm in ruderibus per longam annorum seriem, tristia dolere fata.

Quomodo in maximis hisce periculis, ac gravissimo acerbissimoque casu, cùm templa ac tecta quilibet civis non amplius Patriam suam, sed prædam flammarum futura prævideret, aliter consulendum erat? quodnam solatium ex direptione, vastatione, cineribusque sperandum erat? nonne in omnibus ferè gentibus vox ista naturæ personuit, ut malint ad tempus furori cedere, quàm bellicâ omnifariâ vastatione deleri? magnum sanè est, fuit, ac semper erit, extrema necessitas cuivis indefenso patrocinium. At verò indefensam fuisse in fatali illo termino, civitatem Elbingensem, norunt omnes, viderunt vicini. Etenim primum civitatis, post ter Max. DEUM, tanquam ad anchoram Sacram, perfugium erat, ad Serenissimum ac Potentissimum Regem Poloniarum Dn. suum clementissimum, in cujus Potentissimo brachio, omnis spes, omnisq; salus collocabatur. Nec desperandum fuisset de Paterna fortique protectione, modò Serenissimo Regi in expeditione bellica adversus Turcas, in confiniis Serenissimæ Reipublicæ commoranti, citiùs tradi potuissent civitatis literæ. Deinde ad Celsissimum ac Eminentissimum Dn. Cardinalem ac Primatem Regni, ac plurimos Illustrissimos ac Excellentissimos Dn. Senatores expediebantur literæ, quibus tristissima civitatis sors, cùm annexo petito, de maturando auxilio ac consilio, pluribus exponebatur. Mox per Secretarium in congressu Graudentinensi extraordinario, sibi soli relicta ac indefensa, expetebat succursum civitas, cum observantissimâ demonstratione, ni festinaret in auxilium inclyta Provincia obsessis, eventurum, extremâ necessitate sic jubente, ut dum deliberatur Romæ, capiatur Saguntus. Verùm residebat in illo Conventù, omnis in eo deliberatio, non posse ab inclyta Provincia quidquam decerni, quamdiu super hac materia, à Sacra Regia Majestate Provincia non tulisset responsum, defenderet interea se ipsam, etiam ad ruinam usque civitas. Maximum etiam solatium obsessis accedere potuisset, ex unius saltem Dn. Senatoris in civitate præsentia, qui desperatis rebus proposuisset vel auxilium vel consilium. Requisitæ quoque sunt in vicinia, ex jure vicinitatis ac amicitiæ, suppetiæ, sed nullæ obtineri potuerunt, ex qua causa aut ratione, non tam civitati Elbingensi quàm aliis consta-

constabit, ut adeo obsidionis tempore, civitas, velut naufraga, huc & illud expansis manibus, auxilium imploraverit, sed nullum obtinuerit. *A.C.* 1698

Quin etiam sufficiente Præsidiario milite, ac cive, illo impetitionis tempore, cum de fago, sub pacis clypeo, nullus totius inclytæ Provinciæ, incola cogitaret, civitatem caruisse, quilibet fatebitur, cui vallorum linearumque, circa utramq; civitatem earumq; suburbia, extensiones notæ sunt, insimulque calculum de pauco tunc temporis in civitate existente, cive ac milite per stationes hinc inde collocandis, formaverit. Imprimis siquis consideret multitudinem viduarum, quæ vel operarios, vel famulos, vel servos homines ad sustinendum impetum hostilem indomitos, militiæque rudes in excubias mittebant. Vel etiam attendat ad Suburbiorum incolas, vilioris fortunæ plebem, ac hoc anno hîc, alio alibi pro acquirendo victu, domicilium figentem, quæ nec hostilia audere, nec sustinere valebat. Licet verò paucus exercitus, civis cum milite præsidiario, omnes intenderit pro defensione vires, multi tamen illorum in vallis ac stationibus suis, continuas (nec enim ob defectum, qui vices eorum subirent, domum dimitti poterant) inter imbres ac nives, per quatuor usque septimanas, sub dio agentes excubias, variis affecti morbis lecto affigebantur. Unde factum, quòd calamitosa civitas ferè de die in diem in præsidio, quod tamen per omnes horas ac momenta, augendum erat, minueretur, quodque nullæ contra hostem tentari potuerint excursiones, imò tandem bene defatigati ac enervati cives ac milites, ad defendendum redderentur inhabiles. Accedebat gelida tempestas, quæ tempore obsidionis fossas adeo densa glacie stringebat, ut ferè miles tutò per eam transire potuerit. Decidant rebus sic stantibus, pro civitate jura militaria, omnesq; illi, qui de jure ac officiis bellicis scripsere volumina. Decidunt autem sic: ***Præfectum arcis fortè male munitæ, omni ope humanâ & subsidio destitutum, quique vim hostium ferre non potest, posse pacto vel quocunq; modo, sibi & præsidio consulere, præsertim cum omnibus ne quicquam tentatis, arcem æquè in potestatem hostium venturam fuisse, constet, non enim est expectandum id, cujus eventus nihil operari potest. Quacunq; itaq; ratione omnino saluti Reipubl: & Patriæ consulendum erit sivè deditione, sivè morte, si opus sit. Vir enim fortis nihil suâ, omnia pro communi utilitate facere debet. Quare non tenebitur arcis Præfectus, se præsidiumq; indubitatæ morti objicere, quâ non tam Rempublicam servat, quàm prodit.***

An autem Serenissimus Elector Brandeburgicus habuerit justam hypothecariam possessionem, expostulandi causam, an secus? an modus expostulationis fuerit justus nec ne? an quod justum esse videbatur in termino, justum etiam manserit in executione? non putat ad judicium suum pertinere civitas, judicabunt de hoc illi, quorum conscientiis etiam ea nota sunt, quæ ante quadraginta annos inter Serenissimam Rempubl: ac Serenissimum Electorem Fridericum Wilhelmum p. m. mediantibus pactis Bydgostiensibus gesta sunt. De hoc saltem dolet afflicta civitas, quòd olim contra privilegium incorporationis, contraque terrarum Prussiæ Cardinalia jura, sinè ullo suo consensu aut culpâ, in hypothecam data ac etiam tradita sit. Unde fluere solent Rerumpubl: Provinciarumque periculosæ exossationes, ac ex his, acuti fatalesque paroxysmi. Dolet etiam, quòd contra socialis naturæ rationem, cum sui jactura, toti corpori consulere debuerit, quia secundùm societatis civilis leges, justius habetur, cum omnium impensa redimere malum, quod olim omnes affligebat. Imò dolet, quòd cum nihil magis naturali rationi congruere videatur, quàm eos, qui in unum corpus coëunt (prouti civitas per spontaneam accessionem ad

*A.C.*1698 Rempubl: pervenit) perpetuam ac immortalem societatem contrahere, ac ita uno eodemque spiritu regi velle, nec sine consensu suo, alterius regimini subjici posse, nihilominus in hypothecam concessa sit.

Fecit equidem civitas pro eliberatione, humillimas instantias sæpius, ac per plurimos annos, ibi, ubi è re & tempore fuit, videlicet in conventibus terrarum Prussiæ Generalibus, in comitiis regni, circa actus homagiorum, sed vel temporum injuriâ, vel alijs ex rationibus haud exaudita est.

An ergo civitas Elbingensis, sine suo consensu ac culpâ in hypothecā potuerit Serenissimo Electori dari, ardua quæstio est? vix tamen ventilanda, quia facta infecta fieri nequeunt. An etiam civitas cum consensu Reipubl. in hypothecam primùm data, postea etiam ab eadem tradita, violento modo in hypothecam petitæ intromissioni, debuerit cum ruinâ suâ resistere, cum viribus ad resistendum longè fuerit impar, æquè arduum problema est, pro cujus deductione artificiosam quandam decisionem ac defensionem meditari, vix opus est, cum constet ex superioribus, civitatem necessitatem illam, intromissionem militis Brandeburgici, nec evitare, nec superare potuisse.

Hoc tamen probè pensitavit civitas, & æquissimo omnium judicio trutinandum submittit; an non (1) si vanis viribus, ad ruinam usque vi hostili restitisset, ex hâc ruinâ, futuro tempore, infinitæ inter Serenissimam Rempublicam ac Serenissimum Electorem pullulassent difficultates, ac ex his, reciproco calculo, immortales querelæ prætensionesve? an non (2) verendum fuerit, ne hac ratione, mutatá hypothecæ naturâ, civitas non amplius jure hypothecario, sed jure armorum, cum maximo libertatis atque privilegiorum suorum detrimento à Serenissimo Electore, venisset possidenda? an non (3) si in summam calamitatem redacta fuisset innocens civitas, utpote quæ in cineribus ac ruderibus post breves horas, se ipsam quæsivisset, non autem invenisset, nihilominus (ad resistendum haud sufficiens) ulcerosa licet ac cadaverosa, in manus victoris incidisset? imò, quid reliquum mansisset civitati, omnibusq; ejus incolis nisi longa calamitas? quid Seren: Regi Dn. suo clementissimo Serenissimæq; Reipublicæ, quàm cadaver civitatis?

Quamobrem, cùm ex his brevissimè adductis, liquidò constet, civitatem nec viribus suis haud sufficientibus, ac undique accisis, tempore impetitionis niti, nec etiam de auxilio aut consilio externo, aliquam concipere spem potuisse, ideo non desperat de æquissimo apud bonos omnes judicio, multò minus perfidiæ aut proditionis, de jure inculpanda erit. Interea humillimis ardentibusq; precibus summo numini supplicat, ut tandem aliquando ab onere hypothecæ enodata pristino statui restituatur, quo sub Potentissimo ac clementissimo Sacræ Regiæ Majestatis Poloniarum Dn. sui Clementissimi Sceptro, Serenissimæq; Reipubl: Aquila in seram usque posteritatem felix ac salva perduret.

LITERÆ SEREN: ELECTORIS BRANDEBURGICI Ad Serenis: Regem Poloniæ,

Serenissime & Potentissime Rex Domine Cognate, & Frater Colendissime.

NOn potest latere Regiam Majestatem Vestram, quibus olim conditionibus coaluerint sacri & æterni fœderis pacta, Velaviæ atq; Bydgostiæ, Seren: Poloniæ Regnū inter & nos confecta,

nec

nec ita pridè à R. M. V. more solito renovata, ac confirmata, quas inter præcipua est, ut pro præstita fideli opera, & sociatis armis, quibus inclyta Resp: ab interitu vindicata, ac in pristinum statum, & libertatem restituta, Urbs Elbinga nobis traderetur. Quadraginta & quod excurrit annis longum patientiæ documentum dedimus, exspectantes, ut justissima ista adimpleretur conditio. Sed cùm post tot inanes preces ac sollicitationes, ne spes quidem nobis reliqua esset, traditionem istã sponte, & ex præscripto pactorum subsecuturam, facimus tandem, quod optimo nobis dudum licuit jure; & quæ nobis hactenus indebitè negata fuit possessio istius urbis, quamvis justissimè, & ex fide jurata debita, eam ipsi citra animũ hostile, imò etiã citra vim, si fieri potest, apprehendere conabimur. Sed ne Regiam M. V. tot ac tantis gravioribus intentam rebus, longâ juris ac facti enarratione distineamus, rogatam eandem volumus, ut quo jure, quâve justitiâ urbis dictæ possessionem arripere statuerimus, & quæ sit mens, atq; intentio nostra, ex scripto literis hisce adjecto, perspicere sustineat; De cujus veritate, ut liquidiùs constet, non veremur paucis hic repetere, quæ de mente ac destinatione nostra ibi habentur, & coram R. M. V. sanctè testari; nos fœdus istud æternum nuper renovatum, quod cum R. M. V. & inclyta Rep: nobis intercedit, inviolabiliter servaturos, & ex eodem præstanda præstituros; Privilegia & jura urbis Elbingensis ex præscripto pactorum religiosiùs conservaturos, ne ex eadem urbe, quamdiu præsidio nostro insidebitur, quies ac securitas Reipub: inprimis vicinorum turbetur, aut vel minimum ijsdem periculum etiam ab hoste externo inde creetur, summâ ope curaturos; nec aliò denique titulo urbem nos possessuros, nisi pignoratitio, aut hypothecario, & cùm nobis de eo, quod justè debetur, satisfactũ fuerit, statim & absq; ulla mora urbẽ R. M. Vestræ, atq; inclytæ Reip: juxta pactũ conventũ nos restituturos. De cætero precamur DEum, ut R. M. V. omni felicitatis incremento quàm diutissimè servet incolumem, ac florentẽ. Dabantur ex Arce nostra Coloniæ ad Spream die 17 Octob. Anno 1698. A. C. 1698

Proem: Proem. Frid: Elector.

LITERÆ EJUSDEM AD EMINENTISSIMUM &c. Cardinalem Primatem, ut & singulos Reverendissimos, & Illustriss: Senatores Regni Poloniæ & M. D. Litvaniæ.

EOdem anno, quo in lucem editi sumus æternum etiam fœdus istud, quod cum Serenissima Rep: indissolubili nos conjungit vinculo Velaviæ ac Bydgostiæ confectum est; ita dispensante rem tanti momenti, Divinâ providentiâ, ut non priùs diei, quo vitæ usurã accepimus, quàm fœderis istius, & eorum, quæ ex eo utrinq; debentur, memoriam deponere queamus. Et quidem, quantâ curâ ac sollicitudine tum D. Parens noster, tum nosmetipsi fœderis istius le-

A.C.1698 ges, quæ quidem ad nos spectant, expleverimus, quodnam juuandæ Reipub: fuerit studiũ, pro salute ac conservatione ejusdem opera ac fides intemerata, nemo rerum gnarus gestarum ignorare potest. Nec & inclyta Respub; aliud à se desiderari passa est, nisi quod præcipuã fœderis conditionem, qua urbs Elbinga nobis debetur, ac tradi debebat, hactenus quo maligno nescimus fato, inexpletam reliquerit. Non potest latere Dilectionem Vestram (Illustrissimã ac Rndmam Dominationem Vestram, vel Illustrissimam Dominationem Vestram) tum clarissima circa eandem urbem pactorum dispositio, tũ frustrata per quadraginta, & quod excurrit, annos, D. Parentis expectatio, & nostra patientia, aut si forte quid eâ de re gestum sit, memoriâ exciderit, subjectum literis hisce scriptum, quod fide actorum publicâ nititur, eandem id luce meridianâ clariùs docebit. Sed cùm ne quidem spes nobis relicta esset, urbem sponte & ex præscripto pactorum traditum iri, fecimus tandem quamvis inviti ac reluctantes, quod jura Divina ac humana non tantùm permittunt, sed & jubent. Ut nimirũ possessionẽ urbis ex æterno ac jurato fœdere nobis debitã sed tanto temporis spatio negatã, ac frustra petitam, ipsimet utendo jure nostro, apprehenderemus. Quid superest? quàm ut pietatẽ, fidem ac æquitatem Dil. V. (Illustr. ac Rend. Dominationis V. vel Illustrissimæ Dn. Vestræ) appellemus, quibus freti non dubitamus, quin ipsamet factũ sit approbatura, quo Seren. Rex ac inclyta Resp. à dedecore fidei non præstitæ, ac æterni & jurati fœderis violati liberantur. Quod quidem eò libentius Dil. Vestrã (&c. &c.) facturã speramus, quo certius de mente ac intentione nostra edocta fuerit, quæ nimirum hæc est: quòd æternum istud cum inclyta Rep. pactum, fœdus, sanctè ac inviolabiliter servare, quæ nobis ex eodem præstanda incumbunt, religiosè præstare, privilegia ac Iura urbis Elbingensis integra conservare, securitati optimæ Reip. quamdiu urbs in nostra potestate erit ex eadem prospicere, nec alio eandem possidere titulo, aut jure velimus, quàm hypothecario aut pignoratitio, ex quo consequitur, ut si de eo, quòd justè nobis debetur, satisfactum nobis fuerit. Urbs illa statim, & sine mora ex lege conventa restitui debeat; quòd & sanctè spondemus. Qui de cætero Dil. Vestræ (&c. &c.) prosperrima quævis ex animo apprecamur. Dabantur ex arce nostra Coloniæ ad Spreã die 17 Octob. 1698.

LITERÆ CARDINALIS PRIMATIS AD REGEM.

Dum iteratò Regia civitas Elbingensis calamitatem suam per hasce, quas Majestati V. transmitto, defert, detegere & ego pro gradu meo externum hoc ac insperatum cogor vulnus, vix credendo Serenissimi Electoris Brandeburgici ausu Reip. inflictum. Ausum voco, cum sub tribus Regibus, tot Interregnis nec proposita quidem, nedum violentioribus tentata prætensio Seren. El. pactis Bydgostiensibus, seu Velaviensibus eidem assecurata, sub potenti manu Majestatis V. sub tempus externi cum Christiani nominis hoste,

belli

belli hostiliter attentarur. Non defuerunt, nec desunt Reip. ijsdem pactis cautæ prætensiones, ad Seren. El. tot missionibus, tot literis Seren. olim Majest. V. Prædecessoribus sollicitatæ, deprecatæ semper à Seren. El. fœderati contra Gallos belli occupatione, & eò humanius à Repub. dissimulatæ. Tractatum aliquoties fuerat, me ipso operante inter Seren. Ioan. III & Seren. Divæ memoriæ El. de privata circa idem debitum conventione; absfuit ad conclusionem non moritura Reip. de non subministrato ex pactis milite, prætensio. Cum autem tā amicè à Rep. culta cum Seren. El. bello licet implicato amicitia eò magis perstringit præcordia, tam intempestiva ac inhumana prætensionum extorsio. Cùm autem debitum hoc sit Reip. civitas verò Elbing. directi Majest. V. ac Regū Poloniæ dominij, utriq; authoritati vim à Seren. Elect. inferri quis dubitet? eò proinde fiducialius ad Majest. V. recurro, ut valido authoritatis suæ auxilio, cicatricem hanc si non sanare, obvolvere tamen ad tempus dignetur. Hisce & alijs, quæ nos undiq; circumdant, malis nullum præsentius remedium, quàm comitia generalia tantoperè ab universa Rep. desiderata, pro quàm promptiori indictione Majestatem Vestram nomine publico supplex exoro. A.C. 1698

Non moretur tam necessariam determinationem inchoati cum Porta Ottomannica tractatûs eventus; pacéne vel bello concludatur, tempestivè Reipub. constabit, & in utramq; aleam opportunè à comitijs providebatur. Statuū insuper inter se confidentia, Majestatis cum libertate consonantia, jurium restauratio, exolutio stipendiorum, procurabuntur. Hæc dum pro illibata fide mea Majestati Vestræ insinuo humillimâ inclinor veneratione. Dabantur Radziejouiis die 26. Octobris Anno 1698.

REPRÆSENTATIO JURIS PRÆTENSI, QUO FAS ESSE sibi credidit Serenissimus Elector Brandeburg. possessionem Elbingæ apprehendere titulo hypothecæ, ab eodem typis vulgata.

JUdicaturus justè, an secus faciat Serenissimus Elector Brandeburgicus, quòd Elbingam occupandam statuerit, ante omnia nosse debet fundamentum totius rei, quo nixa sua Serenitas Electoralis fas sibi esse judicat, possessionem pignoris, per fidem jurato datam à Serenissimo Rege atque inclyta Repub: Polonorum, in urbe Elbingensi constituti, tandem apprehendere. Hoc continetur in pactis, seu æterno fœdere, quod inter Serenissimum Regem Joannem Casimirum p. m. & inclytam Rempub. Poloniæ ab una, & Serenissimum Electorem Brandeburgicum Fridericum Wilhelmum p. m. ab altera parte, Velaviæ, die 19. Septembr. Anno 1657 conclusum deinceps verò Bydgostiæ, die 6. Novembr. ejusdem anni, addita super certis ad Serenissimum Regem ac Rempubl: remissis articulis conventione ratihabitum.

Cujus æterni fœderis ipsissima verba quæ quidem ad rem faciunt, huc transscribere operæ pretium erit:

IN NOMINE PATRIS & FILII & SPIRITUS SANCTI, UNICI VERIQUE DEI, AMEN.

NOtum sit omnibus, quod cum superioribus annis, eô ipsô tempore, quo Serenissimus ac potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus Joannes Casimirus, Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, &c. Inclytumque Poloniæ Regnum, & magnus Ducatus Livaniæ, Moscoviticô bellô, Cosaticisque implicarentur turbis, Sveci infestis pariter armis eandem peterent Poloniam, tandemque in Prussiam Regiam ac Ducalem *Ingressus.*

A.C. 1698 irrumperent, ita ut ipse Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus Wilhelmus, Marchio Brandenburgensis, Sacri Romani Imperij Archi-Camerarius & Princeps Elector &c. &c. Ejusque ditiones ac subditi infestis Svecorum armis ac hostilitatibus, convocatis undequaque contra ipsum Sveticis copijs ita peteretur & urgetur, ut cum ipsis ad pacta quædam, premente necessitate fuerit adactus, indeq; hostilia quædam inter Serenissimum Poloniæ Regem & Serenissimum Electorem Brandenburgicum insequuta patrataque fuerint; tandem per singularem DEI gratiam, clementiamque, interveniente, & mutuam concordiam, Serenissimô ac Potentissimô Principe ac Domino, Domino Leopoldo, Hungariæ, Bohemiæ, &c. &c. Rege, Archi-Duce Austriæ. &c. &c. per ipsius consiliarium cameræ aulicæ, & ad hosce tractatus Ablegatum, tit. Dominum Franciscum de Lisola &c. &c. conciliante, tam S. R. Mtis quàm Sræ Serenitatis Electoralis Plenipotentiarij; ex parte quidem S. R. Mtis Poloniæ Tit: Dn. Wenceslaus, comes in Leszno Lesczinsky Episcopus Varmiensis, & Dn. Vincentius Corvinus Gosziewski, Supremus Thesaurarius, & Campi-Marschalcus M. D. Litvaniæ, &c. &c. Ex parte verò Sacræ Serenitatis Electoralis tit: Dn. Otto L. B. à Schwerin, Hæreditarius Electoratus Brandenburgensis Camerarius, Serenissimi Electoris Brandenburgensis Consiliarius Status intimus &c. &c. Et Dn. Laurentius Christophorus à Somnitz, hæreditarius Camerarius in Ducatu Pomeraniæ, ejusdem Serenissimi Electoris Consiliarius status intimus &c, &c. necessarijs ad hoc instructi mandatis, perpetuam pacem, concordiam atque amicitiam, inter prædictum Serenissimum ac Potentissimum Regem magnumque Litvaniæ Ducem; ejusque successores & Regnum Poloniæ, magnumq; Litvaniæ Ducatum: tum Serenissimum Electorem Brandenburgicum, in Prussiâ Ducem, ejusque successores, his, quæ sequuntur conditionibus, pacti sint, instaurarint atque concluserint.

Articulus I PRædicta pax quemadmodum, in perpetuum fida & sincera erit; Ita hôc ipsô momentô, omnis inter utramq; partem, utriusque partis copias, milites, subditosq; hostilitas cessabit; Neutra pars in alterius damnum quicquam tentabit, aut tentari patietur, sed alterius gloriam, utilitatem & securitatem modis omnibus promovere studebit. Quicquid verò durantibus hisce bellis, uni vel alteri parti, tam in Regno Poloniæ, quàm in Prussiâ Ducali, aut singulis illorum incolis, ab una vel altera parte damnorum, injuriarum, molestiarúmve, sive per vim & expeditiones militares, sive per exactiones, ablationes, aut alios modos, illatum fuerit, illud omne, utpote perpetuâ oblivione sepultum, nunquam exsuscitabitur, nec eo nomine, tam S. R. Mtas regnumq; Poloniæ, aut Provincia aliqua eidem unita, aut subditorum quisquam, cujusq; gradus aut conditionis fuerint; quàm Serenitas Sacra Electoralis, Ejusque subditi, milites ac Ministri, poterunt se invicem, aut singulorum hæredes, vel terras, ditiones, belli Duces, milites, subditos convenire, compellare, aut quicquam ab ijs petere aut postulare, multò minus vi extorquere, sed ista omnia utrinq; abolita erunt, ac deinceps alter alterius commodum promovebit, damna autem mutuò avertet, &c. &c.

Articul9 II UTraq; pars in modernis hisce bellorum tempestatibus sedulò communi saluti & defensioni intenta erit, contra quoscunq; illius perturbatores, paciq; & mutuæ securitati stabiliendæ, pellendisque è Regno Poloniæ, Magno Ducatu Litvaniæ & Ducatu Prussiæ hostibus, unitis consilijs, viribus ac conatibus incumbet, non obstante quovis alio nexu ac conventione, quæ huic æquissimæ intentioni, & reciprocæ obliga-

ligationi obstare posse viderentur, vigore autem hujus pacti pro rescissis habentur. A.C.1658

Serenissimus Elector omnia, quæ per universum Poloniæ Regnum magnumque Ducatum Litvaniæ & Episcopatum Varmiensem per hoc bellum, aut per tractatus Svecicos quocunq; titulo occupavit, ac ipso facto possidet, statim atque hæc conventio à S. R. Mte & Senatoribus, ac præcipuis Regni aulæque Officialibus eidem assidentibus ratihabita fuerit, restituet plenariè & absq; ulla reservatione; evacuatio locorum fiet per commissarios utriusque partis communi consilio, juxtam solitam belli rationem, absque injuria aut molestiâ ullâ incolarum, & sine demolitione fortalitiorum novorũ & antiquorum, nisi id ex communi partium consensu quibusdam in locis expedire videatur, & sine ablatione rei tormentariæ ad Episcopatum spectantis. Artic. III

Quorum intuitu, & aliorum præsertim infra specificatorum, & alijs justis de causis, Ducatum Prussiæ, ijs finibus circumscriptum, quibus Seren: Elect. illum olim jure feudali, ante hoc bellum exortum possidebat, ipse deinceps, & descendentes ejusdem masculi, ex thorô ejus legitime procreati, indeque descendentes omnes, donec quispiam supererit ex descendentibus masculis Stæ Seren: Elect. jure supremi Dominii, cum summâ atq; absolutâ potestate sibi habebunt, possidebunt, regentque omnibus antehâc præstitis oneribus. Articul. IV

Loco Vasallagij pristini, Serenissimus Elector ejusque descendentes perpetuo ac inviolabili fœdere Serenissimo Regi ac Regno Poloniæ conjungentur, per quod utriusque partis stabiliatur in perpetuum securitas, in eum, qui sequitur, modum. Articul. V

Serenissimus Elector, ejusq; descendentes sidam cum Seren: Regibus, Regnoq; Poloniæ, & magno Ducatu Litvaniæ colent amicitiam & unionem, nunquam cum Seren. Regum vel Regni hostibus aliquod fœdus directè vel indirectè inibunt in præjudicium Regis & Reip. Transitum hostibus per ditiones suas, portus & propugnacula, annonam quoq; & commeatum, ac qualecunq; subsidij genus, ipsis denegabunt: nec portus suos vel munitiones ipsis quocunq; modo vel titulô in possessionem tradent. Articul. VI

Subsidia, quæ in hoc præsenti bello Seren. sua Elect. Serenissimo Regi ac Reipub. Poloniæ conferre tenebitur, illa in particulari tractatu, hac de re inito, specificè designata sunt ac limitata, quæ conventio vigore præsentis pacti per omnia servanda erit. Quoties autem finito hoc bello, novum aliquod aliud bellum contra Seren. Regem ac Rempub. Poloniæ orietur, sua Seren. Electoralis ejusque descendentes tenebuntur mille quingentos pedites, & quingentos equites Seren. Regi ac Regno Poloniæ subministrare, quibus, postquam ex Ducatu Prussiæ Ducalis educti fuerint, Rex Regnumq; Poloniæ sustentationem subministrabunt. Artic. VII

Vicissim verò Serenissimus Rex, ejusque Successores & Regnum Poloniæ ac magnus Ducatus Litvaniæ reciprocam cum Serenitate sua Electorali ejusq; successoribus servabunt amicitiam, nullum hostibus ipsius aditum in Sacræ Seren. Elect. terras concedere, sed potius defensioni, conservationi ac securitati Ducatus Prussiæ omnibus modis consulere debebunt, præsertim si hujus conventionis vel subsidij missi causa (de quo suprà) Serenissimo Elect. ejusque successoribus quisquam & quicunq; fuerit sive in præsenti, sive deinceps, bellum indicere, aut Ducatui Prussiæ inferre voluerit, Rex & Regnum Poloniæ, adæquato ipsi subsidio subvenire tenebuntur. Art. VIII

Fœdus

A.C. 1698 Artic. IX FOedus hoc, & omnia in hoc instrumento contenta sanctè servatum iri, utraq; pars juramento promittet, & in præsenti quidem Seren. Rex Poloniæ ac Senatores eidem assidentes, hanc conventionem solenniter ratihabebunt, ac juramento firmabunt, promittentq; in proximis comitiis, aut proximo conventu comitiorum potestatem habente, omnia quæ his conclusa sunt, ratihabitum iri. Similiter Seren. Sacra Elect. illam pari modo ratificabit, ac juramento firmabit; atque hoc fœdus perpetuum, quotiescunq; novus Rex Poloniæ electus fuerit, aut Dux Prussiæ in Ducatu successerit, ab utraq; parte renovabitur, confirmabiturq; juramento desuper præstito per deputatos in animam Principalium jurantes. Et si pars alterutra huic conventioni & fœderi contravenerit, & decenter admonita satisfacere neglexerit, pars læsa monere tenebitur Mediatores, ac Serenissimos Reges & status, in articulo sequenti nominatos, & eorum curam adhibere procurandæ satisfactioni; & huic stabiliendæ concordiæ rationi utraque pars sedulò insistet, ut omnia amicabiliter æquis modis componantur.

Articul. X. PRo securitate & horum Pactorum firmitudine fidem suam quoque ut interponant, Seren: & Potententissimi Reges Hungariæ & Bohemiæ: item Daniæ, Norvegiæque: denique præpotentes fœderati Belgij Ordines, rogabuntur; ut injuriam aut vim contra hanc conventionem passo, omni meliori modô consulant, utque debita ipsi satisfactio procuretur.

Hactenus ex Pactis Velaviensibus: Sequitur Ratihabitio ac conventio super certis articulis, qui ad Regem ac Rempub. remissi erant; facta Bydgostiæ, die 6. Novembr. 1657. quæ ita habet:

ET quoniam nonnulla ad nos in negotio conjunctionis armorum, & alijs remissa sunt, atque super ijs sequenti ratione inter nos & Seren. Principem Elect. supra nominatum conventum est modô infra scriptô, ea secundùm conventionem initam addimus, illaque eandem vim atque vigorem cum superioribus articulis ex senatûs consulto habere volumus, atque hisce tribuimus, pollicemurque eâdem fide jurata, in proximis comitijs omnia, quæ superioribus articulis continentur, & quæ hîc sequuntur, omnium ordinum consensu confirmatum & ratihabitum iri: Igitur probè perpendentes tum pericula, quæ S. Serenitati Elect. terrisq; ipsius per ipsam separationem à partibus Sveticis imminent, tum quanti intersit nostrâ atque Reip. vicinum nobis Principem justis divincire modis, tum inprimis quanta, quamque utilia nobis Regnoq; Poloniæ per effectivam & actualem armorum nobiscum conjunctionem præstare S. Seren. Elect. deinceps possit officia tam belli quàm pacis tempore; ad demonstrandam prætereà singularem propensionem nostram Regnique nostri erga Suam Seren. Elect. ejusq; domum inclytam, suæ Seren. Elect. ejusdemq; posteris masculis, ex legitimo toro ejusdem descendentibus, pariter ex senatûs consulto & consensu Dn. Consiliariorum, tam Spiritualium quàm sæcularium Regni nostri, duas Præfecturas Leoburgensem & Bytoviensem cum omnibus &c. &c. dedimus, concessimus &c. &c. &c.

Propter eandem armorum conjunctionem, & supra memoratas alias rationes Suæ Serenitati Electorali civitatem Elbingensem cum totô ejus districtu & territoriô, plenô Dominii jure sibi habendam, possidendamq;, unà cum reditibus, qui inde ad Reges Regnumq; Poloniæ olim deferebantur, concedimus; Promittimusq; quòd quàm primum ex potestate Svecorum erepta, aut recuperata fuerit, nemini, quam S. Seren: Elect: vacua

vacua illius possessio tradi debeat citra ullas prætensiones vel dilationes, præsidio Suæ Seren. munienda sine ullo sumptu Regis & Regni. Quam quidem civitatem Elbingensem eodem modo possidebit, tenebitq; & fruetur Sua Seren. ejusq; posteri, atq; à nobis & Regno Poloniæ ad hoc ultimum bellum Sveticum 1655. tenebatur & possidebatur, etiam quoad commercia & jura aliarum civitatum nostrarum Pruthenicarum, nulla præterea telonia nova instituendo: commissio, quoties opus fuerit, instituetur ab utrâque parte pari numero commissariorum, ut omnium interesse habentium, ac imprimis civitatum nostrarum Pruthenicarum habeatur ratio, ne illae in suis commerciis, omnibusq; inde dependentibus, præjudicium patiantur, utque gravamina ac prætensiones, quas inter se habere prætendunt, per commissionem aboleantur, vocatis ad diem commissionis civitatum earundem Pruthenicarum deputatis. A.C. 1698

Religionis Catholicæ & Augustanæ exercitium Elbingæ liberum sit, statusque ejusdem Religionis Catholicæ idem erit, prout ante hoc bellum fuit; jurisdictio Episcopi in Sacerdotes Catholicos, prout ante, integra maneat; jus Patronatus ejusdem Ecclesiæ Elbingensis Catholicæ ad nos spectabit; Templum Catholicis ademptum restituetur, proventusque & fundi omnes Ecclesiæ, quibus ante hoc bellum ultimum Sveticum utebatur fruebaturque, reddentur: Catholicis præterea ad Magistratus accessus patebit.

Quæ omnia cùm bene expensa, & ex senatûs consulto peracta atq; conclusa sunt, in eorum fidem & majus robur hoc instrumentum manu nostrâ subscriptum, sigillo insuper Regni nostri muniri jussimus: actum Bydgostiæ, die VI. Mensis Novembris, Anno M. DC LVII.

Hoc fœdus æternum, quo majore niteretur robore, jurejurando specialiter ad id confecto, non tantùm à præfato Seren. Rege, sed & ab omnibus, qui aderant Senatoribus, Magnis & patriæ ac fidei amantibus viris eodem tempore confirmatum fuit, hisce formulis.

EGO JOANNES CASIMIRUS, Rex Poloniæ &c. juro super hæc sancta Evangelia pro me & Successoribus meis Regibus Poloniæ Magnisq; Ducibus Litvaniæ, Regnoq; Poloniæ & Magno Ducatu Litvaniæ, &c. quòd pacta fœderis perpetui cum Serenissimo Principe, Domino Friderico Wilhelmo, Marchione Brandeburgico, Sacri Romani Imperij Archi-Camerario & principe Electore &c. &c. Ejusdemq; Successoribus Marchionibus Brandeburgicis, in Prussia Ducibus, per Commissarios meos, die decimâ nonâ Septembris Anno Domini 1657. Velaviæ inita & transacta, in specie verò ea, quæ ad tractatum cum nobismet ipsis remissa, atq; hic Bydgostiæ conclusa sunt, in omnibus articulis, punctis & clausulis observabo & manutenebo, easq; ab omnibus subditis meis observari faciam, nec iisdem sive directè sive indirectè contraveniã, aut contraveniri patiar. Promittoq; in proximis comitiis omnia, quæ iisdem contenta sunt, ratihabitum iri, sic me DEUS adjuvet!

Joannes Casimirus Rex.

FORMULA JURAMENTI à SENATORIBUS, QUI REGI Bydgostiæ aderant præstiti.

EGO N. N. Senator Regni Poloniæ juro super sancta hæc DEI Evangelia, quòd pro posse meo curabo, ut pacta fœderis perpetui cum Serenissimo Principe, Domino Friderico Wilhelmo Marchione Brandeburgico Sacri Romani Imperij Archi-Camerario & Principe Electore &c. &c.

A.C. 1698 *Ejusdemq; Successoribus, Marchionibus Brandeburgicis, in Prussia Ducibus per Commissarios S. R. Mtis die decimâ nonâ Septembris, Anno Dni MDCLVII. Velaviæ inita & transacta, in specie verò ea, quæ ad tractatum cum S. Mte remissa, atq; hic conclusa sunt, in omnibus articulis, punctis & clausulis observentur, nec iisdem à quopiam contraveniatur, utq; in proximis comitiis omnia, quæ iisdem contenta sunt, ratihabeantur; sic me DEus adjuvet.*

Casimirus Florianus, Dux in Clevian. Czartoriski, Episcopus Vladislavienfis & Pomeran. Andreas Trzebicki Episc. Premiszlien. Vice-Cancell. Regni Polon. Stanislaus Laskowski, Castellan. Podlachiæ, Referend. Regni Poloniæ. Joannes de Lesžno, Palatinus Posnan. Joannes Casimirus Krasinsky, Palatin. Plocens. Constantinus Lubskowsky, Castellan. Bydgostiæ.

Sed nec ii Senatores tantùm, qui Regi Bydgostiæ aderant, pacta hæc Velaviensia & Bydgostiensia juramentô confirmârunt, quin & idem factum à Senatoribus Posnaniæ & Varsaviæ congregatis, & quidem formula Confirmationis Posnaniæ exhibita ita se habet:

NOs Regni Poloniæ, & Magnæ Litvaniæ Ducatûs Senatores ac Proceres, universis & singulis, præsentibus & futuris, hasce literas visuris significamus: Quod pacta fœderis perpetui cũ Serenissimo Principe, Friderico Wilhelmo, Marchione Brandeburgico, Sacri Romani Imperii Archi-Camerario & Principe Electore, &c. &c. Ejusdẽ successoribus Marchionibus Brandeburgicis, in Prussia Ducibus, per Plenipotentiarios Commissarios sacræ Regiæ Majestatis Domini nostri clementissimi, die decimâ Septembris Anno Domini MDCLVII. Velaviæ inita & constituta, in specie verò ea, quæ ad tractatum cum Sua Majestate remissa, atq; in Conventu ejusdem S. R. Majestatis, Domini nostri clementissimi cum ejus Serenitate Electorali Bydgostiæ, die 6. mensis Novembris eôdẽ Annô MDCLVII conclusa sunt, postquam à S. R. M. Domino nostro clementissimo ex Senatûs consulto approbata sunt, ac juramentis utrinq; firmata, nos eadem confirmamus, illaq; observaturos nos promittimus, & curabimus, ut in omnibus articulis, punctis & clausulis observentur, nec iisdem à quopiam contraveniatur, utq; in proximis comitiis omnia, quæ iisdem contenta sunt authoritate comitiali confirmentur & ratihabeantur. In quorum fidem præsentes manibus nostris subscripsimus & sigillis munivimus. Data Posnaniæ, die mensis Novembris Anno Domini MDCLVII

Joannes Comes de Lesžno, Palt. Posnan. Stephanus Czarniecki Palat. Terrarum Prussiæ. Georgius Lubomirski, Supremus Mareschalcus, Generalisque Exercit. Regni. Boguslaus, Comes in Lesžno, Supremus Regni Thesaurarius. Joannes Casimirus in Krassno, Krasinki, Palatinus Plocensis. Albertus Tholibowski, Episcopus Posnaniensis. Andreas Trzebicki, Episc. Præmisl. vice Cancellarius. Petrus de Bnin Opalinski, Palatinus Podlachiæ. Joannes Kos, Palatinus Culmensis. Vladislaus Wollowicz, Palatinus Vitepscensis. Stanislaus Dzialinski, Palatinus Marieburgensis. Christophorus Grzymultowski, Castellanus Posnan: Alexander Sielski, Castellanus Lancic. Præslaus, Comes de Lesžno, Castellanus Srem. Christophorus Przyiemski Castellan. Culmensis. Stanislaus Casimirus Buniewski, Castel-

Castellanus Wolhyniæ. Stanislaus Laskowsky, Castellanus Podlachiæ Referendarius Regni. A.C. 1698

Eadem forma repetita in Conventu Varsaviensi, die 8. Mensis Martij, Anno Domini M. DCLVIII. cui subscripserunt:

Joannes Tarnowsky, Archi-Episcopus Leopoliensis. Joannes Gembicky, Episc: Plocensis. Paulus Sapieha Palatinus Vilnensis Supr. Exer: M. D.L. Generalissimus. Joannes Dowgat Zanisza, Episc: Viln. Thomas Wicisky. Episc: Kijoviensis. Georgius Carolus Hlebowicz, Gener. Guberni: Ducatûs Samogitiæ. Joannes Tarlo, Palatinus Lublinensis. Joannes Wielopolsky, Castellanus Woynic. Christophorus Pac, Sup. M. D. L. Cancellarius. Casimirus Ludovicus Ihrolaszewski, Castellanus Smolēscensis. Alexander Naruszewicz, Pro-Cancell. M. D. L. Lucas Opalinsky, Maresch.

Sed & singulari instrumento fidei pleno, confirmavit pacta Primas Regni, Archi-Episcopus Gnesnensis, quod ita habet.

ANDREAS Comes de Leszno, DEI & sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Archi-Episcopus Gnesnensis: Legatus natus, Regni Poloniæ Primas, Primusq; Princeps; Universis & singulis, præsentibus & futuris, præsertim has literas visuris, aut illorū notitiā habituris, significamus: Quod cum pacta fœderis perpetui, cum Serenissimo Principe, Domino Friderico Wilhelmo, Marchione Brandeburgico, S. R. I. Archi-Camerario, & Principe Electore &c. &c. Ejusdemq; successoribus, Marchionibus Brandeburgicis, in Prussia Ducibus, per Plenipotentiarios Sacræ Regiæ Majestatis Domini nostri clementissimi die decimâ nonâ Septembris Annô Domini millesimô sexcentesimô quinquagesimô septimô Velaviæ inita & constituta: In specie verò ea, quæ ad tractatum à Sua Majestate remissa, atque in conventu Ejusdem Sacræ Regiæ Majestatis, Domini nostri clementissimi cum Ejus Serenitate Electorali Bydgostiæ, die sextâ mensis Novembris conclusa, Jamque à Sacra Regia Majestate, Domino nostrô clementissimo ex Senatûs Consulto approbata, ac juramentis utrinq; firmata sint: nec non Illustrissimi Domini Senatores Regni & Magni Ducatûs Litvaniæ, tā Ecclesiastici, quàm secularis Ordinis pro tunc ad latus ejusdem Sacræ Regiæ Majestatis residentes speciali scriptô, propriis illorum manibus subscriptô, sigillisque communito eadem pacta confirmaverint, & illa se observaturos, utq; in omnibus articulis, punctis & clausulis observentur, nec ijsdem à quopiā contraveniatur: Utq; in proximis comitijs omnia, quæ in ijsdem contenta sunt, authoritate comitiali confirmentur & ratihabeantur, se curaturos promiserint: Nos verò dū præmissa per Illustrissimos DD. Senatores approbarentur, subscriberentur, servandaq; promitterentur, præsentes non adfuimus; Idque hisce literis nostris ad mentem & sensum prædictorum Illust: DD. Senatorum accedendo, hæc eadem pacta conclusa, ac per S. R. M. Dominū N. C. ex Senatûs-Consulto approbata, juramentis utrinq; firmata, ac modo suprascripto per Illust: DD. Senatores confirmata; Nos quoq; ex loco & pro munere nostro confirmamus; Illaq; nos observaturos promittimus, & curabimus, ut ab ordinibus

A.C. 1698 *dinibus Regni & M.D. L. in omnibus articulis, punctis & clausulis observentur, nec ijsdem à quopiam contraveniatur; Utq; in proximis comitijs omnia, quæ in ijsdem pactis contenta sunt, authoritate comitiali confirmentur & ratihabeantur; In quorū fidem præsentes manu nostra subscriptas, sigillô nostrô communiri mandavimus: Dabantur in residentia Squiernievicensi, die 5. mensis Januarij, Anno D. Millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo.*

Andreas Comes de Leszno
Archi-Episcopus.

Idem fœdus æternum & omnia, quæ in eodem disponuntur, deinceps, in Comitiis Regni Generalibus, annô sequenti 1698. habitis, ab omnibus Inclytæ Reipub. Ordinibus confirmatum. Hoc an legitimè factum sit, judicare liceat ex mandato Commissoriali, quod Rex suô ac Reipub. nomine Commissariis suis, Episcopo Varmiensi, & Supremo Cancellario Comiti Lesczinio, ad executionem, fœderis Annô 1660. deputatis dedit, cujus tenor hic est:

Quod committantur ad observantiam Pactorum, & fœderis perpetui, die 19. mensis Sept. (1657) Velaviæ conclusi, & die 6. Novembris ejusdem anni Bidgostiæ, additâ in certis ad nos remissis articulis conventione ratihabiti, nostroque, Senatorū, ac Officialium lateri nostro assidentium juramentis firmati, & tandem in Generalibus Reip. comitiis anno anno 1658 NB. re in conventibus particularibus ante proposita deliberataque, nullo planè ex commemoratis ordinibus repugnante, protestante, contradicente, sed omnibus unanimiter consentientibus lege publica approbari &c.

Ipsa verò constitutio in Comitiis Generalibus, anno 1658 hâc de re facta, ita sonat:

(TIT.) APPROBATIO PACTORUM CUM SERENISSIMO ELECTORE BRANDEBURGICO.

Pacta perpetui fœderis mediatione Seren: Cæsaris Christiani, cum consensu Dominorum ad latus nostrum residentium consiliariorum, die 19. Septemb. proximè præterito anno 1657. per Commissarios nostros, Rev. in Christo Patrem, Dominum Venceslaum Leszczynski, Episcopum Varmiensem, & Magnif. Vincentium Corvinum Gosiewski, Thesaurarium Supremum & Campiductorem M. D. Litvaniæ, cum Commissariis Serenissimi Electoris Brandeburgici, nostro & totius Reipub. nomine facta & conclusa, & postmodum Bydgostiæ die 6. Novembris ejusdem anni, additâ in punctis ad nos remissis conventione, ratificata & utrinque jurata, auctoritate præsentis conventus, prævio unanimi omnium Ordinum consensu in omnibus punctis, clausulis, paragraphis, articulis approbamus, & ut in omnibus plenè & inviolabiliter serventur, & in quibus ulteriore egent executione, ad effectum integrè deducantur, vigore præsentis conventus constituimus. Et restitutionem bonorum ijs, quibus vigore eorundem pactorum debentur, juxta scriptum ad Archivum datum, quod auctoritate horum comitiorum approbamus, eâdem fide publicâ assecuramus.

Idem repetitum in comitiis sequentibus Generalibus, anno 1659 habitis, per constitutionem, quæ ita se habet:

TIT.

(TIT.) EXECUTIO PACTORUM CUM SEREN. ELECTORE BRANDEBURGICO INITORUM. A. C. 1698

DEducendo ad effectum pacta cum Sereniſſimo Electore Brandeburgico, conſtitutione præteritorum comitiorum approbata, ſi qua in re eguerint ulteriore executione: conſtitutam publica eorundem præteritorum comitiorum authoritate reſtitutionem bonorum, quæ vigore eorundem pactorum, juxta ſcriptum ad archivum datum legitimis Succeſſoribus reſtitui debuerant, approbamus, & ut effectum ſortiatur conſtituimus, ſub pœnâ in Retentores, violationis pactorum & damnorum refuſionis, ratione cujus forum ex bonis in magno Ducatu Litvaniæ ſitis in comitiis aſſignamus.

Cum deinceps Anno 1660. Pax Olivenſis inter Partes belligerantes conſtitueretur, tantùm abeſt, ut per eandem aliqua in Pactis hiſce Bydgoſtienſibus, & omnibus iis quæ in iiſdem continentur, derogatum ſit, quin potius illa per Pacificationem Olivenſem confirmata, & ea quæ ad traditionem urbis Elbingenſis ſpectant, illuſtrata ac novo robore firmata ſint: Sic enim habet Artic. II. §. 3.

Civitatibus Pruſſiæ Regalis, quæ in poſſeſſione Sacræ Regiæ Majeſtatis Regniq; Sveciæ hôc bellô fuerunt, manebunt itidem omnia jura, libertates & privilegia, quibus, ſive in Eccleſiaſticis, ſive prophanis potitæ ſunt ante hoc bellum, (ſalvô liberô, uti ante hoc bellum viguit, in prædictis civitatibus Catholicæ & Evangelicæ Religionis exercitiô) earumque territoria, Magiſtratus, Communitates, Cives, incolas & ſubditos Sacra Regia Majeſtas Poloniæ eâdem, quâ olim clementiâ & gratiâ Regiâ in poſterum proſequetur, fovebit & tuebitur.

Qui cum generalis ſit, & ad omnes civitates Pruſſiæ Regalis pertineat, nec de Elbinga exceptionem contineat, placuit ſuper hoc articulo ſingularem tabulis pacificationis adjicere articulum ſeu declarationem his verbis conceptam.

NOS infra ſcripti, Sacræ Regiæ Majeſtatis Reipublicæque Polonæ ad tractatus Polono-Sveticos Legati Plenipotentiarij, notum facimus, quorum intereſt, vel ulla ratione intereſſe poterit, univerſis & ſingulis, quandoquidem inſtrumento pacis principali hodie ſubſcripto articulus amneſtiæ in quo tam communitatum quàm ſingulorum jura redintegrantur, forma generali conceptus eſt, & nulla ſpecialis acquiſitorum tam in Pruſſia Ducali, quàm extra eam Seren: Elec. Brandeburgico per pacta cum S. R. Majeſtate Reque-publica primum Velaviæ, demum Bydgoſtiæ inita, ac conſtitutione comitiali approbata Sacræ Seren. Elect. jurium, utpote independentiæ Ducatus Pruſſiæ, condeſcenſioniſque in feudum Bytovienſis & Leoburgenſis, diſtrictuum in Palatinatu Pomeraniæ exiſtentium, tum & juris competentis in civitatem Elbingenſem, nec non præfecturam Draheimenſem in eodem facta eſt mentio: ne id in præjudicium memoratorum Sacræ Seren: Elect: jurium trahi poſſit, plures modi ratione incluſionis prædictorum in præfato articulo amneſtiæ propoſiti fuere. Cum autem nequaquam ſatisfacere potuiſſent, tandem prudenti Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Chriſtianiſſimi Regis Legati mediatione ac indefeſſo ſtudio maturandæ pacis gratiâ convenit, ut peculiari articulo, qui tamen pro inſerto pacis inſtrumento haberi, ejuſdemque valoris eſſe debet, ea ipſa jura Sereniſſimo Electori caverentur, quod & à legatione per ſeparatum articulum factum eſt.

A.C. 1698 *dinibus Regni & M. D. L. in omnibus articulis, punctis & clausulis observentur, nec ijsdem à quopiam contraveniatur; Utq, in proximis comitijs omnia, quæ in iisdem pactis contenta sunt, authoritate comitiali confirmentur & ratihabeantur; In quorũ fidem præsentes manu nostra subscriptas, sigillô nostrô communiri mandavimus: Dabantur in residentia Squiernievicensi, die 5. mensis Januarij, Anno D. Millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo.*

Andreas Comes de Lesno
Archi-Episcopus.

Idem fœdus æternum & omnia, quæ in eodem disponuntur, deinceps, in Comitiis Regni Generalibus, annô sequenti 1698. habitis, ab omnibus Inclytæ Reipub. Ordinibus confirmatum. Hoc an legitimè factum sit, judicare liceat ex mandato Commissoriali, quod Rex suô ac Reipub. nomine Commissariis suis, Episcopo Varmiensi, & Supremo Cancellario Comiti Lesczinio, ad executionem, fœderis Annô 1660. deputatis dedit, cujus tenor hic est:

QUod committantur ad observantiam Pactorum, & fœderis perpetui, die 19. mensis Sept. (1657) Velaviæ conclusi, & die 6. Novembris ejusdem anni Bidgostiæ, additâ in certis ad nos remissis articulis conventione ratihabiti, nostroque, Senatorũ, ac Officialium lateri nostro adsidentium juramentis firmati, & tandem in Generalibus Reip. comitiis anno anno 1658 NB. re in conventibus particularibus ante propositâ deliberataque, nullo planè ex commemoratis ordinibus repugnante, protestante, contradicente, sed omnibus unanimiter consentientibus lege publica approbari &c.

Ipsa verò constitutio in Comitiis Generalibus, anno 1658 hâc de re facta, ita sonat:

(TIT.) APPROBATIO PACTORUM CUM SERENISSIMO ELECTORE BRANDEBURGICO.

PActa perpetui fœderis mediatione Seren: Cæsaris Christiani, cum consensu Dominorum ad latus nostrum residentium consiliariorum, die 19. Septemb. proximè præterito anno 1657. per Commissarios nostros, Rev. in Christo Patrem, Dominum Venceslaum Leszczynski, Episcopum Varmiensem, & Magnif. Vincentium Corvinum Gosiewski, Thesaurarium Supremum & Campiductorem M. D. Litvaniæ, cum Commissariis Serenissimi Electoris Brandeburgici, nostro & totius Reipub. nomine facta & conclusa, & postmodum Bydgostiæ die 6. Novembris ejusdem anni, additâ in punctis ad nos remissis conventione, ratificata & utrinque jurata, auctoritate præsentis conventus, prævio unanimi omnium Ordinum consensu in omnibus punctis, clausulis, paragraphis, articulis approbamus, & ut in omnibus plenè & inviolabiliter serventur, & in quibus ulteriore egent executione, ad effectum integrè deducantur, vigore præsentis conventus constituimus. Et restitutionem bonorum ijs, quibus vigore eorundem pactorum debentur, juxta scriptum ad Archivum datum, quod auctoritate horum comitiorum approbamus, eâdem fide publicâ assecuramus.

Idem repetitum in comitiis sequentibus Generalibus, anno 1659 habitis, per constitutionem, quæ ita se habet:

TIT.

(TIT.) EXECUTIO PACTORUM CUM SEREN. ELECTORE BRANDEBURGICO INITORUM. A. C. 1698

Deducendo ad effectum pacta cum Serenissimo Electore Brandeburgico, constitutione præteritorum comitiorum approbata, si qua in re eguerint ulteriore executione: constitutam publica eorundem præteritorum comitiorum authoritate restitutionem bonorum, quæ vigore eorundem pactorum, juxta scriptum ad archivum datum legitimis Successoribus restitui debuerant, approbamus, & ut effectum sortiatur constituimus, sub pœnâ in Retentores, violationis pactorum & damnorum refusionis, ratione cujus forum ex bonis in magno Ducatu Litvaniæ sitis in comitiis assignamus.

Cum deinceps Anno 1660. Pax Olivensis inter Partes belligerantes constitueretur, tantùm abest, ut per eandem aliqua in Pactis hisce Bydgostiensibus, & omnibus iis quæ in iisdem continentur, derogatum sit, quin potius illa per Pacificationem Olivensem confirmata, & ea quæ ad traditionem urbis Elbingensis spectant, illustrata ac novo robore firmata sint: Sic enim habet Artic. II. §. 3.

Civitatibus Prussiæ Regalis, quæ in possessione Sacræ Regiæ Majestatis Regniq; Sveciæ hôc bellô fuerunt, manebunt itidem omnia jura, libertates & privilegia, quibus, sive in Ecclesiasticis, sive prophanis potitæ sunt ante hoc bellum, (salvô liberô, uti ante hoc bellum viguit, in prædictis civitatibus Catholicæ & Evangelicæ Religionis exercitiô) earumque territoria, Magistratus, Communitates, Cives, incolas & subditos Sacra Regia Majestas Poloniæ eâdem, quâ olim clementiâ & gratiâ Regiâ in posterum prosequetur, fovebit & tuebitur.

Qui cum generalis sit, & ad omnes civitates Prussiæ Regalis pertineat, nec de Elbinga exceptionem contineat, placuit super hoc articulo singularem tabulis pacificationis adjicere articulum seu declarationem his verbis conceptam.

NOS infra scripti Sacræ Regiæ Majestatis Reipublicæque Polonæ ad tractatus Polono-Sveticos Legati Plenipotentiarij, notum facimus, quorum interest, vel ulla ratione interesse poterit, universis & singulis, quandoquidem instrumento pacis principali hodie subscripto articulus amnestiæ in quo tam communitatum quàm singulorum jura redintegrantur, forma generali conceptus est, & nulla specialis acquisitorum tam in Prussia Ducali, quàm extra eam Seren: Elec. Brandeburgico per pacta cum S. R. Majestate Reque-publica primum Velaviæ, demum Bydgostiæ inita, ac constitutione comitiali approbata Sacræ Seren. Elect. jurium, utpote independentiæ Ducatus Prussiæ, condescensionisque in feudum Bytoviensis & Leoburgensis, districtuum in Palatinatu Pomeraniæ existentium, tum & juris competentis in civitatem Elbingensem, nec non præfecturam Draheimensem in eodem facta est mentio: ne id in præjudicium memoratorum Sacræ Seren: Elect: jurium trahi possit, plures modi ratione inclusionis prædictorum in præfato articulo amnestiæ propositi fuere. Cum autem nequaquam satisfacere potuissent, tandem prudenti Illustrissimi & Excellentissimi Domini Christianissimi Regis Legati mediatione ac indefesso studio maturandæ pacis gratiâ convenit, ut peculiari articulo, qui tamen pro inserto pacis instrumento haberi, ejusdemque valoris esse debet, ea ipsa jura Serenissimo Electori caverentur, quod & à legatione per separatum articulum factum est.

A.C. 1698 Et constat sanè, declarationem hanc à Polonis in seperato articulo exhibitam, etiam à Svecis & Gallis factam esse. Svecorum declaratio sequenti modo expressa reperitur:

Legatio Svetica declarat Serenissimi Regis Regnique Sveciæ nomine, ea quæ in Instrumentô pacis, articulô secundô de redintegratione jurium disponuntur, non debere concernere ditiones, civitates, terras & loca, quæ à Sua Serenitate Electorali possidentur, nec eò trahenda: neque obstare eundem articulum, quò minus Suæ Serenitati Electorali Elbinga jure, quod Eidem Suæ Serenitati Electorali competere potest, tenenda tradatur, salvis de cætero ejusdem civitatis privilegijs, & immunitatibus tam in Ecclesiasticis quàm politicis, salvo itidem jure retractus conventionalis Seren. Regi ac Reip. Poloniæ quoad Elbingam, Qui quidem articulus tanquam si in ipso instrumento Pacis esset insertus, ibidemque cum alijs appositus, ejusdem cum eo valoris esse haberique debeat.

Gallici verò Ministri declaratio ita se habet:

SAcræ Christianissimæ Regiæ Majestati Galliarum & Navarræ, Comes Consistorianus, & ad tractatus pacis Polono-Sveticos Legatus Plenipotentiarius, Antonius de Lumbres, notum facimus quorum interest universis & singulis, præsentibus & futuris. Quandoquidem instrumentô pacis principali hodiè subscriptô, articulus amnestiæ, in quo tam communitatum quàm singulorum jura reintegrantur forma generali conceptus, & nulla specialis adquisitorrm, tam in Prussia Ducali quàm extra eandem Serenissimo Electori, Brandeburgico per facta fœderis perpetui, cum S. R. M. Req; publica Polona inita & conclusa ac postmodum lege comitiali approbata, Suæ Serenitatis Electoralis jurium in eâdem facta sit mentio, ne id in præjudicium Suæ Serenitatis Electoralis jurium trahi posset, convenit, ut præter separatas partium declarationes, à nobis quoq;, uti Mediatore attestatio rei actæ ederetur. Proinde vigore præsentium omni meliori modo fide publica testamur, legationem Sveticam circa tractatus pacis declarasse, nec eorum esse, neq; etiam ad se spectare, ut prædicta pacta vel approbent, vel ijs ullâ in re quidquam derogare posse vel debere. Polonica verò Legatio, tam oretenus, quàm scriptô publicâ fide manifestavit Sacram Regiam Mtem, & Remp: Polonam præmemoratis pactis non solùm nihil derogare hôc instrumentô velle, posse vel debere, sed eandem in omnibus articulis, punctis & clausulis conservare & manutenere.

Notanda etiam ex articulo 26. pactorum Olivensium sequentia:

SErenissimus Elector Brandeburgicus locà omnia, quæ in Pomerania hôcce bellô occupata præsidijs suis insidentur, Sacræ Regiæ Majestati & Regno Sveciæ; Ea verò, quæ in Holsatia & Ducatu Slesvicensi, Celsissimo Principi & Duci Holsatiæ Gottorpiensi &c. &c. restituet. Quæ evacuatio fiet, locorum scil. Pomeraniæ, exceptis Wollinô, Dam & Greiffenhagen, inter duas septimanas à die permutationis ratihabitionum computandas, *quo tempore quoq; Elbinga restituetur*, Wollinum verò, Dam & Greiffenhagen, nec non loca Holsatiæ & Ducatûs Slesvicensis, intra alias demum duas sequentes hebdomadas à die supra memoratæ restitutionis evacuabuntur, &c. &c.

Unde apparet Serenissimum Electorem intuitu etiam Elbingæ evacuationem locorum in Pomerania occupatorum promisisse, quin imò de tempore convenisse, quò Elbinga evacuari debeat, nimirum eodem, quo loca

loca quæpiam Pomeraniæ restitui debebant.

Notandum etiam ex actis tractatuum Olivensium, quòd cùm Seren: Elector ægrè adduci posset, ut consentiret, juri suo in Elbingam tantummodo per articulum separatum prospici, Polonicos Legatos, qui pacis conclusionem flagrantissimè desiderabant, promisisse: Si Elbinga à Suecis reddatur, Polonicum præsidium haud impositum iri; sed protinus Electoralem militem immittendum, eamq; in rem Regis cautionem exhibuisse.

Ex omnibus hisce documentis, quæ fide publica, jurato etiam datâ nituntur, luce meridianâ clarius constat; Seren: Poloniæ Regem & inclytam Rempub: per pacta Bydgostiensia concessisse Seren: Electori Brandeburgico, ejusq; posteris civitatem Elbingensem cum toto ejus districtu & territorio, plenô dominii jure sibi habendam, possidendamq; ac fruendam, unà cum reditibus, qui inde ad Reges Regnumq; Poloniæ olim deferebantur, eodem modo, atq; à Rege Regnoq; Poloniæ ad ultimum bellum Sueticum, anno 1655 tenebatur & possidebatur: Eundemq; Seren: Regem ac inclytam Remp. ulteriùs promisisse quòd quamprimùm ex potestate Suecorum erepta fuerit civitas Elbingensis, nemini quàm Suæ Seren: El. vacua illius possessio tradi debeat citra ullas prætensiones vel dilationes præsidio Suæ Ser: El: munienda, sine ullo sumptu Regis & Regni. Quæ quidem sunt ipsissima verba pactorum Bydgostiensium.

Et ne quis causetur alienationem hanc leviter & absq; gravibus ac justis causis factam esse, expressum est in ijsdem pactis: Hoc propterea factum esse, quòd DEo clementer annuente Seren: Elector Brandeburgẽsis ad sinceram pacem & amicitiam cum Seren: Rege ac Regno Poloniæ & M. D. Lit, à quibus violento bellorum ingruentium ac necessitatis inevitabilis impulsu, invitus avulsus fuerat, feliciter redierit, ac perpetuo fœdere ita se Seren. Regno Poloniæ & M. D. Lit. conjunxerit, ut mutuam utilitatem, commodum ac securitatem sincerè procurare ac promovere teneatur: quod porrò Seren: Rex ac inclyta Respubl: probè perpenderint tum pericula, quæ S. Seren. Elect. terrisq; ipsius per ipsã separationem à partibus hostilibus imminebant, tum quanti intersit Regis ac Reip. Vicinum Principem justis devincire modis, tum inprimis, quanta quamque utilia Regi Regnoq; Poloniæ per affectivam & actualem armorum cum illis conjunctionem præstare S. Seren. Elect. deinceps possit officia tam belli quàm pacis tempore.

Quibus causis an justiores ac graviores excogitari possint, omnibus etiam iniquis ac invidis æstimatoribus judicandum relinquitur. Nec illæ frustraneæ aut illusoriæ fuêre; nam effectus ille, quem sibi Rex ac Resp. per pactionem hanc proposuerant, plenissimè inseqvutus est; cum ex eo tempore Regnũ, facta cum Electore armorum conjunctione, ab hostili vi ac bellorũ injurijs, quibus penitus oppressũ antea erat, tutum intactumque fuerit, arma è visceribus proprijs in exteras regiones transtulerit, pristinum vigorẽ receperit, & tandẽ per pacem Olivensem restitutionem omnium, quæ ante bellum possederat, acceperit. Hæc tanta tamque ingentia bona quis putet unius urbis jacturâ nimium constitisse? Sed nec intra belli istius terminos stetit utilitas, quam Serenissimus Rex & inclyta Respub: ex illa pactione perceperunt; nam & æternô, ac ad finẽ mundi duraturo fœdere illigaverunt Principem vicinum ac potentem: quo ipso securitati suæ, depulso omni ex hac viciniâ metu in æternum prospexerunt; & præterea eundem obstrictum tenent ad certum militum numerum in singulis, quæ Reipub: exoriuntur bellis eidem submittendum.

A.C. 1698 dum. Hisce omnibus ritè recteq; expensis, non tantùm non dubitârunt Seren: Rex & omnes qui tunc ipsi aderant Senatores, pacta hæc Bydgostiensia, seu potius æternum fœdus, unde tanta in Rempubl: promanabat utilitas, jurejurando confirmare: repetendo etiam ad majus robur ac firmitatem, quoties novus Rex aut Elector regimen capesserent: sed & omnes ordines adeoq; tota Respub: in proximis comitiis Regni Generalibus anno sequ. 1658 habitis solennissimè, nemine repugnante, protestante aut contradicente per constitutionem seu legem publicam eadem approbavit & confirmavit. Quin etiam in tractatu pacis Olivensis, jus Electori in Elbingam per pacta Bydgostiensia quæsitum sartum tectum conservatum fuit, ut supra latius demonstravimus.

Sed antequam ulterius progrediamur, notare hîc liceat singularem prorsus, ac vix aliàs exemplum habentem moderationem, ac propensissimum in inclytam Rempub: affectum Seren: Elect: Friderici Wilhelmi p. m; nam cùm ex præscripto pactorum eidem ac posteris (adeoq; in æternum) civitas Elbingensis cum toto ejus districtu ac territorio, pleno dominii jure habenda, possidenda ac fruenda cederetur: ille animo reputans, fortè non sinè dolore Regis ac Reipub. cessionem hanc perpetuam, quamvis ob summam utilitatem & ad redintegrandum corpus Reip. antea scissum ac dissipatum facta esset, fieri potuisse, & cupidine flagrans, sincerum affectum suum Regi ac Reipubl. singulari aliquo documento testandi; spontè nec coactus plenum istud dominii jus in urbem Elbingensem, sibi ac posteris, adeoq; in æternum cessum, mutavit in jus pignoratitium seu hypothecarium, vi cujus urbem sibi traditam, solitis à S. Regia Majestate & Regno Poloniæ, pro se tantùm eam redimentibus, ex propriâ pecunia publica quadringentis millibus talerorum imperialium, retradi debere sese obstrinxit.

Tenor documenti ita habet:

FRIDERICUS WILHELMUS DEI *gratiâ &c. &c. Notum testatumq; facimus, hisce reversalibus nostris; quòd quanquam S. R. Majestas Poloniæ & Sueciæ in ratificatione & declaratione pactorum inter S Regiam Majestatem & Remp. Poloniæ ac nos, Velaviæ die 29. Septembris anni præsentis initorum & postea Bydgostiæ confirmatorū ac juratorū in satisfactionem nobis pleno jure dominii urbē Elbingensem concesserit: Nos tamen intuitu & ratione factæ nobis remissionis quingentorum Equitum de subsidio duorum millium, vigore supradictorum pactorum fœderis perpetui Reipub. Polonicæ aliàs præstandorum; tum respectu declarationis nomine S. R. M. & Reip. factæ, quòd muri atq; fortificationes omnes dictæ urbis Elbingensis ante retraditionem per nostros præsidiarios destrui debeant, promisisse, & nos hæredesq; nostros obstrinxisse, quemadmodum hisce promittimus & obstringimus, quòd dictam urbem cum territorio, solutis nobis à S. R. M. & Regno Poloniæ ex propria pecunia publica quadringentis millibus thalerorum imperialium à Sua M. oblatis, iterum S. R. Majestati ejusdemq; successoribus & Regno in proprium usum, pro se tantùm eam redimentibus, cedere & retradere tenebimur, & posteri nostri tenebuntur. In cujus*

jus rei fidem hac manu nostrâ subscripsimus & sigillo nostro Electorali firmari jussimus. Data Bydgostiæ die 6. Nov. Anno 1657. **A.C. 1698**

Quis crederet post tot insignia fidei ac amoris documenta, quibus Regem ac Rempub. Elector sibi devinxerat, post solennissimas ac juramento firmatas obligationes, quibus Rex ac Respub. Electori tenebantur, vel minimam moram committi debuisse, quò minus civitas Elbingensis, cùm post pacem Olivensem factam à Suecis evacuaretur, Electori pignoratitio jure possidenda traderetur. Sed res præter omnem spem ac opinionem longè aliter cecidit. Nam cùm conventum & à Serenissimo Rege cautum esset, ne redditæ à Suecis Elbingæ Polonicum præsidium imponeretur, sed ut protinus Electoralis miles immitteretur: nihilominus Legati Polonici ad tractatus Olivenses missi in artic. 7mô. ejusdem pacificationis admiserunt, ut urbs illa, facta à Suecis evacuatione in manus Seren: Poloniæ Regis ejusque Commissariorum traderetur; leve hoc, & quod facilè resarciri potuisset, si Regius miles acceptam urbem statim Electori retradere jussus fuisset, id quod Elector ex ipsis pactorum verbis urgebat; sed missus fuerat Elbingam Rejus Thesaurarius aulæ, cum mandatis, ut super tradendâ Elbingâ cum Electoralibus Ministris tractaret, quod facere abnuebat Elector, claram pactorum legem ac dispositionem allegans, quæ vult, ut Elbinga quàm primum ex potestate Suecorum recuperata fuerit, Electori citra ullas prætensiones vel dilationes tradatur, præsidio Electorali munienda. Sed surdis narrabatur fabula & quicquid vel justitia ipsa, vel fides publica ac jurato data, vel jus fasq; gentium, vel fœderum ac pactorum Religio ingerebant, id omne frivolis cavillationibus, quas allegare pudor prohibet, Rejus eludere nitebatur, & revera elusit, non attento quòd ad omnia, quæ ab ipso allata erant, à Deputatis Elect. abundanter & rationibus sole meridiano clarioribus responsum fuisset, ac ipse Elector declarasset, se in gratiam Regis ac Reipub: & quo facilior reluitio esset, quinquaginta millia thalerorum à summâ promissâ remissurum, & omnia, quæ de privilegiis urbis, Religione ac commerciis in pactis Bydgostiensibus statuta sunt, strictè observaturum. Sed destinatum erat Rejo, fortè ac jussum, urbem Electori nequicquam tradere.

Optandum foret, ut aperta hæc fidei ac pactorum contraventio, Reji solius culpæ adscribi deberet; ast quæ postea in comitiis anno 1660 & 1661 habitis, inter Commissarios Regios ac Electorales acta sunt, satis liquidò demonstrant, cavillationes istas à Rejo adversus pacta ac fidem publicam allatas in animis plurimorum ex Ordinibus altiores egisse radices, quàm ut justis evelli possent rationibus, ac argumentis. Injunctum erat Legatis Elect: ne istud negotium Elbingense ad dubios iterum tractatus deduci paterentur, tum quòd dispositio pactorum clara, & extra omnem controversiæ aleam posita esset, nec ea, quæ in §. 18. pactorum Velaviensium de controversijs circa observationem & executionem fœderis exortis, per Commissarios utrinque componendis statuuntur, ad causam Elbingensem trahi ullô modô possint, cùm contra expresse in ijsdem pactis Bydgostiensibus cautum sit, ut statim atque Elbinga recuperata fuerit, vacua ejus possessio NB. citra ullas prætensiones vel dilationes Electori tradi debeat, tum quòd difficile futurum esset tot capita, ex quibus ordines constant, in unam pertrahere sententiam, cum unus saltem dissentiens seu protestans ex Nuntiis terrestribus, totam rem irritam reddere posset, tum etiam, quòd Ordines Poloniæ hoc modo sibi decisionem ejus causæ arrogaturi essent, in quâ partis paciscentis vicem sustinebant: nihilominus ad omnia ea, quæ à Commissariis Regiis in medium proferebantur, tanta ju-

A.C. 1698 ris justitiæque constantiâ ab Electoralibus responsum fuit, ut illi, quod regererent, non haberent, sed subinde studio ac pertinaciter prætexerent, Elbingam, ubi semel ab Electore insessa fuerit, nunquam deinceps restitutum iri, quamvis Elector adversus hunc scrupulum omnem offerret cautionem, quam ipsi desiderare possent. Ultimum tandem fuit Regiorum receptaculum; quod satis cautum esset Electori in possessione Brunsbergæ ac Frauenburgi, quæ loca tum temporis ab eodem tenebantur, eousque possidenda, donec eidem ratione Elbingæ satisfactum foret. Et Elector quidem nimis facilem se præbere, ac subinde declarare, se non mordicitus inhærere velle possessioni Elbingæ, modò aliud sibi æquivalens tradatur, quem in finem Brunsbergam aut Mariæburgum, aut etiam certum tractum in ripa Vistulæ situm proponere; tandem etiam sub finem comitiorum anni 1661 ut toti terrarum orbi iterum suum erga Rempub. affectum testaretur scripto declarare: se spontè & præter debitum, testandæ suæ erga S. Regiam Majestatem & Remp. promptitudini, juri suo per pacta Bydgostiensia super civitatem territoriumq; Elbingense quæsito, eâ expressâ conditione, si alia æquivalens sibi tradita fuerit hypotheca, renunciare, deque summâ quadringentorum millium imperialium in contractu conventionali expressorum, centum millia talerorum remittere, reservando tamen sibi jus potestatemque retinendi civitates Brunsbergam ac Fraunburgum in Episcopatu Varmiensi usque dum vel Elbinga realiter tradita, vel aliâ ratione Ser. S. El. plenè satisfactum fuerit.

Declaratio hæc Legatorum Brandeburgensium verbotenus ita se habet:

Serenissimi Electoris Brandeburgici, &c. &c. Consiliarij status intimi & Legati Plenipotentiarij, notum testatumq; reddimus, quorum interest vel ullâ ratione interesse poterit, universis & singulis; quod S. Seren: Electoralis juri, sibi per pacta perpetui, primum Velaviæ die 19. Sept. Anno 1657 conclusi, 6. verò Novemb. ejusdem anni Bydgostiæ ratificati, & in comitijs anni 1658 unanimi omnium ordinum consensu approbati fœderis, super civitate territoriumq; Elbingense quæsito, (nihil tamen quoad reliqua derogando iisdē pactis) sponte & præter debitum, testandæ suæ erga S. R. M. & Rempub: promptitudini, ea conditione, si alia æquivalens lege publica sibi tradita fuerit Hypotheca, *renuntiaverit; deq; summâ in retractu Conventionali expressâ sopiendis quacunq; motæ fuerant prætensionibus, centum millia thalerorum imperialium remiserit; prout nomine ejusdem vigore præsentium, mandatô procuratoriô innixi*, præmissâ conditione, *renunciamus & remittimus (salvis tamen in omnibus ac illæsis ac illibatis prædicti fœderis perpetui pactis, eorundemq; articulis, conditionibus, punctis ac clausulis singulis & universis, tam quoad jura independentiæ supremiq; ac directi in Ducatum Prussiæ Dominii: quàm & condescensionis in feudum Bytoviensis & Lauenburgensis districtuum in Palatinatu Pomeraniæ existentium, tum & Hypothecæ præfecturæ Draheimensis) quo verò S. Seren: Electoralis exsolutionis residui prædictæ summæ Elbingensis, nempe trecentorum millium thalerorū imperialium certa securaq; esse possit*, reservatū, eidemque,

hisce

hisce reservatur jus potestasq; retinendi civitates Brunsbergam ac Fraunburgum in Episcopatu Varmiensi usq; dum vel Elbinga realiter tradita, vel aliâ ratione S. Seren. Electorali plenè satisfactum fuerit. *Ita tamen, ne interea publicum in Ecclesia Cathedrali Fraunburgensi juxta ritum Catholico-Romanum præpediatur exercitium. Quantum verò attinet jus demoliendi munimenta mœniaq; Elbingensium, siquidem id potiùs civitatem ipsam concernit quàm Remp. eadem S. Seren: Electoralis justis æquisq; amicabilibus modis mediisq; de eo cum prædicta civitate se composituram esse promittit; exindeq; omnes ultro citroq; mota & in medium allata prætensiones ratione quarumvis contraventionum ablationumq;, penitus tolluntur & in perpetuum abolentur. Ita ut deinceps partes firmā certamq; nullatenus interruptam colant amicitiam & vicinitatem. Actum Varsaviæ, die 8. mensis Augusti, Anno Domini MDCLX.* A.C. 1698

Supra nominati Electorales Legati: Joannes ab Hoverbeck
J. U. Dobrecenski.

Sed nec alia æquivalens unquam tradita fuit hypotheca, quamvis hac de re sæpius actum, irritô tamen semper successu: nec Brunsberga & Fraunburgum retineri potuere, ut statim dicetur, adeo ut cum conditiones, quas stipulatus expresse fuerat Elector, à parte Regis & Reipub. non fuerint adimpletæ, Elector etiam promissis, quæ sub conditionibus istis expressis fecit, nullo jure teneatur stare. Et Brunsbergæ quidem ac Fraunburgi possessione decedere coactus fuit Elector modô acerbô & minimè convenienti; nam cum loca ista ad Episcopatum Varmiensem spectarent, Episcopus verò Varmiensis, qui tunc temporis erat Joannes Stephanus Widzga, à Rege & Repub. ad tradendum supremum in Ducatum Borussiæ Dominium Electori pactis Velaviensibus quæsitum, & præstandum ab incolis Prussiæ Ducalis homagium anno 1663 unà cum Leszczinio Pro-Cancellario Regni nominatus fuisset, præfatus Episcopus, occasione hâc usus nunquam officio sibi apud actum istum homagialem imposito fungi voluit, nisi prius Elector Præsidium suum Brunsberga ac Frauenburgo educeret; quod & Elector, invitus prorsus & necessitate adductus, ne homagialis actus, qui instabat, iterum sisteretur & novæ inde exorirentur turbæ, facere coactus fuit, cujus rei acta publica fidem faciunt.

Et sanè mirari licet, quomodo Nobilissima Gens, fidei aliàs ac decoris amantissima, eò se adduci passa fuerit, ut fidem juratô datam & in publicis Comitiis agnitam ac confirmatam, circa traditionem Elbingæ post Pacem Olivensem ad hoc usque tempus exsolvere nunquam voluerit; quamvis non sit difficile aut obscurum causas indagare, quæ ut titulô utilitatis fortè sese commendant, ne scil. Respubl. tantam pecuniæ exsolvere teneatur summam, ita ab eô quod justum & debitum, quàm maximè remotæ sunt. Quis enim dubitet, pacta conventa servanda, & promissa exsolvenda esse, inprimis si jurisjurandi religio accesserit, quâ nihil sanctius, nihil divino ac humano juri convenientius excogitari potest, cum fides sit fudamentum justitiæ & vinculum, quo societas humana & commerciorum inter gentes usus continetur. Sed nec in inclyta Republ: summi defuerunt viri, qui dedecus hoc semper & creberrimis questibus detestati sunt & ab eo abhorruerunt, testantibus id actis publicis. Ipse Rex, Joannes Casimirus Hoverbeckio Legato Electorali, cum in comitijs anno 1660 ad audi-

A.C.1698 audientiam, ut vocant, admitteretur, benevolentiam & gratum animum in Electoris merita multis & amplissimis verbis testatus est, lacrymis etiam in oculos erumpentibus ob nondum præstita promissa.

Cancellarius verò Regni Comes Lesczinius, sæpius etiam scriptis declaravit, pacta fidei publicæ & religionem jurisjurandi haud permittere, ut Electori Elbinga subtrahatur.

Extant etiam in actis comitiorum anno 1661 habitorum vota plurimorum Senatorum, Archiepiscopi Gnesnensis, Episcoporum Cujaviensis, Cracoviensis, & Varmiensis, quibus luculenter asseritur: non posse Electori traditionem Elbingæ denegari, absq; fidei publicæ violatione. Inprimis verò notari merentur dicta ab Epis. Cracoviensi ac Varmiensi, quorum ille vindictam DEI Reipub: minatus est, si perjura erga Electorem existeret, nec conventa præstaret, allegando exemplum Vladislai IV. Ungariæ & Poloniæ Regis, cæsi ob perjurium, & addendo: malle se potius mori quam aspicere, ut Resp. eò usque & hoc excepto exemplo semper fidei observantissima, turpē hanc contraheret maculam: hic verò Varmiensis scil. Episcopus testabatur: quamvis Elector sibi nec beneficio nec injuriâ cognitus esset, fateri tamen se coactum, non posse Rempub: absque conscientiæ læsione, fideique publicæ violatione, tum & ignominiæ notâ apud totum terrarum orbem, Electori denegare id, de quo tam sanctè, interposita etiam jurisjurandi religione conventum fuerit.

Quæ quidem non sine æternô tantorum Virorum honore memorari possunt, tantùm tamen abest, ut in dictis Comitiis justissimo Electoris desiderio satisfactum; quin potius illud per protestationem nonnullorum ex Ordine Equestri irritum fuerit redditum. Ex eo tempore statutum Electori, de traditione Elbingæ nunquam deinceps in Comitiis agere, idque ex prægnantissimis jam supra allegatis causis: Ne nimirum Respub: decisionem sibi arrogaret in causâ, in qua Pars paciscens esset; tum & quod facilè prospici posset, sibi hâc ratione nunquam satisfactum iri, cum vel unius Nuntij protestatione, quæ facilè parari potest, totum negotium sisti & irritum reddi posset. Cui proposito cùm defunctus Elector, tum modernus firmiter inhæserunt; & quamvis in comitijs anno 1671. 1672 habitis, à plurimis tum Senatoribus, tum & ex equestri ordine acriter instaretur, ut ante confirmationem pactorum, quæ, tum temporis repetenda erat, negotium Elbingense, & si quæ erant prætensiones Reip. discuterentur; masculè tamen id negarunt Legati Electorales & pervicerunt, ut sepositis istis prætensionibus confirmatio fieret. Animadversum etenim Polonos, quoties singulare aliquod negotium, Seren. Regem, inclytam Remp. & Electorem inter peragendum fuit, toties quæstionem de prætensionibus suis longè petitis in medium protulisse, credentes, hâc ratione se desiderium Elect. de tradendâ Elbingâ eludere posse, sic & ante octo annos cum homagium Serenissimo Elect. moderno Regiomonti præstari deberet, à Commissarijs Regijs quæstio hæc iterum mota, & certô scriptô ad modum prothocolli conceptô & utrinque probatô, in aliud tempus rejecta fuit. Cujus scripti tenor est:

Cum Regiæ S. M. & inclytæ Reipub: Poloniæ Commissarij Deputati Illustrissimi & Excellentissimi, D. Hieronymus Augustinus, Comes & Princeps de Lubomirski S. R. I. Princeps, & Dominus Stanislaus Sczuka, post peracta homagij solennia, habitâ cum Illustr: & Magnificis Seren: S. Electoralis Consiliariis status intimis, Domino Paulô à Fuchs, & Dominô Eberhardo à Danckelman

collo-

collocutione exposuerint, desiderare S. R. M. Remq; publicam Poloniæ, ut de componendis certis quibusdam Reip. prætensionibus ac negotiis, occasione Pactorum Velaviensium resultantibus, per Commissarios utrinq; nominandos, ex præscriptô Pactorum quamprimū agatur, Serenitas S. El. suam etiam in hanc compositionem pronam propensamq; voluntatem vicißim testari, & prædictis Dominis Legatis indicari jußit, nihil se quoq; magis exoptare, quàm ut omnia discordiarum semina, Sacro inter Poloniam, domumq; Electoralem fœderis, amicitiæ & vicinitatis vinculo contraria, si quæ fortè sint, quàm primùm radicitus evellantur; nam & Suā Ser: El. habere etiam prætensiones & negotia, ex ipsis dictis pactis aut resultantia aut in iis fundata, quorum tamen hactenus noluerit mentionem facere, cum crediderit, per atrocia illa bella, quibus & inclyta Polonia, & Sua Ser. El. in præsentiarum impliciti sunt, grave hoc aliquatenus fore & incommodū. Velle tamen S. Seren. Electoralem, si R. S. Majestati, ita videatur, hâc in parte officio suo non deesse & expectare, quodnam tempus, quemve locum S. R. M. & Resp. commißioni huic peragendæ præfigere velint, aut si R. S. M. (uti iteratò declararunt DD. Legati) hâc de re sententiam S. Seren: Electoralis nosse desideret, petere eam R. S Maiestatē, ut bimestre illud spatium, quod commißionibus ejusmodi celebrandis in pactis dictum est, usque ad finem illius, quæ instat, expeditionis bellicæ, in mensem usque Novembrem præsentis anni prorogare velit; Cum Sua Ser. El. in hâcce commißione operâ cujusdam ex ordine Ministrorum suorum uti decrevit, quem prædictæ expeditioni interesse oportet, & qui pro suô, quô est, in colendâ inter Poloniam & Suā Ser. El. amicitiâ studiô, non sine insigni utriusq; partis utilitate tam gravi negotio adhibebitur; pro loco autem tractatus videri Suæ Ser. El. Urbem Gedanensem maximè commodam. Ad quæ cum prædicti Domini Commissarij reposuerint, confidere illos, Reg. S. Maj. in prorogationem istam, propter causas tam æquas tamq; sonticas expetitam, haud gravatè consensuram, placuit invicem, ut prædicti utrinsque partis Commissarij componendis hisce ex dictamine pactorum controversijs die 30. Novemb. anni præsentis conveniant, ita tamen, ut si forte propter impedimenta aliqua prægnantia Regia S. Maj & Resp. suos Cōmissarios pro conventô terminô expedire nequeat, bimestre tempus in Pactis expressum, denuò observetur, conventus quoque iste hîc Regiomonti celebretur; quippe quem locum Reg. S. Majestatis & Reip. Legati propter respectum vicinitatis erga Lituaniam ac alios collimitaneos, atque complures cæteras rationes commodiorem Gedanensi urbe judicaverunt. Quæ omnia utrinque ritè acta & transacta esse, præsens documentum locô Prothocolli confectum. Regiomonti 26. Maji 1690. A. C. 1698

Sed cum spatium illud sex mensium, quo res dilata, nunc ultra octo annos exactum sit, nunquam tamen mentio commißionis instituendæ vel

A.C. 1698 minima facta fuit; ex quo liquidò apparet eum tantum in finem de commissione & prætensionibus crepari, ut Elector prohiberetur de traditione Elbingæ expostulare. Equidem nunquam defugiet Elector Commissorialem disquisitionem per deputatos utrinque constitutos habendam, coram qua, prætensiones, quæ hinc inde adferuntur discutiantur; cum & longe plures & graviores habeat prætensiones, quàm quæ à Parte Reip. adferuntur; sed ut negotium Elbingense inter prætensiones referatur, & de ea coram commissione agatur, id nunquam permittet Elector, cum id contra expressam pactorum Bydgostiensiũ sit dispositionem, quæ vult ut vacua Elbingæ possessio tradi debeat, NB. citra ullas prætensiones vel dilationes, præsidio S. Ser. Elect. munienda: &c.

Cæterum uti nulla spes supererat Electori, jus suum per traditionem Elbingæ consequendi in Comitiis, ita & extra Comitia adhuc minor affulgebat spes. Tentatum id quidem sæpius, tum apud Seren. Reges, tum apud præcipuos Senatores, sed ab omnibus responsum: rẽ istam à se non pendere sed ad universos spectare ordines, adeoque in comitijs tractandam esse.

Sensit Seren. Elector hâc ratione sibi illudi, cum quasi in gyrum circum ageretur, & à Regibus ad Senatores & ordines, ab his ad Reges remitteretur; adeoque id sibi unum esse reliqvum & faciendum putavit, quod jura divina ac gentium ipsi permitterent, nimirum, ut ipse possessionem urbis Elbingensis ex tot pactis conventis ac juratis, & propter justissimas pariter ac gravissimas causas sibi competentem, hactenus verò contra fidem juratô datam injustè negatam arriperet,

Nec enim quis adeo hospes esse potest in jure divino ac gentium, ut ignoret, vel dubitet, pacta servanda esse, fidem juratô datam non fallendam; secus si fiat, jus læso esse, id, quod sibi debetur, etiam armis prosequi. Quod si privato cuivis pignus seu hypothecam in re aliqua ipsi constitutam ubivis vindicare liceat, quantò magis id summas inter potestates locum habere debet, inter quas judicia cessant. Nec enim in alienatione naturaliter requiritur traditio, sed pactum dat simul jus in re & facultatem rem occupandi, ubicunque reperitur. Sic cùm pacta jurata concederent Electori, primò plenum urbis Elbingensis dominium, deinceps possessionem vacuam ejusdem urbis, donec summa conventa persolveretur; & verò nullis rationibus, aut modis eò res deduci potuerit, ut possessio spontè traderetur; quid juri naturali, divino ac gentium magis conveniens esse potest, quàm arripere possessionem, quo meliore modo fieri possit, quæ omni jure divinô ac humanô debetur? nemini enim injuriam facit, qui suo jure utitur; inprimis cum nullum in orbe judicium sit constitutum, ad quod pertrahere Regem ac Rempub. Elector posset: coram commissarijs verò jus suum circa Elbingam prosequi nullatenus ex pactis teneretur; uti supra latius demonstratum. Verùm ab armis & violenta occupatione urbis tum piè defunctus Elector, tùm modernus semper abhorruerunt, ob affectum inprimis erga Rempub: ingeneratum, & ne vel minimâ in re tranquillitas publica læderetur; quin potius tanto temporis tractu sponte omnia præstiterunt, ad quæ ex pactis obstricti erant: renovationem scil. seu confirmationem pactorum quoties casus existeret, & auxilij ex pactis debiti præstationem, imò & ultra debitum, quod quidem toti Reip notum est. Cum igitur vis, quamvis jure licita non placeret; placuit initio occupationem pignoris civili modo, absque ulla vi hostili & obsidione tentare; quod cùm non succederet, fas sibi esse putavit Serenissimus Elector possessi-

sessionem pignoris, eidem per æternum fœdus & fidem juratã constituti, sed quæ hactenus contra pacta negata fuerat, quo tandem expediet modo apprehendere. *A.C.* 1698

Hic objicere quis posset, cùm non ita pridem Joannisburgi conventum esset, & Serenissimi, Rex atque Elector, unâ cum præcipuis aliquot Regni Senatoribus amicas dextras junxissent & æternã ac inviolabilem amicitiam invicem promisissent, cur non de traditione Elbingæ mentio facta? cur non eadem postulata? cur non declaratum antè fuisset, Electorem jure suô usurum, & si non traderetur urbs, ejus possessionem occupaturũ? Respondetur, hoc non nisi gravissimâ & justissimâ ex causâ fuisse omissum. Præsciebat enim Elector, quodnam à Seren. Rege ac Optimis Senatoribus responsum laturus esset; nimirum, traditionem Elbingæ non esse in sua potestate, sed ad universos Regni Ordines spectare, absque quorum præscitu atque approbatione illa fieri non posset; adeoque eâ de re proximis in comitijs agendum esse. Aliud responsum nec exigi nec dari potuisse, cuilibet, cui status Regni Polonici cognitus est, tã est notum, quam nihil supra. Cum igitur tali accepto responso nihil effectum & tamen ex eo illud incommodi acceptum fuisset, ut cum pateret destinatũ Electoris, quamvis justissimum, ad effectum tamen ejus impediendum urbs novo præsidio ac milite firmata fuisset, adeo ut deinceps non nisi justa obsidione & hostili vi occupari potuisset: prudentissimè judicavit Elector id nec Reip. nec sibi expediri. Addi potest, cum omnia in conventu isto Johannisburgensi ad mutuã benevolentiã & simplicẽ hilaritatem excitandam composita ac parata essent, noluisse Electorẽ injicere mentionem rei, quam sciebat ingratam futuram, irrito inprimis successu. Verùm ut mens Seren. Electoris prorsus denudetur, & de intentione ejusdem circa occupationem Elbingæ Serenissimo Regi, inclytæ Reip. & universis ac singulis, quorumcunq; interest, aut interesse potest, liquidiùs constet: declarat hisce Seren. El. coram totô terrarum orbe, se fœdus istud æternum nuper renovatum, quod cum Serenissimo Rege ac inclytâ Rep. eidem est, & cujus vigore Elbingæ possessio Electori debetur, sanctè atque inviolabiliter servaturum, & omnia ad quæ ex eodem obstringitur, optima fide præstiturum, privilegia urbis Elbingensis, commercia, statum Religionis, & quicquid ea de re in pactis habetur, religiosè conservaturum; ne ex ea urbe, quamdiu in sua potestate erit, vel minimum damni Reipub: & inprimis vicino Episcopatui Varmiensi, civitati Gedanensi & circumjacentibus terris inferatur, omnibus impediturum viribus, quin potius operam daturum, ut ex eâ parte, securitas Reipublicæ plena adversus omnem vim externã ingruentem constet, non secus ac si Reipub: præsidio urbs insessa foret, jura, actiones, & quicquid prætensionum alij in urbem & cives, aut urbs & cives in alios habent, sarta tecta conservaturum, curaturumque ut secundùm leges ac consvetudines in urbe receptas æquabilis administretur justitia; denique aliô titulô se urbem non possessurum, nisi pignoratitiô aut Hypothecariô, adeoque, cùm eidem de summâ conventâ, & eo quod justè peti potest, satisfactum fuerit, statim & absque morâ se urbem cum territorio, & proventibus futuris Serenissimo Regi atque inclytæ Reipublicæ eo in statu, qui requiritur in cautione seu declaratione istâ, quam ipse piè defunctus Parens Bydgostiæ die 6. Novembris 1657. dedit, restituturum, nisi aliter convenerit.

Sil. Lib. II.

-- -- Neu rumpite fœdera pacis.
Nec Regnis postferte fidem -- --.

COPIA

A.C. 1698

COPIA LITERARUM REGIARUM LEOPOLI 29. Octobris scriptarum ad Senatores.

TAm inimicus nec speratus Electoris Brandeburgici in aggredienda Elbinga actus, sine debita in publicum denuntiatione & nec minimâ ad nos, statusq; Reipub: factâ requisitione (id enim fas armorum & jus hostium) quàm sensibiliter perstrinxit cor nostrum, quàm justam ad vindicias porrexit occasionem, quivis prudens optimè intelligit. Non concoquenda enim hæc indebito modo aggressio, ita in corde nostro hæret, ut oblivisci nosmet ipsos deberemus, si tantas Reipub: injurias inferremus, & tunc publico huic malo indormire deberemus, quando offensivè lacessimur, & tam adversam ab amico & fœderato Principe, loco gratitudinis experimur injustitiam. Igitur quia inde momentanea impendent pericula, dilato itinere nostro in Litvaniam, currimus citatis passibus Varsaviam, ut in tanto casu quantocius præsens consilium pro 12. Novembris convocemus; & quàm efficacissima juvandæ patriæ, & defendendæ accipiamus media, pro cujus integritate, saluteq; vitam, sangvinem & quidquid charum nobis esse potest, impendere ac immolare, hanc defendere, hanc tueri, & omnia fortia facta gloriæ ejus resignare præcipuum sacramentum. Trahimus ad has ipsas conjuncturas expertam tuam capacitatem, & incomparabilem in consiliis maturitatem, ferventissimâ urgendo compellatione, ut innato tuo erga bonum publicum amore, & sincera propensione concurrere velis, in tam gravi casu, quando urgentibus fatis nihil jam præstare fortuna majus potest, inclinatam ad ruinam firmes patriam, dum à solito zelo tuo, & illibato candore firmiter expectamus. &c.

COPIA LITERARUM REGIS AD EPISCOPū PLOCENSEM Nominatum Varmien: eodem die Leopoli.

NON alio fine propriâ personâ, cum exercitu nostro in præsentem exiveramus, ut benè Sinceritati tuæ notum, expeditionem, nisi ut Regno nostro uberrimos fructus, & decora augeremus. Sed quantùm insperata de imminenti tractatu cùm Porta Ottomanica, præcipuè in fundamento acceptato, sine nobis & contra nos, uti possidetis, ita possidete, *nocuit notitia optimis, & expectatis conjuncturis loco prosecutionis bellicæ, expeditionem celerrimam Legati meditando, is tantùm cognoscere non potest, qui non vult mensurare dolorem eversarum intentionum nostrarum, in erectionem tam pulchri exercitus, quo optavimus nobis antiquum repetere littus limitum Polonicalium ad Danubium, & eo ipso casum videre Cameneci, è manibus hostium ad nostras revertentis, & qui non considerat, quomodo jam planè, in medio cursu cogitationum nostrarum, excidimus ab omni desiderato bono opere, & adhuc videre non possumus, quæ fata nos manent, quamvis jam proclamatæ pacis. Interea tamen sufficit, quòd adhuc per hunc casum, nihil boni in favorem patriæ fieri potuit. Inter infelicitates numerandi sunt incessantes adhuc M. D. Lit: motus, super pacificationem quorum, te teste, cooperatoreq; quinq; integras septimanas cum omissione temporis ad bellicas operationes commodi, Varsaviæ laboravimus, malignitas tamen adversæ cujusdam fortunæ, usq; nunc rotat omne fatum, quòd omnes ad eundum finem concordiæ, & unionis eundo, invenire nequimus terminum. Sed superat omne malum recens vulnus, ab Electore Brandeburgico, ad quem per æternum fœdus, bona malaq; hujus Reip: pertinere debent, dum loco debiti contra paganos, & vindicationis Cameneci succursum fortalitia Reipub: aggreditur, ad deditionem cogit, non præmissa priùs ad sopiendas mutuas prætensiones commis-*

missione, non requisitu mediatoribus, uti ex pactis intererat. Propter quod insperatum emergens, cum ex campo in Litvaniam divertere voluissemus, pacificandis illius Ducatûs dissidiis, Leopolim inprimis ad Consilium divertere debuimus, & illud pôst, pro 12. Novembris Varsaviam transferre, post quod finitum iterùm eò movere obligabimur, ubi expedit, quàm celerrimè exulceratis animis opportuna adferre medicamina, quomodo autem id cedet, res ab anticipato pendet eventu. In his proinde circumstantiis, cùm ex una parte inter spem incertæ pacis, ex alia, inter metum apertæ & in dies augentis se in Litvania diffidentiæ; ex tertia, inter pericula, vigilantis ad infortunia nostra vicini, versemur, quomodò ergo ulterius procedendum sit, si ad sopiendum malum, comitiorum destinatio, certa possit esse medela, si antè pacificationem dissidiorum potest esse, & quando comitia in futuro, cujus terminum jam insinuavimus consilio, tractandum erit, cui ut omninò adsis, &c. A.C. 1698

COPIA LITERARUM A CIVITATE ELBINGENSI AD ILLUSTRISSIMUM EPISCOPUM PLOCENSEM.

IN hoc ancipiti rerum statu ubi hesterna nocte circa primam Serenissimus & Potentissimus Elector Brandeburgicus per Exercitûs sui Generalem Illustrem D. Brandt aliquot cohortibus stipatum hanc civitatem Regiam inter tranquilla tempora, nihil quicquã hostilitatis submetuentem tanquam hypothecam ultra quadraginta annos sibi obligatam, armatâ manu occupare voluit, inprimis ad Illust:& Rever: Celsitudinem Vrã, tanquam Episcopum Varmiensem nominatum & provinciæ hujus Præsidem gratissimum futurum recurrendum duximus, summum civitatis hujus discrimen profundâ veneratione exponentes. De causâ hostilis adventûs certiores redditi per Deputatos nostros in suburbio à suprà dicto D. Generali posthabitis omnibus rationibus à nobis allegatis multis precibus, vix unius vel alterius diei spatium obtinuimus, quibus periculosissimum civitatis hujus statum ad Seren: R. M. Dominum nostrum Clementissimum, per Secretarium, quem, bene memores novissimè præstiti homagij ad ipsamet Castra Ser: Regis illico cum literis expedivimus, & insimul Illust: & Rndmæ Celsitudini V. majorem in modum commendamus deferre, potissimùm ne hæc civitas, utpote membrum Reip. Polonæ nexu individuo incorporatum inscia Rep: tali modo avellatur. Urgente itaq; necessitate Illust: & Rndmãm Celsitudinem V. instantissimis imploramus precibus, quatenus hunc principalem rerum statum, quàm citissimè S. R. Majestati haud gravatè significare; ac insuper saluberrimum, quo pro consummata prudentia sua maxima pollet, consilium nobis omni auxilio destitutis gratiosissimè suppeditare dignetur. Cedet hoc in perennem Illust. & Rndmæ Celsitudinis V. gloriam, apud posteros nunquam morituram, & nos pariter hanc insignem nobis præstitam gratiam omni veneratione & obsequiorum nostrorum promptitudine demereri studebimus. Qui lætissima quævis, & auspicatissimum in hanc provinciam ingressum comprecantes manemus Illustrissimæ & Reveren-

A.C.1698 verendiſſimæ Celſitudinis Veſtræ &c. &c.

RESPONSUM AD LITERAS ELBINGENSIUM.

QUantum me perſtrinxit tam infauſtus, tamq; inſperatus Nuntius de obſidione Elbingenſi, facilius eſt animo menteq; concipere; quàm calamo exprimere liceat. Profectò ſi hodie pleno jure me invenirem ad Cathedram Varmienſem, videret illa Provincia, quantâ efficaciâ certarem pro illius conſervatione. Interim tamen pro ſingulari mea in illud antemurale Varmiæ, Pruſſiæq; inclinatione omnes vires, ſtudiaq; mea apud Seren: M. impendo, ut quantociùs præſtet ea, quæ in hoc ſubitaneo caſu credet fore neceſſaria. Quod dum conſtanter polliceor, &c.

CXIX.
CARDINALI BARBERINI, Varſaviâ 16. Novembris.
Laudat & commendat Patrem Sallarolli.

CUM videam retardari expeditionem meam pro Epiſcopatu Varmienſi, credo poſſe confidere me hoc negotium eò diligentiùs ſollicitandum Patri Alexandro Sallarolli, quò meliùs noſco rerum maximarum, & magni cujuſvis negotij tractandi capacem. Venit hic Pater ab annis duobus in Poloniam, dum Anteceſſor meus Joannes Sbaſcius Epiſcopus Varmienſis, empto ſatis pulchro hic Varſaviæ, & amplo palatio, Religionem Theatinorum in eodem fundavit, advocatis ex Italia Patribus, quibus digniſſimè præfuit dictus Pater Sallarolli, & ita applauſum & affectum omnium meruit, modeſtè & integrè vivens, nec in ſe quidquam habens, quod reprehendi poſſit, ut nullus inveniatur ex Magnatibus, cui non ſit in amoribus, Rex Seren: quoq; graviſſimas res Romæ tractandas habens, non alium pro negotij mole ad eas elegit, præter dictum Patrem, uti hoc ipſum meliùs literæ Regiæ ad Pontificem, & ad te ipſum, tanquam Protectorem Regni noſtri abundè teſtabuntur. Condecoravit eundem Patrem Sua M. præter characterem miniſtri ſui in urbe actualis, titulo Theologi ſui, & mihi injunxit, ut omnes cogitem, recogitemq; modos, quibus S. M. & pro domo ſua nobiliſſima, & pro ejus perſona ſingulare aliquod affectûs Regij poſſit palàm facere documentum. Cùm ergo jam magno hic ſui deſiderio relicto proficiſcatur à S. M. in graviſſimis, ut dixi, & ſecretiſſimis negotijs Romam deſtinatus, ego quoq; negotium Epiſcopatûs mei expediendum ei commiſi, ſciens, eum adeo bene omnia facere, ut ſi quis aliquid ad vota effectum velit, ipſi committat, & certè neminem eo meliùs. Unum eſt, quod impetrare vellem, ſi quid preces enixæ valent, ut tu Princeps Eminentiſſime virum hunc amore dignum ita æſtimes, ut meretur, & non dubito; eum qui hîc eſt in tanta confidentia, & apud Regem & apud omnes majoris notæ Magnates, ibi quoq; dignam meritis, pietate, ac in rebus gerendis dexteritate inventurum æſtimationem. Non ago multis apud te, nec eum pluribus recommendo, ſe ipſum enim, & me melius multò, ille recommendabit. &c.

CXX.
AMICO CONFIDENTI 12 Decembris.
De Mediatione inter Colligatos & Turcas.

TEmpus mihi non eſt, multa ſcribendi, ſufficiet proinde nunc, ſi tibi miſero haſce annexas, quas hoc ipſo momento à Palatino Poſnanienſi accepimus. Tres inſimul venerunt non ſine ſuſpicio-

spicione, detentas fuisse, ex illis facilè intelliges, quæ inde speranda sint. A.C. 1698
Adjungo etiam Senatûs consilium Leopoliense, & literas ad Tribunal Regni.

COPIA LITERARUM A PALATINO POSNANIENSI EX CASTRIS DE PETERWARADIN 27. Novembris.

NOndum negotia pacis incepimus, quibus Polonicæ res & Moschoviticæ in arena agitabuntur, Germani & Veneti jam suas fere habent conclusas, aliqua tamen non minoris consequentiæ concludenda restant, & propterea frequentior commeatio Secretarij Anglici sub prætextu ceremonialium concludendorum. Diutior erat controversia inter illos de Transylvania, ut ad neutram partem pertineret, & ut Principes Transylvaniæ per turnum ab utrinq; constituerentur, Petervaradinum ut demoliretur, at utrumq; hoc cesserunt Turcæ, nunc credo durius aliquid tractari. Rediit heri idem Angliæ Secretarius ad Legatos Imperatorios, qui sub *Futaio* hinc unâ leucâ consistunt contra conventionem, quia hic Petervaradini jungi debebamus. Habui responsum ad literas meas, quas ad Mediatores scripseram, illarumq; copiam annecto. Cùm verò adventu Cæsareorum Plenipotentiariorum apparuerint tria millia Exercitus Germanici, cum Commissarijs Turcicis totidem militiæ Turcicæ, fixa sunt castra ex opposito ad invicem, in medio castrorum assignatæ stationes, pro Legatis cujusque nationis. Penes castra Germanica Commissarijs Cæsareis assignata sunt loca, penes quos mihi, pòst Moscho & Veneto, tandem Mediatores claudebant lineam, Turcici verò Plenipotentiarij penes gentis suæ castra, verùm dum mei in devehendis Petervaradino papilionibus & cortinis demorantur, à Moscho interim occupatus est locus mihi destinatus, tentoria posita; unde contentiones per duodecim dies integros subsecutæ, quæ nullo alio modo sopiri poterant, insistente me pro gloria Regis & honore gentis, nisi translatione castrorum ad Carlovicios, ubi ego collateraliter cum Cæsareis meam accepi stationem, Mediatorum Legati accedebant nos, moderando ab utrinq; propositiones, & ad conclusionem tractatûs convenire debebamus omnes cum Turcis ad quoddam ex lignis tentorium in eum finem ædificatum. Antequam verò convenissem, jam indicia mali affectûs Legati Moschovitici habui, quamvis ejus affectum demereri volui omnino, & ille etiam satis bene se declaraverat aliquando usque ad invidiam cæterorum, sed secundùm id, quod habui Viennæ, persvasum est ipsi, ut mecum de præcedentia certaret, quando incerto quasi passa porto ex Cancellaria Cæsarea edito, dum confœderati commemorabantur, prius Moschũ quàm Polonum posuerunt; & cùm etiam Commendans Petervaradinensis invitare nos ad prandium voluisset, præmonuit eum Moschoviticus de præsensa præcedentia. Cumque ergo tardius venissem, & cum salutatione ad eum misissem, tantùm resalutatus fui, sed non visitatus, ut moris est. Unde Secretario ejus ad me invitato, dixi, quærendo, utrùm aliquis non seminet zizania? quòd illum alienum à me viderem, quem libentissimè reciprocè visitarem, si id moris foret, respondit ille, quòd visitatio hæc intermissa ab illo non fuerit ob aliam rationem, nisi quòd pedibus malè valeat, sed modò convalescat; certè id fiet. Loquebatur hic Secretarius latinè, & nunquam Ducem Moschoviæ aliter vocabat quàm Rex noster, ingessitque discursum de paritate cum Regibus, ego autem satis parcè locutus in hac

Controvertitur de præcedentia inter Polonũ & Moschoviticum Legatos

A.C. 1698 materia, quòd scilicet Imperator omnes præcedat, pòst sequantur Reges, inter quos non est distinctus ordo; alij potentes Principes & Duces sequuntur Reges, miseram pòst ad illum, gratulando felicem magni Ducis in Moscoviam adventum, & lætando ex felici victoria sub Kasikermen. Gratias ille egit, rogans vicissim, ut Secretarium suum ad eum mitterem, coram quo magnum dolorem expressit, quasi ego inferiorem Dominum ejus Rege Poloniæ fecissem, & multùm id exaggeravit, sed ego omni præcautione agendum ratus, iterum misi incusando ejus Secretarium, quòd malam fecerit relationem, quia, si fuit aliquid discursûs, nullam intentionem habui lædendi vel in minimo Domini ejus, cujus strictissima amicitia cum Rege meo est mihi nota, perspectaque, & quòd nihil mihi sit magis cordi, quàm ut cum Legato illo in magna vivam confidentia, & ut unanimi corde & ore mutuæ res tractari possint. Multùm ergo fuit contentatus ex hac declaratione & promisit, pertinaciter se prosecuturum, quidquid voluero. Nescio tamen, quomodo hæc prætensio sopietur, cùm in tam delicata materia, ubi nulla media acceptanda sunt, difficile sit agere, ne eo ipso prætensio ejus confirmetur. Iterùm alia occurrit difficultas, quòd dum feliciùs tractatum me finiturum crederem, minimè id sperans, ablegare me voluerunt, usque dum Moschus fineret, & Venetus, unde nova tempestas. Protestatus sum de postpositione, allegans Principalem meum Regem Seren. præcedere debere alijs præter rationes ex jure & consvetudine sumptas, id quoque quemlibet convincere debet, quòd ante omnes Colligatos in primis Polonia cum Cæsare fœdus suscepit contra Turcas. Non video Commissarios Cæsareos nobis valde affectos, sed spero auxilium ab altissimo &c. &c.

COPIA LITERARUM AB EODEM DE PETROVARINO
2. Decembris.

Cõtrovertitur contra restitutionẽ Camenеci

De 25tâ Novembris præmonitus fui à Mediatoribus imminere conferentiam meam cum Turcis, & in locum ordinarium congressûs veni, & post mutuas salutationes accedentes ad rem, antiquam amicitiam in memoriam reduxi, quæ inter has nationes florebat; & optavi, antequam ad propositiones veniremus, ut ante omnia integram restitutionem Cameneci absq; ullo dolo, & cum omnibus intus tormentis, & apparatu bellico rehaberemus, ad quod Maurocordatus explicato sermone meo Reisefendemio, post aliquam conferentiam respondit: facta mentione & antiquæ & futuræ amicitiæ cum gente nostra, quòd propositio mea pugnet contra fundamentum positum, & nomine nostro acceptatum; *uti possidetis*, quod si everteretur, tunc & tractatus sublato fundamento nequiret subsistere. Respondi ad hæc, quòd meum non sit intrare in quæstionem de fundamento pacis jacto, quod ego non impugno, sed hoc fundamentum strictè me obligare nequit; non interfuimus nos, dum illud stabiliebatur, & sum certus, Confœderatos nostros nullam intentionem habuisse faciendæ nobis alicujus per istud fundamentum injuriæ, & propterea in favorabilem nobis partem accipiendum est; sed etiamsi illud strictè accipiamus, nonne in eodem fundamento mentio facta est aliquorum fortalitiorum evacuationis, quod ego in favorem Cameneci pro parte nostra accipio. Respondit mihi, quòd evacuatio intelligi debeat de minoribus fortalitiis, uti illa in Moldavia tenetis, quæ nullius sunt considerationis, nos ergo requirimus,

mus, ut secundùm positum fundamentum evacuentur, & secundùm illud possessores retineant Camenecum, quod actu possident, eodem modo, qui potentia, fiat sanè; ad quod respondi, quòd fortalitia, scilicet totius Moldaviæ districtus, quem possidemus, non est minoris considerationis, non tantùm quòd Principatum post se trahat, & totam provinciam, sed quod sint illa fortalitia effectivè fortia & ex situ loci, & ex nova fortificatione, & totus planè pedester miles noster in illis præsidiis est dispositus, præter Cosacos & conscriptas Valachorum cohortes. Quod verò attinet, ut evacuatio in fundamento memorato debeat vobis, non nobis servire, hoc fieri nequit. Nam, potestne vobis cogitatio suboriri, Colligatos nostros, de quibus melius vosmet ipsi scitis, quantum de illis bene in hoc bello meriti sumus; intentionem non habere restituendi nobis Cameneci. Imò num imaginari vobis potestis, nos sine Camenecu vobiscum pacem inituros, sciendo bene, nos ad hoc bellum non aliâ ratione tractos esse, nisi spe Cameneci, quod nobis tanto sangvine & tot millionibus constat. Potuissetisne circa stabiliendum fundamentum id cogitare, nos eò tam facile cessuros? Non vobis ergo sed nobis evacuatio commemorata favorabilis esse debet, cum etiam in eodem fundamento commemorando nos, additus est hic terminus: *utiliter stabiliendo*; quæ autem utilitas nostra foret, si vestræ interpretationi subesset. Post longissimas controversias, quæ ultra quinque horas durabant, respondit Maurocordati: frustra vos in merito causæ fundatis, quia justam non habetis, sed Imperator Dominus noster non est alienus, ut ex generositate sua & memoria antiquioris futuræq; amicitiæ non faciat id propter vos. Legite vobis fundamentum, & invenietis ibi commutationem insinuatam, sat ergo sapienti. Reposui ego, quòd merito & justitiæ causæ meæ confidam, sed si ad id accedet respectus amicitiæ Imperatoris Turcarum, cum Rege meo & Repub. hanc viam tenebo, quæ mihi erit favorabilior. De commutatione verò, ut loquamur, nullam video necessitatem, ubi mihi evacuatio suffragatur. Dum verò jam sera nox esset, credidimus melius fore per mediatores aliqua disponere ad tractatum ulteriorem, & antequam separati sumus, feci recapitulationem & præcautionem, quòd aliquid ex Moldavia, & in Budziaki pro possessis habeamus, & illi vicissim id declarârunt, quòd & Camenecum, & cum eo Podoliam & Ukrainam habere prætendant, quia hoc fortalitium est tam magnum, ut illo duæ Provinciæ sustineri possint: ego respondi, quòd Ukraina sit quid destinctum, Podoliam verò tenemus, possidemus, & præsidijs firmatam habemus, ita, ut Cameneco nec egressus sit liber. Non pertinet Podolia ad Camenecum, sed Camenecum est extremum Podoliæ, tanquam accessorium sequitur suum Principale. Ad extremum in hac disputatione inter mutuas obligationes separati sumus. Vidi autem contentos illos satis fuisse ex modo tractandi mecum, cujus & coram mediatoribus mentionem fecerunt, ego etiam vicissim illud ipsis tribuere possum, quòd inter cultas nationes rarò ita discreti & prudentes inveniri possunt, uti, in hac conferentia enituit eorum dispositio ad restitutionem Cameneci, sed pro eo vellent totam Moldaviam, in quo coram Mediatoribus protestatus sum, me non habere potestatem cedendi ex realiter possessis, in quo separatam conferentiam cum illis habui nuper, hoc eodem & Cæsareis Legatis declarato. Notandum, quòd in ea conferentia cum Turcis omnes propositiones, sicuti pelles Tartaricas, & alia puncta intimavi, sed necdum circa illa in controversiam venimus. A. C. 1698

A.C. 1698

AB EODEM QVINTA DECEMbris.

ADhuc laboramus, utinam aliquid capere possimus! quæ verò satisfactio nostra sit in hoc tractatu, facile concludes ex continua frigidissima intemperie, & mea tam præcipiti expeditione. Germani jam puncta quasi conclusa habent & miserunt ea nuper Viennam per Marsilium. Moschus itidem rem habet conclusam; Venetus resolutionem à Rep: expectat circa demolitionem quinque fortalitiorum, à qua nullatenus Turcæ recedere volunt. Ego iterum heri totâ die à nonâ matutina usque in seram noctem disputavi cum Turcis, qui nullatenus in memoriam reducere Valachiam aut Moldaviam volunt, ut aliquid ex illis participare possimus, sed simpliciter dicunt, ut contenti simus antiquis limitibus, qui fuerunt, antequam Camenecum captum fuisset, cujus inprimis demolitionem urgebant, pòst, dum ab ea recesserunt, voluerunt, ut ad minimum pons magno sumptu recens erectus, qui civitatem ab arce separat, destrueretur, sed post longissimam controversiam, & id cesserunt tandem, ut tormenta educerentur, pertinaciter disputârunt, volentes omnino simul cum præsidiarijs educere, affirmantes quòd illorum Religio exigat omnino similia, supra quod punctum longissima fuit disputatio; ad extremum ad Imperatorem suum hoc remittunt, assecurando quòd per instantiam Mediatorum illa nobis cedent; sed ego nullatenus id acceptare volui: & hoc punctum non est decisum. Accesserunt pòst ad demolitionem fortalitij sanctissimæ Trinitatis, sed post longam controversiam, & ab hac recesserunt. Maxima difficultas versatur de pellibus, seu Kożuchy Tartaris debitis, quas pro præterito dimittunt, sed pro futuro nullatenus cassare volunt; & hoc ad pacificationem cum Hano amicabilem in præsentia Legati nostri Constantinopolim differunt, sed nec hoc ullo modo concedere potui, sciendo bene, quomodo in illa aula similes nostræ spes nos fallebant, cùm etiam is modus tractandi esset pars quasi particularis tractatûs pacis, quod & Cæsareis Legatis insinuavi, ne id fieri permittant, qui hodie in eo puncto cum Mediatoribus se acturos promiserunt.

Iterum controversia de Cameneco.

De pellibus Tartaris debitis.

COPIA LITERARUM AD EXCELLENTISSIMOS DD. Plenipotentiarios Cæsareos ab Excell. D. Poloniarum Legato, die 16. Novemb. Petervaradinô.

CErtus sum meminisse Excellentias Vestras promissæ mihi explicationis tertij puncti in projectis ad facilitandas congressûs conferentias mihi per Illust: D. Secretariũ Tielt nomine Excellent. DD. Mediatorum exhibitis, ut ego quoq; consensum meum illis præberem. Cum prædictum punctum tertium aliquid in se obscuri involvat, præcavi mihi primò apud eundem Illust: D. Secretarium, deinde apud Excellentias Vestras, in tantum me huic puncto consentire, in quantum mihi favorabilis ejus dabitur explicatio, & assecuratio, scilicet nequaquam Excell. Vestras habere voluntatem conficiendi, & conscribendi ullo modo tractatus cum Turcis, donec etiam nobis in prætensionibus & tractatu nostro satisfactum fuerit. Quod si verò Turcæ confectis cum Excell: Vestris punctis ejusdem tractatûs satisfacere prætensionibus nostris abnuerent, non deserturas nos Excell. Vestras neq;, pacem suscepturas & subscripturas, sed tamdiu nobiscum in societate per-

permansuras, secundùm expressam conventionem sacri fœderis, donec etiam nobis fœderatis satisfiat. Atque præsentibus Vestras Excell. rogo, quatenus in responso ad me dando promissis suis stare dignentur. Hodiernâ die sperabam aliquam notitiam, prout Illust. D. Secretarius promiserat, eorum quæ die hesternâ cum Turcis in conferentia pactus sum. Rogo itaque, ut tam hesterni quàm hodierni tractatûs possim esse particeps. Indoleo valde novos iterum Excell. D. Moschoviæ Legatum struere obices de præcedentia tractandi, cùm ab Illust. D. Secretario assecuratus sim, quòd prout quisq; ad sacrum fœdus accessit, eo etiam ordine inire deberet, nunc quid novi evenerit, quòd hæc tempestas rursum mota, penitus ignoro. Rem mihi sanè jocosam heri D. Generalis Hehm super definienda hac lite alearum lusu proposuit aliud medium, nempe ut scripto declararetur nullam hic præcidentiam aut in tempore tractandi intelligi debere, servatis servandis acceptavi, sed miror, quòd per ipsum nihil hac super re ab Excell. V. acceperim, imò cùm ad illum pro accipiendo misissem fato, cùm abivisse eum mihi nunciatum est, nunc super his omnibus ab Excell. V. & significationem obnixè rogo, prout etiamsi Excell. Vestræ, prout idem ipse mihi retulit, habeant in destinatis ex campo contra mœnia civitatis hujus migrandi, & Turcis propter commoditatem domos suas relinquendi, quorum omnium notitiam cum summo desiderio ab Excellentijs Vestris præstolans, optimam eisdem valetudinem & prosperos rerum successus ex animo exopto. A.C. 1698

COPIA RESPONSORIARUM AB EXCELLENTISSIMIS DD. Plenipotentiariis Cæsareis ad Excellentissimum D. Poloniæ Legatum 17. Novemb. 1698 in castris sub Karlowić.

AD hesternas Excellentiæ Vestræ Responsorias ulterius insinuandum habemus. Nos heri totâ die congressum in seram usq; vesperam continuasse, eoq; consiliorum nostrorum rationem perduxisse, ut generali eorundem ideâ statutâ, nunc DD. Confœderatis quoq; tractandi locum dare possimus, quatenus & ipsi eodem modo sua promovere valeant negotia, Turcis etiam desiderium hocce comprobantibus, quòd citius generali nostrum omnium pace absolutâ loci rigidæ tempestatis hujus incommodis sese explicandi occasio fiat.

Cùm autem de ordine, quo DD. Confœderati tractatus suos instituere debeant, quæstio fieret, nosq; nihil certi eatenus appromittere posse declararemus, eò, quòd propositionibus nostris eximiâ sinceritate erga omnes factis, quidam DD. Confœderatorum acquiescere nollent, & non obstantibus quibusvis, de abolita penes hunc congressum præcedentia remonstrationibus, inutiles & maximè necessarias competentiæ lites sibi invicem moverent, Turcæ verò temporis jacturam eâ de causâ pati detrectarent, tandem communi tam ipsorum, quàm DD. Mediatorum & nostrûm consensu resolutum fuit, ut nullus circa conferentias ordo (siquidem nemini placeat) observetur, sed cuiq; pro rerum connexione, & sua etiam convenientia dies petatur ac concedatur arbitrio DD Mediatorum, ac Turcicorum Plenipotentiariorum figendus. Interim tamen tam ob expressam fundamenti pacis acceptationem (quæ tacito merito prævalet) quàm confiniorum ubi nos tractare desivimus conjunctionem, respectu Dalmatiæ hodie cum Veneto tractare cupiunt, tùm & reliquorum successivè rationem haberi volunt, neq; nobis eatenus aliud quidquam repo-

nere

A.C.1698 nere visum fuit, cum quo ad substantiam nemini confœderatorum præjudicium quodpiam accidat, paxque non aliter, ac communi omnium satisfactione generalis fiat, neq; ordo ubi non est turbari possit.

Quamobrem Excellentia etiam Vestra pro commoditate propria tempus sibi petere à DD. Mediatoribus, eoq; uti pro libitu poterit de nobis secura, quod etsi mutato ob hanc ordinis difficultatem etiam ipsius tractatus modo conferentiis cum Dominis Confœderatis ordinariè non adsideamus, officijs tamen nostris, ubicunque opus fuerit, omni possibili promptitudine nequaquam defuturi simus. Quod Excell. V. de tribus septimanis otiosè perditis meminit, nobis imputari haud posset, sed illis qui ab initio Futakinum ad nos constituto modo accedere distulerunt, ubi occurrendo quibusvis ejusmodi difficultatibus, tempus vel maximè opportunum constitueremus. Cæterum eidem obsequiorum nostrorum commendationem repetimus, manemusq; &c.

LITERÆ ABLEGATORUM SACRÆ CÆSAREÆ MAJEST:

Illustrissime & Excellentissime Dne, Domine Legate Colendissime.

QUo super Excell. vestræ heri per certos aulæ suæ familiares inter cæteras humanissimas renuntiationes requirere operam nostram placuit, ut nimirum res & commoda Seren: Regis & Reipublicæ Poloniarum in præsenti pacis cum Porta Ottomanica tractandæ congressu officiis nostris adjuvare & fidelibus studiis promovere velimus, idipsum quantumvis ob sinistras, inutiles & nullo modo sustinendas de loco in Castris occupando quæstiunculas Excellentiæ Vestræ absentem, nihilominus arctissimi comprimis arcti, tum etiam sacri fœderis, quod August. Cæsareæ Majestati Dn. N. Clemen. cum Seren. & Potentissimo Rege & Rep. Poloniæ intercedit, item & expresso Cæsareæ Majestatis mandato ad id obstricti non intermisimus Excellentissimis Dominis Mediatoribus Angliæ & Hollandiæ Legatis plenipotentiarijs occasionem, qua eosdem primò visitavimus, negotia Poloniæ hoc in opus concurrentia omni meliori modo & possibili ut condignus eorum in tractando respectus habeatur, commendare, eo cum successu ut dicti DD. Legati ad quævis bonæ amicitiæ munia hac in parte rebus Polonis æquè ac cæteris confœderatis comprobanda promptos se paratosq; testarentur, dummodo super duobus primũ punctis præliminari declaratione scripto tenus ab Excell. V. certi securique redderentur. Primò, an Seren. Rex cum Repub. Poloniæ ejusq; nomine E. V. Seren. Britanniæ Regis & præpotentium fœderatorum Belgij ordinum mediationem in persona Dominorum eorundem Legatorum, hoc in congressu oblatam, gratam habeat & agnoscat, alterum verò, quod pari ratione priusquam tractatui manus applicetur, declarandum venit, eò recidit, ut Excell. V. mentem suam scripto expressam super fundamento pacis *uti possidetis, ita porrò possideatis*, quantocius & uno eodemq; actu explicare velit, an nimirum dictum pacis fundamentum ex ratione quâ per Cæsaream Majestatem & inclytam Venetorum Remp. pro se quidem directè, pro confœderatis suis autem utiliter solùm in eorum favorem, ita ut si non ampliores quod optamus, saltem nec deteriores conditiones obtineant, receptum est; Excell. Vestra quoque nomine Seren. Principalis sui acceptet & juxta illum tractatum hunc pacis aggredi instructa sit, quam ad ambo hæcce puncta declarationem, ut sæpius dictis Dominis Mediatoribus, qui nos eò super requisiverunt, referre valeamus unà cum facultate tractandi plenipotentiaq; secum allata nobis communicanda ab Excel-

Excellentia V. eò magis præstolamur, quò minus ante earundem exhibitionem ullus tractatui locus aut officijs nostris in eorum favore eatenus applicandis occasio esse potest. Causa etenim ob quam promissorum certitudinem ante omnia desiderent, toties dicti Dn. Mediatores satis prægnans & nobis quoq; apparet, quippe cum per literas statim post adventum suum Petervaradino ad eosdem exaratas nobisq; jam communicatas E. V. protestandi potius tam adversus mediationem, quàm ipsum pacis fundamentum, imò dissolvendi magis quàm uniendi congressus animum demonstrasse videatur, quo fortassis principio & supra memoratas de loco difficultates innui vix non obscurè suspicari liceret, in reliquo eidem addictissimi ac paratissimi ad danda quæque amicitiæ nostræ & sinceri tam erga causam, quàm personam E. V. affectus argumenta nos devovemus, manemusq; ad obsequia paratissimi. *A. C. 1698*

In Castris supra Carlowiec 28. Octob. | Wolffgangk Comes ad Obtingen. | Leopoldus Comes Schlik.

RESPONSUM AD LITERAS EXCEL. DD. LEG. CÆSAREORU.

CUM nihil in votis flagrantius habere possim, quàm ut res & commoda Seren. Regis Domini mei & Reip. quàm optimo successu in præsenti utinam auspicato & Reip: Christianæ salutari congressu nostro pertractentur, non possum non testari summam inde obligationem Excell: V. quod eædem tanquam rem communem & indivisibilem Sræ Cæsareæ Majestatis recommendatione peculiari cura dignentur; utq; ulterius amicabili & efficaci studio sub ipsum tractatum foveant; prima erit hæc mea apud Excell. V. oratio, quàm primum mihi è navi egredi; & Excell. Vestris eum qui par est, cultum reddere licuerit. Quod verò concernit puncta mihi proposita merè ad ipsum tractatum pertinentia; & primum quidem de acceptatione nomine Seren: Regis & Reip. mediationis tam verè magnæ Britanniæ Regis, quàm præpotentium fœderatorum Belgij ordinum in personis Excell. eorundem Legatorum ad tractatum huncce intervenientium. Secundum verò ratione positi fundamenti pacis: *uti possidetis ita possideie*, licet in navi adhuc existens non eo loci ejusmodi quæstiones excipiendas haberem, adeoque intempestivum esset tali ordine tractatum incipere, ac præsertim talem, quo affirmativè posito nihil ad disputandum restaret. Tamen cum super prætensis à me dubijs etiam suspicione carere velim, pati non possum, quin ad primum punctum Excellen. Vestris declarem Seren: Regem Dn. meum Clemen. & Rempub. tanto magis me suum Ministrum agnoscere & gratissimam habere mediationem Ser: Britanniæ Regis & præpotentium Ordinum fœderati Belgij in personis Excell. DD. Legatorum in hoc congressu oblatam. Neq; me unquam quidquam contra eam somniasse. Unde magno cum dolore animi percipio literas meas ad Excell. Dominos Petrovaradino datas in sequiorem sensum acceptas, quarum ego ipse oretenus Excell. suis quam primum hæc controversia de loco sopietur, explicationem daturus sum; sed & nec video unde in eam partem trahi poterant, cum & heri per familiares meos facta suis Excell. super felici adventu cum gratulatione negotium illis Reip: tanquam mediatoribus recommendassem. Quod verò secundum punctum fundamenti positi concernit, hoc, cum ipsam planè tractatus medullam & substantiam involvat, rogarem Excell. Vestras in solito ista tractandi more fiant, & prius inter nos de modo & circumstantiis tractatus quàm de re ipsa conveniatur; super quo cum Illustrissimo Domino Secretario Legationis

A.C.1698 Excellen. Vestrarum conferre optarem, multa enim etiam à me hâc super re cavenda & forsitan ab Excell. Vestris explicanda desiderantur. Sed hoc totum cùm planè ad ipsam tractatus substantiam pertineat, ubi horum campus & arena dabitur, per gradus mihi datos negotium mihi commissum pertractabo, ad eumq; finem sufficienti plenipotentia instructus sum, quam suo tempore & loco monstrare non dedignabor. Cæterum Excell. V. rogo, ut tam Excell. Domini mediatorum Legati, quàm ipsæ Excell. V. in meliorem partem animum meum semper Christianitati adeoque sacro huic fœderi devotum interpretari velint. Dabo horum omnium evidentia & non vana documenta, adsit tantùm confidentia & Excell. V. rebus nostris faveant, videbunt neminem ante Polonos fide & candore esse. Rogo insuper iterum atq; iterum jam me tandem ex Danubio ad littus per ultimatam declarationem transferant, sive votiva illa sive adversa fuerit, quo etiam debito officiorum cultu Excell. Vestris exolvar, & credant, hujus rei Deum testem appello, nullo alio nisi solius Seren: Regis mei & Reip. motivo controversiam hanc de loco apud me agitari, quem ego libens vitæ meæ præpono & mori potiùs quàm eum vel levissimè offendere eligerem, quod dum enixè Excell. V. oro, æquiorem erga me earundem animum spero, & si non amari, saltem redamari merebor, cum sim toto affectu Excell. Vestrarum ad obsequia paratissimus. Dabantur in navi mea in Danubium sub Carloviec die 28 Octobris Anno 1698.

RESPONSUM.

Illustrissime & Excellentissime Domine Legate.

Quanta solicitudine & cura stabiliendæ & conservandæ unioni, & bonæ inter Excellentissimos undequaq; ad præsentem pacis Turcicæ tractandæ congressum Deputatos, confœderatarum cum Cæsarea Majestate, Domino, Domino nostro Clementissimo Potentiarum Dominos Legatos intelligentiæ nos impenderimus, Excellen. Vestræ luculenter satis constat, uti & quod cùm de prima castrorum metandorum ratione Petrovaradini ageretur, insinuari Excellentiæ Vestræ fecerimus, nullam dictis in castris præcedentiæ futuram considerationem, nec locum ullum primum, secundum, tertium aut postremum in ordine censendum fore: sed quem quisq; sibi commodiorem intra tamen castrorum & vigiliarum ambitum elegerit; Ejusdem proprio absq; ullo respectu alterius cujuspiam DD. Confœderatorum, prærogativa, minus præjudicio habitum iri, cui quidem declarationi ab omnibus acceptatæ; postquam contrarij quidpiam ante adventum nostrum accidisset Excellentiaq; Vestra per missos nobis obviàm aulicos suos conquesta fuisset, quasi de loco pro sua persona capto, homines quidam sui per Excellentissimi D. Moschorum Legati famulos deturbati & ejecti essent, eoque facto violatam in Domesticorum personis propriam, in sua verò persona ipsius Serenissimi Regis & Reip: dignitatem prætenderet, nos exstingvendæ primò huic scintillæ, ne majoris dissidij causam attrahere posset, occurrere volentes mediationem statim nostram & amplam in scriptis declarationem, quòd nullus hic in ordine primus aut ultimus locus fuerit, neq; hoc usqiam præjudicio esse debeat extradere, simulq; satisfactionem, si qui ex vigilijs Cæsareis huic actui sese immiscuissent, congruã procuraturos obtulerimus, ac ne deinceps ejusmodi difficultatibus ansa ulla præberi posset, aliam planè & quadratam castrorum eo potissimùm fine mutandorum figuram adinvenerimus, quæ Excellentiæ Vestræ per Dominum Comitem Marsigli proposita protinus placuit, nec aliter quàm

quàm placere potuit, quippe cum fronte cujusvis Dominorum Legatorum in mediam inter omnes aream ex quatuor lateribus conversa nulla unquam præcedentia aut præjudicij cujuspiam lis excogitari, ne dum moveri queat. Simul quoq; Excellentia Vestra se illud hoc in quadrato latus, quod Danubium à tergo habet sibi servare erga eundum D. Comitem Marsigli & ipse porrò nobis declarasset, cujus relationem ex commissione à nobis habita ultro citroq; reliquis etiam Dominis Legatis ritè factam in dubium revocare haud possimus, nos inde distributis per omnia latera vigilijs ordinem & lineam suam cuiq; integram servari jubentes, Excellentiæ Vestræ eatenus satisfactum esse, eamq; penes nos in castro propediem adfuturam credebamus, imò nobis gratulabamur, cum inopinato prorsus eoq; magis insperato modó E. V. Domestici qui nuper Exc. D. Moschorum Legato controversiam super locum movissent, nunc iterum Excell. D. Legato Venetorum simile prorsus negotium facescere, & locum ipsum non solum in linea ejusdem, sed ante ipsiusmet faciem erectione tentorij invadere velle non sine profunda ratione nostra intelleximus, neq; defuimus officio nostro, quin statim ut primum nobis de eo relatum fuerat, Excell. V. per missos ad eandem officiales humanissimè indicaverimus, turbari hoc modo cum promissum receptumq; inter omnes quatuor Legationes ordinem non posse Excell. Dominum Venetorum Legatum quæsito sibi juri cedere, nec dari locum Excell. V. honori prærogativæq; magis conformem quàm illum quem convento modo sibi elegerit, rogantes impensè, ne difficultatibus ejusmodi periculosis æquè ac superfluis necessariæ ad tractatus imminentes concordiæ impedimento esse vellet, id quod repetitis postmodum vicibus tam per supradictum Dominum Comitem Marsigli S. Cæsareæ Majestatis Camerarium & peditum Legionis tribunum, quàm per ipsum postea Legationis nostræ Secretarium & consiliarium Cæsareæ Majestatis bellicum Dominum Tiel firmissimis rationibus remonstrare non destitimus, nunc tandem postquam omnem operam & sinceros nostros hac in parte conatus vix aliquid apud Excell. Vestram proficere dolentes experiamur, quid aliud superest quàm ut Excell. Vestram ultimatò hisce scriptotenus officiosissimè requiramus, quatenus sepositis quæ nullo respectu præstiti à se Electi primùm dein assignati loci habere potest gravaminibus, tentorium illud quod ante Excell. Dñi Legati Veneti faciem nullo jure per suos fecit ad præcavendas quasvis ulteriores inconvenientias inde ad locum sibi prædicto modo destinatum transferre, eoq; si ita placuerit, ipsamet Excell. Vestra sedem suam figere haud gravetur. Neq; magis credat sinistris & malè intellectis Domesticorum relationibus, quæ conventionem ratione loci ab Excell, Vestra & reliquis omnibus Dominis Legatis semel comprobatam indeq; emergentem obligationem destruere nequaquam possunt, quàm testimonijs nostris in ratione ipsa & decenti, quem Seren. Regi & Reipub. Poloniarum profitemur respectu solidissime fundatis, quippe cum ab ejusmodi Domesticorum privatis plerumq; verborum dissidijs, præsertim ubi factis circumstantijs, uti hic fit, destituuntur, ipsa Legationum capita & Ministri se ipso onerare nuspiam vellent aut soleant, quin potius intentionem & scopum principalis negotij, quod hic tractanda cum Turcis pax est, collatis studijs & officijs promovere satagant, quod ipsum proinde & hic ab Excell. V. prudentia & æquanimitate nec non reali in communem Christianitatis Sacriq; fœderis causam affectu nobis appromittimus, velut in contrarium si Excell. Vestra rationibus nostris acquiescere nollet eventum, solennissimè coram Deo & universo Christiano orbe protestamur nos gravissimo A.C. 1698

A.C. 1698 mo illi, quod in præsenti congressu sub Turcarum communis inimici oculis eatenus præbetur scandalo, aut ulterius emergenti inter confœderatos Dominos Legatos schismati, quod DEus avertat, nullam prorsus causam dedisse neq; omissionis, multò minus commissionis illius culpam nobis imputari posse aut debere, quod dum pro debito officij nostri declaramus Excell. Vestram ad æquiora consilia adhortantes divinæ in reliquo tutelæ commendamus, ejusdem Excellentiæ Vestræ.

COPIA RESPONSI AD LITERAS EXCELL. DD. Legatorum Cæsareorum.

NEgare non possum eo planè animo & voto ad præsentem pacis tractandæ congressum Excell. Vestras venisse, ut inquam strictissima animorum unione & perfectâ harmoniâ, desideratum hoc fœderatæ Christianitatis opus transigi feliciter & confici possit; sed mihi vice versa Excell. Vestræ facile tribuent, quòd postquam Petrovaradini novam & hucusq; inauditam ab Excell. D. Moschorum Legato de præcedentia cum Seren. Rege, Domino meo clementissimo, Serenissimi Moschoviæ Cari prætensionem subolfecissem, non alio me fine confestim ad Excell. Vestras Futacum rogando misisse, ut circa mutationem castrorum debitus S. Regiæ Majestati Domino meo Clementissimo servetur honor, nisi ut ulteriori scandalosæ alicui hac super re liti maturè prospiceretur, sperabamq; instituendum fore necessarium in hoc negotio inter nos aliquem tractatum, quo facillima concordibus adhuc animis, sopiendæ hujus controversiæ media inveniri poterant. Supervenerunt deinde missi ab Excell. Vestris Castrorum metatores, qui mihi significarunt destinatū esse ab Excell, V. movenda illo die Futacū versus eadem castra, svaseruntq; ut ego similiter illuc me citra morā conferrem. De præcedentia autem loci nullam quæstionem fore, talia nimirum Excell. V. adinvenisse media, ne cuiquam præjudicari possit, fore locum indiscretum, neq; ullo modo cuivis separatim assignandū, sed generaliter pro Dominis Plenipotentiarijs monstrandum, & quem quisq; ceperit, eundem obtenturum. Cui ego declarationi insistens, primus omnium unum ex famulitio meo ad capiendam loci pessessionem misi, qui accepto secum propter idioma germanicum quodam incola Petrovaradinensi natione germano unà cum Dominis Castrorum Metatoribus perrexit, qui postquam Excell. Legatis Cæsareis locum designassent, ipse quoq; ex assignato promiscue pro cæteris Excell. Dominis Legatis spatio, unum primus omnium accepit, nullo adversante aut controvertente & relicto ibidem prædicto incola Petrovaradinensi cū relatione ad me se recepit, atq; ut ferrentur illuc tentoria nuntiavit, curavit interim Excell. Dominus Moschorum Legatus, postquam didicisset electum à meis hominibus pro figendis tentorijs locum, prandente tunc apud me Illustrissimo D. Generali Nehem, eodemq; admirante, quòd contra propositum destinatam descensus sui post meridiem tertiam duabus horis prævenisset, unde tormenta non satis tempestivè explodi poterant, hospitium meum prætervectus est. Idem igitur Dominus Legatus, præmissis aliquot satellitibus ad deturbandum ex loco possesso relictum ibi ex parte mea hominem, cum ille, quamdiu potuit, invasoribus resisteret, militesq; aliquot ex subsistente ibi legione, qui contra vim locum tuerentur, in subsidium accepisset, supervenit Legatus ipse, & obluctantem atq; loco

loco cedere nolentem ipse verbis primo minacibus increpitum duobus ex Satellitio Moschis violenter per manus arreptum deturbari jussit, tentoriaq; ibidem sua ex eo, quòd locus ille dextram manum Excell. V. respiceret, fundavit. Iuvit temerarium hunc & insolentem ausum additi sibi Cæsarei Evadroni Officialis, qui impetum in locatos ibidẽ memoratos milites faciens, facilè eos ex loco custodito amovit. Hæc cum ita & non aliter esse Excell. Vestræ probè sciant, petitamq; à me ex dicto Officiali illi se violentiæ immiscente satisfactionem mihi promiserint, attamen in literis ad me datis Excell. Vestræ Domesticos meos Moschis controversiam movisse arguunt, meq; adeò in culpa esse, quòd tam atrocem injuriam modestè & patienter tulerim, unde manifestum est, quis nostrûm apud Excell. V. gratiâ prævaleat. Sed ut ad seriem rei revertar, ego interim horum omnium ignarus, dum bona fide & nihil tale expectans publica securitate & jure gentium fretus, præsertim cum dictus Dominus Moschorum Legatus stipulatam manũ, primis missis ad se duobus ex Satellitio meo nobilibus dedisset, iterumque confirmasset, nullo modo se præcedentiam, ante me prætendere & locum quicunq; illi cederet, absq; ullo discrimine acceptaturũ pollicitus esset, dico cum horum omnium ignarus solvissem à littore ratem & Danubio me commisissem, propterq; exortam tempestatem, postero demũ manè ibidem advenissem, percepta ejusmodi inopinata æquè ac temerariavi illata mihi à Domino Legato nihil urgentius duxi quàm protestari de atrocissimâ læsione, primo coram Excellentissimo Domino Venetorum Legato ibidem tunc præsente, deinde coram Excellentjis Vestris, quas Petervaradino venientes Emissarius meus sibi obvias habuit. Recepi justam ab Excellentiis Vestris hoc super casu compassionem, quæ etiam mediationem suam & debita satisfactionum media offerre mihi non dedignatæ sunt, prout quidem postera die venit ad me Illust: D. Comes Marsigli ex parte Excell. Vestrarum, taleq; medium, quod casus obtulerat, propinavit, nimirum cum recenter ita conventum esset, ut Turcici Legati ad capiendum locum nostrum venirent, nosq; ideo promoveri ulterius expediat, dabitur nova castrorum in quadratum dispositio, qua nulla amplius disquisitio enasci posset, simulque projectum dictæ metationis præsentavit, super quod ego facile consensi, adjecta conditione, ut prior locum capesserem, addidiq; rationem, ne si eum ante me Moschus caperet, obligatus essem vicem ei reddere, in deturbando reciprocè ex loco possesso; Misiq; statim ad capiendam loci possessionem, sed notandum, quòd antequam Illustrissimus Dominus Comes Marsigli cum propinato medio venisset, & antequam scivissem, quid hac super re conclusum fuisset, jam Moschus de his omnibus edoctus tentoria sua defixerit in loco simili modo sicut antea dextram partem Excell. Vestrarum respicere videtur, meus interim homo jam in eo casu uti à me admonitus ut quemcunq; alium locum caperet, si Moschus prior occupasset super fundamento ab Excellentiis Vestris declarato, non dari hic priorem locum, elegit eundem de quo modo lis & controversia occurrit, posseditque eum à nemine occupatum, à nemine prætensum, nemine se opponente, ibidemq; duos Equites ex Guardia militum Cæsareanorum mihi pro honore & excipiendis imperiis additos locavit, donec tentoria ferrentur. Et in hoc supposito erant Excell. Vestræ ad malam informationem, ac si ego ab Illustrissimo D. Comite Marsigli oblatum à Danubio locum acceptassem, aut de assignato Excell. D. A.C.1698

A.C. 1698 Venetorum Legato, eodem de quo nunc res vertitur, minimam notitiam habuissem. Quomodo enim id fieri potuit & quomodo hoc cum sana ratione conveniret, si in solatium tam gravis injuriæ mihi illatæ, rogavi ut daretur mihi facultas Electionis ante Moschum. Hocq; non jam ex relatione Domesticorum, sicuti Excell. Vestræ persvasum habent, sed ex meo proprio auditu ita esse & non aliter cum Illustrissimo D. Comite Marsigli conventum, Deo veritatis hujus teste juro & affirmo. Cum itaq; hoc modo prior dictum locum legitimè & nullo controvertente cepissem, antequam tentorium meum ad possessum jã locum ferretur, non obstantibus ibi militibus Cæsareis, qui quando locum hunc jam à me captum & à se custoditum indicarent, nihilominus tentoria ejusdem Excell. D. nescio quo locum eundem designante defixa sunt. Incusare nimis in hoc passu domesticos Excell. D. Legati non possum, nisi quòd aliquomodo rem præcipitassent & quæstionem ad quos pertinebat deferendam privatim decidissent, sed cujus in eo culpa, Excell. Vestrarum prudentissimo sensui relinquo. Mei vicissim homines, postquam horum omnium ignari, bonâ fide ad locum, prius per se captum & per milites possessum cum tentorio venissent, & non sine mœrore eodem iterum fato ex possessione deturbatum me viderent, inclinante ad vesperam die nihil illis præsentius occurrit, quàm in eâdem linea, à se ante innocenter occupata tentorium meum explicare. Venit ad me confestim Illustrissimus D. Comes Marsigli. Excell. Dn. Venetorum Legati querimoniam deferens invasum à meis hominibus locum sibi designatum: cum vicissim ego uti potior tempore etiam loci bonæ fidei possessor eandem justius invasionem prætendissem, ac tandem ipse evacuandæ difficultatis quædam media proposuissem, res in crastinum dilata. Tandem missis duobus ad Excell. Venetorum Legatum nobilibus cum quo strictissimam amicitiam, ex quo mihi ex fama raræ tanti viri qualitates innotuissent, colere & demereri destinaveram, exposui rem, quomodo erat & facilè apud virum prudentem, justum & æquanimem primas sinistras demum impressiones delevi, ita ut neque ego Excell. D. Legato, horum quæ acta sunt culpam attribuerim, neque ille mihi vicissim, sed ambo potius de medi is suavibus hâc super re deliberaremus, tandem quo utriusq; nostrûm honor in salvo esse possit, cum neque illi neq; mihi totaliter loco cedere conveniens esset, proposui medium per Illustrissimum Dominũ Legationis Cæsareæ Secretarium, ut quoniam res non malitiosè facta ambo loco moti æquali passu ad nos cum tentoriis accedamus & in una eademq; linea constituamur, quòd quidem medium Excell. D. Legatum non adeo adversantem intellexi, neq; assequi possum, quare acceptari non deberet, siquidem non de præcedentia nobis, sed possessione quæstio est, non violentaq; sed casualis, si purus iste casus appellari potest, extiterit utriusq; nostrûm possessio. Quare non potius Excell. V. ad Excell. D. Venetorum Legatũ persuasiones suas converterent, ut media sibi justa & propinata satius accipiat, quàm ut ego tam enormiter ante à Moscho injuriatus iterum magis gravatoriæ læsioni totaliter succumbam, & depressum & conculcatum Serenissimi Regis Domini mei Clementissimi & Reipublicæ in persona mea patiar honorem & Regium decus. Oro itaq; Excell. Vestras per Deum immortalem, hujusq; sacri inter nos fœderis benignissimum Authorẽ, per fœderatam Augustissimæ Cæsareæ Majestatis cum Seren. Rege meo & Repub. Religionem, per omnia quæcunq; inter nos aliquando intercef-

tercesserunt hilaritatis vincula, per qualiacunq; nostra præsertim sub tempus hujus sacri belli erga vos merita & sangvinem Polonum libenter impensum, sit in eo casu apud Excell. V. aliqua Regiæ Majestatis, & Reip. honoris cura, qui tali, ut memoravi, modo in nullius contumeliam vertetur. Quosi hæc obtinere ab Excellentiis V. impossibile erit; protestor coram Deo O.M. hæc omnia ex alto prospiciente, bina me consequenter vice in honore Principalis mei violenter oppressum, non habereque alium procedendi modum, nisi extra delineata Castra aliquem à parte non controversum locum, quem mihi nemo invideat, capiendi, indeque cum Excell. V. quamvis parum loco discretum, animo tamen junctissimum de communi Reipub. Christianæ bono tractare me oportebit, ex loco quasi exilii, cum inter Excell. V. salvo honore locum habere non possim, si quid verò ex hâc controversia sub oculis communis hostis nostri scandali enascitur, judicabit orbis & posteritas quis in culpa, an qui læsum enormiter honorē jure defensionis naturali tuetur, an qui illum totaliter evertere prætendit, horum omnium ego suo tempore Seren. Regi & Reipub. rationem dabo, & fiduciam habeo, quòd modus agendi meus modestus, civilis, patientissimus, quanquam inter tot martyria non modò laudē, sed & compassionem reportabit, neq; me quenquam ex Excell. V. læsisse puto, cum nihil inter succedentia mala agam, quàm in omni moderatione animi & religiosè observato Excell. V. cultu tempestati cedam. Si quid adhuc compassionis & teneritudinis erga afflictam sortem meam in animis Excell. V. inveniri potest; iterum atq; iterum peto concedite extorri fœderato aliquot jam dies in navi non modò cum incommodo, sed magis cum dedecore characteris mei, commoranti, & nihil magis quàm favores vestros ambienti locum inter vos, qui uti superius innui, salvo honore Seren. Regis & Reip. acceptari possit: reparabitur ita si quod hactenus sub oculis hostis extitit scandalum, cum nos ita accommodata amicabili modo controversia eò arctiori nexu conjunget, & mutuus amor per ipsos obices eluctatus crescet. Quod cum totum sit in manibus Excell. V. in meis nequaquam, non dubito Excellentias Vestras ad æquiora erga me gentemque meam consilia descensuras, quarum me favoribus recommendans; ejsdem circa optimam valetudinem læta omnia & prospera voveo. Dabantur in navi mea ad Danubiū sub Carlowiec die 28. Octob. 1698. Anno. *A.C.* 1698

PUNCTA AB ORATORIBUS PRINCIPUM CHRISTIANOrum Portæ Ottomanicæ in favorem Sanctæ fidei Romanæ proponenda & promovenda.

1mum. Ut Catholici possint liberè vivere in suo ritu, instaurare suas Ecclesias, & illas frequentare sine ullo impedimento & aggravatione sub quocunq; prætextu.

2dum. Ne Ecclesiæ Catholicæ latinæ, & ipsimet Catholici per totum Imperium Ottomanicum dispersi, ullo modo sint subjecti Gubernationi Patriarcharum & Episcoporum Græcorum, & ne prædicti ullum jus & Dominium habeant in Catholicos Latinos, quoad lites intentandas, aut eleemosynas, & alia similia, præcipuè verò, ut ritus Latinus habeat distinctionem à Græco quoad jurisdictionem & dependentiam.

3tium. Ut Episcopis, Missionariis & Religiosis Latinis liceat residere, abire, rediteq;, æquè per maria, ac per terras, ad suas Residentias, liberè in suo habitu & vestimentis, nec non cum supellectili, fasque sit illis cele-

A.C.1698 celebrare, prædicare, & aliàs juxta suum ritum functiones peragere suas inter Ecclesias, præterea administrare Sacramenta non modò in suis Ecclesiis, sed etiam domibus & villis, aut campis, hoc est, ubicunque necesse fuerit, servire Christianis captivis, infirmis, etiam in ædibus suorū Patronorum seu Dominorum, neque ideo graventur Christiani & Religiosi ullis contributionibus aut gabellis.

4tum. Ne post mortem Episcoporum, Missionariorum & Religiosorum Latinorum supellex illorum fisco addicatur tam sacra quàm domestica, neque pro eorundem sepultura sit necesse licentiam rogare, aut quidpiam ad id impetrandum contribuere aut solvere.

5tum. Ne Episcopi Missionarij & Religiosi necessitentur ad hoc, ut Cursores seu Tabellarios tam equites quàm pedites tectis suis excipiant, aut in illorum necessitates quidquam contribuant.

6tum. Ut Ecclesiæ, terræ & domus quas ante bellum possidebant prædicti Missionarii & alij Catholici Latini præcipuè de Chio restituantur, ut possint reædificari, restaurari, possideri, & fructus ex illis ijsdem liberè percipi, qui ante bellum ex ijs percipiebantur.

7mum. Ut Bassæ, Cadi, Gubernatores aliiq; Portæ Ottomanicæ Ministri per totum Imperium sparsi, prohibeantur à Sultano facilè audire calumnias Schismaticorum & Hæreticorum confingi solitas contra Catholicos Latinos, Maronitas, Sorianos, Chaldæosq; , Armenos, Græcos & alios cujuscunq; demum nationis in Provincijs Imperij Ottomanici residentes, neque ab ijsdem Hæreticis ex æmulatione quadam aut invidia accusati, tanquam Papistæ Proditores aut rebelles Sultano ad judicia trahantur, & carceribus pœnisq; indebitis subjiciantur.

8vum. Ut restituatur & stabiliatur in sua sede Patriarchali usque ad vitæ suæ tempora Rever. Ignatius Petrus Patriarcha Sorianorum ex qua pulsus est ob calumnias à Schismaticis confictas, & ut lacerentur & aboleantur omnes processus judiciarij & scripturæ factæ Aleppi contra eundem à suis persecutoribus procuratæ, tanquam contra rebellem Portæ Ottomannicæ imò ut econtra declaretur, esse, cum omnibus suis Episcopis Sorianis fidelis subditus & tributarius Portæ Ottomannicæ.

9num. Ne Christiani bello capti aut empti maximè fœminæ & earum filij à suis DD. impediantur, quominus possint suas adire Ecclesias, ibidemq; Missas audire & Sacramenta frequentare in Ecclesijs vel Capellis Religiosorum, Missionariorum, multò minus ab iisdem DD. suis necessitentur coganturq; ad deferendam fidem suam Christianam.

10mum Ne post liberationem eorundem per publica pacis fœdera stabilitam, & ex mutuo partium consensu initam retineantur captivi Christiani, non solùm subditi quorumcunq; Principum Christianorum, sed maximè Imperatoris, Regis Poloniæ & Reipub. Venetæ, quemadmodum & illi qui sunt subditi Domino Papæ, ubicunq; demum reperiuntur dispersi per Provincias Imperatorii & Dominij Ottomannici.

11mum. Ut Patres Minorum de Observantia S. Francisci restituantur & manuteneantur in antiqua possessione locorum, quæ habuerunt in Terra Sancta, excludanturq; ab ijsdem omnes aliæ nationes & specialiter Græci, qui nunquam cessant quærere occasiones usurpandi prædictà sanctuaria.

12mum. Ut omnibus modis possibilibus tentetur restitutio Ecclesiæ Galatensis, spectantis ad Patres Minorum Conventualium & jam in Moschæam conversæ, vel saltem ut obtineatur in recompensam alius locus pro nova Ecclesia fabricanda.

13um

13um. Procuretur, ut omnino restituatur sedi suæ Archiepiscopus Naxiensis pulsus in Modon à multo tempore, cum gravissimo detrimento pauperum Christianorum. *A.C.1698*

14tum. Ut obtenta in præfatis punctis privilegia à Legatis Principum Christianorum transcribantur & copiæ illorum authenticæ transmittantur ad omnes Imperii Ottomannici Bassas, Gubernatores, Cados & alios Ministros Imperii Ottomannici, quatenus Magistratibus communicentur, publicentur & officiorum actis ingrossentur, ut imposterum inviolabiliter observentur & executioni mandentur tam à præsentibus quàm à futuris status Ottomannici Ministris.

DECLARATIO ILLUSTRISSIMORUM DD. CÆSAREORUM

NOS infrascripti Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis ad tractatus pacis cum Porta Ottomannica Legati extraordinarij & plenipotentiarij testamur, & declaramus & notum facimus omnibus, quorum interest: quod neq; in præsentibus, ubi subsistimus, nunc castris, neque in illis, unde huc venimus, ullus unquam locus respectu Illustrissimorum & Excell. Poloniæ, Venetiarum & Moschoviæ Legatorum (salvâ cujusq; præcedentia) primus in ordine, secundus, tertius aut postremus habitus fuerit: aut considerari potuerit, aut adhuc à quopiam possit. Neque ullum fuerit propositum uni dictorum DD. Legatorum præ altero, quacunque ratione & modo prærogativam, præcedentiam, aut alteri ex adverso præjudicium, in distributione aut assignatione loci pro statione sua addendi vel demendi, inferendi vel auferendi; sed etiam semper fuisse mentem, ut quem quisque locum in primis quidem castris indistinctè, in his vero præsentibus, quod quisque conventi quadrati latus sibi commodum elegisset, illius fore absque ulla consequentia aut controversia; quin etiam quemvis nostrûm & reliquorum DD. Legatorum si scivisset, ab Illust: & Excell: D. Poloniarum Legato alium locum, aut latus aliud propositi quadrati, quàm id, quod ei per acceptatam distributionem obvenisse hucusq; supposuimus: ab initio & re adhuc integra, sive in his sive in prioribus castris electum aut desideratum esse, nunquam illum ipsum, D. Legatum eatenus impediendi, minus homines ejusdem exinde removendi intentionem sibi in animum inducturum fuisse, adeoq; neminem ante dictorum DD. Legatorum quidquam sibi juris aut prærogativæ ex quacunq; causâ loci, respectu cujusvis alterius ex DD. Legatis quo quis ante vel post, à latere vel tergo stationem suam, sive in his, sive prioribus, sive quibuscunq; fors tempore hujus congressus adhuc mutandis castris occupaverit, fixerit aut verterit, quocunq; etiam sub prætextu attribuere voluisse aut potuisse, aut in præsens velle aut posse. Super quo Illust. & Excell. D. Legatum Poloniæ tam nostro, quàm cæterorum Illust: & Excell. DD. Confœderatorum hic præsentium Legatorum nomine assecuramus harum testimonio literarum propria manuum nostrarum subscriptione sigillisq; nostris munitarum. In castris sub Carlowic die 31. mensis Octob. Anno 1698.

Wolffgangus Comes ab Ettingk. (L.S.)   Leopoldus Comes Schlik. (L.S.)

Supra positam declarationem ut veritati, æquitati & rationi consentaneam per omnia ratam habere me attestor propriâ manûs meæ subscriptione, sigilliq; mei appressione.

(L.S.) Carolus Eques Ruzini.

A.C. 1698 PROPOSITIONES PER SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆq; MAjestatis Legatos extraordinarios & Plenipotentiarios exhibitæ, & Serenissimi Turcarum Imperatoris Legatis Plenipotentiarijs pro declaratione eorundem responsoria consignandæ.

In nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis.

POstquam ad reducendam tranquillitatem & extingvendas belli hujus cruenti æquè ac diuturni flammas inter Augustissimum & potentissimum Romanorum Imperatorem cum Serenissimis & potentissimis ejusem Confœderatis, Rege nimirum ac Rep: Poloniæ inclyta, Venetorum Republ: & Magno demum Moschoviæ Czaro successivè factis belli socijs (salvo cujusq; ordine & præcedentia) ex una, & Seren. & potentissimum Turcarum Imperatorem ex altera parte abrupti aliquot abhinc annis tractatus egregia & sincera Serenissimi & potentissimi Magnæ Britanniæ Regis, uti & Præpotentium Fœderati Belgij Ordinum, utpote mediatorum universim receptorum adhibita per suos apud Portam Ottomanicam Legatos Plenipotentiarios operâ, non modò reassumpti, verùm & indefessa eorundem applicatione eò usque promoti sint, ut pro fundamento & basi pacis sive armistitij tractandi atque concludendi proposita per dictos Dominos Legatos Mediatores, illa inter utrumq; Imperium pridem usitata norma; *uti possidetis, ita porrò possideatis*, utrinq; sine omni limitatione, exceptione, aut etiam reservatione, ab Augustissimo Romanorum Imperatore & Serenissima Venetorum Republica præscriptis verbis per solennes ultro citroque DD. Legatorum Mediatorum in scripto exhibitas declarationes acceptata: pro reliquis autem supra nominatis duobus DD. confœderatis utiliter pro eodem favore in stipulationem similiter & obligationem respectu Portæ Ottomanicæ deducta fuerit atq; confirmata, vigore cujus confœderati Principes universa & singula, tam quæ actu possident, Provincias, Territoria, Ditiones, Urbes, Arces, Castella, Insulas, dependentias, aut quovis alio nomine vocanda jura, quàm quæ ad finalem usque pacis subscriptionem in possessionem eorundem pervenire possent, sive per viam armorum, sive per occupationem, cessionem, aut quemvis alium legitimum modum, illa omnia perpetuo plenoq; jure & dominio possideant, ijsq; deinceps liberè, quietè & pacificè perfrui possint & debeant, eaq; porrò ratione belligerantes Potentiæ in congressum ad confinia utriusq; Imperij instituendum consenserint, ut ibi præsentes eorundem legati facultate & mandatis sufficientibus instructi opus ipsum adeo sanctum perficere, & non minus obstacula quæcunq; reducendam quietem in præsens aut in futurum impedire aut turbare possent, sedulò removere, quàm vicissim omnia, quæ paci & tranquillitati consolidandæ firmandæq; convenientia judicaverint, fideliter conferre valeant, promovendo cujusq; confœderatorum particularem quoq; convenientiam, & definiendo positivos confiniorum limites pro majori pacis & tranquillitatis incremento.

Legati proinde S. Romanorum Imperatoriæ Majestatis ad hos tractatus Deputati extraordinarij & Plenipotentiarij ejusdem summa præfatæ suæ Majestatis nomine sequentes DD. Legatis Mediatoribus exhibent propositiones, super quibus per Turcicos Plenipotentiarios admissis, inducias pangere parati sunt ac instructi.

Propo-

Propoſitio Prima.

Ut juxta fundamentum *uti poſſidetis* in præſenti certi, clari & expreſſi in univerſum Cæſareæ Mtis cum Turcarum ditione confinijs limites conſtituantur, ijsq; naturalibus, quantum fieri poterit terminis, montibus, fluminibus, & ſicubi ſylvæ ſint, congeſta cæſarum arborum ſtrue, vel ubi neutrum horum ſuppetit, educenda foſſa, aut erigendo aggere diſtingvantur, neq; uſpiam in utriuſq; Imperij territorijs quidquam indiſtincti aut confuſi relinquatur, ad evitandas omnes controverſiarum, diſturbiorum & incurſionum occaſiones, ipſaq; confinia utrumq; Imperium contingentia ad facilitandos tractatus in tres partes dividantur; nempe reſpectu Petrovaradini 1. Transdanubiana 2. reſpectu ejuſdem Ciſdanubiana & Ciſavana & 3. deniq; Tranſſavana & Croatica, quæ ultra citraq; Unnam fluvium ad Puppinam montem uſq; porrecta dignoſcantur.

Propoſitio Secunda

Confinia Cæſareæ Majeſtatis trans Danubium incipiendo ab extrema Moldaviæ ora, qua Podoliæ fines reſpicit continuis alpibus, queis Tranſylvania (optimo, pleno & perpetuo jure Cæſareæ Majeſtati vindicati nulliſque in poſterum Portæ Ottomannicæ prætenſionibus aut prætenſionum reliquiis obnoxia) cingitur, & primùm à Moldavia, deinde à Vallachia uſque ad portæ ferreæ viciniam naturæ ipſius operæ & beneficio dividitur, diſcreta & ſeparata intelligantur. Tum porrò à dictis alpibus procurrens Orſovam uſq; montium catena: territorium Almas dictum à fronte Promontorio Orſavienſi, à dextero latere Danubio, qui ab Orſava uſq; ad Caraſne penes Vupalancam influxum eo pertinet, à tergo verò dicto rivo Caraſna concluſum maneat ſub Cæſareæ Majeſtatis Dominio, quemadmodum in vera ejuſdem & certa poſſeſſione hucuſq; fuiſſe conſtat.

Inde linea à Caranſebes & Lugas in longitudine uſq; ad Begham fluvium, in latitudine autem tribus Ungaricis verſus Danubium & Temeſvarinum milliaribus: quouſq; Cæſarea dictis in locis præſidia poſſeſſionem ſuam exercent præſtruſoq; aggere aut foſſa pro limite ſtatuatur. Poſt Begha fluvius Temeſcenſem Panatum ab Ungaria ſeparet: maneatq; illa ex parte utriuſq; Imperii terminus, quippe per fortalitia Cæſarea in ulteriori littore, tam Maruſii quam Tibiſci ædificata & firmata præſidiis, tota Regio illa jam deſcripta à Maruſſio & Tibiſco uſq; ad Beghæ oſtium, actuali Cæſareæ Majeſtatis poſſeſſione teneatur: tum demum à Beghæ influxu quod reliquum eſt ad Danubium uſq; Tibiſcus fluvius utrinq; dividat ac diſtingvat.

Propoſitio Tertia:

Cis Danubium & Savum omnis quaquaverſum patet Regio, dextro deſcendentis Danubij & ſiniſtro deſcendentis pariter Savi latere uſq; ad amborum confluxum clauſa verè & planè à Cæſareis poſſeſſa, eiſdem maneat: nulla Turcis ad hanc Savi partem reliqua aut relicta prætenſione. Confinia verò cum Imperio Ottomannico ad Savum contermina ita diſtingvantur, ut dextera decurrentis Savi, aut ſiniſtra ejuſdem adverſi fluminis ripa non ultra Ottomannorum ditiones eſſe intelligantur, niſi quantum à Belgrad aſcendendo uſq; ad Boſnæ fluvij oſtium illi ex parte Savo imminet.

Propoſitio Quarta.

Confinia demum Cæſareæ Majeſtatis Tranſavana, ut naturalibus quantum fieri poteſt, terminis inſiſtamus, ab ante-dicto Savi angulo, ubi Boſnam fluvium recipit dextro ejuſdem Boſnæ, ſi adverſus flumen eatur margine uſq; ad arcem Deboi Boſniam interiorem verſus diſtincta ſint:

A.C.1698 inde verò ducendam rectam ad Novi usq; extremum Cæsareæ Majestatis supra Unnam fortalitium lineam, per æqualem ubivis à Savo distantiam, qui adversus ascendenti tribus milliaribus Croaticis, semper ad dextram erit, discernatur prout hactenus quoque totus ille tractus trans Savum in modò dicta longitudine ac latitudine erectis & munitis speculis per Cæsareum militem custoditus, & convenienti locorum circa arces Cæsareas dependentia in possessione habitus fuit. Postremò deniq; quæ respectu Carlostadij cis Unnam incipiendo à Novi primo ad fontem Clinæ fluvium, dein rectà in Pluin ad Corannam, inde penes dictam Corannam ascendendo per Dresnig ad Plesoviam, Kuk, Masin, Temersiam & Pupinnam montes, ipsiusq: Unnæ scaturigines, utpote ultimum illa ex parte cum Imperio Ottomannico communem terminum sita sunt confinia ejusdem quibus ad subscriptionem armistitij hujus possessa & distincta fuerint limitibus, clara tamen, quantum licebit, locorum expressione, nec non ducenda linea, fossa, vallo, aut cædendis arboribus ut in Croatia fieri solet, inposterum quoq; distincta sint, maneantq;. Insulæ quoq; in fluminibus utriusq; Imperij confinia distingventibus positæ, quæ ab alterutra paciscentium parte subscribendi armistitij tempore occupatæ sunt & inposterum enascituræ neutrius partis sint, nec à quopiam occupentur, sed vacuæ desertæq; relinquantur. Quibus per triplicem divisionem enumeratis, & recepto pacis fundamento per omnia conformatis limitibus, si jam recensito modo confinia discernantur & rectificentur: quibusvis inposterum inter utriusq; Imperij subditos de territorio controversijs damnisq; quoque inde emergentibus ac hostilibus vel maximè invasionibus, unde vix non omnis bellorum origo præteritis temporibus præcessit, facillimè præcavebitur.

Propositio Quinta.

Respublica Rabusia sub utriusq; Paciscentis Imperatoris sit clientela & protectione cũ plena & integra fruitione libertatis & commerciorum terrâ mariq;. Immunitatum quoq; & Privilegiorum in utriusq; dominijs, quemadmodum ijs hactenus gavisa est libera ab omni tributo, nec alia quavis exactione, quoad futurum, per neutrum oneretur unquam aut gravetur.

Propositio Sexta.

Licitum & liberum esto utriq; partium confiniorum suorum securitati, quocunq; meliori visum fuerit modo providere, & pro arbitrio, commodo aut necessitate sua ædificare, reparare, munire & fortificare quævis loca, durante bello acquisita & tractatu pacis confirmata, vel quæ directè, immediatè & absq; ulla controversia in ædificantis solo, ditione atq; districtu sita esse dignoscentur, neq; ei in hâc aut altera parte quidquam impedimenti fiat. In alieno verò solo, ditione atq; districtu quemvis locum ædificare, reparare, munire aut fortificare durante pace neutri liceat.

Propositio Septima.

Incursiones hostiles & occupationes, devastationes & depopulationes Territorij utriusq; Dominij, aut eorum qui sub protectione contrahentium Imperatorum deinceps vivent, omnino severissimis mandatis prohibitæ sint & illicitæ. Transgressores verò articuli hujus ubicunque comprehensi, statim incarcerentur, pro merito puniantur, absq; ulla remissione: & damna per eos facta aut illata exactissimè & cum omni

omni causa resarciantur, atq; Capitanei ipsimet commendantes & Præfecti utriusque partis ad procurandam parti læsæ promptam satisfactionem sub amissione officij non solùm, sed etiam vitæ & honoris adstricti sint atq; obligati.

Propositio Octava.

Maneat porrò etiam illicitum futuris quoq; temporibus receptaculum vel fomentum dare malis hominibus, rebellibus, subditis, aut utriusq; paciscentis Cæsaris inimicis, sed ejusmodi homines proprijs Dominis tradantur, eumq; in finem liberum esto & integrum prædones, raptores, etiamsi alterius partis sint subditi, quos in ditione sua deprehenderint, merito supplicio afficere, qui si deprehendi nequeant; Capitaneis aut Præfectis eorum, si alicubi eos latitare compertum fuerit, inducentur, ijq; illos puniendi mandatum habeant. Quodsi hi officio suo in punitione talium sceleratorũ non satisfecerint, indignationem Imperatoris sui incurrant, officijs exuantur, ac ipsimet pœnas pro reis luant. Quoq; magis nefariorum hujusmodi petulantijs cautum sit, neutri partium liceat intertenere & alere Haydones, quos liberos nuncupant, plagiarios Pribeck dictos, atq; id genus gregariorum, qui non sunt alterius Principis stipendio conducti, sed rapto vivunt quiq; eos aluerint, pro demerito puniantur.

Propositio Nona.

Ad tollendas penitus quascunq; in confinijs super aliquo articulorum armistitij hujus, aut quavis de re inposterum enascentes controversias, differentias aut discordias, ubi prompto & maturo remedio opus sit, ordinentur utrinq; in confinijs primo quoq; tempore electi pari numero commissarij, viri graves, probi, prudentes, experti atq; pacifici. Hiq; loco opportuno convenientes sine Exercitu cum æquali personarum comitatu omnes & singulas hujusmodi controversias emergentes audiant, cognoscant, decidant & amicabiliter componant, talem denique ordinem & modum constituant, quo utraq; pars suos homines & subditos citra omnem tergiversationem vel prætextum gravissimis pœnis ad sinceram ac firmam pacis observationem compellat. Quodsi verò negotia tanti momenti occurrent, quæ per commissarios utriusq; partis componi & expediri non possent, tunc ad ambos potentissimos Imperatores remittantur, ut ipsi complanandis ijsdem, sedandis & extingvendis modum & rationem invenire & adhibere valeant.

Propositio Decima.

Captivati ex utraq; parte omnes fæminæ & mares, milites & subditi, cujusq; nationis & ætatis tam publici quàm privati juris, sive per Turcas, sive per Tartaros, sive per rebelles Plagiarios aut quoscunq; sub utriusq; Imperij Dominio aut clientela viventes capti & ubicunq; Constantinopoli, in Septem turribus, balneo ibidem penes armamentarium, alijsq; publicis aut privatis carceribus, triremibus vel etiam apud Pyratas Africanos aut quoscunq; alios detenti fuerint, statim post conclusam & publicatam pacem sive armistitium ab omni servitute liberati dimittantur, proprijsq; Dominis absq; litro, bonâ fide restituantur & quàm citissimè quidem ij, quorum nomina scripto exhiberi poterunt, uti & siqui vigore pacis ultimæ Anno 1664 ad Vasuacum in Castris Turcicis conclusæ restituendi superessent.

Quo autem certior & plenior eatenus subsequatur effectus, designen-

A.C. 1698 gnentur honeſti & charitativi utrinque Commiſſarij, qui articulum hunc ubicunq; opus fuerit in ſolatium captivorum utriuſq; ſexûs promulgari curent, captivos recipiant, neceſſaria ijſdem ſubminiſtrent, eoſque certis locis ſecuros ad confinia utriuſque Imperij promoveri faciant. Qui verò captivos Mares aut fœminas occultare, ſubtrahere aut eorundem liberationem violenter impedire præſumpſerint, gravibus pœnis afficiantur. Judices etiam locorum ejuſmodi fraudibus conniventes, aut conſentientes ab officiis remoti, condignè mulctentur. Executio quoq; articuli hujus in Imperio Ottomanico fiat per Legatos reſidentes, Miſſionarios Romano-Catholicos, item & Trinitarios, ſpeciali Religione captivorum ſervitio & eliberationi devotos, quibus liber ubiq; hunc ad finem paſſus per Tartariam æquè ac Turciam, nec non commorandi, quantum opus fuerit facultas in ſolito eorundem habitu rubrâ & cærulea cruce ſignato concedatur in Ægypto & remotioribus tum Aſiæ tum Africæ terris neceſſaria & efficax per Belger Begos & locorum Commendantes ubivis præbeatur ad liberandos captivos aſſiſtentia. Pari promptitudine in conquiſitione, redditione & liberatione Turcarum captivorum ex parte Romanorum Imperatoris ejuſdem Officialium & militum Germaniæ, Hungariæ, Raſcianiæ & cujuſcunque nationis, viciſſim ubivis compenſanda, Tartarorũ deniq; Chamum ſub clientela Portæ degentem nationes & populos ad exactam conventionis hujus obſervantiam obligare & adigire Potentiſſimus Imperator Turcarum in ſe ſuſcipiat & polliceatur.

Propoſitio Undecima.

Cuſtodiam Ssmi ſepulchri cum Eccleſia & fornice ſancti præſepis in Bethlehem & aliorum ſanctorum locorum Hieroſolymis exiſtentium antehàc Chriſtianis & Sacerdotibus Franciſcanis ſemper permiſſam, pleniori quàm unquam habuerunt, formâ confirmabit prædicti Ordinis Religioſis & Chriſtianis Romano Catholicis Seren: & Potent: Turcarum Imperator, ſervabitq; liberam, quietam & conſtantem præfatis Religioſis Franciſcanis ſub ſua protectione poſſeſſionem, deinceps non auferendam, concedetq; inſuper liberam Chriſtianis Romano-Catholicis dicta loca ſancta adeundi & redeundi facultatem non interturbato aut impedito tam ijs in partibus, quàm in ipſo etiam itinere Religionis Romano-Catholicis obeundæ exercitio, neq; peregrini euntes aut redeuntes nummorum petitione, alijſq; vexationibus affligantur aut contemptui habeantur. Patriarcha item Sorianorum Ignatius Petrus, unà cum omnibus iſtius nationis Epiſcopis, Sacerdotibus, Religioſis, aliiſq; Religionem Romano-Catholicam profitentibus, in priſtinum ſtatum & ſedem ſuam Patriarchalem plenariè reſtituatur, atq; ipſius & eorundem Succeſſores in eodem ſtatu quietè relinquantur, nullo unquam tempore deturbandi. Tam modò dicti æquè ac omnes in univerſum Romano-Catholici cujuſcunq; ſtatus, gradûs & conditionis fuerint, per totum Imperium Turcicum gaudeant & potiantur ijſdem privilegijs, exemptionibus & immunitatibus, quibus olim & ante præſens bellum gaviſi & potiti ſunt: & reſtituantur in eum ſtatum hac lege Miſſionarij ritûs Latini & Religioſi in Eccleſias, Domos & bona omnia, quæ ante nuperam per Turcas recuperationem in Chio Inſula tenuerunt.

Sitq; integrum ibi & ubiq; per Ottomannicum Imperium non ſolùm Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, ſed & alijs eorundem Sacerdotibus & Religioſis quocunq; nomine veniant, templa deſtructa reædificare, præſertim Franciſcanorum Conventualium & Minimorũ

in

in Galata, Kiprowicz & circumviciniis locis, imò quævis alia uti & Cœnobia studio vel casu combusta aut ruinata, nihilq; eo nomine à Turcis, Schismaticis vel quocunq; alio petatur aut extorqueatur. Facultas etiam detur, quemadmodum cæteræ nationes Christianæ proprias habent Ecclesias, ita Germanæ pariter nationi in Galata & Pera extruendi, eum in finem domus quasdam coëmendi. Trinitarij quoq; super memorati captivorum servitijs destinati Religiosi ibidem manere liberè & securè quovis tempore permittantur. A.C.1698

Liceat porrò ijsdem Romano-Catholicis ritu suo Divinum servitium peragere, Evangelium legere, mortuos liberè in templo aut Religioso loco honorificè sepelire & quascunq; alias functiones Religioni Romano-Catholicæ communes sine omni contradictione & impedimẽto exercere, nulliq; ex Schismaticis fas sit contra jus & leges illos perturbare, quin potius ipse Potentissimus Turcarum Imperator omni favore & gratia eos prosequatur, atq; ut sui idem faciant, jubeat seriò quoq; ac mandet quibusvis per Imperium Ottomanicum Judicibus, quatenus in negotio proprio ad potestatem & jurisdictionem, obedientiam quoq; & disciplinam Ecclesiasticam Romano-Catholicorum spectãtia velut causas matrimoniales similes nequaquam se ingerant, nec vim & potestatem suam adversus dicta exercere, vel Christianos Catholicos violentis medijs ad actiones Religioni suæ repugnantes cogere aut compellere ullatenus audeant vel præsumant.

Propositio Duodecima.

Libera sint cujusq; partis subditis in omnibus & singulis utriusq; paciscentis Imperatorum Regnis, ditionibus, Provincijs, territoriis terrâ mariq; commercia sine fraude & dolo peragenda, nullis teloniorum ac vectigalium exactionibus adstricta: permissâ etiam Romanorum Imperatori aut cæteris nationibus, quibus cum Turcico Imperio Commercium est, plena libertate in locis ad hoc electis & idoneis Cæsareos Consules nominandi & constituendi, omni immunitate & Cæsarea utrinque protectione gavisuros. Comissarij quoq; hunc in finẽ utrinq; quantocius denominentur, qui statim post conclusam pacem de speciali ratione & modo exactè & securè observandi imposterum hujus articuli in confiniis conveniant, tractent & paciscantur.

Propositio Decima tertia.

Tekeliũ nefandum Proditorẽ & rebellem improbissimum cruenti hujus belli authorem & execrandum impostorem cum universis & singulis usq; ad ipsam pacis conclusionem eidem adhærentibus, Turcæ secundum naturalem juris gentium obligationem quondam ab ijs susceptam semota omni tergiversatione mox post pacis conclusionem in potestate proximi in confiniis Cæsarei Germanici Generalis tradent ad sumendas de eodem meritas pœnas & statuendum violatæ fidelitatis exemplum, interim de ejusdem persona post conclusas inducias fideliter consignanda securos se reddent, ut Deputatis Cæsareis certam & sincerã stipulatorum executionem ostendere & persvadere possint.

Propositio Decima Quarta.

Regula & Norma curialium in recipiendis receptis, honorandis & tractandis Ministris ultro citroq; commeantibus his pactis certa constituatur deinceps ab utrinq; sanctè & religiosè secundùm distincta characteris missorum prærogativa inter gentes observanda. Vestibus liberum sit cujusq; partis Legatis Relidentibus & quibusvis ejusdem hominibus pro suo arbitrio

A.C. 1698 trio quibuscunque placuerit, apud alteram partem uti.

Ministri porrò Cæsarei posthâc in porta Seren. Turcarum Imperatoris commoraturi, sive illi Oratoris, Ablegati, Residentis, agentis sive Procuratoris munere fungantur, vel quemcunq; titulum obtineant, ii non solùm libertate omnibusque privilegiis ac immunitatibus perfruantur, quibus aliorum Principum Serenitati ejus amicorum Oratores, Ablegati, Residentes, agentes aut Procuratores frui solent ac debent: sed etiam Majoribus pro distingvenda Cæsareæ Majestatis prærogativa, habeantq; liberam potestatem conducendi interpretes, quos & quotcunq; voluerint. Literas iterum mittendi & recipiendi, neque impediantur ullatenus homines aut nuntij Cæsarei, qui interdum ad excelsam Portam Ottomannicam vel ad Ministrum Cæsareum ibidem residentem, vel ab eo ad Augustissimum Romanorum Imp. per quamcunq; viam mittentur, quin potius ijsdem favor omnis & auxilium præstetur.

Propositio Decima Quinta.

Duret armistitium hocce & extendatur ad triginta annos continuò sequentes, à die qua ejusdem conclusio & subscriptio subsecuta fuerit: quo annorum numero elapso vel etiam medio tempore priusquam elabatur, liberum esto utrique partium, si ita placuerit, pacem hanc ad plures adhuc annos prorogare. Has verò conditiones & articulos omnes Ablegati & Plenipotentiarii Turcici à Seren. & Poten. Turcarum Imperatore & Domino suo ad formam hic mutuo placitam ratihabitum iri, seq; infallibiliter præstituros, ut solenne ratificationis instrumentum intra spatium triginta dierum à die subscriptionis computandum, aut citius si fieri poterit, hic reciprocè recteq; committetur, se obligent velut id ipsum Augustissimi Romanorum Imperatoris Plenipotentiarii facturos & præstituros pollicentur.

Propositio Decima Sexta.

Pax ista quamvis secundùm propositas conditiones conclusa tum demum omni ex parte robur obligationis & debitæ observantiæ vinculum accipiet & inducet, cum omnia & singula quæ de confiniis supra recensito modo ultroq; promissa & acceptata sunt, plenariè in effectum & executionem deducta fuerint, quod ut quàm celerrimè succedat, designentur ad limites & terminos confiniorum ponendos & distingvendos ex utraq; parte commissarii, iisque præfigatur bimestre spatium, in cujus decursu confinia, prout conventum fuerit, certis & expressis terminis, ut ab initio dictum, separent, determinent & articulos pacis juxta sibi commissa exequantur.

Propositio Decima Septima.

Conclusis verò semel & roboratis hisce per executionem induciis, sit exinde statim usq; ad triginta, prout conventum erit, annos proximos & integros inter Augustissimum & Potentissimum Imperatorem Romanorum ex una, ipsumq; Seren: & Poten: Turcarum Imperatorem ex altera parte & utriusq; partis hæredes & Successores ac ambarum etiam partium Regna, Principatus, Dominia, civitates, urbes, terras, loca, sive terrestria sive maritima, subditos ac milites, mutua, bona, vera, certa ac firma pax ac amicitia, ad cujus observationem teneantur & adstringantur severissimis mandatis sub pœna capitis omnes & singuli, ipsique Seren. Imperatoris Turcarum Bassæ, Belger, Beghi & quilibet Capitanei Officiales, Ministri, milites & subditi cujuscunq; gradus & ordinis extiterint, vel quocunque nomine vocentur, ubiq; locorum & gentium sui Imperii aut sub ejusdem

jusdem clientela & protectione existentes & ipse quoq; Tartarorum Chamus cum universa gente & militia sua quovis nomine vocitata, qui posthâc nullo colore, ingenio vel prætextu quæsito durant Provinciis Romano-Cæsareis, Dominiis eorumq; finibus, limitibus & quibuslibet locis terrestribus vel aquaticis quocunq; modo terra marive arma, vim vel hostilitatem aliquam inferre, vel Cæsareos Duces, Capitaneos, Præfectos, milites aut subditos Germanos, Hungaros, Croatas, Rascianos aut cujuslibet demum nationis ad arma lacessere, sed cum illis sinceram pacem & bonā vicinitatem servent ac sanctè colant, contravenientes autem seriò graviterque puniantur, quemadmodum vice versa Seren: Romanorum Imperator universis suis Capitaneis, Præfectis, Officialibus, militibus, Ministris, ac subditis limitaneis tam Germanicæ, quàm Hungaricæ, Croaticæ, Rascianæ & cujusvis nationis seriò & sub pœna capitis demandabit, ut hanc pacem sanctè, firmiter & inviolabiliter observent, & Bassis, Belgher, Beghis, Sancziachis & quibuscunque demum Præfectis, & cujuscunq; nationis militibus, ac subditis Portæ Ottomannicæ arma, vim, vel ullam hostilitatem inferant, nec eosdem ad arma lacessant, sed cum illis pacem & bonam vicinitatem sanctè colant & in eos qui adversus hocce deliquerint, seriò ac graviter curabit animadverti. A.C. 1698

Propositio Decima Octava.

Ut quoq; tanto magis armistitium hoc, bonaq; inter ambos Potentissimos Imperatores amicitia firmetur ac coalescat, certum in hoc congressu & huic articulo inserendum tempus statuatur, quo pax ista per solennes utrinque mittendas legationes publico imperiali diplomate confirmabitur, atq; in signum amicitiæ spontaneum munus convenientis tamen & utriusq; Imperatoris dignitati consentanei valoris afferent Legati, certus etiam locus determinetur, in quo juxta morem hactenus observatum permutatio inposterum fieri debeat Legatorum. Dictæ porrò solenni Cæsareis Legationi ad Portam Ottomannicam venienti à Seren: Turcarum Imperatore quidquid voluerit, petere liceat ac permittatur.

Propositio Decima Nona.

Quæcunq; conditiones in antiquis sacris capitulationibus expressæ usque ad præsens bellum observatæ sunt, nec prædictis punctis stipulatis, aut liberrimo cujusque possidentium Dominio, & usui ejusdem adversantur, aut præjudicant, posthac etiam colantur sanctè, & observentur, cassatis & annullatis iis, quæ supradictis repugnant.

Propositio Vigesima.

Pax hæc sit generalis, ita, ut confœderatæ quoq; cum Romanorum Imperatore, & sacri perpetuiq; fœderis defensivi nexu ad invicem colligatæ Potentiæ, Seren: Rex, & Resp. Poloniæ, Seren: Venetorum Respub: & societatem hanc postremum amplexus Seren: Moschoviæ Czarus (salvo cujusque ordine & præcedentiā) eâdem pace comprehensi, ante congressus hujus dissolutionem honestis conditionibus justam, tempori & statui rerum congruam, condignamq; ab Ottomannica Porta obtineant satisfactionem.

Propositio Vigesima prima.

Reservatur facultas ulterius explicandi, & amplius deducendi, item addendi, minuendi, & mutandi in articulis ratificationis ea, quæ in supradictis conditionibus per terminos generales proposita fuerunt.

A.C. 1698

COPIA LITERARUM REGIARUM AD TRIBUNAL Regni.

Alternata directionis

POst tit. *Redimus ex campo, plenóque affectu in salutationem ruimus eorum, quos selectos de tribubus Patriæ hujus anni gubernatores justitiæ sanctæ esse voluit, optando ex corde, ut hic, per quem judices justa decernunt, benedicat coronæ justitiæ vestræ in solatium sitientibus eam & in propriam publici satisfactionem. Et quoniam certam accipimus notitiam, quòd inaudito exemplo alternata majoris Poloniæ iterum subire vices directoriæ virgæ prætendat, in ruinam non tantùm totius anni justitiæ administratæ per præteritum immediatè Tribunal, sed etiam in detrimentum Regni nostri, quasi sub illud justitiæ Generalis Tribunalis Regni aperiri usq; in hanc diem non debuisset. Velitis proinde non tantùm Palatinatuũ vestrorũ decora, sed etiam Provincialium alternatorum custodes obviare huic inconvenienti, & debitam Minoris Poloniæ conservare alternatam, magis æstimando integrum Imperij nostri statum, quàm prætensum honorem annihilati jam per gratiam Dei Rokoszij. Quod quàm diligentissimè recommendamus, &c.*

EJUSDEM MAJESTATIS AD PRÆSIDENTĒ TRIBUNALIS.

A*Cceptâ notitiâ, quòd inchoandum Petricoviæ Tribunal hanc primam disceptationem sit habiturum, de alternata & turno directionis, quæ si iterum Majori Poloniæ deferri deberet, non tantùm id esset sine exemplo, sed etiam esse deberet in præjudicium felicis regiminis nostri jam ab omnibus jurisdictionibus recogniti. Cardo hujus rei consistit in judicio præsidentiali, activitateq; tua juncta cum prudentia. Si consideraveris, quanti motus subsequi deberent, si & authoritas judicantis Tribunalis, & alternata Provinciæ, & status noster Regius uno ictu deberet infringi, ac perinde per publicum Patriæ hujus bonum intimè tibi recommendamus, ut moribus antiquis alternatæ Minoris Poloniæ authoritate tuâ assistas. Mereberis per hanc te dignam actionem, laudem, & meritum internæ quietis, & simul in respectibus nostris hanc memoriam, quam in occurrentibus occasionibus certè conservavimus.*

RESPONSUM TRIBUNALIS SERENISSIMO REGI DE data 9. Octob.

I*Nfallibile, utinam felicium patriæ nostræ successuum, apparet ex eo, quòd Majestas Vestra non tantùm sagum induta, Regiâ dexterâ suâ ab impetu nos Orientis Hydræ defendit, sed etiam ejusdem fortis, & invictæ manûs brachium togâ amictum in visceribus caræ relinquit patriæ. Unde colligere facilè, quòd non in armis tantùm quassatæ patriæ propinat medelam, sed & triumphales lauros exo-*

prata

ptata justitia intermiscere vult coronâ, Considerat hoc subsellium Tribunalis sub Magno Augusto incipiens, quòd authoritatis ac jurisdictionis suæ pondus à Serenissimis Majestatum sumat radijs, ac proinde hæc aurea directionis virga nullibi meliùs, quàm ad centrũ Majestatis Vestræ, cum debito subjectionis sensu tendit, & inclinat. Omnes proinde labores nostros sub auspicio Majestatis Vestræ circa universi conservationem impendendos immortali ejus consecrando nomini, cum fideli excitatione nostra ostendimus nos submissionem, & invictam exosculamur manum. A. C. 1698

P. S. Cùm Sua Majestas primò præmonuisset Tribunal Regni, ne variaretur alternata per Electionem reiteratam ex Majori Polonia Mareschalci & tamen nihil factum fuerit secundùm intentionem Regiam, quin imò literæ paulò antecedentes insultare quasi visæ fuerint, convocatum fuit Senatûs Consilium Leopoli pro die 16. Mensis Octob. in quo hæc fuerunt proposita & conclusa.

PUNCTA AD SENATUS CONSILIUM die 16. mensis Octob. Leopoli porrecta.

PROPOSITUM.

AD insolitum & inauditum progressum Deputatorum Iudicum tribunalis Petricoviensis non servatæ alternatæ circa Electionem Mareschalci Provinciarum minoris Poloniæ legitimè concernentis non tantùm in depressionem immunitatis tribunalis, sed & derogationem jurium & antiquæ praxis, ipsiusq; Provinciæ gravissimum præjudicium infractæ. Qualiter in tam gravi negotio procedendum?

2 In casu non concludendæ pacis cum Porta Ottomannica, cujus eventus adhuc in incerto est, an non tempestivè pro submittendis auxiliaribus copijs proximè venturo verno tempore, ex vi pactorum compellare, & præcavere expediat Serenissimum Electorem Brandeburgicum.

3. Communicatio cum Seren. Magno Duce Moschovitico ex multis circumstantijs, & ipsius pacis tractatu cum Porta Ottomannica agitatione, utrum per aliquam extraordinariam Ablegationem, & contestationem mutuæ amicitiæ fovenda & manutenenda sit?

CONCLUSUM

Ad 1mum Monebit S. R. M. literis suis Deputatos judices tribunalis Petricoviensis, quatenus à prosecutione judiciorum suorum non involvendo Rempub: ulterioribus turbis, & motibus tantisper supersedeant, donec quæstionem istam universa Respub: in proximè futuris comitijs dirimat, & resolvat.

Ad 2dum. Ut prævisa, paratáque arma habeantur in omnẽ eventũ continuandi belli Turcici, non omittet S. R. Majestas, quò efficaciùs debitum ex pactis subsidium evincatur, etiam per extraordinarium Ablegatum Magnificum Palatinum Inovroclaviensem requirere Serenissimum Electorem Brandeburgicum.

Ad 3tium. Pernecessarium existimat S. R. Majestas mutuis certare officiis, cum Seren. Magno Duce Moschovitico, quæ præsenti tempore omnino usui esse possunt, & idcirco curabit ablegari Generosum Bugusławsky Capitaneum Plocensem in partes Moschoviæ.

A.C. 1698

CXXI.
CARDINALI BARBERINI 20 Decembris.

Inter alia describit communem motum.

EX præteritis meis initium controversiæ Regem inter nostrum, & Electorem Brandenburgicum habuisti, nunc breviter, quid subsecutum fuerit, accipe.

Repræsentatio illa juris prætensi, quo fas esse sibi credidit Seren. Elector Brandeburgicus possessionem Elbingæ apprehendere titulo Hypothecæ ab eodem typis vulgata non eam fecit in animis Polonorum impressionem, quam vel libellus impressus, vel literæ ad Regem Senatoresq; datæ optabant vel sperabant, semper quippe est, quod non omnibus placet, comittere se judicio publico nihil aliud est, nisi traijcere torrentem per putrem asserem. Plures enim illud jus summum injuriæ sibi duxerunt summæ, ac insolitum hunc repetundarum modum improbârunt. Dum ergo Secretarius Elbingensis ad Regem cum supplici libello civitatis suæ & literis Cardinalis Primatis, quas jam misisse me tibi recordor, Leopolim venisset post factum consiliũ, illudq; Varsaviam dilatum, ibique indictum, post compellationem totius senatûs per literas circulares, post factam exercitus sui hybernalis consistentiæ dispositionem, aliis in Prussiam, nonnullis in Russiam, cæteris in Livaniam destinatis, citis passibus Leopoli Varsaviam S. R. M. venit, ubi consilium quoq; peractum est. Mitto tibi puncta, & conclusionem ejus, omniaq; ea, quæ ex præscripto ejusdem senatûs consilij subsecuta sunt, scilicet copiam literarum restium, hoc est convocationis totius nobilitatis, quam nos pospolite Ruszenie, hoc est publicum nobilitatis motum vocare solemus. Tria universalia, nisi in primo exprimatur à Rege, quod unum pro duobus vel etiam tribus haberi debeat, solent publicari in ordine ad convocandam nobilitatem. Rigorosissimæ quoq; sunt leges contra eos, qui in hoc conventu comparere neglexerint. Quisq; Castellanus Palatinatus sui vel districtus ducit nobilitatem, dumq; ad latus Regis venerit, Palatino eam secundùm morem & usum regendam reddit. Sciendum etiam quòd Officiales aliqui jam sint in Palatinatibus distincti. Distribuitur autem nobilitas cujusvis Palatinatus in cohortes, quarum Castellanus est, tanquam colonellus. Regina & Primas hoc gaudent privilegio, quòd certus numerus personarum ad aulam pertinentium non teneatur adesse publico huic motui. Mittere tamen tenentur tam Reginalis quàm Primatialis Mareschalcus computum personarum manibus suis subscriptum ad dictum congressum. Ideò hæc paulò fusius scribo in vim informationis, quam toties in similibus à me requiris. Videbis hic copias literarum ad Potentias viciniores, & remotiores, tanquam Gvarrantes vigore ejusdem senatus consilij scriptas, legationem Francisci Galecij Palatini Inowroclaviensis institutam, literas, instructionem, aliaq;. Quidquid verò responsi erit à dictis potentijs, mittere non intermittam, adjungo quoq; responsum Regis Electori & Supremi Mareschalci Regni. Et si quid adhuc ante expeditionem ordinariæ postæ occurrerit. &c.

PUNCTA SENATUS CONSILIJ VARSAVIENSIS.

I. Bellum nunquam speratum inceptum est à Seren. Electore Brandeburgico,

burgico, non minori audaciâ, quàm contemptu Reipub: dum inprimis A.C. 1698
ex insidiis, & sine clarigatione Elbingam capere conabatur; dein haud exspectato etiam responso S. R. Mtis in potestatem suam redigere ausus est, ita ut ad eum legatio, quam S. R. M. meditabatur, jam sit extra remedium in afflictissimo hujus civitatis statu. Quomodo igitur illi succurrere, & tam gravem Reip: contemptum, & ulteriores pessimas consequentias salvare?

2. An contra tam enormem violentiam, quæ infertur fœderibus, & in omnem securitatis casum non expediat extradere literas Restium, unas pro duabus, ut post tertias sint omnes parati ad conscendendos equos; & an nunc quærenda omnia media diversionis?

3. Habetur notitia, quòd ipsemet Seren: Elector cum aliquot millibus Exercitûs intendit versus Regiomontum per nostram Prussiam transire: an non expediret facere ipsi aliquã in hoc itinere oppositionẽ.

4. Quandoquidem Seren: Elector hac hostilitate fregit fœdera, quibus ipsi Prussia Ducalis erat addicta, an non extradendæ sunt universales literæ ad status Prussiæ Ducalis, invocando eos, tanquam membra ad corpus Reipub: & assecurando illos de juribus & libertatibus, uti filios ejusdem Patriæ.

5. An ad Potentias externas præcipuè mediatrices Tractatûs cum Electore Brandeburgico scribendum de hac violentia, invocando eas in succursum contra violatorem fœderis.

CONCLUSIO CONSILII.

Auditis Seren: Rex Senatorũ sententiis, super præmissa, conclusit. Extradendas esse universales Restium literas. Respondendum Electori Brandeburgico cum sensu doloris. Scribendum ad Imperatorem, aliosq; Principes; Legationem verò expediendam ad Reges Sveciæ, Daniæ, Status Hollandiæ tanquam Gvarrantes. Nulla interim hostilitalis signa exhibenda, in spem condignæ per pacata media satisfactionis, quæ omnia suo ordine sequuntur.

LITERÆ RESTIUM UNIVERSALES CONVOCANDO Nobilitatem Varsaviæ 17. Nov.

AUGUSTUS II. REX POLONIÆ.

UNiversis & singulis, quorum interest, præsertim Rndmis, Illust: Magnificis, Generosis, Senatoribus, Dignitarijs, Officialistis & omnibꝰ Nobilibus nobis sincerè & fideliter Dilectis gratiam nostrã Regiam. Significamꝰ &c Insperatam injuriam, ac simul bellum infert nostræ huic patriæ Seren: Elector Brandeburgicus, dum inprimis ex insidiis volendo Elbingam astu capere, dein formali apparatu Exercitûs tormentorum conductorum, suisq; in suggestibus locatorum, & cum omnibus ad aggressionem præparamentis civitatẽ prædictam ad corpus Reip. pertinentem coëgit ad deditionem & eã die 10. *Novembris in violentam possessionem recepit. Non credet hæc posteritas, præ stupore attoniti hæremus præsentes; qualiter Princeps fœderatus & vicinus gratiis Reipub. usq; ad exinanitionem jurium suorum provectus ex Illustrissimo Serenissimus, ille, qui omnem Reip.*

 inju-

A.C. 1698 *injuriam pro sua propia habere est obligatus, ille, qui socia arma in omnem belli aleam jungere debet, eo tempore, quando Resp. bello Turcico tam diuturno, ex zelo Christiano succurrendi periclitanti Viennæ, suscepto fessa, & ad incitas redacta expedivit magnum Legatum jam experiri de pace cupiens, quando nobis, novo Regi primū bellum pro hac patria contra Paganos inchoanti debuit dare promissa juramento, pro quovis novo bello militum subsidia, arma sumpsit in Remp. Jus gentium vim patitur, quia ex jurato fœdere, perpetuo amico, inimicus ex insidiis. Patiuntur vim perpetua pacta non pridem nobiscum, ac Repub: sacrosancto renovata jurejurando. Nam si habuit aliquam prætensionem, ea debebat juxta pacta, primò per mutuam commissionem ventilari, & postea per interpositionem mediatorum & non per proprium, sic volo, finiri. Patitur Mater patria ferè à proprio filio; olim feudalibus beneficiis, recenter supremis indultis in Ducatu Prussiæ stabilito, & accipit vulnus à manu vix Christiana, quia dum ipsa tot internis & externis malis perit, quando ab intra nondum est in se totaliter pacificata, quando maximo eget auxilio ad velociorem in fine belli Turcici motum, sublevare cadentem non protrudere necesse erat. Tanta audacia, & pro jure sumpta ferri potestas, quot timendas trahit post se consequentias, quàm metuendum, ne plus ultra libido dominandi serpat; præsertim cùm in aliquibus literis (uti earum testatur authenticum) nominavit se Regem, errore ne an studio? quisque facilè perpendere potest. Proinde occurrendo tam insperato malo (& avertat DEus) secuturis inde ulterioribus consequentiis, visum est nobis ex Convocatione DD. Senatorum, & Consiliariorum nostrorū sine mora recurrere ad fida civium pectora, quæ in omnibus repentinis & nocivis casibus patriæ suæ murus aheneus semper esse solent; uti minimè dubitamus, quin innati amoris ardor accensurus ea sit ad occurrendum ulterioribus periculis. Omnes status & personas ad universalem commotionem obligatas præmonemus, & præsenti universali nostro uno, pro duabus Restium literis nuntiamus, ut in Palatinatibus, Terris, & Districtibus, in omnem casum omnimoda ad bellum fiant præparamenta juxta leges, & antiquas consuetudines de bellica expeditione statutas, expectando nihilominus absq; ulla motione tertias nostras Restium literas. Quod ut ad omnium notitiam eò celeriùs pervenire queat, universale præsens in castris, Parochiis & consuetis locis publicari mandamus. In quorum fidem &c.*

LITERÆ SERENIS: REGIS AUGUSTI AD S. CÆSAREAM Majestatem Varsaviâ 17. Novemb. 1698.

EO ipso tempore, quo ex Senatus consulto Majestati Vestræ vi, atq; armis Seren: Electoris Brandeburgici obsessam civitatem nostram Elbingensem, ac pòst deditionem coactam significare, tantoq; vulneri medelam tanquam à mediatore fœderis perpetui Velaviensis, quærere debueramus, accepimus literas ejusdem, quibus pro sua incomparabili æquitate insolens hoc factum

ctum & attentatum non damnare modò, sed & seorsivâ Epistola Serenitatem Electoralem Brandeburgicam commonere voluit, ut ab inceptis abstineret. Jurè merito tam æqua mens Majestatis Vestræ debitas sibi gratiarum repetit vices, easq; tantò solenniores referimus, quantò gravior ac minùs sperata injuria non in animis tantùm civium hujus patriæ, ac præprimis nostro, sed alienis etiam justam movet acerbitatem. Igitur tum literis Majestatis Vestræ provocati, tum tabulis prædicti fœderis insistentes enormem hanc atq; hostilem Reip. læsionem eidem tanquam vicino Principi & tanquam mediatori manifestamus. Palàm est obliteratam hanc, an veriùs præsuperatam tot justissimis Reip. indultis prætensionem excessisse contra pacta, quibus utiq;, si quid contra ea resultaret, amicabiliter, non vi transigere cautum est. Sacrum etiam fœdus dum maximè juvari debuerat, debilitâsse, sociis in se conversis armis. Fœderis deniq; perpetui Velaviensis pro vasallagio, ut sonat Articulus, permissi, amaram ac vix ferendam cunctorum cordibus pœnitentiam injecisse. Hæc omnia ubi profundiùs Majestas Vestra pensata esse voluerit, consulere tum suæ authoritati, tum nostræ ac Reipub. indemnitati, & violatæ securitati, omni meliori modo non intermittet. Quod ferventissimis commendantes desideriis Majestati V. optimam valetudinem ac faustissimos precamur successus. Dat. ut suprà. A.C. 1698

Juvat hic inserere Responsum Brandeburgici ad literas Imperatoris, quarum supra facta mentio.

EXTRACTUM LITERARUM EX GERMANICO TRANSlatarum Seren. Electoris Brandeburgici ad Seren. Cæsaream Majestatem die 14. Novemb. Anno 1698 Coloniæ ad Spream.

Benignissimas Cæsareæ Majestatis Vestræ literas familiares de data 7ma hujus debito cum respectu perlegi, Cæsareæ Majestati V. pro sinceris ejusdem remonstrationibus ratione negotii Elbingensis humillimas referendo gratias, quas ego haud aliter, quàm iteratum Cæsareæ Majestatis V. pro bono publico summæ solicitudinis, ejusdem erga me continuæ benignissimæ propensionis documentum considero, venerorq;. Non minori etiam mihi est solatio, quod dum Cæsarea Majestas Vestra ex scripto eatenus à me typis vulgato de jure & prætensione mea informari voluit, eadem nequaquam temeraria aut perperam fundata esse visa fuerit, ex quo spes mihi magna, quòd non tantùm supremum numen resolutionē meam, hypothecam in civitate Elbinga mihi competentem effectivè apprehendendi benedicet, sed etiam Regis Poloniæ Majestas & dilectio unà cum Repub. stante jure tam liquido dictam meam resolutionem non reprobabit, multò minùs autem eam ob causam aliquid, unde apprehensi à Cæsarea Majestate V. publicè damnosi effectus oriri possent, contra me attentabit. Quemadmodum verò solicitudinem, quam Cæsarea Mtas V. mihi ob oculos posuit, quantum in me est, libenter tolerem, Cæsareæ Majestatis Vestræ supremis sensibus cum submissione debita reddere paratus, ita etiam oblatam eatenus mihi interpositionem, ad officia sua ex debito respectu & singulari consideratione Cæsareæ V. Majestatis lubens accepto ipsius beneplacito, & benignissimæ dispositioni deferendo, an Cæsarea Majestas V. Regem inter & me tractatum amicabilem procurandum duxerit, quo casu ego per omnia me tam æquanimem exhibebo, ut Cæsarea Majestas V. plenissimam inde satisfactionem habitura sit. Nescio quidem quomodo circa Elbingam defacto res se habeat, & utrum à meis jam occupata sit, nec ne? sicuti verò in casu quo civitas mihi acquisita jam esset, nihilominus sub mediatione Cæsareæ Majestatis V. dummodo

ea,

A.C.1698 ea, quæ Velavienſibus & Bydgoſtienſibus pactis eatenus conventa ſunt, effective præſtentur ſuper retraditione civitatis cum alte memorata Regia Majeſtate & dilectione, nec non Regno Poloniæ tractare paratus ero, ita etiam meo Generali locum tenenti de Brandt mandatum tranſmitto, ut, ſi civitas adveniente curſore necdum dedita eſſet, ille ab omni inſultu, atq; oppugnationis genere ceſſare, nec quidquam contra civitatem ulterius tentare, ſed copias in ſuburbiis, quiete & citra omnem Incolarum moleſtiam tamdiu collocare debeat, donec ſua Regia Majeſtas, & dilectio ſe tractare, & Cæſareæ Majeſtatis V. mediationem acceptare velle declaraverit; quo facto dictæ copiæ in meum territorium haud cunctantes reducentur, Interim Cæſareæ V. Majeſtati in memoriam revocare præſumo, quod eadem dictorum Velavienſium & Bydgoſtienſium tractatuum gvarantiam in ſe ſuſceperit, & erga domum meam Electoralem expreſſe ſe obſtrinxerit, caſu quo Polonia conventa in dictis & pactis, & domui meæ promiſſa præſtanda; quibus hypotheca Elbingæ ſine contradictione pertinet, bono modo non præſtiterit, eandem ad eorum præſtationem adigendi, & conſtringendi.

LITERÆ REGIS AUGUSTI AD CHRISTIANISSIMUM. Varſaviæ 17. Novembris.

PErtuliſſe jam famam ipſam Majeſtati V. violentum Seren: Electoris Brandeburgici attentatum, armis nuper tractæ in deditionem ſuam civitatis Elbingenſis, minime dubitamus, quò tamen clariùs conſtet eidem, ſummus noſter ac Reip: ex nunquam ſperato tali caſu dolor, neceſſarium cenſuimus expreſſis hiſce Majeſtati Veſtræ, uti pactorum Olivenſium, Remp: inter ac Sueciæ Regem Ser: initorum, Velavienſia vero cum Seren: Electore Brandeburgico pacta vel implicite tangentium mediatori & Guarranti palàm facere. Factum hoc nequaquam convenire cum tabulis fœderis perpetui, quibus valide cautum erat, ne parti contra partem prætendenti, vel, ſi quidpiam exequendum reſtaret, aliter procedere licitum eſſet, quàm per mediatorum requiſitionem. Eam itaq; apertam fœderis perpetui pro vaſallagio Reipub; debito in gratiam domûs Brandeburgicæ conceſſi, violentiam, ac ſecuritatis publicæ læſionem, dum Mti Vræ communicamus, certi ſumus non aliter ſuſcepturam, quàm mente æquä & juſtâ, quâ ut provideatur fidei pactorum omni poſſibili modo nullatenus intermittet. Quod nos proxime experturos ſperantes D.T.O.M. precamur, ut Mti Veſtræ longævam ac diuturnam vitam in bona valetudine, ac felici rerum uſu concedere velit.

Literæ ad Regem Angliæ ejuſdem erant tenoris paucis mutatis.

Literæ ejuſdem ad Regem Sueciæ ibidem.

GRaviſſimus, quo nos ac Rempub. Seren: Elector Brandenburgicus affecit, dolor, dum recentiſſime Civitatem noſtram Regiam Elbingenſem, vi in deditionem ſuam adegit, coram Majeſtate Veſtra uti vicino & amico Regni hujus Principe nec celari debet, nec poteſt, Turbatâ enim tam amici, tamq; vicini Regni

gni quiete ac tranquillitate, adhuc, dum ſtante bello Turcico mala atq; incommoda inde ſecutura exiſtimamus, Majeſtatem V. pro ſua in fœdera religione ad ſe derivaturam. Super quæ, ut uberiùs Majeſtati Veſtræ mens noſtra ac Reipub. conſtare valeat, ablegavimus ex Senatûs-conſulto Illuſt. & Magnificum Franciſcum Comitem in Krotoſzyn Galecki Palatinum Junivladislavienſem Regni Senatorem. Ille, quidquid nomine noſtro expoſiturus eſt, M. V. benevolè acceptura, atque plenam fidem adhibitura eſt. Nos mutuam ſemper in omni occaſione ſpondentes benevolentiam, inter proſperos rerum ſucceſſus Majeſtati Veſtræ optimam valetudinem animitùs precamur. *A.C. 1698*

Literæ ejuſdem ad Regem Daniæ ibidem.

Pertinet ad M. V. rei atq; cauſæ apprehenſio, in quam nos & Remp. iſtam nihil ſimile ſperantes Seren. Elector Brandeburgicus conjecit, civitate noſtrâ Elbingenſi vi & armis nuper in deditionem ſuam coactâ. Cùm enim pactis Velavienſibus, quibus loco vaſallagij Regibus Poloniæ, & Reipub. debiti Electores Brandeburgici in perpetuum fœdus cum eadem cooptati ſunt, Securitas concluſorum ibidem ad M. V. relata, nec quidquam parti contra partem ſe judice & interprete, multò minùs armorum oſtentatione permiſſum, ſed totum, quidquid ex iis exequendum vel prætenſum reſultaret per mutuam commiſſionem, ac, ſi hæc non ſufficeret, per authoritatem Mediatorum, ſignanter Majeſtatis V. ſopiendum cautum ſit, minimè dubitavimus, quantociùs de tam atroci, & inſperato caſu Majeſtatem V. informare. Quo fine ad eandem delegavimus Senatorem Regni Illrem & M. Franciſcum Comitem in Krotoſzyn Galecki Palatinum Junivladislavienſem Huic itaq; præmiſſa uberiùs expoſituro velit M. V. plenam fidem tribuere, atq; faciles concedere, quoties nomine noſtro popoſcerit, acceſſus. Nos interim eidem optimam valetudinem intra feliciſſimos rerum ſucceſſus ex animo precamur.

Similis Epiſtola ad Status Hollandiæ mutatis mutandis.

INSTRUCTIO EX CANCELLARIA REGNI 17. Nov. 1698. Data Illuſtri & Magnifico Franciſco Comiti in Krotoſzyn Galecki Palatino Junivladislavienſi Ablegato ad Regem Daniæ, & Status Hollandiæ.

Quandoquidem in ſenatûs conſilio immediato concluſum eſt, ad S. Regiam Mtem Daniæ ablegare quempiam ſine mora S. Regia Maieſtas Dominus noſter Clementiſſimus cognitis benè tum qualitatibus, tum ſingulari dexteritate viri ſemper negotiis publicis dediti, ac Senatoris præcipui Illuſt: & Magnifici Palatini Junivladiſlavienſis facile decrevit, ut ad aulam illam eundem abſq; omni ſolenni charactere, ſolo Regni Senatoris titulo ablegaret, prout deſacto ablegavit in modum ſequentem.

1mo. Curabit quantociùs ad deſtinatam ſe aulam conferre ibidemque ſervato debito ſibi Regni Senatoris, & S. Regiæ Majeſtatis reſpectu ac ho-

A. C. 1698 nore, absq; præviis ceremonialibus privatam audientiam obtinebit, literas credentiales reddet, explicatoq; sincero S. Regiæ Majestatis Domini nostri Clementissimi affectu, & teneritudine, descendet ad negotium Elbingense, sive in eadem statim audientia, sive in secunda.

2do. Ordietur rem à pactis Velaviensibus, seu Bydgostiensibus, quæ in promptu secum habiturus est, repetetq; memoriam per textus eorundem pactorum; unde, qualiter, & quomodo res gesta atq; conclusa fuerit, atque deveniet ad illud, quòd quidquid vel exequendum, vel ex mutuis prætensionibus controversum resultaret, pactis hisce prius per mutuas commissiones, tandem per mediatorum authoritatem, si illæ non successissent, ventilandum, & sopiendum cautum sit.

3tio. Secus factum dicet per Seren. Electorem Brandeburgicum, dum omissis his gradibus civitatem Regiam Elbingensem nil simile sperantem, armis priùs per insidias, mox per apertam vim aggressus est, eandemque in deditionem suam coegit.

4to. Talem progressum inferet de facto esse contra tenorem pactorum memoratorum, imò & contra jura bonæ amicitiæ, eo scilicet tempore, quo Resp. & S. R. Majestas Dominus noster Clementissimus Turcico bello implicitus est. Talis enim ausus, qui tranquillitatem, & securitatem publicam, tùm & fœderis perpetui violat, non absimilis videtur hostium menti.

5to. Cùm proinde S. Regia Majestas Daniæ sit stipulator pactorum illorum, atq; fœderis Velaviensis, concludet pertinere ad illam, uti stipulatorem, & Gvarantem his omnibus maturè providere, atq; succurrere, petetque, ut eadem Majestas Daniæ pro stipulatoria sua authoritate annitatur statum Reipublicæ, atque civitatis Elbing. quantocius in integrum restitui, quòd sic & honori suo mediatorio, & S. Regiæ Majestatis Domini nostri Clementissimi ad auspicia felicis Regiminis, ac universæ Reipub. securitati consultum iri valeat.

6to. Non intermittet eâdem occasione omni meliori modo, nomine S. R. Majestatis Domini nostri Clementissimi instare, quatenus naves Gedanenses contra fas omne per Capitaneum Bart in Portu Gedanensi vi ac dolo comprehensæ, jam verò in portu Daniæ hucusq; detentæ omni libertate & immunitate donatæ exclusâ omni prætensâ deprecatione, vel quacunq; aliâ obligatione, uti innocuæ dimittantur, & expediantur. Reliqua in eum finem prudentiæ, dexteritati, ac fidei Senatoriæ committuntur.

Ad mandatum S. Regiæ Majestatis similis ad status Hollandiæ excepto puncto de navibus Gedanensibus, tum loco verbi, aulam, Regentiam.

LITERÆ SEREN: POLONIARUM REGIS AUGUSTI AD Electorem Brandeburgicum, de data 17. Novemb.

Literæ Seren. V. de 17 elapsi, multò magis, nunquam sperata civitatis nostræ Regiæ Elbingensis, aggressio, merebantur, antequam responderemus, senatûs consilium. Quo illico huc convocato, atq; intra hosce dies expedito, quid aliud respondere possumus, quàm quòd universi stupeant Seren: Vestram, rem attentasse, etiam posteritati nòn credendã. Fateri debet ipsam quadraginta & ultrà annorum exsuscitasse emortuam, imò tot tantisq; Reipub. prætensionibus sepultam hypothecam, tam crudis prius ex insidiis, mox apertis armis, ut quasi nunquam æternum pro remisso Vasallagio concessum, cum

cum Repub: habuisset fœdus, hostium loco suorum, hostes Reipub: reputatura, ipsas infestas copias, innocuæ urbi admovit, eandemq; vi, in suam deditionem coëgit. Ius hoc, quod Seren: Vestra, scripto suo, typis vulgato solenne vult facere, utiq; melius notum fuisse gloriosæ memoriæ, magno Parenti suo, tanquam primo quæsitori & tamen nunquam ausum, quidquam simile præsenti casui, imò malluisse illum Brunsbergam, & Fraunburgum, loco non traditæ Elbingæ, ut prætenderat ex pactis Velaviensibus possessas evacuare, ac restituere in manus Reipub. quàm primo illi actui (qui procul dubio magnis suberat protestantium in Repub. difficultatibus) tradendæ sibi supremitatis in Prussiam derogare. Fuisse posthac toties ab eodem & Seren: Vestra, supermemoratis pactis repetita juramenta, & quidem ægrè ex parte Reipub. nolente Michaële, recusante ultimariè per aliquot dies JOANNE III, Serenissimis D memoriæ Prædecessoribus nostris, ob validas atq; gravissimas Reipub. prætensiones, & cur non eò potiùs tempore suspensis juramentis, opponenda erat ista prætensio? cur non saltem aliqua ante immediatum nuper nobiscum juramentum, super iisdem injecta mentio, præsertim cum ministri à nobis designati, distinctè satis ad prætensiones quasdam in scripto desiderarunt responsum, nec obtinuerunt à Ministris Seren: Vestræ. Nunc quis crederet, dum Resp. cum hoste Christianorum omnium, cruento implicita, ac distenta bello, turbari illam, ac vexari à tali Principe, qui bona malaq; ejus, pro suis propriis habere æterno fœdere, ac jurejurando obligatus erat. Deniq; omnes circumstantiæ acerbissimæ rei gestæ anteriores revocandæ forent, factum hoc nemini placiturum, nisi hostibus, cum quibus bellum atrox, & tam longum gerimus, hanc enim turbatam ac violatam Reip: à fœderato Principe, securitatem, illis solis gaudio futuram, qui nos undiq;, & patriam angustiatam cuperent. Hæc non alio fine Serenitati V. omni fiducia, insinuanda censuimus, quàm ut intelligere velit se excessisse metam debiti sui, erga Remp. hanc, cujus summa semper in domum ejus, universô teste orbe extitêre beneficia, impegisse contra perpetui fœderis pacta, jureq; suo ex iis cecidisse, talemq; ausum, non modò ad intima patriæ hujus penetrasse, sed nostrum quoq; honorem ad prima Regni auspicia, sine omni præmissâ amicabili requisitione extremè pupugisse, adeoq; cunctos desiderare, ut casum istum summopere Reip. ac præprimis nobis gravem Seren. Vestra, quantocius redintegrandum, immediatumq; statum civitati restituendum curet, annitatur, vel si id minimè libuerit, saltem nullius offensa, ac hostilitatis loco, sit acceptura, si justa tantæq; læsionis reparatio quæri, ac ministrari omninò non intermittatur. De reliquo Serenitati Vestræ bonam valetudinem intra perpetuos fœderũ, amicitiarumq; successus apprecamur. A.C. 1698

A.C. 1698

CXXII.
AMICO CONFIDENTI EX BRZESCIE LITVANICO, 7. Decemb.

Abitus regis in Litvaniam.

POst peractum Consilium in duobus præcipuè punctis, Elbingensis scilicet negotij, & Litvanicorum motuum, post expeditas inprimis literas restium, post destinatum quoq; Legatum ad Reges Sveciæ & Daniæ, Rempublicamq; Hollandiæ Franciscum Galeccium Palatinum Inovraclaviensem, multasq; alias literas ad vicinos & remotiores Principes, missas, desiderium supererat pacandæ Litvaniæ, quæ animum Regis, nostraq; exercebat consilia. Non nimis quidem irascebatur illis Rex Seren. cùm hæc ipsa dissidia optimā occasionē, & opportunitatem adferant sub prætextu concordandorum animorum, tot millia Saxonum per hanc hyemem in Litvania tenendi, sumptibusq; illius Ducatûs alendi, multa sæpe sunt in Principibus, quæ vir bonus laudare non potest, tegere & transmittere silentio potest. Interim tamen desiderium nostrum erat & votum, quatenus Rex vellet invisere Ducatum illum, & præsentiâ suâ tantos componere motus; quod libenter Rex acceptavit, nunc huc, nunc illuc, ut tempus & necessitas posceret, transferendo se, referendoq; summam voti sui consecutus; index enim animi sermo erat, & 18va Novembris Varsaviâ movit, implens quod promisit verbo. Me quoq; vix non vi, secum in consortio accepto ita, ut vix aliquot horarum interstitium habuerim præparandi me, cùm Rex ut eò securior esset comitatus mei, in meo quoq; curru abire voluit. Intra duos dies venimus Bialam ad Ducem Carolum Radzivilium Procancellarium Litvaniæ, ubi lautissimè pro solita, & innata hospitalitate Principis Rex & nos omnes excepti & per aliquot dies tractati fuimus; tandem ad Brzescie Litvaniæ transtulit Rex residentiam suam, & ex hac parte civitatis in Palatio Iosephi Slußka Castellani Vilnensis Terespole vocato residentiam suam fixit, ubi aliquod tempus mansimus, variaq; consilia, & media proponebantur, trutinabantur, & quærebantur, quibus motus illi Litvanici non perfunctoriè contra Domum Sapieham excitati sedarentur: est hic præsens Raphaël Leszczynski Lenciciensis Palatinus Generalis majoris Poloniæ, quem virum tu nosti, & quia tu nosti, amas, quem & ego amando & videri & esse volo constans, quod non memori modo condo animo, sed & exprimo factis; est & Thesaurarius Litvaniæ Sapieha, veniunt, & abeunt multi, & ego aliquot diebus ita infirmus fui, ut nisi gratia primùm Dei, & pòst peritia medici Regij me salvâsset, certè literas meas has nunc non haberes; tandem, dum Rex movere Grodnam, ut eò commodius, quò propius operaretur, constituisset, mihique in medio negotiorum cursu Majestatem suam relinquere minimè conveniret, non tam prætextu infirmitatis, quàm verâ necessitate providendæ melioris commoditatis, quàm esse solet, dum cum aula iter peragitur, petij licentiam, habuiq;, ut cum Duce Radzivilio, qui aliquot dies post abitum Regis iter quoque Grodnam parabat, ire possem; abijt ergo Rex, nos sequemur, utinam negotium hocce, supra quod die nocteq; sudatur, & nos apparentiæ ipsæ benè sperare jubent, pro utilitate Reipub: tandem aliquando finiri possit.

EIDEM

CXXIII.

EIDEM AMICO CONFIDENTI Grodnâ 19 Decembris.

Concordia inter partes discordantes in Litvania.

NUnquam commodius iter meum fuit, quàm dum ex Brzescie Bialam, & inde Grodnam in tam svavi consortio cum Duce Radzivilio pergebamus. Deprehendimus Regem in Krinki ubi Generalis Fleming obviàm venit cum optimis novis, ut credebantur, & testimonio publicæ quæ Litvaniam universam affecerat lætitiæ, quòd scilicet concordiam exercitûs Litvanici concluserit, cujus copiam tibi mitto, venit tandem finis, finis venit & eventus præter expectationem & tam citò, &, ut ait Flemingius, feliciter tanquam Regia Babylonis spina eodem die, quo inseritur germinâsset. Ignem diceres cum nascitur, statim lucet, quia pro suo jure statuit, quod voluit. Adfuit præsens ut mediator & Constantinus Brzostowski Episcopus Vilnensis, qui multum ibi cooperatus est. Gravis hic ictus est, & timeo ne sit aliquando fatalis pro Domo Sapiehana, sed cedere debuit necessitati, & doloris dulcorare amaritudinem, cum Rex oblatam habens à Nobilitate pro copioso satis exercitu Saxonico pro hac hyeme consistentiam plus nobilitati per dictum Flemingium favere visus est, ita, ut nobilitas in equis tunc consistens vigore universalium literarum à Kociel expeditarum, & determinati publici motûs vicina exercitui Litvanico fuerit, cui resistere quidem Palatinus Vilnensis & voluit, & potuit, sed magis quod vitaret quàm cui crederet certus, quæ fortiter cœperat, constanter urgere non poterat, cum Femingius 15000 equitum Saxonicorum & fortè plura in campo præsentâsset, eo palàm declarato, quòd nobilitati assistere deberet, odia ergo non sorbere tantùm, sed etiam concoquere coactus, multis diffidens non multum aberravit, spe lætiorum, cuncta quæ lenit mala, omnia concessit, utinam hunc mœrorẽ diu non lugeat, ita plurimos semper metuit, qui plurimos terrebat. Potest ergo tractatus hic conclusus inter ea numerari, quæ vi & metu extorquentur. Quis verò sponsor, ut post hanc concordiam, quæ coacta verè dici potest, non resurgant iterum motus novi, ut solent in Polonia, dum hunc tractatum nullus tuebitur rigor, & impune licebit ad præterita redire, ex minima etiam occasione & disgustu, præterquã quòd nihil in terris stabile æternúmve putandum est, timeo ne denuo eundem in lapidem pes offendatur. Præteritis temporibus dũ ab aliquo similes civiles motus inceperant, qui nomine Guerræ vocabantur, statim extradebantur citationes, mandata vocamus pro comitijs, & nefas usurpare sibi nomen Partium in Rep: & divisum cum Jove habere imperium; Et qui ausus fuisset arrogare sibi eam potestatem sine ullo jure, inquirebat Respublica in factum, & compescebat judicio, & authoritate civiles actus. Partibus à Repub: separatis non licebat quidquam inter se decernere, quia hoc est jus potestatis supremæ, conditiones conscribere, quæ universos concernunt. Si eas potestas suprema non scribet, quæ securitas, quòd easdem iterum usurpatæ potestates non subvertent, ab innovationibus nos cohibere deberemus longissimè, cum legum optimas sciamus esse eas, quæ sunt antiquissimæ. Simultates inveniebantur semper inter privatos, sed nunquam in Campum descendebant, nec egrediebantur, quia hoc erat crimen. Nunc verò quæ authoritas Majestatis, & jurium Reipublicæ nostræ, tum & comitiorum permittere discretioni tanta nego-

A.C.1698 negotia usurpantium Majestatem, & securitatem Reipublicæ, quod vadium in causam contraventionis? quis rigor & executio constitutorum? Quapropter ita de hoc tractatu opinor, tanquam de illis figuris quas videmus in cælo, & quæ omni vento alio flante, alias species induunt. Nollem ego esse Propheta verum dicens, fœdera hæc brevi dissolvenda, sed sensum meum tibi præcipuè celare nullatenus possum. Perdidisse exercitũ vellem, ut domus Sapiehana doleat tantùm, non sentiat, cum potentes invidiæ expositi sint, tenues contemptui.

Fuit etiam legatio ad Regem à nobilitate, cujus copiam quoq; tibi annecto, cum laudo nobilitatis in congressu Generali post cassationem exercitûs facto.

Festa Natalis Domini Grodnæ Rex peregit, ex meaque manu satis devotè communicavit, post quæ dum vidissem, quòd nihil ampliùs faciendum restaret, cumq; Rex præsentiam suam Wyskoviæ mihi promisisset in reditu Varsaviam, præeo hodie, speroque brevi Majestatem suam secuturam.

COPIA CONCORDIÆ SECUNDÆ M. D. LITVANIÆ die 17. Decembris.

ITa ex frequentioribus, totiesq; geminatis diffidentijs, ex occasione manutenendæ legis, circa coæquationem jurium M D. Lit. ab ipsa Electione sumendo principia, accensus erat inter status Reip: ignis & ita ingens, ut, si omnipotens DEi manus, quæ justè nos pro peccatis nostris punire voluit, severitatem non mutasset suam, in misericordiam, tota & integra Patria, ardore belli civilis, ex tam forti, & inimicis formidabili Repub: in meros redigi debuisset cineres. Pro qua clementissima gratia, uti DEo Creatori nostro misericordias in æternum cantabimus, ita Seren: Regis nostri Mti feliciter nobis imperanti, Paternâ agnitâ facilitate, humiliter gratias referimus, quod scintillis his incipientibus authoritate suâ, in ignem augeri non permisit, & tales inter diversa partium studia diffidentium civium per Illustrissimi Constantini Brzostowski Episcopi Vilnensis cooparationem & Jacobi Henrici Flemingij Mareschalci Pomeraniæ, Generalis exercituum suæ Majestatis, ex utraq; parte, acceptatam mediationem, æternæ concordiæ, perfecta hæc sunt puncta.

Et inprimis devenerat jam status Litvaniæ equestris, ad hanc resolutionem, quòd non considerata Novembris & Decembris intemperie publico nobilitatis motu, ultrò & benevolè sub Grodna congregatus fuerit, non alio fine, nisi ut exercitum Litvaniæ, in computo existentem dissolveret, ad quem certas, & æternâ oblivione abolendas habuit prætensiones, post longas dissertationes, ab utrinque tandem conclusum, quòd ex nunc die hodierna in data expressa exercitus, in hanc dissolutionem convenire se declaravit, uti etiam in assistentia, & præsentia Casimiri Sapiehæ Palatini Vilnensis M. D. Lit. Hussarorum, Cataphractorum, Equitum, Cosacorum, & Tartarorum cohortes dissolutæ sunt, & ad suos Palatinatus & districtus, in campo sub signis & vexillis stantes abierunnt, legiones, verò exoticæ, & desultorius miles, quamvis ex mente Reip: jam sint dissolutæ, eriguntur tamen, & conservantur, secundùm repartitionem, pro futuro Reipub. obsequio usq; ad comitia secundùm computum anni 1690. Peditatuum 2690 includendo in eo legionem penes Remp. usq; in hunc diem existentem, in tuitionem juris coæquationis per Gregorium Oginscium Samogitiæ Gubernatorem erectam, & hoc ideo ut nobis post Comitia

Dissolvendo Exercitus

DEo

A. C. 1698

DEo dante finita conscriptionis Palatinatus ruinas non patiantur, Officiales secundùm legem, nobiles per unum tantùm propter ordinem faciendum relinquunt; prævio tamen juramento fidelitatis, quòd nunquam contra Remp. levabunt manus, & fideliter Seren: Regi servient. Desultorij militis 1140 jam dissoluti, & de novo erecti, manere debent, in eadem locatione Pinscensi, cum additione Janovij in Palatinatu Brestensi, ad Episcopatum Luciorienſem pertinentis, secundùm eandem ordinationem, uti & pedestres exotici. Quantùm verò attinet ad peditatum Hungaricum, tanquam minùs necessariam militiam, & privatis tantùm usibus servientem, dissolvimus & dimittimus, ex istis nihilominus DD. Ducibus exercitûs, & Mareschalco Magno Litvaniæ secundùm legem, propter assistentiam retinemus, hic verò pedester miles, ut in instanti pro locatione, ad Pinscensem Oeconomiam, Janoviumq; moveat, & ibi unico tantum tecto sit contentus, commendamus. Cui exercitui ita dissoluto, sicut & erecto de novo, pedestribus, desultoriis secundùm prætensa quartualia, recedendo ab omnibus contra exercitum prætensionibus, quæ pro nimium extortis hibernis, onere consistentiarum, transitum cùm ingentibus damnis, exceptis tantùm causis criminalibus, & invasionibus recentibus bonorum nobilium debet, durante tractatu, ab 11. Decembris ejusdem anni & mensis, ad 24tam declarat quatuor quartualia exsolvere, uti exercitus M. D. L, certando amore cum patria matre sua, illis sunt contenti; separatim verò promissa Reip; à Seren. Rege per pacta conventa summa trium millionum trecentorum millium, triginta trium millium, tringinta trium florenorum, & grossorum decem, in felicissima Suæ Majestatis electione, exercitui huic, tam dissoluto, quàm conservato cedere debet, & ut in toto pactis conventis satis fiat, Respub: instabit. Quantùm verò attinet quatuor quartualia à Repub: declarata, ad recipienda illa, statim antè dissolutionem, eligent sibi bene possessionatos sub Vexillis Deputatos, & in futuris in Februario imminentibus anno 1699, comitiolis comparebunt, ubi cuicunq; cohorti repartitio inciderit, & Resp. se assecurat de punctuali, & integra dissoluto exercitui exsolutione.

Erectio novi exercitûs differtur.

Ad ulteriora comitiorum consilia, differtur novi exercitûs erectio, ut post tam infelicia & infœcunda tempora, aliquatenus possit, tot infelicitatibus conquassata Resp: quiescere. Interim cavetur ut Duces exercitûs, secundùm constitutum coæquationis, in omnibus punctis se se gerant.

Contributiones exigendæ.

Quoniam verò usq; in hanc diem, in aliquibus Palatinatibus, & districtibus tanta fuit renitentia, ut duplices hybernæ, Czopowe, Szelęzne, monopolia in duplo, & cætera non extraderentur, ad hæc proinde bona, & starostias, ex comitiolis Deo dante in Februario absolvendis, cum assignatione Palatinatus aut districtus, remissi Deputati, post decreta instantaneè lata, cùm assistentia motæ nobilitatis expediri debent, ubi hoc tributum non est exolutum. Propterea curabunt omnes, ut omnes hæ contributiones, ad exactores quantocius inferantur, ante dicta comitiola, quæ contributiones incipiunt à comitiolis relationis, post felicem suæ Mtis Coronationem expeditis, uti cursus horum tributorum, ad dispositionem fuit Reipub. Et in quantum aliquis esset tam potens, & renitens, ut unus districtus moveri debeat, & executionem Deputatis facere, decretum formare ut hic refractarius, tanquam in causa fisci condemnatus, nullibi locum standi habere possit, usque ad satisfactionem, Exercitus etiam, qui in tuitionem jurium coæquationis fuit erectus, ex nunc est dissolutus.

Coæquatio manutenenda

Lex coæquationis, repartitionis & locationis secundùm constitutum, in Electione suæ Majestatis, & confirmationem, in felici ejus Coronatione, sicuti tribunal M. D. Litvaniæ, ordinatio ejus impressa in præsenti tribu-

A.C. 1698 tribunali stabilita, inviolabiliter manuteneri debet & si supra quempiam decreta sunt lata, & condemnationes, per vim juris legitimè sufferri debent exceptis Decretis pro Zidmonensi, & Jurborgensi prælio, quod abrogari, & pro nullo haberi debet, nulliusq; honori præjudicare ab hinc poterit.

Lauda vim habeant

Lauda omnia, manifestationes factæ in ordine ad tuendam coæquationem, tam Generales, quàm particulares, suum robur habere debent. Quòd verò tangit Ministerium Palatini Vilnensis, & domûs totius ejus, ac personarum in Manifestum insertarum, in hoc tantùm puncto abrogatur. Securitas personarum, bonorum & honorum ab utrinq; cavetur, ut etiam confidentia inter cives, in integrum restitui possit, omnes offensæ vicissim condonari debent, nec vindicta unquam ab utraq; parte subsequi.

Ducum authoritas

Authoritas Ducum conservatur, secundùm sonum, & obloquentiam, coæquationis & ordinationis Reip. constituta, & comitiis Coronationis approbata, pensionesq; secundùm coæquationem conservari debent.

Artileria.

Artileria provideri debet ex quarta simplici, ex proventibus Lipicicensibus, Pieranoviensibus &c. usque ad comitia, quorum rationem Generales Artileriæ M. D. Litvaniæ reddituri sunt in comitiis. Locus verè pro conservandis tormentis destinatur Vilnæ, & ex armamentario eo non debet moveri quidquam, nisi pro bello contra hostes Reipub. sub amissione officij Generalis. Erogata certa summa pro certis cohortibus, exolvendo duo quartualia ex proprio peculio Palatini Vilnensis, dum apochæ, & assecurationes earum monstrabuntur, ex quartualibus quatuor, ubi his cohortibus repartitio venerit, debet refundi. Tartaris securitas bonorum, & personarum illarum ab utrinq; confirmatur, qui tamen præstare debent juramentum ex nunc fidelitatis, in Regem & Rempublicam. Aliæ verò materiæ, concernentes statum Reipub. hîc non insertæ, ad comitia differuntur. Quorum omnium finitorum, & conclusorum punctorum, vicissim inter partes originalia distribuentur scripta, ut inviolabiliter ab utraque parte manuteneantur, sacrosanctè promittimus sub fide, honore, & conscientia. Quod manibus nostris, ita nos commissarij à Repub. penes Dominos mediatores, Senatores, Officiales M. D. Litvaniæ hic præsentes, sicut commissarii Exercitus, penes Palatinum Vilnensem Ducem suum, quòd hæc omnia firma erunt, subscripserunt. Datum in campo Martio in Ławno & Pużewice 17ma Decembris. Subscripsit se Constantinus Brzostowski, Iacobus Henricus Flemingius, Kociel Castellanus Vitepscensis Generalis Colonellus, Georgius Oginski Capitaneus Samogitiæ. In alio vero instrumento post subscriptionem mediatorum Palatinus Vilnensis, & commissarii Exercitus Litvanici.

INSTRUCTIO DATA NUNTIIS A NOBILITATE LITVAna, ad Regiam Majestatem missis Grodnam.

IN tam gravi Reipublicæ casu, quando è cardinibus suis commotæ leges, & quando jam ad id deventum erat, ut tota nobilitas, in ultima fortioris resolutionis statuerit se dispositione, placuit adhuc bonitati divinæ, misereri sortis nostræ, ut felicia redirent tempora restitutæ libertatis, manutentæ integritatis, renovatæ, quæ jam in integro pessundata erat, fraternæ confidentiæ. Humillimis eo nomine Majestati divinæ redditis gratiis, & simul vicariæ ejus potestati S. Regiæ Majestati, cui cum debita submissione, debitam in Regem Dominumq; testabuntur nuntij nostri devotionem, cum profunda gratitudine, quod manutenendo nos penes

nes libertatem; non tantum Rempublicam in æstu certaminis, suâ dignatus protectione, sed etiam cum dispendio propriæ salutis, propter pacificandam eandem, in limites M. D. Litvaniæ, tanquam Pater Patriæ advenit. In tesseram proinde devotionis nostræ, vitam & sangvinem eidem sacra volum⁹. A.C. 1698

Quoniam verò illicio præsentis beneficii Suæ Majestatis, & protectionis contenta remansit Resp. in futuris necessitatibus, & occurrentibus suis, eandem sibi præcavet, & invocat protectionem, & subsidium, & ut Rex secundùm legem, tertio quovis anno, residentiam suam, in Ducatu Litvaniæ habeat humillimè petit.

Quamvis Respub. provida sui, in omnibus suis circumstantiis legum, & libertatum, unanimiter in recenti congregata, addidit necessaria antiquis legibus, & consuetudinibus additamenta, in præsenti cum Exercitu M. D. Litvaniæ tractatu, & generali nostro laudo, quod certè in suo servabitur robore. Ut tamen eo efficaciùs respondeant opera votis, precabuntur Domini Nuntii suam Majestatem, tanquam pro libertatibus, & immunitatibus agentes, ut eo faciliùs sufficiant præmia dignis, ut sincerè & fideliter pro Majestate Regia, pro conservandis legibus, & libertatibus laborantes gratiâ suâ, & justitiâ distributivâ consolari dignetur, non reponendo in unam solam domum ministeria & dignitates vacantes, hoc est Mareschalcatum magnum, sigillum parvum, Notariatum campestrem, Generalatum artileriæ, ne langvescat virtus absq; præmio, cum omni submissione & fervore; precabuntur, ut sub tempus residentiæ suæ hic Grodnæ, altius dictarum vacantiarum distributivam resolvere dignetur sententiam.

Interesse Reip. necessitatem habet, ut fidam Sua Majestas, rerum nostrarum habeat relationem, ac proinde ut juratus Secretarius semper in aula resideat, qui fideliter deferat deferenda & in omnibus expeditionibus suum ponat nomen. Ut verò Prependovius Palatinus Margenburgensis ad nulla M. D. L. negotia, ad nullas expeditiones sese absolutè immisceat, humiliter Suæ Majestati supplicabunt, ex præjudicato, quod est tale, secundùm verba historici nostri. Pulchra est illa Lubranscij Episcopi Posnaniensis ad Regem Sigismundum in comitiis oratio: Publici hic inquit consilij est locus, Szydlowiecium, nescimus quid in aures perpetuò insusurrantem remove, aut nos omnes Senatores à te expelle.

Semper Resp. affectum in se strenuorum heroum, & magnorum virorum præmiari solet, & nunc pleno animo cognoscendo merita, & ad bene merendum de Rep. promptam videndo voluntatem in personis Beslingij intimi Suæ Majestatis Consiliarii, Flemingii Mareschalci Pomeraniæ Generalis Exercitûs Regij; instabunt nomine nostro Nuntii, ut Sua Majestas secundùm morem Palatinatibus & Districtibus, in comitiola, antecomitialia proponere velit, instareq; ut indigenatu Reipub: in comitiis futuris condecorari queant.

Labefactata totius Litvaniæ securitas in Dapifero M. D. L. & Succamerario Brestensi Nuntiis ad suam Majestatem nostris, ut impunè tantum non transeat scelus, & ne oblivioni detur, ad singularem memoriam, & clementiam Suæ Maiestatis recurrit Respublica.

Indemnitas bonorum terrestrium Spiritualium, Regalium, ut ab exercitu Regio conservetur, instabunt.

Dum sub inauguratione Suæ Majestatis coæquationem jurium M. D. Litvaniæ, cum Regno acceptavimus, in virtute legis fundatæ, veteres tollendo abusus petimus ut aula M. D. Litvaniæ, penes administrationem redituum mensæ Regiæ conservetur, & ut eo nomine novum privilegium ex Cancellaria extradatur, supplicabunt.

Quoniam vetante lege positiva prohibitæ sunt omnes capitulationes,

A.C. 1698 per quas mensa Regia est spoliata Oeconomiis, petent Nuntii, ut Sua Majestas ad recipiendas has Oeconomias, Commissarios suos mittat, nolent enim, ut Rex egeat.

RESCRIPTUM EX CANCELLARIA REGNI. Grodnæ 2. Jan.

QUis non agnoscit? quis non fatebitur, quòd id singulare omnipotentis manus Divinæ opus sit, quòd eductas in perniciem sui, cognatas acies, exacerbatas plùs quàm civilibus odiis, continuis diffidentiis, in mutuas cedes, concivium voluntates, insperata metamorphosi, in unam indivisibilem, nec unquam rumpendam fraterni amoris mutat confidentiam, & aliquando Reipub. huic ac internis malis, liberè respirare permittat. Pro eo, & Sua Majestas eidem Domino DEoq; suo, cui adhuc curæ sumus, tanquam vicaria ejus potestas, primum ex persona sua, immortalibus redditis gratiis, quòd paternam ejus curam, & tantos conatus pro manutenenda libertate nobilitatis, & restituenda exulante usq; in hanc horam in M. D. L. interna pace, fortunato & exoptato beavit effectu. Quando insuper à Palatinatibus, & Districtibus Litvaniæ, per Nuntios ejusdem cum debita submissione, pro homagio gratitudinis, & fidelitatis confœderatis sinceritate antiqua in maiestates, ex cordibus civium elaboratam recipit coronam. Exprimere sufficienter nequit, quo animo contestationem hanc fidelium subditorum æstimet, non alio acceptando affectu, nisi eo, quo usq; nunc cum iisdem Palatinatibus & Districtibus, in occurrentibus eorum commodis certabit, in quo eorundem appellat fidem, & in signum adhuc evidentioris statui nobilitatis, ex persona sua propensionis, id in futurum declarat, quòd libertates Reip: super quarum tuitione sacrosanctè juravit, & quam protectione suâ usq; nunc dignatus est, bona, malaq; comunia semper cū illis vult habere.

Ad puncta verò Sua Majestas respondere dignatur.

Imum punctum. In quo Palatinatus, & Districtus Litvaniæ, ut universale, & unanime eorum laudum subscriptione manus Suæ Regiæ, comprobare dignetur, non eget precibus, jam enim ipso facto, libenter id se fecisse Sua Majestas declarat.

In distributione vacantiæ Ministeriorum & Dignitatum Litvaniæ, sequetur præscriptam Sua Maiestas, in pactis conventis, in hoc puncto methodū.

Ut Secretarius ad latus Regium, pro sufficientiori informatione resideat, & in hoc puncto, postulatis status nobilitatis gratiam suam defert.

Ad Oeconomias Litvaniæ, ut Palatinatus & Districtus, uti hoc punctum urgent, assignent Commissarios, qui eas recipiant, mensæq; Regiæ applicent, convenit in eo Sua Majestas legemq; ne Princeps egeat immobiliter conservabit.

Quandoquidem ipsa æquitas pro Thesaurario aulæ M. D. Litvaniæ militat, ut eandem prærogativam & potestatem, in administratione redituum mensæ Regiæ, vigore officii sui habeat, consentit Sua Majestas idq; ipsum, & in Regno Poloniæ Thesaurariis aulæ indulget.

Suam particularem satisfactionem, & affectum palàm facit Sua Majestas, quòd Bechlingium, Flemingium, & Fluckium ad indigenatum promoveant, quod ipsum annuendo desideriis nobilitatis, antiquam in eo praxim patriæ hujus sequendo, in futuris Comitiolis, per instructiones suas Palatinatibus & Districtibus, utriusque gentis recommendabit.

Labefactata securitas in Nuntiis à Palatinatibus & Districtibus M. D. Litvaniæ, ad Regem expeditis, ut medelam ab ordinario juris processu debitam habeat, promittit Sua Regia Majestas.

LAU-

LAUDUM M. D. LITVANIÆ IN CONGRESSU GENErali post Cassationem Exercitûs factum.

NOs status Spiritualis & Sæcularis, Senatores, Dignitarij, Officialistæ, Terrestres & Castrenses, ac omnis ordo equester, Nobiles, Incolæ Palatinatuum & Districtuum M. D. L. qui ad commotionem Generalem vigore laudi Vilnæ 14 Augusti 1698 per DD. Senatores & nuntios ex Palatinatibus & districtibus ejusdem M. D. L. congregatos constituti convenimus. Notum facimus non solùm moderni ævi populo, sed & his, qui in seram posteritatem hoc instrumentum unanimis concordiæ nostræ legent, quòd accedentes nunc propè Grodnam castris nostris metatis inter Puzevice & Ławano pro tuitione libertatum, jurium coæquationis, repartitionis, locationis tales ex rationibus gravissimis fecimus & laudavimus constitutiones vigore moderni congressûs. Anno 1698. 21. Decembr.

Et inprimis exequendo intentionem & objectum principale hujus nostri congressûs commotione Generali in laudo Vilnensi expressum: scilicet cassationem exercitûs M. D. L. qui nos ad hoc coegit, ut præbeamus de nobis exemplum Successoribus nostris, quomodo libertates, & jura sua tueri debeant, dum nobis incommoda frigidi Novembris & Decembris, rigidaq; in nivibus & gelu castra haud fuerunt gravia conservationis & adauctionis jurium nostrorum ergo, eligentes potius mortem, quàm insidiantes libertatibus nostris inimicos, exprimenda venit hæc pro lumine sequentium sæculorum relatio. Cùm in Electione Seren: Regis Augusti feliciter nunc regnantis ventum esset ad correctionem jurium nostrorum per constitutionem in volumen legum insertam titulo; *coæquatio jurium* M. D. L. cum juribus Regni Poloniæ, in qua prænominata ministeria æqualitati & libertati nobilitari ac licentia militaris est circumscripta, ac nominatim potestas Ducum exercitûs, authoritas sigillorum, abusus clavium, & scipionum Mareschalcalium. Commovit id animos magnatum illa ministeria tenentium adeo, ut, cùm non potuissent generalem concordiam tot millium congregatorum pro Electione nobilium infringere, præcipuè Dominos Incolas Palatinatuum, terrarum & districtuum Regni Poloniæ, qui nos zelo suo uti fratres nostri sincerè in hoc juverunt, ut tandem eluctati ex magna oppressione ad optatum libertatis veniremus portum: alios modos quærere cœperunt, quos per annos semi tres practicatos magis doloroso silentio obtegere, quàm calamo exprimere, & posterorum notitiæ tradere visum est. Gravissima tamen potestas Ducum exercitûs Reip. fuit, dum & ipsemet exercitus cooperaretur ad destructionẽ novellæ legis, magis amando veteres abusus, quàm nova Reipub: inde provenientia commoda æstimando, nolletq; ire sub obedientiã legis, sed violenter antiquam prætenderet circa distributionem hibernæ, ac locationem consistentiarum dispositionem. Quæsivit Patria per preces, & per varios tractatus modos, quatenus exercitus juxta novellã legem acceptaret repartitionem in Palatinatus & districtus distributam, & locationem in bonis Oeconomicis S. R. Mtis ex gratia ipsius pro hyeme concessam. Sed filij exuti amorem Patriæ arma tenentes, minimè his devicti, sed magis in suo proposito obstinati erant, quinimo loco executionis constitutæ legis, per annos sesqui tres non egressi ad campum contra ullum Patriæ hostem dissolutâ in omnem licentiam & oppressionem libertatis tyrannide, monstrârunt quid valeant humeri, æqualem tam bonis Regiis, quàm spiritualibus & nobilibus per invasiones, stativa hiberna, tractus & pernoctationes inferendo ruinam. *Milites contrarij coæquationi*

*A.C.*1698 Quidnam verò hinc fuerit secutum, ut futura sæcula ignorent, & similes non attentent actiones, æternâ id sepeliatur oblivione, sufficit insinuâsse, quòd ad extrema hæc, quæ insidentes equis commotione Generali arripimus, deventum est media: quod sacrosanctis nos ligantes, & adjurantes amoribus ita nos resolvimus, ut potiùs nobis libeat tardare reditum ad domos nostras, quàm diutius sustinere inobedientes. Per hos igitur duos integros menses nihil intentatum reliquimus, quo emolliri possent animi servorum nostrorum nobis nolentibus per vim servire satagentium. Ventum ferè erat ad cognatas acies, & certè dolor bellandi Magister adduxisset nos ad ambiguam pugnæ aleam. Sed DEus omnipotens, dum humana deessent remedia, providit divina, cùm nobis Illustrissimum D. Constantinum Casimirum Brzostowski Episcopum Vilnensem jam cominus arma tenentibus, de cœlo ferè submisit, qui amore duce erga suam Patriam in omnia se exponens asperioris cæli incommoda stetit medius filios inter & Patriam, diremitq; pila minantia pilis, laboriosâ suâ complanatione, uti bonus pastor gregem sibi à Deo concreditum lanienæ non concedens. Inclinavit svavi suâ præsvasione hos animos, & multo sudore, laboreque optatæ factus est cooperator concordiæ; pro quo uti ipsum æternum in cælis post sera fata expectat præmium, ita posteri nostri dignam ejus prædicabunt gloriam, & immarcescibilem servatæ Patriæ nectent coronam. Itaq; dum exercitus M. D. L. factus Reip: obediens, cassationem sui permisisset, conveniebat & nobis monstrare illi gratitudinem, cujus studio sepositis omnibus ad partem præteritis nostris ad exercitum offensionibus, & injurijs, quibus, prætensis ab eo nunquam possent satisfacere stipendiis, certando tamen amore quatuor quartualia exsolvenda ei declaravimus. Quo exercitus M. D. L. exhibens sibi satisfactum ac signa militaria abjiciens, in mutuos amplexus nobiscum veniens, ad suos Palatinatus & districtus sub signis in ordine stantes, nomen militare in amantium libertatem concivium permutârunt. Ordinando igitur quàm cautissimè, ut fratres nostri de suis emeritis stipendijs sint assecurati, modum exsolutionis quatuor quartualium adhuc ante cassationem propositum præsenti constitutione declaramus, scilicet, ut à qualibet cohorte Deputati benè possessionati, secundùm destinatam à nobis repartitionem; ubi cui accipere stipendia à nobis est designatum, pro futuris Purificationis B. M. Virginis anno sequenti 1699 comitiolis & judicijs Fiscalibus ad Palatinatus & districtus adveniant, ibique pecunias sibi debitas recipiant. Si verò in aliquo Palatinatu vel districtu invenirentur tales refractarij, qui ex suis capitaneatibus duplicem hibernam, vel ex bonis terrestribus contributionem cerevisialem, solidariam, monopolium Tabaci, Capitalem Judaicam & Tartaricam ab evehendis, invehendis mercibus ad exactores Palatinatuum & districtuum inferre abnuerent, debent exactores significare id decurionibus, ut ad proportionem virium refractarij cohortes moveant, & fortem executionem super bonis obstinati retentoris faciant. In quo casu si decuriones per favorem executionem facere nollent, tunc in judicijs sive Generalis tribunalis, sive Fisci seu in defectu utriusq;, castrensibus judicijs decurio condemnabitur capite, & confiscationis bonorum. Nihilominus Deputatus in ijsdem foris curabit sibi adjudicari triplicem pensionem ex ijsdem bonis, ad quæ habuit assignationem. Singulariter verò refractarius per primum decretum ad pœnam infamiæ, & peculatûs condamnabitur, & in omnibus congressibus, comitijs, Judicijs, comitiolis, activitate carebit ad instantiam instigatoris ex relatione injuriatorum Deputatorum. Quapropter præcavemus hac constitutione

Episcopus Vilnensis sedat tumultum

tione nostrâ, ut omnes habentes nunc satis spatij ad comitiola Purifica- *A.C.*1698
tionis conferant prædictas contributiones ad exactores Palatinatuum & districtuũ suorũ absq; excusatione vel defalcatione pro suis stipendijs sub pœnis supradictis. Pedestrem militiã ritûs Germanici, item desultorios ex nunc cassamus, tali tamen modo viros conservamus, ut postea si primo vere Resp. indigebit exercitu, legendo milites in bonis suis non patiatur. Itaque taliter cassati locationem pro hyeme habebunt in Pinscensi Oeconomia, & Janoviæ in Palatinatu Brzestensi, ubi solo tecto, stramine, & lignis debent esse contenti, reliqua verò omnia ad victum pecuniâ propriâ comparare sub solutione de suo, seu retentione pecuniæ ipsis debitæ in Palatinatu seu districtu, ubi eos repartitio tanget.

Cavemus etiam exercitui cassato, quòd ob priores hibernarum extorsiones, consistentias, pernoctationes, tractus, nemo ullius cohortis arrestare stipendia poterit, siquidem ea omnia in quartualibus prætensis, & recisis sunt inclusa; exceptis nihilominus causis criminalibus, invasionibus domorum nobilium, recentibus excessibus, expilatione aularum durante tractatu à die 11. Decemb. usq; ad 21mam ejusdem anni præsentis. Exercitum novum modò non erigimus propter ruinam Patriæ, ut respirare valeat, sed ad comitia ejus modũ & numerũ reservamus, hac tamen conditione, ut si formandus erit exercitus, non aliter, nisi juxta expressã Constitutionẽ coæquationis, repartitionis, & locationis illũ ordinare debeamus, ita ut designato termino & loco à D. Palatino Vil. supremo exercituũ Duce M.D.L. punctualiter cohortes & legiones ad oparationes belli se sistant: idcirco in Comitijs proximè imminentibus post electos Deputatos, & post dijudicationem causarum objectæ nobilitatis, Incolæ M.D.L. in suis Palatinatibus, & Districtibus debent sibi facere ordinem, ut, dum in futuris Comitiis Generalib9 erectio exercitûs concludetur, tempestivè dispositio & modus procurandi militis ex repartitionibus sit provisus. In iisdem Comitiolis Purificationis eligendi erunt juxta legem coæquationis, sive post annum, sive uti erit omnium consensus, novi judices Tribunalis Fisci, item exactores contributionum hibernarum, cerevisialium, solidariarum, monopolij tabaci, Capitalis Tartarici & Judaici, invectarum & evectarum mercium, attamen Judices Fiscales non eligendo in Exactores, siquidem nemo potest seipsum judicare. In eodem congressu eligent sibi decuriones, & eos tali modo distingvent, ut per eos efficacior executio Decretorum Tribunalitiorum Fiscalium expediatur; quapropter ibidem salarium decurioni seu aliquem proventum à parte jure convicta vel convincente providebunt. In iisdem etiam Comitiolis præteritorum exactorum rationes audient, & examinabunt & quidquid ad meliorem ordinem exercitûs spectabit, statuent. Et quamvis Comitiola in Electione Deputati rupta forent, tamen consilium circa solutionem providendam exercitui institui debet, quod rumpere nemo poterit. In iisdem etiam Comitiolis Purificationis in quolibet Palatinatu & Districtu eligent sibi Commissarium bene possessionatum, unum aut duos, ad quem exactores omnium contributionum importabunt summas, à quibus etiam omnes Deputati à Cohortibus pecunias recipient. Idem Commissarius debet facere calculum deponendo munus sui Commissariatûs.

Verendo autem extollentes se super æqualitatem ambitûs, ne aliquem adhuc inveniat posthac modum destruendi legem coæquationis jurium M. D. L. declaramus & spondemus nobis, quòd conservabimus ligamen confœderationis nostræ in virtute laudorũ per Palatinatus & Districtus, ac præcipuè Vilnæ 14 Augusti anni currentis quousq; novella lex coæquationis in bonũ ordinem usum reducta non fuerit, sub favore constitutionis Comitiorum coronationis approbantis lauda publica in ordine

A.C.1698 ne manutentionis, fidelitatis, & obsequii S. R. Mtis ac jurium & libertatū, boniq; publici. Quapropter supplicabimus S. R. Mti, ut nobis assistere suâ protectione dignetur, siquidem vulnus commune ita affligere debet cor paternum S. R. M. ut nobis salvâ præviâ authoritate Regiâ liceat conservare, quatenus pro tuitione felicis regiminis S. R. M. dein pro defensione jurium coæquationis, ac deniq; pro salute nostra ad innotescentias electi nostri Generalis Ductoris equos conscendere, & illuc in armis pergere, quo exigentia rei postulabit, tamdiu, donec Respub. fuerit pacificata, hoc nobis præcipuè cavendo, ut si quis etiam ex pauperibus nobilibus fratribus nostris sive in salute, sive fortuna, sive honore fuerit injuriatus vel oppressus, tunc certiore de hoc reddito Ductore Palatinatûs & Districtûs, ubi facta foret injuria, & ad denuntiationem ejus querelæ obligamus nos in virtute confœderationis nostræ læsionem eam vindicaturos, etiam per commotionem generalem, ubi opus fuerit.

Spondemus etiam nobis, quòd in futuris DEo dante comitiis curabimus efficere apud congregatam omnium ordinum & gentium Remp. ut (siquidem nos jura cum corona Poloniæ coæquârunt) possimus habere Generalem M. D. L. cum omni prærogativa succurrendi oppressis à ministeriis potentum, cujus officii potestatem in iisdem comitiis determinandam, & circumscribendam pollicemur.

Tribunal Tribunal generale M. D. L uti per DEi gratiam videmus, fundatum & stabilitum hoc anno, utimurq; ejus beneficio, ita vitam nostram, sangvinem & substantiam impendere pro ejus conservatione parati sumus, ac simul consulendo futuri Tribunalis uniformi cum præterito cursûs integritati & securitati statuimus, quòd ad initium futuri tribunalis, ita sicut & præterito anno sive per expeditos equites ex remotioribus Palatinatibus, sive in propriis personis ex propinquioribus conveniemus, ibique contra eos, qui aliquid molirentur in subversionem tribunalitiæ ordinationis vel insurrecturos nos declaramus. Quapropter in futuris comitiolis eligendo Deputatos annitemur, ut tales eligamus, qui exhibuerunt in se per hæc tempora vivū specimen conservandæ coæquationis. E contrario verò eos cavebimus, qui juri coæquationis vel contrarii erant, vel talibus consilio, seu quavis ope adhærebant.

Executio Decretorū Executio Decretorum tribunalitiorum Terrestrium, Castrensium ut ipso effectu practicetur, statuimus, quòd in casu resistentiæ per convictā partem Rothmagistri Palatinatuum & Districtuum ultimariè motâ nobilitate illam facere cum officiis tenebuntur. Si verò aliqua Castrensia officia executionem Decretorum tribunalitiorum facere recusarent, post executionem hujus officio priventur, & parti, cui executio est denegata, damna inde emergentia compensare debebunt.

Milites tribunalitij Ut Tribunal M. D. L. meliùs sit ordinatum, ac ut vis & authoritas ejus propriis innitatur viribus, ne eas à potentibus emendicando, injiciat sibi obligationem præstandi alicui obsequia contra jus & fas, statuimus pedites Germanicos ducentos, quos in repartitionem damus Palatinatui Vilnensi, & Districtui Lidensi, unde stipendium designatum in tariffa repartitionis illis exsolvi debebit; Tectum verò dictis peditibus designavimus in capitaneatu Lidensi, ut locis tribunalis, Vilnæ, Novogrodeci & Minsci, propius adjacentibus, quæ militia pedestris dispositioni Ducum exercitûs non subjacebit. Sed Mareschalci tribunalitii regimen illius tenebunt, quod unus alteri à directione Mareschalci dimittere debebit; erectionem verò ejusdem militiæ D. Michaël Kociel Castellan⁹ Vitepscensis tanquam Mareschalcus moderni tribunalis in se assumat, obnixè rogamus; ad cujus assignationem Palatinatus Vilnensis & districtus Liden-

Lidensis debet extradere pecunias pro medio anno, quo eorum servitiũ incipiet, à reassumptione præsentis tribunalis Minsci, ut & modernũ tribunal ex ea militia habeat assistentiam, & futurum sit de eadem certum, ideoq; pecuniæ pro tanto tempore assignantur, ut milites ex eis ornari, & armari competenter possint. Idem D. Castellanus Vitepscensis officiales creandi habebit potestatem. Cavemus verò, quòd, si hæc militia aliquam in suis consistentiis faceret injuriam, & qualescunq; extorsiones ab illis subditis attentaret, ubi solum tectum habere debet, tunc hoc ei deducto condemnari debet per decretum tribunalitium ad compensationẽ omnium ex stipendio ipsi assignato. Item transeundo ad tribunal Vilnã, Novogrodecum, & Minscum, proprio ære vivere debent, nullas discretiones, pernoctationes, contentationes, & alias quocunq; titulo aggravationes prætendendo sub certa restitutione de eorum stipendiis, ratione quorum per Mareschalcum tribunalitium judicari debebunt, qui etiam capite plectendi excessivos habebit libertatem & potestatem sine ulla à quoquam dependentia, etiam cùm tunc judicia tribunalitia non celebrabuntur. Quia verò modernum tribunal M. D. L. ob nostram generalem commotionem, quæ nos contra spem diutiùs in castris detinuit, tantùm ad 12. Januarii anni futuri 1699 est limitatum, ideo ob tardum ad domos nostras regressum, reassumptio ejus in dicto termino fieri non potest; Quocirca vigore moderni congressus statuimus, ut infra hebdomadam post comitiola Purificationis fiat ejus reassumptio; hoc est primâ feriâ secundâ post electionem novorum Deputatorum, ubi Palatinatus & Districtus, qui nondum sunt plenè judicati, perfici debent; pro futuro verò anno, ut cadentia Tribunalis M. D. L. Vilnâ Novogrodecum transferatur præcavemus. *A.C.1698*

Executio item Decretorum Fiscalium in Palatinatibus & Districtibus, ut rigorosè post destinationem Decreti super renitentes in extradendis contributionibus cerevisiariis, solidariis, hibernis ac aliis per Decuriones Palatinatuum expediatur, statuimus. Et, siquidem inveniuntur tales Capitaneatus & Tenutæ in Palatinatibus M. D. L. qui in limitibus variorum Districtuum sunt siti, uti Bystrzyca in Palatinatu Vilnensi, ac Districtu Osmianensi, Subocz in Districtu Vilkomiriensi, & Upitensi & alii plures: unde obveniunt difficultates, quòd Capitaneatus nesciant, ad quosnam exactores suas contributiones inferre debeant; quocirca statuimus non obstantibus aliquibus Decretis tales Tenutæ juxta specificationem tariffæ militaris in Comitijs Grodnensibus ordinatæ ad eum Palatinatũ, ac Districtum reddant hibernas, in quibus positæ sunt in dicta tariffà cõputando ex fumo uno hibernam per florenos 14, duplicatam verò per floren: 28. Exceptis bonis Spiritualibus, quæ solummodo ex vi subsidii charitativi benevolæ Reip. oblati, cum speciali consensu Sedis Apostolicæ pro solo Turcico bello durante hibernam solvebant quotannis, bona scilicet Episcopatûs Vilnensis cum Capitulo & Parochis ejusdem Diœcesis per 50 millia florenorum, cùm ex natura sua omnia bona spiritualia sint libera ab omni onere militari: quapropter accedente & nunc eâdem status spiritualis declaratione quoad simile subsidium præsenti laudo id acceptamus, ut singulis annis, quousq; bellum Turcicum durabit non plus inferant, nec ad duplicem hibernam DD. Spirituales sint obligati; cavendo etiam ut ex omnibus bonis Episcopalibus, Capitularibus, & Plebanalibus in quocunq; Palatinatu & Districtu jacentibus, Spirituales Diœcesis Vilnensis, & Smolenscensis exsolvant hibernam per suos factores ad manus exactorum Palatinatûs, & Districtûs Vilnensis insistendo laudo generali lato Vilnæ 2. Maji 1698, & ut alii Palatinatus & Districtus, ut prædi-

cta

A.C.1698 cta bona constituunt, non prætendant sibi exactionem hibernæ ex eisdem bonis injungimus.

Cùm horum omnium, quæ dolentes videmus, Reip. incommodorum, turbinum, discordiarum, damnorum diligentiùs rimamur causas, cogimur fateri, quòd nos ad eum miserabilem redegit statum non tam fastus potentum quàm fratrum nostrorum, nobilium aliquorum ambigui actus, qui partim timore, partim spe, alii pretio inducti, plerique segnitie, & domesticæ quietis tracti illicio, nonnulli contemptu seu neglectu, ac insensibilitate curarum, malorum Reip. sterilem in patria ducere vitam non formidârunt, magis eligendo pati vetera mala, quàm nova pericula experiri. Hi igitur mores omnes causârunt absentiâ suâ, quòd Respubl. in contraria studia discerpta tot, & tantas sustinet calamitates: Quamvis verò hi omnes, qui contempserunt hanc nostram commotionem generalem juxta statutum puniendi essent, sed certando amore cũ fratribus nostris, ut aliâ vice, si necessitas ingruet similium actionũ, defensionis jurium & libertatum suas nobiscum jungant vires, & personas, mitiores pœnas ipsis injungimus, scilicet ut illi, qui neq; ipsi nobiscum adfuerunt, neque suos equites statuerunt, quinimò in partes contrarias iverunt, careant activitate in comitiolis per triennium à data præsentis constitutionis, præterea singulis annis durante hoc triennio ex fumo juxta ultimam abjurationem per flor. 10, cum salario unius grossi à singulis florenis ad exactores hibernæ inferre erunt adstricti. Quæ pecuniæ importari debent post hanc nostram constitutionem, ac per DD. Ductores Palatinatuum & Districtuum notificationem intra duas hebdomadas. Illi verò, qui præsentes ipsimet non fuerunt, sed solùm equites statuerunt, dimidium pœnæ subibunt tam ratione activitatis per annum & medium, quàm & ratione pecuniarum per florenos 5. ad eosdem executores inferent. Quodsi benevolè non intulerint, tunc post primum in judiciis Fiscalibus decretum statim executio fortis per Decuriones Palatinatuum & Districtuum expediri debet. Illæ verò pecuniæ ad dispositionem Palatinatuum & Districtuum expendentur per commissarios. Ab hac tamen pœna nobiles magis pauperes, qui nullos habent subditos, liberi esse debent; Si quis autem declinando has pœnas descriptas vellet evadere juramento super veram infirmitatem, præstet idmet tertius cum duobus nobilibus vicinis, & tali modo liber erit: non præjudicando quibusdam Palatinatibus & Districtibus, qui intra se manifestos habent fomentatores moliminum contra hanc commotionem generalem, contra hos in sua malignitate pertinaces licebit iisdem Palatinatibus singularia lauda formare, & exequi. Singulariter verò desertores castrorum, qui nobiscum non perseverârunt, nec fuerunt cooperatores actionum nostrarum, & cassationis exercitûs M. D. L. absq; dispensatione contumaciter à nobis secesserunt, iisdem pœnis subjacebunt, quibus sunt alligati illi, qui equites nobiscum statuerunt, & ipsimet non fuerunt. Quapropter DD. Vexilliferos Palatinatuum ad fidem & conscientiam obligam⁹, ne talibus apochas extradant. Quia verò hoc delictum affecit non tantùm singulares personas, sed etiam quosdam Palatinatus, & Districtus, qui non tantùm ipsi minimè comparuerunt, sed nec equites, nec Plenipotentiarios ad nos miserunt, sicut Districtus Vilkomiriensis, Palatinatus Polocensis, idcirco nuntiis nostris ad futura DEO dante comitia expediendis dabimus in instructione hoc punctum, ut demissione loci & gradûs post hos Palatinatus & Districtus qui nobiscum fuerunt, puniantur. Palatinatus verò Vitepscensis & Mscislaviensis, Districtus Rzeczycensis siquidem jam erant in via versus nostra castra, sed ob distanti-

Pœna in absentes à Generali motu

am

am locorum, & inundantiam aquarum pervenire in tempore non potuerunt, cum plena tamen facultate concludendi, nuntios suos ad nos miserunt, ab his pœnis immunes declaramus; excepto Districtu Orszanensi, qui contumaciter non fuit, nec se ullatenus ad nos retulit, ad easdẽ pœnas loco motionis pertinere debebit. *A.C.1698*

Tartari quoniam antiquis constitutionibus erant circumscripti, ut ex bonis suis servirent, & Rempub. à quovis hoste defenderent, quapropter antiqua reassumendo jura injungimus, vigore moderni congressus, ut illis satisfaciant, & absque ullo stipendio in omni disciplina & modestia in defensionem Reip. se sistant sub tempus bellicarum expeditionũ, sub nullis aliis signis militando, sub pœna capitis & fortunarum. Quia verò gratis ex bonis suis servire debent, abjudicamus eos ab his stipendiis, quæ pro quatuor quartualibus Exercitui declaravimus. Inhærendo verò tractatui nostro cum exercitu M. D. L ante ejus cassationem concluso pœnas contra eosdem Tartaros, pro eo, quòd insurrexerint contra Remp, & fidem fregerint, ex clementia Reip. eisdem condonam⁹, & ut ad executionem Decretorum contra eos latorum ratione Zizmorensis & Jurborgensis conflictus non procedatur, inhibemus. Quia verò post cassationem exercitûs non præstiterunt fidelitatis juramentum, uti alii sed clandestinè abierunt, debent eadem præstare juramenta Palatinatibus & Districtibus, ubi domos & suas colonias habent, de quo ipsos certiores reddent Ductores Palatinatuum & Districtuum pro futuris comitiolis Purificationis. In quantum verò in dictis comitiolis non juraverint, pro hostibus patriæ computari, ac bona eorum confiscari debebunt. In juramento autem hoc punctum singulariter debet exprimi; Fidelitatis, legi, Reipub, quòd contra illam nunquam consurgent.

Milites socij bene in Rep: meriti, qui neglectis in exercitu suis gradibus & munijs, ac magnâ spe, amore boni publici ex bonis suis pariter nobiscum in hac generali commotione, obediendo laudis comparuerunt, merentur à nobis gratitudinem, & securitatem personarum, honorum, & bonorum. Si igitur aliqua Decreta contra eos sunt lata, ea vigore tractatûs cum exercitu M. D. L. initi nocere ipsis non debebunt, & quòd in protectione totius Reipub: permaneant, declaramus.

Injuriæ tam publicis, quàm privatis personis illatæ à quolibet vindicari debent in foro competenti. Tamen publica injuria conjaculationis & spoliationis in via Nuntiorum ad S. R. M. à Rep. missorum, nominatim D. Leonis Pociey Succamerarij Brestensis, uti etiam publicam causam violati juris gentium in personis Nuntiorum ad Comitia Delegatorum in futuris comitiis vindicare debebunt. Ibidem locum habebit innocens sangvis jaculis trucidatorum fratrum nostrorum Caroli Białozor, Bokiey, Turowski judicis Osmianensis.

Pactis conventis à S. R. M. post felicem electionem juramento firmatis, ut in toto satisfiat, instantissimè per Nuntios nostros in futuris comitiis urgebimus, singulariter ratione honorum in unam domum collatorum, & Oeconomiarum per Capitulationem S. R. M. aliquibus personis traditarum, quarum proventus stante inter-regno sub cura & attentione thesaurarii M. D. L. existens ut non pereat, sed in usum Reipub. cedat, in iisdem comitiis procurabimus.

Districtus Mozyrensis intolerabiles sustinuit oppressiones, scilicet cædes ob liberam vocem, adventum ad comitiola cum cohortibus, ereptionem honorum, uti Capitaneatus Mozyrensis D. Michaëli Chalecki, qui collatum habens durante vitâ parentis sui illum Capitaneatum legitimè apprehendit, & judicia absolvit, postea, tamen per assistentiam potentiorum

ſia tolerando repoſuimus hæc in ſinum Reipub. nullam requirendo contentationem, ſolam tantumodo gloriam amoris Patriæ nobis reſervando: Ita DD. Officiales noſtri, qui bellica gloriosè obibant munia, ſicuti D. Slizen Generalis exercituum Reip. congregatæ excubiarum Præfecti labore ac vigilantiâ ſuâ monſtravit documenta virtutis, Białozor cum D. Boguzewski caſtrorum metatores dederunt ſpecimina prudentiæ ac dexteritatis ſuæ, ideoq; in ſingulari debent apud Palat. & Diſtr. eſſe reſpectu, & S. R. Mti recommendari. Siquidem de Werki ſeu Jeruſalem caſtello, ac villis eò pertinentibus nunquam hucusq; percipiebatur contributio ſolidaria, aut cereviſiaria, ut patuit ex Regeſtris Fiſci M. D. L. ideo nunc & in perpetuum præſenti laudo ab ea liberamus, ob reſpectum Reſidentiæ Illuſt: D. Epiſcopi Vilnen. & meritorum ejus, & ſi aliqua decreta Fiſcalia Palatini Vilnenſis ratione dictarum contributionum contra Werki lata ſunt, ſuum robur & executionem habere non debent. Sub tempus præſentis Generalis commotionis in certa contra Tartaros expeditione jaculo confoſſus D. Lucas Horodinski Vexillifer Czern. meretur à Repub. favorabilem ſuî mentionem. Sed quia præmium in campo ſtantibus deeſt, commendamus eum Reipub. reſpectui, ut reminiſcatur effuſi ejus ſangvinis pro libertate, &, cùm occaſio occurrerit, ut ejus periclitata ſal⁹ præmio honoris & gratitudinis compenſetur. A. C. 1698

CXXIV.

AMICO CONFIDENTI, 4. Februarij.

Refert tumultus inter Sapiehanos & Saxones; horumq; oppreſſiones.

NOvum annum (quem tibi ex animo fauſtum felicemque precor, voveoque, ut non ſit fortuna, quam non teneas, non ſint dies, quos non vivas, non ſint honores quos non attingas, verbo DEus te ſervet & longa cumulet felicitate) novum inquam annum abſolvi Zembroviæ, & 3tiâ Januarij Wyskoviam veni, expectans promiſſum Regis adventum; ſed Grodnâ habui, eum diſtuliſſe iter ſuum ad dies aliquot, ex occaſione exorti cujuſdam motus Sapiehanos inter & Saxones, cui levis occaſio initium dedit, parum tamen abfuit, quin hæc ſcintilla in magnum excreſceret incendium, cum Rex faciles cuivis rumori præbeat aures, facileq; aſſentiatur. In magno periculo fuiſſe Generalem Fleming ſcribunt, cui ob diſſolutum exercitum Litvanicum, offenſi vix non violentas injecerunt manus, jacta quoq; ſunt in Regem verba maledica, idq; facientibus laudi dabatur, quanquam major viribus audacia, Rex verò ita nimio percitus erat dolore, an periculi metu, ut, quid ageret, neſcius multa dixerit, multaq; ſe facturum ita minatus fuerit, ut niſi citius tumultus hic ſedatus fuiſſet, multa forte accidiſſent, quæ plus nimio dolenda eſſent; Sed de Rege quidquam ſcribi à me non oportet, cujus vel nomen coercere omnes ſiniſtros debet ſermones. Authoritate Principis Radzivilij Vicecancellarii Litvaniæ, qui affectum Regis firmâ poſſeſſione tenet, & activitate Stan. Szczuka Referendarii Regni, Rex fuit aliquomodo pacificatus, & operâ Mareſchalci Lit. Sapieha turba illa populi contra Flegmingium, & fortè, ſi initium ſucceſſiſſet, contra alium, ſive caſu, quod crederem, ſive ex condicto inſtructa, ſedata fuit, ita neſciunt timere milites, cum jejuni ſunt, & obſequii impatientes, cum egent. Nemo tamen occiſus, nullus vulneratus, Rexq; in craſtino ſtatim abiit, & die 8vâ Januarij apud me comparuit, duoſq; dies quieti dedit, non ſine particulari mea ſatisfactione, pòſt Varſaviam duxi, ubi plurimos inveni, qui palàm huic concordiæ factæ in Litvania iraſcebantur, curioſa quippe mortalium ingenia & imperantium conſulta raro approbare; An: 1699 *Tumultus Sapiehanos inter & Saxones.*

A.C.1699 bare, sæpiùs scrutari & sciscitari studiosiùs pro more habent. Regi plurima vitio vertebant, & id à passionatis pro domo Sapiehana fiebat, qui continuo vitæ curriculo elaborant circulos, sed semper vitiosos, sed alienis malis torqueri æterna miseria, alienis delectari malis voluptas inhumana, dolendum quidem est, quòd multos per annos steterit fortuna domûs, & nunc sensim & cum sensu cadit. Interim Rex post labores Litvanicos non tam quieti, quàm continuis iisq; lautissimis conviviis, quo die sors in quemcunq; cecidit, ab omnibus & solenniter exceptus erat, ita ut nemo fuerit exemptus.

Die 20mâ Januarij venit notitia, quæ me magno gaudio affecit; collatum fuisse à justitia & bonitate Innocentij XII. Galerum Cardinalitium Francisco Paulucci qui nuper Nuntium extraordinarium gloriosè pro Pontifice, utiliter pro Polonia, feliciter pro se ipso in Regno (quod & pacificavit dissoluto Rokoszio) egit. Scis quantâ æstimatione, & dicere possum, quanto amore hunc novum prosequar purpuratũ, & propterea non est tibi exprimenda lætitia, gaudiumque meũ perfectũ. Die sequenti institui gratiis redditis primò in Ecclesia Deo, talequale conviviũ, ubi Nuntius *Davia* præsens quoq; fuit ad demonstrandã publicã meam lætitiam.

Paulucci Cardinalis.

Interea, dum lætus Varsaviæ Rex, populus in Polonia Litvaniaq; gemit ex oppressione Saxonũ, qui quantas eliciunt lacrymas non dubito te benè scire, & fortè ex publica hac participare calamitate. Circa quam multa dicenda essent, cum me nec amicorũ gratia neque inimicorum terror à prospiciendo commodis patriæ avertat, quia multa etiam timenda ego credam, idq; explicitè, & sine ulla assentatione Regi toties, quoties occasio datur, (plura negotia opportunitate occasionũ, quàm virib⁹ debent confici) pro affectu æquè, ac debito præsentare non intermitto, etiamsi suadere Principi, quod oporteret, multi laboris. Comoda occasio datur ex literis Godlevij Capitanei Nurensis Cancellariæ Regni Regentis ad me & Palatinum Mariæburgensem ab eodem scriptis, mitto tibi utriusq; Epistolæ, & relationis excessuum perpetratorum genuinæ copias &c.

Saxones graves in Regno.

COPIA LITERARUM Stanislai Godlewski Regentis Cancellariæ Regni, Capitanei Nurensis ad Episcopum Plocensem. 2. Feb.

Conqueritur de violentiis Haruatorum Regiorum.

Cuinam potissimum, quàm supremo nostro Pastori deferre debemus tam ingens damnum, & turpem contumeliam gregis Domini, dum lupi rapaces, & qui non sunt de hoc ovili Harvati Satellites rhedæ S. R. M. irrùmpentes in Diœcesim Excellentiæ V. promiscuo scelerum genere nobilitatem, clerum, fœmineum sexum, vitâ, fortunâ, ac honestate, pudicitiáve spoliârunt, nullam flagitij speciem intentatam relinquentes, uti Excellentia V. ex adjuncta fusiori cognoscet relatione. Fortem se quondam in simili injuria ovilis sui exhibuit S. Stanislaus Episcopus Regi Boleslao. S. Ambrosius verò pro Thessalonicensibus contra Theodosium anathema interposuit, nec priùs eum ad communionem Ecclesiæ admisit, quàm interdictum immunitatis ab injuriis militaribus ab illo obtinuisset, tenoris sequentis: nemo militum ab hospite suo Salgami nomine aliquid postulet, id est, ne lignum, oleum, aut culcitræ poscantur. Hic verò non cultricæ, sed connubiales tori ovium Christi, honesta cubilia à spurcissimis hædis contaminata. Quod etsi ex ignorantia optimi Domini fiat, ob malam, ad quos pertinet aulæ dispositionem, nihilominus à populo, qui Regem centoculum Argum habere vellet, ipsa ignorantia reputatur pro conniventia. Igitur antequam publicâ legatione pro justitia & satisfactione instemus, supplico Excellentiæ V. nomine omnium fratrum; præcinge femur tuum cingulo fortitudinis, tolle concreditum tibi

à Deo

à Deo baculum paſtoralem ad tuendum gregem tuum, denuntia S. R. Mti, *A.C.* 1699
quas à ſtipendiario, & curiali milite patimur hoſtilitates, argue, obſecra, increpa, ut de te tanquam de bono paſtore illud verificetur oraculum; agnoſco oves meas, & agnoſcunt me meæ &c.

LITERÆ EJUSDEM AD D. PREPENDOWSKI PALATINUM Mariæburgenſem in eadem materia.

NUllas adhuc ſub felici regimine S. R. M. lætas literas ad te ſcripſi, mœſtos ducendo dies in ſpiritu triſti & afflictione. Nolo eum renovare dolorem, quòd clavis Horodecenſis contra ſponſionē in Electione datam, item bona *Wilkow* per poſterius Privilegium ſunt mihi adempta: & quòd Canonicatus Varſavienſis poſt fratrem meum, & Pocillatura Nurenſis poſt Patruum in alienam ſint domum translata, ſiquidem hæc ſunt peccata obliquæ fortunæ contra me & domum meam ſævientis: nec id commemoro, quòd regimina & cohortes Saxonicæ in Litvaniam & Pruſſiam pergendo per ſuas pernoctationes & pabulationes notabile villis meis intulerunt nocumentum, ſiquidem commune malum communi patientiâ tolerandum. Sed id omnem jam patientiæ vim ſuperat, dum Satellites rhedarii S. R. Majeſtatis Harvati inſequendo Seren. Regem ex Litvania redeuntem & prædando ac expilando quidquid erat in occurſu, præterea extra viam duas meas curias & prædia in terra Nurenſi invadentes funditus expilârunt, non ex vivendi neceſſitate (id enim itinerantibus haud denegarem) ſed ex ſola rapiendi libidine, ſicuti ex contextu relationis adjunctæ cognoſces, & agnoſces, quòd ab his hominibus nullum ſceleris genus ſit omiſſum, dum marium & fœminarum corpora ferro & Venere atrociter vexata, cædes, & ſtupra alternis miſcendo choris. Olim iter facientibus Regibus fuit ubiq; obvia populi lætitia, & poſt eos pediſſequa vota: nunc autem verſis vicibus poſt rhedam Regiam lachrymæ, imò & ſangvis, gemitus, & feralia ſuſpiria; neſcio, an pro diuturno dominatu Regis, cuius tenerrimæ rectitudini uti optimi Domini cordialiter compatior, quandoquidem nemo in eo non videt innatam clementiam, gratiam, ad incommoda, labores & itinera induratum animum, & propenſam cuilibet affabilitatem uſq; infra Majeſtatem. Verùm quid hæc juvant, dum penes optimum Iovem fulminatrices aquilæ, dum ejus domeſtici quaſi alieni Domini quæſiti à longè ſatellites non permittunt nobis frui dulcedine ſuavis regiminis S. R. Mtis. Nec minus tibimet indolen, quòd ad hanc aulam obtines quidem, ſed non imples gradum defuncti Matczynſki Palatini Ruſſiæ, cuius Stoica illa, & rigida erga aulicam militiam auſteritas nunc comparatione deteriori ad gloriam venit, ſiquidem in tam diſſoluta licentia remiſſio & conniventia nullam nunc habent ſpeciem clementiæ, ſed potiùs pro flagitiis reputantur. Quocirca exprimendo dolorem non tantùm meum, ſed & fratrum vicinorum expeditioni hujus Epiſtolæ præſentium & lamentantium ac lachrymas loco atramenti affundentium, opto, ut opportunè ſeu importunè deferas Regi has exorbitantias explicando bene, quanta ex impunitate ſcelerum à Deo vindicta, & apud homines ſecutura ſit invidia. Opto inſuper, ut Rex ante futura comitia commiſſionem injuriatorum deſignet, nam, ſi hæc non præceſſerit comitia, infallibiliter gemitus & ululatus oppreſſorū comitialia interturbabit conſilia. Opto conſequenter, ut Rex extradi faciat ſevera mandata ad Generales, & omnes Officiales minores Saxonicos in Pruſſiam nunc tendentes, ut ſtationes in curiis nobilium non uſurpent, ſiquidem majores noſtri domorum nobilium immunitatem pari obſervantiâ, uti ſanctuaria & Eccleſias Dei, ferro & ſangvine ſanxerunt, ſtatuendo pœnam capitis, qui eam violare præſumpſiſſet. Opto interim pro ſingulari exemplo pietatis, & Regiæ juſtitiæ, ut Capitanei Geiſner, & Hendi-

A.C. 1699 gus alienis onusti spoliis detineantur, & in sequestro, processu extraordinario judicentur, cum fama sit non incerta, velle eos cum præda quantocius extra limites migrare; nonnulli verò nobiles intendunt te ipsum illorum loco ad tribunal citare, tanquam supremum Curiensem aulæ Præfectum. Quod ex singulari mea erga te propensione fidelissimè tibi defero: ac tandem pro complemento verissimæ in hac epistola, & in adjunctis relationis, mitto tibi literas parentis mei propriâ ejus manu scriptas, qui ante continuus ferè in comitiis Nuntius, modò verò in plenitudine annorum valetudinarius, tanquam alter Ieremias plangit super miserabilem desolationis statum, imò succenset diebus suis; quòd eos per vitæ suæ senium protraxerit ad spectandum sæculi hujus nefas. Quæ omnia tu, ut meus magnus Patronus maturâ trutinâ perpendens, utere prudentiâ tuâ, & me in hac tribulatione, beneficæ tuæ gratiæ solatio complectere. Properabo ego etiam ad aulam ad ipsum justitiæ fontem, postquam protestationes & obductiones ex actis habuero.

RELATIO EXCESSUUM PER HARVATOS REGIÆ RHEDÆ Stipatores in Masovia & Podlachia perpetratorum.

Satis quidem Regionem hanc ad confinia Litvaniæ sitam prius Litvanici, deinde & Polonici exercitus, deniq; regimina Saxonica ad Oeconomias Litvanicas, ac in Prussiam pergendo attriverunt, & desolaverunt, adeo, ut fœcundissima ante Regio, & uberrima nutrix totius Varsaviæ nunc fame squalleat, ac merum repræsentet desertum: Verùm superat, imò refricat cicatrices omnes recentissimum vulnus gravissimæ oppressionis, quam status Equester hic pertulit, ab hostili tyrannide Harvatorum Regiæ rhedæ stipatorum, seu satellitum. Hi in Litvaniam euntem Regem comitantes, utcunq; suas obtegebant prædas, sed illinc redeundo Tykocinum prætergressi, inprimis malignas sparserunt voces, quasi Rex Regionem hanc dedisset illis in vim stipendij, ac discretioni eorum permisisset; deinde duas habentes numerosas cohortes sub directione Capitaneorum Friderici Geismani & Hendigi singulis diebus non plus, quartâ parte milliaris progrediebantur, mittentes longè lateq; varias turmas ad invadendas non solùm subditorum casas, sed etiam nobilium curias, quas tanquam hostiles expilabant, pecunias, supellectilem, vestimenta, armenta rapiendo, homines ligando, ac pedibus suspensos fumo torquendo, ut indicarent pecunias, & quod his pretiosius est, pudorem & honorem alienis uxoribus & filiabus eripiendo, adeò, ut ad famam adventûs eorum tanquam à Tartaris Matronæ Nobiles fugere, & ad nemora longius distantia sese recipere cogerentur; Nobiles verò audiendo à longè tantas tyrannides ad prædictos Capitaneos undiq; confluebant supplices, redimendo bona sua; ex qua rapina acceperunt hi Capitanei in duabus hebdomadis aliquot dena millia imperialium, siquidem currentem solidariam monetam nec respicere sunt dignati; Tali igitur modo progredientes versùs oppidum Nur, & ubiq; de opulentioribus curiis & Nobilibus inquirentes, cum percepissent aulam & villam Gostkoviensem hæreditariam D. Capitanei Nurensis, satis bene esse instructam, quamvis ab eorum tractu tribus circiter milliaribus distaret, Capitaneus Geisman feroci agmine & inopinatè aggressus curiam, partem militum in ea, partem in villa locando; Mox igitur Administratorem curiæ sub custodiam traxerunt, omnia depositoria illius prædij aperuerunt, pecunias ad exemptionem certi Nobilis depositas, & ex proventibus illorum bonorum collectas, & alias administratoris proprias; vestimenta, omniaq; utensilia, frumenta ac victualia sustulerunt, ac curribus & sejugalibus equis ejusdem Capitanei imposuerunt; villam etiam per totam noctem prædantes Colonos torquentes, fœminas violantes, in crastino prædâ onusti

onusti excesserunt. Cognito alter Capitaneus Hendigus, quòd uni cohorti spolium feliciter cessisset, cœpit & ipse diligenter indagare aliud simile prædium ejusdem Dn. Capitanei, cum verò ipsi esset indicata Villa Laskowo duobus milliaribus retrocessit, & rectà curiam ingressus, ibiq; promptuaria plena & paratam pecuniam reperiens, pari licentiâ aulam & villam expilavit per omnia illicita grassando, siquidem & fœminarum honestas violata, & unus rusticus domesticum defendens pudorem trucidatus, alij verò desperati decumbunt. De quibus certior factus D. Capitaneus longius tunc distans, ac funus fratri suo Archidiacono præparans, relicta alteri Dapifero Nurensi exequiarum curâ cucurrit die & nocte in Masoviam, ubi jam nihil in prædiis reperit, præter magna agmina querulantium ac efflagitantium, ut tanquam Capitaneus permitteret facultatem aggrediendi violatores, & oppressores libertatis nobilium juxta constitutionem anni 1611mi de licentiosis turmis. Sed D. Capitaneus Nurensis considerans, quod illi Satellites haberent supremum justitiæ caput S. R. Mtem, suasit oppressis, ut simul secum debitâ viâ justitiam quærerent. Interea DD. Capitanei audientes tumultuantem nobilitatem Bugum trajecerunt, vehentes in nobilium curribus opima spolia. Acceperunt etiam secum unum nobilem in defensione ipsius actûs violationis uxoris suæ, occisum. Alia nefanda describere tam promptè impossibile: sed ex actis castrorum Branstensis & Nurensis brevi ipsa facta loquentur. Dum hæc finitur expeditio, inaudio, quod D. Zaleski Camerarius terræ Drohicensis in curia sua impatiens violentiarum occidit unum Harvatum & ipse se subtraxit. Quod ulciscens Capitaneus Geisman cum tota cohorte curiam ejus invasit, & hucusq; ibidem grassatur. &c. A.C.1699

COPIA LITERARUM EJUSDEM GODLEVII AD CARDINALEM PRIMATEM.

IAM alterâ vice post connotationem tam publicarum, quàm mearum particularium injuriarum pulso atria tua Princeps Eminentissime non tantùm supplici calamo, sed & gemitu ex intimis præcordiis ducto, & benignum usq; in hanc diem habere nequeo responsum. Quis Mti nisi tu Princeps tam efficaciter pro officio tuo & authoritate in memoriam revocare potest pacta conventa (si quæ fuerunt) tanquam primas Regni, supremum in tam intolerabilibus oppressionibus numen & ara? quis tam fortiter & expresse dicere audebit, ut subditi liberentur ab obsequio Principis, quando illis non servat juratas leges secundum omnes Statistarum & Theologorum decisiones. Novit DEus, in cujus conspectu sto, quantum defendam semper Mtem tam boni Principis; sed neminem ad latus Mtis video Senecam vel Burrum, qui velit sincerè tam publicis mederi vulneribus, & ad aures Principis ferre, quæ omnino ferri deberent; palpant omnes vulnera, nemo sanat; Iterum proinde recurro cum summa Sacræ Purpuræ veneratione, ut possim scire, quid sperandum? an non una salus viris nullam sperare salutem; Fateor quòd hoc fatali biennio, quo jactatur, & raptatur Reip. navis, desunt media salvandi ultimam sortem meam, & tædet animam vitæ meæ. Desunt rationes ad excusandas excusationes in peccatis, do, qualescunq; tantùm possum vindicias coram fratribus, constantissimo fidelitatis meæ stylo nomini & gloriæ Mtis. Pudenda etiam titulis confidentiæ obtego. Revoco in memoriam ex antiqua historia Achillem inter choros muliebri habitu fila trahentem, licentiam militarem rejicio in ignorantiam Regis optimi, & pro futura ad Prussicum bellum expeditione necessitatem; excuso larvas Varsavienses scripto in nuptiis Honorii Claudiani Panegyrico.

Laxet terribiles Majestas Regia fastus
Et sociam plebem non dedignata potestas

Con-

A.C. 1699 *Confundant turbæ proceres solvantur habenis*
Gaudia nec leges pudeat ridere severas.

Revoco in memoriam in converſationibus amicabilibus ex eadem occaſione, quòd in horis lætis acutæ & leviores chordæ gravioribus jungantur ad harmoniam; Dico cum Hiſtorico, quòd non tantùm civile, ſed & utile Principibus miſceri voluptatibus vulgi, &, dum mihi objicitur, quòd alia aliquando fuit Tyberio morum via, aliæ Auguſto artes regendi, & virtutes, ſemper reſpondeo, quòd Auguſtus Romanus non in Saxonia, ſed in Italia natus fuit. Sunt qui me vellent convincere, quòd Ariſtophanes corrupit mores Athenienſium, & totam Græciam traxit ad riſum, & contumelias; reſpondeo ego, quòd procul ſit Polonia à Græcia. Audio frequenter oppoſitiones, quòd Principem ut Catonem decent non levia; nec theatrorum vanitas, & Principum authoritas benè conveniant; ego conſtanter ex obligatione mea repono, quòd quando annos & ætatem attinget Catonis noſter optimus Rex, non cedet in gravitate Catoni. Audivi aliquorum grandes ſcrupulos affirmantium, quòd Principes Chriſtiani jam pridem ſeverâ lege leves ludos condemnârunt, theatra, & ſcurrilia; reſpondi, quòd id factum fuerit in Monarchia, & non in Regno libero. Ad extremum, cùm mihi aliquis illum verſum dixerit: Ludus genuit trepidum certamen & iram. Ira cruces, inimicitias, & funebre bellum; reſpondi, quòd non inveniatur ſimilis in Polonia revolutio, cum à Ducibus Exercitus ſit ſeparatus.

Cur ergo lapidor, cur collatæ gratiæ novo exemplo ereptæ quanquã nuper tantùm Regiâ manu ſignatæ? cur omnis fortuna mea in prædam Harvatorum data? Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ. Cur ab hac Saxonica Tyſiphone crudeliter flagellor? titulo aſſiſtentiæ Regiæ, quæ me in ultimam cladem adduxit, quamvis ſemper fui, ſumq; juratus cultor, & defenſor Majeſtatis? niſi propterea crucior in hac flamma publici incendii, quòd fuerim ad ultimam Electionis periodum gratus beneficiorum domui Regiæ. Conſidera Princeps, & reſponde pro me; vim enim patior, & cœlum ipſum centiculo oculatius Argo videt, quòd aliquis ex aulæ præſentibus clientibus inſidietur mihi, & quærat animam meam; quanquam credam, quòd non inveniet, ſi manum & protectionem extendet naufrago ſolita tua gratia, quam iterum iterumq; humillimè imploro. Si verò ſecus mihi acciderit; uno premente DEo, fortè nobis feret DEus alter opem. Poſt tam longæ patientiæ documenta, ego jam planè doloribus mortis undiq; circumdatus intincto in cõmunibus Reip. lacrymis calamo, non aliter, niſi tanquam ſupremis codicillis teſtor, quòd ſim.

P. S. Recepi, ſed magnum nihil ab aliquibus Senatoribus, quibus plagas meas detuleram; properabo Varſaviam pro remedio, non ut diebus his Bacchanaliis inſaniam; muſica enim in publico luctu importuna narratio. difficile eſt imitari gaudia falſa, & triſti fingere mente jocum, ſed ut alia quoq; vulnera tibi aperiam; mitto ea, quæ hic inter fratres ſparſa ſunt, præſentis ſtatûs arcana.

Fundamentum. *Miſeros prudentia prima reliquit.*

1mo. Omnia promittere nihil facere. *2do.* Diſtribuere dignitates, & pòſt recipere eaſdem. *3tio.* Commiſſiones deſtinare ad eluſionem querulantium. *4to.* Fortalitia ex inſidiis per hæreticos aggredi. *5to.* Comitia evitare, ſenatûs conſilia ad ludibrium convocare. *6to.* Exercitum exoticum ſub ſpecie belli Brandenburgici in viſceribus Regni collocare ad oppreſſionem, & extenuationem nobilitatis. *7mo.* Ditiores ſub ſpecie larvatæ confidentiæ ſinè ſenſu ad egeſtatem reducere, *8vo.* Potentiores familias paulatim evertere. *9no.* Fidelioribus conſiliis fidem non adhibere.

10mo

10mo. In consilia Polonica nefanda rejicere. *11mo.* Multos speciosis promissis lactare. *12mo.* Exercitui exotico spoliis, & deprædationibus Provinciarum Polonicarum solvere. *13.* Deprædatores, ut extra Regnum cum spoliis fugiant, jubere. A. C. 1699

CXXV.

CARDINALI BARBERINI 1. Martii.

De tractatu pacis & responsis variorum in negotio Elbingensi.

EXactam itineris Regii in Litvaniam, genuinam actorum ibidem facilium æquè ac felicium progressuum, habuisti Princeps Eminentissime relationem. De reditu quoque Suæ Mtis, de accepta notitia die 11. Febr. finitum fuisse tractatum pacis cum Turca, de publico Patrum populique gaudio; cùm omnes patriæ bonis malisque, secundis, adversisque surgamus, cadamusque, diligenter tibi nuntiari curavi, manserunt tamen, nescio quo casu propositiones circa pacis tractatus ab Imperatore Ablegatis Turcicis Viennam transmissæ, quas, ne quid in exacta mea desit diligentia, nunc adnecto.

Quid verò responsi Serenissi Regi à compellatis Potentiis venerit in negotio Elbingensi, in quo desideria omnia publica cuncta vota exhausta & consumpta sunt, nunc mitto copias, ex quibus intelliges, quòd nullus omnium fuerit, qui non magis amicæ conciliationis tranquillitatem, quàm armorum tempestatem Reip: optaverit. Clarior constabit assertionis veritas, dum annexa releges. Literas quoque in vim responsi à magno Regni Mareschalco Electori Brandenburgico scriptas, ut video tibi necdum transmissas, multarum enim rerum copia fatiscit memor animus, libens adjungo, ad normam quarum omnibus nobis respondere visum est, cùm hoc ad omnes pertineat negotium, ab uno in particulari tractari per leges nostras nequit.

PROPOSITIONES CIRCA PACIS TRACTATUS AUGUSTÆ Vindelicorum ab augustissimo Imperatore Leopoldo ablegatis Turcicis Viennam transmissæ.

1. Porta Ottomanica reddat universaliter restituatq; integerrimum Regnũ Hungariæ, cum annexis sibi ab antiquo Regnis, Ducatibus, Principatibus, Provinciis, nimirum Croatia, Sclavonia, Dalmatia, Bosnia, Servia, Rascia, & Bulgaria, tum Transylvania, Valachia, Moldavia, Crobavia, Rama, Siccolo, Bassarabia, cum omnibus pertinentijs, sine ulla reserva, idque perpetuò, ac in æternum cum Regno Ungariæ duratura.

2do Eadem Porta minimè audeat, præsumatq; sumere vindictas, contra Moldavos, Valachos, Transilvanos, ob susceptam protectionem, & Patrocinium Cæsaris potentissimi.

3tio Magnus Soldanus obligabitur Tartaros Hungariæ Regno & suis Provincijs vicinos, ex omnibus illis partibus, & Regionibus Budziacensibus, & quibuscunque locis, & receptaculis pellere, bannitosq; in æternum proscribere, ac in ultimas oras & Regiones longissimas abigere.

4to Præfata Porta propter injustè concitatum bellum, ac in hodierna tempora cum non mediocri Christiani sangvinis effusione durans, ubi simul ad belli expensas, & damna tenebitur, sex milliones in auro pendere & exsolvere, Insuper tributum duorum millionum quot annis Imperatori Romanorum offerre, respectu liberi passus Constantinopolim servituri.

5to Omnes adacti in servitutem Christiani, quorum numerus ad millionem sese extendit, sincerissimè extradantur.

6to Caput Rebellium Tekieli cum omnibus suis adhærentibus, & asseclis statuatur, ac vivus in manus Commissariorum adducatur.

A.C.1699 7mo Porta Ottomannica tenebitur Regno Poloniæ restituere omnes ablatas Provincias, utpote Ukrainam, Podoliam, cum omnibus urbibus, civitatibus, Fortalitiis, Munitionibus, & cunctis appertinentiis, cui cavetur, ne in posterum tentet insolentem invasionem, aut iniquam prætensionem Regionum illarum, sub amissione pacis conclusæ.

8vo Porta Ottomannica impediat Tartarorum incursiones, reddatque omnino securum Regnum Poloniæ à Barbarorum infestationibus, atque omnem Provinciis, locis, populis ejus prospiciat in ætrernũ tranquillitatẽ.

9no In refusionem belli expensarum Regno Poloniæ enumeret quatuor milliones in auro sine ulla exceptione, aut tergiversatione.

10mo Reipublicæ Venetæ fiat restitutio Regnorum Candiæ, Negroponti, Insularum Rhodi cum suis adjacentiis.

11mo Ducatus Atheniensis cum suis Territoriis de integro eidem Reipublicæ restituatur.

12mo In Dalmatia maris portubus, fortalitiis, nempe Dulcigno, & Malamonicio cedat.

13mo Frontispicia ac limites Provinciarum Lepanto, & Prevesa extensius amplificentur.

14to Quadraginta millia Techinorum vel Ducatorum, contra omne fas & æquum à finimis populis Dulcigno, & Malamocio extortorum, huic Reipublicæ exsolvat, atq; restituat Porta.

15mo. Supra expensas belli alia reflexio secutura, ubi partes convenerint ad concludendos pacis tractatus. Hæc puncta & propositiones Porta Ottomannica perpendat, resolvatq; se aliquid facturam.

RESPONSũ REGIS DANIÆ IN REGIA HAFNIÆ. die 6. Xbris.

QUò arctior est ea, quæ nobis cum M. V. uti & cum Seren: Electore Brandenburgico intercedit sangvinis fœderisq; necessitudo, eò major subit animum nostrum solicitudo, dum intelleximus adeo graves inter M. V, ac dictum Electorem occasione civitatis Elbingæ, huic per pacta Velaviensia, & Bydgosthensia, jure hypothecæ concessæ, subortas simultates, ut verendum sit, ne res ad extrema decurrant, & bellum, quod auxiliante Divinâ gratiâ non ita pridem in orbe Christiano extinctum fuit, denuo in Oriente exardescat. Quum verò nobis persuadere non possimus M. Vestram cum inclyta Repub: Poloniæ pro sua in bonum publicum pietate & cura passuram, multò minùs causam daturam, ut ejusdem arma, quibus summa cum gloria hactenus Christiani nominis hostes propulsavit, in viscera Christianorum convertantur; Idcirco facere non potuimus, quin pro fraterno & amicissimo, quo M. Vestram, ac inclytam Remp: Poloniæ complectimur affectu, hisce ab eadem contendamus, ne ob offensam, si quam ex occupata supradicta civitate putet accepisse, protinus ad arma, tanquam ad extrema, & quæ faciliùs capiuntur quàm deponuntnr, prosiliatur, sed priùs ex præscripto ante memoratorum, pactorum Velaviensium, & Bydgosthensium amicæ compositioni locus relinquatur. Eò Seren: Electorem Brandenburgicum quoq; propendere non dubitamus, certaq; nobis spes est, Principes & Status, quorum officio mediatorio sæpiùs dicta pacta Velaviensia, & Bydgosthensia conclusa fuerunt, eam inituros viam, & rationem, ut orta diffi-

dissidia æquis & honestis conditionibus utrinq; componantur. Ad quod promovendum, & perficiendum nostram pariter operam & officia sincerè conferemus. Dabit hoc ipso M. V. cum tota inclyta Rep: Poloniæ summè laudabile, & nunquam apud posteros intermoriturum æquitatis ac moderationis exemplum. Nos verò habebimus, quod nobis & orbi Christiano gratulemur, nullam de cætero intermissuri occasionem M. V. inclytæq; Reip: Poloniæ promptissima nostra studia, & propensam voluntatem re ipsâ comprobandi. Quod superest M. Vestram Divinæ clientelæ ad longævam incolumitatem, & omnium votorum felicissimos successus animitus commendamus. *A.C. 1699*

RESPONSUM REGIS SUECIÆ IN PALATIO REGIO Holmensi die 7. Januarij

TAnta est sinceri nostri affectus erga M. V. tamq; solidè fundata integritas, ut nihil nobis sit optatiùs, quàm si evidentiori aliquo documento studia nostra voluntatibus, & utilitatibus. M. Vestræ planè addicta eidem comprobare valeamus, id, quod ne hac quidem occasione permittendum censuimus, postquam crebris nobis innotuit nuntiis, aliquid dissensionis cum Seren: Electore Brandenburgico ex negotio Elbingensi obortum esse, facilè majorum malorum inde emersurâ segete, nisi Divinâ ope, ac mediis inter Christianos Principes, ejusmodi in casibus adhiberi solitis præveniatur. Nec dubitamus Mtis Vestræ generosam & magnanimam mentem conservandæ in orbe Christiano quietis, & tranquillitatis, tantò fore cupidiorem, quantò plùs gloriæ ex bellis adversùs Christiani nominis hostes fortiter, feliciterq; gestis hactenus consecuta est. Eâ fiduciâ, ac in M: Vestræ amicitia firmâ spe reposita non minùs, quàm solicitâ publicæ salutis curâ commoti & impulsi, intermittere non potuimus, quin Maiestati V. offeramus operam nostram mediatricem pro redintegranda cum Seren: Electore Brandenburgico pristina concordia, avertendisq; motibus, quibus vicinæ, & fœderum eximiâ fide hactenus gavisæ gentes collidi, mutuoq; atteri possent, præsertim cùm utrinq; incolumitati ac prosperitati quàm optimè cupiamus consultum. Confidimus igitur M. Vestram pro summa sua æquanimitate, & tanto fastigio digna haud ægrè nostra admissuram ex optima, & Maiestatis Vestræ emolumentis faventissima intentione, oblata officia, quibus, si quid ulteriùs adjicere poterimus testandæ intimiori benevolentiæ, id omissuri neutiquam sumus. De cætero Maiestatem Vestram ad diuturnam incolumitatem & prosperos rerum successus Deo Ter Optimo Maximo ex animo commendamus.

RESPONSUM REGIS ANGLIÆ IN AULA APUD KENsington. 10 Januarij.

EX literis Mtis V. die 17. mensis Novemb. ultimis ad nos datis, quàm graviter ferat urbem Elbingensem ab Electore Brandenburgico in potestatem suam esse redactam, non absq; decenti mentis motu percepimus, ortum e-

A.C. 1699 *tenim esse occasionem aliquam arctæ illius amicitiæ benevolentiæque, quæ inter Principes tantâ inter se necessitudine, & nobiscum conjunctos, & quæ ad pacem in illis orbis partibus conservandam adeo necessaria est, perturbandæ, quam tamen tempestivo amicorum communium interventu bonisq; officiis propediem rursus coalituram speramus, nec quidquam, quod in nobis situm est, & quod ad opus tam pium ac salutare facere possit, omittemus. Quod superest Mtem V. Divini Numinis tutelæ ex animo commendamus.*

RESPONSũ S. CÆSAREÆ Mtis. Viennæ 22. Januarii 1699

Literas responsorias Ser: Vestræ in causa Elbingensi die 17 Nov. nuperi datas, quibus ut sua, & Reipub. Polonæ indemnitati, securitatique consulamus, authoritatem nostram mediatricem interpellat; paulò quidem tardiùs accepimus, eas tamen sic interpretati sumus, ut cum aliis quibuscunq; durioribus mediis concordiæ & amicæ transactionis tentamen prætermittere æquum & Christianum sit, Ser: Vestræ non ingrata fore officia existimemus, quæ eidem uti, & Serenissimo Electori Brandenburgico hunc in finem optimâ intentione obtulimus, quemadmodum & prædictum Electorem illa promptè amplexum esse Seren: Vestra ex Ablegato nostro Comite Siedlnicki jã tum uberiùs intellexerit, quandoquidem igitur publicè interest, hujus tam salutaris operis quantociùs fieri initium, visum nobis est Serenitati V. non tantùm pro loco amicabilis congressûs urbem nostrã Vratislaviam, quâ vix commodior, omnibusq; partibus opportunior dabitur, proponere, sed etiam ab eadem fraternè contendere, ut unum vel plures Plenipotentiarios suos illuc circa diem 14tam vel 15tam instantis mensis Martij non gravetur ablegare, siquidem & nostrum eodem tempore ibi adesse jubebimus, & Brandenburgicum similiter esse ibidem futurum non dubitamus, admissuri etiam libenter sociatam amicorum operam, si qui fortè vigore pactorum Bydgostiensium vel à Serenitate Vestra requisiti vel proprio animi motu adducti in initio aut progressu negotij illuc Ministros suos submiserint. Sed & illud à Seren: Vestra petimus, ut, sicuti prædictus Elector ad hanc rem ex æquo & bono amicabiliter terminandam omnem facilitatem, quæ quidem ab ipso desiderari possit, se allaturum pollicetur, exitumq; pacatè sinè ulla armorum ostentatione præstolaturum, ita vicissim Serenitas V. ex sua & inclytæ Reipublicæ parte omnes hostiles & repressaliorũ actus inhibere, &, quidquid memorato Serenissimo Electori justæ defensionis prætextum suppeditare posset, id prudens avertere, & amoliri velit, quo tantò faciliùs, & sinè interruptione procedat officium, & ad optatum nobis perducatur effectum. Quod sic Serenitatis V. prudentiâ, & æquitate, perspectoq; in publicam tranquillitatem studio nos haud difficulter consecuturos confidimus, eidemq; optimam valetudinem, lætissimos rerum & consiliorum successus animitus apprecamur.

RESPON-

RESPONSUM II. REGIS ANGLIÆ IN AULA APUD KENsington die 23 Februarii.

QUantum controversiâ inter Mtem V. & Electorem Brandenburgicum de urbis Elbingensis possessione exortâ commoveamur; literis nuper ad ipsam datis testati sumus; ne tamen iners dolor ille videatur, & intra vota tantum consistere, ut benevolentia inter duos Principes, vicinitate & necessitudine conjunctos imminuta postliminio restituatur, operam praeterea dandam & offerendam, interponendaq; officia, ut amicitiæ vinculum hoc casu propè solutum arctiùs denuo adstringatur summa illa necessitudo, quæ nobis cum Mte V. intercedit, maximè suadet, ne quidquam ex parte nostra, quod vel ipsius rationibus, vel tranquillitati publicæ conducat, quarum rerum studio flagramus, desideretur. Quod superest Majestatem Vestram Divini Numinis Tutelæ ex animo commendamus.

Acceptis hisce responsis Seren: Rex AUGUSTUS ut Principes illos ad celerem & efficacem ac suo & Regni cum honore mediationem induceret, adhuc eos compellare voluit sequentibus.

LITERÆ REGIS AUGUSTI AD IMPERATOREM. Varsaviâ 28 Februarii.

PRovocâsse nos ad officia tum prosperæ cum Majestate Vestrâ viciniæ, tum mediatricis authoritatis in negotio insperatæ insessionis Elbingensis per Serenissimum Electorem Brandenburgicum, quemadmodum optimè meminimus, ita nihil hucusque præstantiùs in votis habemus, quàm idem salvo nostro, Reipublicæ mediatorumque honore pacificis terminare medijs. Jam tum, cùm prioribus literis insinuavimus Majestati Vestræ concessum fore, ut Reipublicæ indemnitati, suæque mediatrici authoritati consulere velit, facilè perspectum fuisse finem intenti nostri credidimus, quòd non aliter mediationis opus auspicandum esset, quàm restituto civitatis statu. In quo, quid enim non modò honoris, sed securitatis Reipublicæ huic vexatæ, injuriosis sub tempus adhuc Turcici belli armis ab amico Principe restaret? si mediatio tam egregia, tamq; insignis Majestatis Vestræ, ac aliorum, si qui intererunt, Principum, sub servitute captæ urbis velut coacta, & expressa peragatur. Satis lucrari Serenissimum Electorem Brandenburgicum, quòd per hoc attentatum contra pacta excludat Commissiones domesticas mutuò super prætensiones Reipublicæ destinandas, omissoq; hoc primo gradu ad mediatorios deducat terminos, Quos uti ex parte nostra præviâ insinuatâ necessitate, locive opportunioris, quàm proposita Vratislavia, in Regno nostro designatione non subterfugimus, ita confidimus Majestatem Vestram incubituram in id maximè, non ex nostro tantùm atq; Reipublicæ honore, sed ex sua etiam, uti mediatoris læsione, quòd scilicet antequam invocatur, prout ex pactis intererat Serenissimus Elector armis nobis improvisis satisfactionem sibi ministravit.

stravit.

A.C.1699 *stravit. Hæc tam æqua, tamq; justa desideria nostra ex publica Senatûs-Consilij mente derivata dum Maiestatis Vestræ intelligentissimo animo profundiùs insinuare superfluum est; restat, ut eidem prosperrimos rerum successus cum optima valetudine animitus precemur.*

LITERÆ EJUSDEM AD REGEM SVECIÆ ibidem.

IN hoc ipso negotio, in quo nobis Majestas Vestra literis suis die 7timâ mensis elapsi amica sua exhiberi voluit officia per Delegatum nuper à nobis Regni Senatorem satis abunde Majestati Vestræ ex indebito contra pacta per Serenissimum Electorem Brandenburgicum insessâ armis Elbingâ tum, cùm bellum nobis cum Turcis restaret, progressu, tam nostrum, quàm integræ Reipublicæ testati sumus acerbioris animi sensum non alio fine, nisi ut amico fœderibusque innexo cum Regno hoc Principi justa talium imprimeretur apprehensio. Cùm verò Majestas V. ultro eadem cognoscat, ijsdem amicè sopiendis, curas, animumque suum adjicere offerat, eam propensi animi in nos, Regnumque hoc voluntatem, eò gratioribus adnumerabimus vicibus, quò certiores declarationem nostram Serenissimis Mediatoribus per pacta Velaviensia observatis insinuatam, nempe haud posse mediationem citiùs inchoari, quàm ut Elbinga statui , in quo fuit, relinquatur, à Majestate Vestra probatum iri confidimus. Quod ipsum æquissimo judicio ejusdem plurimùm commendantes felices rerum eventus cum exoptata valetudine ex animo precamur.

LITERÆ EJUSDEM AD REGEM DANIÆ ibidem.

EO clariora propensi in nos, Regnumque nostrum Maiestas Vestra literis suis die 6tâ Decembris anni elapsi datis, amoris animique subministrat argumenra, quò velocius in Elbingensi contra pacta attentato præveniendo nostra per Delegatum ad se Senatorem Regni hac in parte expressa justa desideria, amicis officiis, ne res ad extrema prolabatur succurrere, suarum partium duxit esse. Hanc Maiestatis Vestræ venire nobis gratissimam pro publica tranquillitate ex Christiano zelo interpositionem, vel ipsa nostra hoc intendens attestabitur Delegatio. Facilè tamen pro sua æquitate dijudicabit casum tam insperatum hostilis ab amico Principe, stante adhuc bello Turcico aggressionis, acerbissimumque toti Reipublicæ vulnus ad mediatorios terminos hàud flecti posse, antequam civitas capta suo in statu relinquatur. Id ubi primum subsecutum fuerit, omnes prætensiones mutuò ex pactis resultantes non difficulter justo mediatorio arbitrio assopiri poterunt. Quod unicè cupientes, negotium hoc nostrum, etiam Regium tan-

tangens honorem perquàm ferventer Maiestati Vestræ commendantes. Eidem prosperos rerum successus, ac longævam incolumitatem ex animo precamur. *A.C. 1699*

COPIA LITERARUM A SUPREMO REGNI MARESCHALCO AD SERENISSIMŪ Electorem Brandenburgicum.

NOta sunt adeò non mihi solùm, aut universis Regni hujus Ordinibus, sed toti terrarum orbi, amicæ pietatis & constantiæ gloriosissimi Ser: V. Parentis, & ejus ipsius præclara in Remp. hanc documenta, ut non modò suspicari, aut metuere adversi quidquam vel hostilis de Seren: Vestra Electorali maximum violatæ fiduciæ crimen censeri possit, sed nec simile quidquam cogitari debeat. Cùm verò Seren: Vestra Electoralis ex singulari benignitatis suæ in me motivo circa intentionem suam de capienda urbis Elbingensis possessione me certiorem reddere, ac edocere dignata sit, faciliùs mihiq; convenientius esse duco ex assueto in Ser: Vestram Electoralem, innatoq; obsequii mei cultu, debitas ac humillimas eidem referre gratias, quàm absq; præsentia Sacræ R. Mtis, Supremi Reipub: hujus capitis, cæterorumq; Regni ordinum, ad quos materia hæc universaliter pertinet, quidquam in tam arcto temporis spatio exarare, aut Serenitati V. hoc in passu sensum meum aperire. Quod ad brevì speratum S. R. Maiestatis reditum, præsentiamq; Senatûs differre mihi convenit. Interim hac firmissimâ spe suffultus hæreo, quòd Serenitas V. Electoralis pro majori documento constantissimæ suæ erga Rempub: hanc amicitiæ dilationem hujus exequendæ intentionis suæ ex singulari prudentia & æquanimitate concessura sit. Cæterùm humillima obsequia mea Serenitati Vestræ Electorali profundissimè devoveo.

Dabantur ex arce Jazdoviensi die 31. Octobris 1698 Anno.

CXXVI. AMICO CONFIDENTI, 5tâ Martij Varsaviæ.

Continet præter alia, relationem oppreßionis in regno.

FRequentiores à me literas expectas, si non scriberem non vel alienati, vel senescentis in te amoris mei signum esset, multò minus, dum exactè scribo, crede amori vera dicenti, si non perveniunt, culpa mea utiq; non est. Scio te virum constantem & amicitiâ solidum, qui neq; more adolescentulorum modò amas, modò odisti, neq; contra Theophrasti præcepta, postquam amaveris, de amico judicas, expendis diu, antequam recipias, receptum toto retines pectore, ideoq; non timeo ut hoc præsumptivū silentium mihi vel minimum apud te adferat præjudicium.

Ultimis Januarij cùm ex mandato Regis diutius, quàm voluissem, Varsaviæ residere cogerer, venit Cardinalis etiam primas, qui officium, quod vacare credebatur stabuli Præfecturæ Regni pro juniore Towianski

A. C. 1699 ski à Rege prætendebat; Rex verò jam hanc dignitatem Subdapifero Regni Lubomirski ex rationibus destinaverat; unde Cardinalis non mediocri ut solet in simili conjunctura tactus intrinsecus erat mœrore, & propterea ab utrinq; parva vel nulla videbatur affectûs correspondentia.

Præfectura stabuli vacans.

11. Februarii expectata venerunt nova de finito tandem cum Turcis tractatu, 26 Jan: in Carlovice; non habemus adhuc particularia, quia illa & tu immediatè haberes.

Tractatus cum Turcis finitus.

Vladislaus Przyiemski Palatinus Calissiensis nuper à Rege factus, fatis cessit circa 14. Februarii, vacantem Palatinatum dedisset Rex Subdapifero Regni, sed illum renuit; contulit ergo eum Felici Lipski Castellano Siradiensi.

Mors Przyiemscij.

Filius Marchionis de Berait frater Reginæ Seren: nostræ mediante authoritate Regis amicitiam suam fœdere Matrimoniali confirmandam declaravit Theresiæ Lubomirsciæ Principi Mareschalcæ nepti S. M. Regis JOANNIS, quæ ut scis facilè ad diversa flexilis alienam felicitatem suas ærumnas reputat, nunquam felix nisi alienis calamitatibus, nunquã læta nisi aliorũ luctu, hoc dempto fœmina pia, humana, civilissima. Jam de conscribendo contractu, ad quem ego etiam vocatus sum, cogitatur.

Vocato mihi Rex narravit, quanta impedimenta ponat expeditioni meæ pro Varmia Nuntius *Davia* quodq; nomine Pontificis declaraverit gratum id fore Sti Suæ, si nominatio in favorem meum data mutaretur. Scivi verò aliunde scripsisse eundem Nuntium Romam, quòd Rex libenter haberet, si nominatio eadem rejiceretur. Quod nec Pontifex, ut bene mihi nunc notum, nec Rex, ut se declaravit, cogitârunt. Habui ergo cum eodem Nuntio longiorem paulò conferentiam, in qua veritatẽ more meo cum omni respectu characteris fortiter & suaviter dixi.

Irruptio Tartarorum.

Venit notitia magnam irruptionem Tartaros in Russiam fecisse, non vidimus tamen Regem turbatum, & aliqui inde scandalisati sunt, quòd ea nova ita acceperit tanquam ea minimè ad eum pertinerent, de quo rumores ambigui, ut in aula fieri amat, variis aulicorum pro & contra affectibus.

Mors Fran. Lubomirski

3. Martii, quæ erat ultima dies Bacchanaliorum Franciscus Lubomirski Olstinensis Gubernator majora assiduè spondens ægrè valere cœpit, & quarta meliori dignus vitâ cum dolore omnium fatis cessit.

5tâ ejusdem cantatum est *Te DEUM laudamus* in Ecclesia Collegiata S. Joannis, tormenta majora audita, & ipso vesperi ignes artificiales, qui ita oculos nostros delectârunt, ut minimè fatigarent extra Varsaviam pulcherrimi visi, ad demonstrandam lætitiam pro finito cum Turcis bello.

Episcopi aliqui Regi proponunt oppressionẽ in Regno.

Ex occasione universalis per Litvaniam (ubi quæ passim fiunt, turpè est & dicere) & varias partes Poloniæ, intolerabilis planè à Saxonibus oppressionis, unde lachrimarum satis luctusque est, & literarum Godlevii Gubernatoris Nurensis, quas, credo, ad me scriptas vidisti, quarum copias publici quoque juris fecit, neque enim ignoras id esse doloris ingenium, cui se immiscuit indignandi contumacia, ut animi plagas revelare semel non sufficiat, sed veluti nihil aliud cæteri meditentur, nihil sentiant, ita suas calamitates crudus ex infortunio mœror, narrat & renarrat, inde est quòd ex arte dolentium repetebat semper crudelia & atrocia Saxonum facta, utinam utiliter sed vix spero. Interim ego meditabar intra me quomodo possem Regi negotium hoc insinuare; video enim exinde infelicitatem Carthaginis, prævideo amovendos à Rege subditorum animos, nisi ei à fidelibus consiliariis oculi aperiantur, nisi cognoscat non vanas esse querelas, non ina-

inanes luctus, petij ergo ab Episcopo Vladislaviensi Dąbscio, Posnaniensi Swięcicio, Chelmensi Wyzyccio, tunc Varsaviæ præsentibus, ut Regem adiremus, eique modestè, sed fortiter tamen repræsentaremus, nec cum fiducia faciendi alicujus boni, nec sine spe, canes latrant pro Dominis suis, & nolumus loqui pro pauperibus, & pro Christo; si volunt nos tacere, nos non aggrediantur, deponant gladios & nos scutum abjiciemus; quandoquidem Cardinalis id denegavit, moderationem & prudentiam suam proferens tanquam in medijs flammis, flamma eum non tangeret & plenè tutus quietusq; staret in communi totius Patriæ luctu, quia semper pro domo sua calidissimè, nunquam pro Ecclesia vel leviter, Regi loqui solet. Relegi proinde aliqua privilegia ab antiquis Regibus in favorem Religionis data, & eadem in ordinem redacta in Gallicum idioma, cum Rex latinè non intelligat, transtuli, ut possemus authenticis immunitatibus, quod verbis dicebamus ostendere, itaq; in consortio illorum Episcoporum Regem adivi, nomineq: Collegij Episcopalis allocutus sum, verba facile succedebant ac pene meam mentem præcedebant. Illaq; privilegia in manus dedi, supplicando suæ Majestati, ut oppressionum ulteriorum sit saltem inhibitio, ut dolorum magnitudo in magnitudinem vertatur gaudiorum, ut sicut juramento promisit indemnitatem Religionis nostræ, ulterius providere dignetur. Duravit hæc conversatio aliquot horas, cum fortè fortuna non impeditum Regem alijs occupationibus inveniremus, magna promissio, magna etiam verba Domini habuimus, Deus det, ut is effectus subsequatur, quem desideramus. Ut tamen scias, quæ privilegia præsentaverimus, quanquam illa melius teneas, quàm tuum proprium nomen, copiam tamen eorum, ut in legibus & historijs nostris authenticis reperiuntur, tibi adnecto. Diligas diligentem te. A.C. 1699

EDICTA ET STATVTA CONTRA HÆRETICOS.

Imo. CONFOEDERATIONIS GENERALIS KORCZYNEN. 8 Martij Anno Domini 1438.

NOs Principes Spirituales, & Sæculares; Barones & Comites, Proceres, Milites, Nobilitas, civitates, totaq; communitas Regni Poloniæ, singulariter singuli, & universaliter universi eodem animo, eâdem voluntate, scientiâ, assensu, & ratihabitione, omnes unanimiter decernimus, & significamus tenore præsentium, quòd quicunque existens indigena Regni Poloniæ vellet aliquas inobedientas contra jus commune &c. aut etiam hæreticales errores facere, vel promovere: contra talem sive tales, cujuscunque statûs, gradus, conditionis & præeminentiæ fuerint, sive spirituales sive sæculares, & in eorum destructionem consurgere volumus, & promittimus sub fide & honore nostris absq; dolo & fraude: nec ipsis auxilio, consilio vel favore patrocinari volumus, sub fide & honore nostris, etiamsi sangvine, affinitate, & quacunq; propinquitate forent nobis, aut alicui nostrûm conjuncti; nec pro eis loqui volumus aliquod verbum, sed punire promittimus.

2do. VLADISLAI I. JAGELLONIS REGIS POLONIÆ, in Gedlna Anno 1424.

CUm sub dissimulatione præterire non debeamus, imò arctemur divinæ legis perpetuis institutis, pestiferos hæreticorum errores (quos in Dei contemptum, & in Christianæ Religionis detrimentum, & enervationem, politiæque jacturam, iniqua perversorum corda conflaverunt) etiã quæcunq; oporteret nos subire pericula, à finibus nostris propulsare, in

A.C.1699 gladio dejicere, ut, qui censurâ Ecclesiæ non terrentur, humanâ severitate mulctentur, maturo consilio Prælatorum, Principum, & Baronum nostrorum habito, & consensu, & etiam de certa ipsorum & nostra scientia præsentibus decernimus, & pro firmo, constanti, & pro irrefragabili edicto teneri præcipimus. Ut quicunque in Regno Poloniæ nostro, & terris nobis subjectis, hæreticus, aut hæresi infectus, vel suspectus de eadem, fautor eorum, vel director repertus fuerit, per nostros Capitaneos, Consules civitatum, & alios Officiales, ac quoslibet subditos nostros, sive in officijs, sive extra viventes, velut Regiæ Majestatis offensor capiatur, & juxta exigentiam excessûs sui puniatur. Et nihilominus omnia bona ipsorum mobilia & immobilia in quibuscunque rebus consistentia publicentur, thesauro nostro confiscanda, prolesque eorum tam masculina, quàm fœminina omni careat successione perpetuò & honore, nec unquam assumatur ad dignitates vel honores, sed cum patribus & progenitoribus suis semper maneant infames, nec de cætero gaudeant aliquo privilegio Nobilitatis vel decore.

3tio. SIGISMUNDI I. REGIS POLONIÆ Thorunij Anno 1520.

Manifestum facimus harum serie literarum, quòd intelligentes ad Regnum & Dominia nostra inferri nonnullos libellos cujusdam fratris Martini Lutheri Augustiniani; in quibus multa continentur tam cõtra sedem Apostolicam, quàm etiam in perturbationem communis ordinis, & status rei Ecclesiasticæ & Religionis, Cùm enim in Regno nostro ex hujusmodi scriptis errores aliqui pullulàrint, officij nostri, ut Christiani Principis, & fidelis filij Sanctæ Matris Ecclesiæ esse duximus, ut authoritate, & potestate nostra Regia huic cœpto noxio resisteremus; Mandamus itaque vobis omnibus subditis nostris, & cuilibet vestrûm seorsum, ut nemo deinceps audeat talia, ut præmissum est, in Regnum & Dominia nostra inferre, vendere, aut illis uti, sub pœnis confiscationis bonorum, atque exilij, quas unusquisq; mandatum nostrum transgrediens, sine ulla excusatione tam ignorantiæ quàm alterius causæ subibit.

4to, EJUSDEM REGIS Anno EODEM CRACOVIÆ

Manifestum facimus omnibus & singulis cujuscunq; statûs & ordinis Subditis nostris, ac etiam advenis quibuscunq; Quia cum humanis ingenijs præsertim vulgi, ad res novas, & insolentias propensis necesse sit tum alia multa, tum verò hæreses emergere, necesse item sit, per eos, qui divinis & humanis institutis præpositi sunt, illas hæreses tanquam pestem, & virus nocentissimum à subditis illorum arcere. Siquidem sola Religio est, quæ legibus ac institutis suis homines in disciplina, in virtute, ac fide erga Deum & homines continet, ac regit, quâque in norma & observantia sua veteri turbata ac dissoluta turbari & dissolvi necesse est universa; quòd postea, ut multis exemplis constat in seditionem vergere, ac in perniciem Rerum publicarum, earumq; rectores redundare solet. Nos pro officio Christiani Principis eam ipsam Religionem à Sanctis Patribus ordinatam, ac per Ecclesiam Sanctam Romanam, directam, nobisque à Majoribus nostris per manus traditam ac per nos deniq; ad gentes nostras multo sangvine, & clarissimis gratiâ Dei victorijs hactenus defensam, etiam à labe hæretica his temporibus in vicinia emergente, integram & immaculatam in Regno & Dominijs nostris conservare volentes, publicis edictis mandamus, ne quidam Lutheri cujusdam libri, ejusque sequacium quorumcunque, quos sua insolentia in reprobum egit sensum, quique prætextu libertatis Christianæ, prætextu vitiorum ordinis Ecclesiastici

ftici & scandalorum, quæ in hominibus fieri necesse est tanquam sub melle virus suum in vulgus spargunt, & scriptis ac sermonibus famosissimis non solùm mores salubres & instituta Ecclesiastica, sed ipsos etiam Sanctos Patres turpissimè proscindunt, & Sacra profanis miscent, ad Regnum & Dominia nostra inferrentur, & legerentur. Néve quis dogma ipsum pestiferum approbare audeat sub pœna capitis, & privationis omnium bonorum, ad quæ edicta nostra exequenda modum etiam opportunum statuere volentes, delegavimus in Prætorium civitatis Cracoviensis nonnullos primarios nostros, tam spirituales, quàm sæculares Consiliarios, qui cum consulibus & Officialibus civitatis sic edicta nostra exequentur, ut in primis, quandocunq; opportunū videbitur, Reverendissimo D. Episcopo Cracoviensi per inquisitores ejus cum Decurionibus, quos consulatus in civitate ad hujus negotij, aliorumq; excessuum tollendorum custodiā eligent, per omnes domos, testudines & cistas diligens scrutatio & inquisitio fiat, & ubi aliqui libri hæretici invenirentur, illic pœna edicti exigeretur. Deinde, ut impressores librorum nihil prorsus imprimere, & Bibliopolæ, vel alij quicunq; exponere & vendere deinceps audeant ex libris undecunq; advectis, nisi illos Rector universitatis prius viderit, & tam imprimi, quàm vendi permiserit, sub pœnis prædictis. Ut autem & reliquæ civitates nostræ hoc exemplo invitentur, ac unusquisq; in tempore præmoneatur, ne ipsa mandata nostra transgrediatur, & ignorantiā prætendere possit. Nos hanc ipsam consiliariorum & consulatus Cracoviensis ordinationem per has literas nostras omnibus testatā volumus esse, mandantes omnibus civitatibus Regni, & Dominiorum nostrorum, ut ad ejusmodi edicta nostra exequenda cum loci ordinarijs, aut eorum delegatis faciant ordinationes opportunas, easque diligentissimè exequantur, pro gratia nostra regali, aliter non facturi. A.C.1699

Quod edictum, ut debitæ executioni tradatur, ita idem ipse Rex Christophoro Szidlowiecki Palatino & Capitaneo Cracoviensi mandat.

MAGNIFICE SINCERE NOBIS DILECTE

NOn ignorat sua sinceritas officij esse uniuscujusq; boni Principis, id potissimum curare, ut in subjectis sibi populis, unitas, concordia, & tranquillitas conservetur, idque hoc uno fieri, si leges atque instituta divina, & humana, longo usu, & communi approbatione recepta, diligenti custodiâ manu teneantur, hominesq; seditiosi, & plus sapere volentes, quàm oportet, quamq; ad illos pertinet, coerceantur, siquidem in vita nihil certi firmiq; haberetur, ubi liceret unicuiq; pro suo libitu & sensu tam de divinis, quàm humanis rebus pronunciare. Cùm nec ullum est bonum, quod maledicendo depravari non possit, nec ullum tam evidens malum, quod per licentiam sub specie boni sese non insinuet. Nos itaq; dudum intelligentes sparsi in regno nostro Lutheri cujusdam dogmata contra mores & instituta Patrum, & Sanctæ Matris Ecclesiæ in perturbationem communis status, & unitatis populi Christiani pro debito nostro, & exemplo aliorum piorum Regum, & Principum Christianorum publico edicto mandaveramus, ut ad Regnum nostrum nulla opera ipsius Lutheri, aut alterius cujuspiam sequacis ipsius inferantur, sub exilio & privatione omnium bonorum. Contra quod edictum nostrum comperim' isthic in civitate nostra Cracoviensi esse nonnullos ita curiosos in his, quæ muneris eorum non sunt, atque ita contumaces adversus edictum nostrum, ut non cessent opuscula ejusdem Lutheri, & alia id genus invehere, & jam palàm tueri dogmata ipsa lethifera, in offendiculum bonarum mentium, hominumque perturbationem, ac contemptum autho-

A.C.1699 ritatis, & mandati nostri Regij. Quod, ut meritò debemus, indignissimo animo ferentes, committimus Sinceritati V. idque animo esse volumus, ut tales, qui in vulgum spargunt ipsa dogmata Lutherana, vel ejus opera invehunt palàm vel occultè ad Regnum, & ad Dominia nostra, & præsertim istuc in civitatem Cracoviensem, disquirat, & in eos, qui comperti fuerint, edictum nostrum irremissibiliter exequatur. Sed, & quidquid ultra in ea re curanda fecerit, id nos non ratum solùm, sed etiam gratissimum habituros non dubitet, pro fide & virtute sua Sinceritas tua factura.

4to EJUSDEM SIGISMUNDI Anno 1534.

MAgnifico Petro Kmita de Wisnicz Castellano Sandomiriensi Regni nostri Mareschalco, ac Cracoviensi, Sczepussiensi, Præmisliensi, & Colensi Capitaneo sincerè nobis dilecto gratiam nostram Regiam. Magnifice sincerè nobis dilecte. Audivimus permultos esse in Regno nostro factiosos, & novandarum rerum cupidos homines, qui sectas ab Orthodoxis Patribus in universalibus Conciliis reprobatas non in occulto solùm sectantur, sed & publicè profitentur, & disseminant non sine contemptu piarum sanctionum à Sancta Ecclesia Catholica institutarum & receptarum, atq; edictorum nostrorum; esse item non paucos, qui liberos, propinquos, affines suos Wittembergam mittunt, ut illic mox ab ineunte ætate priusquam noverint malum à bono discernere, pestifera dogmata ab ipso Luthero, qui horum malorum caput est, imbibant, & postea in Regno nostro diffundant, & propagent. Quæ res, quàm benè vicinis Germaniæ Regionibus ceciderit, nemini obscurum est; vidimus enim luce meridianâ clarius, quantæ seditiones, quantæ cædes, bonorum direptiones, & quanta rerum omnium perturbatio, quanta denique honestatis eversio ex his initiis excitata sit, quàm non potuerit hacten⁹ pestis hæc semel in animis hominum radicata extirpari, quamvis multis in id incumbentibus. Quod ne nobis quoq; & subditis nostris unquam usu veniret, cavimus aliquoties edictis nostris gravibus propositis in transgressores constitutionibus. Itaq; & nunc mandamus Sinceritati tuæ, prospiciat etiam atque etiam, ne quis in capitaneatu ipsius aliquid adversus Ecclesiæ constitutiones palàm vel facere vel loqui ausit. Quòd si quem ejusmodi post hujus edicti nostri publicationem investigaret, castiget eundem pro delicti magnitudine ad præscriptum priorum edictorum nostrorum, jam olim ante annos aliquot eâ de re editorum. Penitus enim Dominia nostra ab hujusmodi novatoribus volumus esse immunia. Quod attinet ad eos, qui apud Lutherum, vel quoscunq; alios factionum istarum Principes vitam degunt, iis omninò aditum ad quasvis dignitates & Magistratus præcludemus in posterum. Qui autem post publicatum hoc edictum nostrum vel suâ voluntate, vel jussu suorum amicorum ad istos ipsos Sectarum novarum Auctores, ut eorum dogmata imbibant, proficiscerentur, eos vel extorres esse jubem⁹, vel severiùs è Consiliariorum nostrorum sententia castigabimus: ne illis quidem parcendo, qui ipsis auctores ejus rei fuerint. Quocirca volumus, ut Sinceritas tua mandata hæc nostra publicet, diligenterq; exequatur, & adversus eos, qui in Ecclesiasticis censuris obsordescunt, ita procedat, quemadmodum status Regni disponunt.

5to DUCIS MASOVIÆ JANUSSII Anno 1525.

ACtum Varsaviæ feriâ quintâ ante Dominicam Oculi conventionem continuando proximâ Anno 1525to in præsentia Illustrissimi Dñi D. Janussii DEi gratiâ Ducis Masoviæ, Russiæ, &c: nec non Magnificorum, Venerabilium, & Generosissimorum Felicis Brzeski Palatini Masoviæ, Capitanei Ciechanoviensis, Laurentii de Praznowo Ciernensis, Joannis

annis Loski de Wola Chynowska Visnensis, Petri Kopythowski Varsaviensis, Alexij de Lubki Wissogrodiensis, Joannis de Krisko Zakrocimensis, Joannis de Oborij Ciechanoviensis, Michaelis de Zaliwie Livensis Castellanorum, Nicolai Zakowski Præpositi Ecclesiæ Collegiatæ Varsaviensis, & Ducatûs Masoviæ Camerarij, Alberti de Popielzino Canonici Varsaviensis, & Ducatus Masoviæ Succamerarij, Pauli de Trabki Archi-Diaconi ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ Varsaviensis, Thomæ Sokolowski Decretorum Doctoris & Custodis, Stanislai de Strzelce Scholastici, Pauli de Popielzino Canonicorum ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ Varsaviensis, Bartholomæi Radziminski de Miastkowo Czernen. Budek de Naquasino Wissogrodien. Erasmi de Kobelniki Ciechan. Ioannis de Oyrzanowo Liven. Pincernarum, Seraphini de Oborij de Zalesiæ Czern. Nicolai Wierzbięta Varsav. Petri de Kucharij Wissogrod. Varsav. Stanislai de Woystawice Liven, Jacobi de Jelenia Nurensis, Andreæ Kiesielnicki de Bogusice Lomzensis Judicum; Nicolai Oborski de Leciesczcyce Czern. Stephani de Wodynie Varsaviensis Adriani de Golymino Wissogrod. Joannis Ciszkowski, Zakrocim. Joannis Wilicki Ciechanov. Cristini de Cubra. Visnensis Vexilliferorum. Jacobi Głoskowski Czern. Stanislai Kownacki Wisnensis, Petri Targoma Zakrocim. Pauli Brzeski Ciechanov. Succamerariorum. Nicolai de Runowo Czern. Jacobi de Kozniewo Wissogrod. Martini de Czernidła Zakrocim. Dapiferorum. Joannis de Niwiska Czern. Pauli Pniewski Zakrocim. Thesaurariorum. Gregorij Winiecki Czern. Pincernæ. Stiborij de Mladcz Czern. Mathiæ Swiederski Wisnen. Mathiæ de Swięcice Varsav. Alexij Cybulski Wissogrod. Michaelis de Czernice Ciechanov. Stiborij de Michałowo Nurensis Subjudicum, & aliorum fide dignorum. Illustrissimus D. Princeps cum toto consilio, volens sectam Lutheranorum, & ejus falsum dogma in Ducatu suo ab omnibus subditis suis penitus eradicari, &, ne hoc falso errore & dogmate subditi sui à fide Orthodoxa, & Sancto ritu Romanæ Ecclesiæ seducantur, ex officio suo & auctoritate Ducali, ut verus Christianæ Religionis, & fidei Princeps providere tempestivè cupiens ita decrevit, constituit, & conclusit: ut nullus in toto Ducatu Masoviæ tam in civitatibus, oppidis, quàm eorum in villis, cujuscunq; conditionis & status existat, præsertim in civitate Varsaviensi libros, & falsam doctrinam Lutheri in quocunq; sermone sive Latino, sive Alemannico, aut quovis alio tenere apud se, & in domibus suis habere, legere, ac ipsum falsum dogma Lutheranorum profiteri, sectam portare, tueri, & alijs eandem persvadere præsumat; ita tamen, ut, quicunq; de hac secta legitimè convictus, & probatus fuerit, talis vitâ privari debeat, & bona ejus omnia, quæcunq; habet mobilia & immobilia confiscari, & ad Thesaurum Ducalem recipi debeant. Quod Decretum D. Dux mandavit in omnibus Districtibus & Capitaneatibus publicari, & diligenter per omnes Officiales exequi. Ex metrica Ducali sub Sigillo Terrestri Varsaviensi rescriptum. A.C. 1699

Stanislaus Smiecinski Terrestris
Varsaviensis Notarius.

6to. SIGISMUNDI AUGUSTI REGIS,
Anno 1550.

IN nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam humana omnia vana sunt, & inutilia prorsus, nisi legibus Divinis earumque metu ac observatione in officio retineantur, & religionis imprimis integritate observentur. Proinde Nos Sigismundus Augustus DEI gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, nec non ter-

A. C. 1699 rarum Cracoviensis, Sendomiriensis, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Russiæ totius, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Culmensis, Elbingensis, Pomeraniæ &c. &c. Dominus & hæres Manifestum & confessum esse volumus universis & singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit. Quia cùm ex nostris utriusque status consiliarijs intelleximus varias in Regno nostro passim pullulare hæreses, novaque in Religione dogmata & ritus non solùm adferri huc aliunde, verùm etiam temerarios quosdam subditos nostros palàm profiteri ea, atque instituere. Nos vestigijs Majorum nostrorum insistentes, quorum præcipua cura & studium fuit semper, Sacrosanctam fidem Christianam propagare, & adaugere ac omnem occasionem excitandi inter subditos nostros diffidij, & omnis in Republica perturbationis, quæ dissensionis in Religione indubitatus solet esse comes, amputare, idque primum ad officium Regum & Principum pertinere existimantes nostris hisce literis testatum facimus & pollicemur: Nos pro nostra pietate, & erga rem Christianam, atque Ecclesiasticam studio & amore, unitate imprimis dictæ Ecclesiæ, fideique Christianæ Catholicæ, & Apostolicæ sinceritateq;, quam Sancta Romana confitetur Ecclesia, & quam majores nostri jam inde ab initio suscipientes, ad hæc usq; tempora constantissimè professi sunt, similiter professuros & integre ac inviolatè pro viribus nostris ubique in Regno ac Dominijs nostris conservaturos. Hostes verò ejus non solùm Ethnicos, qui à Christiano nomine ex professo alienos se esse volunt; Sed etiam hæreticos, qui sub specie Christiani nominis, & falsâ Dei usurpatione omnem prorsus Christianam doctrinam tollunt, evertunt, seque alienos esse testantur ab ea fide, atque religione, quam inde ab Apostolis traditam in hæc usque tempora sancta Romana, ac universalis profitetur Ecclesia, propugnaturos, & à Regno nostro propulsaturos, in consilium seu Senatum nostrum Regium eos, qui aliquâ hæresi essent infecti, quod quidem nos sciamus, nunquam admissuros, dignitates nullas, aut præfecturas eis commissuros, imò, si qui ad nos delati fuerint, effecturos D. O. M. auspice ut statuta Regni nostri contra eos extendantur, & summâ diligentiâ exequantur, quo semper inglorij, infames, extorres & exules à patria permaneant, nisi ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ redire, eique se reconciliare studuerint. Ecclesiasticas Personas, earumq; jura, immunitates, ac privilegia privata ac publica defensuros, conservaturos, & quoad fieri poterit, propugnaturos. Officialibus autem nostris, ac Præfectis quibuslibet, ne remissi aut negligentes essent in eis exequendis, ac manutenendis cum gravi & severa indignationis nostræ comminatione mandaturos. Alioquin, si qui ad nos delati fuerint, qui tum suo officio, tum vero mandatis nostris satisfacere nollent, nos id impune non feremus. Quæ quidem subimpressa omnia Reverendissimo in Christo Patri Domino Nicolao Archi-Episcopo Gnesnensi Legato nato, & Regni Primate, & alijs Co-Episcopis suis, cæterisq; Consiliarijs nostris pro officio suo ea de re admonentibus, facturos esse verbo nostro Regio polliciti sumus, & firmiter sub Sacramento fidei nostræ Regiæ Subditis nostris per nos in inauguratione nostra præstito observare volumus. In cujus rei fidē, & evidentius testimonium Sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Cracoviæ Feria VI post Festum Conceptionis B. V, Mariæ Anno Domini 1550. præsentibus Reverendissimo & Reverendis Patribus & D. D. Nicolao Dzierzgowski Archi-Episcopo Gnesnensi Legato nato, & Regni nostri Primate, Andrea Zabrzydowski Cujaviensi, Andrea Nosykowski

wski Plocensi, Joanne Dziaduski Præmisliensi Joanne Drojowski Chelmensi, Stanislao Hosio Culmensi, Leone Slonczewski Camenecensi Episcopis: nec non Magnificis & Generosis Joanne comite in Tarnow Castellano Cracoviensi, & Exercituum Regni nostri Duce Supremo, ac Sendomiriēsi Striensi Lubaczoviensiq; Capitaneo, Petro Kmita Comite de Wisznic Palatino Cracoviensi Regni nostri Supremo Mareschalco, & Præmisliensi, Szczepusiensi, Colensiq; Capitaneo: Martino Zborow, Calissiensi, & Odolanov. Stobnic, Szydłov. Capitaneo, Spitkone de Tarnow Siradiensi, & Brzeznicensi, Krzepicensi, Krcesżoviensi Capitaneo &c.

7mo. EJUSDEM REGIS Anno 1555

MAgnifico Janusio de Koscielce Palatino Siradiensi, & majoris Poloniæ Generali, Naclensique Capitaneo, sincerè nobis dilecto, in absentia ejus vice Capitaneis, sive locum tenentibus gratiam nostram Regiam. Magnifice sincerè nobis dilecte. Non dubium Sinceritati tuæ arbitramur in proximè præterita convocatione eā esse de Nostro, Consiliariorumq; Regni nostri consilio inter alia constitutam ordinationem, quâ quælibet innovationes, in Religione Sancta Orthodoxa, & Schismata, conventiculaq; privata in civitatibus & oppidis nostris, per quascunque personas cujuscunq; status, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existentes publicè, vel occultè peragi, & celebrari omnino prohibitæ sunt, cui quidem ordinationi satisfacere cupientes; Mandamus Sinceritati tuæ, ut, si quis ejusmodi rerum novarum studiosus, innovationesque, & Schismata, & conventualia privata in ipsis civitatibus & oppidis nostris, domibusque tam civium, quàm quorumcunq; Nobilium publicè, vel occultè peragere compererit, vel, qui ex parte Reverendissimi D. Episcopi Posnaniensis, aut ejus Officialis Sinceritati tuæ delati fuerint, eos ipsos pro debito sui officij ex civitatibus & oppidis eliminare, & pellere debeat, ususque & inhabitationes ejusmodi civitatum nostrarum ipsis interdicat; vel, si rebelles fuerint, pro magnitudine excessus puniat & castiget; secus pro gratia nostra ne fecerit. Varsaviæ 27ma Junii Anno Domini 1555to, Regni nostri vigesimo sexto.

8vo EJUSDEM Anno EODEM

SIgnificamus universis & singulis, ad quos hæ literæ nostræ pervenerint, quòd, cùm non modò sermonibus certorum hominū, sed etiā fide dignis testimonijs, & commissariorum nostrorum ad hoc deputatorum relatione compertum habeamus, quendam Valentinum in civitate nostra Elbing. pro Concionibus publicis perverse, & contra mores, & instituta Ecclesiæ Catholicæ multa docuisse, atque etiam in diminutionem Majestatis nostræ Regiæ nonnulla perlocutum esse, proscripsimus eum & præsentium vigore proscribimus de toto Regno ac Ditionibus nostris, uti publicæ pacis, atque Religionis Orthodoxæ turbatorē. Proinde Pro-Consulibus, totique communitati civitatis ac Territorij Elbing. nominatim, cæteris verò cujuscunq; ordinis, dignitatis & conditionis subditis nostris tam privatis quàm publicis, honores & Magistratus ubilibet gerentibus generaliter harum literarum nostrarum vigore districtè mandam⁹ & præcipimus, ut præsentem proscriptionem nostram publicent, ipsumque Valentinum ex Ditionibus nostris exigant, neque eum quisque omninò foveat, receptet, sustentet, neque per se, neque per suos, sub pœnis contra receptatores proscriptorum à nobis, aliter non facturi. Datum Vilnæ XII. die Decembris. Anno Domini 1555to Regni nostri 26to.

9no

A. C. 1699

quo. EIUSDEM ANNO 1544.

UNiversis Palatinis, Castellanis, Capitaneis Pro-Consulibus, Consulibus, Judicibus, Assessoribus, & omnibus in commune officialibus tam in castris, quàm civitatibus & villis, ubicunque in Regno & Dominijs Nostris, sincerè & fideliter dilectis gratiam nostram Regiam. Sincerè & fideliter nobis Dilecti. Ex multis extraneis tam veteribus, quàm recentibus historijs, ac denique etiam propria nostra experientia ad oculum videmus, quòd quævis fides, seu, ut vocant, Religio, ubi ea ab omnibus unanimiter tenetur, firmat & conservat regna in suo vigore; Econtra ubi præter hanc unicuiq; novam fidem introducere, aut eam arripere liberum fuit, hæc certè res, si quæ unquam magis potentissima regna in nihilum redigit. Quod si quævis, ac deniq; etiam Ethnica efficere valet; longè magis nostra Christiana, quæ, quemadmodum sola vera est Religio, ita etiam, ubi uniformiter tenetur, & concorditer ejus in unitate Ecclesiæ Catholicæ fit confessio, manifestam benedictionem DEI, post se trahit, ubi verò secùs, apertam maledictionem. Id, quod tam ex nostra, quàm prædecessorum nostrorum memoria palàm demonstrari potest. Quamdiu enim tempore prædecessorum nostrorum concors circa fidem consensus in populo fuit, tamdiu etiam legum, officiorum, pudoris naturalis magnus inter mortales respectus habebatur. Ac per consequens res tam universim, quàm speciatim omnes manifestà planè à Deo felicitate, & insigni glorià apud vicinas gentes inclarescebant, adeo, ut tota hæc tamq; ampla sphæra, omnisq; hic relucens splendor Regnorum nostrorum, qui tum temporis DEI gratiâ ad nostras manus devolutus est (ingenuè fateri possumus) solâ Christianâ, unanimi fide ab Antecessoribus nostris adepta, sexcentis annis ad hæc usq; tempora viguerit. Postquam verò his aliquot annis timoris DEI & nostri cum illo consortij obliti varijs Religionibus sumus præmixti, animadvertet, qui penitiùs volet inspicere, quantum & jura labefactata, & jurisdictioni sua detracta authoritas, & naturalis verecundia obedientiaq; extincta, ac proinde & nos, & Respub: in tanto turbido, & confusione extitit, ut interdum nec salubre consilium dare possimus, ac sæpè numero, quod benè consultum fuerat, ad optatum effectum difficulter deduci possit. Quod absq; omni dubio, justâ DEI irâ & pœnâ nobis accidit. Etenim, quia hactenus passi sumus homines læves, atque palàm contra DEI Majestatem & Ecclesiam Christianam Catholicam blasphemias effutientes, qui nescitur, unde exorti, tantùm abest, ut opera DEI, & Mysteria, & Sacraria nostræ fidei pro suo libitu æstiment: quin ipsi etiam Filio DEI apertè audeant derogare, & quod ab humano & Angelico intellectu tectum, hoc suis sensibus scrutari non verentur. Ea propter fortè D. Deus, in his ordinarijs, quæ ad Remp. pertinent, negotijs, nostras intentiones confudit, ut raròadmodum quidquam ad efficacem & Reip: commodum finem deducere possimus. Quæ cùm ita sint, de communi consensu omnium nostrorum Senatorum, qui hîc nobiscum in his Generalibus Tarcoviensibus Comitiis præsentes adfuerunt, Decreto nostro Comitiali hoc adinvenimus, & plurimum in modum mandamus, ut omnes Extranei, qui propter Religionem ex alijs Regnis vel Dominiis huc ad nos profugerunt, &, qui ab universali Christiana fide separati novam qualemcunq; doctrinam circa fidem, quà privatim, quà publicè in suis cætibus, & quà verbo, quà scriptis tradunt. Hi omnes ad summum post festum S. Michaëlis tertio die ex omnibus

nostris

nostris Dominiis excedant. Quos nos jam vigore hujus decreti nostri ex nostris terris proscribimus, & proscriptos esse volumus, denuntiantes id unicuique illorum, quòd, ubicunque quispiam illorum visus abhinc aut inventus fuerit, is ubique ab officio nostro Capitaneali capi, & judicari, æque ac alius malefactor puniri debet. Et insuper, si quid simile ei à quocunque alio, & non nostro officio contigerit, nullum alium præter semetipsum culpare debet. Nullo etenim modo id amplius pati possumus, ne ob scelus horum profugorum, & levium hominum D. DEUS nos omnes, & Regnum nostrum, cujus nos custodem constituit, porrò puniat. In quod casu quo nostri Capitanei non animadvertant juxta hoc Decretum nostrum, parcendo cuipiam, aut prorsus suo officio non satisfaciendo, tum nos contra ejusmodi, velut contra eos Officiales, qui juxta officium suum Constitutiones Comitiorum exequi nolunt, procedemus, eosque puniemus. Ac præterea etiam nostris subditis præsertim alterius status hominibus mandamus, ne se novis, & extraneis ullis doctrinis in aliud Evangelium præter hoc, quod ab initio in Regnum hoc illatum, nobisque de manu in manum traditum est, abduci permittant; sed quemadmodum subjectionem nostram verbo & aliis signis apud Rempublicam agnoscunt, pari ratione Religionem & fidem nostram, quam ab antecessoribus acceptam constanter tenemus, imitentur. Præsertim caveant, ne proprietate hujus novæ & venenatæ Sectæ infici se sinant, quæ Secta arroganter de se sentiens temerariè os suum in cœlum levavit, & de æterna incomprehensibili DEitate hoc in vulgus spargere non erubescit, quod & arrogantiam magnam includit, & hæresim. Qua in re, si hoc mandato nostro cohiberi noluerint, nos longè severiora mandata ad Officiales nostros dari præcipiemus, ut unumquemque talem refrænent, nihilque ejusmodi præsumere permittant, quod contra nostram & universæ Ecclesiæ Christianæ consuetudinem sit, & aliquam publicam perturbationem causare possit. Et, ne postmodum ullus horum ignorantiam prætendat; Mandamus omnibus supra nominatis, ut hoc Decretum nostrum ubique publicare, & à Præconibus juxta morem clamosâ voce intimari jubeant sub gratia nostra. Datum in Generali Regni Conventione Parcoviensi die 7. Augusti. An. 1564. Regni nostri XXXV. *A.C.1699*

ANNO VERO DOMINI 1572.

POst fata Sigismundi Augusti sub interregno in Convocatione & Electione Henrici Valesij quidam dissidentes in fide conscripserunt quædam puncta in ordine ad pacem internam titulo confœderationis inter quæ inseruerunt nonnulla de dissidiis in Religione permittendis, nec judicandis, ac de pace dissidentibus cavenda. Sed obstiterunt his non tantùm Spirituales, sed & Sæculares Senatorij & Equestris ordinis tum subscribendo illam confœderationem, plerique addebant excepto articulo de Religione, tum etiam protestationes solennes coram actis contra eandem confœderationem faciendo. Uti in castro Sochaczoviensi feriâ tertiâ post Dominicam Quinquagesimæ 1573 eam fecerunt Reverendissimi DD. Jacobus Vchański Archi-Episcopus Gnesnensis, Adamus Konarski Posnaniensis, Petrus Myszkowski Plocensis, Albertus Starozrcebski Chelmensis Episcopi, prout in forma ampla, & solidis rationibus contexta hæc protestatio extat in prædictis actis & est talis.

NOS Consiliarij Spirituales & Sæculares nostro, & Nuntiorum terrestrium pro Conventione Varsaviensi missorum nomine, qui nomina sua non dederunt in confœderatione de dissidio Religionis in

 eadem

A.C.1699 eadem convocatione à quibusdam Consiliariis & Nuntiis facta. Significamus, & nos manifestamus coram omnibus, & singulis, cujuscunq; statûs vel dignitatis in actis castri hujus. Quòd cùm Varsaviam convenissemus, ut tantùm de tempore & loco Electionis futuri Regis consuleremus, aliqui ex Consiliariis, & Nuntiis terrestribus certam inter se fecerunt confœderationem, in qua, quanquam inveniantur aliqua pro conservatione pacis communis necessaria, sunt tamen incerta alia non tantùm protunc, sed in futuras ætates valde nociva, præsertim cùm prohibitus recursus in rebus ad Religionem spectantibus, ad omnes Superiores, quæ res viam & fores aperit ad diversas sectas, & omnem disordinem, cùm possent facilè eradicari omnes sectæ, non tantùm hæ, sed & illæ turpissimæ, uti sunt Adamitarum, Turcarum, & aliæ his similes, quæ etiam ad paganismum ducunt. Quod nos præcavendo, quamvis in omnia, quæcunq; in hac confœderatione sunt conclusa, libenter consentimus, quæ ad pacem & concordiam universalem pertinent, tanquam hi, qui patriam nostram amantes, nihil magis votivum, quàm communem concordiam præ nobis ferimus, & in eo solenniter nos manifestamus, quòd in nulla morticina, in nullam effusionem sangvinis Christiani & præcipuè gentis nostræ Polonæ, fratrumq; nostrorum charissimorum consentiamus, sed quinimò, quicunq; id aggrederetur, vel aliquam ansam ad id præberet, contra eum insurgere volumus, & promittimus. Sed etiam confœderationem talem laudare non possumus, quæ superioritates & officia omnia aggreditur, quæ ad blasphemias nominis Divini, & ad insolentias omnibus viam aperit, & per id leges, immunitates, & Nobilitaris statûs libertatem ad exitium ducit; & sic ex istis & aliis rationibus accedente etiam metu, ut in futura tempora similis confœderatio inter subditos nostros sub prætextu Religionis & libertatis Christianæ, ad similes insolentias & libertates occasionem præbeat, ut fuit proximis temporibus inter Rusticos Monsterienses, & in aliis locis in Helvetia contra Dominos suos. Nos proinde hunc Articulum de dissidio Religionis, qui in hac confœderatione continetur, & multas res nocivas, & periculosas in se continet, respiciendo anteriores confœderationes, & juramenta nostrorum prædecessorum, quæ sunt contraria isti confœderationi, considerando conscientias & debitum nostrum, quod gloriæ DEi, superioribus nostris, Ecclesiæ Christi, & Fratribus nostris statûs nobilis debemus, nullo modo permittere eum articulum bonâ conscientiâ nostrâ volumus, nec possumus; sicuti non concedimus, & in actis præsentibus publicè nos manifestamus, & volumus, ut hæc protestatio, in ea, quâ facimus forma, in acta inseratur. Cùm etiam terrestres Nuntii pro hac convocatione à Palatinatibus missi denuntiârint, quòd hoc commissum à nobilitate non habuerunt, imò expressa mandata habuerunt à fratribus suis, ut in hac convocatione nihil novi attentent, nihilq; tractent, nisi de tempore & loco Electionis futuri regnantis, sicut publicè in consilio se declarârunt, quòd hanc confœderationem nullo modo nec possunt, nec volunt approbare.

Sed majori adhuc cum energia Palatinatus Plocensis in suo Conventu Raczązensi contra eandem confœderationem fecit protestationem, & ad acta Castri Plocensis ingrossari curavit feriâ 5tâ ante festum Nativitatis B. M. Virginis anno eodem, cujus tenor sequitur talis:

NOS Senatores, Spirituales, & Sæculares, Dignitarii, Officiales, & universus ordo Equester Palatinatûs Plocensis, omnibus, & singulis,

quo-

quorum intereſt, ſignificamꝰ. Quamvis nihil præclarius,nihil Reip: utilius *A.C.* 1699
eſſe judicamus pace internâ, & unanimi omnium Statuum amore & concordiâ, & quicunq; illam ſeu diſturbare, ſeu convellere vellet, contra talem inſurgere etiam cum jactura ſubſtantiarum noſtrarum, & vitæ parati ſumus. Attamen uti pacem diligimus, & diligenter cuſtodimus, ita etiam conſpirationes ſingulares perſonarum, vel Statuum aliquorũ, qui ſub nomine pacis & concordiæ gloriam DEi peſſundant, & libertates noſtras communes, ad nihilum redigunt, & ad turbines, majoresq; diſſenſiones januam pandunt, laudare, & adjuvare nec poſſumus, nec volumus unquam. Idcirco cùm ab aliquibus perſonis tam in convocatione, quàm in Electione novi Regis ſub Varſavia quædam confœderatio in cauſa Religionis conſcripta, & ad ſubſcriptiones ac ſigilla aliorum eſſet porrecta, quod eam in convocatione Nuntii noſtri; in electione verò fratres, qui eò convenerant ſubſcribere noluerunt, magnis in laudibus, gratitudine excepimus; nam & illi non habuerunt tale à nobis comiſſum, nec iſti quidquam nomine noſtro ſtatuere potuerunt, præter electionem, in qua ſola jus repræſentativum habuerunt. Nominatim verò Reverendiſſimo Domino Petro Myſzkowski Epiſcopo noſtro æterna ſit à nobis, & poſteris noſtris laus & gratiarum actio, quòd ipſe muneri ſuo, uti bonum paſtorem decebat, firmiter inhærens, in tam nocivas conſcriptiones ſeu confœderationes, quæ gregem ipſi comiſſum virulento veneno inficere poſſent, conſentire renuit, quin imò propter veram DEi Eccleſiam inimicitias & pericula quævis incurrere paratus erat, uti nobis fratres noſtri ibi tunc præſentes præclarum ejusmodi dederunt teſtimonium. Quapropter Paſtoris noſtri & chariſſimorum fratrum conſtantiam imitantes omnes & univerſi nunc manifeſtamus: quòd in hanc confœderationem nequaquã conſentimus, nec eam acceptare, aut apud futurum Regem promovere volumus ex juſtis & ponderoſis rationibus. Nam etſi hæc confœderatio velit præſeferre, quaſi pacem & concordiam in Polonia confirmare intendat; ſed qui eam penitiùs introſpiciet, facilè animadvertet, quòd ſub hac decora ſpecie crudele proponat toxicum, quo (ſi DEi bonitas id non averterit) Regnum Poloniæ infallibiliter trucidabit. Siquidem offendit DEum, offendit proximum, offendit & conſcientias noſtras, quin imò Regnum ipſum in magnum ac fœdum opprobrium, leges, privilegia, ac libertates noſtras in evidens adducit periculum; DEum Optimum Maximum offendit in hoc, quòd non tantùm falſæ Religioni, ſed & blasphemiæ, ac tandem & paganiſmo, & omni nefariæ ſuperſtitioni iter in Poloniam monſtrat. Si enim cuivis licitum erit credere, prout vult, hoc autem certè licebit, dum nulla in Hæreticos erit pœna: dicet unus, quòd Chriſtus non ſit verus DEus; alius aſſeret, quòd Mahomet eſt verus DEus; Tertius non verebitur affirmare, quòd nullus ſit DEus; horum verò neminem ulla Juriſdictio ſive Spiritualis ſive Sæcularis punire poterit, quia eum confœderatio proteget. Et ſic in Polonia blasphemia, ſic Alcoranum Turcicum, ac denique ipſe paganiſmus refloreſceret. Si etiam quiſpiam ex ſchola Adamitarum, apud quos nemo quidquam habet proprium, prorumperet, & alienam ciſtam, ancillam, vel uxorem attrectare vellet; relinquatis ipſum: quare? ita credit omnia communia. Per quod Polonia inclytum illud, & glorioſum apud exteras Nationes Regnum fieret ſpelunca latronum; uti jam prô dolor! ingentem horum latronum, & latrociniorum videmus copiam. Nam quos ipſimet Hæretici aliunde expellunt, hi ad noſtram Poloniam, uti ad propriam domum currunt; hi apud nos Apoſtoli, hi conſcientiarum moderatores, hi movent turbines, hi miſcent omnia, hi ſangvine caræ noſtræ Patriæ (ô tempora! ô mores!) paſci volunt. Si

A.C.1699 verò hæc cōfœderatio effectū sortiretur, eò major taliū augeretur numer⁹.

Offensio verò proximi per hanc confœderationem est in eo, quòd cùm Resp. sic statuisset, ut omnis Jurisdictio in Spiritualibus penes Sacerdotium remaneret, de quo publica privilegia nostra testantur, præcipuè Jagellonis in Jedlna, quæ dignitatum Regni tam Sæcularium, quàm Spiritualium non tantùm Jura, sed & consvetudines confirmant, & approbant. Quomodo igitur sine magna injuria statûs Spiritualis potest ipsi auferri judicium falsæ Religionis aut Doctrinæ, quod ab eo ipso tempore, quo in Polonia fides Christiana cœpit, totaliter, & inviolabiliter usque ad hæc tempora tenuerunt, & possederunt. Et hæc est prima injuria. Altera, dum in una villa aliquot erunt Domini: ac unus ex eis secutus hanc Saxonicam Religionem, Ecclesiam Catholicam profanabit. Quid in hoc passu alii Dñi facient? Jure agere non licet, quia confœderatio id permisit. Igitur vel vim vi repellere per aggressiones, per duella, vel hanc injuriam pati debebunt. Præterea ad unam Parochiam multæ Nobilium villæ sæpe pertinent, si verò Hæreticus Ecclesiæ collator, talem, cujus ipse est, Religionem & Sacerdotem illuc inducet, quid facient alii Parochiani, si eum citabunt ad Jus, nihil lucrabuntur ob hanc confœderationem, si id negligent, aliud templum quærere debebunt. At si & secundum, tertium, & quartum ejusmodi collatores corrumpent, quomodo illi boni homines & constantes Catholici sine templo permanebunt absque evidenti periculo vel perversionis, vel in paganismum reversionis? itaq; per hanc confœderationem, qui erit bonus, qui pacificus, hic injuriam patietur, qui verò turbulentus, inquietus, huic nec jus, nec ulla potestas aliquam inferet molestiam; & quare? quia confœderatio ita dicit, quòd hoc sit fundamētum pacis, & internæ concordiæ, ut qui injuriam est passus, taceat; qui eam intulit, in pace maneat. Sed fallax hæc est spes pacis; lædens in vitro scribit, in marmore læsus. Advertent id quidem homines, &, si hoc jugū per media justa excutere non poterunt, ad vim & violentias recurrent, & sic exardescet civile bellum, quod hac ratione evitare satagebamus.

Offendit etiam conscientias, quia unusquisq; nostrûm ideo suam Religionem firmiter & constanter colit, quòd eam existimet esse meliorem, & veriorem aliis quas uti falsas abominatur. Cùm igitur vel nostra Apostolica antiqua Religio est vera, vel hæc in Germania noviter nata, quomodo per DEum vivum vel nos ipsis eorum Religionem, vel ipsi nobis nostram permittere poterunt absque læsione conscientiæ. Penes honestam conjugem, quomodo quis bonâ conscientiâ meretricem tolerare poterit? hæc verò confœderatio pro uno id reputat, & æqualiter utrumq; æstimat. Si autem hoc modo conscientia quietari possit, quivis Judex esto. Ergone tunc vobis speranda optima pax dum gloriam Dei destruemus, proximo nostro injuriam faciemus, & conscientiam nostram cauteriatam reddemus? complaceat sibi qui vult, in hoc invento, aduletur sibi, ut cuivis libet, non evincet id, ut falsitatem cum veritate, lucem cum tenebris combinet, & Christum cum Belial in eodem altari statuat, ut ab hinc pacificè secum habitent. Impossibile est, ut DEus tam impium opus gratiâ suâ benedicat. Pax est donum DEi; qui verò unitatem fidei rumpit, hic nihil habet cum Deo: quinimo sit talis certus, quòd Deus primum nos ipsos ad invicem cōmittet, deinde nos hosti fidei Christianæ tradet, uti Bohemis & Hungaris vicinis nostris ob eandem fecit causam. Quomodo ergo nos homines pacifici, homines supra bonum Reipub: nihil apud nos antiquius habentes poterimus consentire in id, quod Regno nostro certam & æternam allaturum est perniciem. Præterea quid unquam poterit esse inconvenientius in Repub: nostra, quàm id, dum apud nos ille, qui bovem,

vaccam,

vaccam, porcum, capram furabitur, pœnam condignam luet, qui verò tẽplum Dei expilabit, altaria invertet, Sacerdotes expellet, Sanctos Dei, im̃aculatã & nunquã condignè laudandã Virginẽ Deiparã profanabit, gloriam Dei annihilabit, nomen Domini Sabaoth ipsis malignis Spiritibus tremendum blaspemabit, & vilipendet; talis inquã pacẽ habebit, talẽ si quis punire vellet, jam eo ipso pacẽ internã turbaret, charitatẽ & concordiã scinderet, ideoq; contra ipsum tanquam contra hostem Regni omnes consurgere deberent. O clementiam nostram! aliæ nationes in pietate & justitia fundamenta pacis, & concordiæ ponebant: Nos verò miseri Poloni in impietate & injustitia putamus nos à ventura ira DEi posse abscondi. Sed miram rem! quomodo peccatum mox sequitur pœna DEi, quod in hac confœderatione facilè adverti potest. Quæ, dum falsæ Religioni securitatem providet, caram nostram libertatem periculo exponit. Constat id omnibus, quòd Reges & omnes Dominos nihil aliud in officio continet, nisi jusjurandum: quia ratione illius leges & libertates subditorũ semper respicere debent, scientes, quòd DEus perjuros severè puniat. At verò confœderatio quid aliud agit? quàm ad tollendum & infirmandum istud juramenti robur, latam aperit viam. Quia, si cuilibet licebit, Religionem, quamcunq; voluerit, assumere, cur & ipsi Regi idem non liceret? Si verò Rex dicet, ita se credere, quòd juramentum præter Dei præceptum factum non tenet. Quod hi asserti Evangelici ipsi prohibere non possunt, quia apud illos recta, & indubitata propositio est: Nihil esse recipiendum præter scripturas. Ostendant igitur vel in S. Scriptura, ubinam aliquis Rex juraverit, super libertates subditorum, vel quòd Deus præceperit sub juramento eas spondere. Ostendant, quisnam Prophetarum scripsit? Nihil novi statuemus nisi cum consensu Consiliariorum & Nuntiorum. Dicant in quo Psalmo Rex David supra hastam extra finem Regni nobilitati quinq; marcas pollicetur; & sic de cæteris libertatibus, & ita Rex Evangelicus assertus ex his rationibus juramentum suum levipendere, ac infringere totaliter poterit. Quia, si alia vota, uti castitatis & libertatis nihili sibi ducunt, quam ob rationem juramentum suum deberet habere valorem; cùm sit idem votum, quo Princeps vovet DEo teste: Se jura & libertates suorum subditorum plenè conservaturum. Violato igitur juramento jura, privilegia, & statuta nostra abjiciet, & juxta Biblia judicabit, prout non ita pridem quidam Capitaneus istius Sectæ facere non dubitavit. Si igitur Rex illa præjudicia attentaret, quid esset faciendum: Ad vim recurrere non licet: Confœderatio enim obstat, juxta quam relinquendus esset in pace & arbitrio suo; Ita enim credit; Et sic in Polonia turbines, alij ad hanc, cæteri ad aliam partem accedent; ergo vel ad manus deveniendum, vel libertatibus æternùm valedicendum. His igitur ex rationibus ut cuivis patet, justis, in hanc confœderationnem non consentimus, imò bonâ conscientiâ consentire non possumus, sed antiquam fidem, quam ab Ecclesia Romana accepimus, firmiter & constanter tenendo, & gloriosos Parentes nostros imitando, qui turbulentis illis temporibus Bohemicæ Hæresis non permittebant falsam Religionem, sed potiùs eam prohibendo & impediendo pacem & concordiam in hoc Regno conservârunt, penes antiquas confœderationes stamus, & Successores nostri stabunt &c. Quam nostram protestationem ex Senatorio ordine Dñus Albertus Krasinski Castellanus Scepsensis sigillabit. Ex Equestri verò demandavimus eam sigillari Terrestri Sigillo, & deputavimus è medio nostri Generosos Jacobum Łysakowski Dapiferum Nurensem Capitaneum Raciązensem, Nicolaum Kosobucki Notarium Ter-

A.C.1699

A.C.1699 restrem Plocensem, quatenus hanc protestationem nostram in actis Castrensibus Plocensibus ingrossari facerent. Acta sunt hæc Raciądzij in Conventu Generali Palatinatûs Plocensis die 1. Septembr. Año 1573.

Verùm præter in instanti, sive stante pede interpositas protestationes nihil unquam à Catholicis tam Spiritualibus quàm Sæcularibus omissum fuit, quominus hic Articulus confœderationis diversis modis ubiq; locorum impugnaretur. Nam & Parisijs, cùm Legati ordinum Regni Poloniæ & magni Ducatûs Litvaniæ, electo Regi Henrico Regnum deferrent, Reverendissimus Dominus Adamus Konarski Episcopus Posnaniensis Princeps illius legationis, & cum illo alii insignes viri ejusdem legationis comites, atque socij, circa exhibitionem Articulorum Henrico Regi anno 1573. die 29. Mensis Augusti factam, contra confœderationem prædictam solenniter protestati fuerunt. De quo ipsemet Rex Henricus Regium suum perhibet testimonium tenore sequenti.

HEnricus Dei gratiâ elect⁹ Rex Poloniæ Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhiniæ, Podlachiæ, Livoniæque &c. nec non Andium, Borboniorum & Alvernorũ, Comes Marchiæ, Foresti, Quecis & Monfortis. Significamus harum serie literarum universis & singulis, quorum interest, intererit aut interesse in futurum quomodolibet poterit. Quòd anno & die datæ præsentium, quum Sacrificio Missæ de Spiritu Sancto in Ecclesia Cathedrali Parisiorum audito, ad majus Altare ejusdem Ecclesiæ accessissemus, ad præstandum juramentum nobis ab Oratoribus Regni Poloniæ, & M. D. Litvaniæ per Magnificum Joannem Herborth des Fulstyn Castellanum Sanocensem Collegã eorum oblatum, & in loco præstandi juramenti jam essemus, Reverendissimus in Christo Pater Adamus Konarski de Kobzlino, Episcopus Posnaniensis, ejusdẽ Regni Poloniæ primus Orator, coram nobis & omnibus astantibus, nomine suo, ac totius Statûs & ordinis Spiritualibus, omnium Catholicorum Senatorum & Nobilium in Regno Poloniæ, & Dominiis ad illud pertinentibus, ubicunq; consistentium, ac hujusmodi suæ protestationi adhærentium, atque adhærere volentium, inhærendo ante factis protestationibus protestatus est. Quia hujusmodi juramento, eò, quòd sit absque omnium Statuum ac ordinum Regni cõmuni consensu conscriptum, nullo modo consentit, ac ejusdem protestationis suæ schedulam sigillo suo munitam nobis attulit & exhibuit. Adhærentib⁹ eidem suæ protestationi Magnifico Alberto Laski Palatino Siradiensi, & Nicolao Christophoro Radziwil Duce in Olyka, & Nieswięz Curiæ M. D. L. Oratoribus. Cujus quidem protestationis tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

SErenissime Rex. Quoniam Mtas Vestra est nuper in nostrum Regem electa, minus fortasse accepit Regni Poloniæ consvetudines præcipue juramenti à novis Regibus suscipiendi, ne quid illa in hoc negotio, aliorum culpâ nesciens peccet, veniâ, prius, quâ decet submissione à Majestate Vestra impetratâ, pro ea, quam gero, & Episcopi Catholici & Legati Polonici persona, illam moneo; Reges Poloniæ jurare solitos ex quadam veteri formula, quam è statuto Regni sumptam quidam, qui à Catholica fide desciverunt, additis insertisq; permultis, quæ nulli antea Poloniæ Reges jurare soliti sunt, innovârunt, quamque ita innovatam non omnes Regni Poloniæ Status approbârunt; maximè verò Ecclesiasticus ordo, & plerique tum Senatores, tum ex Equestri ordine, qui & in Polonia protestati sunt, & obstiterunt; hujusmodi innovationi, quemadmodũ ego quoque hisce diebus tradito illius protestationis exemplo coram Majestate Vestra sum protestatus, cùm de secundo Articulo ipsi exhibito ageretur.

Ea ta-

Ea tamen innovata formula nunc Majeſtati V. adfertur, ut ex illis verbis Sacramento adigatur, Quod ne Majeſtati V. Regnoq; Poloniæ, inprimis verò Eccleſiæ & ſtatui Eccleſiaſtico obeſſe poſſit aliquando, néve quod præter Senatus totius Polonici ſententiam, contra Deum, Eccl. Jura, & veteres Regni Poloniæ conſtitutiones attentatur, aliquam habere vim, aut firmitatem poſſit; etiam atq; etiam Mtem V. moneo, atq; oro, ne alia ex formula juret, quàm quæ alijs Regibus eſt oblata; quæq; ei circa coronationem afferetur. Si verò alia fuerit ejus animi ſententia, rurſus oro, ne moleſtè ferat cum ego me, univerſumque ordinem Eccl. ac quoſcunque Eccleſiaſticos Reipub. curam gerentes, qui mecum idem ſentiunt, ijs rebus oppoſuero, quas contra DEum, & fidem Catholicam aliter geri videro, quàm in Republica noſtra conſueverit. Itaque jam nunc omni meliori modo, & formâ proteſtor, meo & Eccleſiaſtici ordinis, ac omnium Catholicorum mihi adhærentium hic, & in Polonia, nomine, nulli nos alteri juramento aſſenſuros, quàm ex veteri formula ſuſcepto, neq; ratum aut ſanctum habituros, quod aliter à Maj. V. fuerit juratũ, quin juramentum ejuſmodi nullius authoritatis, & irritum fore: Neq; Mtem V. ſalvis Regni Poloniæ juribus illud poſſe, aut debere ſuſcipere, ac propterea illo neque teneri, neq; ullâ ratione affici. Quamobrem ab omnibus Notariis, aut Secretariis Regiis, aut quibuſvis hic præſentibus peto, & flagito, ut horum omnium mihi inſtrumentum publicum exarent, & in forma probante authenticè ſcriptum tradant, præſentibus teſtibus. Quam quidem proteſtationem Nos Henricus DEI gratiâ Rex Poloniæ electus, ſuſcepimus, & admiſimus, profitemurq; ad perpetuam rei memoriam: Nos per hujuſmodi juramentum à nobis præſtitum etiamſi quocunq; colore, vel ingenio interpretatum fuerit, nihil cuiquam, præſertim verò ſtatui & ordini Eccleſiaſtico, ejuſq; juribus & jurisdictionibus tam Spiritualibus, quàm Sæcularibus, quæ omnia firma & immobilia perpetuò eſſe volumus, derogare velle, vel unquam derogaturos, verbo Regio pollicemur, & jurejurando nos obligamus. In cujus rei fidem, & teſtimonium præſentes literas decernimus, ſigilloque noſtro, quo ad præſens utimur, communiri juſſimus, & manu propriâ ſubſcribimus. Præſentibus Reverendo, Magnificis, Generoſis, & Nobilibus Petro de Gondi Epiſcopo Pariſienſi, Joanne Zamoyſki Beſzenſi, & Zamechenſi, Nicolao Firley de Dąbrowica Caſimirienſi Capitaneis, Paulo de Evix, & Henrico de Nevers Conſiliariis Regis Sereniſſimi in ſuo ſecretiori & privato conſilio. Actum & datum Pariſijs die Jovis 10mâ Menſis Septemb. Anno ab Incarnatione Domini.1573. *A.C.1699*

Quamvis autem deinceps diſſidentes ſub tempus cujuslibet Interregni curàrunt punctum de pace quoad Religionem ſervanda inſeri in omnibus actis, ſeu ſtatutis convocationum & electionum, ſemper tamen contra illud proteſtabantur Catholici ſubſcribendo illa acta; alii enim expreſsè adjiciebant, excepto Articulo de diſſidentibus; Alij etiam ſæculares ſalvis juribus Romanæ Eccleſiæ, ita ut hucuſq; non potuerint obtinere diſſidentes Laudũ ſeu conſtitutivum pro hac ſua pace. Lex enim Polono eſſe non poteſt; quæ non ſit de omnium conſenſu.

CXXVII.
SUMMO PONTIFICI,
ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. & SAMB. 7. Ap.

Post reverendiſſima pedum oſcula. Placuit Beatitudini Veſtræ Varmiæ poſt longiorem orbitatem vix jam ſpiranti benigniſſimè ſuccurrere: ne penitus tandem corrueret. Placuit me indignum extraordinario favore ad illius calamitatem ſublevandam pro-

AC. 1699 promovere, tantò profundius sentientem, quantò minus assequentem impeditæ tamdiu expeditionis rationes. Humillimas proinde, quas referre non possum, habeo gratias Sanctitati V. nomine totius Varmiæ, ad cujus Cathedram profectò me non amplioris fortunæ studium, sed suprema vocant arbitria, nam uberiores reditus ex Plocensibus, & Abbatialibus agris (penes quos singularis Beatitudinis favor me reliquerat) percipere licebat. Pro extraordinaria porrò gratia, quâ me Sanctitas V. dignata est, verba paria non reperio. Minueretur enim tanti mensura beneficij, si brevi calamo posset adæquari. Sed totius vitæ ratio nihil aliud erit, nisi continuus actus gratiarum actionis, quam impendam in perpetuam immunitatum Ecclesiasticarum tutelam, & quotidianam supplicationem pro incolumitate Sanctitatis V. & felicissimo illoque longissimo Sanctissimi Imperij sui progressu. Interim me, Ecclesiamque meam Paternæ benedictioni cum profundissima veneratione & submissione acclino.

CXXVIII.
AMICO CONFIDENTI,
A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB.

16. Aprilis.

Reliqua concernentia tractatum pacis.

ITane defensione eget diligentia mea, præsertim apud te, qui nuper mirè eam approbâsti; possúmne majore studio magisque ex animo inceptam à puero planè tecum prosequi correspondentiam. Nihil est etiam in intimis cogitationibus meis, quæ tibi communicanda nollem. Nullum negotium publicum, quodcunque demum ad manus meas venerit, de quo à me certior non fias. Quidquid habui à Legato nostro in materia pacis cum Turca piè credo, quòd tibi omnia transin serim; quia tamen adhuc aliqua desiderare videris, mitto quidquid inter mea continui diarij scripta reperio in omnem casum, quod ea desint tibi &c.

COPIA LITERARUM
AB EXCELLENTISSIMO D. MOSCHORUM LEGATO 15. Dec.
AD EXCELLENTISSIMUM D. LEGATUM POLONIÆ.

Illustrissime & Excellentissime Plenipotentiarie Legate Domine mi colendissime.

SIgnificandum mihi est cum querela Excellentiæ Vestræ Dominos Legatos, nescio quâ erga suam Czaream Majestatem propensione contra stabilitum fundamentum pacis prætendere à me firmiterq; huic adhærere, nec aliàs nobiscum fœdus inire velle, quàm recuperatis illis arcibus supra Borysthenem sitis Kazikiermen, Tavar, Schingierey, Athlam dictis, quæ magno impendio ab iisdem ereptæ, & hactenus non semel ab invasione Turcicarum & Tartaricarum virium cum copiosa sanguinis effusione defensæ, & eliberatæ sunt, quas mihi nedum cedere, sed ne quidem de cessione cogitare fas est, quemadmodum enim operosè sunt occupatæ, ita ingens ab ijs Christianitatis pendet emolumentum, & possunt denominari Suæ Czareæ Majestatis, nec non Regiæ Majestatis Poloniæ propugnaculum contra Tartaros, qui, quamdiu illas arces Turcæ possidebant, quotiescunq; illis libuit,

buit,

buit, Borysthenem trajiciebant, & improvisis excursionibus illa Do- A.C.1699
minia invadendo ingentes rapinas, & devastationes patrabant, ho-
die verò illis arcibus hoc iter ipsis præclusum, & absolutè abreptum
est. Præterea in proxima conferentia mihi à Turcicis Legatis clarè
dictum, quòd Sua Czarea Majestas per aliquos Confœderatos à
pace secludetur; quo ego audito, & multùm admiratus sum, su-
per quo Excellentiam Vestram requiro, dignetur dijudicare, quòd
etiam unusquisque sanctè animadvertere potest, me nihil ex parte
Turcica prætendere, sed solummodo meo proprio insistere, in quo nec
coram DEO, nec coram universo mundo Dominus meus Sua Cza-
rea Majestas in sua justitia condemnari potest, quâ ejusdem ju-
stitiâ visâ oportet Vestram Excellentiam huic Turcicæ partis præ-
tensioni, qualis à nullo Confœderatorum peti visa est ex debi-
to pacis perpetuæ & confœderatæ obligationis, potissimum ve-
rò ob suæ Regiæ Majestatis; cum Sua Czarea Majestate fir-
miorem nec unquam interrumpendam amicitiam & conjunctionem
contravenire, & huic firmiter, unanimiterque adhærendo nec suos
prævie Tractatus finire, idque Suæ Regiæ Majestati & Reipubli-
cæ intimare. Quandoquidem ex Tractatu perpetuæ pacis & fœ-
deris constitutum est, ut si Turcicus Soltanus, aut Hanus Tartari-
cus pacem postulaverint, ab alterutro magnorum Dominorum no-
strorum tum unum sinè altero nullos Tractatus celebrare pacem-
que cum ijs concludere oporteat, sed fiat id communi consensu &
determinatione. Ego verò pariter Suæ Czareæ Majestati Domi-
no meo sincerè referre obligabor, ad quam meam ablegationem
non citiùs, quàm intra decem septimanas adfuturum mihi man-
datum spero, quod & simpliciter mihi præstolandum est, super quo
à Vestra Excellentia quoque Domino meo posco convenienter reso-
lutionem. Quodsi verò Excellentiæ Vestræ intervenirent ex eadem
parte nonnullæ difficultates, ratione quarum aliquod tempus im-
pendendum foret, tum ego etiam ignarus meæ ab ijs futuræ conten-
tationis sinè communi consensu nullatenus ad finiendam pacem ac-
cedere vellem. His maneo humillimus servus.

COPIA RESPONSORIA AD LEGATUM MOSCHOVITICUM.

Licet atrocissima injuria, quâ hic ab Excellentia Vestra non modò contra jura & leges strictè observatæ in Serenissimum Regē D. meum clementissimum, & Serenissimū Moschoviæ Czarum amicitiæ, sed etiam contra omne fas petitus sum, omne inter nos bonæ correspondentiæ abruperit commercium, meritoq; etiam nunc nondū obductâ tanti vulneris cicatrice evitanda haberē amica cum Excell. V. colloquia, attamen, ut re ipsâ demonstrarem, sanctiorē esse

A.C.1699 apud me observantiam, & Religionem mandatorum Sacræ Regiæ Majestatis Domini mei clementissimi, quàm apud Excell. Vram eorum quibus instructum esse scio, ut scilicet strictissimam mecum in hoc congressu coleret rationem, & confidentiam, amicè respondeo ad literas Excell. Vræ heri ad me datas, præcipuè cùm memoratam gravissimam, in persona mea S. R. M. & Reipub. læsionem in manus Suæ Majestatis & Reipub. remisissem, quæ læso ejusmodi honori suo certò certiùs providebit. Indolere tamen satis non possum, præcipiti illo impetu Excell. Vestram abreptam inconsultò fuisse, qui cùm nihil ad rem certè principalis sui profuisset, locorum enim prioritas indistincta omnium nostrûm, & ipsius Excell. Vestræ consensu acceptata & declarata fuit, plurimum tamen communibus negotiis nostris concorditer promovendis obicem posuit. Multa namq; in principio statim unito corde & labio pro partibus utriusq; nostrûm promovenda, stabilienda & firmanda erant, quæ quàm difficilè erat malè cohærentibus animis constituere, satis nunc etiam forsitan Excell. Vestra intelligit. Sed ut ad præsentem casum & literariam Excell. Vestræ compellationem presse respondeam, compatior doloribus Excell. Vestræ, quòd Turcæ tam pertinaciter, & velut immobiles circa restitutionem fortalitiorum ad Borysthenem sitorum armis Moschoviticis possessorũ persistant, in quo commune nostrûm omnium, ac præcipuè vicinæ Poloniæ negotium versari quis ambigit, sed ex adverso minimè miror fixum in ijs immotumq; sedisse animum, cùm Excell. Vra jã semel cùm illis hoc in puncto concorditer transegerit, scilicet ut hæc difficultas Constantinopoli per extraordinarium Legatũ illuc mittendum definiretur; Quod ipsum & ego pro summo argumento recepi, ut rẽ de tormentis pluribus quàm mille Cameneci relinquendis ad Portam itidem remiserim; quod cùm ita sit, non mirum si semel placitis omnino resistere prætendant, remq; constitutam nulli mutationi obnoxiam esse velint; quod cùm Excell. Vestra secum ipsa perpenderit inveniet non aliunde dein extricabilem hanc difficultatem, quàm à se ipsa ortam esse & promanâsse. Nobis certè omnibus fœderatis commune studium est, & esse debet, ut omnes quàm optimos ex hoc tractatu fructus reportemus, unumq; alteri in eo casu mutuò adesse oportet. Sed scit Excell. Vestra qu id Articulus II. stabilitæ ab Excell. Mediatoribus, à nobis verò communiter acceptatæ ordinationis sonet, quòd semel constituta ampliùs nullo modo mutari debeant, itaq; per suum hunc agendi modum, efficacia succurrendi sibi Excell: Vestra nobis ademit media, cùm, si eorum, quæ ab Excell. Vestra semel statuta sunt, destructionem promoveamus, per idipsum eorum, super quibus cum Turcis pro parte nostra transegerimus, securitatem tollamus. Tempus 10. septimanarum, quod Exc: Vra pro habendo à Ser: Principali suo super hanc controversiã responso posuit, non videtur mihi ullo modo nobis omnibus salutare, imò perniciosum illo tempore opera-

perationes bellicæ activitatem suam reassument, nos verò inter bellum & pacem incerti neq; quidquam provisum adversùs hostem habentes, neq; satis accincti inter consilia pacis elusi, DEus avertat, deprehenderemur. Sed & Turcarum animus respiciendus esset, utrum tamdiu tractatûs protrahendi votum habeant, sed ante omnia maturè perpendendum est, & pensato nostrûm omnium statu benè discutiendum, sitnè ex re Christianitatis propter parvum horum fortalitiorum discrimen, de quorum difficultate jam Excell: Vra convenerat, deinde nullâ taliter obtinendorum spe, à conventione resiliit, tractatum tam necessariæ pacis abrumpere, & rem Christianam post tot gloriosos successus & triumphos tali modo in discrimen dare; quod, cùm maturæ Excell. Vestræ reflexioni & prudentiæ in considerationem insinuo, me ejus favoribus recommendo.

COPIA LITERARUM AB EXCELENTISSIMO D. MOSCHORUM LEGATO AD EXcellentissimum D. Legatum Poloniæ 15. Decemb.

Literas Vra Excell. 16. Decemb. amanter accepi, in quibus præter opinionem meam insperata quaq; comperi; adscribere dignatur, quasi à me sibi factas læsiones, & injurias, sicut & defectu correspondentiæ nonnullas inutiles cum Turcis constitutiones, nec adhuc consentit in expectatione temporis, usquequo Sua Carea Mtis D. mei clem. mandatum consequi possem. Hæc ego omnia patienter fero, attamen Vra Excell. intimo, omnes DD. Legatos, reliquosq; hic commorantes id non comprobare, quòd Vra Exc. mihi imputat, quin potiùs videtur mihi se ab omni contrarietate purgare, aut aliud quid causare volens hæc scribere, circa meas autem quasi cum Turcis conventiones, notifico, nequaquam id fuisse, quòd Turcæ ipsimet diffitentur. Porrò super quo ego pacem postulavi, illud exhibui scriptotenus, quod etiamnum præ manibus habent DD. Mediatores, hoc ipsum & complura alia cum despectu meo reliquis tractatibus derogantia in literis Vra Exc. contenta prolixè scribere nolens refero in aliud tempus, illud unicum modò reitero, dignetur suprafati Sua Careæ Mtis cum Sua Regia Mte & Repub. uniti pacifici tractatûs benè reminisci, & secundùm eum cum Turcis fœdus pacisci. Avertat DEus, ut quid incongruum, atq; repugnans tractatibus eveniat; tum enim nostræ prætensiones, quæ à me nunquam motæ, inimicitiæ autem & injuriæ à Vra. Exc. obortæ sunt, complures seponentur, & requirentur ea negotia, quæ utriusq; magnorum DD. nostrorum, eorum Dominiorum amicitiam, pacem & tranquillitatem complectuntur, insuper & hoc Excellentiæ suadeo, si V. R. Mti & Reip. instanti tempore cum Turcis & Tartaris integrè bellum gerere impossibile sit, tum melius foret, cum Sua Cæsarea Majestate, casu quo ex parte Turcica par ambobus satisfactio non esset, simultaneum unius vel duorum annorum armistitium accipere. His significatus maneo.

A.C. 1699

COPIA RESPONSORIARUM AD EASDEM LITERAS.

EX literis Excellentiæ Vestræ heri ad me datis intellexi parvi æstimari apud Exc: V. violentiam à se mihi illatam, idque etiam id nunc forsitan in me displicet, quòd prudentiâ usus solam ei moderationem animi apposuerim, sed queri de his, quæ in manus Sacræ R. M. Dni mei clementissimi jam pridem consignavi, non est loci hujus neq; temporis, sicut & ea, quæ ex occasione ejusmodi turbarum in promovendo reciprocè negotio communi omissa sunt, magis reprehendi, quàm corrigi possunt. Inpræsentiarum cùm me Exc. Vra in literis suis tractatus (ni fallor) sacri fœderis moneat, ut secundùm regulam illius me in sancienda cum Turcis pace componam, super hoc, cùm sim ita & non aliter à S. R. Mte D. meo Clem. & Repub. instructus, mandataq; hic non nisi simultaneæ pacis conficiendæ portem, nec latum ab illis ungvem discedere volo. Propositionem Exc. Vræ de armistitio jam ante etiam cum Turcis oblatam, nunc iterum placuisse gratulor, verùm præsens patriæ meæ status Exc. Vræ optimè cognitus non breves inducias, sed pacem perfectam exposcit. Quibus taliter expositis maneo.

COPIA LITERARUM AD EXCELLENTISSIMOS DD. PLENIPOTENTIARIOS CÆSAREOS AB EXCELLENTISSIMO D. POLONIARUM LEGATO de 16. Novemb. 1698. Petervaradini.

CErtus sum meminisse Excellentias Vestras promissæ mihi explicationis tertij puncti in projectis ad facilitandas congressûs conferentias mihi per Illustrissimum D. Secretarium Tiel nomine Excellentissimorum DD. Mediatorum exhibitis, ut ego quoque consensum meum illis præberem. Quod quidem prædictum punctum tertium, cùm aliquid in se obscuri involvat, præcavi mihi primò apud eundem Illust: D. Secretarium, deinde apud Excell. Vestras in tantùm super hoc punctum consentire, in quantum mihi favoribus ejus dabitur explicatio, & securitas, scilicet nequaquam Excell. Vestras in animo habere voluntatem conficiendi & conscribendi ullo modo tractatûs cum Turcis, donec etiam nos in prætensionibus & tractatu nostro contenti reddamur. Quod si verò Turcæ confectis cum Excell: Vestris punctis ejusdem tractatûs, satisfacere prætensionibus nostris abnuerent, non deserturas nos Excell. Vestras, neque pacem suscepturas, & subscripturas, sed tamdiu nobiscum in societate permansuras secundùm expressam conventionem sacri fœderis, donec etiam nobis fœderatis satisfiat. Atq; præsentibus Excell. Vestras rogo, quatenus in responso ad me dando promissis suis stare dignentur. Hodiernâ die sperabam aliquam notitiam, prout Illust: D. Secretarius promiserat, eorum

eorum, quæ die hesternâ cum Turcis in conferentia pacta. Rogo itaq; ut tam hesterni, quàm hodierni tractatûs possim esse particeps. Indoleo valde novos iterum Excellentissimum D. Moschoviæ Legatum struere obices, de præcedentia tractandi, cùm ab Illust: D. Secretario assecuratus fuissem, quòd, prout quisq; ad sacrum fœdus accessit, eo etiam ordine inire deberet, nunc quid novi evenerit, quòd hæc tempestas rursum mota, penitùs ignoro, rem mihi sanè jocosam heri Illustr. D. Generalis Nehm super definienda hac lite alearum lusu proposuit, aliud medium, nempe ut scripto declararetur nullam hic præcedentiam, aut in tempore tractandi intelligi debere servatis servandis acceptavi, sed miror, quòd per ipsum, nullum hac super re ab Ex: V. responsum acceperim, imò cùm ad illum pro accipiendo misissem fato jam abivisse mihi nunciatum est, nunc super his omnibus ab Ex. Vestris responsum, & significationē obnixè rogo, prout etiamsi Excellentiæ prout idem ipse mihi retulit, habeant in destinatis ex campo intra mænia civitatis hujus migrandi, & Turcis propter cōmoditatem domos suas relinquendi, quorum omnium notitiam cum sūmo desiderio ab Ex. V. præstolans, optimam eisdem valetudinem, & prosperos rerum successus ex animo exopto. A.C.1699

COPIA RESPONSORIARUM AB EXCELLENTISSIMIS DD. PLENIPOTENTIARIIS CÆSAREIS AD EXCELLENTISSIMUM D. POLONIÆ LEGATUM de data 17 Nov. in Castris supra Carolowicz.

AD hesternas Eminentiæ Vestræ responsorias ulteriùs insinuandum habemus, Nos heri totâ die continuâsse, eoq; confiniorum nostrorum rationem perduxisse, ut Generali eorundem idea statuta nunc DD. Confœderatis quoq; tractandi locum dare possimus, quatenus & ipsi eodem modo sua promovere valeant negotia, Turcis etiam desiderium hocce comprobantibus, quod citiùs generali nostrum omnium pace absolutâ, loci rigidæq; tempestatis hujus incommodis sese explicandi occasio fiat.

Cùm autem de ordine, quo DD. Confœderati tractatus suos instituere debeant, quæstio fieret, nosq; nihil certi eatenus appromittere posse declararem9, eò quòd propositionib9 nostris eximiâ sinceritate erga omnes factis quidam DD. Confœderatorum acquiescere nollent, & non obstantibus quibusvis de abolita penes hunc congressū præcedentia remonstrationibus, inutiles, & minimè necessarias compotentiæ lites sibi invicem moverent; Turcæ verò temporis jacturam ea de causa pati detrectent, tandem communi tam ipsorum quàm DD. Mediatorum, & nostrûm consensu resolutum fuit, ut nullus circa conferentias ordo (siquidem nemini placet) observetur, sed cuiq; pro rerum connexione, & sua etiam convenientia dies petatur, & concedatur arbitrio DD. Mediatorum ac Turcicorum Plenipotentiario-

 rum

A.C.1699 rum figendus. Interim tamen tam ob expressam fundamenti pacis acceptationem (quæ tacitæ meritò prævalet) quàm confiniorum, ubi nos tractare desivimus, conjunctionem, respectu Dalmatiæ hodie cum Veneto tractare cupiunt, tum & reliquorum successivè rationem haberi volunt; neq; nobis eatenus aliud quidpiam reponere visum fuit, cum quo ad substantiam nemini Confœderatorum præjudiciũ quodpiam accidat. Paxque non aliter ac communi omnium satisfactione Generalis fiat, neque ordo ubi non est, turbari possit.

Quamobrem Excell: etiam Vra pro cōmoditate propria tempus sibi petere à DD. Mediatoribus, eoq; uti pro libitu poterit, de nobis secura, quòd etsi mutato ob hanc ordinis difficultatem, etiam ipsius tractatûs modo, conferentiis cum DD. Confœderatis ordinariè non assideamus, officiis tamen nostris ubicunq; opus fuerit omni possibili promptitudine nequaquam defuturi simus. Quod Exc: Vra de tribus septimanis otiosè deperditis meminit, nobis imputari haud posset, sed illis, qui ab initio Futakinum ad nos convento modo accedere distulerant, ubi præveniendo quibusvis ejusmodi difficultatibus vel maximè opportunum constitueremus. Cæterum eidem obsequiorum nostrorum commendationem repetimus, manemusque &c.

COPIA RESPONSORIARUM DD. PLENIPOTENTIARIIS CÆSAREIS AB EXCELLENT: D. Poloniarum Legato 17 Novemb. 1698 Petervaradini.

SUmmas Excell: Vestris habeo gratias pro explicatione puncti tertii in projecto à DD. Mediatoribus publicato, faciliorem tamen mihi, & ex toto satisfactum reputâssem, si verbis in sacro fœdere nudè & simpliciter expressis absq; ulla restrictione, istaque statûs & temporum rationi congruentia securitatem ejus rei habere potuissem, sed consolor, me quòd ad mentē sacri fœderis, cujus primus cardo est, ne scilicet partes contrahentes, quanquam optima uni earum paciscendi cum hoste offerretur occasio, una sine consensu alterius ultrò prætextu quæsito pacem ineat, & pro quibus præcipuè securitatem Guarrantiã S. Sedis, & vincula conscientiarum in manus Summi Pontificis deposuimus. Excell: Vræ hoc in puncto negotium tractatûs abolituras se declarent controversias, Excell: Dni Moschorum Legati videbatur totaliter sopita, cùm & in præpositionibus ab Excell: Vris in manus DD. Plenipotentiariorum Turcicorum recepto à nobis ordine; & salvâ præcustoditâ cujusvis præcedentiæ nullà hucusq; reclamatione D. Moschorum Legati positi simus, quod certè absq; consensu ejus factum justo quis suspicari posset. Meminit Illust: D. Secretarius, dum adhuc in navi existerem optâsse me & præsentia & futura hac super re dissidia simul composita videre, sed quid circa unũ obicem amovendum consumi, si alterius majoris nulla ratio haberetur, cui in projecto memorato ante omnia medendum erat, & lapis hic offensionis amo-

amovendus eo præsertim tempore, cùm per tres septimanas otiosi nihil ageremus, si ab initio statim, ante primam metationem castrorum consilia in eo nostra contulissemus, forsitan facilis horum omnium data fuisset compositio, & modus adinventus, nunc adulto per plures interpositos obices discrimine grave videtur permittere nos ipsorũ moderationi. Innuit mihi Illust: D. Generalis Nehm, si æqua ex nunc ad facilitandum hoc negotium inveniuntur media, permissuras Excell: Vestras Excell: D. Venetorum Legatum ante nos tractatum suum inchoare, quod tamen sinè consensu & conventione nostra fieri nequaquam justum esset; sed mihi præcipuum inde emergeret præjudiciũ, si Moschus, cui etiam cum Veneto intercedit controversia mecum solo in arena restaret. Securus taliter præcedentiæ ante Venetũ, quem sinè dubio præcedo. Rogo itaq; Excell: Vestras, ut in ea difficultate cũ eo affectu erga Seren: Regem D. meum clementiss: & Remp. Polonam de sacro fœdere longè ante alios merito rem moderari velint, ne gravissimi præjudicii in honore principalis mei læso lamentabilem hinc reportem querelam. Quod mihi certò ab Excell: Vestris appromittens certior fieri, in quo modo adhuc tractatus Excell: Vestrarum hæret, meq; & negotium principalis mei favoribus eorundem diligenter recommendo manens. A.C. 1699

COPIA LITERARUM RESPONSORIARUM AB EXCELL: DD. Plenipotentiariis Cæsareis ad Excell: D. Poloniæ Legatum. 17. Novemb. supra Carlowicz.

HEri ad nos datas Excell: Vestræ literas debito cum honore accepimus, continentiisque earundem benè intellectis, quoad projecti circa facilitandos congressus conferentias per DD. Mediatores non ita pridem publicati punctum ordine tertium. Excellent: Vestram, ne scrupuli quidpiam animum ejus subire possit, certam omninò securamq; harum vigore reddimus.

Non fuisse nec esse nobis intentionem plenariè perficiendi, aut subscribendi ullo modo Cæsareos cum Turcis tractatus, priusquam & cæteræ cum S. Cæsarea Mte adversùs Turcas colligatæ potentiæ cõmuni DD. Confœderatorum judicio æquam, ipsi status & temporum rationi congruam obtinuerint satisfactionem ad mentem sacri fœderis, uti religiosè hactenus Cæsarei ex parte observati, ita deinceps quoq; observandi. Acta in conferentiis hucusq; habitis quod attinet, in limine confiniorum adhuc hæremus, nec aliud primo die factum est, nisi quòd de methodo stabiliendi possessionẽ, & confinia per partes in tractatu deliberatum, eaq; resoluta, reliquum post biduum determinandis aliqua ex parte limitibus absq; tamen finali conclusione in rebus utcunq; arduis insumptum fuerit, cui hodiernus quoq; congressus impendetur non absq; spe promovendi magna ex parte ante dicti puncti tum illo semel composito, & cæteris DD. Confœderatis tractandi locus dabi-

AC. 1699 dabitur, quamvis quo ordine eos Turcæ admissuri sint, nobis necdum constet, neq; securi simus illum, quem nos ad placitum DD. Confœderatorum juxta accessionem ad sacrum fœdus optimâ intentione proposueramus, Plenipotentiariis Turcicis, aut etiam DD. Mediatoribus, imò ipsis DD. Colligatis undequaq; acceptum fore, nos, quemadmodū nullam hac in parte unius Confœderatorum respectu alterius præcedentiam hic æstimari, nec cuiquam præjudicium fieri posse, nec decidendi quoad ista facultatem nobis esse declaravimus, ita eidem inhærendo, nihil magis optaremus, quàm ut ipsimet DD. Legati inter se se, præsertim Excell: Vestra cum D. Moschoviæ Legato dandis reversalibus, aut quacunq; inter ipsos eâ ratione, circa ordinem hoc in congressu ab ipsis observandum amicabiliter convenire possent, dummodo concordia & bona intelligentia magnum & sanctum hoc pacis opus undequaq; promoveri, & felici, ut speramus, fine coronari, videamus. Eundem ad scopum officia nostra sincero & æquo erga omnes studio libentissimè collaturi.

Quidquid autem super eo hinc inde ampliùs successerit, aut placitum fuerit, aut, si de translatione domicilii nostri (de quo adhuc nulla cogitatio aut mentio facta) aut aliàs quidpiam novi emergeret, Excell: Vestram informare haud intermittemus. Cui interea obsequiorum nostrorum promptitudinem occasione quâvis testari cupientes manemus.

CONCLUSIO PACIS.

HIC est DEus omnia maximè aperiens, Potentissimus, Firmissimus. In Nomine DEi Misericordis semper miserentis. Causa exarationis istius Instrumenti utilitate præcedentis & necessitas istius scripti realitate insigniti est, nempe præcomitante clementiâ, & præcedente sapientiâ infinitâ divinæ Majestatis incorruptibilis Dominatoris universi, donorum & gratiarum distributoris, Domini cujus gloria extollatur & Imperium grandescat. De præsenti eximiorum Regum maximi, & elevatorum Dominorum elevatissimi, binarum terrarum, binorumque marium Soltani servi duorum Sacrariorum Augustissimi, Potentissimi, Amplissimi Imperatoris, Refugii Musulmanismi Domini nostri Sultani Filii Sultanorum Soltani Mustaffa Regis Soltani Machmet, Regis, quem stabiliat DEus in throno Justitiæ & clementiæ, cujus Imperium perducat usq; ad diem latius, paritérque felicissimos prædecessores ejusdem; inter gloriosissimum inter magnos Principes Christianos præelectissimum, & inter eximios Christianos Magnates Directores altorum negotiorum Christianorum, Rerumpublicarum Augustum II. Regem Poloniæ, Litvaniæ, & Russiæ, ac Dominatorem spectantium ad hæc Regna Provinciarum, cujus fines salute & rectitudine coronentur, & Antecessores ejusdem, & Polonam Rempubl: ab intercedente malevolentia & inimicitia, & bello cum subditi calamitatibus involuti sint, ut antiqua pax stabiliatur, & commilitones veteranæ amicitiæ & vicinitatis reviviscant. Mediatio-

tione, & ad conciliationem interpositione, & insinuatione inter magnos Christianos Principes, Refugiorum eximiorum Magnatum Christianæ gentis directorum, altorum negotiorum Christianorum, Rerumpublicarum Britanniæ & Hyberniæ & Irlandiæ Regis Wilhelmi Tertii, & Dominorum Statuum Generalium Inderlandensium, quorum fines salute, & æquitate coronentur. Ex commiseratione subditorum servorum DEi præstita fuerit propensio & inclinatio ad tractatus pacis in Sermiensi Regione ad confinia siti Carlovitii, cùm ab altè memorato Rege & Republica Deputato ac misso ad tractatus pacis pactorum & conclusionem, summaq; authoritate instructo D. Posnaniæ Palatino & Gubernatore Krzeczoviæ Illust: & Excellent: inter Christianos Magnates Comite in Rankoray & Konskie Malachowski Plenipotentiario & Commissario, & extraordinario Legato facto congressu Illustr: & Excell: inter Christianos Magnates Britanniæ Regis extraordinario Legato Barone Dibicausedert Milort Wilhelm Pagal, & DD. Inderlandensium, Statuum Generalium Legato Domino Collier exequentibus, & perfectè mediatorii muneris conditiones per egregia officia explentibus, atq; juxta consuetũ ab antiquo morẽ mutatis per manus eorundem Plenipotentiis, atq; consideratis vi authoritatis, atq; Deputationis nostræ ex imperio mandato institutis tractatibus de negotiis pacis favente DEo, quo congruo consensu stabilita puncta hæc, quæ numerantur. *A.C. 1699*

In Nomine Domini Amen.

UT inter excelsum Imperium, & Seren: Regem inclytamq; Rempub: Poloniarum multo abhinc tempore intercedens dissidium omninò tollatur, atq; vetus illa sincera, & bonæ vicinitati congrua amicitia iterum altissimi DEi favore coalescat, & subditi utriusq; partis pristinâ quiete, tranquillitate fruantur amotis omnibus vicissim hostilitatibus ante duo bella ultima constituti veteres limites in pristinum Statum restituantur, confinia Provinciarum subditarum DD. Polonis separent, ac distingvant à confiniis Imperialibus tum Moldaviæ tũ aliorum Districtuum subjectornm excelso Imperio, ita, ut eâdem ratione quâ utrâq; confinia distingvebantur ante penultimum bellum, rursus separentur, neq; utrinq; aut prætensio, aut extensio aliqua fieri possit; sed tales limites tanquam sacri religiosè, & inviolabiliter observentur, atq; colantur. *Articul. I.*

Quæcunq; sive munimenta, sive loca, vel majora vel minora intra veteres Moldaviæ limites ante penultimum bellum existentes sita, atque hucusque detenta sunt à DD. Polonis eductis atq; extractis inde militiis evacuentur, ut Moldaviæ Provincia maneat ex integro libera, in eodem statu pacifico, in quo erat ante postrema bella. *Articul. II.*

Intra veteres quoq; ante postrema bella versus Poloniam limites sitũ Camenici fortalitium eductis inde Musulmannicis militibus evacuetur, & integrum relinquatur Podoliæ & Ukrainæ Provinciarum; nulla ab excelso Imperio fiat in posterum prætensio Ukrainæ Cosacorum, Hetmani nostri substitutus, qui modò in Moldavia residet, amoveatur, inter Moldaviã & Poloniam, cùm veteres limites manifesti sint, evacuatio utraq;, si commodè fieri poterit Poloniæ militiæ educantur, munimenta & loca evacuentur, atq; Moldavia libera remittatur, & simul Camenecense fortalitiũ, à *Articul. III*

A.C. 1699 principio Martii evacuari incipiat, quæ evacuatio, ubi prius fieri poterit, fiat, nullaq; injuria vel hæsitatio adhibeatur, & Cameneci evacuatio ad summum ad diem 15 Maji totaliter absolvatur, atq; ad facilitandam Cameneci evacuationem, quòd fieri poterit, curruum vel jumentorum à parte Polonorum suppeditatio fiat adjumentum atq; omnis ubiq; evacuatio summâ securitate, atq; quiete perficiatur. Cùm evacuatio fortalitiorum & locorum utrinq; à principio Martii mensis inchoari debeat, instantium de tormentorum relictione Cameneci scilicet ex propriis, atq; ibi repertis Ablegatus Polonus ad fulgidam portam quam primùm expediendus.

Artic. IV. Nemo Subditorum Potentissimi Musulmannorũ Imperatoris ejusq; conditionis, præsertim verò Tartari, cujuscunq; gentis in subditos Seren: Regis, & Reipub: Poloniarum hostilitates exercere limites invadere, captivos rapere, pecora abigere, aut aliquid similis damni, sub cujusvis controversiæ, aut prætensionis prætextu inferre possit, sed & Hano Crimensi, & Cavelgaco, & Nuradino Soltanis, Vezeriis, & Bassis confiniariis, ut etiam Palatino Moldaviæ expressis Imperatoriis mandatis committatur, atq; demandetur, confiniorum tranquillitatem exactissimè servent, in contravenientes hujus almæ pacis, & captivos, aut pejora agentes, aut alio quocunq; modo subditis Polonis detrimenta inferentes tanquam publicæ quietis turbatores severissimè inquirant, & ad aliorum exemplum palàm puniant, ablataq; inveniri, & restitui curent, sub depositione ex officiis, aut capitali ex merito supplicio, quæ omnia reciprocè à Regno Poloniæ strictissimè observentur.

Artic. V. Poloniarum Regnum cultu ab antiquo sit liberrimum ab excelso Imperio, aut subjectis eidem Gentibus qualiscunq; prætensionis aut expostulationis prætextu, nullâ penitus hostilitate perturbetur. Sed conclusa istius almæ pacis, pactorum vi, ad tales prætensiones nequaquam adstringantur.

Artic. VI. Tempore istius belli Budziacenses & alii Tartari è propriis locis exeuntes atq; in terras Moldaviæ ingressi hâc occasione hostilitates & offensiones eorum in Moldavos, & Moldaviæ exercitum cùm penitus cessare atq; sufferri debeant à quibuscunq; locis & possessionibus & prædiis in in Moldavia occupatis, aut extructis Tartari recedant, & in nativis propriis locis pacificè habitent, & vivant, & nullas in posterum offensiones exerceant.

Artic. VII. Religiosi Christiani Romano-Catholici juxta concessa ab excelso Imperio edicta, ubicunq; Ecclesias suas habent, consuetas functiones suas sine impedimento exerceant, & pacificè vivant, & ulterius commissas sibi instantias de Religione extraordinarius ad fulgidam Portam Legatus ad Imperatorium solium exponat.

Artic. VIII. Captivi tempore belli abacti pretiis illorum juxta legem comprobatis atq; datis juramentis in manifestum productis, atque solutis juxta antecedentium hac de re Capitulationum declarationem eliberentur; si verò tales captivi multo tempore serviêrunt, ex discretione pretia emptionum comminui debeant, si honesto aut mediocri pretio cum Dño captivi convenire non poterint, Judices locorum legitimi præcedentes tales differentias componant, si aliquâ occasione post conclusionẽ pacis de Religionibus Polonicis captivi rapiantur, sine pretio dimittantur, & in Regnis Excelsi Imperii & inter Tartaros etiam ad liberandos Polonos captivos, circumeuntes homines, quandocunq; pacifici res suas agerent, prætextu operæ eliberationis captivorum navatæ aut aliâ ratione, ne utrinq; offendantur, & detrimentum inferentes puniantur. Captivi in publicis locis detenti

tenti permutatione utrinque in libertatem asserantur, magnus verò Poloniarum Legatus de captivis suis ad solium Imperiale adferre possit instantiam. A.C. 1699

Articul. IX

QUandocunque Rex Poloniæ in stabilita cum excelso Imperio pace firmiter permanebit, sicut in antecedentibus Capitulationibus declaratur, Moldaviæ Wojevoda eâ ratione, quâ ab antiquo cum Rege Poloniarum sincerè sese præstitit, rursus consveta ratione sincerè tractet, cæterum instar aliorum subditorum Excelsi imperij uti priùs pacatæ sint, è Moldaviæ atque Valachiæ Provinciis, si qui transfugerunt, ne recipiantur, si qua aliquâ methodo in Poloniæ Dominium irrepserunt, ac postea Provinciam suam perturbare & corrumpere deprehensi fuerint, similes homines quando requirentur, reddantur, & conditio ista cum antecedentibus Capitulationibus clarè & manifestè posita sit, & observetur à subditis Polonicis, sive Poloni illi sint, sive Cosaci, cujuscunque nationis extiterint, quando perturbationem afferent, tunc etiam neque recipiantur, neque protegantur, sed retro reddantur, & universi, quicunque voluerint turbare pacem, atq; amicitiam, ac sine ratione, utrinq; conclusam ex merito puniantur.

De Armenis non inseritur

Articulo X

QUæcunque conditiones & clausulæ in antecedentibus Capitulationibus descriptæ atque contentæ nullatenus adversantur, sed recenter conclusis pactis, néve oppositæ sint liberis atque perpetuis juribus utriusque Dominij, deinceps ea colantur & observentur, quæ verò contraria sunt, cassentur, & annihilentur, favente & annuente DEo altissimo, quæ utrinq; exaratis & declaratis articulis perfectiori & exactiori ratione conclusa pax, & conciliatio intra Majestatem, Augustissimi, maximi, Potentissimi Imperatoris Refugij Orbis Terrarum Domini nostri & Hæredis ejusdem, & gloriosissimum inter Magnos Christianos Principes, præelectissimum inter eximios Christianos Dominatores Poloniarum Regem & Successores ejus, & Polonam Remp. ex voluntate & clementia Dei perpetua, stabilis, firma & inconcussa permaneat, & conservata atque custodita sit ab omni turbatione, mutatione & confusione, & violatione, & uno tenore firmissimè perseveret, & constantissimè continuet, & ut omnes omnino hostilitates amoveantur, atque auferantur, quàm citissimè notitia præbeatur in confiniis residentibus Præfectis & Gubernatoribus, ut sibi caveant in posterum, transgressiones ne fiant, néve altera pars alteri damna inferat, verùm omnes utrinq; sincerè & amicè sese præstent juxta istam almam pacem. Ut autem omnibus cognita atque comperta sit istius almæ pacis conclusio 30 dies pro termino ponantur, postea nullus prætextus, nullaque excusatio acceptabitur, sed in omnes, qui adversabuntur edictis, exactam obedientiam merentibus severissimè animadvertatur. Præter subscriptionem Instrumentorum autem utriúsque partis Ablegatus prius à Polonia missus, & ad fulgidam Portam veniens juxta antiquam consvetudinem adferat Regias & publicas literas, ratificationem Pactorum Instrumentis declaratorum continentes, atque alias Imperatorias ratificatorias idem accipiat, atque deducat postea ad confirmationem Pactorum pacis, & perfectionem reciprocæ sinceritatis, & absolutam terminationem mutuæ amicitiæ, & dispositionem ac digestionem reliquarum rerum juxta laudatum veterem morem; adventurus magnus Legatus Mense Majo moveat, ac proinde undecim numero pactis conclusa juxta istas conditiones alma pax, quæ ab utraque parte acceptetur, atque colatur, cum Plenipotentiariis altè memoratorum Regis & Reipub. Poloniarum, & Com-

A.C.1699 missarius existens Legatus vi suæ facultatis, & authoritatis latino sermone exaratum legitimum, & validum Instrumentum tradiderit. Nos quoque vi facultatis & deputationis nostræ propriis manibus subscriptas, & sigillis sigillatas à nobis pactorum literas tanquam legitimas, & validum Instrumentum tradidimus. DEus est favens æquitati.

COPIA LITERARUM EXCELLENTISSIMI MAUROCORDATI LEGATI PLENIPOtentiarii ad Illustr. D. Palatinum Mariæburgensem.

Illustrissime & Excell: Domine D. colendissime.

Queritur de non subscriptis pactis.

PLaceat Excell: Vestra recordari, quanta solicitudine institimus & enixi sumus, ut Excellentissimus D. Plenipotentiarius Polonus quantociùs subscriberet suis tractatibus, quo omnes hostilitates opportunè amoverentur. Semper enim Tartarorum occasionibus attenta insolentia suspicionem nobis præbebat, & curam nostram eliciebat ad compescendum illorum impetum, & nescio quo fato D. Legatus Venetus prælaudatum D. Plenipotentiarium Polonum sibi fecit obnoxium, ac diu multumq; subscriptionem ejusdem protraxit. Interea verò temporis Casigerejus Soltanus cum turmis Bassiacensium Tartarorum incursionem instituit ante terminum temporis à subscriptione tractatûs statutum, quam mandata Imperatoria statim sub severissimis pœnis edita prævenire non poterant, etiamsi verò nullam de exitu istius excursionis habemus notitiam, tamen satis indolere non possumus, quòd delatio terminationis, subscriptionis tractatûs tale quidpiam detrimentum afferre possit. Notum tamen atq; compertum habeat Excell: Vestra illico atq; accessum habui ad fulgidam Portam maximâ sollicitudine nos procurâsse restitutionem quorumcunq; captivorum, quos Tartari poterant interea temporis abducere, atq; præterea animiadversionem in Officiales, qui sine expressa facultate fulgidæ Portæ ausi fuerint sese contra DD. Polonos invehere. Et sanè excelsus supremus Vezirus istâ occasione voluit argumenta præbere suæ benignitatis, quod nondum conclusam pacem enixè protegendam susceperit, subinde & per se, & per celeberrimum recentem Hanum hic modo præsentem, tantâ acerbitate contra insolentes istos invasores procedere sese resolvit, ut nihil ulterius possit optari, cujus rei certiorem voluimus facere Excellen: Vestram, ut iis, quorum interest, notam faciat hac de re mentionem altè memorati supremi Veziri, qui nec in posterum desinet severissimè animadvertere in illos, qui consimiles excursiones ausi fuerint perpetrare. Interim, si quid de hac re ex Polonia scire non contingeret, rogo, nos informare ne gravetur.

Irruptio Tartarorũ punita.

Excellentiæ Vestræ

Datum Adrianopoli die 25. Februarii.

addictissimus servitor & benevolus
(L S) *Alexander Maurocordato*

COPIA

COPIA LITERARUM EXCELLENTISSIMI DOMINI BARONIS DE PAGIET AD ILLUSTRISSIMUM PALATINUM POSNANIENSEM.

Illustrissime & Excellentissime Domine D. Colendissime.

CUm Excellentissimi DD. Plenipotentiarij Ottomanici fulgidam Portam ingressi de quadam Tartarorum in Poloniæ limites invasione, quamvis ante notificationem pacis instituta, rumorem accepissent, protinus adhibita ad malum hoc inhibendum sedulitate per suas literas mihi nuntium participârunt, has autem prout modo facio Excell. Vestræ transmittere, haud abs re fore duxi, illud animo revolvens aliter tam Excell. Vestræ quàm DD. Ottomanicis Plenipotentiarijs satisfactionis corresponsoribus videri. Dabitur Exc. Vestræ occasio inspiciendi, quanto Religionis ardore altè memorati DD. pacis nuper conclusæ integritatem sibi tuendam assumpserint. Ad hoc autē officium lubens devenio, cùm inde commoda occasio suppeditetur mihi, ut Excell. Vestræ obsequia mea deferre, eandemq; de candidi cordis non langvescente affectu certiorem facere possim. Id velim sibi persvasum habeat Excell. Vestra, me, prout in Carlovicienſi congressu sincerâ sibi devotione addictum cognovit, sic etiam ubicunq; eodem tenore firmissimè permansurum. Tales enim enitent in persona Excellentiæ Vestræ animi dotes, ut semel illis adstrictus in perpetuum me profiteri velim & opto. Excellentiæ Vestræ

Datum Belgradi 18. Martij. *Humillimum & addictissimum servum Pagiet.*

CXXIX.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS VARM. ET SAMBIENSIS AMICO CONFIDENTI 25. Junij.

Expeditio in Varmiam & Diploma Regi datum.

TAnto temporis intervallo nec tibi, ut libenter soleo, nec aliis, ut frequentiùs debeo, scripsi, quia totum id tempus officio Pastorali, & disponendis rebus hanc relinquendo, aliam ingressus Diœcesim impendi. Restabant adhuc post tot jam consecratas, aliquot Ecclesiæ consecrandæ, quas omnino ante abitum meum consecrare volui. Uti quidem 24ta Martij in Barcice, 25ta in Piwniki, 26ta in Podstoliskie, 27ma duas Ecclesias in Chlebowo scilicet, & eâdem die in Okoniowo. 9na Aprilis in Kluki, 27ma in Lopacin consecravi. Festa Paschatis cum fratribus meis Pultoviæ absolvi; 31ma Maji Varsaviæ esse debui, ibique consecrationi Theodori Potocki Episcopi Culmensis, quem Nuntius Davia in Ecclesia Patrum Theatinorum consecravit, assistens adfui; & in ingressu ejusdem 14ta Junij Culmæ fui, post quem ivi Plociam non tantùm pro processione festo Corporis Christi fieri solitâ, sed etiam pro valedicendo Capitulo illi, quæ valedictio non sine mutuis ab utrinque lachrymis est absoluta; Comitia Varsaviæ incepta 20 Junij, & cum expeditionem in Varmiam Româ acceperim, Epistolam Pastoralem ad totam Diœcesim misi, cujus copiam tibi adjungo. Adnecto & diploma Electionis Regi à Primate & Mareschalco extraditum.

A.C. 1699 ANDREAS CHRYSOSTOMUS IN ZALUSKIE ZALUSKI DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISC. VARMIEN: & SAMBIENSIS S. R. I. PRINCEPS TERRARUM PRUSSIÆ PRÆSES.

Dilectissimis, Capitulo, Clero, ac Universo populo Dioecesis Nostræ Salutem perpetuamq; in Domino felicitatem.

Apparuit benignitas Salvatoris Nostri, quando die 18. Maji. Beatissimus Universi nostri Pater, ex plenitudine potestatis, vivæ vocis oraculo præcisis quibuscunq; dilationibus, nos undecunq; immeritos voluit tandem vestrum esse Pastorem. Vicit obstinatam diu impedientiũ pertinaciam Sanctissima in terrris prudentia, nobis post tantam expectationem vix optantibus. Nam tot tantisq; rationibus perclusi, quemadmodum in ipso nominationis nostræ limine procul semper fuimus ab istius ambitionis umbra, ita toties Illustrissimum & Reverendissimum Nuntium Apostolicum deprecabamur, quòd si propter nos tanta tempestas detonaret, quæ Varmiam iret perditam, paratos nos potius ad renuntiandum oblatæ nominationi, quàm ut diutiùs audiremus tot lachrymas populorum, nullâ satis spongiâ eluendas. Quid ultra facere potimus vineæ nondum nostræ? nihil certè omittebamus eorum, quæ ad orbitatis vestræ lenimentum pertinebant. Adferebamus toties privilegia & exemptiones vestras, tuebamur fortissimè Jus Pontificium, cui præcipuè subestis. Quantò nos vestra desideria altiùs attollebant, tantò de vobis bene merendi studium erat nobis atrocius, quod ea vota hucusq; differrentur, quæ nulli ante nos non prius olim contingebant, quam sperabantur. Dolore inde tacti intrinsecus ipsos illos supplices libellos vestros diligenter interdum declinabamus, eò quòd procul à conatibus nostris videremus tantæ calamitatis remedium. Nimirum licebat ante nos compluribus adire novas Cathedras non sine solatio singulari, solos nos Divinæ prudentiæ occulta planè judicia procul esse voluerunt ab hac omnibus penè communi felicitate. Aliorum enim adventum florentes civibus urbes, ornati ad pompam populi, aræ inprimis ipsæ non tam ardentibus ubique ceris, quàm lætitiâ diffluentes expectabant, nobis Varmiensia templa lachrymantibus huc usque altarium funalibus tristitia & priscis quibus tamdiu collucebant nuda exutaq; in tributum militare splendoribus, nobis ubiq; lugentes Provinciæ campi, nobis permistæ singultibus civium querelæ, nobis non festivæ acclamationes, sed planctus populares, nobis non frequentia salutantium agmina, sed dispersum diu sine Pastore ovile ubiq; parabatur, nos amaritudo amarissima populorum undiq; comitabitur euntes. Compatimur ex corde lapsis fortunis vestris, & simul malignitati, prece an pretio conductæ, quæ vos ad eas redegit angustias. Simul in Domino gaudemus, vicisse tandem infractam veritatem, quæ nihil magis erubescit, quàm abscondi. Nempè DEo malignam oppressionem exoso, & secretam dedignante accusatorum malevolentiam (quæ plerumq; est calamitas innocentiæ) nemo enim facilius petitur, quàm qui nihil timet. Arduum erat, ex occultis insidiis prorumpentibus malis celeriùs occurrere. Obscura enim difficilius possunt evitari; legimus equidem toties querelas vestras non sine intimo doloris sensu, sed neque volentis, neque currentis erat vos consolari. Audivimus veluti è limbo clamantium suspiria. Veni & noli tardare. Improperastis toties illis, qui ex privata causa publicum scelus faciebant. Vestris lachrymis innatabat cor nostrum & solvebatur, non ideo

ideo, quasi ampliorem optaremus fortunam, quia & hæc, quâ fruebamur *A.C.1699*
major fuit meritis nostris & dignitate; sed ut quàm primùm vobis prodesse possemus. Nunquam enim recordationi excidere nostræ poterat quanta omnibus retro sæculis curâ & solicitudine, Beatissima sedes Varmiam, tanquam singularem Vaticanæ Religionis gemmam undique inhiantibus Acatholicis obsessam tutata fuerit, tot olim curarum impensis à Crucigeris Theutonibꝰ gloriosè vindicatam. Libenter ad vos properamus fratres nostri in visceribus Christi dilectissimi, reduces à Plocensi Cathedra, ubi solenni Dominici Corporis celebritate peractâ, mutuas cum Nobilissimo illo Capitulo fudimus lachrymas, valedicentes in charitate, in qua juncti eramus & in Paterno amplexu. Iactantia hæc non indecora nobis, quia vera, fiducia non arrogantia, quod neque nos sine intimo dolore ab illis divelli neque illi à nobis separari potuerint. Excurreremus protinus ad solatium vestrum quantumvis tristia nobis potiùs frequentiusque, quàm lætiora ubique occurrerent, nisi nos publici obsequij rationes, nisi Regni Comitia, tantopere rebus Ecclesiasticis necessaria retinerent. Urgemur proinde vel inviti eo nos privare solatio, quod ex aspectu amplexuq; vestro decerperemus. Ut tamen aliquod habeatis specimen & testimonium amoris in vos nostri, priusquam explebimus desiderium nostrum, & mutuo singulos complectemur amplexu, scribendum vobis censuimus, ut proni in vos animi nostri documentum aliquod sine mora habeatis, sciatisque quòd curæ & cogitationes nostræ in eo sunt omnes, quâ possimus ratione vobis prodesse, quos DEus ad gloriam suam conditos, & Filij sui sangvinis pretio liberatos fidei nostræ commendavit. In excolenda hac vinea electâ diligentiam nostram supremo Patrifamilias probare studebimus. In pascendo grege candido è baptismi aquis sine macula educto, vim solliciti amoris Pastorum Principi patefacere, enitemur. In ornanda tuendaque sponsa hac nostra æmulationem nostram perspicuam facere exoptamus conservare integram, & ab omni injuria quoad poterimus strenuè defendere elaborabimus Unum deinceps animo nostro gaudium erit è vestro in Christiana virtute progressu unum commodum, animarum vestrarum lucrum, una gloria vestra, omnium salus, facultates opesq; nostras & quidquid vitæ residuum habemus, id totum in utilitatem vestram impendemus, proprij commodi nostri posthabitâ ratione, saluti vestræ prospiciemus, jugum suavissimum cui Christus vos submisit, æquis adeo legibus, cervicibus vestris illigabimus, ut ex eis, oneris minus, quàm levamenti sentiatis. Quod factis, quàm verbis luculentius, cùm adesse poterimus, amoris impulsi pondere palàm faciemus, ut mœsti a nobis solatium, miseri auxilium animi, ancipites consilium, subsidium egeni, non tam requirant quàm reportent. Quia verò non sine gravissimo sensu intelleximus ad proximas provincias hæreticâ labe infectas interea temporis complures defecisse, facile adducimur, ut credamus non modò insoliti tributi novitate perculsos, sed fervore quoq; Romanæ Religionis tepescente, ad tam obliquam & procul à beata æternitate semitam declinasse. Iamque palàm apud nos est eos, qui post Deos alienos abierunt, non fuisse supra firmam petram firmatos. Meminissent infelices hi desertores quanta majores nostri & primi orthodoxæ fidei assertores, pro Religionis integritate sustinuerint, post rotas & equuleos risissent, eam procellam fronte intrepidâ, quæ illos tam securâ dimovit salutis æternæ statione. Non facile cedrus corruit, diu quercus resistunt, arundines fuisse levi vento agitatas necesse est. Profectò longè graviorem inde quàm ex tardiore adventu nostro dolendi sumimus materiam. Quare oramus vos, atque obtestamur per viscera Christi, in quo vocati sumus, reducite aberrantes ad viam veritatis, & ad lucem Apostolicam illos, qui in tenebris & umbra mortis sedent. Redeant ad fontem vivum, à cister-

A.C. 1699 cisternis sterilibus in quibus non est aqua. Nos quoque in id omnes conatus Nostros studiaque impendemus, & superimpendemus, ne quid aliquomodo desit ad gremium Ecclesiæ redeuntibus. Eligemus potius ipsi sitire famereque, quàm omittere quidquam eorum, quæ ad Patris officium curamq; spectant, veriùs quàm ad Domini dignitatem. Non veniemus ad vos ut lanam gregis nostri, sed lucra quæramus animarum. Quod ut tantò feliciùs consequi valeamus, commendamus diligentissimè omnibus Ecclesiarum Præsidibus, ut ex Cathedra unusquisque suâ securos faciat omnes transfugas & Religionis desertores de nostra promptitudine ad subveniendum inopiæ singulorum, modò revertantur à via iniquitatis. Idem Administratoribus bonorum nostrorum cordi ubique esse imprimis volumus, nihil nobis gratius fore, quàm si prædictos Lazaros beneficâ de nostris reditibus manu reducant ad viam meliorem. Simul hic universos æquè ac singulos vestrûm per viscera Christi obsecramus, ut quemadmodum nos omnem læsi honoris injuriam, in profundis Domini Nostri vulneribus sepelivimus, pariter & vos unà nobiscum dolores vestros deponatis. Verùm equidem est, quòd laurus sine strepitu non ardeat, difficilè non sentire vulnera, etiam vir bonus injuriosè agi secum, sine gemitu vix patitur. Tamen decet nos implere legem Christi acerbiora majoraque perpessi. Desinite proinde in eos queri, qui graviores vobis erant, quàm timueratis ab initio. Nolite ampliùs dicere ea pessimè ausos esse, quæ nemo auderet bonus, fortiterq; id executos, quod nonnisi improbi exequuntur. En valuerunt nocere, sed non voluerunt, imò plurimũ honoris in conscientia reliquerunt. Vellemus potiùs, ut causam Vestræ calamitatis in nostras rejiciatis noxas, sed majores existimamus, quàm ut tam levi pœnitentia absolvi possint. Neq; in vestra delicta totam audemus culpam rejicere, cum probè intelligamus, quanta sit imposita ijs rectè vivendi necessitas, qui in medio nationis pravæ hospitantur, ut boni exempli odorem ad vicinos usq; diffundant. Humiliemur proinde sub potenti manu Dei, quia tam gravem procellam quæ fortunas vestras, animasq; complures multò pretiosiores auro perdidit, peccata procul dubio nostra provocârunt. Reprehendamus nos deinceps in minimis, qui in maximis fortè peccabamus. Non est enim parvum peccatum, quod fit contra magnum DEum. Tantò majora quærenda sunt bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò nobis graviora per culpam damna intulimus. Quidquid pravum actiones polluerunt, ita lamenta diluant, ut renati ex lachrymis, sicut modò geniti infantes rationabiles sine dolo ad sinum matris nostræ larga scilicet divinæ pietatis ubera redeamus. Nimirum multa bona cum paupere illo Tobia habebimus, si timuerimus DEum, coram quo vel ipsi dæmones contremiscunt. Convertamur igitur ab omnibus peccatis nostris, & non erit nobis in ruinam iniquitas, si gens (inquit apud Hieremiam Dominus) illa pœnitentiam egerit à malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi facere ei. Qui enim paulò ante comminatus fuerat subversionem, eradicationem, ac dispersionem, protinus mutatâ sententiâ (inquit) loquar de gente & Regno, ut ædificem, & ut plantem illud. Confiteamur adversum nos, injustitiam Domino, & ille remittet impietatem peccati nostri. Ploremus coram Domino, qui fecit nos, coram Domino inquam, quia plorare, ingemiscere, confiteri coram hominibus parum refert. Confessus est Judas peccatum suum coram Pharisæis, si plorasset coram Domino, si confessus fuisset Domino, complexa fuisset eum clementissima Domini misericordia, quæ non frustra illum ad Apostolorum suorum Collegium invitaverat. Quos dejicit peccatorum magnitudo, erigat miseratio immensa universis major delictis. Ultrò nos ad se invitat, quantumvis filios prodigos Clementissimus Pater. Thronus gratiæ quotidie

tidie patet omnibus. Quærit diligenter ovem perditam bonus Pastor, relictis nonaginta novem, neque drachmam domi suæ perire patitur, tanta benignitas Salvatoris. Curat saucium viatorem, omne debitum condonat servo supplicanti, cæcis lucem, captivis libertatem, confractis restitutionem, malè habentibus offert medicinam. Scindamus ergo in oratione continua, corda, non vestimenta nostra, & facilè nobis indulgebit ille, qui ad preces Abrahæ, tot civitatibus olim exitio devotis, veniam daturus erat, si decem ibi justos invenire contigisset. Deprecemur Dominum, & intendet nobis, clamemus & exaudiet. Facilè placabitur, qui nobis invitus irascitur. Nefas illi diffidere, qui pereunti Hierosolymæ illachrymatus est, quòd non cognovisset tempus, & qui totum Angelorum Sanctorumq; cœtum ad communem hortatur lætitiam, vel uno peccatore ad pœnitentiam redeunte. Dum ergo habemus tempus, operemur bonum fratres mei dilectissimi, non proferamus in longum correctionem vitæ, sed protinus ad vocem invitantis Domini veterem hominem exuamus, cum concupiscentiis suis, ne toties non exauditus à nobis Dominus, vicissim non audiat servos clamantes ad se. Tot plagis toto hoc biennio castigavit nos Dominus, ut corrigeret; timendum ne post tanta remedia, totiesq; adhibita veluti deplorati, & cœlesti ope destituti, proprio relinquamur arbitrio, nisi ad perfectioris vitæ frugem redeamus. Quemadmodum enim sapiens medicus, nihil non expertus artis in morbo depellendo, ubi videt infirmum omnia pharmaca respuere, suæ illum tandem relinquit ægritudini, tanquam nolentem vivere; ita sæpè nobiscum agit numen immortale, ubi nostra pertinacia divinis monitis diu restitit insolenter. Quare non differenda nobis est in extremarum virium discrimen emendatio: Periculosum est enim tunc incipere Christo militare, cum de prælio exeundum erit. Arborem quæ nunquam floruit, nunquam fructum tulit, tunc floruisse, dedisseq; dulcem palato fructum, cum securi admota sterneretur. Restat, ut jam gaudeamus cum Apostolo Paulo, quòd quemadmodum ille suos olim Corinthios, in quos tenerrimo semper amore ferebatur, ita nos complures vestrûm contristaverimus ad pœnitentiam (fortè innocentes) reducendo. At medicinâ dulci plus præstat amara. Finem hic facimus Epistolæ nostræ Pastorali, plura cum in Varmiam venerimus, pro animarum vestrarum utilitate & solatio præstituri quàm polliceamur. Iam utcunque reducta ordinataq; Diœcesi Plocensi per continuas Patrũ Societatis IEsu missiones, quas de nova radice excitavimus, fundavimusque, non dubitate acturos nos pariter in Varmia, ut nostris prius necessitatibus, quàm vestris desimus. Tantóque id fortiùs & diligentius præstabimus, quantò clarius intelligimus, quòd eo loci sicut major urget è vicino necessitas, ita commodior relucet opportunitas, ne blasphemetur in nobis nomen Domini, & proximus exprobrare possit Ucalegon, messem quidem multam imminere nobis, sed non pariter operarios. Sumus autem bene conscij primas præcipuè parentum voluntates & destinationes à probis præsertim filijs religiosissimè observari. Unicè proinde quâ possum maximâ diligentiâ vobis fratres nostri post DEum charissimi spes & corona & solatium nostrum commendamus, ut pro Beatissimi inprimis Patris Nostri Innocentij XII. integerrima incolumitate & longissimo Imperio inter publicas supplicationes devotissimas cœlo fundatis preces. Qui nos tam singulari benevolentiâ dignatus, demonstravit se habuisse præcipuam suæ Varmiæ rationem. Deinde universalis Ecclesiæ necessitates & incrementa, pariter, Serenissimi Augusti Nostri Regna & felices Comitiorum progressus, à quibus sicut Ecclesiarum, ita & Regni totius pendet momentum, singulariter Supremo Regnorum Moderatori ad aras quotidianas commendate, nostrorum quoque votorum non immemores, quæ Vestram magis, *A. C. 1699*

A. C. 1699 quam nostram in meta sibi præfixere felicitatem supplicationes publicæ, quas ad præfatam intentionem instituimus, & ex omnium Ecclesiarum Varmiensium Cathedris promulgari commendarique plurimùm desideramus, hunc servabunt ordinem: diebus Dominicis & Festis post Concionem exponatur Sanctissimum Sacramentum in pixide, post cantatum: O Salutaris Hostia &c. dicentur clarâ, & intelligibili voce, si videbitur idiomate vulgari Litaniæ de Nomine IEsu, vel de Beatissima Virgine, vel etiam de omnibus Sanctis alternatim, deinde Psalmus: DEus venerunt gentes &c. cùm versiculis & Collectis ex Rituali Romano, pro pace, pro concordia Principū Christianorū, pro Pontifice, pro Rege, contra persecutores Ecclesiæ. His finitis cantabitur: Salvum fac. Fiant Domine, & pòst Missa continuetur. Hæ autem supplicationes tamdiu durent, donec illas revocemus, vel alias ordinemus. Interim mutuam charitatem, vocationis, quâ vocati estis, præsentem semper memoriam, & operum Christianorum exercitium impensè commendamus universis, ne titulum & nomen Christianum portemus otiosè, atque vicini, qui vos circumdederunt undique, si voluerint imitari, cogantur delinquere; nimirum ut ita vitam moresque instituatis, quatenus & nos vester Pastor indignus, & vos curæ nostræ commissi expectato non privemur solatio præmioque, Nos quantum nostrarum erit virium, quotidie desudabimus præire verbo & exemplo. Nemini ostium claudemus, sed aperiemus omnibus. Nunc verò cum non liceat coràm, per literas saltem præsentes universos æquè ac singulos corde amplectimur intimo, & Pastoralem benedictionem impertimur. Dabantur in Palatio nostro Varsaviensi. Die 24. mensis Junij Anno 1699.

DIPLOMA ELECTIONIS

MICHAEL STEPHANUS CARDINALIS RADZIEIOWSKI, Archi-Episcopus Gnesnensis, Legatus natus Regni Poloniæ & M. D. Litvaniæ, Primas Primusq; Princeps, Senatores, Officiales atq; inclytus Equestris Ordo Regni & Magni Ducatûs Litvaniæ &c.

In Nomine Sanctissimæ ac Individuæ Trinitatis.

Significamus præsentibus literis nostris quorum interest universis & singulis. Quod cum attonitus spectet orbis Reges & Dominos nostros non sorte nascendi nobis tradi, sed sola virtute & gloria conspicuáq; rerum gestarum amplitudine fieri. Ita Serenissimus ac Potent. Princeps ac Dominus D. Joannes Tertius, cùm regni Gubernacula, plùs quàm heroicis facinoribus promeruisset, nobis duos supra quatuor lustra annos, suaviter, feliciter, justè ac gloriosè imperavit. Ille pòstquam ad Chocimum sæpiúsve alibi ingentes Turcarum & Tartarorum exercitus profligasset, Cæsari Imperij Sedem servavit, idemq; Imperium maximâ ad Viennam & Parcanum victoriâ firmavit, atq; fortunæ Christianorum insigni prudentiâ & heroico animo januas aperuit. Hic igitur fortissimus Heros, Princeps optimus, patriæ Pater, Religionis clypeus, Scytharum terror, bonorum spes & amor nuncupatus meritò, cùm à throno hujus sæculi, ad immortalitatis solium translatus esset, omnipotenti Domino, in cujus manibus potestatem

ſtates ſunt, cujus dextra per illum fecit virtutem, inſperato atrociq; fato nobis ereptus extitit. Perſolutis itaq; piiſſimo Regi, clementiſſimo ac deſideratiſſimo Domino, intimi amoris & debitæ pietatis lachrymis, cuncto Chriſtiano orbe, in doloris noſtri conſortium accurrente, Nos Regni Primas cum Senatoribus, Officialibus atq; Ordine Regni & M. D. Litvaniæ Equeſtri, animum in eam curam intendimus, ut afflictæ & gementis Reip. orbitati conſuleremus, eandemq; ab imminentibus diſcriminibus, quibus expoſita erat, bello præſertim cum Chriſtiani nominis hoſte non ceſſante, capite, Duce ac Rectore deſtituti vindicaremus. Quapropter præciſis his quæ de lege erant, pro die 15. menſis Maji 1697. anno, in campum Electorem inter Varſaviam & villam Wola, ubi Regum Electio de gentis noſtræ more fieri conſuevit deſcendimus. Ibi non ſolùm numeroſiſſimus Senatus, ſed univerſa Regni & M. D. Litvaniæ nobilitas, Patriarum legum, jurium & libertatis ſervandæ genio ſtimulata confluxit, ſed cum externa ſtudia Electoris populi animos, quia liberos, in varia diſtraxiſſent & Candidatorum regnandi ambitu concurrente, acris ſciſſionis funeſtos exitus, pareſq; Aquilas, & cognatas acies minarentur, tandem Divinâ gratiâ afflante Spiritu S. qui aſpera in vias planas deducit, interpoſita Sanctæ Sedis Apoſtolicæ per Eminentiſſimum ac Rndmum D. Fabricium Paulucci, pro tunc Epiſcopum Ferrarienſem, & Nuncium Suæ Sanctitatis extraordinarium paterna authoritate interveniente ſublimi generoſiſſimæ Gentis antenatorum virtute, quæ boni publici ſtudioſior, quàm diſſoni ſenſus ſequax extat, ventum eſt ad unanimem animorum harmoniam, & eam, qua Reſp. creſcunt exoptatã concordiã. Itaq; Sereniſſimum Principem ac Dominum, D. FRIDERICUM AUGUSTUM, Ducem Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montiũ, Angriæ & Veſtphaliæ, S. R. I. Archi-Mareſchalcum & Electorem, Landgravium Turingiæ, Marchionem Miſniæ, nec non ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Burgrabium Magdeburgicum, Comitem Principem Hennenbergenſem & Barrenſem Dominum in Ravenſtein &c. non tam hominum induſtriâ, quàm divinitus liberis cordibus inſpiratũ ſupra cæteros ſceptrô & coronâ dignum judicavimus & in Regem noſtrum elegimus & aſſumpſimus. Obligaverat jam pridem Polonorum animos excelſa tanti Principis fama, & ſympatica vi civiũ devinxerat corda, Martialis ille, ejusdẽ ad ſublimia natus ac enutritus genius, heroica indoles notaq; magnanimitas & fortitudo, ſpectavimus antiquiſſimum Generis ſplendorem, quod à Vitichindo Magno ultra novem ſæcula in meliori Germaniæ parte ſupremo jure dominatur, ſummum Pontificem Gregoriũ V. ſex Cæſares primum nempe & 2dum Henricũ, tres ſucceſſivè Ottones, & Lotharium ſecundum, & multos Europæ cognatos Reges, innumeros Duces & Electores tam Saxoniæ quàm Marchiæ, alioſq; Heroes, quibus omnibus auguſta domus Saxonica, ad ſupremum dignitatis faſtigium erecta eſt. Sciebamus ſingulares præfati Sereniſſimi FRIDERICI AUGUSTI virtutes à pueritia non A. C. 1699

A.C. 1699 in molli otio ut plerisq; nascendi sorte Dominis contigit, sed per omnes militiæ gradus ad meritum supremorum instructum, lustratas ab eodem omnes Europæ Provincias, ut ex aliorum moribus velut apes è florum varietate meliorem favum eliceret. Nullam ejusdem ætate in Belgio, aut Germania obsidionem, aut pugnam à Cæsareis Confœderatis factam, cui voluntarius Dux non interfuerit. Quæ supremus Cæsaris Exercituum in Hungaria Præfectus gesserit, Transsylvaniam, quâ celeritate cum triginta Equitum millibus advolans, de Barbarorum manibus eripuerit, nemini non innotescit. Hæc dum fuerunt militaris ejusdem Imperij tyrocinia & adolescentis FRIDERICI AUGUSTI experimenta, quæ ad provecti Ducis gloriam satis superque sufficerent, tantisq; animi dotibus, juncta vegeta ac florens juventus mirumq; artuum robur, vultûs gravitas atque majestas hæreditaria opulentia, quæ omnia ad Regiam Mtem melius præstandam ac sustinendam contribuunt, animos nostros devinxerunt. Sed tunc vel maximè cum certi fuimus, spiritum, qui ubi vult, spirat, divino suo lumine, ab ejusdem corde errorum tenebras excussisse, ipsumq; Catholicam Romanam fidem, sine cujus professione nemini ad solium nostrũ datur accessus, quam ab aliquot annis futuri nescius secretè profitebatur, jam palàm ac liberè exercere. Tam sublimium meritorum quæ ad perfectum Regem efformandum sufficiunt, habita à nobis consideratio & communis tranquillitatis desiderium, scissam Rempub. divisosq; civium animos coadunarunt. Hinc nos Reipub. legibus inhærendo accedentibus unanimibus atque concordibus votis pro jure liberæ electionis, quod bonum, felix, faustumq; sit, ad DEi gloriam & patriæ nostræ decus Præfatum Seren: Dominum FRIDERICUM AUGUSTUM, Ducem Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Angariæ & Vestphaliæ, S.R.I. Archi-Marescbalcum & Electorem, Langravium Thuringiæ, Marchionem Misniæ nec non superioris & inferioris Lusatiæ, Burgrabium Magdeburgicum, Comitem, Principem Henneburgensem & Bartij, Dominum in Ravenstein &c. in Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volbiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenfciæ, Severiæ, Czernichoviæq; electum, assumptum & coronatum omni meliori modo & fortuna approbamus, & confirmamus & declaramus. Et quadam grati animi memoria Regiam coronam, qua Otto III Saxo Imperator Anno millesimo primo Boleslaum Chrobri Poloniæ Principem redimivit, super Saxoniæ Electoris tempora fortunato Polonæ gentis & Catholicæ Religionis omine reponimus. Et sicut FRIDERICUM III. Marchionem Misniæ ob ademptam proprijs viribus & copijs Hussitarum furijs Bohemiam Sigismundus Cæsar anno 1425 Electorali dignitate donavit; sic illius successor FRIDERICUS AUGUSTUS ad Sanctæ Ecclesiæ Romanæ obedientiam veniens, Poloniæ coronam gloriosissimè obtinet. Cumq; jam Seren. Rex personali juramento firmaverit, quòd leges nostras immunitatesq; Ecclesiæ-

clesiasticas & Sæculares per Divos prædecessores nobis concessas & donatas, aliaq; jura tam publica quàm privata, nec non pacta conventa, integrè servabit & manutenebit. Nos vice versâ sanctè & bona fide promittimus, quod eidem Seren. FRIDERICO AUGUSTO Regi, sub nomine AUGUSTI II. eandem fidem, reverentiam, obedientiam, subjectionem & obsequia debita justa & honesta, secundùm jura & libertates nostras, sicut Divis Suæ Majestatis prædecessoribus exhibebimus. Quod quidem Decretum Electionis, in Regem assumptionis, confirmationis & coronationis DEo adjuvante exequi cupientes, de communi consilio & usu Illustri ac Magnifico D. Casimiro Ludovico Bielinski Succamerario regni, Cernensi, Mariæburgensi, Tucholiensi, Osiecensi Capitaneo, actus Electionis Mareschalco committimus & potestatem damus, idem intimandi & ad notitiam Suæ Majestatis deducendi, ac in eiusdem manus tradendi, cæteraq; quæ hoc ipsum negotium requirit, agendi & perficiendi. Dat. Varsaviæ sub tempus Comitiorum Generalium die 16 mensis Junij Anno 1699. A. C. 1699

M. Cardinalis Radzieiowski Primas regni & M. D. L.
(Locus sigilli pensilis) *mpp*
Casimirus Bielinski Succamer: regni Ord. Equest. Mares:
(Locus sigilli pensilis) *mpp.*

CXXX.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS VARM. ET SAMBIENSIS ALEXANDRO SALAROLLI, 29. Julij.

De pacificatione, jure patronatus regij, & constitutione ejus.

JAm tibi brevibus significavi finita feliciter fuisse Comitia pacificationis, & quidem, quod planè nunquam fortè accidit, in tempore, hoc est ipso die, quo finiri debent, in spatio scilicet sex septimanarum. Scis Mareschalcum fuisse Comitiorum horum Stanislaum Szczuka Referendarium Regni, nôsti hominem, & propterea non miraberis, ut & ego minimè miror (qui difficiliora eum toties perfecisse scio) activitate ejus factum, & factum benè. *Finis comitiorum.*

Pacta conventa cum Rege quæ hactenus in variis locis vagabantur, impressa sunt. Diploma Regis regno datum, & vice versâ à Rep. Majestati Suæ, pro more, lege, ac consvetudine à Cardinali Primate, & Casimiro Bielinski Succamerario Regni ordinis Equestris electionis Mareschalco constitutionibus inserta, quorum Diplomatum copiam tibi adnectere visum est; ut & ipse videas, & aliis denunties ex integro Remp: pacificatam jam esse. Unde laus, honor, & gloria Eminentissimo Paulucci, qui lapidem fudamentalem huic pacificationi posuit, innatâ suâ prudentiâ, dexteritate, & activitate compositis motibus, reductisq; animis filiorum in Patrem, Patris in filios, subditorum in Regem, Regis in subditos. Reliquit hic purpuratus memoriam perennis famæ suæ, quæ tamdiu durabit, quamdiu & Regnum, tot laureas nomini suo reliquit, quot Polonos à periculis, quæ certa imminebant, salvavit, resque asperas nec facilè coadunandas in vias deduxit planas. *Pacta conventa.* *Pacificatio adscribitur Paulucci.*

In his comitiis securitas Regis, & pacificatio Statuum tam in Regno, quàm in Litvania per constitutionem stabilita, cujus constitutionis formalia de verbo ad verbum tibi mittenda credidi; quæ sunt.

A.C.1699 Quamvis Regiminis nostri efficacissimum posuimus fundamentum in amore inclytæ Patriæ hujus filiorum, & in eorum infractis fide, &

Constitutio honore in Reges suos pectoribus, occurrendo tamen omnibus occasionibus, quæ ex discordia in campo Electorali, aut ex suspicione aliquarum diffidentiarum in Majestatem & Remp. oriri possent sub aliquo prætextu omnes Status congregatos Regni Poloniæ, & M. D. L. sicut & Dominiorum incorporatorum ex vero in nos zelo suo talem generalem penes personam nostram, & integritatem Regiam totius Reipublicæ nomine constituerunt obligationem. Quod electis nobis liberis suffragiis, & agnitis postea per Diploma scriptum, omnium partium accessu, pro legitimo Rege, exemplo Antecessorum suorum, in quocunque demum statu vel periculo non tantùm nos non deserent, sed etiam sub legamento fidei, honoris, & conscientiæ penes personam nostram, & integritatem Regiam, fortunas, sangvinem & salutem suam, ita, ut honestos decet Polonos, oblaturos & fusuros se declarant. Pro majori verò & firmiori confidentia, ipsi inter se amorem & pacem tam in statu civili, quàm etiam in militari conservaturos se inviolatè, & debitam justitiam ex delinquentibus in foro competenti assecurant, & quemvis talem, qui aliquid contra nos, aut electionem nostram clámve palámque incipere vellet, aut protectionem aliquam incipientibus dare præsumeret, pro perduelli & hoste Patriæ declarant, & contra illum insurgere, omnesque si fuerint coadunatæ privatas personas deleturos se appromittunt. Ultra id omnia scripta dictæ electioni nostræ contraria, & cum quibusvis quomodocunque & quocunque modo formata, sicuti projecta & scripta, quæ ad diffidentiam publicam occasionem contra personam nostram dare possunt, cassant, & annihilant; & ne in futurum aliquâ præcipitantiâ similia scripta in Reipublicæ differentias aliquas, & dissidia, motusque paci publicæ noxios adferant, tunc fidejubemus, quòd contraventio communi legi, si notata fuerit, in persona nostra pertinebit ad admotionem processu secundùm constitut: Anni 1609 de non præstanda obedientia expresso, quam legem æternis temporibus in suo robore conservamus, & propter perfectiorem, & inviolabilem Regnorum nostrorũ ab intra pacificationem eximendo omnibus quosvis ad personam nostrã scupulos hanc æternam in posteras ætates Polonæ Provinciæ & M. D. L. facimus securitatem pro nobis & Successoribus nostris. Quòd conservando integritatem fidei sanctæ Catholicæ Romanæ libera electio inclytarũ harum gentium secundùm consuetudines & antiquas leges, præcipuè verò constitutionis 1670 inviolabilis semper manere debet. Pacta conventa uti etiam leges antiquas omnes, & quæ in futurum constituentur, libertates, & immunitates gentium, quæ juxta formam juramenti tribus vicibus sincera juravimus mente; inviolabiliter in omnibus punctis conservabimus, & statim omnem nostrum exercitum exoticum primo ex casu inductum propter venientem Gedanum æmulum, & postea generosiori spiritu sub Camenecum pro recipienda Vallachia & Moldavia retentum ad extremum ex occasione jam imminentis hyemis in Dominiis Regni Poloniæ & M. D. L. pro hyeme locatum, sicut jam in parte extra limites expedivimus nonnullos, alii jam ad limites appropinquant, alii exeunt, alii demum mandata ad exeundum recipiunt ex nunc omnes etiam sex illa millia, quæ in pactis conventis declaravimus non obstante ad præsens eorundem pactorum ligamento extra limites educere tam ex Regno, quàm ex M. D. Litvaniæ & ex Provinciis annexis in spatio duarum septimanarum post hæc Comitia feliciter finita declaramus. Nulla extra-

tranea Regimina, nec homines quosvis pro persona nostra relinquentes exceptâ solâ Guardiâ propriis sumptibus, & nullo Reip: auxilio 1200 hominum juxta pacta conventa concessorum, & idipsum ut Officiales super illam eo modo sint constituti, uti in pactis conventis assecuratum est, & secundùm constitutionem anni 1646ti sub titulo: *De colligendo novo exercitu*, & in his omnibus non aliter nos facturos, & acturos nisi sicut Reges Seren: Antecessores nostri, Regio verbo nos obstringimus. Insuper ne ex personis exoticis Germanis ad latus nostrum per occasionem ejusdem exercitûs exotici manentium augeantur sinistræ conciliorum suspiciones, omnes à nobis relegandos declaramus, exceptâ Cancellaria Saxonicâ, sine qua nullatenus esse possumus, ita tamen ut in illa ultra sex personas non inveniantur, & ut in nulla consilia, negotia civilia, militaria & Oeconomica, sicuti & nec in promotiones ullas ingerere se audeant, cui attendere Cancellarii & vice-Cancellarii utriusq; gentis tenebuntur sub pœnis legibus descriptis, exceptis tamen personis ad minora servitia juxta pacta conventa. Quo fine ut universales literæ, & mandata nostra instantaneè ad instantiam conclavis Nuntiorum à nobis subscripta omnibus requirentibus Cancellaria nostra extradat, jubemus. *A.C.1699*

Et si in superiùs nominato tempore Exercitus noster ex finibus Poloniæ, M. D. L. & Palatinatibus Prussiæ non exiret, aut prætextu minùs justo retrocederet, aut si aliquando ultra consensum totius Reipublicæ contra præsentem constitutionem, sive id ex Senatûs consilio, sive etiam quovis colore, sive etiam in alienis Dominiis, sive in nostris propriis conscripti ingredi, & vexilla erigere auderent, tunc post exspirationem dicti temporis in spatio quatuor septimanarum, aut ab accepta in futurum notitia, omnibus sub onere antiquarum legum, hoc est sub jactura honoris & substantiæ de expeditione bellica constitutarũ publico nobilitatis motu non expectando universales nostras literas, quod pro offensa Majestatis nostræ nullatenus habebimus, sed ex notitia & informatione data ab his, ad quos hoc pertinebit, equos conscendere tam in Regno, quàm in M. D. Litv: liberum erit, & ut unus alteri possit succurrere concedimus, & ut tales contra expressum hoc promissum nostrum non exeuntes, aut retro venientes, seu quovis illicito dato casu tanquam hostes Patriæ partitim sive conjunctim ita in Regno, sicut in M. D. Litv. aggredi, & delere permittimus, neq; id in ullum crimen læsæ Majestatis vel perduellionis ullo prætextu trahemus, quinimo accipiemus id pro jure permisso, sicuti lege præsenti, ita & constitutione superiùs citatâ 1646ti, quàm ad eundem casum reassumimus, & illam in toto, sicuti & alias in eadem constitutione expressas leges confirmamus.

Et hæc sunt contenta constitutæ vicissim securitatis, quam Comitia sicut in favorem Regis à Republica, sic & Reipub: à Rege providit. Scias verò fieri constitutiones nostras omnes sub nomine Regio, & quod omnibus præscribitur nomen Regis.

Non expectati sunt Duces belli, & per id revelatum arcanum, posse aliquid sine illis fieri in Republica. Aliquot dies post Comitia finita Castellanus Cracoviensis magnus Dux Exercitûs cum Palatino itidem Cracoviensi Collega suo minori comparuerunt, maleq; eos habuit acceleratus sine illis finis, idq; Regis imputârunt diffidentiæ, sicut & certum est Majestatem suam non tamen sine ratione, nec sine consilio ad finem properâsse. Nec sic quidem meo judicio malè, multæ enim difficultates obvenire potuissent, præsertim, cùm multi nunc sint, sicut semper fuerunt, qui plùs commoda sua, quàm Regni in corde habent. *Duces Regni non sunt in comitiis.*

Diminutio exercitus nostri, & ordinatio facta est; cumq; ad finem vergerent

A.C. 1699 gerent Comitia, collatoq; poſt mortem Dominici Radziwił ejusdem immediati poſſeſſoris Carolo Radivilio Procancellario Litvaniæ majori ſigillo vacabat minus, quòd primò Rex Zawiſzæ Capitaneo Gubernatori Minſcenſi declaraverat, ſubſcripſerat, ac per me ipſum eidem Gubernatori confirmaverat, ſed ſucceſſu temporis neceſſitate quaſi adactus Rex, idem ſigillum, oblitus primæ declarationis Michaëli Kociel Caſtellano Trocenſi itidem ſubſcripſit. Cumque in Comitiis hæc declaratio eſſe debebat, & Domini Sapiehæ non ſibi convenire, ut aliquis ex nominatis hoc poſſideret miniſterium credentes, variis modis curârunt, ut tertius interveniens eo potiretur. Quare poſt aliquam confidentem mecum conferentiã concluſerunt, quanquam nonnulla intercedebat diffidentia ab initio, ut Stanislaus Szczuka Regni Referendarius, ac comitiorum horum Mareſchalcus officium hocce ex gratia Regis obtineret. Egimus ergo tam fortiter, quàm ſecretò hocce negotium, ita, ut etiam ille ipſe, cujus res erat, vel ignoraret abſolutè, vel etiam ignorare ſe profiteretur. Ultimâ ergo die finitorum Comitiorum, & declaratio publica & collatio hujus ſigilli minoris facta. Stupebant ſuper hoc intereſſati, fremebantq;, mirabantur Litvani, gratias agebamus nos Regi, gratulabamurq; beneficiato, omnia bona Litvaniæ ominamur, hoc conſule & Miniſtro.

Collatio ſigilli minoris.

Interim poſt finita Comitia ſecretius fuit conſilium, circa proſequendum negotium juris patronatûs Regii, quod quia tibi Rex Romam eunti commiſit, & tu non habere te ſufficientia documenta ad probandum & evincendum ſcripſiſti, demandavit cum conſilio Rex Włoskievicio Seniori Curiæ Advocato, ut cum aliis conferret Advocatis circa hocce negotium, & quidquid informationis, & ſcriptorum hac in materia eſſe poteſt, per manus meas tibi Romam mitteret. Farraginem ergo horum ſcriptorum ab illo recepi, & aliqua tantùm legere licuit occupatiſſimo; reliqui tamen mihi copias ſuo tempore, dum vacabit relegendas. Tu verò legas diligenter, utere illis prudenter; Rogatum nihilominus te vellem, ut nemini dicas à me hæc transmiſſa fuiſſe; jam enim expertus ſum aliquas exinde venientes offenſas, quamvis innocenter; quia teſte cælo & terrâ nullam aliam privatam rationem habui, quoties id negotium tractandum erat, niſi purum deſiderium, ut hæc materia, quæ fuit lapis offenſionis toties, finiretur, neq; veniret tempus, ut timeo quo ſtatus Regni aliqua facere aggrediantur, quæ poſſunt diſplicere. Pro prudentia tua fac, quæcunq; poteris, ut tandem ſic faſtidioſa & odioſa omnibus Nuntiis ſopiatur materia per viam gratiæ, ut ego crederem, nam id glorioſum eſſet Pontifici regnanti, omnibus Nuntiis commodum, & Regno utile. Precor DEum, ut det perfectum finem omnibus iis difficultatibus, quæ animum Pontificis, & Sanctæ Sedis à devota gente noſtra avocare queant.

Documenta pro jure patronatg ad Abbatias. ad P. Seimina

SYNOPSIS ACTORUM DICTORUM & SCRIPTORUM IN negotio Abbatiarum, ad hæc usque tempora.

QUamdiu Regulares, regulariter vivebant, non inquietabantur in Electionibus ſuorũ Abbatum: Dum verò cum tempore intepuerunt, ac varia & Regioni huic & Religioni Orthodoxæ cauſare cœperunt; 1340 Reges etiã Poloniæ incipiendo à Caſimiro III. in quantum nobis ex ſcripturis innoteſcere potuit providendo ſecuritati Regni, & ne piæ ſuorum Anteceſſorum & vaſallorum fundationes labefactarentur, manum electionibus Abbatũ apponere, easq; primum ſtatutis circumſcribere, deinde nominationibus reſtringere cœperunt, tum jure ſupremi Dominii, tùm fundationis & dotationis, tum ſimili aliorum Regum Catholicorum exemplo tum præju-

præjudicato deſumpto ab electione Epiſcoporum ob ſimiles cauſas Capitulis adempta, tum privilegio ſeu ſaltem conniventia ac tacita approbatione Sedis Apoſtolicæ quæ mallebat Abbates nominari à Regibus, quàm eos cum Monachis inſici hæreſibus aliisq; exceſſibus. *A.C.1699*

Satis quidem civiliter Reges cum Monachis procedebant, dum Electionem eorum non totaliter tollebant, ſed quem nominabant, eum per literas Monachis recom̃endabant, imò & delegatos ſuos ad illos mittebant cũ inſtantia, ut illum nominatum eligerent. Monachi etiam pari certabant cũ Regibus civilitate & reverentia, ſemper eum eligendo quem Rex præſentabat. Quòdſi aliquando contigiſſet, ut alium eligerent, Reges eum adire poſſeſſionem nullo modo patiebantur, imò etiam per vim exturbabant.

Nominabant autem Reges aliquando ipſosmet illius Religionis profeſſos, quæ propriè dicitur electio, & taliter electi, à loci Ordinario benedicebantur ſine recurſu ad Sedem Apoſtolicam. Aliquando nominabantur Prælati ſæculares volentes habitum & profeſſionem illius ordinis aſſumere, & hæc quidem de jure vocatur poſtulatio. Sed etiam tales ordinariè ſine recurſu ad S. Sedem, novitiatu abſoluto & facta profeſſione à loci ordinario benedicebantur & capiebant Abbatiæ Poſſeſſionem. Demum nominabantur à Regibus Epiſcopi ſeu alii Prælati in Adminiſtratores perpetuos ſeu Commendatarios Abbates (ut in jure vocantur) tales nunquam capiebant poſſeſſionem Abbatiæ absq; proviſione Apoſtolica per Bullam.

Vladislaus IV. edidit quoddam diploma, quas Abbatias in titulũ profeſſis, quas profeſſandis, quas in commendam erat collaturus. Sed & ipſe & ſucceſſor ejus Caſimirus ad eam ordinationem ſe non alligabant, ſed pro beneplacito Abbatias quascunq; ſive in titulum, ſive in commendam per nominationes ſuas conferebant, Sede Apoſtolica eas nominationes non improbante ſed omnes admittente; imò quod majus eſt, in Bullis ſuis nullam electionis Monachorum mentionem faciente, ſed tantùm Regiæ præſentationis, vigore cujus Abbatiam conferri à ſe profitebantur.

Verùm tempore Regis Michäëlis grandis exorta eſt tempeſtas, quam privata inter quosdam Epiſcopos commovit diſſenſio, quæ occaſionem dedit Romæ & Monachis dubitandi de jure patronatûs Regio, vigore cujus erat collata Abbatia Andrejovienſis Olſzovio Procancellario tunc Regni & Epiſcopo Culmenſi, ita ut plurimas à Curia Romana paſſus ſit circa poſſeſſionem ejus oppoſitiones.

Succeſſit Michäëli Joannes III. & offendens turbatum juris patronatûs Regii quo ad Abbatias negotium, ſeriò cum Romana curia de hoc agere cœpit per Ducem Radivilium, Zbąſcium Epiſcopum pro tunc Præmiſlienſem, Swięcicium Referendarium Regni, ad urbem in variis negotiis ablegatos, quorum negotiationis in puncto non extant veſtigia: Hoc ſolùm certum, quòd nihil certi obtinuerunt. Interim tamen ad nominationem Regis aliquæ expediebantur Abbatiæ etiam in commendam uti Wąchocenſis, in favorem Illuſt: D. Andreæ Załuski Epiſcopi Kijovienſis Anno 1682 aliæq; nonnullæ. Volens autem Rex aliquid habere ſtabile & non controverſum expedivit ad urbẽ Dönhoffium Abbatem Claræ Tumbæ titulo ablegati anno 1685. Qui ſupplicavit Papæ nomine Regis, ut poſſet in perpetuum nominare in commendam ad 15 Abbatias variorum ordinum, relictis quinq; liberæ electioni Monachorum. Verùm contra hanc propoſitionem Monachi Acheronta moverunt, & rationes in contrarium typis impreſſas S. Congregationi Conſiſtoriali exhibuerunt cũ injuria & Majeſtatis & veritatis. Quapropter nemine jus Regium ſtrenuè propugnante, nihil eſt impetratum, aut concluſum.

Anno verò ſequenti 1686 Ciſtercienſes in capitulo ſuo convenerunt & Regi

A.C.1699 Regi ſe ita ſubmiſerunt ut ex 15 eorum Abbatiis, ad primas quinq; Rex nominaret ſæculares Prælatos in commendam. Ad alias quinq; ſæculares quidem ut Rex nominaret, ſed cum obligatione Profeſſionis. Ad reliquas quinq; ut Monachi ipſi independenter à nominatione Regia Abbatem titularem è medio ſui eligerent. Verùm neq; hoc ullum ſortitum eſt effectum, neſcio quam ob cauſam.

Tandem dum nominationes Regiæ ad quaſdam Abbatias retardarentur, miſit Rex ad urbem Patrem *Vota* Societ: JESU Theologum ſuum probatæ activitatis & experientiæ virum. Qui veniens Romam anno 1692 ita ſtrenuè decertare cœpit pro jure Regio, ut poſt annum & alterum Innocentius XII. declaraverit ad ſatisfaciendum Regi omnes Abbatias dividere, duosq; Abbates in ſingulis Abbatiis erigere, unum titularem, alterum commendatarium. Proventus etiam quadrifariam diſpertiri ita, ut una pars Abbati titulari, altera commendatario, tertia Monachis, quarta fabricæ ceſſura eſſet. Executionem hujus ſuæ voluntatis Pontifex commiſit Nuntio ſuo & Cardinali Radzieiowski. Verùm quia & Regi & Senatui non usquequaq; hæc deciſio placuit, imò forſan & Curia Romana non libenter eam in executione vidiſſet, ingentesq; occurrebant difficultates; machina hæc ipſa ſua mole corruit vix ſuî veſtigio relicto.

Succedente interim fato Joannis III. Auguſtus Rex per pacta conventa ſtrictè obligatus erat, ut eam juris patronatûs cauſam reſuſcitaret, non tam diſputando quàm ſtatuta de Corteſanis exequendo, & ut nominati à Joanne III. ad poſſeſſionem Abbatiarum venirent procurando, nec permittendo, ut quis ſine nominatione regia gaudeat uſu fructu bonorum Abbatialium.

Tandem hoc anno 1699 in Generalibus Regni comitiis fit ingens omnium fremitus & indignatio, quòd plures nominati Regii ad Abbatias, à multis annis non ſint in earum poſſeſſione, & è contra aliqui ſine Regia nominatione fruantur bonis. Formatur rigoroſa lex, ut bona per commiſſarios Regios recipiantur, & adminiſtrentur usq; ad expeditionem è Sede Apoſtolica obtinendam, intruſi verò ſine nominatione ut expellantur.

Verùm quidem, quòd ea lex ad inſtantiam D. Prépendowski Palatini protunc Mariæburgenſis qui primus tunc erat Regis Miniſter ſummè deprecantis, ne per eam legem expeditio Coadjutoriæ Olivenſis in perſonam fratris ejus impediretur, immutata eſt: Solúmq; genericè ſtatutum eſt, ut omnia jura de jure patronatûs in ſtatutis & in volumine legum expreſſa inſiſtendo pactis conventis ſtatim poſt Comitia indilatè efficaci executioni demandarentur ſalvis Abbatiis Pruthenicis, quarũ ſunt duæ Peplinenſis & Oliven:, pro qua zelabat Prependovicius. Quæ quidẽ lex ſatis gravis cum involvat pœnam exilii, infamiæ & confiſcationis bonorum omnium quicunq; ſine nominatione Regia Abbatias poſſideret. His in compendio expoſitis, ob verificationẽ eorum adnecto totum proceſſum hujus negotii & omnia ſcripta quæ ad manus meas devenerunt in Elencho ſequenti.

ELENCHUS CONTENTORUM IN PROCESSU ABBATIARUM.

Imo. Tractatus de electionibus Abbatum in Polonia à quo tempore, & cur cœperint infirmari, & de privilegiis Ciſtercien. *2do.* Michaël Rex revocat privilegia Joannis Caſimiri regularibus conceſſa. *3tio.* Decretum ejusdem Michaëlis de malè obtento privilegio prætenſæ electionis Præmonſtratenſis Abbat. *4to.* Decretum contumaciale ejusdem Regis contra Ciſtercien. cum renovatione prætenſi privilegii electionis Abbatum. *5to.* Exe-

Executio Bullæ pro Abbatia Coronoviensi Gninscio collata post examinatum, & probatum jus Patronatûs. *6to.* Testimonium Joannis Gembicki Episcopi Plocensis de jure Patronatûs Regum. *7mo.* Testimonium Thomæ Leżynski Episcopi Luceoriensis de eodem. *8vo.* Præjudicatum antiqvum de jure Patronatûs in Monasterio Olivensi. *9no.* Quinquaginta singularia juris Patronatûs Regum Poloniæ. *10mo.* Quæstio de tractatu cum Nuntio. *11mo.* Memoriale ad Papam cum supplicatione pro commendandis XV. Abbatiis. *12mo.* Refutatio rationum à Monachis contra memoriale supra scriptum inductarum. *13tio.* Submissio Ordinis Cisterciensis Regi Joanni ratione Abbatiarum. *14to.* Literæ Dönhoffij Cancellarij Regni ad Cardinales in negotio Abbatiarum. *15to.* Literæ Joannis III. ad Patrem *Vota* in eodem negotio. *16to.* Supplex libellus Cleri Poloni ad Papam in negotio divisionis Abbatiarum. *17timo.* Informatio, quomodo procedendum sit in hoc negotio divisionis Abbatiarum. *18vo.* Præsentationes Regiæ effectum sortitæ, ex regestris Datariæ. *19no.* Punctum ex pactis conventis Augusti Regis de Jure Patronatûs. *20mo.* Constitutio comitialis 1699ni de jure Patronatûs, quæ duriùs imò durissimè absentibus Episcopis erat lecta, & conclusa, sed pòst iidem evicerunt, ut moderatiùs fuerit impressa. *21mo.* Statuta quædam Regni de Cortesanis & jure Patronatûs. A.C. 1699

TRACTATUS DE ELECTIONIBUS ABBATUM IN POLONIA, A QUO TEMPORE ET CUR COEPERINT INFIRMARI?

Nihil est tam excelsum, quod non cadat: tam firmum, quod mutationē nō admittat, nec adeo in omnem armatum casum, ut nulli alternantis fortunæ vicissitudini quandoq; sit obnoxium, quod bene expressit Pöeta:

Sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere pondera gentes,
Concidere has!

Sive id accidat naturæ quadam infirmitate, & ordine, quæ ejusdem conditionis cum sit impatiens, & status; continuo agitatur motu; atque ut à primis incrementis ad perfectionis nititur contendere fastigium, sic deinceps ab illo sui incrementi, & sumitatis culmine ijsdem, quibus ascenderat gradibus, devolvitur; sive id fiat à deflexo rerum humanarum cursu, qui imperfectioni proclivior, majori impetu ad deteriora prolabitur. Atque inde sæpius accidit, ut quæ prius bene conveniebant incrementis, non bene decrescenti augmento adaptentur. Quod prudentibus populorū Gubernatoribus occasionem dedit, ut rationi temporum & momentis, leges suas accomodarent, primævorum Institutorum & legum, exactam in regendis populis rationem sæpe requirerent. Quodsi in aliis tum vel maximè in veterum S. Ecclesiæ Canonum pœnitentialium observantia videre licet. Quantus olim septennalis pœnitentiæ (pro singulis gravioribus Dei offensis) adnotatur rigor, veteri illi zelo & primævæ primorum Catholicorum accomodatus pietati, at nunc quanta S. Ecclesiæ in nos benignitas; dum effusa è Christi thesauro Indulgentiarum largitate, nostræ subvenire dignatur infirmitati. Ipsa Religiosa veterum Patrum instituta quantas non non admittunt corruptæ vetustatis rimas, ut ad supplendum antiquatæ Religiosæ pietatis defectū novas in Ecclesia Dei Religiones suscitari fuerit & sit necesse. Vetustate enim collapsa si primævo suo restituerentur ordini, quanta id violentia, quanta laboris & virium contentione fieri deberet.

A.C. 1699 Sed quorsum hæc tam alto repetita principio? horsum, ut ostendam antiquiora instituta tractu temporum sensim deficere, ac proinde, quæ benignitate, & munificentia Ecclesiæ concedi sunt solita, cessante motivo principali sensim evanescere, nec ita bene ut primitus posse accommodari; multa enim ex causa rationabili per dispensationes, declarationes summorum Pontificum, ex supremæ potestatis plenitudine, & per usum privilegiis contrarium infirmiora redduntur. Sed ut clariùs sensum meum aperiam, ostendere conabor privilegia S. Ordinis Cisterciensis à sede Apostolica (quæ semper venerari mihi animus est) præsertim de electione Abbatum concessa non rectè pro temporis moderni ratione allegari, præcipuè cum tanto temporum lapsu sacer Ordo Cisterciensis de illis siluerit, & contrarium usum induci permiserit.

Si quæ unquam majora, quàm im̃unitati Ecclesiæ concessa fuêre privilegia, dum à Constantino magno, sumpto initio tot Imperatores Romani, & Principes in ea consenserint, sum̃i Pontifices & Concilia eadem firmaverint, Reges & Principes in suis quoq; ditionibus & Regnis stabiliverint, & tamen quæ modernis temporibus tot & tantis non obstantibus privilegiis Ecclesiastici patiuntur, non est multum agere necesse, ideoq; sufficit innuisse. Electiones Capitulorũ de Episcopis eligendis quantâ Conciliorũ firmata fuerunt authoritate, at earum ad præsens usus jam evanuit.

Ducenti jam & amplius intercessere anni ex quo electiones personarum Spiritualium in Regno Poloniæ cœptæ sunt infirmari, Sac: Curiâ Romanâ coñivente, ac usum ejusmodi tolerante, Anno enim 1460 Casimiro IIII in Polonia regnante & post fata Thomæ Ttrepinij Episcopi Cracoviensis sede vacante, cum tres candidati de illo Episcopatu cõtendissent. Unus à S. Sede Apostolica provisus cognomento Servinius, & per tres Suffraganeos Episcopos Cracoviæ consecratus. *2dus.* à Rege Casimiro, cum præjudicio electionis Capitularis datus Joañes Gruscinius. *3tius* à Capitulo Electus cognomento Bresius, tantæ contentioni & Jurium Ecclesiasticæ im̃unitatis violatæ (per ejectos è suis sedibus Canonicos, & malè habitos & obsidione cinctum in arce Pincoviensi per Ministros Regios provisum Apostolicum) in causa fuêre, sed ad tantam indignationem Regem ea causa impulerat, ut in eâ verba proruperit, se malle Regno suo cedere, quàm pati ac permittere, ut quis in eo dominetur. Et quia violento actum est remedio, cessit jam consecratus jure suo Episcopus, quatuor tantùm millibus marcarum pro litis expensis à Regis Præsentato acceptis. Non desunt & alia succedentium Regum Exempla: Sigismundi III. occasione Tinecensis, Vladislai IV. occasione Tremesnensis Abbatiarum, qui eodem modo in suis juribus asserendis processere.

Eodem ferè tempore statuit Rex, ut Episcopus Posnaniensis ad consecrationem Abbatis Lubinensis non procederet, nisi Regia Mtas in eandẽ electionem consentiret, utque idem Conventus Lubinensis Abbatem electum Regi præsentaret. Quòd exemplum ad alias quoque serpsit Abbatias, variis primùm statutis circumscribendo electiones, ac tandem descendendo ad præsentationes cum clausa, ut hunc, non alium eligatis, per quam enervatur tota vis electionis. Sed dum ea taliter aguntur, silet Religio, & jus præsentandi præscribere permittit; & cum quadragenaria præscriptio ad quærendũ alicui jus sufficiat, centenariã & majorẽ admittit.

Quod verò non quadraginta tantùm, sed etiam triginta annorũ spatiũ ad tollenda privilegia, & acquirendam præscriptionem sufficiat, allegatur textus juris Canonici; præterea ad hoc ut perdatur privilegiũ, sufficit quòd quis per triginta annos privilegio suo non sit usus; accedentibus tex: de privilegijs,

vilegijs. Ibidem dicitur quòd unico actu contrario perdatur privilegium. Cum *A.C.*1699
verò non obstantibus Privilegijs Reges à ducentis & amplius annis continuò præsentaverint ad Abbatias, easdemque præsentationes Summi Pontifices semper admiserint, ut videre est in regestris datariæ. Ergo apparet per hos multiplicatos & continuos actus privilegia de Electione Abbatum esse enervata & omnino evacuata.

Nec obstat, quòd Synodi Provinciæ Gnesnensis tempore Sigismundi Primi & Augusti Filij ejus celebratæ, electionem Abbatum videantur defendere contra statuta Regum. Quia Reges ex rationibus justi & æqui contraibant illis Synodis & continuabant suas præsentationes, quas summi Pontifices admittebant. Si ergo leges dum non acceptantur, nullam habent vim, ut patet in ipso Concilio Tridentino in eis provincijs, ubi non est acceptatum. Multò minus Synodi ex subditis constantes valebunt contra suos Reges ac eorum majestatica jura, præsertim ubi summa potestas Ecclesiastica talem Regum agendi modum saltem tacitè approbat præsentationes eorum admittendo. Unde Piaseccius par. 2. cap. 3. art. 6. & Gavantus de Privilegiis Regularium non dubitant asserere: quòd maximè circa ista privilegia advertendum est, an fuerint in usu in loco ubi controvertitur: Si enim adesset consuetudo contraria, illa derogaret talibus privilegiis & esset tenenda.

Et hæc quo ad præscriptionem juris, quòd Reges ad Abbatias præsentent; sed quoniam dupliciter præsentant Reges, quosdam in titulum, quosdam verò in commendam; necessariò fieri debet mentio de commendis, an eorum fuerit usus in Polonia, hoc enim à Religiosis intenditur Ordinis S. Cisterciensis, ut commendas excludant; & dico Abbatias in Polonia commendari solitas à Prælatis sæcularibus, patet ex constitutionibus synodalibus anni 1551, ubi habetur, quòd jam tunc sæculares personæ titulo commendarum Abbatias possederint. Et Piasecius ipsemet Abbas commendatarius Claræ Tumbæ in sua praxi par. 2. cap. 6. art. 3. ait his verbis: cum commendat Papa, nec præfigit tempus commendæ, in dubio tali præsumitur commenda perpetua. Et hujusmodi commendatarius qui est ad vitalitia, verus est Prælatus, & habebit eandem authoritatem administrationis & jurisdictionis quam haberet Beneficiarius in titulum. Horum commendatariorum magnus ponetur infra Catalogus, ita ut nulla ferè sit Abbatia, quæ non fuerit multoties commendata, & quidem aliquæ continuata serie, uti Andrejoviensis, Wąchocensis, Paradisiensis, Suleioviensis, Mogilnensis, Lubinensis, Plocensis, &c.

QUÆ MOTIVA FUERINT REGIBUS ET REIP. UT SE IN PRÆSENTATIONES ABBATUM INGERERENT.

imum. Motivum. Postquàm Reges Poloniæ cum sua gente fidem Christi sunt amplexi, non solùm amplissimos Episcopatus liberalitate eximia erexerunt, sed etiam varia Monasteria Cisterciensium, Præmonstratensium, Benedictinorum & Lateranensium, magnificè fundârunt & ingentibus latifundiis, oppidis, castellis, villisque plurimis dotârunt, delectati exemplari pro tunc illorum Religiosorum pietate, & Regulari observantia, cujus fragrantia de exteris regionibus etiam nostrum afflabat regnum; impulsi etiam desiderio spiritualis suorum subditorum fructus, quatenus si qui DEo singulariùs servire, ac mundo renuntiare cuperent commoda in eisdem cænobiis asyla haberent, præsertim de genere nobili, quod solùm in Polonia respicitur, cæteris extra portam dignitatum ac pene in servitute manentibus absque libertatis usu, soli nobiles gaudent.

A.C.1699 Per terna circiter sæcula Religiones prædictæ satis gratum dabant Christi odorem, ac numerum Religiosorum proventibus bonorum proportionatum fovebant; ideoq; ut ab omnibus observabantur & colebantur, ita à Regibus vivere suis legibus tum quo ad cætera tum quo ad electionem Abbatum permittebantur etiam cum demissione seu dissimulatione juris Regij ex fundatione ac dotatione acquisiti. Verùm cum etiam summis negatū sit stare diu, tempusque consummere soleat, ejus injuria ac humana fragilitate factum est, quod postea initia illa fervida intepuêre, rigor disciplinæ elanguit, relaxatio morum invaluit, cum Abbates suî non Monachorum, templorum aut monasteriorum curam gessêre, omnes ferè proventus ad se & suos luxus ad pompas traxêre, parte modica monasteriis relicta; unde Monachorum numerus longè imminutus, ut ubi centum foveri debebant & solebant, ægrè aliquot sustentabantur, pluribus per Parochias in officiis curatorum dispersis, ibiq; plerisq; malam de se famam longè lateque spargentibus; invalescente dein hæresi Lutherana, plurimi à Religione ac fide Catholica deficere, ad Lutheranismum & uxores convolare, vacua monasteria relinquere, ac eadein plebeiis aut exteris supplere, aliqui Abbates villas Abbatiales vendere, aliqui per incuriam desolare omnes ob impotentiam & suî contemptum utpote vel plebei; vel obscuri, varijs injuriis, spoliis ac devastationibus militum & nobilium Christi patrimonium exponere.

Hoc igitur primariò movit Reges, ut mutato illarum Religionum statu, ipsi quoque suum erga eas immutarent animum. Hinc est, quòd statuerint, ut Abbates pueros Nobilium erudiri facerent, scilicet dum in Monasterijs parvus erat Monachorum numerus, alijs à fide & Religione deficientibus. Hinc & alia statuta: ut Abbas sit nobilis, ut Electus sistat se Regi assensum petiturus, ex quatuor Candidatis Rex unum eligat, Episcopoque ad instituendum præsentet &c. Cum verò & hæc non satis prædictis incommodis obviarent, devenerunt Reges ad præsentationes seu nominationes directas tum ad ipsos Cœnobitas cum clausula, ut hunc & non alium eligant: tum similiter ad summum Pontificem, easdemque nominationes, usque ad hæc tempora pacificè continuarunt.

Si quis dixerit non potuisse sæcularem potestatem, facere illam immutationem circa Ordines Religiosos ob defectum jurisdictionis? respondetur. Si non directè certè potuisse indirectè propter bonum regimen temporale, tranquillitatem publicam & Regni securitatem. Sic & summus Pontifex indirectam habere dicitur jurisdictionem super Regna Catholica quo ad temporalia, in quantum ad spiritualem Ordinem requiritur. Hac potestate Reges Galliæ & Respublica Veneta non solùm immutarunt quasdam Religiones in suis statibus, cum ipsis expediens videbatur pro bono regimine, sed etiam quasdam è Regnis suis exturbarunt, uti notorium est ex Historiis.

Deinde ad Fundatores spectat, ut eorum piæ fundationes & intentiones adimpleantur, ac opportuna providere remedia, si eis non satis fiat. Videntes igitur Reges non eum Monachorum vivendi modum quem ab initio tenebant & quem Fundatores ac eorum successores intendebant, dum eis tam ampla largiebantur Bona; ex conscientia tenebantur his abusibus occurrere. Si dixeris quod tenebantur solùm superioribus id deferre, non verò ipsi corrigere; Respondetur, & deferebant, & ab ipsis Generalibus Ordinum rogati erant, ut excessus Monachorum Authoritate sua compescere dignarentur; hoc enim ipsis Generalibus in tanta distantia ac Monachorum licentia erat impossibile. Sed & ipsi Summi Pontifices in idem consentiebant, præsentibus enim eorum Nuntijs in Comitijs illæ ferebantur leges,

quas

quas nunquam improbavit Sedes Apoſtolica, imò potiùs approbavit, dum *A. C.1699*
præſentationes ſemper admiſit. Addendum etiam eſt, quod ad eaſdem leges Epiſcopi Poloniæ tanquã Senatores concurrebant. Et quamvis in quibuſdam antiquis Synodis videntur quædam improbata, ſed illa non habebant poteſtatem ſupra ſancita Generalium Comitiorum, ideoque tantùm precariò cauſam hanc promovendam cenſebant. Verùm poſteriores Epiſcopi & ſtrenuè Jus patronatûs Regium defendebant, & vigore ipſius præſentationes ad Abbatias cum effectu per centum & amplius annos obtinebant; quâ ratione omnia antiqua antiquarunt.

Denique, audivi ſæpiùs à Regibus, imò & ab ipſis Prælatis Sæcularibus, quòd libenter relinquerent Monachis liberam Abbatum è medio ſuî electionem, nec unquam commendas appeterent, ſi & Abbates & Monachi juxta primævam vellent vivere regulam, quam in primo in Poloniam ingreſſu profitebantur non ſolùm habitu ſed & actu. Si Abbas cum Monachis Communia haberet bona uti nunc Rector, Prior, vel Gvardianus, ſi abjicerent illum faſtum, luxum, famulatum, ſi Abbas eſſet quaſi unus ex illis, ſi primus ad chorũ, ad meditationes, diſciplinas, ſi Abbas non ex veſte ſplendida, bucca plena, lecto molliter & ſpecioſè ſtrato, cubiculis affabre factis & pretioſis adornatis perizomatib⁹, nõ ex abaco argenteo, deaurato, non ex menſa opipara ſub onere exquiſitarũ dapum gemente, vinis generoſiorib⁹ ſudante, uno verbo, non ex faſtu & vanitate, ſed ex majori modeſtia, humilitate, exẽplaritate, aſſiduo, & vigilanti, prudenti in regendo ſibi commiſſos zelo, ſi alius templorum & apparamentorũ nitor appareret, ſi numerus Monachorum præſertim nobilium ad proportionẽ proventuũ foveretur, ſi ex beneficijs omnes Religioſi ad cœnobia deducerentur &c. Verùm ſicut Propheta dixit quibusdam: poteſtne Æthiops mutare pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, ſic nec vos poteſtis benefacere cum malè didiceritis: ita & noſtri Domini Abbates ac eorũ cœnobitæ dubito quòd velint expoliare ſe veterem hominem cum actibus ſuis. Non mirentur ergo ſi & Reges aliter eos non tractabunt. Mirum potiùs omnibus, quòd Monachi nolentes obſervare ſuas regulas, velint ut obſerventur jura & privilegia primitus illis ob regularum obſervantiam collata. Si quæſieris quidnam ergo remedij contra hæc inconvenientia electionis inverſæ & præſentationes inductæ attulerunt? reſpondetur: multum quidem per omnem modum. Si enim præſentantur in titulum profeſſi vel profeſſandi, Rex pro ſua ſumma prudentia & pietate deligit viros regulari obſervantia, devotionis ardore, exemplari vita ac nobilitate conſpicuos, qui & diſciplinam religioſam inſtaurare, Eccleſias adornare ac bona defendere velint & valeant, utpote & Regis favori innixi & ſuorum conſangvineorum potentiâ freti. Electiones verò Monachorum cadebant plerumque vel in eos, qui ſangvine aut clientelâ Commiſſarijs Generalibus obſtricti erant ad ipſorum coactivam inſtantiam: vel in eos qui magis factioſi minuſq; Religioſi ac plerumq; plebei erant, quiq; primatum inter Monachos non per modeſtiam aut regularem obſervantiam, ſed per audaciam ac licentiam ejuſq; ſpem ſibi compararunt.

Si Rex nominat in commendam Epiſcopos vel alios Prælatos, longè majora in religionem redundant emolumenta. Illæ enim perſonæ plerumq; graves, eximiæ authoritate, nobilitate, activitate, virtute, zelo præſtantes, quo fit ut pro indole & generoſitate ſua plurima bona monaſterijs ac templis præſtent, poſſeſſiones eorum egregiè tueantur, imò & diſciplinam religioſam ubi eis directio actualis in ſpiritualibus permittitur, zeloſè promoveant etiam ad ſtuporem in pleriſq;. Ita ut multi Religioſi

A. C. 1699 ligioſi Deum timentes & regulam amantes magis exoptent Commendatarios quàm titulares Abbates. Et ſi aliqua contraria commendæ ingeruntur auribus curiæ Romanæ, eorum ſunt authores ij ſolùm religioſi qui ambiunt & ſperant Abbatias propter majores luxus & faſtus ſuos. Longè major & ſanior pars religioſorum aliud ſentit. Si dignaretur aliquando S. Sedes Apoſtolica mittere ad hæc inveſtiganda viros zeloſos non intereſſatos, ſolam DEI gloriam, fidem, & religionis Catholicæ augmentum; præ oculis habentes, procul dubio omnia hæc aſſerta, veriſſima eſſe deprehenderent: nec ea invenirent ex commendis inconveniẽntia quæ ſunt Leoni X. repræſentata, ac in Bullam ejus relata ex alijs fortè provinciis, non ex Polonia.

Auſim ego affirmare, quòd per præſentationes regias præſertim in commendas, magis ſatisfit intentioni fundatorum; illi enim non ob ullum amorem cuculi nigri, vel albi, ſed ob majorem DEI gloriam, ſalutem animarum & regni ſui emolumenta ſpiritualia, largiti ſunt tam ampla Monachis bona, ſperantes quòd illa omnia meliùs per eos erant promovenda.

2dum Motivum inverſionis electionum & inductarum præſentationum præcipuè in commendam ſequitur. Quod pro manutenenda fide Catholica ac pro juriſdictione ſpirituali authoritateq; Sedis Apoſtolicæ in regno expedit, ut Epiſcopi ac alij Prælati ſæculares ſint potentes non ſolùm opere & ſermone, ſed etiam mammona, de qua ipſe Salvator noſter jubet facere amicos, ſine quorum præſidio difficilè eſt aliquid magni operari & evincere, præſertim in Republica Polona, ubi cuncti nobiles libero gaudent ſuffragio in omnibus Regni negotijs. Præterea contra potentiã hæreticorum & ſpeudopoliticorum fidem ſeu jura Eccleſiæ violare satagentium; fruſtra jam objicienda hîc humilitas & modeſtia; quia hæc ab inſolentibus & temerarijs magis calcaretur. Similia eis opponenda potentiæ arma, ut revereantur, qui ex adverſo ſunt, ait Apoſtolus. Hanc ob cauſam & Eminentiſſimi Purpurati non unà ſed pluribus plerique ornantur Abbatijs. Et Germaniæ Antiſtites plurib9 etiã Epiſcopatibus onerantur: Quamvis contra Ss. Canones longè magis pugnat tres vel quatuor teneri ab uno Epiſcopatus amplos, quàm unius Abbatiolæ commendam. Sed tamen tam ſtrictarum legum violationem cooperit & omnes canones infringere permittit majus fidei Catholicæ bonum, quod exinde intenditur & expectatur. Quidni ergo idem bonum idem non tribuat jus Prælatis Polonis pro tenenda ſaltem una ab uno Abbatia? æquè Polonia ac Germania circumdata & immiſta eſt Hæreticis imò & Schiſmaticis ac Paganis à Germania longé diſſitis; æquale imò majus continuũque cum eis bellum. Nonne Epiſcopis ac alijs Prælatis ſæcularibus eſt tribuendum, quòd hæreſis Lutherana in ortu ſui, totas ſuas in hoc regnum exerens vires repreſſa eſt? quòd Arianiſmus in exiliũ miſſus; quòd priores olim hæretici Huſſitæ, Trinitarij & per leges ſeveriſſimas & per fortem earum executionem totaliter è regno pulſi ſunt? quid ad id contribuerunt Abbates & Monachi cum amplis eorum proventibus? niſi quòd iis enutriti & impingvati recalcitrarunt etiam ipſi, cum plurimi ex ijſdem tradiderunt ſe hæreſibus, ſuoq; perverſo exemplo longè plures ad idẽ traxerunt barathrũ, Et quamvis vicinæ Pruſſiæ Sambienſis & Pomeſanienſis Epiſcopi Lutheranã ſectã amplexi eſſent, cum ſuis Diœceſibus & cum Ordine Theutonico Crucigerorum; Epiſcopi tamen Poloni conſtantes & ferventes in fide Orthodoxa permanſerunt evellentes illa zizania ac deſtruentes omnem potentiam extollentem ſe adverſus Deum ejusque veram Religionem. Imò credo, quòd ſi Epiſcopi fuiſſent,

iſſent, pro tunc potentiores, non permiſiſſent remanere in Regno, hos hæreticorum nidos, qui adhuc hærent, nec eorum tolerantiam: majori vi ad hoc erat opus, quia vana ſine viribus ira. Quamvis nihilominus eorum potentiam in dies atterunt, templa ab eis uſurpata & prophanata de manibus eorum eripiunt, ſi quid blaſphemi contra fidem Catholicã protulerint, aut quid ſimile perpetraverint, continuò in tribunalibus Regni eos ſeverè puniendos procurant. A.C. 1699

Quis etiam ad unionẽ Ruthenorũ cum Eccleſia Catholica magis cooperatus eſt Epiſcopis. Quis author extitit legis tam ſolennis, & neceſſariæ ut Rex Poloniæ ſit Catholicus: quæ licet uſu & praxi tenebatur, in voluminibus tamen legum non extabat. Primus Reverend. Olſzowski Regni Procancellari⁹ EpiſcopusCulmenſis in Comitijs electionis Seren. Michaëlis feliciter nunc regnantis prædictam legem expreſsè condi & promulgari procuravit. Et tamen hic legislator Solone & Licurgio major à Monachis vexatur, ab Abbatia Andrejovienſi excluditur. Haud tamen dubito, quòd S. Sedes & tanti viri merita & ſumptus, quos tũ ipſe tum alij Epiſcopi & Prælati pro re Catholica promovenda vel tuenda neceſſariò expendere debent, perpendet, facilem tum ipſi tum alijs in concedendis commendis Abbatiarum ſe præbebit; ne carentes medijs & eorum ſpe cadentes, cadant etiã animo ad fortia. Nec enim debet alligari os bovi trituranti; & nemo proprijs ſtipendijs militat: ac dignus eſt operarius mercede ſua.

3tium motivum vendicativum à Regibus præſentationũ & commendarum Abbatiarum idem eſt, quod fuit ſtatuti à Sigiſmundo conditi & à Leone X. approbati de excludendis plebeis à beneficijs majoribus, ſoliſq; nobilib⁹ conferendis, nempe propter ſubſidiũ nobilitatis, cujus tenor eſt talis.

Cum magna pars Reip. noſtræ in ordine & ſtatu Eccleſiaſticorum conſiſtat, Eccleſiæ Regni noſtri per Anteceſſores noſtros ſint ampliter dotatæ, cum ad divinum cultum peragendũ & manutenendum, tum etiam ad viros literatos & idoneos maxime verò nobiles promovendos; quorum pauci eſſent, quibus, vel animus vel facultas eſſet in literas incumbendi, & alia ſtudia, per quæ emergitur, ſectandi, niſi bona Eccleſiaſtica non ſolùm facultatem vivendi, ſed etiam opem multis, ſe & ſuos ſublevandi præſentarent. Unde nobilitas Regni, quæ potiſſima eſt iſtius Regni portio, & cujus dom⁹ ac familiæ partim multiplicatione prolis, partim eiam alijs eventibus plerumque extenuari ſolet, præcipuum habeat ſtatus & provectionis ſuæ ſubſidium & adjumentum &c. Atque hinc dicitur, quòd quandoquidem ea intentione fundata ſunt opimiora ſacerdotia, ut illis nobilitas ſublevetur, facilè inde poteſt conjici, hoc fuiſſe Reipublicæ motivum, ut eorum redituum curam haberet, ex quibus Eccleſiæ & Reipublicæ defenſio habitura eſſet ſubſidium.

Huc accedit quòd, aliquarum Abbatiarum fundatores ſint nobiles. Fundatores autem habent pro ſe rationem ex jure Canonico, ſi Patronus Eccleſiæ egeat, habet ad Eccleſiam, cujus eſt Patronus, recurſum pro ſubſidio: hoc autem habent tantùm à Commendatarijs Abbatibus, quia hi & in vita poſſunt conſangvineos ſuos juvare, & poſt fata peculium ſuum ſucceſſione ad hæredes tranſmittere; qua ratione & nobilitas ſuffulcitur & defenſio Reip. augetur & reſtauratur. Secus autem eſt in titularibus, hi enim nihil habent proprium, ſed quidquid acquirunt, religioni acquirunt. Nec igitur in via poſſunt ſuis ſubſidio eſſe, nec poſt mortem aliquid eis relinquere. Unde nullum ab eis poteſt ſperare nobilitas ſubſidium. Et hoc eſt arcanum, quare aliqui Commendatarios Abbates excludere nitantur: ut ſcilicet peculia Abbatum titularium poſſideant, conſangvineis eorum ad ſucceſſionem non admiſſis.

A.C. 1699 Ad quem autem spectat discernere, qui nobiles magis mereantur ac egeant nisi ad Principem? ad eum igitur pertinet deligere ac nominare ad ea subsidia capessenda & alijs præbenda.

AN PRIVILEGIA REGULARIUM NON MENDICANTIUM PRÆSERTIM DE ELECTIONIBUS ABBATUM POSSINT VEL DEBEANT RESTITUI IN INTEGRUM.

Jam quidem ex dictis satis patet, nec posse nec debere, majoris tamen claritatis gratiâ sequentibus rationibus idem enucleabitur.

1mo. Privilegia à summis Pontificibus concessa sunt regularibus, ob eorum pro tunc merita, regularem observantiam & vitam exemplarem. Ergo cum hæc in modernis regularibus mutata & obsoleta sint, ut probatum est, etiam privilegia mutari & obsolescere ac tolli necesse est. Sublatâ enim causâ tollitur effectus. Et novi casus novas faciunt leges: Hanc ob causam S. Sedes Apostolica plures religiones ab initio quidem ferventes & florentes, sed postea in observantia deficientes non solùm privilegijs privavit, sed omnino eas exterminavit & cassavit, ac bona illorum alijs usibus applicavit, ut Templariorum, Hospitaliorum, Fratricellorum &c.

2do. Fortiùs idem urgendo: utiq; privilegia ante aliquot sæcula aut lustra data sunt antiquis illis re & nomine regularibus, regulam & primævum institutum observantibus. Sed moderni passim regulares non sunt illi antiqui re & observantia, sed nomine & habitu seu etiam professione. Sicut autem vestis non facit verum Monachum, ita nec professio, sed ejus executio; ergo modernis minimè conveniunt illa privilegia.

3tio Privilegia amittuntur propter eorum abusum, non usum seu etiam contrariam consuetudinem. Sed hîc omnia hæc concurrunt, quamvis unum quodq; eorum disjunctivè sufficeret ad amissionem, ergo &c.

4to. Committeretur Ordo Cisterciensis cum Seren: Rege, cum ejus impeteret jura, & indignum videtur certare cum Principe lite, de juribus patronatûs, nec aliud est, quàm velle eum sua chlamyde exuere, & per litigiosas contentiones in arena litium sibi parem reddere eum, quem ut Protectorem & Patronum singularem deberent venerari.

5to. Committeretur cum clero sæculari & ordine equestri, & cum uterque status sit de Ecclesia DEI bene meritus, grave sibi duceret ac durum ab assecutione Abbatiarum excludi tanto tempore vel in titulum vel in commendam concedi solitarum. Illustrissimi DD. Episcopi minores Episcopatus tenentes, ad inopiam deberent redigi; hoc præsertim calamitosissimo tempore, cum tot & tantis bellis Episcopatuum redditus sint ruinati, & ferè ad nihilum redacti; unde ex salutaribus consilijs in comitijs regni & defensione debita spoliarentur Ecclesiæ, & Officialistæ regni hujus subditis privarentur. Restat à consequentibus dicendũ, quòd Illustrissimi Episcopi his ex bonis Abbatialibus spoliati levamentis, illa bona regularia in comitijs defendere, & ab impetitionibus sæcularium & militum rapinis tueri minùs curarent. Imò fortè & Ordo Equester hac jurium suorum exclusione exasperatus & incensus, posset graviora onera in illa bona imponere, vel militi innuere, ut illis bonis, quæ nulli essent Reip: commodo & usui, profusiùs pro suo uteretur arbitrio. Unde verendum esset, ne verificaretur illud D. August. Dabis militi quod negasti sacerdoti.

DE

DE PRIVILEGIIS REGUM POLONIÆ CISTERCIENSIUM ORDINI CONCESSIS. A.C. 1699

Quia verò Cistercienses innituntur maximè privilegiis Regum Poloniæ, quasi liberam electionem eis asserentium; libet hîc ea adducere & trutinare, an eos juvent.

1mum Est SIGISMUNDI AUGUSTI de Anno 1554 in favorem Olivensium & Peplinensium monasteriorum, confirmans eorum jura & privilegia ac libertates electionum, quas jam tunc permulti impedire conabantur.

2dum Est VLADISLAI IV. de Anno 1639. tenoris sequentis.

Significamus præsentibus literis nostris quorum interest universis & singulis. In supremo regni hujus collocati solio in eam potissimum incumbimus curam, ut instituta regularium, bonum regimen & ordinem ipsorum concernentia gratiæ nostræ prosequamur argumentis, iisque quàm maximè prospiciamus, ut exinde & debitæ in nos pietatis officium & dicatus supremæ Majestati cultus, ampliora in dies percipiat incrementa, itaque & pro zelo nostro erga pietatem cultumque Divinum, quem quàm maximè augeri cupimus, & ad intercessionem Magnifici Stanislai Radziwil Cancellarij M. D. L. Pinscensis, Tucholiensis, Mevensis, Capitanei nostri, consulendoque bono regimini ordinis Cisterciensis. Statuimus ac proponimus nos inposterum ad Abbatias Hæreticis viciniores præsertim Peplinensem, Olivensem, & Paradisiensem, non nisi ex gremio Religiosorum prævia electione quatuor candidatorum nobis præsentandorum Abbates nominaturos & præsentaturos. Quantum verò attinet Pokrzywnicensis & Mogilensis seu Claræ Tumbæ, eas more antiquo secundùm beneplacitum nostrum per commendam in administrationem collaturos nos decernimus. Porrò alias omnes ordinis ejusdem Cisterciensis non nisi sacerdotibus de Ecclesia nobisque & Rep. benemeritis, ea conditione ut professione facta regulam, habitum, vitamque Monasticam profiteantur, dare in posterum volumus, idque hoc rescripto nostro assecuramus, & declaramus. Quod ad notitiam omnium & singulorum quorum interest, præsertim verò Ven: Leonardi Rembowski Abbatis Peplinensis Commissarij ordinis ejusdem deducentes, hanc voluntatem nostram declaramus, volentes id firmiter deinceps observare, & circa hoc nostrum rescriptum datum monasteria conservare. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo regni communiri jussimus.

3tium JOANNIS CASIMIRI de Anno 1667. tenoris talis.

Significamus præsentibus literis nostris &c. cum itaque supplicatum esset nobis per certos Consiliarios nostros nomine religionis Cisterciensis, quatenus illam circa jura antiqua, & privilegia à prædecessoribus nostris collata (inhærendo juribus à Sede Apostolica dictæ religioni collatis) conservare, & manutenere dignaremur &c. Nos nihil æquius rati quàm tam justæ supplicationi annuere, ex speciali favore, quo ergà hunc exemplarem in regno nostro sacrum ordinem Cisterciensem ferimur, vigereq; illum, & multiplicari in Regno nostro, quàm maximè percupimus, dictæ familiæ Patres Cistercienses circa prædicta jura, & privilegia &c. Præcipuè verò, circa liberas electiones Abbatum conservamus, manutenemus, & confirmamus; contra quarum electionum libertatem, & consuetudinem usu firmatam, si aliquid speciale à nobis, vel successoribus nostris concessum fuerit, pro subreptitio id totum haberi volumus, nec liceat cuipiam inposterum à data præsentium absque prævia electione mona-

A.C.1699 monasteriorum recurrere ad sanctam Sedem Apostolicam pro dispensationibus ad capiendam possessionem sub nullitate obtentarum literarum Apostolicarum, & rigore contra Cortesanos statuto regni sancito declaramus.

4tum. Serenissimi Regis moderni Michaëlis confirmatorium prioris Casimiriani de Anno 1669. Estque in forma confirmationum ordinaria scilicet: præinsertas literas in omnibus earum punctis, clausulis, articulis & conditionibus approbandas, confirmandas & ratificandas esse duximus, prout quidem authoritate nostra Regia approbamus, confirmamus & ratificamus &c. decernentes eas vim & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere: in quantum juri communi non repugnant, & usus eorum habetur.

Verùm hæc privilegia minimè Cistercienfibus suffragantur, imò eisdem contrariantur ex his peremptoriis rationibus.

1mo. Quia de existentia horum privilegiorum non constat, nec enim in actis metrices Regni, ubi de more omnia privilegia ingrossari debent, hæc reperiuntur: nec unquam (quod sciam) originalia sunt producta, & diversæ eorum copiæ visuntur in punctis essentialibus, ut infra insinuabitur.

2do. Quia si verè exstant, sunt subreptitia, à Regibus ignoranter subscripta. Nam sciendum est, quòd in Polonia Cancellarij seu eorum ministri, dicti Regentes, adferunt sæpè ad Regem multam farraginem variorum privilegiorum ad subscribendum, quæ Rex plerumq; præsertim dum est aliis negotijs distractus non examinat, sed in fidem illorum Ministrorum, paucis verbis contenta insinuantium, aliaq; sæpe facie ea repræsentantium, subscribit: imò illi Ministri dum timent, ne Rex animadvertens aliquid inconcessibile, illud rejiciat, consultò talem quærunt horam, qua putant Regem non posse maturè ea cognoscere. Quod in alijs etiam aulis non raro accidit. Valde ergo probabile est dicta privilegia hac ratione fuisse subscripta: & ideo in acta metrices non inducta: & sunt nimium affectata ac insolitis impleta clausulis, imò & falsitatibus, præsertim Casimirianum: in quo pro motivo concessionis assumuntur illa verba. *ex speciali favore quo erga hunc exemplarem in Regno nostro S. Cisterciensem Ordinem ferimur, vigereq; illum & multiplicari in Regno nostro quàm maximè percupimus.* Quàm ridiculum, quòd Rex Casimirus uno ante abdicationem Regni jam tunc apud se decretam anno maximè *percupiat multiplicari in Regno eum Ordinem*, in cujus favorem totâ vitâ suâ nihil egit: imò in hoc ipso electionum puncto, nemo eis fuit magis contrarius: nemo enim plures dedit nominationes in commendam quàm ipse, octo enim numerantur ab ipso fuisse commendatæ Abbatiæ etiam Paradisiensis, à Vladislao singulariter à nominationibus excepta. Aliæ etiam Abbatiæ omnes eo regnante sive à professis sive à professandis tenebantur ex ejus nominatione.

Deinde maximè percupit multiplicari in Regno eum ordinem, qui per quingentos annos non est multiplicatus: solùm enim in primis duobus sæculis post fidem Catholicam à Polonis receptam hæc omnia eorum Monasteria sunt fundata, nulla postea subsecuta multiplicatione aut fundatione alicujus. Numerus etiam Religiosorum ita erat imminutus, ut avus Casimiri Sigismundus Augustus tulerit legem, ut in defectu Monachorum educarentur in Monasterijs pueri nobilium. Cum ergo sic stantibus tale desiderium multiplicationis eorum non sit rationabile aut recto judicio conforme, non debet imputari voluntati, animoq; deliberato & scientiæ Regis tam prudentis.

Non minor est subreptitio imò crassa falsitas, dum ibidem enuntiatur: *contra quarum electionum libertatem & consuetudinem usu firmatam si aliquid fuerit*

fuerit concessum pro subreptitio habeatur. Jam enim deductum est & patebit ex regestris datariæ infra ponendis, quòd Cistercienses à ducentis annis nunquam liberam electionem habuerint; quòd consvetudo usu firmata sit omnino eidem libertati contraria, quam consvetudinem ipsemet Rex Casimirus inhærens vestigiis Antecessorum suorũ constanter tenuit. Quomodo ergo Rex sciens & volens contra se ipsum & suos actus, potuisset aliquid enuntiare? quomodo tales errores subscripsisset, si eos legisset. A.C.1699

Si eas electiones vocant liberas, ad quas minis & metu gravi non cogebantur, eam sanè libertatẽ agnoscimus, hoc enim jure nõ utebantur passim Reges, nisi quandoque in refractarios. Sed quoniam nullam electionem habebant hucusque à duobus sæculis, ad quam Reges manum non apposuissent sive per assensum electo, sive per electionem ex quatuor candidatis à Monasterio sibi propositis, sive postea per præsentationes ac nominationes cum clausula, ut hunc non alium eligatis, tales igitur electiones nõ possunt dici liberæ, imò nec propriè electiones. Nã electio habet se respectivè ad plures personas, ex quibus una est in prælaturam eligenda, cum verò ad unam personam restringitur, jam electionis exuit naturam, & magis habet naturam præsentationis quàm electionis; & si abusivè dicatur electio, dicitur imaginaria electio vel ejus imago, non verò electio. Istius ergo electionis imaginariæ habuit usum ordo Cisterciensis nõ illius veræ quã nunc ex allegato privilegio intendunt stabilire, quod nullatenus subsistere potest, utpote subreptitium habens nativam falsam: omnia enim Principũ rescripta hanc in se habent tacitam clausulam: si preces veritate nitantur.

Quapropter ipsemet Rex Casimirus, postquam esset informatus de hoc privilegio à se subscripto, ac de ejus contentis, valde miratus est, & obtrusum sibi occupato fuisse multis audientibus affirmavit, declaravitque citandum esse Instigatorem Regni ad judicium regentem pro tunc Cancellariæ sæcularis Pstroconium fratrem Amitium Zapolicij Commissarij Generalis Cisterciensiũ, qui subscriptionem illam subreptitiè procuravit. Quòd tamen privilegium spirituales personas concernens conveniebat, ut ex Cancellaria spirituali potiùs emanaret, non autem ex Cancellaria sæculari, quæ non tam gnara Jurium spiritualium esse supponitur, ad quam proinde Monachi clandestinè recursum fecerunt. Nihilominus & ipsemet Supremus Cancellarius Regni postquam intellexisset tam præjudiciosum juribus privilegium in sua Cancellaria fuisse sigillatum, gravi epistolâ cum dicto Commissario de mala fide expostulavit.

2do. Etiamsi scienter & deliberatè à Regibus fuissent subscripta, tamen adhuc juxta leges Regni essent invalida.

Quia Reges Poloniæ non possunt dare privilegia contraria legibus & statutis Regni. Sed hæc sunt talia. Nam electiones liberæ Abbatum olim per varia statuta ac præsertim ab ipsomet Sigismundo Augusto añõ 1550. Item sub Sigismundo III. 1588. 1607. &c: erant circumscriptæ. Ergo nec Sigismundus ipse nec subsequentes Reges poterant libertatem eam suscitare, ita uti sonant allegata privilegia. Deinde Reges non possunt alienare quidquam ex quæsitis Juribus Mtis in præjudicium suum & Successorum. Sed inter alia Jura est etiam Jus nominandi seu præsentandi ad Abbatias personas sibi bene visas, sive in titulum sive in comendam, ut patet ex repetitis eorum nominationibus secuto effectu, ergo &c.

Denique ut privilegium Regum perpetuam habeat vim & obliget successores, debet approbari in comitiis per legem publicam cum consensu omniũ ordinum. Hæc autem non solùm non sunt approbata per comitia sed potiùs reprobata. Quia in constitutione añi 1607: statuta antiqua de electionibus Abbatũ reassumuntur, & statuitur ut secundùm antiqvum jus compe-

A.C.1699 competenter electis conferentur Abbatiæ juribus Regijs per omnia salvis. Et quid hæc clausula donotat, nisi quod usus & praxis continua interpretatur, jura illa regia non alia esse, nisi præsentādi, ut eis salvis is tantùm dicatur cōpetenter elect⁹, qui prævia nominatione seu præsētatione est electus.

3tio. Etiamsi hæc privilegia essent valida, nihil tamen Religiosis prodessent, imò obessent. Et quidē Sigismundi Augusti cum tantùm duorum Monasteriorū Olivensis & Peplinensis libertatem confirmat, ergo eo ipso aliorum ejusdem ordinis libertatem infirmat juxta notam regulam juris.

VLADISLAI IV. videtur favere regularibus quod ad tres Abbatias promittit Religiosos professos nominandos, ad reliquas professandos, exceptis duabus Pokrzyvnicensi & Mogilensi, quas in commendam collaturum se declarat more antiquo. Re vera autem hîc Rex ostendit se plenissimi esse juris quoad dispositionem Abbatiarum. Declarat, quo sensu sint accipienda priora statuta, circa electionem Abbatum, & quis mos fuerit antiqvus regum in hoc puncto, nimirum conferendi Abbatias in cōmendam secundùm beneplacitum, à quo more ille recedit in gratiam ordinis ad instantiam magni viri Ducis Razivilij, & declarat se duas tantùm Abbatias in cōmendā collaturum, ad tres nominaturum professos tantùm prævia quatuor Candidatorum electione per Religiosos, & eorum sibi præsentatione, ad reliquas prælatos sæculares cum obligatione professionis. Quam ordinationem Religiosi pro tunc maximi beneficij loco receperunt, plurimum se lucratos existimantes, quòd non omnes Abbatiæ essent in commendam conferendæ.

Nec pro tunc de libera electione independenter à regia nominatione hiscere audebant. Hoc ergo privilegium à Religiosis impetratum & acceptatum maximè explicat jus regium circa Abbatias. In hoc tantùm, quia restrinxit se ad solas duas Abbatias commendandas, successoribus suis præjudicare minimè poterat.

JOANNIS CASIMIRI privilegium pœnam potiùs & indignationem Sedis Apostolicæ in religiosos, qui illud procurarunt, trahit, non gratiam, quia per illud potestatem Summi Pontificis limitat his verbis: *Nec debere absq; prævia electione quenquam ad sedem Apostolicam pro dispensationibus recurrere sub nullitate obtentorum & vigore pœnarum contra Cortesanos statuto regni sancitarum.* Hoc satis mirari non possum, quomodo non erubuit quispiam tantum inconveniens privilegio inserere, cum dignitate majores præsertim jurisdictionem habentes, nimirum Archi-Episcopi, Episcopi nunquam præsumpserint ad Sedem Apostolicam impedire recursum tanquam ad potestatem supremam, nec possunt impedire sub pœna excommunicationis Bullæ cœnæ Domini ipso facto incurrendæ, & cum me toties supra hanc privilegii allegati reflecto clausulam, subit in memoriam suadere, non præsentandum hoc Romæ privilegium, nec typis vulgandum, sed absolutionem potiùs ab excommunicatione petendam. Notatur & alius non minùs gravis in eodem privilegio error, adjecta enim legitur in clausula *sub nullitate dispensationum impetratarum.* Miror tam offusam menti caliginem pro tunc illi, quisquis existimavit, sæcularem potestatem posse de Papalibus cognoscere, illasque infirmare, cum defectu jurisdictionis in Papales dispensationes se ingerere, ac eas invalidare non veleat.

MICHAELIS confirmatorium Casimiriani in tantum valet, in quantum Casimirianum, sed hoc ostensum est non valere, ergo nec illud. Deinde Seren: Rex Michàël in confirmatione sua hanc apponit clausulam: *in quantum juri communi non repugnant, & usus eorum habetur.* Quasi diceret

ret si juri repugnant & usus non habetur eorum, non confirmamus, quinimò jura & usum conservamus. Sed libertas electionum, qualis prætenditur in privilegio Casimiri repugnat juribus regni, nec usus talis habetur, ut absq; nominatione Regia aliquis eligeretur Abbas sive in titulum sive in commendam. Ergo Seren: Michaël Rex per illam suam conditionatam confirmationem hunc usum, qualis defacto erat, approbat & roborat. Uti & per speciale rescriptum roboravit cassando privilegium ab eodem Casimiro Præmonstratensibus simili methodo concessum: ubi disertè pronuntiat his formalibus: *Privilegium ejusmodi & privilegii confirmationem tollimus & cassamus, ac nobis liberrimum jus præsentandi ad Abbatiam Hebdoviensem & alias ejusdem & aliorum ordinum Abbatias in titulum sive administrationem vindicamus & conservamus.* Quod per extensum infra ponetur. Cistercienses prædictum suum privilegium Casimirianum nunquam ausi sunt producere, ideoq; ejus cassatio expressa non est quidem subsecuta, sed dum Seren: Rex Michaël cassat simile Præmonstratensium, jusq; nominandi ad omnium ordinum Abbatias vendicat, eo ipso & illud cassat, & fortius adhuc, dum ad Abbatiam Andrejoviensem in commendam nominat Illustrissimum Procancellarium Regni. A.C.1699

4to. Tandem etiamsi prædicta privilegia nullo vitio laborarent, adhuc tamen intentionem Cisterciensium juvare minimè posse: quia contrariis eorundem Regum ac successorum actibus continuis scilicet nominationibus cum effectu, sunt ablata & cassata. Nam quidquid sit de Sigismundo Augusto, cujus in hoc puncto acta mihi non contigit videre; certè ejus successor Stephanus ad Abbatiam Peplin. ab Augusto specialiter in libertate electionis confirmatam nominavit Christophorum Klinski Grodnæ 1585 ad Olivensē verò similiter cum Peplinensi confirmatam Sigismundus III. Danielem Konarski an: 1589 ad Peplinensem etiam idem Rex nominavit Nicolaū Kostka 1599. Et deinceps quotquot in easdem Abbatias successerunt, omnes ex Regia nominatione fuerunt, sicut & alii quicunq; Abbates

Vladislaus IV. restringens morem antiquum & jus Regium ad duas tantùm Abbatias in commendam dandas, ac specialiter Paradisiensi cavens, ut solùm Religiosis professis conferatur; nihilominus eam ipsam Abbatiam dedit in commendam Nicolao Ruszkowski Custodi Varsaviensi, cui in eadem commenda succedebant ex nominatione Regia continua serie Stanislaus Remiszewski, Joannes Desmolenski, Stephanus Wierzbowski, Nicolaus Wierzbowski, Sigismundus Czyzowski & Rever: Casimirus Szczuka Præpositus Varsaviensis. Deinde etiamsi idem Rex illo suo privilegio promisisset ad reliquas Abbatias se nominaturum in titulū cum obligatione professionis, attamen anno 1643 Andrejoviensem dedit in commendam Alexandro Dönhoff anno 1642 Præmetensem Nicolao Sulgostowski & anno 1645 eandem Sigismundo Fulinski, anno 1646 Wąchocensem Joanni Komorowski, ac plures alias.

Joannes Casimirus post illud suum privilegium Cisterciensib⁹ concessum nominavit ad Abbatiam Wąchocen. Nicolaum Leżynski in coadiutorem Thomæ Leżynski Commendario, quo assumpto ad Episcopatū Luceorien. Nicolaus ei successit in commenda an: 1669. Seren: Michaël ut jam superiùs insinuatum nominavit Illustr: Andream Olszowski ProCancellarium Regni Episcopum Culmensem ad Andreioviensem, Perillustrem Chrysost. Olszowski Canonicum Varsaviensem ad Hebdoviensem.

Frustra ergo Patres Cistercienses iactant hæc privilegia, & ignaris rerū nostrarum obtrudunt, cum eorum libertatē electionis non defendant sed destruant: imò per ipsum recursum pro his privilegiis suam causam deteriorem

A.C.1699 riorem fecerunt. Nec amplius argumentari sed potius mirari libet, quidnā tantam excitavit in Religionibus tempestatem? per tantam temporis intercapedinem rectè erant omnia, vivebant Religiosi pacificè sub nominatis à Rege, imò longè meliùs quo ad omnia, quàm olim sub electis liberè è medio suî, possessiones fortiorem habebant defensionem, Religiosa disciplina ob respectum & metum Abbatis Regibus grati vigebat, gaudebant Religiosi sub cōmendatariis quartâ proventuum parte mensæ Abbatialis, quam totam absumunt titulares, videbatur templorum & monasteriorū restauratio, apparatuum templi auctio & nitor. Quid ergo conturbavit totas religione, imò totam Remp: ac etiam curiam Romanam? Unde hæc bella & lites? nónne ex sola concupiscentia & ambitu quorundā Regulariū eminere cupientium, qui prætextu tuendorum ordinis jurium & privilegiorum suum potiùs honorem zelant & omnia susq; deq; evertunt.

REVOCATIO PRIVILEGII SUPER ELECTIONES ABBATū.

Michaël DEi Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Cziernichoviæ, &c.

Significamus præsentibus literis nostris quorum interest universis & singulis citatos fuisse ad nos & judicium nostrum literis citationis nostræ secundæ Ven: & Religiosos Joannem Zapolski Abbatem Landensem, ordinis Cisterciensis per Poloniæ Commissarium, nec non ejus Subdelegatum, seu vicesgerentem, Gabrielem Bożey Professum Copryunicensem, tum Priorem, Subpriorem cæterosque Officiales Presbyteros, & Professos Conventus Andrejoviensis, ordinis eorundem Cisterciensium, quorum omnium nomina, & cognomina hic pro expressis & specificatis haberi volumus) uti ejusdem privilegii Seren: Antecessoris & confirmationis nostræ super hocce privilegium ad malam informationem nullo jure impetratores, de privilegiis causâ infra scriptâ bonisq; Abbatiæ Andrejoviensi juri patronatûs & collationi nostræ Regiæ subjectæ. Ad instantiam Generosi Instigatoris nostri & Reipubl; pro officio suo agentis Actoris, qui ipsius ex delatione Officialium Cancellariæ Regni, secundò post obtentam primæ contumaciæ ex admissione judicii nostri pœnam citavit pro eo. Quia præfati citati, privilegium quoddam super electionem Abbatum, è gremio sui Conventus Andrejoviensis, ordinis Cisterciensis, juribus nostris majestaticis & juri patronatûs regii derogans à Seren: Antecessore nostro ad malam informationem obtinere ausi sunt, & vigore ejusdem malè obtenti privilegii, in convulsionem horum jurium Majestatis nostræ Regiæ, alium, non verò eum, quem, & non alium à nobis præsentatum sub beneplacito Sedis Apostolicæ eligere tenebantur, pro libitu suo summum & intolerabilem abusum contra & præter scitum nostrum authoritate sua propria & nullatenus ipsis competenti eligere, ac juramentum quoddam, ante actum electionemq; de postponendo eodem præsentato nostro ab invicem præstare, illum verò à nobis præsentatum excludere, ac postponere temerè præsumpserunt, faciendo præmissa in contemptum legum regni publicarū, contra practicatam & acceptatam consuetudinem, ac in summam supremi juris nostri regii unici ejusdem Abbatiæ Andreioviensis Patroni & Collatoris læsionem, quemadmodum id ipsi latiùs in advenienti termino deducetur. Citati itaq; sunt ad videndum & audiendum, obtentum privilegium reponibile esse adinveniri illud, tolli, cassari & annihilari, jus patronatus nostrum regium & successorum nostrorum, regum Poloniæ, in integro servari, abusum, & attentata superius

tius expressa tolli & annihilari, atque ut ab ejusmodi attentatis abstineant, seriò inhiberi, citatos eosdem in damnis & litis expensis condemnari, & opera prout juris ratio & causæ exigentia popofcerit, hac in causa statui & decerni citatione eadem de præmissis latiore. *In termino itaq; hodierno* ex eadem citatione legitimè ad præsens proveniente & hucusque continuato partibus memoratis, actorea per Nob. Laurentium Tłoczkiewic Plenipotentem suum coram nobis & judicio nostro comparente eumq; terminum attentante, citatis verò utpote Ven: Religiosis Ioanne Zapolski Abbate Landensi Ordinis Cisterciensis per Poloniam Commissario, nec non ejus Subdelegato, seu Vicesgerente Gabriele Bozey Professo Kopryunicensi tum Priore, Subpriore & toto Conventu Andrejowiensi Ordinis Cistercienſium voce Ministerialis Terrarum Regni Generalis, nobilis Tchomæ Kaczewic ter & ultra solitum juris, quater ad nos judiciumque nostrum acclamatur, non tamen per se nec per suum quempiam legitimum Plenipotentem comparentibus. *Nos cum Consiliarijs & Jurisperitis nostris audita præfati Ministerialis relatione, de acclamatione citatæ partis facta in contumaciam ipsius, ad legitimam verò juridicam Actoris instantiam & affectationem præfatos citatos in lucro causæ præsentis condemnandos esse duximus, prout quidem condemnamus.* Et in vim lucri taliter super ipsius obtenti privilegia tam Seren. Antecessoris nostri immediati, quàm & confirmationis nostræ, ratione quorum, res est ubi nulliter & subreptitiè, in convulsionem & collusionem jurium Majestaticorum nostrorum Regiorum, ac contra præscriptum legum regni publicarum, in enervationem potestatis, & supremi Dominij nostri per eosdem Religiosos ordinis Cisterciensium, obtenta, & ad malè narrata, impetrata, reponibilia esse decernimus, illaq; cassamus, nullitatisque vitio subesse unà cum subsequentibus, & antecedentibus eorum attentatis, declaramus; Jus etiam patronatus nostri regii in integro in perpetuum conservamus, & Serenissimorum Regum dispositionibus restituimus, ac reservamus: Præsentatum verò à nobis ad Abbatiam Andrejoviensem Reverendum in Christo Patrem D. Abbatem Andrejoviensem circa jus ipsius, & præsentationem nostram manutenemus, & approbamus. Et quoniam Ven: Joannes Załuski Abbas Landensis ac Religiosi Gabriel Bozey Professus Kopryunicensis, nec non Prior, Subprior, ac alii Monachi conventus Andrejoviensis jus patronatûs nostrum regium violare, contra illud (uti præmissum est) attentare, Religiosum Madalinski, Conventus Landensis Professum quasi eligere, ac per vim ad Abbatiam Andrejoviensem, ejusque omnia bona sine præsentatione, & consensu nostro Regio intrudere, iisdemq; bonis in contemptum legum Patriarum & Majestatis nostræ Regiæ disponere, bona, villas & prædia variis personis sæcularibus arrendare, contractus diversos, stante manifesta oppositione facere præsumpserunt. Ideo ipsos, pœnas legum, ipsamq; pœnam perpetuæ bannitionis ex nunc incurrere decernimus, & ad eandem, in instanti publicandam, ministerialem judicio nostro adstantem addimus & deputamus, atque ne in futurum similia, attentare citati præsumant, & ad bona ad Abbatiam eandem spectantia, eorumque usum ullo modo sese ingerant, nec arrendare, aut quocunque modo, alterius possessioni dimittere audeant, seriò inhibemus ac injungimus. Idq; sub pœnis lege publica sancitis, pro quibus casu contraventionis, aut eidem Decreto nostro sive in toto sive in minima ejus parte per præfatos citatos non satisfactionis terminum partibus iterum coram nobis & judicio nostro comparendi, ulterioremque nostram sententiam hac in parte audiendi in duabus septimanis à die contraventionis proximis, absque quavis alia

A.C. 1699

A. C. 1692 citatione conservamus, & præfigimus peremptorium, præsentis Decreti nostri vigore. Et hic in continenti personaliter veniens ad Cancellariam Decretorum nostrorum, Ministerialis regni Generalis Nob: Thomas Karczewic, in vim suæ veræ ac fidelis relationis, palàm, ac per expressum recognovit. Quia ipse pœnam perpetuam Bannitionis ut supra decretam ex instantia Generosi Instigatoris & officialium Cancellariæ regni super præinsertis citatis publicavit, eosdemq; citatos perpetuò bannitos, ac de regno nostro, Dominiisque eidem annexis proscriptos, alta sua, & sonora voce in præsentia multorum hominum diversi status, conditionis, sibi adstantium publicavit, de quo præsentem fecit relationem, quam nos ab ipso suscipi & parti postulanti authenticè extradi mandavimus. In cujus rei fidem præsens sigillum Regium appressum. Actum Varsaviæ feria IV. post festa solemnia Pentecostes proxima Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo. Regni verò nostri Anno tertio.

Relatio Illustrissimi & Magnifici Domini Supremi Cancellarij Regni quas quidem præinserti Decreti literas prout in actis Cancellariæ Decretorum nostrorum reperiuntur ex eisdem de verbo ad verbum describi & proponi postulanti authenticè extradi mandavimus. In cujus rei fidem præsens sigillum Regium est appressum. Datum Varsaviæ feriâ VI. ante festum S. Margarethæ V. & M. proximâ Anno Domini 1672. Regni verò nostri Poloniæ tertio anno.

Andreas Olszwoski Episc: Culmensis & Pomeraniæ ViceCancellarius Regni.

Relatio Illustrissimi & Rmi D. in Christo Patris D. Andreæ Olszowski Episcopi Culm. & Pomer. Vicecancellarij Regni.

(L. S.) *Stanislaus Furonski Decret. Cur: Regni Notarius.*

DECR: REVOCATORIŨ DE MALE OBTENTO PRIVILEGIO

Michäel DEi Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, &c.

Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, universis & singulis citatos fuisse ad nos & judicium nostrũ Assessoriale, citationis nostræ secundæ Religiosos Nicolaũ Jaskulski Præpositum Strzelnensẽ Generalẽ ordinis Præmonstratensis, in Regno nostro vicariũ, Adrianum Klobucki Priorem, Franciscum Rahoroski Subpriorẽ, atque omnes Patres totumq; Conventum Hebdoviensem (quorum nomina, & cognomina hîc pro insertis & expressis habere volumus) de causa infrascripta bonisq; ejusdem Abbatiæ, Juri patronatus nostro Regio subjectæ. Ad instantiam generosi Instigatoris, nostri actoris. Qui ipsos (secundò post obtentã ex admissione judicij nostri primæ contumaciæ pœnâ) citavit pro eo, quia præfati citati, privilegium quoddam, super electionem Abbatum, & Præpositorum, conventui dicti ordinis Præmonstratensis juribus Mtis & juri Patronatus Regij derogans à Seren. Antecessore nostro anno 1668. tempore ante abdicationem proximo, ad malam informationem obtinere ausi sunt, ac vigore ejusdem malè obtenti privilegij, præsentatum nostrum, ad Abbatiam Hebdoviensem (quem hunc, & non alium vigore nominationis nostræ sub beneplacito sedis Apostolicæ, eligere tenebantur) excludere, ac postponere, & alium quempiam, pro libito suo, per summum, & intolerabilem abusum, contra, & præter scitum nostrum, authoritate propria, citatis nullatenus competenti, eligere præsumpserunt, faciendo præmissa, in contemptum nostrum, ac legum publicarum, contra acceptam & practicatam consvetudinem, in summam læsionem supremi juris nostri unici ejusdem Abbatis Hebdoviensis patroni; citati itaque sunt, ad videndum & audiendũ, ejus-

ejuſmodi privilegium reponibile eſſe adinveniri, illud caſſari, & annihilari, *A. C.* 1699
jus noſtrum patronatus Regij, & Succeſſorum Regum Poloniæ, in integro conſervari, abuſum, & attentatum tolli, caſſari, & inhiberi, ipſoſq; in damnis & expenſis condemnari, atque cætera latius in advenienti termino deducenda, proponenda & declaranda, prout de jure venerit decerni citationem eiſdem de præmiſſis latiorem. Quo in termino ex præinſerta citatione cadente, cum partes, memorata actorea per nobilē Laurentium Thozkievicz, citata verò Religioſi Patres, Prior & totus Conventus Hebdovienſis, Canonicorum regularium, ordinis Præmonſtratenſis per Religioſos Ioannē Plavinski Subpriorem, & Dhroſnata Pacolihonicz Curatorē conventûs coram judicio Aſſeſſorum noſtrorum, Varſaviæ feriâ ſextâ poſt Dominicam Jubilate proximâ, anno ad præſens currenti comparuiſſet Et citati quidem, contra terminum, quia generoſus inſtigator Regni actor cauſæ hujus, receſſit ab actione, excepiſſent, eoque nomine atteſtationem ipſius produxiſſent. In contrarium actorea pars, exceptionē citatorum verbotenus replicaſſet, eaſdemq; controverſias ſuas (partibus terminum deducendo) in parata copia ad Cancellariam porrexiſſet, de tenore tali actorea parte, terminū citatos habere corā judicio aſſeſſoriali, quod binæ citationes, juxta præſcriptum legum citatis extraditæ ſint (quarum poſitarum relationes per Miniſterialem, ad acta accognitas produxit) tum quod ipſimet Religioſi citati, cauſam præſentem, in regeſtrum cauſarum inſcribi, ac eam ipſam acclamari curaverint deducente. Quoad verò receſſum generoſi inſtigatoris Regni, hunc, nihil operari, ex eo, quòd in juribus Regiæ Majeſtatis vindicandis, officiū ipſius requiratur, ex officio verò, & onere ejuſmodi, nullatenus recedere, in talibus cauſis poſſit, tum quòd idē receſſus prætenſus, non ſit judicialiter factus, ſed in privata tantum charta, ad importunam citatorum inſtantiam conſcriptus (in quo tamen ſalva vindicandorum jurium, cui de jure competierit reſervata eſt) regerente; quoniam verò vindicandorum jurium Majeſtatis, tam generoſi inſtigatoris, cui ex officio omnino hoc onus competit, quàm & Officiales Cancellariæ Regni concernit, & moderna pars actorea, eadem Majeſtatis noſtræ Jura jure vindicat: ideo terminum citatos prædictos habere adinveniri petens. Judiciū aſſeſſorum noſtrorum, termino partibus adinvento cauſam proſequi mandaverat, tandem ob concurrentias privilegiorum pro cognitione jurium, cauſam eandem, ad nos, judiciaq; relationum noſtrarum propriarum, ſalvis defenſis, utrique parti reſervatis remiſerat. *In termino itaq; hodierno, ex præinſerta remiſſa, legitimè ad præſens proveniente & hucuſq; continuato, partibus ſupranominatis, actorea, generoſo Inſtigatore noſtro perſonaliter, unà cum nobili Ioanne Sadowski*, citata verò per Religioſos Patres ſupra ſpecificatos coram nobis & judicijs relationum noſtrarum propriarū comparentibus, eumq; terminum attendentibus. Et citatis quidē Religioſis Patribus, Subpriore, atque Procuratore, nomine ſupraſcriptorum Religioſorū Prælatorum ſuorum, in citatione expreſſorum, ac totius conventus Hebdovienſis, forum præſens, ex rationibus infraſcriptis, & quidem, quòd in cauſis Eccleſiaſticis, juriſdictionem aliam, ordini & ſtatui ſuo ſpirituali ſervientem habeant, & causâ jam in foro Nunciaturæ Apoſtolicæ, intentata ventiletur, excipientibus, cauſamq; hanc, ad idem forum remitti poſtulantibus: actorea verò parte ex mandato noſtro Regio, ſeu citatione, contra citatos edita proponente, & quòd cauſa ratione caſſationis privilegij, alienatione jurium regalium Majeſtaticorum, contra præſcriptum legū Regni publicarum, videlicet juris patronatûs, ſeu collationis, Abbatiæ controverſiæ & quorumvis beneficiorum eodem privilegio comprehenſorum, redolentis, per Ser. Ioannem Caſimirum Regem & Anteceſſorem noſtrum, ante abdi-

A.C.1699 cationem Regno factam præfato conventui Hebdoviensi, nulliter, indebitè & in præjudicium jurium Majestatis nostræ collati atque per nos, ad malam informationem confirmati, vigore cujus privilegii malè obtenti, alium quempiam, quàm à nobis præsentatum eligere ausi sunt, & præsumpserunt, ad præsens introducatur, quæ, nullibi aliud forum, nisi coram nobis & judiciis relationum nostrarum propriarum, idque in termino ex remissione, jam à judicio Assessorum nostrorum facta, de jure Regio continuaque praxi sortiri debet (cum interpretatio Privilegiorum omnium Regiorum, nobis, juxta vulgatam juris regulam, cujus est condere jus & interpretari, competat) deducente ac insuper, quòd ejusmodi exceptio fori, præposterè per citatos inferatur, siquidem, in judicio assessoriali, ad exceptionem termini per ipsos oppositam, Decretum adinventi termini & injuncti in causa experimenti intercessit, causaque pro cognitione privilegij controversi in principali negotio ad nos judiciaque relationum nostrarum propriarum (ut supra) remissa est, ac exinde continuatio processus ad præsens vertatur, exceptio autem fori, ante omnes instantias statim post introductam causæ propositionem opponi de jure debeat (quod citati facere intermiserant) proinde eosdem citatos decreto assessoriali satisfacere, & in causa experiri debere inferente ulterioremque processum, foro adinvento, hac in causa decerni exposcente. *Nos cum senatoribus & consiliarijs Regni lateri nostro assidentibus, exceptis partium ambarum controversijs, allegationibus, & defensis, eisdemque probe discussis, remissa per judicium assessoriale* ad nos & judicia relationum nostrarum propriarum facta necessaria adinventa, illam expediendo. Quoniam actio præsens, merè ad reponendum seu cassandum privilegium Serenissimi Antecessoris nostri, nostræque confirmationis malè obtentæ per generosum instigatorem tanquam fisci nostri Regii procuratorem (cui vindicatio jurium Majestatis nostræ Regiæ competit) intenta est. Ideo foro præsenti, citatis pro competenti adinvento, eisdem in causa præsenti, judicialiter procedere mandavimus. Porrò in procedendo, cum memorati Religiosi, nempe Subprior, & Curator conventûs præfati Hebdoviensis in contemptum authoritatis nostræ Regiæ pro tribunali sedentis, à causa hac & ulteriori processu atque à limine judicii nostri post publicatum decretum memoratum contumaciter, & temerariè recessissent, atque ad continuandam causam hanc per Ministralem Regni Generalem nobilem Valentinum Izdebuichi, vocati, terq; & ultra solitam juris formam quater, ad nos & judicia relationum nostrarum propriarum acclamati fuissent, non tamen per se, aut per suum quemvis plenipotentem comparuissent; venerabilis verò Chrysostomus Olszowski, nominatus noster Abbas Hebdoviensis, Culmensis, & Varsaviensis Canonicus, Secretarius noster, eodem instanti personaliter & per nobilem Laurentium Floszkiewios plenipotentem suum, ad causam hanc intervenisset, & privilegium nominationis, ad controversam Abbatiam Hebdoviensem, tum & declarationem illius reproduxisset, ac se circa eadem privilegia & gratiam nostram conservari petiisset. Ad extremum pars actorea, nempe generosus Instigator, citatos post temerarium ipsorum recessum, in lucro infra scripto condemnari postulasset. *Nos cum iisdem Senatoribus & Consiliariis Regni lateri nostro assidentibus præfatos citatos, nempe Religiosos Nicolaum Jaskulski Præpositum Strzelniensem & ordinis Præmonstratensis in Regno nostro* Commissarium, seu vicarium Adrianum Klobucki Priorem, Franciscum Rachowski Subpriorem, atque omnes Patres, & totum Conventum Hebdoviensem in lucro causæ præsentis, condemnandum esse duximus, prout quidem condemnamus & in vim lucri, taliter super ipsius obtenti, privilegium citatorum Conventusq; illorum, modo supranominato per Seren. Antecessorem nostrum in præjudicium jurium Maje-

Majeſtatis noſtræ, & contra leges Regni (quibus alienationes ejuſmodi privatæ, citra conſenſum ordinum Regni vetitæ ſunt, & ſi factæ reperirentur eiſdem legibus illegales, nullæ ac invalidæ, in perpetuum declarantur) datum & collatum, ac per nos ad malam informationem, ex eoque quòd confirmatio, in tantùm, in quantum confirmatum valeat illegitimè approbatum, reponibile eſſe adinvenimus, illudque cum omnibus ſuis ad quæcunque acta oblatis, tum etiam proteſtationibus aliisque quibuſvis aſſervationibus & beneficiis jurium, pro hoc privilegio introductis, & omnibus actibus executoriis in quæcunque ſubſelliorum acta, virtute memorati privilegij per citatos introductis, caſſamus & annihilamus, jus verò Majeſtatis noſtræ quoad poſſeſſionem præſentationis & nominationis in perpetuum, Abbatum Hebdovienſium, & aliorum beneficiorum, in eodem caſſato privilegio contentorum redintegramus, electionem Religioſi Nicolai Jaskulski ſine nominatione, ſeu præſentatione noſtra Regia, temerè factam, juri noſtro Regio contrariâ, illegitimam & nullam eſſe ac fuiſſe, atque venerabilem Chryſoſtomum Olſzowski, nominatum, ſeu præſentatum noſtrum, hunc, & non alium, eligi debuiſſe atque jam pro electo haberi debere, declâramus & ſentētiamus facultatemque obtinendi Beneplaciti ſedis Apoſtolicæ juxta liberas nominationes noſtras & ſecundùm aliàs practicatam conſvetudinem, eidem relinquimus. Inſuper citatos eorumque conventum, nunc & inpoſterum, prætenſione quavis jurium in contentis ſæpe fati privilegij expreſſorum, liberrimo, & unico juri Patronatûs noſtri derogantium abjudicamus, uſque citati præfatæ nominationi noſtræ, morem gerant, ac illius contenta integrè adimpleant, neque eundem nominatum noſtrum circa apprehenſionem poſſeſſionis Abbaticæ prænominatæ, illiusque jurium & attinentiarum, ullo prætextu & colore per ſe, aut ſubordinatas perſonas præpediant, imò ut iidem Religioſi citati omnes proventus ejuſdem Abbatiæ, Venerabili nominato noſtro, à tempore præpeditæ poſſeſſionis reſtituant ac refundant, injungimus. Cui quidem decreto noſtro, Religioſos citatos, plenè & ſine quavis dilatione, nec obſtantibus in contrarium emanaturis citationibus, in ſpatio quatuor ſeptimanarum, ab actu hodierno computandorum omnino, & ſub pœnis in convulſores jurium Majeſtatis noſtræ, legum Regni & decretorum noſtrorum ſancitis, ſatisfacere teneri & adſtrictos fore debere decernimus præſentis decreti noſtri vigore. In cujus rei fidem præſens ſigillum Regni eſt appreſſum Actum Varſaviæ feriâ VI. poſt Dominicam Cantate proximâ Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo. Relatio Ill.& Rmi in Chriſto Patris D. Andreæ Olſzowski Epiſcopi Culmenſis & Pomeraniæ Vice-Cācellarij Regni. Quas quidem præinſerti Decreti noſtri literas prout in actis Cancellariæ decretorum noſtrorum continentur, ex iiſdem de verbo ad verbum deſcribi, & parti poſtulanti authenticè extradi mandavimus. In cujus rei fidem præſentibus ſigillum Regni eſt appreſſum. Datum Varſaviæ feriâ V. poſt feſtum S. Thomæ Apoſtoli proximâ. Aňo milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo, Regni noſtri Anno tertio. *A.C.1699*

Relatio Illuſtriſſimi Domini Joannis Comitis de Leſno Leſczynski, Supremi Regni Cancellarij Majoris Poloniæ Generalis Mariæburgenſis, Corſunenſis &c. Capitanei.

Inter V. Abbatem Hebdovienſem & conventum ibid.
Saniſlaus Furonski
Decret. Curiæ Regni notarius m. pp. (L.S.)

JOANNES *de Leſzno*
Sup: Cancellarius regni.

A.C. 1699

DECRETUM CONTUMACIALE CUM REVOCATIONE PRIVILEGII PRÆTENSI.

Michaël Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kijouiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Seueriæ Cziernichouiæ, &c.

SIgnificamus præsentibus literis nostris quorum interest universis & singulis. Oblatas esse ad acta metrices regni Cancellariæ minoris, literas privilegij infrascripti papyraceas, manu nostra Regia subscriptas & sigillo minoris Cancellariæ regni obsignatas, continentes in se declarationem invaliditatis privilegij & illius confirmationis per Religiosos fratres Præmonstratenses Abbatiæ & conventus Hebdoviensis antea obtentarum, sanas, salvas, integras omnique suspicionis nota carentes. Quarum quidem literarum tenor sequitur estque istiusmodi. MICHAEL DEi gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, &c. Significamus præsentibus literis nostris quorum interest universis & singulis. Quod cum intellexerimus quoddam privilegium à Ven: Fratribus ordinis Præmonstratensis pro Abbatia & Conventu Hebdoviensi, aliisque ejusdem ordinis impetratum esse, supremo & liberrimo juri patronatûs nostro ac Regum Poloniæ ad eandẽ & alias Abbatias præjudiciosũ & derogans; cujus privilegij indebitè emanati vigore, postposito nuper nominato nostro ad Abbatiam Hebdoviensem Ven: Chrysostomo Olszowski Culmensi & Varsaviensi Canonico Secretario nostro, ijdem Religiosi Hebdovienses, præter & contra expresŝã voluntatẽ nostram alium quempiã, videlicet Ven: fratrẽ Jaskolski Præpositũ Strelecensẽ in Abbatem elegerunt: *Nos ejusmodi ausum nequaquam ferentes Regalia jura Majestatis nostræ ac Seren: Regum Poloniæ in integro conservando, altè memoratum privilegium à Serenissimo Antecessore nostro Joanne Casimiro proximè ante abdicationem concessum & subscriptum, atque à nobis ad talem informationem confirmatum non posse subsistere declaramus*, illudque uti juri & dignitati Regiæ atque antiquo usui contrarium de jure invalidum esse, ac electionem Ven: fratris Jaskolski temerè attentatam, valorem & firmitatẽ habere, jusq; eidem ad Abbatiam Hebdoviensem conferre non posse, sed nominatum à nobis Ven: Chrysostomum Olszowski hunc & non alium eligi debuisse, jamq; pro electo haberi debere declaramus. Néve in posterum abusibus, & ausibus similibus detur occasio, privilegiũ ejusmodi & privilegij confirmatiõnẽ tollimus & cassamus, ac nobis liberrimum jus præsentandi ad dictam & alias ejusdem, & aliorum ordinum Abbatias in titulum, sive Administrationẽ vindicamus & conservamus. Quod ad notitiam quorumvis cujusque præeminentiæ & dignitatis judicium & subselliorum, intra & extra Poloniam deducentes, eam declarationem nostrã actis metrices Regni inscribi & publicari mandavim⁹. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo Regni comuniri jussimus. Datum Varsaviæ die quinta Mensis Februarij anno Dñi millesimo sexcentesimo septuagesimo. Regni nostri anno primo Michàël Rex. Locus sigilli minoris Cancellariæ Regni: Joannes Wolowski Varm: & Culmensis Canonic⁹ Secretarius Regiæ Mtis. Quas quidem litteras privilegij præinserti modo quo supra oblatas Nos suscipi, actis hisce authenticis Regni inscribi, & ex ijsdem fideliter de verbo ad verbũ descriptas Parti affectanti extradi permisimus. In quorũ fidem præsentib⁹ sigillum Regni est appressum, actum & datum Varsaviæ Sabbatho pridie Festorum solemnium Sac: Pentecostes die scilicet

cet vigesima quarta Mensis Maji anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo Regni nostri primo anno. *A.C.* 1699

Andreas Olszowski Episcopus Culmensis & Pomeraniæ vice Cancellarius Regni.

Relatio Illust. & Rever. in Christo Patris D. Andreæ Olszowski Episcopi Culm. & Pomeraniæ vice Cancellarij Regni.

(*L. S.*) *Stephanus Hankiewic Regiæ Majestatis Secretarius.*

EXECUTIO BULLÆ PRO ABBATIA CORONOVIENSI.

Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto die verò Mercurij septima mensis Augusti, Varsaviæ.

Coram Celsissimo Principe Illust: & Rdmo Andrea Olszowski DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Archi-Episcopo Gnesnensi Legato nato Regni Poloniæ & M. D. Lit. Primate primoque Principe, & ad infrascripta a Sanct. D. N. Clemente Divinâ providentiâ Papa Xmo executore Commissario specialiter in locum Illust. & Rdmi D. Francisci Bonuisij Archi-Episcopi Thessalonicensis in Regno Poloniæ Nuntij Apostolici Judicis & Executoris Deputato dato & delegato comparuit personaliter Perillustris & Rdmus D. Ignatius Gninski Archidiaconus Sremensis, in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi ad Abbatiam Coronoviensem à Serenissimo Michaële & Ioanne III. Regibus Poloniæ post mortem & obitum olim Perillustris & Rmi D. Petri Dembinski ejusdem Abbatiæ Coronoviensis ultimi & immediati Possessoris, & alio quovis modo vacante nominatus, & præsentatus, ac insimul à Ssmo D. N. Clemente Divinâ providentiâ Papa Xmo. Anno Incarnationis Dominicæ 1673 duodecimo Calendas Octobris Pontificatûs ejusdem Sanctissimi Anno quarto ad nominationem Serenissimi olim Regis Poloniæ provisum. In termino hodierno ex citatione Adm. R. ac Religioso Patre Georgio Naramowski ex adverso taliter qualiter interessato & Religiosis Patribus Priori & toti Conventui Coronoviensi debite exeqvuta accusata contumacia ejusdem Adm. R. ac Religiosi Patris Georgij Nuramowski & Patrum Conventus Coronoviensis, & in eorum contumaciam produxit. Inprimis nominationem Serenissimi olim Michaëlis, item nominationem alteram, seu declarationem Serenissimæ Nominationis Serenissimi Joannis III. Regum Poloniæ uti ejusdem Abbatiæ Coronoviensis ab antiquo Patronorum & Collatorum, produxit insimul Bullas Apostolicas sub data Romæ apud S. Mariam majorem Anno 1673 duodecimo Calendas Octobris Pontificatûs ejusdem Sanctitatis Suæ Anno quarto sanas, salvas & omnis suspicionis notâ carentes ad Illust: & Rmum Nuntium Apostolicum Regis Poloniæ pro executione directas, produxit Decretum Illust: & Rmi D. Angeli Ranutij Archi-Episcopi Damatiensis in Regno Poloniæ ante Nuntij Apostolici, produxit & literas Commissionis Sanctitatis Suæ de data Romæ apud S. Mariam majorem sub Annulo Piscatoris die 22 Aprilis Anno 1675 Pontificatûs ejus Anno 5to datas & expeditas, sanas, salvas & illæsas omnique suspicionis notâ carentes manu H. Mercurij subscriptas; verificantia autem Bullas Provisionis & illam narratam produxit plurima documenta ex actis Episcopalibus Vladislaviensis nec non Posnan: & aliorum Episcopatuum extracta, ex quibus apparet Seren. Reges Poloniæ Abbatiarum Regni Poloniæ, cujuscunque ordinis tum & Abbatiæ Coronoviensis Patronos fuisse & esse & quod Seren. Reges Poloniæ in usu & possessione nominandi & præsentandi ad Abbatias Regni Poloniæ & specialiter ad Abbatiam Coronoviensem semper fuerunt, imò quòd ab annis centum quinquaginta & ultra ijdem Reges Poloniæ ad eandem Abbatiam Coronov. stante vacatione Abbatiæ nomi-

chidiacono Sremensi à Ser: Regibus legitimè nominato & præsentato, ac *AC.* 1669
per Sanct. suam proviso concurrunt, censuit, atq; nominationem R. D. Ignatii Gninski Archidiaconi Sremensis à Ser. Michaële Rege Poloniæ ad Abbatiam Coronv. illi datam vidit, postea quantum attinet juris patronatus seu nominandi Ser. Regum Poloniæ ad Abbatiam Coronov. Ordinis Cisterciensis Instrumenta ab anno 1552. usq; ad ultimum actum immediatè defuncti Perill. & R. Petri Dembinski Abbatis Coronov. ex actis Coronovij seu Episcopalibus Vladislavien. deprompta & extracta legit & vidit, & ultra hæc testes utpote G. D. Mathiam Cielecki Judicem Generalem Mareschalcatus Regni, Stanislaum Baryczka Czerniechoviensem, Stanislaum Woysza Smolenscensem Subdapiferos, Ioannem Wieniawski ad Imperatorem Turcarum ablegatum, Laurentium Tloskiewios, Notarium metricæ minoris Regni, Stanislaum Baczynski Notarium Cancellariæ Regni S. R. M. Secretarios, super eodem jure patronatûs S. R. M. Poloniæ ad Abbatias Regni Poloniæ & præsertim ratione Abbatiæ Coronov. prævio eorum juramento de veritate dicenda examinavit. Ex quibus quidem documentis & juribus productis, tum ex dictis & depositionibus testium quoniam Ser. Reges Poloniæ ab antiquissimo tempore in possessione nominandi & præsentandi ad omnes Abbatias Regni Poloniæ, nec non ad Abbatiam Coronoviensem fuisse apparet, & semper ad eandem Abbatiam occurrente vacatione præsentasse & nominasse, & Religiosos Patres Coronov. Ordinis Cisterciensis nunquam sine nominatione Ser. Regum Poloniæ pro tempore existentium ad electionem processisse, sed semper præsentatos, seu nominatos à Ser. Regibus Poloniæ pro suis Abbatibus habuisse, nullasq; electiones Abbatum Coronov. sine nominationibus Regiis unquam attentasse, ac Ser. Reges Poloniæ semper jus nominationis ad Abbatias Regni Poloniæ, & specialiter ad Abbatiam Coronoviensem continuasse deducitur. Præterea eundem Perill. & Rev. D. Ignatium Gninski Archidiaconum Sremensem idoneum & habilem ad eandem Abbatiam Coronov. esse, ipsumq; actu Presbyterum Archid. Sremen. & in eo officio Archidiaconatûs semper vigilantem & operosum fuisse, nullumq; eidem Canonicum impedimentum obstare, & Abbatiæ Coronov. utilem & proficuum fore intellexit. Ad hoc decretum Illust. & R. D. Angeli Ranutii Archiep. Damiatensis, & in Regno Poloniæ Nuntij Apostolici revocationis electionis Adm. Rev. ac Religiosi Patris Georgij Naramowski ad eandem Abbatiam vidit & perpendit, omniaq; contenta in Bullis Apostolicis expressa Rev. D. Ignatius Gninski verificavit, ideo stante verificatione narratorum de quibus fusius in Bullis Apostolicis continetur, eundem Perill. ac Reveren. Ignatium Gninski Archid. Sremen. ad Abbatiam Coronoviensem à S. R. Mte nominatum & per Sanctitatem suam provisum ad eandem Abbatiam Coronov. Ordinis Cisterciensis recepta ab eo professione fidei Catholicæ juxta Bullam Pii IV. & alio fidelitatis Ss. D. N. S. sedis Apostolicæ juramento, tum de obedientia & reverentia Illust. & Rev. DD. & Episcopis Vladisl. & quod in assecutione ejusdem beneficii nulla fraus, dolus & simoniaca intercessit pactio, instituendum & investiendum, curam spiritualium, & regimen temporalium ejusdem Abbatiæ Coronov. eidem committendum regularibus conventus Coron. ac Vasallis, & subditis dictæ Abbatiæ obedientiam indicendam pro vero Abbate Coron. declarandum, & mandatum exequutivum etiam cum invocatione brachij sæcularis extradendum & effectum exequutionis faciendæ, quoniam stantibus modernis gravissimis negotiis Reip. propter pericula à Tartaris & Turcis Regno Poloniæ imminentia per se sua Celsitudo Illust. eundem Perill. & R. D. Abbatem Coron. in possessionem immittere non potest. Perill. Rev. & Adm. Rev. DD. Stanislaum Hiacynthum Swięcicki DEI & Apostolicæ

A.C.1699 sedis gratia Episc. Spigacensem Suffraganeum Samogitiæ Scholasticum Gnes. Decanum Vladisl. Archid. Præpositum ad S. Gregorium & Officialem Varsaviæ ac per Ducatum Masoviæ Generalem, & Ludovicum Swyez, Custodem Culm. S. R. M. Secretarios deputandos & subdelegandos esse decrevit, & ut idem Perill. & Rev. D. Ignatius Gninski Abbas Coron. intra mensem à die habitæ possessionis Abbatiæ Coronov. habitum Regularem Ordinis Cisterciensis per manus Perill. & Rmi Dni Stanislai Hiacynthi Swięcicki Episc. Spigacensis Suffraganei Samogitiæ Decani Vladisl. suprascripti, quem ad hunc effectum specialiter deputavit, assumat & novitiatum vigore Sac. Concilii Tridentini incipiat & continuet, mandavit. Ad quem mandatum effectum executivum, seu literas necessarias & opportunas cum omnibus necessariis clausulis extradere mandavit. Præsentibus opportunis Perill. & Mag. DD. Alexandro Scelski Castellano Gnes. Pomedziensi, Ioanne Andrea Morsztyn Supremo Regni Poloniæ Thesaurario Lauruchoscensi &c. Capitaneis. Andrea de Leszno Leszczynski Abbatiæ Czirvinensis Administratore perpetuo Loviciensi, Ioanne Stanislao Wostuichi Infulato Olycensi Præpositis Gnes. Varm. Andrea Załuski Scholastico Loviciensi Cracov. Canonico suæ Illust. & Rev. Celsitudinis Cancellario S. R. M. aliisq; quàm plurimis testibus fide dignis. Et me Andrea Alexandro Groszkiewic publico & suæ Illust. Celsitudinis ad hunc actum Notario cujus quidem inquisitionis tenor de verbo ad verbum sequitur estq; talis. Interrogatoria Perillust. & Reveren. Dni ignatii Gninski &c.

1mum Quòd Abbatiæ Coronoviensis &c. in Polonia sint jurispatronatus seu nominationis Serenissimorum Regum.

2dum. Quòd Serenissimi Reges semper nominaverint ad omnes Abbatias in Regno Poloniæ Abbates.

3tium. Quòd sine nominatione Serenissimorum Regum nullæ Abbatiæ cedunt cuiquam.

4tum. Quòd Abbates Coronovienses nominati à Serenissimis Regibus fuerunt semper in pacifica possessione suæ Abbatiæ Coronoviensis.

5tum. Quòd Perill. & R. D. Ignatius Gninski Archidiaconus ad eandem Abbatiam Coronov. à Ser. olim Michaële, & moderno Ser. Ioanne III. sit nominatus, & utrum testis nominationes illas Regias vidit & legit.

6tum. Utrum testis sciat, quòd acta publica hoc afflicto rerum statu in Regno Poloniæ per continua bella deperierunt.

Qui quidem testes taliter inducti præmisso juramento de veritate dicenda præstito modo infrascripto deposuerunt.

Primus Testis. G. Mathias Cielecki Generalis Judex Mareschalcatus Regni annorum 65. citatus, juratus, nihil sibi datum, promissum, omissum, sed soli justitiæ favens non condictavit ad omnia diligenter examinatus. Ad specialia.

Quo ad primum respondit. Accessi ad Curiam S. R. M. vivente & regnante Sigismundo III. Rege Poloniæ Anno ætatis meæ 21. memini bene citra omnem dubietatem, quòd Abbatiæ omnes in Regno Poloniæ à Ser. Regibus usq; ad modernum tempus per nominationes, seu præsentationes Regum conferebantur personis idoneis tam circa aulam, quàm extra benè meritis. Causam scientiæ dedit, quia tunc præsens aderam Ser. Regibus & ab immemorabili tempore nominationes Regias fuisse & instrumenta publica Vladislaviensis, Posnaniensis & aliorum Capitulorum vidi ab Anno 1500.

Ad 2. respondit. Scio per Seren. Reges nominari & nominatos esse Abbates, quia continuò circa aulam Serenissimorum Regum per annos 44. mora-

morabar & hucusque persisto præcipuè verò ad Abbatiam Coronoviensem. A.C. 1699

Ad 3. respondit. Nullus stante memoria mea ad possessionem Abbatiarum devenit, nisi prævia nominatione Regum, & ipsemet plurimas præsentationes manu mea expediebam in Cancellaria Regni utpote pro Abbatia Tremesensi, Wachocensi, Premesensi & à Seren. Regibus munere Nuntij Regii ad Patres & fratres eorundem Conventuum pro electione Abbatum multoties functus sum.

Ad 4. respondit. Ipse legi nominationem R. Ignatii Gninski, unam quidem Ser. Michaëlis, alteram moderni Ioannis III. Regum Poloniæ.

Ad 5. respondit. Multos novi, qui in pacifica possessione Abbatiarum fuerunt ut Kricium, Zirozonovium, Cholbanscium, Piasecium, & Dembinium ultimum.

Ad 6. respondit. Non sola tantùm acta in variis districtibus; verùm hic etiam Varsaviæ metrica Regni per Sueticam incursionem deperiit, licet si in fortalitiis Regum soveretur, & deposuit tantum, cui impositum est silentium.

2dus Testis. G. Stanislaus Baryczka Subdapifer Cziernichoviensis ætatis annorum 60 Secretarius & Assessor judiciorum Assessorialium S. R. M. citatus, juratus, non condictavit, soli justitiæ favens, & ad omnia generalia probè examinatus. Ad specialia.

Quo ad primum respondit. Scio ab ætate mea teneriori circa latus Ser. Regum Poloniæ existens, expeditiones multas manibus meis extradens Abbatiarum juris patronatus habere semper non interrupta ætate Seren: Reges Poloniæ, & Abbates nominare, causam scientiæ reddit, quia lateri assistebat Regum per tot annos uti & instrumenta quædam authentica super nominationibus Regiis Coronoviensium, Vladislaviensium, & Posnan. Capitulorum, & à majoribus suis audivit & vidit ab annis ultra centum.

Ad 2. respondit. Affirmativè causam scientiæ dedit non tantùm esse in jure præsentandi seu nominandi in titulum, sed & in commendam, quia à multis annis eam proximam consuetudinem in jure collationis Regiæ notavi, maximè verò ad hanc Coronoviensem.

Ad 3tium respondit. Non tantùm si in bonis regalibus fuerint fundatæ Abbatiæ Regiæ collationi subjacent, verùm etiam in bonis aliorum laicorum semper tamen sunt in collatione Regia ab antiquo tempore taliter fieri deprehendi.

Ad 4tum respondit. Scio quòd fuerint nominati Abbates à Serenissimis Regibus ad Abbatiam Coronov. in possessione pacifica, & novi eos conversando cum eis ad aulam Regis.

Ad 5tum respondit. Scio nominatum esse Rev. Ignatium Gninski binis nominationibus ad Abbatiam Coronov. & piæ memoriæ Seren: Michaëlis, & Moderni Ioannis III. causam scientiæ dedit, quia & ipsam nominationem legi & Judex assessor istius causæ fui.

Ad 6tum respondit. Constat ex continuis bellorum in Polonia cladibus, & moderno satis afflicto tempore per hostes multa acta periisse, & tantùm deposuit, cui impositum silentium.

3tius Testis. G. Stanislaus Woysza Subdapifer Smolenscensis annorum sexaginta duorum Secretarius & Cubicularius intimus Seren. Regum citatus, juratus, soli justitiæ favens, nihil sibi datum, promissum sed revocatum esse ei in memoriam juramentum ad omniaq; examinatus, quoad specialia.

Ad 1. respondit. Non tantùm ætate nostra scio per continuam experientiam habere jus patronatûs non interruptum ad Abbatias Seren. Reges, verùm & ex traditione majorum nostrorum semper nominaverunt Episco-

A.C.1699 pos Abbates, sine quorum nominatione nullus ad ea promotus fuit, causam scientiæ, dedit à multis annis assistens lateri Regio, successivè fui & instrumenta vidi Capitulorum publica Vladislavien. & Posnanien. ex quibus ab immemorabili tempore nominationes Regiæ ad Abbatias varias, sed præsertim ad Abbatiam Coronov. deducuntur.

Ad 2. respondit. Ita esse quod Reges nominaverint omnes ad Abbatias vacantes & Coronoviensem.

Ad 3. respondit. Quem Rex nominavit, semper ille in pacifica possessione fuit, secus autem qui aliter admitti curaverat, subsistere non potuit, causam scientiæ dedit, hoc usu & continua praxi semper firmatum esse, quia multi quos novi ibidem in Coron. pacificè fruebantur ex Abbatia ad nominationem Regiam.

Ad 4. respondit. Affirmativè quòd fuerint in pacifica possessione nominati Abbates ad Abbatiam Coronoviensem, quia etiam juribus Regiis nemo contradicebat, modò nescimus qualiter insolentia insurrexerit contra jura Seren. Regum, quæ violari nefas est, neque sibi permittent Reges ea aboleri.

Ad 5. respondit. Vidi nominationem Regiam, quam exhibuerat Rev. D. Ignatius Gninski Archidiaconus Sremen. ad Abbatiam Coron. à Seren. piæ memoriæ Michaële & moderno Ioanne III. sibi datam eandemque legi, utramque tam judicialiter quàm extra.

Ad 6. respondit. Certum est hoc calamitoso in statu Regni Poloniæ hostium conflictu multa acta deperiisse & tantum deposuit, cui impositum est silentium.

Quartus testis. G. Ioannes Wienianski annorum sexaginta ad Imperatorem Turcarum nuper ablegatus citatus ad hanc causam juratus, soli justitiæ favens, & ad omnia generalia diligenter examinatus, ad specialia.

Quo ad 1. respondit. Per annos triginta circa aulam Seren. Regum commorans scio, quia semper fuerant collationes seu nominationes de manibus eorundem ad Abbatias omnes, causam scientiæ dedit, quia continuus lateri fui tam in bellicis actionibus quàm domi, & authentica aliquot vidi & legi Coronov. Posnan. ex quibus constat de nominationibus Regiis ab annis ultra centum etiam ad Coronoviensem Abbatiam.

Ad 2. respondit. Imò non tantùm ad Abbatias, sed etiam ad Episcopatus, Prælaturas, quæ in manibus sunt Regum, Reges nominabant, nominati verò ea possidebant, causam scientiæ dedit, vidi & novi eos, qui ea beneficia obtinebant.

Ad 3. respondit. Si quis non habebat nominationem, nequaquam fieri poterat Abbas, quia est fundamentum, quo sublato ruit totum.

Ad 4. respondit. Scio quòd pacificè tenebant Abbatiam Coronoviensem per Serenissimos Reges nominati olim Abbates Czolanski & Dembinski.

Ad 5. respondit. Legi aliquoties nominationes Regias Rev. D. Ignatii Gninski ad Abbatiam Coronoviensem.

Ad 6. respondit. Ipse ablegatus fui non ita pridem ad Imperatorem Turcarum, collegi ex statu rerum, qualiter non acta solum, sed in partibus Pepolanicis etiam ipsa Sanctuaria Dei, Ecclesiæ S. funditus deletæ, solo æquatæ, fortalitia itidem cum suis actis, vix locum ubi steterunt, habent, puto sic etiam in his partibus Suecum fecisse, & alios hostes, qui partem hanc Poloniæ ante invaserant, Hungaros pressos, quod similiter hostiliter processissent, atque ita nullum dubium de actis publicis, quod vix alicubi remanserint, & tantum deposuit.

Quintus testis G. Laurentius Tloskievios Notarius actorum metricæ Regni annorum quinquaginta citatus juratus nemini favens, soli tantùm justitiæ non condictavit, nihil sibi datum, promissum, & ad omnia generalia exami-

examinatus ad specialia. *AC. 1699*

Ad 1. respondit. Ita esse, quòd in manibus Serenissimorū Regum Poloniæ sunt nominationes Abbatum, causam scientiæ dedit, ipsemet circa aulam comorans Notarius multas scripsi, & jam trib⁹ nominationis ex Cancellaria Regni Abbatibus, qui jam præsente me decesserunt, & Coronov. Vladislav. nominationū Regiarū vidi, legi authentica publ. ab añis multis.

Ad 2. respondit, affirmativè non tantùm vidi, eos quos Seren: Reges pro Abbatibus imò sanè Coronov. Abbatia nominaverint Abbates, sed etiam cum ipsis conversabar, verùm ad omnes Abbatias jus Regum protenditur, causam scientiæ dedit, quia hæc manibus meis palpavi.

Ad 3. respondit. Nemini sanè conferri potest ab alio nisi ab ipso Seren: Rege, proinde etiam neminem vidi Abbatem, non tantùm in Coronoviensi Abbatia, verùm Trzemensi, nec Andrejoviensi nec Wachocensi, Premetensi, Peplinensi, qui non fuerit à Seren: Rege nominatus, licet circa Cancellariam Regiam commoror.

Ad 4. respondit. Nunquam ex possessione pacifica tales, qui à Serenissimis Regibus nominati fuerant, turbantur, licet si jam in sola Abbatia Coronoviensi tres noverim successivè se concomitantes Abbates, sed nullam inter illos atq; Religiosos eorum audivi litem, quia legitimè à Seern: Regibus collati, nominati fuerant.

Ad 5. respondit Reverendissimus D. Ignatius Gninski Archidiaconus Sremensis ad Abbatiam Coronoviensem est nominatus, quia ipsius nominationem utramq; tam à Seren: Michäéle piè defuncto, quàm à moderno Joanne III. collatam ipsi vidi.

Ad 6, respondit. Omnes hæc tetigit Regni Poloniæ afflictio, quia & Sveci & Hungari, Prussi, Cozaci, Tartari, modò insuper Turcæ fortalitia omnia, ac per consequens acta publica in districtibus, Terris & Palatinatibus dispersent, distraxerunt, & reliqua combusserunt, & tantum deposuit, cui impositum est silentium.

Sextus Testis. G. Stanislaus Baczynski Notarius Cancellariæ Regni annorum 50. citatus, juratus, nemini favens, & ad omnia generalia diligenter examinatus. Ad specialia Interrogatoria.

Quo ad primum respondit. Affirmativè, causam scientiæ dedit non ex jure tantùm, sed ex praxi, ac consvetudine veteri, hoc palàm omnes sciunt, & se legisse instrumenta plubica officiis Vladislaviensibus & Posnan: quibus docentur nominationes Regiæ semper fuisse.

Ad 2. respondit. Semper Serenissimi Reges nominabant, sicut & modernus nominavit ad Coronoviensem, sed in universum ad omnes Abbatias nominabant intra fines Regni.

Ad 3. respondit. Nisi fortè stultus foret, qui extra jus regium curet Abbatiam vel aliquot vacans beneficium in manu Regia existens, quia oleum & operam perderet, itaq; nemini datur præter hunc, qui à Serenissimo Rege nominatur.

Ad 4. respondit. Fuerunt semper tales in pacifica possessione, qui à Ser: Regibus præsentati, palàm fit omnibus Reverendissimus Kronòski, Czolanski, Piasecki, & ultimus Dembinski, qui ad nominationem Ser: Regum Coronovienses extiterant Abbates, causam scientiæ dedit. Ego ipse in Cancellaria tales scripsi nominationes, nihil de his disquirendum.

Ad 5. respondit. Et moderni Rdmi D. Ignatii Gninski, nominationem legi, idq; duas & à moderno Ser: Joanne, & à piæ memoriæ Michäéle ad Abbatiam Coronov. nominati, qui ut video more veterum legitimè per ostium uti Pastor ovium intrat non aliter juxta Evangelij dictum:

A.C. 1699 *Ad 6. respondit.* Et nos eadem sors tetigit, dum coram Suecis omnino fugere cum actis non potuimus, etiam acta metricæ regni nonnulla non possunt combinari, quodsi verò hoc calamitoso tempore quàm multa intercesserunt in fortalitiis damna, quæ omnino perniciem causarunt jurium & hominum & tantùm deposuit. Cui impositum est silentium. Ex actis causarum Curiæ Illust. & Rev. D. Stephani de magna Chrialtow Wierzbowski Dei & S. sedis Apostolicæ gratia Episcopi Posnan. fideliter extractum & sigillo ejusdem munitum. Andreas Alexander Groockiewius Apostolicus & causarum Curiæ Episcopi Posnaniensis atque Commissarii Variaviensis præsentis causæ Notarius manu propria.

TESTIMONIUM IOANNIS GEMBICKI
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopi Plocensis.

UT primum ad scientiam ex literis S. Regiæ Majestatis nostram pervenit, Religiosos Conventus Hebdoviensis, eò temeritatis devenisse: ut contra antiquissimam juris patronatus Regii prærogativam a multis verò annis continuatam, Abbatem privato ausu, neglecta Regia commendatione, quæ eidem Majestati competit, elegerint, non modò id admiratione, verùm etiam zelo juris Regii (uti nobis tanquam Senatori, publica in hoc Regno dignitate prædito) convenit, commoti sumus. Complures anni elapsi sunt, cum Reges Poloniæ per continuam seriem jure patronatus uti fundatores primævi innixi, eodem sunt usi, assentientibus tot maximis Pontificibus ob ingentia eorundem Regum, erga Catholicam Ecclesiam, merita, fidemque. Etquidem jure merito, cum non modò Reges, verùm etiam privatos quoscunque, qui Ecclesias, ac templa Dei erexerunt & fundaverunt, propriis opibus, magnis prærogativis iidem summi Pontifices donaverunt: de quo tot jura publica, canones, decretaque obloquuntur, gaudent idcirco beneficiorum collatione, gaudent personarum sibi gratarum præsentatione, nec non precum ad Deum, pro se, ac benedictionum efficacia. Sed & leges statutaque Regni idem quoque confirmarunt, cum & eos qui alibi sine regum Patronorum legitimorum scitu, beneficia captare erant soliti, gravibus damnarunt legibus, ac pœnis: Reges denique Christiani Catholici, nec non Resp. pari si non pingviori jure gaudent. Hispania videlicet, Gallia, Venetorum Respublica Supposita nihilominus Sedis Apostolicæ potestate & confirmatione personarum ab illis præsentatarum. Proinde magis temerè & minus juridicè dictus conventus processit, nam & illa electionum jura, quæ prætendunt, vetustate obsoleverunt. Reges verò in possessione præsentandi continua vigore juris patronatûs legitimè extiterunt & hucusque per tot summorum Pontificum assensum interruptè hac prærogativâ juris perfruuntur. Quod attinet ad Abbates Hebdovienses præteritos quantum memoriâ assequi licet, meminimus aliquot à quatuor Regibus præsentatos, non verò absolutè à Religiosis fuisse electos. In primis Religiosum Morski à Rege Sigismundo præsentatum electum tamen per conventuales: à Vladislao IV. Perill. Dominum Erasmum Kretkowski Canonicum & Officialem Cracoviensem non professum & R. Dominum Stemkowski Episcopum Camenecensem: à Ioanne Casimiro, Reveren. D. Tysenhausum Suffraganeum Vilnensem; à Serenissimo moderno R. Dominũ Olszowski. Hoc in vim perhibiti testimonij super eo à Regia Majestate requisiti scriptum damus In cujus fidem manum & sigillum apposuimus. Datum Gorzne die 23. Mensis Decembris Anno Domini 1671.

Joannes Gembicki
(L. S.) *Episcopus Plocensis; manu ppa.*

TESTI-

TESTIMONIUM THOMÆ LESCZYNSKI EPISCOPI LUCEORIENSIS & BRESTENSIS. *AC.* 1699

INfrascriptus fidē facio, quòd Abbatia Hebdoviensis ordinis Præmonstratensis in Diœcesi Cracov. juris patronatûs S. R. Mtis solita fuit concedi in cōmendā seu administrationem, sine onere assumendi habitus, & Professionis faciendæ, prout egomet Episc. Luceoriensis eandem Abbatiā per administrationem possedi, & alios possedisse memini, videlicet Rev. olim Trzebinski ante me, qui postea fuit Vicecancellari⁹ Poloniæ & Kretkowski, qui fuit Archidiaconus & Officialis Gen. Cracov. in cuj⁹ rei fidem testimoniū hocce manu mea inscribo. Datū Varsav. 21. Martij Añō 1670.

Thomas Lesczinski mpp.

EDOCTIO JURIS PATRONAT. SERENISSIMORū REGū POLON.

Anno 1496. Alberto Regnante Constitutio Regni sancita fuit, & sunt verba constitutionis, seu statuti: Si quispiam Beneficia juris patronatûs Regii, aut subditorum nostrorum in præjudicium, & derogationem juris patronatûs nostri impetraverit; Statuimus bona sua fisco cedere.

Anno 1505. Alexandro Regnante, in simili: Et sunt verba. Ne quisquam audeat beneficium quodcunq; juris patronatûs nostri quandocunq; impetrare sine nostro consensu sub pœna exilii, & confiscatione.

Añō 1520. Sigismundus, & reliqui omnes succedanei Ssm̄i Reges in hanc usq; diem hodiernā, statutis constitutionibus præmissis institerunt, & insistūt. Eorum disertissimam habet seriem Herburtus fol. 2:0. 252, & 327.

SERENISSIMI REGES PRO JURE PATRONATUS ARDENTISSIMI DEFENSORES.

SIgismundus Augustus Poloniæ Rex ad majores suos Senatores de denegata à Sum̄o Pontifice Romano Paulo IV. ad Episcopatū Vladislaviensem, Rndmo D. Uchanski Epis. Chelmensi & nominato Vladislaviensi translatione hæc scribit. Sigismundus Aug. DEi Gratiâ Rex Poloniæ, Mag. Dux Lit., Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, D. & Hæres. Magnifici sincerè nobis Dilecti. Habuimus literas à Ven: Joanne Wysocki Abbate Lādensi, Gnesnensi Cantore, & ad Sum̄um Pontificē oratore nostro, quibus ad nos perscripsit, sanctitatem ejus omninò negasse de Rndo in Christo Patre D. Jacobo Uchanski nominato Epis. Vladislaviensi ad eundem Episcopatū è Chelmensi transferendo, planeq; nec effici quidquā diligenti nostra postulatione potuisse. Neq; deinceps, ut obtineri de eo possit, relictā ullā spem esse. Quæ res cum gravior à nobis judicaretur, cumq; in ea plus momēti ad præsentiū rerū statū inesse cernerem⁹, quàm ut de illa nobis absq; sinceritis tuæ cæterorumq; Regni nostri Cōsiliariorum sentētiis statuēdum esse putem⁹, voluimus de eo ad sinceritatē deferre. Hortamurq; sinceritatē vrā, ut nobis sententiā suā per literas explicet quid in eo pro dignitatis nostræ ratione, atq; Regni nostri tranquillitate fieri oportere existimet. Tandem bene valeat sinceritas tua. Datum Vilnæ die 4. mensis Aprilis Añō 1558.

PRÆJUDICATUM ANTIQVUM DE JURE PATRONATUS IN Monasterio Olivensi.

Inscio Rege, Clemens Prior in Abbatem se promovit, cui deposito successit Konarski.

In Nomine Sanctissimæ, atq; Individuæ Trinitatis Amen.

PER hoc præsens publicum instrumentum pateat evidenter, & sit notum, quòd anno Domini 1589, indictione secunda, Pontificatûs Ssm̄i Dñi N. Xysti divinâ providentiâ Papæ quinti, anno ipsius quinto, Regnante Serenissimo, & Potent. Principe Dño Sigismundo III. Dei gratiâ Rege Poloniæ, magno Duce Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ

tempore existentibus pollicitæ sunt, & authoritatis Majestatis Regiæ, nec non jurium regni præcipitanter in præterita electione sese gesserint,& parum præmeditatis consiliis, rerum multò difficiliorem statum, quàm antea fecerint, reddiderint. Tantò quidem magis id dolemus, prout evidentia incommoda in maximum monasterii illius damnum vergentia, inde sequi conspicimus, non modò enim divina officia intermitti, disciplinamq; monasticam, atq; regularem observantiam prorsus jam exclusam esse non sine dolore intelligimus, verùm etiam monasterium, bonaq; & quoslibet proventus per eum, ad quem nullo jure pertinent, occupari, detineri, ac dissipari, ad majoremq; in dies desolationem illud nonasterium redigi. Ac proinde cum ad officium nostrum tanquam Ordinarii pertineat, hisce malis præsens aliquod remedium adferre, & ne inposterum pejus aliquid eveniat providere, injunximus, ac id negotii dedimus Reverendo in Christo Patri Leonardo Remboski Abbati Peplinensi, tanquam ejusdem ordinis, & monasterii vestri viciniori, & visitatori authoritate etiam Serenissimi Regis nostri ad id accedente, ut è vestigio sese ad monasterium vestrum Olivense conferat, eodem in potestatem suam accepto, cultum, & officium divinum, adeóque disciplinam monasticam in eodem revocet, regimen & administrationem Abbatiæ illius, bonorumq; ad eandem ex antiquo pertinentium ita suscipiat, ut postea integra omnia futuro novo Abbati electo per nos instituendo, & confirmando, & secundùm jura regni benedicendo reddere, & tradere possit, alienata, quin etiam distracta bona pro posse recuperet, & conventum ab armatis liberet, pristinæque libertati restituat, Idcirco devotionibus vestris in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna mandamus, ut R. D. Peplinensi Abbati in curam, & administrationem præfatum monasterium suum tradant, eumque in injuncto sibi à nobis munere non impediant, quin potius in omnibus eidem usque ad novi Abbatis electionem obediant sub excommunicationis, aliisque arbitrio nostro extendendis, & fulminandis pœnis. Citantes nihilominus vos, & quemlibet vestrûm ad instantiam instigatoris officii nostri, quatenus 21. die ab intimatione præsentium vobis facienda coram nobis Vladislaviæ, & ubi tunc cum curia nostra feliciter in Domino constituemur, peremptoriè compareant, & quilibet vestrûm compareat ad videndum & audiendum in eventum non paritionis præmissorum pœnas supradictas vos incidisse, & incurrisse declarari, aliàs dicendas causas, quare præmissa fieri non debeant. In cujus rei fidem, & evidentius testimonium sigillum nostrum præsens apprimi jussimus datum Vladislaviæ die 7. Maji anno Domini M. D. LXXXIX Ioannes Szikioski I. U. D. Cancellarius.

A.C. 1699

EIDEM DEPOSITIONI INSISTIT NUNCIATURA APOSTOLICA.

In nomine Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis. Amen.

PER hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter & sit notum, quòd anno à Nativitate ejusdem Dom. M D LXXXV. Indictione secunda Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris Domini nostri Domini Sixti divina providentia Papæ V. anno ipsius quinto, feriâ sextâ post festum Ascensionis Domini, quæ fuit undecima dies Maji circa horam tertiam pomeridianam in hypocausto Rev. Dni Clementis Montani Prioris, & electi monasterii Olivensis, Venerabili Conventui Monasterii ejusdem ad instantiam Rev. Dni Nicolai Miloni Officialis, & Parochi Gedanensis mandatum quoddam Illust. & Rev. Dni Annibalis de Kapua Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopi Neapolitensis per me No-

Conventus respondit, nos volumus parere mandato Seren: Regis, & Rev: ac Illust: Dñi Episcopi loci ordinarii, & concedimus Reveren. Dño Abbati Peplinensi administrationem tam bonorum spiritualium, quàm temporalium tenore præsentium mandatorum. Deinde Rev: D. Nicolaus Milonus Officialis, & Parochus Gedanensis nomine præfati Reverendi D. Abbatis Peplinensis petiit claves à Priore, & Conventu in signum veræ traditionis, & concessionis administrationis. Et tunc prædictus Prior hisce verbis tradidit: Rñdo D. Abbati Peplinensi claves trado in Rñdma D. Vestra tenore mandatorum Seren: Regis, & Illust: loci ordinarii, & præfatam administrationem admitto, & cum Conventu concedo. Acta sunt hæc in Monasterio prædicto Olivensi, anno, indictione, Pontificatu, die, mense quibus suprà, præsentibus ib. nobilibus DD. Fabiano Mileski, & Christophoro Koszulski testibus rogatis & requisitis. *A. C.1699*

TANDEM IN ABBATEM OLIVENSEM EX NOMINATIOne Regia successit Rndmus Daniel Konarski cum tali recognitione.

EGO Daniel Konarski postulatus Abbas Olivensis à Sacra Regia Majestate nominatus, articulos ab Illust: Episcopo loci datos subscribo, & bona fide promitto, me in omnibus illis satisfacturum. Querelas tamen, si forte aliquæ, quod nolim, occurrerint, non ad Dominum Officialem Gedanensem, sed ad Illust: D. ipsummet Episcopum à fratribus deferri cupio. Idem qui suprà.

QUINQUAGINTA SINGULARIA JURIS PATRONATUS REGUM POLONIÆ.

Serenissimo ac Potentissimo Regi JOANNI III. Patrono unico, ac singulari Collatori.

I. JUS PATRONATUS Erectione, Fundatione, aut Dotatione, acquiri; solenne axioma est juris communis Ecclesiastici.

II. Hoc tramite juris Priorum, (ut vocat Cromerus) Sacerdotiorum Collationes Regibus Poloniæ quæsitæ sunt, quorum Fundatores extitêre, qui vocantur in jure Patroni, Advocati, Protectores, & Defensores Ecclesiarum, & præcipuè Monasteriorum.

III. Priora intelliguntur Sacerdotia, Episcopatus, Abbatiæ, & aliæ Regularium Præposituræ, tum & insigniores Prælaturæ, Plebanatusq;.

Can. Pia mentis 16, qu. 7. jun. glos. & cap. quoniam verb. Fundatores ext. de jure pat. itid. junct. glos.

IV. A Divo Miecislao I. Poloniarum Principe Christiano circa annum Salutis 966 Episcopatuum. Circa annum verò 1000. Abbatiarum, jacta sunt fundamenta. Dlugossii, Miechovitæ, Cromeri, Bielscii, Sarnicii, Stricovii, Guagnini, & aliorum veterum recentiorumq; rerum Polonarum scriptorum plenæ historiæ.

Christoph. Wintzler in tract. de jurisd. Episcoporũ German. tit. 89.

V. Episcopatuum res pacatæ, Abbatiæ quædam hâc tempestate prodiêre in arenam, Regum & Fundatorum collationi obluctaturæ. Et quia Reges, non Protectores tantùm, sed & Fundatores sunt, Abbatiarum accipe seriem.

VI. Ab anno millesimo MIECISLAUS I. Princeps Polonorum Christianus Tremesnensem. BOLESLAUS Chrobri Primus Rex Coronatus sanctæ Crucis in Monte Calvo, & Sieciechoviensem. CASIMIRUS Primus Tynecensem, Mogilnicensem, & Lubinensem. MIECISLAUS senex Landensem & Wagrovecensem. CASIMIRUS Justus Copriunicensem

Miechovius in histor. & alij passim.

fensum à Regibus; ad mentẽ statuti regni, cujus verba sunt. Quia tamen tanta est multorũ hominum temeritas, tanta rerum & temporũ varietas, ut nihil tam solidi obtineri ac ornari possit: quod non turbetur & labefiat in posterum, nisi vi & potestate Principum defendatur & manuteneatur. *AC. 1699* *Tit. spiritualis fol. 449*

XIII. Plusquam notum est Annalium gnaris, Gruszcynium à Casimiro III. Regio & excelso spiritu, in vim supremam obfirmato, ad Episcopatum Cracoviensem, Strzępinio vitâ functo, contra proterviam Sieninij, & Capitularia vota, in Brzezium provectum fuisse. Singula prolixè narrante Cromero, & aliis fastorum scriptoribus. A Casimiri Nepote Sigismundo Augusto, Jacobum Uchanscium ad Cathedram Vladislaviensem ex Chelmensi translatum: nihilosecius. Porrò quoad Abbatias sæpè nimis. Majorum memoriâ & nostrâ singuli, quib⁹ Abbatiæ liberalitate Regiâ obtigerunt, hoc meritorum præmio, vigore nominationis Regiæ potiebantur: qui secus; strenuè ut Reges decuit, repressi sunt. Coadjutorem, Gaspari Ieslau Abbatis Olivensis, Georgium Kostka, Palatini Pomeraniæ filiũ cooptatum citra Regis assensum, Stephanus Rex Batoreus, per Oratorem suum Demetrium Sulicovium Archiepiscopum Leopoliensem, apud Sixtum V. seriò impedivit, Reinholdus Heydensteinius narrat luculenter, Sigismundus III. sumptis regni fascibus, Romæ per Joannem Kucborscium, intimum à Secretis, posthac Episcopum Culmen. in causa Tynecensis Abbatiæ; quæ non egerit? qualiter Baranovium electione Capitulari frustra tumidum & laborantem compescuerit? qualiter Andream Batoreũ Cardinalem, in possessionem Abbatiæ Czerwenensis, vivente Falcki Abbate Seniculo, in præsentiâ Nuncij Apostolici Germanici Malaspinæ, & Archiepiscopi Gnesnensis Karnkovij, Plocensisq; Episcopi Baranovij introduxerit? Stanislao Sulovio in manu potenti pacificam possessionem Abbatiæ Tynecensis paraverit? Vladislaus IV. Niewiarovium Româ redeuntem, ibidem à Nepote Pontificis Innocentij X. benedictum Abbatia Tremesnensi exturbaverit, & ab agmine militari captum, vinctumq; deduci jusserit, & tres subinde sibi succedentes Abbates spectare & tolerare coëgerit. Joannes Casimirus Piasecium, Episcopi Præmisliensis ex fratre Nepotem, Abbatia Claræ Tumbæ exuerit? Pstrokonium Episcopũ Chelmensem, ope armatâ Monachis nec quidquam obnitentibus Tynecum introduxerit, quis ignorat? neque hæc vis fuit, ubi à Monasteriis vi agebatur. *Lib. 24. fol. 554.* *Rer. Pol. Lib. 7. fol. 238.*

XIV. Jamq; in eo res processerunt, ut absque Regia nominatione ne Romæ quidem tam sæcularia, quàm regularia beneficia impetrare liceat. Assertum ex Lipsio accipe. Et certè superioribus, inquit, temporibus, usq; ad Sigismundi I. imperium, tantùm is mos in curia Rom: impetrandi beneficia, tam juris patronatûs Laicorum, quàm spiritualium invaluerat, ut etiam legibus à Serenissimis Regibus Alberto & Alexandro eo nomine promulgatis, vix imò ne vix quidem prohiberi id potuerit. Prout videre est in statutis regni. Donec tandem summo studio ac labore Sigismundi I. id effectum est, quod ex præscripto indulti à Sede Apostolica, summoq; Pontifice Clemente VII. impetrati, nullus posthac Cortesanus, quod idem est, in curia Rom: commorans, hujusmodi beneficia, quæ juris Regij fuerint, tum Laicorum, vel in mensibus ab ea Sede Apostolica Ecclesiasticis personis gratiosè concessis impetrare præsumat. Postmodùm statuto ejusdem Regis Cracoviæ lato anni 1540. confirmatum fuit, quæ in hujusmodi Cortesanos contra præscriptum indulti superius recensiti impetrantes, gravissimæ pœnæ statuuntur. Hucusq; ille. *In Decat. quæst. Public. qu. 9. num 13.* *Sub verb. juris patronatûs.*

XV. Fulti beneplacito San. Sed Apost: spiritualium & sæculariũ Ordinum status regni, reassumptis antiquioribus de Cortesanis statutis, leges perpetuas condunt: Abbates nobiles sunto. Reges ad Abbatias, beneme-

A.C. 1699 ritos præsentato, Episcopi post fata Abbatum, Abbatias regunto, & à Rege præsentatos instituunto. Perspice constitutiones quæ tibi diserto & vernaculo sermone rem edisserent.

Anni 1550. & 1588. & 1607.

XVI. Agebatur de abrogatione horum regni statutorum & legũ in Synodis Provincialibus enixâ Abbatum & plebejorum Monachorum curâ; sed prisca consvetudo firma stetit & inconcussa, diplomatibus à Leone X. per Joañem à Lasko, & ab Vrbano VII. per Erasmum Ciolek Regũ nomine impetratis, omnes illas de electionibus Abbatum & Plebejorũ non constitutiones, sed potius cohortationes, seu melius consultationes & totum de electionibus titulũ, Lib. Constit: Provin: comprehensũ evacuavit.

XVII. Talis consvetudo etiam privilegia evacuat: uti expertus juris Episcopus Præmislien. Paulus Piasecius tradit. Sed maximè inquit, circa ista privilegia advertendum est, an fuerint in usu, in loco ubi controvertitur. Si enim adesset consvetudo contraria, illa derogaret etiam talibus privilegiis; & esset tenenda.

In Praxi Epis. de privil. Regularium Par. 2. c. 3. art. 6. numer. 60.

XVIII Cum impetrarentur à sumis Pontificibus diplomata, cum conderentur statuta, & leges, cum laboraretur in Synodis, in æstu controversiarum: consvetudo immarcescibilis viguit. Abbates gente nobiles, à Regibus nominatos Abbatiis præfuisse, ipsis Monasteriorum cætibus sic volentibus. Electi cum scitu loci Ordinariorũ prout lex lata. Pro veritate & in comprobationem relatorum, unicum Episcopatûs Posnaniensis stet Archivium, quanquam & Vladislaviense plura suppeditat, quæ subijcere hic fastidium vetat Ab año 1442. ad annum 1612. & infra ex nominatione Regia, & intimatione Episcoporum Abbates electos fuisse constat. Namq; anno præmemorato die 28. Decembris Nicolaus Abbas Lubinen: in manus Andreæ Episcopi Posnaniensis Abbatiã resignavit, & de novo Abbate provideri postulavit. Anno 1552. Petrus Kamienski Bledzeviensis, & Joannes Bielecki, cum consensu Benedicti Izbinski Episcopi. Año 1558. Stanislaus Wierzbinski Paradisien: cum consensu Czarnkovij, & año 1560. Joannes Wegorzewski Præmetensis. Año 1570. Lucas Koscielecki Lubinensis cum consensu Konarij Episcopi. Año 1577. Joañes Bronikowski. Anno 1579. Andreas Koscielecki Año 1594. Sebastianus Grabowiecki Bledzievienses, cum consensu Lucæ Koscielecki. Anno 1597. Joannes Brzeznicki Præmetensis. Anno 1604. Jacobus Lępicki Lubinensis, & Christophorus Karsnicki, cum consensu Goslicii. Anno 1607. Stephanus Charbicki Præmetensis. Joannes Dłuski Bledzeviensis Abbates, ex nominatione Regia electi, & constituti, usque ad constitutionem hoc eodem anno 1607. latam, finaliter ac postmodum successivè instituti & introducti fuêre. Ita res, priscâ consvetudine & legibus firmata obtinuit, & hodie etiamnum tenet.

XIX. Scis? quibus sedes Episcopales, & curules Senatorias designarit in Polonia, Leo X. in Bulla Provinciali Lib. 1. Constit: Synod. inserta & recepta. Qui, inquit, consilio, verbo, authoritate, & exemplo præsint. Pari passu Abbates cæteriq; Prælati sæculares, cum in procerum consensu censoriam dignitatem, & Vicariam Regis potestatem, sub judicijs tribunalitiis gerunt, generis prosapiâ, pares sint, est necesse.

XX. Quamobrem constitutiones illæ seu potiùs consultationes de electionibus Abbatum evanidæ, antiquatæ, nunquã ad usum aut in praxim reductæ, in desvetudinẽ abierunt, prout ex posterioribus constitutionibus patet. De Abbatiis vacãtibus. De præsidentia electionũ, non absq; Regis nominatione intimandarũ & peragendarũ. De judicibus tribunalis regni. De interessentia Episcoporum comitiis, à quibus illæ vetustiores suffocatæ, & ut gliscenti obviaretur hæresi ab Episcopis ævi subsequentis sublatæ.

XXI. Neq; corruptela dici potest illa cõsvetudo, quàm sana ratio conservandæ

servandæ Religionis Catholicæ, & totius Reip. integritatis asserendæ invexit. Cùm non aliter Hæreticis & Schismaticis in regno Præpotentibus resisti, bona munificâ Principum manu & Procerum liberalitate collata ab invasionibus defendi, à licentia & direptiône militari protegi, ab oneribus bellicis vindicari, immunitatem locis sacris, & personis Ecclesiasticis servientem inconcussam servari, extremis Ecclesiæ & Reipublicæ casibus subveniri potuerit, nisi ut sangvine præpotentes, cognationibus validi, opulenti opulentum tuerentur patrimonium Christi. *A. C.* 1699

XXII. Ius patronatûs res spiritualis, sæcularibus personis ab Ecclesia Dei concessa non aliam ob causam, nisi ut egestate pressis subveniretur Patronis. Crediderim morale fuisse ultra lucrum animæ, cuique Abbatiarum Fundatori; ut fatiscentes familiæ amplo & copioso reditu earundem relevarentur. Et nobilium surculi eruditionis & literaturæ subsidiis utilitati Reipub. succreturi expolirentur; idonei postmodū togâ, sagóque, bellisq; gerendis. Adverte verba Statuti Tit. spiritualis. Cùm magna pars, inquit, Reipub. nostræ in ordine & statu Ecclesiastico consistat, Ecclesiæq; regni nostri, per Antecessores nostros, sint ampliter dotatæ: cùm ad divinum cultum peragendum & manu tenendum, tum etiam ad viros literatos, & idoneos, maximè verò nobiles promovendos, quorum pauci essent, quibus & animus, vel facultas esset ad literas incumbendi & alia studia per quæ emergitur sectandi, nisi bona Ecclesiastica, non solùm facultatem vivendi, sed etiam opem multis se & suos sublevandi præstarent. Unde nobilitas regni, quæ potissima est istius regni portio, & cujus domus & familiæ partim multiplicatione prolis, partim etiam aliis eventibus plerumq; extenuari solent, præcipuum habeat status & provectionis suæ subsidium & adjumentum: ac cum successu temporis multi indigni homines variis artibus & præsertim Romanis impetrationibus, sese ad Sacerdotia ingererent, ac illa viris dignis & idoneis præriperent; Antecessores nostri multiplicibus statutis, & pœnis gravissimis collationes suas, & subditorū suorū sæculariū, asseruerunt ac defenderūt.

XXIII. Mixtus est in regno Poloniæ Reip. status, longè diversa ab aliis Reipublicæ facie. Subsellia in senatu, & in judiciis regni tribunalitiis, spirituales primi cœpere, & ubi desunt, multa desunt. In ea dignitate, pro dignitate, quâ ratione muniis sufficerent, cum equos, famulitium, supellectilem, cōmeatum censere, sumptibus quotidianis exhauriri, curis in publicum impensis, domestica deserere, alijs inserviendo consumi, aliorumq; officio sibi officere, extra se ipsum vivere, pene sint adstricti.

XXIV. Si privatis & proletarijs Abbatiæ atque aliæ Prælaturæ cederent, Senatum minorari, tribunal regni attenuari, aulam deseri cerneremus. Sic fraudaretur Cancellarius Ecclesiasticus & alter Majestatis Reginalis, Secretarius magnus, Referendarius regni, Notarius Thesauri, Secretarij, Commissarij, Judices Parlamentarij, Assessores judiciorum Residentes, in exteris, & alii Curiales intimi, in obsequio Regis & Reip. attritis Patrimonijs, omni spe præmij, & adminiculi excluderentur; Senatûs consiliarijs, Rex Ministris, Tribunal judicibus, Subsellia Assessoribus diminuta, pristino splendore exuerentur.

XXV. Episcopi tenuiores angustâ re domi, foris in publicum prodire, consilia opportuna subtrahere, residentiam ad latus Regis lege cautam omittere. Particulares & Generales Conventus, ad quos sub pœna mille marcarum per constitutionem ultimæ Synodi Węzykovianæ à summo Pontifice Urbano VIII. approbatæ irrogatâ, venire tenentur; refugere, nullius esse usus publici cogerentur. Ita Religio, Ecclesia, Reip. administratio, consultationes in publicum, bona spiritualium, familiarum decus periclitarentur.

XXVI. Regis Majestati quantùm decederet, adempta collatione Abbati-

A. C. 1699 atum & Episcopatus sequerentur. Cæterùm Parochialibus beneficiis vigore gratiarum delatis ad locorum ordinarios, nihil residui Regibus præter sæculares vacantias, quæ pravo exemplo per Palatinatus electionem expeterent, relinqueretur. Potior Commissarij ordinis regularis munificentia foret, qui Abbatias pro arbitrio dispensaret. Secretarius (ut vocant) Provinciæ designaret. illa justitiæ distributivæ amplitudo, quâ Principes Europæ Rex Poloniæ superabat, evanesceret.

XXVII. Statuta regni hoc in passu dant rationes latæ legis. Ubi igitur ratio, quæ est mens & anima legis locum habuit, ibi habet locum legis dispositio, etiamsi esset contra jus commune. Hoc legistarum placitum eruditè illustrat insignis jure consultus, Aloysius Riccius Neap. in Prax. Rer. quotid. Respons. 452. Antiqu. edi.

Verb. Abbas & verb Spiritualis.

XXVIII. Prisco illo ævo Electiones Monachorum viguisse non ambigitur. Cum à primordiis Christianæ Religionis Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, Itali, Galli, Alemanni gubernarent: Fidei mysteriorum & politioris literaturæ callidiores Polonis: quibus, ut antea ipsisinet simplicitas rudis antefuit. Pariter & in Civilibus jura Teutonica, Saxonica, Magdeburgensia invecta, & cuiq; priori Civitati Germani Præsides, Consulesq; erant. Acta quoq; publica linguâ Flamengâ scribebantur. Ævo politiore, & cum externi insolescerent, vel partis abuterentur; Respub. correxit seipsam, ambitus externorum repressit, Classes Ordinum in Senatorium, Equestrem & Plebejum divisit, leges tulit, quæ futura respiciunt, non præterita. Hinc Plebeji manere in sua classe jussi. Nam spiritualis Nobilis tantùm est (ut vocant legistæ) fictione juris.

XXIX. Plebeji Abbates ignaviâ diffluebant & divitiis. Alemanni proximâ labe Lutheranismi aspersi, aut in sacris nutantes bona Abbatiarum emungebant & discerpebant. Reditus opimi extra fines efferebantur. Quidquid quæsitum sibi ad privatos usus intuitu Monasteriorum vetitâ testandi facultate acquirebatur. Quâ re Antistitum Concilium sub Gamraro cognita statuit Provinciale edictum. Cùm plerique, ait, Abbates, Præpositi & Abbatissæ, villas & bona Monasteriorum suorum, & juris patronatûs Ecclesiarum hactenùs alienarunt, &c. Decernit hæc Synodus, ut DD. Episcopi Monitoria contra tales Abbates &c. decernant. Ex quo legem illam plurimum proficuam. Post Abbatis vel Præpositi Regularis Loci Ordinarii bonum ordinem Monasteriorum curent, Proventibus in potestate Monachorum relictis. Electionem verò Episcopi morte defuncti Abbatis significatâ, quam primùm indicant, de eoque cum Rege communicent, & consuetudinem veterem observent. Electum competenter Regi significent, à Rege præsentatum instituant. Legem inquam illam non aspernati, observant; & in usu etiamnum hodie habent. Recurre ad Constitutiones Regni 1550 & 1588.

XXX. Palàm obscurioris conditionis Clerici, & alij Presbyteri, è cœtu Illustrium Virorum ab Episcopis amoti, cùm Ecclesiarum Cathedralium Statuta conderent approbarentq;: De non recipiendis Plebejis inter Canonicos, ex quibus creantur Episcopi & Abbates, indicant qui & quales Abbatiis gubernandis designantur.

XXXI. Collocatum etiam jus patronatûs Principum inter Regalia, & de non alienandis Reges Sacramento obstricti. Etsi quis illud usurpare præsumpserit, infamem lex dixit, & bonis publicatis proscriptum. Uti statutum Regni fusiùs loquitur verb. Jus patronatûs.

XXXII. Cum Regalia Principibus Regibusque sit moris facto propugnare non jure, dedecet Majestatem Regiam de juribus suæ collationis

tionis litigare. A Rege Batoreo Demetrius Sulikovius, ut refert Heidensteinius sup. cit. Romam missus intentus in conatus eos jussus esse, maximè si in judicio rotæ, aliquid susciperetur. *Ne in controversiam illam Rex descenderet.* *A.C.1699*

XXXIII. Lex jubet non disputat. Rex ablegat ad Electiones Abbatum Nuncios & scribit, ut eligatis hunc & non alium. Ab immemorabili stylũ hunc curia Rom. suscepit, cui nunquam Religiosi sese opposuerunt.

XXXIV. Jus Patronatûs Principum, Magnatum, vel alicujus universitatis seu familiæ, quæ plurimùm pollet authoritate inquit Piasecius: Præsumitur potius ex usurpatione, præsertim in locis in quibus similes personæ exercent jurisdictionem, quæ tamen usurpationes firmant jus patronatus privatorum, quantò magis Regnantium. *Part.2. Piaf.Episc.c.5. art.1.n.40*

XXXV. Claret jus patronatus Regium & Abbatiarum collatio Regum Polon. etiam apud exteros. Libro cui titulus Breviarium Orbis hodie imperantis. Quærit Author. Quænam potest solus Rex in Polonia? Solus Rex respondet, potest Magistratus, tum Sacros, tum Civiles constituere. Magistratus sacri, quos Rex solus constituit, sunt Episcopi & Abbates, quos tamen non ex pacto solùm, sed ipso jure quoq; constituit: adeoq; in hac re Rex Poloniæ ipsos Germaniæ Imperatores vincit (ut ibi Germanus scriptor loquitur) sed & Severinus de Monzabano Neotericus hæc habet: Rex Poloniæ ipse Episcopos, & Abbates nominat, Palatinos, Mareschalcos, & Cancellarios, Thesaurarios, Ducesq; Militiæ creat. Reditus Coronæ dispensat & Præfecturas distribuit: Deniq; universos Reip. honores prout ipsi placet confert, habetq; omnes in manu remunerandi, beneficioq; afficiendi, quoscunq; voluerit modos. *Erom. 30. fol. 746.*

XXXVI. Non est Regum potestatis quidquam de jure patronatûs demittere, cùm per Pacta Conventa specificè juret: Se Regalia non alienaturum, quin imò defensurum. Neq; Ordines Regni aliter Regem eligunt. Ac præcipuè Seren: Regi feliciter nuper Electo, & Coronato Pactis juratis, id præscriptum est.

XXXVII. Norunt Catholici Europæ Monarchæ, nunquam Concilio Tridentino id mentis fuisse, juri patronatûs Regum & Principum derogare, uti deducit Piasecius. Illæ verò dispositiones S. Concil. Trid. ut Regulares Personæ ejusdem ordinis professæ Abbatiis præficiantur, & si quæ sunt aliæ: Consultivas tantùm esse docet celeberrimus Juris Doctor Stephan. Gratian. Et vigere tantùm, ubi Regum collationes non interveniunt. Secus aliter: ut in Regno Poloniæ, Hispaniæ, Galliæ, ubi merentes in aula hæc præmia sumunt. Imò sæpè contingit plures Abbatias uni accumulari. Hattonem Archiepiscopum Moguntinum 12. Abbatiis à Regibus Germaniæ præfectum fuisse, longè retrò anteactis temporibus adfert Conring. Ut in Gallia recentiores Rischelium & Mazzarinum omittam. *Loc.sup.cit. n. 11. & 12.* *Discep. Foren.c.123.n. 12 adstipulantibus sibi multis DD.* *Differ. pro Moguntin. pag. 66.*

XXXVIII. Sicut æqualitas, ita respectus vicinorum Principum observatu non incongruum suadet, ut Rex jurium patronatûs, quæ sunt cõmunia Principibus tenacior sit: ne tenuiori lenitate Imperatoris & Hispaniæ Regis exemplo, occasionem præjudicii pariat, illudq; patiatur.

XXXIX. Periculosa res est Principibus incuria jurium Mtis aut lapsus, Henricus V. à Synodo Rhemensi excommunicatus instigante Calixto II. Pacis obtinendæ gratiæ Vormatiæ juri constituendi Episcopos palàm renunciare coactus est. Donec Sæculo XIV. suborto inter tres Pontifices schismate: cùm res Ecclesiæ fluctuant, Germaniæ Clerus libertati pristinæ consuluit, Episcoporum Electione ad Canonicos redeunte, jus

 inve-

A.C.1699 inveſtituræ Cæſaribus, circa Curiam Romanam, confirmatio manſit. De Stat: Imper. Germ. ſuperius allegat. Severin de Monzabano.

XL. Probabile fuit Faſtorum Polon. ſcriptori Cromero & Religioſiſſimo Antiſtiti. Et prima Religionum inſtituta obſervare, cum dicit libr. 2. Polon. Deſcript. Abbatum & Præpoſitorum eligendorum jus Collegia Monachorum hactenus retinuêre, ſed jam vix retinent ab Epiſcopis primum, deinde à Regibus etiam labefactatum & violatum. Et probabile eidem fuit utilitati Eccleſiæ neceſſitatiq; Reip. proſpicere, quando concluſit: Ad Electionē quidem certè Regibus aſſenſus & Epiſcopi authoritas accedat oportet.

XLI. Vim ſibi illatam fuiſſe & eſſe paſſim in vulgus ſpargunt regulares. Felix, proſpera, fortunata vis Monaſteriis pene cælitus delapſa. Regem prout à primordiis fundatorem adepti ſunt, Patronum habere, Collatorem, Protectorem, Abbates nanciſci illuſtres magnatum filios, negotiorum Reip. gnaros, ſublimi Regis judicio lectos, qui in Curia negotiis non otijs immerſi, diu noctúque pro immunitate Eccleſiæ, libertate Patriæ, dignitate Reip. miniſterio Regis inſudantes in conſpectu Principum piè, ſobriè, caſtè vivere didicerunt. Remoti externi, vicinæ Germaniæ peſte hæreſum afflati, & à gubernaculis abſtinere juſſi, ignari, rudes, Patrimonium Chriſti diſſipantes. Probè diſpoſita munia, fratres pſallere, Abbates qui regimini nati & magis idonei regere & gubernare conſtituti.

XLII. Rex Patronus & Collator perpetuus, & immemorabilis. Nam ſicut Epiſcopi in Provinciis Poloniæ habent jus præſcriptum Abbates inſtituendi, Adminiſtratorem vacantibus Abbatiis dandi, electionibus præſidendi

Par. 1. c. 3. art. 6. n.70 (ut affirmat Piaſecius Abbas olim Claræ Tumbæ) meritò dicendus Baldus Polonus. Ita Rex nominandi ſeu præſentandi jus inter jura Majeſtatis cenſitum poſſedit & poſſidet præſcriptione tanti temporis, cujus initij memoria non exſtat.

XLIII. Tanto tempore quæſita Iura patronatûs Regibus Sedes Apoſtolica approbavit, & hodie etiamnum approbat, nominatis à Regibus literas proviſionis impertiendo. Scribit alicubi Cromerus: ante ætatem inquit noſtram, Eraſmus Ciolek apud Pontificem Priorum Sacerdotiorum indulgentias in poteſtatem Regis redegit. Non piget exſcribere, ut ſupra innuimus, quæ Staniſlaus Lubienſki ſcriptor & Antiſtes integerrimus adnotavit, ut conſtet de continuo beneplacito ſummorum Pontificum. Andreæ inquit Batoreo Cardinali Epiſcopo Varmienſi loco Epiſcopatûs Crac: (quem contulerat Georgio Radzivilo, Cardinali Epiſcopo Vilnen. Sigiſmundus III. Rex, & promiſiſſet antea Batoreo) Abbatiam adjunxit Czerwenen. ad quam cum in Sueciam iret, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio menſe Auguſto divertit, cum Archiepiſcopo Karnkovio, & Epiſcopo Płocen. Baranovio, ut illius Abbatiæ poſſeſſionem traderet Cardinali Batoreo; quod quidem Rege præſente factum fuit, multùm renitentibus Monachis, ſupereſſe adhuc Abbatem clamitantibus, & jura liberè eligendi Abbatis appellantibꝰ. Sed fruſtra: nam Germanicus Malaſpina Nuntius Apoſtolicus oſtendit, id ſummi Pontificis voluntate fieri. Ni parerent præſens illis anathema interminaturus. Oper. poſthum. part. 1. n. 8. Non tantùm hæc rata habebant ſummi Pontifices, ſed ipſi etiam jura patronatûs Regibus tribuebant aſſerebantque. Monachi Andrejovienſes in vita B. Kadłubkonis, quam luci dederunt, ipſi fatentur, Bartholomæo Powſinio Referendario Curiæ Rom. ad commendationem Clementis VIII. Abbatiam hanc à Rege collatam fuiſſe, ut infra patebit.

XLIV. Sicut in Germania Capitulis electio, Cæſari inveſtitura, Curiæ Rom. confirmatio competit, ita in Polonia Regi nominatio, Curiæ Rom. confirmatio pene ex compactatis, ſeu ut vocant concordatis Privilegio Clementis

mentis VII. quod incipit. Cùm singularem. Ubi dicit. Quod coadjutoriæ ingressus & accessus ad beneficia usurpari non potest, nisi etiam ipsius Sigismundi, & pro tempore existentis Poloniæ Regis & loci ordinarii, ac Capituli illius Ecclesiæ, in qua beneficium hujusmodi fuerit, ad id expressus accesserit assensus. *A.C.1699*

XLV. Regis nominatione Abbatiis præfecti pro gloria Regii nominis semper enituntur correspondere suæ existimationi. Exinde ipsorũ munificentiâ Ecclesiæ DEi, & Monasteriis multa bona fluunt. Advertit has utilitates famosus nostri temporis moralium Scriptor ex ipso Cisterciensi ordine Joannes Caramuel Episcopus Metiensis Suffraganeus Moguntinus, qui in Theologia regulari scribens de Abbatiarum Comendatariis, utiliꝰ ipsis Abbatias collocari censet & ex multis & ponderosis rationibus, utiliores esse demonstrat Episcopos comendatarios, quàm Abbates formales.

XLVI. Jus patronatûs Regium nemini obicem ponit assequendæ dignitatis, & præmiorum pro meritis; quin imò tramitem monstrat. Rex virtutum & ingeniorum supremus Arbiter ita collationem suam temperat cum instituto Regulari, ut non implicet provehi Regularem Professum, dummodo sit utilis, & publico bono accommodatus.

XLVII. Iniquum foret de injuria prætextu jurium Mtis queri ab his, qui ultrò legem tulerunt in se ipsos, nos inquiunt ejusmodi Abbatis electionem intimare & notificare spondemus, & præsentibus pollicemur, ac etiam à Serenitate & Successoribus legitimis votum petere, & consensum gratiosum postulare & impetrare Stat: Reg. verb. Abbas. Hanc talem sponsionem & suam suarumq; Abbatiarum cum juribus Regiæ Mti ultroneam subjectionem, re ipsa, facto & secuto pluries effectu, in realem & actualem ipsimet Monachi deduxerunt executionem. Cùm non tantùm à Regibus Abbates sibi dari, conferri, & destinari peterent, sed quòd cardo rei est, è gremio suî electos exturbarent, & possessione Abbatiarum dejicerent, quibus depulsis & submotis à Mte Regia præsentatos dari sibi & substitui multifariè supplicarent. Ita Petro à Lwowek per Commissarios Benedicti Izbinski Episcopi Posnaniensis Abbatia Blodzoviensi detruso, à Rege datus & præsentatus Petrus Kaminski suffectus est. Adamus Joannes Coloniensis potestate Episcopi loci & Regis mandato, de Abbatia Obrensi detrusi locum dederunt obtinendæ illius Abbatiæ Joanni Bielecki, per Mtem Regiam præsentato & pariter dato. Nec dispari ratione Joannes Węgorzewski amoto & privato, Stephano Siemienski ad Premetensem Abbatiam à Rege substitutus est. Goslavium ex Paradisiensi Abbatia, Czarlinium ex Peplinensi ipsi Monachi è medio suî lectos & creatos depulerunt, & à Regia Mte in locum ipsorum substituendos dari sibi alios petierunt postularuntq;.

XLVIII. Ab an: 1460 quo hæc agebantur, & retro ante ut supra patuit singulari 18. Rege possessionem continuante Monasteria, nihil gravaminis comminiscebantur Abbatibus ad nominationem Regiam, longa nec interrupta serie succedentibus.

XLIX. Non potest igitur Rex & Respubl: stante beneplacito Sedis Apostolicæ, & præhabita confirmatione præinsertorum possessioni suæ præjudicare, & Regalia alienare. Neque nocivâ dissimulatione ac conniventia culpabili concedere Monasteriis ad amissa regressum.

L. Proinde frustra imò temere petulanti impulsu, pessimo exemplo, ausu damnabili nuper duo Monasteria Cisterciensiũ in Polonia, Andrejoviense & Coronoviense, quæ & Hebdoviense secutum, electionem absque præsentatione Regia attentarunt. Frustra synopses Privilegiorum peremptorias jurium typis mandari & imprimi fecerunt, & Andrejoviense quidem

A.C. 1969 dem Monasterium consensu Vladislai II. Principis Poloniæ à Janico Archi-Episcopo Gnesnensi fundatum centenariâ post præscriptione à commendatariis Regum nominatione præhabitâ tentum: contra stimulum calcitrat. Cum fateatur in vita B. Vincentij Kadłubkonis à se edita, incipiendo à Stanislao Białobrescio Abbate quatuor continuò subsequentes Administratores dictæ Abbatiæ, quibus tres alij successerunt, à Regibus præsentatos & datos fuisse, Ita enim ediderunt & edisserunt pag. 62. quando enumerant Abbates, Vigesimus septimus Stanislaus Białobrzeski, opera fratris sui Martini Białobrzeski Abbatis Claræ Tumbæ per Regiam Majestatem promotus, & hic ultimus jam fuit Abbas Andrejoviensis, ab ejus enim obitu commendatarij cœperunt esse. Primusque Commendatarius fuit Stanislaus Rescius Canonicus Varmiensis & Decanus Varsaviensis per Serenissimum Stephanum Regem datus, qui Nuntius Neapoli mansit. II. Commendatarius Abbatiæ Andrejoviensis fuit Bartholomæus Powsinski per summum Pontificem Clementem VIII. Serenissimo Regi Sigismundo III. commendatus. Tertius Commendatarius Adamus Makowski, qui itidem Neapoli Nuntius mansit. IV Reverendissimus Remigius Koniecpolski Episcopus Chełmensis, qui ossa B. Vincentij Kadłubkonis An. verb. Incar. 1633. sublevavit &c. Pariter & Monasterium Coronoviense per Vislaum Episcopum Vladislaviensem ex bonis Comitis Bogusza consensu Casimiri Ducis Cujaviæ decreto in juvene (ut scribit) Vladislavia die 10. Novembris 1262. interposito: fundatum: cristas erigit. Cum ab anno 1599, præsertim morte Laurentij Zalinski per præsentatos Regios tentum fuerit. Frustra privilegium Serenissimi Joannis Casimiri hæc eadem Monasteria jactant, Regalia insciâ Rep. alienans, ambitu privato obtentum, & surreptitiè emanatum, atque revocari jussum, quin imò per Serenissimum Regem Michaëlem ad consvetudines & jus commune reductum, cui jam expresse collatâ Abbatiâ Vachocensi Lezenio præjudicatum. Nónne in confesso est hodiernum Commissarium Religionis Cisterciensis per Poloniam Zapolsciū, post fata Dönhoffy literis petijsse Regē suppliciter, ut dictæ Abbatiæ Andrejoviensi de successore provideatur. Potius mancipati servitio Divino enitantur, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEi DEo reddi.

SERIES ABBATUM.

Qui nostrâ Patrumque nostrorum memoriâ ex præsentatione, & nominatione Regia successivè Abbates processecerunt.

Anno 1585. Christoph. Klinski. Grodnæ Nominatus à Rege Abbas Peplin.
Anno 1599. Nicolaus Kostka, Canonicus Culmensis Abbas Peplinensis.
Anno 1600. Stanislaus Makowiecki Canonicus Varmiensis, post mortem Laurentij Zalinski Abbas Coronoviensis.
Anno 1601. Joannes Krzycki, Secretarius Regius Abbas Coronoviensis.
Anno 1608. Eustachius Wołowicz, Episcopus Vilnensis Abbas Lubinensis.
Anno 1611. Daniel Domaracki, Abbas Paradisiensis.
Anno 1612. Nowodworski Abbas Præmetensis.
Anno 1633. Jacobus Piasecki, Archidiaconus Vladislaviensis per viam Coadjutoriæ Abbas Coronoviensis.
Anno 1642. Nicolaus Sulgostowski, Canon: Gnesnen. Abbas Præmetensis.
Anno 1645. Sigismundus Sulinski, Canonicus Gnesn. Abbas Præmetensis.
Anno 1652. Nicolaus Krosnowski, post mortem Piasecij Abbas Coronoviensis, quem secutus Carolus Czołanski.
Anno 1664. Petrus Dębinski, Abbas Coronoviensis.
Anno 1660. Leonardus Rebowski, post mortem Felicis Kos Abbas Peplin.

RECEN-

RECENTIORI MEMORIA.

A. C. 1699

Andreas Leſczynſki, Abbas Præmetenſis Archiepiſcopus Gneſnenſis.
Nicolaus Prazmowſki, Abbas Sieciechovienſis Archiepiſcopus Gneſnenſis.
Staniſlaus Grochowſki, Abbas Sieciechovienſis Archiepiſc: Leopolienſis.
Joannes Tarnowſki, Abbas Claræ Tumbæ Archiepiſcopus Leopolienſis.
Joannes Prochnicki, Abbas Sieciechovienſis Archiepiſcopus Leopolienſis.
Princeps Carolus Abbas Czervenenſis Epiſcopus Płocenſis.
Albertus Gniewoſz Abbas Copriunicenſis Epiſcopus Vladiſlavienſis.
Andreas Gembicki, Abbas Tremeſnenſis Epiſcopus Luceorienſis.
Thomas Leżenſki, Abbas Wachocenſis Epiſcopus Luceorienſis.
Paulus Piaſecki, Abbas Claræ Tumbæ Epiſcopus Præmiſlienſis.
Joannes Stempkowſki, Abbas Hebdovienſis Epiſcopus Camenecenſis.
Joannes Sokolowſki, Abbas Tremeſnenſis Episcopus Kijovienſis.
Sigiſmundus Czyżewſki, Abbas Paradiſienſis Epiſcopus Camenecenſis.
Joannes Czarnecki, Abbas Czervenenſis Epiſcopus Camenecenſis.
Staniſlaus Pſtrokonſki, Abbas Tynenſis Epiſcopus Chełmenſis.
Remigius Koniecpolſki, Abbas Andrejovienſis Epiſcopus Chełmenſis.
Joannes Rożycki, Abbas Mogilnicenſis Epiſcopus Chełmenſis.
Otto Schonnig, Abbas Sulejovienſis Epiſcopus Vendenſis.
Lucas Radoſzewſki, Abbas ſanctæ Crucis Epiſcopus Kijovienſis.
Staniſlaus Trzebinſki, Abbas Andrejovienſis Epiſcopus Præmiſlienſis.
Andreas Miaſkowſki, Abbas Tremeſnenſis Secretarius Magnus.
Joannes Lipſki, Abbas Vachocenſis Referendarius Regni.
Martinus Starczewſki, Abbas Tremeſnenſis Referendarius Regni.
Joannes Firli Abbas Tinecenſis Referendarius Regni.
Nicolaus Ruſzkowſki Cuſtos Varſavienſis Abbas Paradiſienſis.
Staniſlaus Rumiſzewſki Secretarius Regius Abbas Paradiſienſis.
Nicolaus Wierzbowſki Secretarius Regius Abbas Paradiſienſis.
Staniſlaus Makowſki, Legatus in Hiſpanias Abbas Lubinenſis.
Jacobus Lopiecki Secretarius Regius Abbas Lubinenſis.
Staniſlaus Kiſzewſki Secretarius Regius Abbas Lubinenſis.
Joannes Bronikowſki Canonicus Poſnanienſis Abbas Bledzovienſis.
Staniſlaus Oſtrowſki Secretarius Regius Abbas Vachocenſis.
Staniſlaus Komorowſki, Regens Cancellariæ Regni Abbas Vachocenſis.
Joannes Goſtomſki Secretarius Regius Abbas Vachocenſis.
Alexander Dönhoff, Secretarius Regius Abbas Andrejovienſis.
Felix Mietlicki, Archidiaconus Poſnanienſis Abbas Vitovienſis.
Staniſlaus Mielſzewſki, Secretarius Regius Abbas Tremeſnenſis.
Joannes Kozielſki Secretarius Regius Abbas Vagrovecenſis.
Joannes Chrzonowſki, Secretarius Regius Abbas Vagrovecenſis.
Joannes Dunin Secretarius Regius Abbas Obrenſis.
Adamus Trepnicz Secretarius Regius Abbas Olivenſis.
Staniſlaus Sierakowſki, Secretarius Regius Abbas Sanctæ Crucis.
Joannes Sierakowſki Secretarius Regius Abbas ſanctæ Crucis.
Joannes Kęſowſki, Secretarius Regius Abbas Olivenſis.
Staniſlaus Płaza Secretarius Regius Abbas Vitovienſis.
Joannes Reſzka Secretarius Regius Abbas Peplinenſis.

ABBATES SUPERSTITES.

Celſiſſimus Princeps Illuſtriſſimus Andreas Olſzowſki Abbas Andrejovienſis modernus Primas Regni.

10. Juris Patronatûs Regum beneficia etiamsi vacaverint in Curia Romana, non derogat ijs Papa sine Regis consensu; Rebuff. ibi tertia part. signaturæ n. 62. *A.C.* 1699

11. Juri patronatûs Regum nunquam derogat Papa. Rebuff. ibidem.

12. Contractus ligat Principem. Rebuff. in præfat. ad Libr. de collat. in versu, contrarium credo.

13. Concordata vim pacti, contractûs ac statuti habent, quod textus eorundem dicit.

14. Successor non potest revocare contractum Antecessoris, Ibidem Rebuff. versu idem dicit.

15. Tantò magis si sit contractus sub nomine dignitatis, ut in concordatis inter Regem & Sedem Apostolicam, & inter Papam & Successores ejus seu Regnum.

16. Privilegium alicui concessum, contrario usu seu consvetudine tollitur Pias. par. 2. c. 3. ar. 6. n. 60.

17. Statuta locorum particularia, justis rationibus firmata juri communi, est communis.

18. Regalia quomodo afferenda sint, penes Regis abitrium esto.

19. Successor censetur una persona cum Prædecessore, auth. de jure. jur. amoven: præst: coll: 2.

PRO EADEM RESPONSIONE AFFIRMATIVA PONO FUNDAMENTA EX JURE SPECIALI.

1. Serenissimi Reges Poloniæ beneficia Ecclesiastica in Regno, aut ipsi fundarunt, aut in fundationem pro supremo jure sui Dominij consenserunt. Pro ut facilè colligitur, vel ex ipsis inscriptionibus censuum quibus nullus onerare bona sua poterat propria, absque consensu Regio usque ad Sigismundum Augustum. Quis igitur dispositioni juris com: innixus de eorum jure nominandi seu patronatûs ad beneficia Ecclesiastica hujus Regni dubitet. n. 2. Præsertim quòd ex præscripto statutorum regni Poloniæ Tit. de jure patronatûs anno 1510. Ubi specialis mentio in privilegio seu inscriptione facta non est de jure patronatûs, juri Regio reservatum esse, cognoscitur. Quod valdè est notandum: hoc enim adversa pars, pro Achille statuit, dum in erectionibus seu dotationibus (quæ hic privilegia vocantur) non esse reservatum jus patronatûs asserit. Verùm hæc lex sternit hunc Achillem; ita ut per eam non solùm eorum monasteriorum quæ à Regibus sed etiam quæ ab illorum Baronibus sunt fundata (dum eis non est reservatum specialiter jus patronatûs in ipsa electione) Reges efficiantur Patroni. Præterea est alia lex & praxis regni Poloniæ, quòd dum desunt alicujus consangvinei in octavo gradu, bona ejus ad Regium fiscum devolvuntur, sed eorum qui fundarunt monasteria, nullus consangvineus in octavo gradu apparet, ergo uti alia eorum bona, ita & jus patronatûs, si quod habuerunt, ad Reges sunt devoluta constitutione comitiali anni 1588.

2. Serenissimus feliciter modernus, cum repræsentet personam Prædecessorum suorum, seu una persona sit cum prædecessoribus suis num. 19. supra, nunquid dabit locum dubitandi de jure nominandi, præsentandi, per Antecessores tento, & in suam personam transfuso.

3. Rex Poloniæ est in possessione nominandi, præsentandi, ad majora & minora beneficia, non solùm 30 annorum spatio præscripta, quæ sufficit ad inducendam bonam fidem fundationis, si de ea dubitetur. Supra n. 6. non solùm 50 annorum, quæ pariter satis est ad purgandam usurpationis præsumptionem supra n. 54 sed etiam immemorabili, aliàs ne dum centenaria, sed plus quàm ducentaria quâ allegata non habet onus, Rex Possessor de titulo quovis meliore disputandi supra n. 7.

A.C.1699 4. Reclamationes, intrusiones aliquorum absque effectu non poterant præjudicare possessioni, præsentantis seu nominantis Regis quæ etiam per unicum actum sequuto effectu quæritur sup. n. 8. Ad quid igitur in controversiam trahenda.

5. Possessorio in similibus occurrentijs processerunt Reges Poloniæ, nec rotali aleæ juris sui trutinam permiserunt, exemplo sit Stephanus Bathoreus, nec feliciter modernus disquisitionem juris sui in petitorio Curiæ vel Curialibus Romanis committere securum judicabit supra n. 9.

6. Ista tractatio supra nominationem seu jure præsentandi Regio, cum Serenissimo Rege Nuntij Apostolici non videtur ex mente Serenissimi D. N. qui in scrinio pectoris habet legitimam praxim, Sanctæ Sedis Apostolicæ de qua supra n. 10 & 11.

7. Nec obtrudat quisquam Sanctam Sedem Apostolicam, favores hos Galliarum regno impertiri ob insignia Regum ejus in S. Sedem Apostolicam merita, quasi verò Serenissimus Ioannes III. non sit progressus ultra, parta salute in una Austria toti Christianitati, ille armatis pro Deo & Ecclesia rationibus contra eum pugnatum ibit.

8. Concordata Poloniæ irritat omnes accessus, ingressus, regressus ad beneficia generaliter omnia, nisi Regis adsit expressus consensus. Quomodo ergo Serenissimus dabit locum cuiquam in beneficio, citra suum consensum expressum intruso & qua necessitate super hoc discrepationes juris audiet stante notorietate juris sui supra n. 10 & 13.

9. Eadem concordata Poloniæ in forma pacti validi & contractus ac statuti facta, conditaque sunt supra n. 13. poterit ne Nuntius Apostolicus, non stare contractui ejusmodi, Principis sui seu Antecessorum ejus supra 11. 12. vel poterit ne revocare contractum talem Successor n. 14. Tantò magis, cùm non inter personas, sed dignitates pacta illa conventa & contractus initi in dictis concordatis habeantur supra n. 15.

10. Privilegia si quæ partes allegant, contraria consuetudine nominationis Regiæ sublata penitus censentur: supra n. 16. ac ideo disquisitioni Regis frustra proponerentur, nec enim mortuos ille suscitat, Ioannes est magnus non Saulus.

11. Sancta Sedes Apostolica, nominationes, præsentationes ad Abbatias confirmationibus datis probavit semper: Rex igitur aliam approbationem à decisione Nuntij Apostolici præstolabitur? supra n. 12 & 13 & 15.

12. Leges hujus Regni de Abbatijs, de jure patronatûs sunt multum rationabiles, fundantur enim in providendo bono, & utili Ecclesiarum, ne per potentes opprimantur, ne per ineptiores detrimentum patiantur, ut Ministri status, Regni & Curiæ, Officiales, cæterique Curiales, qui præcipuè spirituales sunt, sint provisi &c. &c. Nunquid obtinere non debent etiam contra jus commune supra n. 17. De quarum legum validitate & subsistentia deliberare poteritne sua Majestas cum Nuntio extra campum comitiorum.

13. Nominationes, præsentationes Regiæ ad beneficia generaliter omnia, in Regno Poloniæ inter Regalia recensentur. Non solùm quia unicus Rex habet hîc justitiam distributivam omnium dignitatum, tam sæcularium quàm Ecclesiasticarum, sed etiam quia jurat in pactis conventis de non alienando jure patronatûs. Dispensabit, ne super hoc Nuntius Apostolicus, cum Principe, vel hic Regalia Majestatis suæ in Rota duntaxat jure vindicabit supra num. 18.

Concludendo itaq; respondeo ad quæstionem breviter stylo ipsius.

Curiæ Romanæ.

Nihil transeat.

Cæterum omnia ad beneplacitum S. Majestatis suæ & non aliter, nec aliàs.

S. W.

ME-

A. C. 1699

MEMORIALE AD PONTIFICEM CUM SUPPLICATIONE PRO COMMENDANDIS 15. Abbatijs.

AB illo tempore, à quo Dominus Deus concessit Poloniæ donum fidei, semper hoc regnum antemurale erat, estque Christianitatis. Et si Reges Poloniæ, acerrimi legis Christi defensores meruerunt amorem, & sanctæ Sedis æstimationem; certum est, quòd regnans nunc Joannes III. cujus dextram Divina misericordia dignata est adhibere ad liberationem Viennæ, & per id Christianitatis totius ab Ottomannico jugo, quod illi impendebat. Meretur super omnes paternum affectum Vicarij Christi, ut eum respectum erga liberatorem habeat, qui proprius est Pastoris videntis liberatum suum gregem à tam evidenti periculo. Et vel ideo magis, quòd Majestas Sua etiam postea continuavit, non tantùm exponendo proprium sangvinem, & proprij filij indicibiles labores & pœnas supportavit inter deserta, inter tempestates mille exposita periculis, & infinitos sumptus, faciendo diversiones tam necessarias ad facilitandas oppugnationes, & progressus sanctæ colligationis, opponendo se in persona, cum suo primogenito, infinito numero Exercitûs Turcici, Tartarici, Vallachici, Moldavici, relictâ & casibus expositâ Reginâ conjuge, filijs & totâ domo Regiâ; & est certum quòd hoc ipsum retinere eum potuit ad exponendam personam suam tam manifestis periculis, sed non retinuit; idq; hoc non alio fine, nisi ut palàm faceret suum zelum, sequendo sanctos nutus Vestræ Sanctitatis, & satisfaciendo pijssimis ejus intentionibus.

Accessit adhuc, quòd ad eundem effectum consumpti sunt cum irreparabili ruina Reip. tres Exercitus, & prima Regni nobilitas cum extinctione antiquarum familiarum. Oblita enim Resp: (exemplo Regis excitati paternâ & pastorali Sanctitatis Vestræ voce) omnium damnorum per 40 annos continui belli contra infideles, Hæreticos, Schismaticos Septentrionis & Orientis ad extremam & universalem penuriam & paupertatem redacta.

Et tamen tantùm abest, ut à tantis & tam dignis operationibus aliquod emerserit pro Polonia commodum & utilitas, ut vel unicus terræ palmus Regno accesserit, cùm tota applicatio illorum resultaverit in favorem progressuum colligatorum, sine qua indefessa Regis applicatione notum est toti mundo, quòd tam felices non successissent eventus.

Sicut è contrario manutenendo & magis corroborando sanctam colligationem debuit cedere, sicut etiam notum est, vastissima dominia, quæ præteritis temporibus, realiter similia formavit Regna.

Unde Majestas Sua sciens, quòd alijs Monarchis amplissimi concessi sunt favores ad nominandos Episcopos, in Monasterijs Abbates, & dignitates principales in vastissimis Imperijs & Regnis non ex alia ratione, non ex alio motivo, nisi ex meritis erga sanctam Sedem Apostolicam, excitatâ firmâ fide, quod singulare obsequium sanctæ Sedi profitetur, humillimè repræsentat Sanctitati Vestræ à paucis annis motam fuisse controversiam à Monachis Cistercienfibus, Benedictinis, Præmonstratensibus, & Canonicis Regularibus circa jus patronatûs Regium ad Ecclesias Abbatiales Regni Poloniæ. Et quantumvis Majestas Sua nihil aliud fecerit, nisi vestigijs Regum suorum Prædecessorum insistendo, qui possessionem continuârunt à tantis sæculis, tanquam fundatores earum, de qui-

A.C.1699 bus fundationibus conſtat à teſtimonio omnium Hiſtoricorum ſcilicet Dlugoſſij, Cromeri, & Miechovitæ, Bilſcij, Łubinski, Damałewicz, qui Hiſtoriam Polonam, & vitas Epiſcoporum ſcripſerunt.

Et quamvis nonnullæ fundationes Monaſteriorum dicantur factæ à Ducibus, & particularibus ex nobilitate perſonis, & etiam Epiſcopis, eſt modus ſimplex loquendi, quia in effectu omnes fundationes intelliguntur factæ ab ipſo Rege, ſicuti directo Domino & hærede totius Regni, quia, ſicuti omnia bona Regni Poloniæ dependebant à Rege, ita nemo poterat immutare naturam bonorum, ſuper quæ reſervatum fuit Regi directum dominium. Et hoc probatur, quia monaſteria, quæ non habent particularem à Rege exemptionem, ſunt uſq; in hanc horam obligata, non tantùm ad unam certam annuam recognitionem, ſed etiam obſtricta ſunt ad certam ſervitutem merè laicalem, ut ſcilicet faciant certas operas ruſticas & mechanicas pro ſervitio Majeſtatis Suæ, ita ut clarè inde concludatur, Reges fuiſſe ſemper Dominos fundi, & propterea omnes fundationes eſſe Regias, tanquam primarij fundatoris, ſicuti ad hoc tempus, tanquam tales cognoſcuntur.

Hæc reflexio juncta aſſertioni ſupradictorum Hiſtoricorum (relinquendo, & in partē removendo alias probationes, quæ requirerentur in omni vigore per viam juſtitiæ, quæ ſunt difficultates propter revolutiones Regni Poloniæ, & devaſtationes in tempore belli Svetici, ſub quo non tantùm archiva ſed omnia perierunt documenta. Videtur ſufficiens motivum ad inclinandam Sanctam mentem beatitudinis veſtræ, ut finiat hanc controverſiam privilegio Apoſtolico, in virtute cujus Regia Majeſtas & Reges Poloniæ ſui ſucceſſores poſſint nominare perſonas bene viſas, & quæ meruerunt de Religione Sancta & de Repub. ad certum numerū Abbatiarum Regni Poloniæ, offerendo ſe & promittendo cedere ſuis prætenſionibus ad reliqua monaſteria dictarum Religionum, uti inferius patebit.

Et ad obtinendā favorabilem reſolutionē præter inſtantiſſimas preces Regis repræſentantur adhuc Sanctitati veſtræ altera motiva, quæ animum ſuum paternum inducere ad indulgendum, quod petimus, queant.

Et imprimis repræſentamus neceſſitatem ad obviandum turbulentijs, & motibus, quæ in proximis comitijs naſci poſſunt ob rationem indiſcreti modi, quo procedunt Monachi, qui indies magis exacerbant Regē, & Rempubl. repræſentando Sanctitati V. multas res uno modo, & Regi explicant altero. Et poſtea operando diverſimodè cum parvo reſpectu Majeſtatis, cum interpretatione legum & conſtitutionum Regni ſiniſtrè & differenter ab eo, quod in ſe continent, & ſicut illas Reſpublica explicare ſolet, cujus eſt condere, quæ illas fecit, unde occaſio datur ad excitandos turbines & motus, ad diſuniendos animos, quod ſervire poteſt hæreticis, ſchiſmaticis & alijs, ad obtinendos alios fines majoris conſequentiæ.

Alterum eſt, quod repræſentatur, quòd ſcilicet Epiſcopi, & Officiales Regni Poloniæ, inferiꝰ expreſſi fuerunt à primæva ſua inſtitutione, & ſunt uſque huc baſis Religionis Catholicæ, quia illis, particularibus illorū officijs impoſitū eſt debitum, ut invigilent conſervationi puritatis fidei, obſervantiæ bonarum legum, & bonorū morū, defenſioni immunitatis Eccleſiaſticæ, & ne pauperes opprimantur: ita, ut ab illorum veniat vigilantia, ne introducantur novitates, & naſcantur inconvenientia.

Tertio Revocatur in memoriā Sanctitatis veſtræ miſerabilis ſtatûs Clerì Polonici, & tenues reditus Archiepiſcopatûs Leopolienſis, Epiſcopatuū Luceorienſis, Præmislienſis, Chełmenſis, Kijovienſis, Camenecenſis & Livoniæ, pro ſupplemento quorum non eſt aliud mediū, niſi aſſiſtendo proviſis

visis cum Abbatijs, ut possint manutenere decorem & dignitatem Episcopalem, cui senatoria etiam prærogativa est conjuncta. *A.C.* 1699

Quarto: Officia Cancellarij aut vice-Cancellarij & Secretarij majoris & Referendarij regni, Notarij Thesauri Cancellariæ Reginalis, duorum Cancellariæ Regentum, manet quasi semper in manibus personarum Ecclesiasticarũ, quales non possunt dignitates suas manutenere sine Abbatijs, uti exempla monstrant, & præteritorum & modernorum temporum.

Quinto. Et hæc omnia propterea, quia in regno Poloniæ paucissima sunt beneficia simplicia sine residentia ad Ecclesias, quæ cùm sint tenuia, & in magna parte gravata obligationibus, majoribus etiam, quàm ipsi fructus, aliquæ ex illis possidentur à pauperibus Sacerdotibus, & multæ vacant, & paucæ sunt dignitates in tribus aut quatuor Cathedralibus, quæ mille quingenta Romana scuta reditûs annui faciant, sed ultra, quòd hæc beneficia requirant residentiam, & quòd semper vacent, dum opus esset, quòd non omnes sint juris patronatûs Regij, & ita Rex non potest dare, & providere ex illis pauperioribus Episcopis, & regni Officialibus.

Omnes hæ necessitates Cleri sæcularis Poloniæ palàm faciunt Sanctitati vestræ justum recursum ad gratiam suam, quam Rex facit, & numerus ille Abbatiarum, pro qua sua Majestas desiderat privilegium Apostolicum, concedere dignetur in commendã, quia aliter non potest provideri necessitatibus dictorum Episcoporum & Officialium Ecclesiasticorũ regni; nec esset utile ipsis Monasterijs obligare nominandos à Rege ad habitum & vitam regularem, quia illi non possunt esse boni Magistri, qui nunquam fuerunt discipuli. Et eò magis daretur occasio nonnullis ad faciendam paupertatis professionem cum animo acquirendarum divitiarum, & amplectendi vocationem, ad qualem non sunt vocati à Deo.

Commendæ Beatissime Pater, ex se ipsis non sunt illicitæ, quoniam concessæ sunt à Pontificibus, & possessæ ab hominibus sanctis, imò apparet, quòd hodie sint necessariæ Ecclesiæ DEi ad facienda multa opera pia & in specie ad contribuendum novis fundationibus ferventiorum Religionum & congregationum, quas quotidiè providentia Divina producit in recompensam abolitarum & frigescentium, cùm ordinariè non sufficiunt alij reditus Ecclesiastici ad faciendas illas, sine adjumento à primis. Nec possunt vituperari Commendæ, quia illarum fructus non sunt bene dispositi ab omnibus, qui illas possident, cum illud sit tam accidentale Commendis, quàm alijs bonis Ecclesiasticis, quando sunt malè ministrata, quæ tamen quotidiè & continuò diversis distribuuntur, cum illis cautelis, quæ sunt necessariæ.

Summi Pontifices concedere possunt Commendas, & ab ævo semper concedebant, cum eorum potestas non se minus extendat ad monasteria, quàm ad Episcopatus, quorum sæpius univerunt duos insimul, quandoque diviserunt unum in duos, quò pertinent omnes illæ mutationes factæ ab illorum suprema authoritate in erigendis Abbatijs in Episcopatus, applicandis ijsdem ad pias & diversas fundationes, introducendis Canonicis Regularibus in locum sæcularium & è converso in muniendis reditibus, imponendo pensiones, & multas alias res similes, cum quibus exercent potestatem supra omnia genera beneficiorum Ecclesiasticorum.

Prædecessores Sanctitatis vestræ suppresserunt aliquas Religiones, sæcularisando etiam bona cultui divino dedicata & crediderunt se id justè, & cum potestate facere posse; & quandoque etiam facere debere.

Per commendas etiam in perpetuum detrahitur tantùm una pars bono-

A.C.1699 bonorum Monasterijs, quales pertinent semper ad Ecclesiam, & retinent obligationem, ut impendantur pro pauperibus, & operibus pijs.

Nec fit quidquam contra intentionẽ eorum, qui fundaverunt Abbatias, quia aut respicitur illorum intentio generalis glorificandi Deum ex suis bonis, & hoc semper observatur, quoties dictæ facultates seu bona retinent naturam bonorum divino cultui dicatorum. Aut consideratur intentio particularis glorificandi Deum eo modo: hoc est per medium Sanctorum Monachorum fundatorum: & ista intentio à Monasterijs non reformatis, sicut omnia defacto sunt in Polonia, tunc jam ab ipsis Monachis contraventũ, qui obliti primi fervoris & observantiæ regularis dant campum Sanctitati vestræ ad satisfaciendum in altero modo pijs fundatorum intentionibus.

Nec obstat, quando etiam reformari deberent Monasteria Polonica, quia multæ probarentur difficultates insuperabiles, volendo introducere cum Monachis Reformatis Abbatem extraneũ Reformatum, obstantibus constitutionibus regni, quæ volunt, ut Abbates sint nobiles Poloni. Velle autem, ut Monachi Reformati sint sub regimine Abbatum non Reformatorum, destrueretur per hoc ipsum ipsa reforma in sua radice, & è converso in Abbatijs Commendatarijs Regimen spirituale, cùm non sit penes Cõmendatarios, facilè possunt introduci Monachi Reformati cum omnibus eorum superioribus, usque ad Priorem inclusivè, & regi secundùm illorum regulas & constitutiones sine ullo imaginabili impedimento.

Et quantum ad numerum Monachorum, qui est diminutus per commendas, si est quæstio de non Reformatis, uti sunt in Polonia, damnum, quod resultat, non est considerabile, & si tractamus de Reformatis introducendis, ex istis in majori parte Abbatiarum erunt triginta & amplius Religiosi, & difficile possent esse plures etiamsi cessarent commendæ, quia ubi in prima illorum origine erant soli ad recipiendos illos omnes, qui relinquebant mundum modò numerus Religiosorum in civitatibus, & etiam villis ita excrevit, ut vix illi, qui habitant in sylvis, numerum possint habere mediocrem Monachorum, sicuti monstrat experientia, & in particulari in Polonia. Sed restringendo se eò magis in casu regni hujus, quando dicti Monachi relinquerent ex seipsis unam portionem redituum suorũ illis Episcopis, apparet, quòd facerent actum justitiæ, quia superioribus temporibus Episcopi dum essent divites, cedebant partem bonorum suorũ Monachis, & cùm nunc aliqui sint depauperati per bella & alias calamitates, & Monachi tenendo bona superflua, deberent mutuò necessitatibus illorum subvenire.

Ad extremum B. Pater Sanctitas V. potest esse informata à suis Nuntijs; an Abbates Monachi in Polonia melius operentur, quàm commendatarij, an illorũ vita sit modestior, an fabricæ Monasteriorum, quæ regunt, melius manuteneantur, & an Monachi in majori numero, & magis sint exemplares, & an spiritus verè ibi maneat Religiosus, etiam in his ipsis, qui sunt ab illis electi, ut disputarent, cum nominatis Regis ad demonstrandam Sanctæ Sedi necessitatem protegendarum eorum liberarũ electionũ

Ex his motivis concipit Rex vivam spem obtinendæ gratiæ, pro qua supplicat, & quamvis Reges sui Prædecessores præsentaverint ad omnes Abbatias Poloniæ, quamvis præsentati obtinuerint easdem sine difficultate & disputatione, & per id manserit prætensio generalis supra omnes; Sua Majestas tamen ad demonstrandum desiderium obsequij erga Sanctitatem V. cum generositate erga illas Religiones, relinqueret numerum sufficientem illorum dispositioni, & liberæ electioni.

REFU

A. C. 1699

REFUTATIO RATIONUM A MONACHIS CONTRA MEMORIALE SUPRA SCRIPTUM INDUCTARUM.

CONtra iſtud Memoriale ac ejus motiva acuerunt Ciſtercienſes ſagittas ſuas, & authore Joſepho de Capucinis Procuratore cauſarum in urbe, repræſentarunt S. Congregationi Conſiſtoriali in multis foliis typo impreſſis, ob quas privilegium petitum non eſſet concedendum, ſed providendum, ne inpoſterum facilis pateat aditus petendi & concedendi Commendas Abbatiarum.

Non libet hic ea omnia ponere ob prolixitatem, & quòd jam in anterioribus ſcriptis plenè refutata ſunt. Nihilominus quia plura ibi adducta ſunt erronea & à veritate aliena, præſertim de rebus Polonicis, ne alicui minus gnaro jurium & rerum noſtrarum, minus æquam imprimant ideam, præcipua hîc breviter perſtringam.

Inprimis dictus Procurator ſic incipit: Commendæ Monaſteriorum ſeu Abbatiarum Regularium quò magis à jure improbatæ reperiuntur, eò magis à ſæcularibus deſiderantur; idq; elapſis temporibus ſæpius Regulares Regni Poloniæ experti fuerunt: ſed hodie res eò pervenit, ut proxima ſit ad exitium, niſi Summus Pontifex paternâ occurrat pietate: Siquidem ſuccedente vacatione alicujus ex dictis Abbatiis, ſtatim ſæculares pro ſe ipſis illas poſtulando & bona Abbatiarum ultro invadendo, liberas Monachorum Electiones impediunt: & ultimo loco obtinuerunt nomine Seren: Regis Poloniæ porrigi ſupplicem libellum SSmo D. noſtro pro perpetuo privilegio commendando 15 Abbatias ſæcularibus perſonis ad voluntatem ejuſdem Regis.

Reſpondetur. Non hodie, ſed heri & nudius tertius & ante tempora ſæcularia ſub antecedaneis Regibus præſertim Stephano, Sigiſmundo III. Vladislao IV. & Joanne Caſimiro fuit hic uſus, quem Joannes III. manutenere contendit nihil innovando. Quot & quoties ſub illis Regibus Abbatiæ erant commendatæ, docent regeſtra datariæ & archiva Epiſcopalia & Monaſteriorum: Et tamen Monachi nihil de his querebantur, nulla eorum ſubſecuta pernicies, nullum exitium: Quin imò in majori vivebant pace & quiete ſub potentiore Commendatariorum protectione. Modò verò dum optimus Rex Joannes vix unam & alteram Abbatiam commendari ſolitam nominat in commendam; ecce clamor factus eſt magnus, ſalva nos perimus. Sed quid turbati eſtis modicæ fidei & trepidatis timore, ubi non eſt timor: non venit vos perdere ſed ſalvare gratioſus Joannes.

Non capio hanc Monachorum mutationem, quòd dum prius has Commendas pacificè toleraſſent, modò contra eas tantopere exardeſcant? niſi forſan, quòd antiquiores illi Patres erant modeſti, humiles, devoti, moderni verò juvenes, litigioſi, inquieti, ambitioſi, malentes ipſimet hac offa gaudere, quàm ſæcularibus eam cedere. Quapropter Seren: Rex Joannes videns nominationibus ſuis in commendam tantas à Monachis contradictiones & difficultates in Curia Romana excitatas, nolensq; violenter mediis more anteceſſorum ſuorum jus Regium tueri, judicavit conſultius fore, ſi aliqua deſuper iniretur concordia: & ideo non Prælati ſæculares, ut Procurator aſſerit, ſed ipſe Rex miſit Ablegatum ſuum ad urbem cum illis propoſitionibus.

Quamvis autem hoc negotium omnes tangat Religiones, ſcilicet Canonicorum Regularium, Benedictinorum, Præmonſtratenſium; tamen

A.C.1699 illi silent, ac omnes Regis dispositiones venerantur & acceptant: Soli Cistercienses qui deberent esse quietiores, reclamant & scribunt stylo ferreo sine debito respectu Majestatis & Prælatorum dignitatis, multaque contra veritatem ac molesta tautologiâ eadem sæpè repetendo & ad similem repetitionem etiam nos nolentes cogendo. Si dixerint magis eorum interesse, quod ipsi plures habeant Abbatias, quàm cæteri Ordines, sed hoc ipsum ad majorem eos obligare deberet gratitudinem erga Reges fundatores suos, qui tam multa & magnifica contulerunt eis bona & Monasteria. Nonne æquum esset remittere aliquid de rigore juris sui in gratiam tantorum Benefactorum, nonne cui plus datum est, plus diligit?

Quod asserit Procurator de invasione Abbatiarum per sæculares, hoc probare non potest, quia mera est impostura. Nam dum quis obtinet nominationem à Rege ad vacantem Abbatiam, curat illam intimari Religiosis, ut eum eligant, seu postulent se in Commendam, cujus provisio antequam ab urbe veniat, bona Abbatialia non attingit.

2do. Scribit Procurator Commendis Monasteriorum & Abbatiarum favore sæcularium omnis juris dispositio obstat.

Respondetur. Si ita dicit jura obstare Commendis, ut eæ passim, immeritis & sine causa non concedantur, assentior. Si ita, ut omnino nunquam cum rationabili causa & personis benemeritis conferri debeant; id pernego. Nam Concil. Generale Lateranense sub Leone X. Sess. 19. in fine ita decernit. *Ea verò Monasteria quæ commendata fuerint, cùm per eorum cessum vel decessum quibus erant commendata, Commendæ hujusmodi destiterint, Cardinalibus duntaxat ac personis benemeritis conferri possint.*

Imò etiam beneficia Regularia in titulum conferri solita posse concedi in Commendam Clerico sæculari ob aliquam necessitatem vel utilitatem docent Gonzales ad Regul. glos. 13. n. 43. & sequ. Garz. de Benef. par. 7. cap. 10. n. 16. Loter de Regul. Benef. l. 3. quæst. 13. n. 106. & in simili ponderavit Rota dec. 242. n. 20. §. præterea. Quod idem Praxis quotidiana confirmat, dum videmus non solùm Cardinalibus & Prælatis, sed etiam aliis Clericis tot Monasteriorum Regularium, etiam in titulum dari solitorum Commendas concedi, & attestatur Cardinal. de Luca tom. 12 tit. de Benef. Disc. 64 n. 6. & seq. Corad. in Prax. Disp. Apost. l. 6. & c. 13. n. 113. versu, dantur ut plurimum. Et c. 4. n. 43.

3tio. Scribit Regularia à Regularibus debent conferri non sæcularibus.

Respondetur: in titulum, sine causa, immeritis, concedo. In Commendam, ex causa, benemeritis, nego cum citatis supra. Eccur plures Religiosi ambiunt Episcopatus, quos defacto plures obtinent in Polonia, ut Culmensem Opalinski Professus Cisterciensis. Chelmensem Swięcicki Professus Canonicorum Regularium. Camenecensem Gninski Professus Cisterciensis, qui antea Referendariatum regni tenuit. Plures etiam Parochiæ pingves à Regularibus possidentur. Imò ad Eminentissimum gradum purpurati senatus assumuntur. Longè ergo pingvior fit Regularibus compensatio à sæcularibus, quorum ipsi præcipuas solent obtinere dignitates pro aliquot tantùm Abbatiarum commendis. Verè non sicut delictum ita & donum, sed longè superabundat gratia.

4to. Scribit ex Regula SS. Benedicti & Stephani spectat ad Monachos electio Abbatis de medio eorum; respondetur: plurima alia ex regula spectant ad Monachos, quæ dum non observant, frustra & de hac laborant. Non est potior ratio unius regulæ quàm alterius, nisi fortè illa quam negli-

gligunt, ſit carni oneroſa & ducat ad majorem perfectionem & animæ *AC.* 1699
ſalutem, hæc verò pro qua zelant, eſt commoda, favorabilis, honorifica, & ducens ad vanitatem. Sed qui horret ſpinas, juſtum eſt, ut non habeat roſas. Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus.

5to. Scribit, ſuummus Pontifex non poteſt dare commendas, niſi urgentiſſima neceſſitate de plenitudine poteſtatis & cum gravi præjudicio Monachorum. ℟. Omnia jura dicuntur eſſe in pectore ſummi Pontificis & quidem perfectiùs quàm in capite iſtius Procuratoris. Cum ergo tot ſummi ac piiſſimi Pontifices commendas concedere tam frequenter non dubitaverint; ſignum eſt, quòd non requirant tantam ſolennitatem, nec in ullum vergant Monachorum præjudicium.

6to. Scribit: comendas prohiberi à Concil. Trident. Seſſ. 14. Cap. 10. & Seſſ. 24. cap. 13. de Reform. & Seſs. 25. Cap. 21. de Regular. ℟. deri non poteſt meliùs quàm ipſos textus allegatos huc adducendo, ut lector ipſe & vim legis, & fidem ſcribentis perpendat.

Seſs. 14. cap. 10. ſic habetur. *Regularia beneficia in titulum Regularibus profeſſis provideri conſveta, cum per obitum, aut reſignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religioſis tantùm illius ordinis, vel ijs qui habitum omnino ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur, & non aliis ne veſtem lino lanaq; contextam induant, conferantur.*

Seſſ. 24. cap. 13. *Quoniam pleraq; Cathedrales Eccleſiæ tam tenuis redditus ſunt, & anguſtæ, ut epiſcopali dignitati nullo modo reſpondeant, neq; Eccleſiarum neceſſitati ſufficiant; examinet Conciliũ Provinciale, vocatis iis quorum intereſt, & diligenter expendat, quas propter anguſtias, tenuitatemq; vicinis inire, vel novis proventibus augere expediat, confectaq; de præmiſſis inſtrumenta ad ſummum Rom. Pont. mittat, quibus inſtructus ſummus Pontifex ex prudentia ſua, prout expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua acceſſione ex fructibus augeat. Interim verò, donec prædicta effectum ſortiantur, hujuſmodi Epiſcopis, qui fructuum ſubventione, pro Diœceſis ſuæ tenuitate indigent, poterit beneficiis aliquibus dum tamen curata non ſint, nec dignitates, ſeu Canonicatus, & Præbendæ, monaſteria, in quibus viget regularis obſervantia, vel quæ Capitulis generalibus, & cæteris viſitatoribus ſubduntur à ſummo Rom. Pon. provideri.* Seſſ. 25. cap. 21. *Cum pleraq; monaſteria etiam Abbatiæ, Prioratus & Præpoſituræ ex mala eorum quibus commiſſa fuerunt admiſtratione non levia paſſa fuerint, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus detrimenta; cupit Sancta Synodus ea ad congruam Monaſticæ vitæ diſciplinam omnino revocare. Verùm adeo dura, difficiliſq; eſt præſentium temporum conditio, ut nec ſtatim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium poſſit adhiberi; ut tamen nihil prætermittat, unde prædictis ſalubriter aliquando provideri poſſit: primum quidem confidit, Sanctiſſimum Romanum Pontificem pro ſua pietate, & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre poſſe viderit, ut ijs, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ ſuos conventus habent Regulares perſonæ, ejuſdem ordinis ex-*

A.C.1699 *pressè, professæ & quæ gregi præire, & præesse possint, præficiantur. Quæ verò inposterum vacabunt, non nisi Regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur.*

1mus Textus militat pro commendis, dum enim jubet signanter beneficia Regularia in titulum dari consveta danda etiam esse in titulum, hoc ipso permittit ut commendari solita commendentur. Oppositorum enim opposita est ratio.

2dus Textus etiam est pro nobis, dum enim prohibet in subventionē Episcopis tenuioribus provideri Monasteria, ubi viget regularis observantia, eo ipso concedit ea Monasteria, ubi non viget regularis observantia. Sed in Monasterijs Cisterciensib9 in regno Poloniæ nō viget regularis observantia, uti deductum est alibi: ergo ea Episcopis cōmendari possunt.

3tius Plurimum favet nobis. *Primo* enim tam delicatè in hoc procedit, difficultatem remediorum ob conditionē illorum temporum considerat, nihil decernere audet, sed solùm confidere se dicit sumō Pontifici, ut pro sua prudentia & quantū illa tempora ferre posse viderit, remedia procuret. Unde hanc dispositionē Concilij non præceptivam, sed tantùm consultivam esse ex mente S. Congregationis interpretum Concilij tradit Paris. de Resign. Benef. Lib 4. Quæst. 5. n. 3. Fagnanus in cap. cum ad nostram n. 10. de elect. Gratianus Discep. foren. cap. 123. n. 12. Si ergo illis temporib9 ante annos 150 cū tanta circūspectione procedere debuit Concilium & Papa, longe majori utendum nunc est sæculo delicatiori. Noverat bene Concilium & Regulas Monachorum & Privilegia Pontificum ac omnia jura eis servientia, & tamen nihil duri statuit, imò se occurrere non posse illis in genere fatetur, solo cōsilio suo insinuato, quid facto opus esse existimaret.

Longè resolutoria edidit in eadem Sessione prioribus capitibus statuta de observantia regularum, ut disciplina metus instauretur, ut omnes ad regulæ præscriptum vitam instituant, quæ ad essentialia vota & ad eorū victum & vestitum communem pertinent, fideliter servent, nulla bona immobilia & mobilia cujuscunq; qualitatis privati teneant, sed ea statim superiori tradant, ut Conventui incorporentur, ut supellex eorū statui paupertatis conveniat, nihilq; in ea superfluum sit. Et tamen boni Regulares non zelant pro his observandis, non recurrunt ad sedem Apostolicā cum querimoniis de eorum neglectu, non litigant, nō faciunt sumptus pro illis, quæ tamē majorem ipsis afferrent utilitatem, honorem & sanctitatem quàm electio Abbatum. *2do.* Ob malam administrationem Abbatiarum & non levia inde detrimenta vellet Concilium tollere commendas. Ergo ubi est bona administratio per Commendatarios & nulla detrimenta sed commoda, tales non tollit. Sed in Polonia ordinariè tales sunt Commendatarij, nec Rex nominat nisi quos post longam probationem in aulis certò sperat rectè admistraturos. Ergo tales nō reprobat Concilium *3tio.* Jubet Concilium ut in Abbates titulares præficiantur professi spectatæ virtutis & sanctitatis qui gregi suo præire & præesse possint. Id ergo observent regulares & nos relinquemus commendas: quia has solùm prætendimus ex principali hoc motivo, quòd nō videam9 Regulares Abbates ita virtuosos, sanctos, qui & præsint, & prosint, sed potius passim scandalos, fastuosos, nullam curam regularis observantiæ habentes, & exinde longè majora mala in temporalibus & spiritualibus ex his Abbatibus quàm ex Cōmendatariis in administratione Abbatiarum provenientia. *4to.* denique consideretur cap. 18. Sess. 15. ejusdem Concilii ubi præscribit modum observandi & dispensandi sua decreta his verbis. *Sicut publicè expedit legis vinculū quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus & necessitatibus pro*

com

communi utilitate satisfiat, sic frequentiùs legem solvere, exemplo- AC.1699
que potiùs quàm certo personarum rerumq; delectu petentibus indulgere nihil aliud est quàm unicuiq; ad leges transgrediendas aditum aperire. Quodsi urgens justaq; ratio & major quandoq; utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ ac summa maturitate, atq; gratis erit praestandum Non ergo ita strictè observare jubet sua decreta S. Concilium, ut quandoq; in eis dispensationem non permittat, imò fatetur publicè expediens esse legis vinculum quandoq; relaxare ex justa ratione, necessitate aut utilitate (quam supponit majorem posse accidere observantiâ decretorum) habitoq; personarum & rerum delectu. Uti defacto videmus quotidie ejusmodi dispensationes in gravioribus longè decretis, qualia sunt de incompatibilitate beneficiorũ, de gradibus proximis consangvinitatis &c. Cur ergo longè facilius in consultiva tantùm non tam lege quàm directione dispensari non possit.

7mo. Adfert Procurator Constitutiones Synodales Poloniæ, liberas Electiones Abbatum confirmantes, & commendas quantum fieri potest, evitari præcipientes. *Respond. 1mo.* Eædem Constitutiones longè fortiùs conãtur manutenere liberas Electiones Episcoporum sub maximis pœnis & censuris, & tamen jam istæ evanuerunt, nominationes verò Regiæ jus integrum & non controversum possident, nunquid cætus Monachorum volunt esse digniores Senatu Prælatorum & Canonicorum, qui non obstantibus Constitutionibus Synodalibus jus eligendi Episcopos amiserunt. An Abbas major est Episcopo? An magis considerabiles sunt aliquot Monachi, quàm tot millia centena animarum diversi status, sexus, conditionis, imò & ipsarum Religionum? quibus tamen Episcopi à Regibus nominati præsunt.

2do. Ex communi sensu Theologorum & Canonistarum leges non obligant, cùm non acceptantur, præsertim à Regibus & Principibus, sed prædictæ Constitutiones non sunt acceptatæ à nostris Regibus, ut patet ex contrariis eorum statutis ac usu: Et quidem justa de causa, cùm latæ essent à subditis contra ipsorum leges & rationes status.

3tio. Illas Constitutiones Greg. 13. approbando commisit per suum Breve ibidem relatum Archiepiscopo Gnesnensi & Episcopo Cracoviensi, ut per censuras compellerent eas observari; at nullum extat vestigium non solùm alicujus censuræ, sed nec monitionis in hoc puncto: Quamvis Rex Stephanus post illam Synodum & Literas Gregorii XIII. de illa ad se datas ad Abbatiam Andrejoviensem nominasset in Commendam Stanislaum Rescium, qui eam primus obtinuit à Sixto V. uti docent acta ejus Conventus.

4to. Forsan illo tempore Regulares & Abbates erant observantiores & non tantopere luxui & fastui dediti, ideo uti ab omnibus ita à Clero magis observabantur: sed illis postea deterioratis & magis sæcularisatis, nulla similis in subsequentibus Synodis favore eorum extat Constitutio; quin imò nec eorum querela de nominationibus & Commendis quamvis postea magis invaluerunt. Legitur solùm in Synodo Provinciali anni 1607: Quod Abbates Regulares supplicarunt Synodo, quatenus possent per instantiam DD. Episcoporum ab onere legis comitialis ejus anni quo ad alendos pueros nobilium sub pœnis Corthesanorum liberari. Sed tamen nihil effecerunt. Nam eadem Constitutio in sequentibus comitiis anno 1609 est approbata. Ex hac igitur eorum gravi querela in Synodo de alia re non verò de nominatione Regum aut Commendis fortissi-

A.C. 1699 mum deſumitur argumentum, quòd priores Conſtitut: Synodales nullam vim obtinebant, nec earum auxilium Regulares invocare audebant: quamvis tunc nullus Abbas ſine Regia nominatione fuiſſet, ut poſſunt docere eorum archiva. Et certum eſt ſub tempus illius Synodi fuiſſe Commendatarios Paulum Woſucki Epiſcopum Camenecenſem Claræ Tumbæ, Barholomæum Powſinski Secretarium Regium Andrejovien. &c Fueruntq; deinceps Synodi Provinciales anno 1621mo & 1628, nulla tamen legitur de Electione Abbatum mentio. Imò paſſim Epiſcopi & alii Prælati, qui conſtituunt Synodum obtinebant Commendas ad nominationem Regiam.

5to. Deniq; repeto, quod ſupra innui, Obſervent Regulares quod de eorum obſervantia præſcribunt conſtitutiones ſynodales locis citatis & nos commendas cedemus. Ita autem ſonant, attendens S. Synodus Religioſos ab activa vita & curis hujus mundi ſolutos ſoliq; illi cœleſti vitæ mancipatos orationi & contemplationi vacare debere. Et infra: locorum ordinarii in ipſos Abbates & præpoſitos diligenter prout de jure ſuperintendant, ut ſcilicet Regulariter & ſine ſcandalo vivant & ſuis exemplariter Monaſteriis præſint, habitumq; & tonſuram ſui ordinis deferre non erubeſcant, veſtes ſericeas non deferant. Fratres ſui ordinis ſtudere volentes in ſtudiis generalibus ſervent & in Monaſteriis certum numerum ſcholarium atq; Magiſtros, qui eos ac novitios ordinis doceant juxta diſpoſitionem ſtatutorum Provincialium dudum ſuper hoc editorum teneant & habeant. Capellas etiam ſuorum Monaſteriorum maximè Parochiales Eccleſias ſeu Præpoſituras penſionibus indebitis & ſibi reſervatis non onerent, easque vectigales ſibi quoquomodo non faciant, nec illis onera aliqua in earum præſentatione ſub depoſitionis pœna imponere præſumant. Et anno 1587 c. 6. Dabunt operam Domini locorum ordinarii & ſuperiores ſecundùm formam à S. Canonibus & ſtatutis Provincialibus præſcriptam, ut Monaſteria tam virorum, quàm Monialium reformentur, ut quemadmodū ab initio Religioni, pietati, vitæ ſanctitati, doctrinæ, atq; diſciplinæ ſunt dedicata, ita etiam hoc tempore in eis hæc eadem vigeant, ſuſcitentur ac retineantur, & eorum ſeminaria in ipſis inſtituantur, ſcandalaq; omnia & abus9 quicunq; reperti in eis fuerint, procul inde amoveantur & arceantur.

6vo. Scilicet habemus privilegia ſummorum Pontificum Commendas prohibentia, Sixti IV. anno 1475. Innocentii VIII. anno 1489 cum ſtrictiſſimis clauſulis & Clementis IX. 1668 editum conſulta prius Congregatione Epiſcoporum & Regularium.

℟. *1mo.* Priores Pontifices ante Concilia Lateranenſe & Tridentinum vixerunt: ergo attendenda eſt non eorum ſed Conciliorum poſterior diſpoſitio, de qua ſupra.

2do. Subſequentes Pontifices parem cum prioribus habent poteſtatem, non ergo poterant illis ligare manus, ut faciant, quod in Domino judicaverint, quod enim pro uno tempore eſt utile, pro alio poterit eſſe noxium: unde novi caſus novas faciunt leges. Ipſum vetus teſtamentum à DEo ipſo conditum erat optimum ante promulgatum Evangelium, nunc verò quo ad judicialia & ceremonialia jam eſt mortuum, imò & mortiferum illud obſervanti. Sic & nonnullæ Religiones erant ſanctæ, & à Pontificibus approbatæ, poſtea verò ab aliis juſtè ſunt reprobatæ. Non aliter & de Cōmendis ſentiendum, quas tempore Sixti & Innocentii bonum erat inhibere: poſtea verò mutatis rerum & hominum circumſtantiis, alii Pontifices judicaverunt eſſe melius eas permittere, ideoque eas paſſim concedebant, præſertim ad nominationes Regum.

Clemens IX. conſuluit S. Congregationem, ſed non conſuluit Reges &

& Principes qui interesse ad illam causam habebant. Cum verò aliquid statuitur non vocatis vocandis, non obligat. Quapropter ipsemet Clemens IX. anno sequenti 1669. XV. Calend. Junij concessit Nicolao Leszynski Coadjutoriam in Commendam Abbatiæ Wąchocensis ad nominationem Ioannis Casimiri Regis. *A.C.1699*

9no. Scribit. Habemus ipsorum Regum Polonorum & Comitiorum Generalium Diplomata & edicta confirmantia libertatem Electionis Abbatum ac proinde prohibentia Commendas, ut Sigismundi Augusti de anno 1554. Joannis Casimiri 1667. & Michaëlis 1669. Regis Stephani Epistolam 1685. & Joannis III. 1672.

Rdetur. Mirum quòd Procurator velit Reges nostros telis ipsorum conficere, sed vano ictu. *1mo.* Quia hic nulla citantur comitiorum Generalium edicta, sed tantùm privata Regum Diplomata, quæ subreptitia contra statuta & usum Regni nec approbata in comitiis & consequenter nulla esse deductum est evidenter supra in tractatu de Electionibus Abbatum.

2do. Epistola Joannis III. convincitur esse conficta, quia illo anno 1672. adhuc Rex Michaël erat in vivis & non nisi in fine anni sequentis vita functus est, in cujus locum electus est Joannes III. anno 1674. & coronatus anno 1676.

3tio. Stephani Epistola etiam dubiæ fidei ob tam diuturnam ejus conservationem præsertim cum fuisset privatim ad domesticum suum scripta. Cum etiam in originali non producitur, facile est realitatem ejus negare. Si tamen verè eam scripsit, nihil aliud ex ea colligitur, nisi summa Regum bonitas & civilitas, qua omnes suos subditos tractant, dum eos suaviter in officio continere satagunt. Nunc etiam dum aliquem ad Abbatiam nominant, curant bonis modis, ut eum Religiosi eligant, non quòd de jure suo dubitent, sed ut imitentur sapientiam divinam, quæ attingit à fine ad finem fortiter & disponit omnia suaviter. Et de facto effecit Stephanus hac sua civilitate, ut Abbatia Andrejoviensis non nisi in titulum dari solita nominato ejus Rescio primum in Commendam fuerit concessa Monachis minimè reclamantibus. Et hæc sunt beneficia & mysteria liberæ gentis abscondita ab oculis aliorum. Si verò aliqui sprevissent eam Regum benignitatem alium eligendo, tunc Reges utebantur jure suo ac repellebant volentes se intrudere, sicut & ipse Rex Stephanus Georgium Kostka cooptatum in Coadjutorem à Gaspare Iesſau Abbate Olivensi citra Regis assensum, non permisit capere possessionem, & recurrentem ad Sedem Apostolicam seriò impedivit, per Demetrium Sulicovium Archiepiscopum Leopoliensem Oratorem suum apud Sixtum V. ut testatur Heidensteinius rer. Polonic. lib. 7.

10mo. Scribit: petere taliter Commendas propter Episcopos & alios Officiales Regni, est velle Abbatias dismembrare, & unire illis Episcopatibus & officiis: quod valde monstrosum & prohibitum est. Rdetur id quidem forsan sequeretur, si peterentur certæ Abbatiæ certis Episcopatibus vel officiis perpetuò commendandæ: sed cum solùm petitur, ut Rex pro tempore existens possit ad Commendas illarum Abbatiarum nominare quem vellet ex Episcopis vel aliis Officialibus ac Prælatis; nihil aliud petitur, nisi ut in pace & sine controversia possideat Rex jus, quo ejus antecessores gaudebant, & quod modò impugnant Regulares & Curia Romana.

11mo. Concludit Procurator, non debere ex allatis rationibus, privilegium petitum concedi: & quod ex nostra parte, nulla afferatur subsistens & valida ad eum effectum: quia (ut ait) jus patronatûs Regum non potest probari; nam ad hoc requireretur publicum fundationis & dotationis Monasteriorum Instrumentum vel immemorabilis cum præsentationibus effectum sortitis & continuatis spatio 50. annorum, ac privilegium Apostolicum.

Respon-

A.C. 1699 ℟. detur gratis asserit requiri ad probationem juris patronatûs fundationis & donationis Monasteriorum instrumenta publica: Concilium enim Trident. requirit tantùm ad hoc authentica documenta seu scripturas, qualia possunt esse testimonium Historicorum fide dignorum. Nam in illa primis sæculis post Paganismum illiterata Polonia, vix aliqua poterant esse ejusmodi instrumenta publica. Vel si quæ erant tanto temporis spatio interierunt, aut apud ipsos conservantur regulares. Verùm cum ipsimet non negant quasdam Abbatias fuisse fundatas seu dotatas à Regibus vel Ducibus, ponuntque annotationes earum in hoc eodem scripto Procuratoris, miror quomodo tam audacter asserat non posse probari hanc Regũ fundationẽ seu dotationẽ.

Forsan intelligit id de alijs Abbatiis quæ referuntur in prædicta annotatione à nobilibus fuisse quibusdam fundata. Sed quia tunc Reges erant Hæredes & absoluti Domini omnesq; fundi totius Regni erant eorum proprii, solúmque quosdam concedebant nobilibus ad usum, strictiore jure quàm feudi, quia plurima ex eis commoda & servitia sibi reservabant, præter decimas omnium & expeditiones bellicas proprijs eorum sumptibus subeundas; ut videre est plurima & diversa nomina illorum onerum apud Cromerum lib. 2. de script. Pol. & in privilegio Ludovici Regis. Quapropter nemo nobilium poterat super terris suis minimum etiam censum inscribere Ecclesiæ absq; speciali consensu Regis, quod duravit usque ad Sigismundum Augustum inclusivè, ut notorium est ex omnibus actis. Ergo si Nobilis Monasterio aliqua dedit bona, non tam sua quàm Regis dedit, qui in illis longè majus & pingvius habuit jus non tantùm directi dominij, sed etiam aliorum magnorum commodorum inde percipiendorum, quæ per consensum suum dum eidem Monasterio cessit (quamvis in aliquibus quædam servitia sunt reservata & hucusq; sunt in usu, ut quidam labores & certa quantitas frumentorum) ipsi potius Regi quàm illi nobili fundatio & dotatio imputari debet, utpote qui plus contulit ad eam quàm ille nobilis: adeoque jus patronatûs ex fundatione & dotatione Regi potius competere debet, quàm illi nobili, nisi Rex ipse permisisset illi etiam idem jus patronatûs, quod in Abbatijs ostendi nequit. Hanc ob causam lex est Regni de anno 1510 in hæc verba inter statuta relata: Ubi specialis mentio in privilegio ac inscriptione de jure patronatûs facta non est, juri Regis reservatum esse cognoscitur. Cum ergo non demonstratur talis reservatio nobilibus in privilegiis fundatorum ab eis Monasteriorum, igitur ex hac lege jus patronatûs eorum ad Regem pertinebit. Est item alia lex comitialis de anno 1588. dum consangvinei alicujus in octavo gradu non extant, bona ejus ad Regem devolvuntur. Sed nemo apparet ex consangvineis fundatorum nobilium in octavo gradu. Nemo enim illud jus patronatûs ad Abbatias prætendit. Ergo etiam hoc titulo sicut alia bona eorum, ita jus patronatûs si quod habuissent iidem fundatores spectabit ad Regem, ergo ulterius stat firmum & probatum, quòd omnium Monasteriorum seu à Regibus seu à Nobilibus fundatorum, ac donatorum habent Reges jus patronatûs ex fundatione ac dotatione.

Quamvis autem Concilium Trident. ad probationem juris patronatus etiam in Regibus disjunctivè solùm requirat vel fundationem vel dotationẽ vel imemorabile temp⁹ cum præsentationibus effectũ sortitis & per 50. annos continuatis. Nihilominus nos ex abundanti præter fundationem & dotationem demonstratam adducimus & tempus immemorabile cum talibus præsentationibus ex ipsis regestris datariæ & archivis variarum Ecclesiarum, adjicimusq; infrà longam earum seriem.

Quia verò præter hæc requirit Procurator in regulari Ecclesia privilegium Apostolicum in limine fundationis concessum. ℟. Id quidem etsi for-

forsan verum esset de Ecclesia mendicantium, sed non de illorum, quibus Fundatores amplissima contulerunt bona, quæ abunde sufficiunt pro privilegio. Verùm quidquid sit de jure, certè in facto potuerunt esse & talia privilegia, quæ apud ipsos regulares credibile est extare, quæ dum nobis non communicant, non possumus ea probare. Verùm æquivalent illis privilegiis tot Bullæ Pontificum cum provisione commendarum & coadjutoriarum ad nominationes Regias. A.C.1699

Quod autem ulteriùs Procurator scribit: nec prædictæ probationes pro jure patronatûs afferuntur, sed nec talis probatio dari potest obstantibus constitutionibus Synodalibus, privilegiis ordinis, declarationibus Regum &c. Non capio id: siquidem jam demonstravimus ex eorum documentis & fundationes & dotationes, & imemorabile tempus ac præsentationes effectum sortitas, & continuatas per annos 50. Quæ probatio eò fortior est, quòd obstantibus Constitutionibus & privilegiis usus nominationum Regiarum fuit continuatus approbante sede Apostolica. Quod ex mente Concilij Trident: sufficeret ad probationem juris regij, etiamsi non esset fundatio vel dotatio. Et ratio est, quia omnes servitutes tunc maximè inducuntur, cum eis ab initio quidem resistitur, & tandem desistitur, altero interim continuante suos actus contrarios: Quo fit, ut illa servitus sit inducta, habeatur jam cum tempore pro jure validissimo ex dispositione omnium legum. Quamvis ergo Synodi videantur restitisse nominationibus regiis ac alijs dispositionibus circa Electiones Abbatum, tandem à centum & amplius annis siluerunt, ut probatum est, Regibus interim prosequentibus suas nominationes cum effectu.

Ut autem prædicta meliùs intelligantur & credantur, conveniens judicavi inserere hic ipsum textum Concilii Trident: circa jus patronatûs. Sess.25. c. 9. *Sicuti legitima patronatuum jura tollere, piasq; fidelium voluntates in eorum constitutione violare æquum non est, sic etiam ut hoc colore, beneficia Ecclesiastica in servitutem, quod à multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit S. Synodus, ut titulus juris patronatûs sit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento & alijs jure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis prætensionibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliásve secundùm juris dispositionem. In ijs verò personis seu communitatibus vel universitatibus, in quibus id jus plerumq; ex usurpatione potiùs quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter ei suffragetur, quàm si præter reliqua ad eam necessaria præsentationes etiam continuatæ non minori saltem quàm 50. annorum spatio quæ omnes effectum sortitæ sunt, authenticis scripturis probentur. Reliqui patronatus omnes abrogantur exceptis patronatibus super Cathedralibus Ecclesijs competentibus, & exceptis alijs quæ ad Imperatorem & Reges seu Regna possidentes, aliosq; sublimes ac supremos Principes jura imperij in Dominijs suis habentes pertinent &c*

12mo. Scribit Procurator. Sed ut clariùs in subsistentia prætensi juris patronatus appareat, congruum erit referre initium & modum à quo ministri Regis Poloniæ Regale jus super Episcopatibus & Abbatiis deducunt. Et refert Cromerum de anno 1207, quòd jam tunc Reges in ele-

A.C. 1699 ctiones Episcoporum se ingerebant. Deinde implet paginam historiâ de Sienenio & Grusćinio in anno 1460 & concludit: quòd exinde sedes Apostolica ad nominationes Regum Episcopatus providere consuevit: Quarum revolutionum occasione, & Monasterio Lubinensi impositum, ut Abbas eorum non consecraretur sine regio assensu, quod deinde & in alijs Monasteriis prætendi cœpit.

℟detur: *1mo.* Non solùm ab anno 1460. sed longè ante liberæ Electiones Episcoporum infringebantur. Nam idem Cromerus scribit lib. 15. quòd anno 1390. mortuo Joanni parvo Episcopo Cracoviensi successor à Collegio est designatus Secechus Chmielicius Canonicus, sed Rege & Regina postulantibus, Bonifacius XI. Sececho rejecto, Petrum Wisum Episcopum fecit. Item quòd ad Archiepiscopatum Gnesnensem post mortem Joannis elegerat Capitulum Dobrogoscium Novodworscium, sed obstante Ludovico Rege, ab eodem est suffectus Bozenta & ab Urbano VI. admissus. Plura similia habet exempla Domalewicz in vitis Archiepiscoporum Gnesnensium & Episcoporum Vladislaviensium.

℟: *2do.* Procurator hac deductione optimi dat materiam argumenti pro jure Regio contra se: nam etiamsi vigore præmissorum constet de initio infractarum Electionum Episcoporum ac usurpationis (ut ipse ait) nominationum regiarum ad Episcopatus. Nihilominus indubitatum jam jus ad nominationes Episcoporum habent Reges, sic volente & consentiente sede Apostolica, ita ut jam id nunc revocare, non sit ei integrum. Ergo à majori ad minus argumentandum, licet si verum esset, quòd ab Abbatia Lubinensi sumptum sit exordium circumscribendi Electiones Abbatum: tamen quia jam per tot annos hic usus invaluit quo ad omnia Monasteria cum beneplacito sedis Apostolicæ, non ergo licet jam revocare, sed Reges ex pari ratione, pari debent gaudere jure tam supra Episcopatus quàm supra Abbatias.

℟: *3tio.* Abrogatio violenta electionis Episcoporum ac usurpatio nominationum juxta mentem Procuratoris, dedit jus Regibus ad Episcopatus assentiente Sede Apostolica. At circumscriptio electionum Abbatialium non est facta per violentiam, sed ex justissimis rationibus, ut legere est in assumptis statutorum de hac re, & cum assensu Monachorum, qui ibidem suo diplomate obligant se ad petendum assensum regium: imò subsecutæ postea nominationes eligendorum sive in titulum, sive in Commendam à Monachis acceptabantur, à Sede Apostolica admittebantur. Ergo justiori & fortiori titulo jus ipsis acquisitum quo ad Abbatias tolli non potest.

13tio. Procurator citatis statutis regni circa Abbatum electiones concludit: en quomodo potestas Laicorum circa Ecclesiastica in dies assumit vires.

℟. Non mirum id, quòd decrescente Religiosorum observantia, crescat contra eos sæcularium potentia; dum scilicet in spiritualibus abundat delictum, refrigescit erga eos charitas sæcularium: quia isti quidquid spiritualibus præstiterunt vel præstant sive eis se submittendo, eos honorando, seu bona sua eis elargiendo, id faciunt non propter solum nomen aut statum spiritualis vel Religiosi, sed quia illis inesse credunt majorem pietatem, virtutem, cum Deoq; conjunctionem, unde ob eorum preces & merita majorem super se sperant Dei benedictionem. Dum verò contrarium advertunt, dolent se in eis oleum & operam perdidisse, ac pro merito eos tractare minimè verentur, non ex contemptu status spiritualis sed ex demerito personarum. Videmus enim quòd mendicantibus ac aliis quos existimant esse Religisiores & ferventiùs Deo servientes, in dies Monasteria ac templa fundant & dotant, antiquioribus ob eorum negligentiam neglectis. Nullum enim

Cister-

Cistercienſium Monaſterium aut Abbatiam per 500 ab hinc retro annos *AC.* 1699
legimus de novo fundatum.

14to Scribit Procurator: prædicta ſtatuta regni, ex quibus unicè prætenſum jus patronatûs, deduci poteſt, non juvant ſed tollunt jus patronatûs, dum fatentur liberam electionem Abbatum, ac ſolùm ſervitutem quandam ei imponunt, ut perſonæ certis qualitatibus ornatæ Nobiles Poloni eligantur. Si enim Rex Patronus fuiſſet, non declaraſſet electionem pertinere ad Monachos, nec indiguiſſet modum imponere, circa electionem ; cum Patronus poſſit perſonam ſibi bene viſam nominare.

℟. *1mo.* Deduximus luculenter ſuperius jus patronatûs Regium nō ex ſtatutis regni, ſed fundatione, dotatione, uſu immemorabili ac beneplacito Sedis Apoſtolicæ. Quamvis enim & ſtatuta idem jus demonſtrant, quia tamen in minori ſunt ad hunc effectum apud Curiam Rom: conſideratione, non oſtendimus nos illis tantopere inniti. Verùm quia Procurator contra nos ea objicit, ſic illa contra ipſum retorquemus.

Et quidem non fatentur aut declarant in allegatis ſtatutis Reges libertatem electionum Abbatum, ut Procurator imponit, neq; hoc ex illis poteſt elici, ſed potiùs negant eam libertatem, dum eis inhibent, ne externos aut plebeios, ac præcipiunt, ut ſolos Nobiles ejuſdem Monaſterij vel in defectu ejuſdem Diœceſis etiam ſæcularem Clericum eligant ſeu poſtulent, utq; Epiſcopus intimet electionem cointelligentiam habendo cum Rege, quatenus jus & conſvetudo antiqua ſervetur. Quæ lex promulgata eſt in comitiis anno 1588. quo Gregorius XIII. paucis ante menſibus conſtitutiones Synodales libertatem electionum Abbatum tuentes approbavit. Añо verò 1607. ſtatuitur, ut Abbatiæ conferantur, ſecundùm jus antiqvum competenter electis juribus Regalibus per omnia ſalvis. Eſtne hoc libertatem electionum fateri aut declarare? quomodo tam circumſcriptæ poſſunt dici liberæ? cum vigore horum ſtatutorum non liceat Monachis eligere quem volunt, ſed determinantur ad certam perſonarum ſpeciem. Nónne potius hujuſmodi diſpoſitiones ſunt proprii characteres Patroni? quid enim jurium Regalium conſervatio & præcuſtoditio ut ſecundùm jus & conſvetudinem antiquam electis atq; præmiſſa Epiſcopi cum Rege cointelligentia conferantur Abbatiæ, denotant, niſi jura patronatûs. Et certè Cromerus illorum priorum ſtatutorum ſcribens ſuam Hiſtoriam annotavit jam non fuiſſe tunc liberas electiones Abbatum.

Sed ſi quid in ſtatutis obſcurius alicui videtur, declarat id uſus optimus legum interpres, ſiquidem uti conſtat ex Synodo de anno 1551. jam tunc erant Commendæ Abbatiarum, certè non ex libera Monachorū electione, ſed ex Regum nominatione.

Deinde cujus eſt leges condere, ejuſdem eſt & interpretari. Quomodo autem Vladislaus IV. filius Sigiſmundi interpretatus ſit illa priora ſtatuta, patet ex illius adducto ſtatuto, per quod non tollit libertatem electionum, ſed declarat morem antiquum, hæc enim ejus ſunt verba.

Sed dicet aliquis: tamen in illis ſtatutis toties dicitur, ut Monachi liberè eligant. ℟detur: & Vladislaus & ejus frater Joannes Caſimirus & Michäël & Joannes III. literas nominationis ſuæ ad Abbatiam dirigendo ad Monachos, obſervant eandem civilitatem, ſcribendo ut eligatis: nihilominus Monachi conqueruntur tolli ſibi hoc modo libertatem. Quamvis ergo & in ſtatutis idem dicatur, non conceditur tamen verè libera electio, ſed tantùm ejus ceremonia ſicut & nunc, qualis relicta eſt capitulis Canonicorum & illi enim eligunt in Epiſcopum nominatum à Rege, ſed ſine libertate eligendi alium, nec propter eam electionem cenſentur, Reges carere jure patronatûs ad Epiſcopatus.

A.C. 1699 Eandem ceremoniam & Reges Hungariæ observant cum Proceribus suis, quamvis enim illud Regnum jure hæreditatis ac successionis sibi esse debitum afferant, tamen Electionem pro forma instituunt: Quæ in substantia non est aliud nisi acceptatio publica Regis per populum sine libertate alium eligendi: Nec Reges Hungariæ amittunt sua jura ad Regnum per eam Electionis concessionem. Ergo & Reges Poloniæ non amittunt suum jus patronatûs ad Abbatias, quamvis sive per statuta, sive per nominationes concedant Monachis ceremoniam eligendi. Id enim faciunt non ex indigentia sed ex indulgentia, ut ita suavius res procedant.

Si alicui superest scrupulus, quòd per nominationes unus designatur eligendus ideoq; per eas tollitur libertas: sed per statuta non determinatur certa persona in individuo, sed tantùm in specie, scilicet plures nobiles, idonei in illo monasterio ab antiquo manentes proponuntur eligendi, ideoque per eadem statuta videtur libertas electionis conservata. ℟. Major quidem in hoc tunc fuit Regum indulgentia, non tamen cũ detrimento juris patronatûs sui, quod semper voluerunt esse salvum. Sic & Capitulo Varmiensi Reges præsentant pro electione in Episcopum quatuor personas, nec tamen per hoc aut Rex amittit suum jus patronatûs, aut Capitulum veram habet libertatem Electionis, dum ex illis 4. eligere teneantur, quem à Rege sciunt peculiariter desiderari. Possunt hoc & alii patroni facere, plures personas ad aliquod beneficium Episcopo præsentando in specie tantùm eos non in individuo nec nominibus propriis, sed aliquibus tantùm qualitatibus designando v. g. Theologos biennales, nobiles in Seminario Cracov. biennio degentes, ut unum ex his non verò aliis eligat & instituat. Quis dicet Patronum illum fateri aut declarare libertatem Electionis Episcopi, qui potius obligatum se patrono tali pro hac civilitate fatebitur. Sed Reges condendo statuta, ut Monachi eligant nobiles idoneos, in eodem Monasterio manentes &c: non verò plebejos aut externos; quid aliud re ipsa præstabant, quàm præsentabant & nominabant plures personas certis qualitatibus eas designando, ut hos non alios Monachi eligerent in Abbates, instituendos per quem de jure. Ergo per talia statuta non agnoverunt, nec declarârunt Reges libertatem Electionis, sed potiùs per tales designationes jus patronatûs suum asseruerunt, & Monachis testati sunt gratiam, quâ cùm abusi essent per suas recalcitrationes, Reges ab ingratis illud beneficium sustulerunt & nominationes suas ad unam personam restrinxerunt, reservatâ tantùm pro solatio Electionis ceremoniâ, juxta illud; cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

15to scribit. Illa statuta sunt reprobata per Constitutiones Synodales per Clementem IX. imò per Joannem Casimirum & Michaëlem Reges Poloniæ. ℟. Jam sat superq; dictum est de his Constitut: Synodalibus ac aliis adductis, non potuisse ea habere talem vim abrogandi, obstante cõtrario continuoq; usu & consuetudine.

16to scribit. Frustra in memoriali nostro asseri privilegia Apostolica circa hoc jus patronatûs fuisse deperdita; quandoquidem in archivo Regni Cracoviæ plurima similia reperiuntur privilegia, quæ in summario recenset Procurator.

℟. Illa privilegia quæ reperiuntur, sunt recentiora, nimirum quod est ex illis antiquius, est de anno 1433. Sed Abbatiæ fundatæ sunt longè ante, nempe incipiendo ab anno 1140 usque ad annum 1228. quo ultima Præmetensis, uti in summario annotatur. Illis autem annis nulla erat in Polonia literatura, nulla schola, siquidem Academia prima Cracoviensis fundata est à Vladislao Jagiellone anno 1400 teste Cromero, consequen-

quenter nulla erant scripta aut Archiva, vel si quæ fuissent, arce Cracoviensi in tot bellis toties devastata & incensa perierunt. Quodsi pars adversa in dubium id revocat, ostendat aliquod scriptum ex Archivo, quod esset illorum annorum, quibus Abbatiæ sunt fundatæ. A.C. 1699

2do scribit. Nec officit quod aliquando nostrorum Monasteriorum provisio à Sede Apostolica fuerit obtenta cum enuntiativa juris patronatûs & præsentationis Regiæ. Sive quia illæ enuntiativæ sunt erroneæ ex supradictis. Sive quia provisiones Pontificiæ dictas enuntiativas continẽtes non sunt continuatæ spatio annorum 50, nec cum eis concurrit immemorabilis, minusq; privilegium Apostolicum in limine fundationis, quæ omnia copulativè requiruntur pro forma à S. Concil. Trid. tradita. Magisq; in nostro casu in quo initium habemus invalidum: Cùm ex supradictis pateat Regiam Coronam jus illud quod acquisitum prætenditur circa Electiones nedum Episcopatuum sed etiam Abbatiarum Regulariũ authoritate propria sibi arrogasse &c. ℞. Advertens Procurator jus patronatûs Regium maximè post fundationem & dotationem fundari in provisionibus Apostolicis ad nominationes Regias cum expressione juris patronatûs expeditis, conatur id infringere pluribus adductis rationibus, sed maximè relevantibus. Et quidem quòd errorem imputet datariæ & Cancellariæ Rom. impudentia & imprudentia est magistram veritatis arguere erroris, præsertim cùm dictæ provisiones primò per Congregationem consistorialem; deinde per declarationem & admissionem ipsius summi Pontificis, ac post per datariæ & Cancellariæ centum ferè ministrorum omnia accuratè rimantium oculos & manus transire soleant.

Quia verò infra scribit illas enuntiativas juris patronatûs fuisse conditionatas, constito scilicet de illius realitate, ideoq; ob non verificationẽ ejus, non fuisse provisiones executioni demandatas. ℞. Hoc gratis asserit. Ordinarie enim in forma gratiosa absolutè concedebantur. Etsi quæ in forma commissoria & conditionata juris patronatûs, tales verificato illo executioni demandabantur ut anno 1675. Abbatia Coronoviensis in personam Ignatii Gninski. Quod verò de Andrejoviensi adducit in personam Olszovii expedita ac dein revocata, id trahi in exemplum haud debet: quia per prima initium dedit omnibus dubiis & controversiis circa hoc negotium. Unde & sententiæ Rotales in hac causa minus sunt attendendæ, quia sunt latæ nemine, Regis nomine, jus Regium defendente vel comparente.

Feliciori postea exitu anno 1682 emanavit Bulla provisionis Abbatiæ Vąchocensis in Commendam Illustrissimo D. Załuski moderno Episcopo Kijoviensi post magnas controversias, & tria rescripta negativa Congregationis consistorialis, ac post illa omnia quæ Procurator adducit in Rota fuisse definita contra jus patronatûs. Tamen in hac Bulla quam originalem præ manibus teneo, hæc sunt formalia. Quæ Abbatia sicut accepimus de jure patronatûs charissimi in Christo Filii nostri Joannis Poloniæ Regis Illustris ex fundatione vel dotatione seu privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscitur. Et infra: Andreæ Załuski asserentis se ad dictum Monasterium sic ut præfertur vacans à dicto Joanne Rege præsentatum fuisse &c. Quamvis autem illa provisio fuisset in forma commissoria ad Officialem Cracoviensem, non committebatur tamen ei verificatio juris patronatûs, sed solùm utrum dictus Andreas utilis & idoneus esset eidem Monasterio.

Quod verò 3tio scribit Procurator provisiones cum absoluta enuntiatione juris patronatûs non esse continuatas per annos 50. ℞. Quod etiam

A. C. 1699 hoc merè imponit: nam aliud ostendunt regestra datariæ quo ad Commendas & Coadjutorias, quia dum in titulum sive professos sive professandos nominabant Reges, tales ordinariè benedicebantur ab Episcopis, & capiebant possessionem sine recursu ad Sedem Apostolicam. Unde talium electiones vigore nominationis Regiæ in Archivis Monasteriorum, institutiones in actis Episcoporum reperiuntur. Habemus autem ex Regestris Datariæ ab an: 1614 ad hæc usq; tempora excerptas provisiones ad nominationem Regiam. Quamvis præter has deberent esse plures aliæ; cùm certum sit etiam ad nominationem Stephani fuisse aliquas Commendatas Abbatias ac nominatim Andrejoviensem Stanislao Rescio. Imò audacter assero, nullam fuisse à centum annis nominationẽ Regiam ad quamcunq; Abbatiam quæ non esset effectum sortita; nec ullus fuit Abbas sive in titulum sive in Commendam absq; nominatione Regia.

Quòd 4to scribit: nec immemorabilis usus concurrit cũ his nominationibus, cùm initium invalidum habeamus. ℞. gratis etiam hoc asserit. Quis enim tam felicis recordationis, ut meminerit illud initium: Plurimi verò sint senes qui affirmant talem semper fuisse usum. Si ad libros recurratur hoc initium indigitantes; nullum certè esset tempus immemorabile; quia libri res etiam ante aliquot millia annorum actas commemorant. Sed nec in libris probè id legitur. Nam anno 1551 in Synodo Provinciali per modum querelæ insinuatur, quòd jam tunc fuissent Abbatiarũ Commendæ: sed quomodo & à quo cœptæ non edocetur. Certum tamen est illas Commendas non fuisse ex libera Monachorum electione.

Neque ullatenus potest dici initium invalidum, quod erat innixum fundationi & dotationi ac firmatum Sedis Apostolicæ admissione. Unde nec potest dici propria authoritate arrogatum, quod fuit à superiore ratũ.

Quòd 5to scribit: Debere ista copulativè concurrere ad probationẽ juris patronatûs in Regibus, scilicet immemorabilem cum præsentationibus effectualis per an: 50 & privilegium Apostolicum. ℞. id etiam gratis requirit. Nam Concilium nullam de hoc privilegio facit mentionem, Et in superiùs citata Bulla pro Abbatia Vąchocensis expedita, disjunctivè recensentur hæc. Ex fundatione vel dotatione seu privilegio Apostolico.

13vo. Refutat Procurator motivum petendarum Cõmendarum ex indigentia quorundam Episcopatuum desumptum. ℞. quod plurima ponit à veritate aliena. Dicit Episcopatum Luceorien: non confinare cum barbaris. Hoc evidenter falsum est quia protenditur usq; ad limites Turcarum & Tartarorum versùs pontũ Euxinũ & ostia Borysthenis habitantium: estq; hic Episcopatus continua sedes belli, rapinarum & incursionũ Tartaricarum, & præsertim in Palatinatum Wołhyniæ & Braclaviæ, quo Ucrainæ pars comprehenditur. Dicit esse pingvissimum, nec hactenus indiguisse ullo subsidio; id etiam non minus falsum; quia nostrâ memoriâ Steph: Wydzga & Nicola⁹ Prazmowski tenuerunt cum Episcopatu Luceor. Abbatiam Sieciechov. Bogusla⁹ Leszczynski Czervin. Idẽ certũ est de aliis Episcopatibus. Cum Leopolien: Stanislaus Grochowski & Ioannes Pruchnicki tenebant Abbatiam Sieciechov. Joannes Tarnowski Abbatiam Claræ Tumbæ, Albrachtus Lipski Andrejov. Cum Præmisliensi Paulus Piasecki Claræ Tumbæ. Stanisla⁹ Trzebinski Andrejov. Sarnowski & Zbęski Sulejov. cum Chelmensi Stanislaus Pstrokonski Tinecen. Remigi⁹ Koniecpolski Andrejov. Joannes Ruzicki Mogielnicen. Cum Camenecen. Joannes Czarnecki Czervinen. Sigismundus Czyzewski Paradisien. Joannes Stępkowski Hebdovien. cum Kijovien. Joannes Sokołowski Tremesten. Thomas Ujeyski & Witwicki Plocen. cum Vendensi in Livonia, Ottoschoning. Sulejovien. Et ad præsens Franciscus Prazmowski cum Luceorien.

tenet

tenet Sieciechov. Andreas Załuski cum Kijov. Wąchoc. Dönhoff cum Camenec. Witovien. Popławski cum Livonia Obrensem, Swięcicki Chełmen. Lubinen. &c. Quod tamen Procurator subticuit referendo solùm prædictos Episcopos possidere Canonicatus ac præposituras sæculares. *A.C.1699*

Dicit deinde Procurator subveniendum esse iis Episcopatibus, sæcularibus beneficiis. Verùm in Polonia nulla sunt beneficia simplicia, sed solùm curata, Canonicatus & dignitates: quæ tamen Concil. Trident. Sess. 24. cap. 13. prohibet dari in subventionem Episcopis tenuioribus æquè ac Monasteria ubi viget regularis observantia. Cum verò demonstraverim⁹ in Monasteriis Cistercienſium non vigere observantiam regularem, ergo justiori longè titulo & ad mentem Concil. Trident. hæc deberent dari in subsidium illis Episcopatibus.

Adducit Procurator in exemplũ opulentissimorum beneficiorũ, Præposituram Lascen. quæ tamen quamvis infulata sit & unita Canonicatui Gnes. vix efficit florenos mille annui redditus, qui æquivalent centũ scutis Romanis. Unde quàm crassa sit impostura, dum dicit, quòd singulæ tales præposituræ sufficerent pro subventione omniũ Episcopatuum, facile patet.

Quòd verò ulterius asserit Procurator illos Episcopatus ex fundatione & dotatione esse opulentos, solùmq; ex occasione bellorum injuriam passos; id non convenit adductis per nos: Quia continuatæ ab antiquo hujusmodi subventiones per Abbatias, ostendunt eos semper fuisse tenues & indigentes. Et quoniam res Poloniæ propter abusum libertatis semper in deterius vergunt, nulla spes est illos Episcopatus aliquando fore opulentos.

9no. De Ministris & Officialibus regni plura ridicula & erronea scribit. Nam etsi sigilla regni majus & minus teneant alternatim spirituales & sæculares, semper tamen unum sigillum in manu spiritualis. Unde si Abbatiarum Commendæ concederentur propter personas spirituales, sigillum regni tenentes sive illi sint Cancellarij, sive Procancellarij, nullatenus sequeretur eas Abbatias à Laicis esse possidendas.

Erroneum etiam est sigillorum ministeria conferri solere majoribus Episcopatibus: quia id pluribus regni constitutionibus est prohibitum. Quòd verò allegatur de Varmiensi id factum est ex dispensatione comitiali in favorem consangvinei Regis. Neq; hæc ministeria redditus stabiles habent, aut ab aula aliquid accipiunt, ut scribit Procurator, si verò quid per discretionem pro sigillatione privilegiorum datur, id modicum est & in eorum Secretarios & Scribas distribuitur. Nam extorquere pro sordibus & emunctione habetur, quod proinde generosi animi abhorrent.

Joannes Gninski ex Palatino Culmensi factus Sacerdos, brevi spatio tenuit sigillum superveniente fato fuit tamen nominatus à Rege ad Abbatiam Bledzoviensem.

Secretarius regni major nullos omnino habet redditus ex officio suo. Referendarius nõ nisi forsan aliqua munuscula ex occasione judiciorũ quæ exercet inter subditos regalium bonorum, quæ tamen non adeo honesta & licita de jure censentur. Falsum etiam est hos officiales esse ad nutum Regis amovibiles: perpetui enim sunt ut cæteræ dignitates. Nec magis verum est quòd hæc officia pro arbitrio Regis sæcularib⁹ & spiritualib⁹ conferantur: nam Secretariatus major regni semper soli spirituali confertur. Referẽdarij duo unus sæcularis alter spritualis semper. Ergo sequelæ quas ex suis imaginationib⁹ erroneis formabat & formidabat Procurator, ruunt.

Crudum etiam id quod scribit, illos Officiales merè esse sæculares regno non Ecclesiæ inservientes. Nam Ecclesia pro maximo deberet reputare beneficio & pretio omnium etiam Abbatiarũ hoc privilegium, quòd in suo ordine spirituali habeat illos Officiales & Ministros, qui plurima præstant

Ecclesiæ

A.C.1699 Eccleſiæ & Religionibus obſequia, ac per hæc longè melius altari deſerviunt, quàm Abbates Monachi in ſylvis degendo, otio & luxui vacando.

20mo. Conatur Procurator enervare motivum iſtud obtinendi Commendas, dum ſcribit non ſolùm Epiſcopis & memoratis miniſtris ſed etiam nonnullis aulicis Prælatis commendatas eſſe plures Abbatias.

℟: Illi aulici ſunt in gradu Epiſcopatus & miniſteria ad quæ ſe in aula diſponunt: Quomodo enim illa dignè obire addiſcerent ruri degentes? Quomodo autem aulam ſequi poſſent ſine adminiculo. Unde illi Prælati verè poſſent dici Epiſcopi & Miniſtri in actu ſignato, quia ad hoc deſignantur, & proximè accingendus pro accincto habetur. Deinde non unicum eſt illud motivum preſſe pro Epiſcopis & Officialibus Regni ſublevandis: Sunt enim in Repub: alii Prælati, qui optimè merentur de Regno & Eccleſia in tribunalibus Regni, variis legationibus, commiſſionibus, aliiſq; publicis functionibus, quæ omnia magno indigent ſumptu ac ſubſidio.

21mo. Redarguit nos Procurator, quòd diffidentes illis motivis recurramus ad gratiam, ſed ipſemet magis eſſet redarguendus. Quaſi verò non licet varia tentare media ad finem obtinendum: Et melior eſt favor in judice, quàm lex in codice: ipſum cælum dicunt Theologi obtineri viâ gratiæ & juſtitiæ.

22do. Scribit Procurator merita Sereniſſimi Regis Joannis aliter eſſe compenſanda non per ruinam Ordinis Ciſtercienſis tam benemeriti. ℟: *1mo* Jam oſtenſum eſt commendas non ceſſuras in ruinam, ſed in majorem utilitatem Monaſteriorum. *2do.* Hic Ordo fuit quondam benemeritus, & ideo tam amplis ditatus bonis, ſed poſtea incraſſatus, impingvatus recalcitrat contra ipſum Regem D. & Patronum ſuum, & ideo per hæc maximè demeruit. *3tio.* Seren: Rex nihil novi petit, ſed ſuorum anteceſſorum veſtigiis inhærens, deſiderat penes id conſervari, quod ejus anteceſſores pacificè poſſidebant. Solùm in hoc ab eorum veſtigiis decedit ac ſe demittit, dum petit tale privilegium, ſine quo ejus anteceſſores re ipſa gaudebant, nominando ad Commendas quarumcunq; Abbatiarum pro ſuo beneplacito ſine renitentia Monachorum & cum admiſſione ſedis Apoſtolicæ. *4to* Quamvis certè tam ingentia merita non poſſunt dignè ac modica conſolatione remunerari; nihilominus videmus in aliis Regnis pro ſimilibus ſimiles elargiri ſolitas gratias, præſertim dum Rex pientiſſimus & zeloſiſſimus non in ſuum ullum emolumentũ id derivare intendat, ſed ita judicans melius fore è re & commodo tam Eccleſiæ, quàm Religionum. Nonne æqvum eſt deferre in hoc judicio Regis tam prudentis, ac omnia quæ utilitatem, ſplendorem Eccleſiarum in Regno ſuo ſpectant clarius perſpicientis quàm hic Procurator, qui de Polonia ut de Tibure vel Tuſculano diſputat.

23tio ſcribit: In refutando motivo proventus Comendarum utiliùs poſſe converti pro novis Religionibus ferventibus fundandis non eſſe deſudandum, & meritò, quia ſudabit & algebit, nunquam illud refutabit. Vel unicum enim iſtud motivum eſſet ſufficiens. Sic ille Paterfamilias in Evangelio vetus horreum deſtruit, ut novum melius ædificet. Colonos malos malè perdit, & vineam ſuam locat aliis. Aufert à ſervo deſidioſo mnam & dat eam diligenti. Ita ipſemet Chriſtus minatur, Regnum DEi auferetur à vobis & dabitur genti facienti fructus ejus. Quod conſiderantes multi Vicarij Chriſti quaſdam Religiones ſuppreſſerunt & bona earum ad alios meliores uſus converterunt.

24to. Reformationes Monaſteriorum per commendatarios Abbates ſcri-

fcribit non poffe fieri. ℞; Non defcendo in certamen rationum quæ fatis convincentes in memoriali adductæ funt. Sed firmiter affero, quòd fi commendatarijs daretur re vera regimen Monachorum in fpiritualibus, multò melius gubernarent quàm titulares. Fundamentum afferti hujus eft præclara & generofa indoles eorum quos deligit & nominat Rex, cujus etiam reverentia & adhortationes impellunt eos ad egregia facinora. *A.C.1699*

Sit in exemplum Petrus Roftkowfki commendatarius Mogielnenfis qui impetrato fpeciali à S. fede Apoftolica refcripto pro regimine fpirituali, mirabilia pro eorum reformatione & regulari obfervantia egit; Juniores Religiofos ad ftudia Philofophica & Theologica in fcholis publicis applicabat proprijs fumptibus; Nuntium Apoftolicum ad vifitationem & correctionem Monafterij ex commiffione Apoftolica magno fumptu conduxit, Religiofos quatuor pios & doctos ex Monafterio Lubinenfi ad Mogielnenfem induxit & fovit propter dandum fuis exempla & inftitutionem; his poft annum ad Monafterium eorum redeuntibus, conduxit ex Sieciechovienfi Patrem Krufzewfki in Monafterio Caffinenfi diu exercitatum & probatum, ut tanquam Commiffarius Apoftolicus in Mogielnenfi maneret & obfervantiæ regulari attenderet. Monafterium ipfum magnis expenfis reftauravit, bona & poffeffiones vindicavit, ædificijs, colonis, pecoribus refecit ad ftuporem omnium: Quamvis folùm per Sefquiannum illam Abbatiolam tenuiffimorum proventuum poffediffet.

Et Cafimirus Szczuka Commendatarius Paradifienfis non abfimilia in bonum & commodum Monafterij ac prædiorum egit, teftatur in Ecclefia major ara magnificè exftructa & deaurata, Sacriftia varijs pretiofis ornamentis inftructa, Bibliotheca ac plura ædificia fabricata, inventaria pecorum & pecudum immenfa comparata & relicta, onera à fæculari poteftate bonis impofita, curâ & fumptu ejus fublata, vifitationes Commiffariorum, frequenter per ipfum procuratæ; Priores exemplares impofiti; continua fuper mores & converfationem Religioforum attendentia per fidos delegatos fuos? fubditorum quicunq; hæretici in ditione Polona erant, ad fidem Catholicam curâ & zelo ejus converfio, quos olim Abbates titulares illa pefte infici, & ad tempora hujus Commendatarij in eadem perfeverare permiferunt.

25to. Scribit nihil relevare, quòd aliqua Monafteria fuerunt commendata, quia inquit ex multiplicitate abfurdi, non tollitur abfurdum ℞ detur; quid abfurdius dici potetat, quàm vicarios Chrifti arguere abfurdorum commifforum.

26to. Scribit poffe quidem fummum Pontificem abfoluta poteftate omnia quo ad difpofitionem beneficiorum, fed in ea exercenda refpicit ad tria, ut fit fecundùm æquitatem, honeftatem, neceffitatem, vel utilitatem. ℞: hæc ipfa funt fundamenta & motiva, quibus & fummi Pontifices concedendo Commendas infiftebant, & Regès noftri infiftunt. Quare uti Reges in fuis nominationibus fignanter enuntiant perfonam ab eis nominatam fore utilem Monafterijs, ita & Pontifices Bullas fuas pro Commendis hæc conditione expediunt, ut defignati Commendatarij fint idonei, ut utiles illis Monafterijs, idq; commiffarijs Bullarum Executoribus injungunt, ut examinent fub nullitate provifionum fi aliter fuerit repertum. Unde fi Reges non haberent pro fe fundationem, dotationem Monafteriorum ac ufum continuum, illa ipfa æquitas, honeftas, neceffitas, utilitas ex Commendis provenientia, effent motiva fufficientia ad eas concedendas.

27mo. Adducit exemplum S. Ludovici exhorrentis ad privilegium

tes Abbatias liberè eligantur, & promoveantur à Monachis, statuimus, ut secundum antiquum jus competenter electis *Religiosis* conferantur Abbatiæ à Monachis juribus nostris per omnia salvis. O quot hic verba essentialia addita vel detracta. Nam in originali sic sonat. Inhærendo constitutionibus &c. quibus cautum est, ne ad Abbatias & præposituras Regulares per inordinatas electiones homines indigni ascendant, sed ut digni ex suo ordine viri nobilis generis ad ea perveniant, statuimus, ut juxta antiquam legē competenter electis conferantur juribus nostris Regalibus per omnia salvis. *AC. 1699*

6to. n. 29. Varsaviensem Præposituram Canonicorum Regularium scribunt obtineri per Commendam à Stanislao Swięcicki Episcopo Chelmensi. Quod est erroneum, quia ille erat professus ejusdem Monasterij, & in titulum illam præposituram tenebat, antequam esset Episcopus Chelmnensis.

7mo. n. 8. Scribunt exprobrando, Illustrissimum Dominum Olszewski Archiepiscopum Gnes. morte improvisa obijsse Gedani. Quod falsum est, quia per duas circiter hebdomadas decumbebat, & se ad mortem disponebat hic magnus Archi-Præsul.

SUBMISSIO ORDINIS CISTERC:

REGI JOANNI III. RATIONE ABBATIARUM,

Provincia S. Ordinis Cisterciensis in regno Poloniarum constituta capitulariter Lanæ congregata Sacræ Regiæ Majestati Domino Suo Clementissimo, sub cujus protectionis Scuto non solùm orbis Christiani reflorescit integritas, verùm etiam ordo noster humili voto suo æternam auspicatur conservationem, cum omni debitæ venerationis cultu quàm humillimè præsenti se submittit scripto, prout in anterioribus Capitulis idipsum constanter declaravit attentis & bene expensis motivis, quæ ad ea omnia nostram Provinciam inducunt, idque præsertim moderno statu calamitoso Patriæ nostræ, quæ cum continuis bellorum fluctibus exagitata summam pristino statui bonorum Ecclesiasticorum attulit oppressionem, tum maximè salubri acceptato remedio, quod Serenissimus noster feliciter regnans providendo statui ordinis nostri proponendum esse censuit ex suo speciali favore, quatenus obviando collisionibus jurium Majestatis talis fieret Abbatiarum dispositio, nimirum ut quinque Abbatiæ expressè ordinem professis è gremio Canonico eligendis cedant. Ex quibus quinque supra memoratis unius certa provisio pro Seminario Provinciæ nostræ ad mentem Brevis Alexandri VII. instituatur & ordinetur, quatenus commodiori modo subsistere Seminarium possit. Igitur Provincia supplicat, ut Andrejoviensis Abbatiæ uti primarij Monastarij ordinis pro Regia Clementia respectus habeatur, quod fusius exponetur precariò per nostros Ablegatos ad Sacram Regiam Majestatem, quinque aliæ personis spiritualibus de S. Regia Majestate & de Republica benemeritis in titulum conferanrur, quæ personæ Religiosum habitum omnino assumere & professionem emittere tenebuntur nullis exemptionibus & prærogativis sese tutando.

Quinque demum Abbatiæ Episcopis tenuioris fortunæ vel officialibus Regni Prælatis spiritualibus in Commendam salvis oneribus Abbatiarum ex antiquo jure supportandis idque præcipuè quartæ partis prout constitutiones disponunt Apostolicæ. Quæ omnia prout in anteriori scripto & submissione exarata fusius continentur, Provincia nostra in omnibus servaturam se præsenti submittit scripto. Submittit se insuper Provincia nostra providendo tranquillitati & paci internæ, ne inposterum privato conatu quispiam præsumat provisiones procurare. In cu-

lùm ob filialem reverentiam S. Sedis Apostolicæ sed etiam extraordinarium obsequium erga feliciter regnantem Seren. Dominum nostrum, Innocentius XI, qui tot modis paternam benevolentiam Majestati Suæ Regnoque beneficentiam testatus est, ob merita Nobiliũ familiarũ è quibus prædicti provisi sunt oriundi, ob recommendationẽ demum Capituli Provincialis Regio respectu recipit & conservat, qui ita se gerere tantaque Abbatiarum portione contenti esse tenebuntur, de quanta inter Majestatem suam vel ejus Commissarios atque inter nos conventum fuerit, pacificum in reliquo usum ijsdem, qui à sua Majestate præsentati sunt relinquendo atque successionẽ in integrum eorundem provisorum in dictis Abbatijs clementiæ & arbitrio S. R. Majestatis & ulterioribus eorum meritis committendo. Ita tamen ut dictæ Abbatiæ ad præsens exdivisæ videlicet Andrejoviensis, Copriunicensis, Bledzoviensis, & Sulejoviensis atq; omnes aliæ nunquam in posterum in duas partes dividantur, sed unius solùm Abbatis vel Administratoris possessioni post ascensum vel mortem utriusq; cedant. Quia verò unus ex provisis videlicet, Reverendissimus Białoblocki ad Bledzoviensem ob absentiam à regno huic præsens non adest concordiæ: nos Plenipotentiarij Provinciæ Majestati suæ sponsionem damus, dictum Rev. ita se habiturum & ea portione contentandum fore, quæ à nobis (ad instar concordiæ Sulejoviensis) hic acceptabitur, & ad quam ob eo acceptandam seorsivo scripto nostro nos assecuramus. Cujus quidem portionis exdivisio à Reverendissimo Provinciæ Cõmissario & vicino Abbate proximè facienda est, illis bonis quæ spectabunt ad modernum ad eandem Abbatiam præsentatum à sua M. scilicet Illust. Ioannem Kurdwanowski supremum Thesauri regni Notarium, in manibus ejus administratoris, qui hactenus bona dictæ Abbatiæ Bledzoviensis vacantis tenebat, eò usq; securè manentibus quo usque dicto præsentato expeditio Romana advenerit, tota itidem Provincia omnimoda impedituram se appromittit, nè quovis modo dictus Reverendissimus provisus hanc tam communem ordinis quàm particularem Abbatiæ Bledzoviensis concordiam interturbare possit. Quandoquidẽ autem ex provisoribus multa incommoda emerserunt, præcavemus in posterum, insistendo speciali in actis Capituli Provincialis decreto, ne quispiam ex Religiosis Ordinis procuret aut procurari faciat, directè vel indirectè provisiones, ipso facto secundùm definitiones ordinis incapax Abbatiæ reddendus. Omnes verò hactenus causas, controversias, lites in quocunq; foro & Curia motas cassare, annihilare, & ab illis recedere Provincia omninò procurabit, ut quicunq; Romæ ex S. Ordine degentes negotiũ hoc interturbare vellent, inde revocentur, néve alij in locum eorum succedere possint. Quæ omnia puncta supra dicta brevioribus terminis comprehensa beneplacito Sanctitatis suæ submittenda Romam mitti curavimus. In quorum fidem manu nostra subscripta sigillis firmavimus. Datum Iavoroviæ die 16. Maij Anno Domini 1686. A.C. 1699

Chrysostom9 Benedict9 Gninski supr. regni Referendarius Ab. Vigro.
Fr. Stanislaus Kostecki Abbas Andrejoviensis.
Fr. Stanislaus Miaszkowski Abbas Obrensis S. R. M. Secretarius.
Fr. Antonius Krzesimowski Abbas Copriunicensis.

COPIÆ LITERARUM AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM SPADA AB EXCELL. CANCELLARIO REGNI. Javoroviæ 14 Maji, 1692 scriptarum.

CUm indies majora ac majora ab urbe veniant documenta, quâ immodestiâ Monachi nationales Cistercienses contra S. R. M, *Domi-*

A.C.1699 *Dominum nostrum Clementissimum, non iniquis juribus tantùm, sed famosissimis scriptis pugnent, quorum huc aliqua typis impressa exemplaria transmissa sunt, & non solùm se ipsos, sed etiam & alios innocentes diversarum Religionum Communitates involvant. Non possum nisi ex vi ministerij mei de summa Seren: Regis mei indignatione & gravi animi amaritudine Eminentiam Vestram certiorem reddere. Optarem ex animo, DEO & cælo teste, uti præpositus & S. sedi devinctissimus nunciare, me optare, ut oriatur desiderata aliquando inter partes tranquillitas. Permovet enim non solùm meum sacerdotale cor, sed cujusq; credo Christiani hominis, quia eo tempore, quo pientissimus Rex Christiani nominis hostem persequitur & ingentes Resp: nostra pro sacro bello erogat summas, jam enim 70 millionibus & ultra hoc constat bellum, imò ultimò miserorum Regnicolarum sangvine redemitur, eo dico tempore Religiosæ personæ cum scandalo omnium adversariorum fidei Catholicæ contra Principem suum classicum canunt, sed quando conniventiâ aliquâ fulti in pejus in dies erigunt cristas, de ingenti quæ evidentissimè patet in hoc Regno conturbatione futura tempestivè pro munere meo Eminentiæ Vestræ nuntiandũ esse duco, cum omni veneratione & reverentia rogans, ut profundissimo suo judicio tempestivè imminentibus malis providere dignetur, ne gentes liberæ in tuendis juribus suis, præcipuè autem honore tuendo, qui in his scriptis enormiter læditur, ardenter obstinatè aliquid audeant. In fervore, in sinceritate cordis, scribo Eminentiæ Vestræ impossibile esse nobilitati Polonæ tantam Monachorum pati in Regem suum & Regnum totum irreverentiam, quam dũ Eminentia Vestra fusiùs ex adjunctis punctis ad Eminentissimum Cardinalem Barberinum, Protectorem Regni nostri, quæ scio communicabit Eminentiæ Vestræ, luculenter animadvertet, ego humiliter supplico, ut mihi modos & media confidenter insinuare dignetur, quomodo has cicatrices in futuris proximè comitijs sanare pro modulo seu excusare valeam, ad quod ego pro tenuitate aliud apud me non invenio remedium, nisi per approbationem præsentatorum à Serenissimo, tam graviter exulcerato animo ejus adferendo levamen, de cætero consummatiora à dignissimo Eminentiæ Vestræ judicio expectans consilia ejus sacram purpuram demississimè exosculor.*

AD CARDINALEM BARBERINI, PROTECTOREM REGNI POLONIÆ.

E*A fuit S. R. Mtis, Domini mei Clementissimi spes, negotium Abbatiarum cum tempore mollificandum, & ad fortunatum exitum deducendum esse, & ecce dum piissimus Princeps talia in dies expectat, venit his diebus ab urbe typis expressum scriptum, si scriptũ & non potiùs (salvâ Eminentiæ V. veniâ) famosus libell9 dicendus sit, hoc quàm acerbè animũ Principis omnia præparamenta quàm prom*

promptißimè ad futurum sacrum bellum ordinantem perstrinxerit, altißimo Eminentiæ Vestræ Patroni mei singularißimi committo judicio, ex mandato igitur expresso Majestatis Suæ adjicio scriptum certum his literis, ex quo, quàm enormiter nationales Monachi Regem suum læserint, & quam resolutionem Majestas Sua in hoc justo dolore assumpserit, Eminentia Vestra facilè conjiciet, quia verò in eodem projecto, quod utinam in ultimas tenebras projectum fuisset, etiam magna pars Regni, quæ major Polonia vocatur, læsa est, timeo valde, & pro officio ministerii mei tempestivè, uti Regni Patrono denuntio, certißimam inde prævideri inter status collisionem, de futuro Comitiorum felici eventu parvam aut nullam spem, consequenter contributionum cessationem, & quod inde pullulat, talem qualem cum hoste Christiani nominis pacis conclusionem. Hæc jam non sine lacrymis quæ video & prævideo, altißimo Eminentiæ Vestræ judicio insinuo, ut pro suo erga hoc Regnum tanquam dignißimus ejus & amantißimus Procurator affectu talia subministrare nobis ministris velit Consilia, quibus ad graviores sæcularium intentiones ab inaudita & amplius ad ferendum impoßibili Monachorum superbia & audacia laceßitorum respondere poßimus, quod dum à singulari Eminentiæ V. gratia expecto, ejus sacram purpuram demißißimè exosculor. A. C. 1699

AD D. RUYTER SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS AGENTEM IN URBE.

QUàm graviter Majestas Sua Seren: Rex D. meus Clementißimus nuperrimè tulerit, dum illi scripta transmissa sunt ab urbe à Monachis nationalibus in læsionem juris regii & regni totius authoritatem confecta, & his annexa, quas Majestas Sua expressè me jussit Illustritati Vestræ transmittere, conjicere poterit. Statim igitur ea Majestas Sua mihi dedit mandata, ut voluntatem Regiam & in hoc exprimerem, quatenus Illustritas Vestra in nulla Congregatione vel sessione, ubi jus patronatûs regium ventilari deberet, aliquomodo compareat, imò se omnino subtrahat, ita enim verba sunt genuina Regis, per quæ (Illustritatem Vestram informare jussit) authoritas ejus vacillare deberet, si in evidentißimo jure nostro, à tot antecessoribus practicato judicium aliquod pateretur. Conjiciat Illustritas V. ad quæ jam extrema invincibilis superbia Monachorum provocat Regem, sed majus timeo à Repub: periculum, gens enim hîc libera & multis præterea tam Hæreticis quàm Schismaticis constans, metuo ne quid audeat inconvenientiæ. DEus parcat iis, qui sinistrè statum Ecclesiasticum informant & sacras Congregationes; Alia enim est longè apud nos Monachorum vita, quàm ut illis tam placidè conniveatur: Non sine dolore scribo ut Episcopus & S. sedi devotißimus, imò imploro, quod in hæc tempora incidit supremum Regni mihi portare ministerium, ubi evidentem video à sæcularibus imminere Monachis natio-

A.C. 1699 *nationalibus ruinam & vix non internecionem. Per viscera ergo misericordiæ DEI rogo persuadeat Illustritas Vestra Eminentissimis Cardinalibus Regnorum Conservatoribus, ut velint prospicere tempori & circumstantiis rerum recurrentium. Non sunt ita considerabiles Monachi, ut propter illos fervente bello Turcico, totâ Christianitate in armis posita, antemurale Christianitatis Polonia conturbetur, & hoc judicio Illustritatis Vestræ Serenissimus cōmittit, vel dignetur vel amicabili admonitione Monachos & illorum agentes, vel si opus sit libello supplici, ubi de jure compescere, ne famosos libellos scribant, Regem maximum & omnibus Regibus parem, seu etiam eo ipso quòd illis inter se pugnantibus, ille solus cum duobus Colligatis contra Turcas pugnet, majorem Poloniam & Remp: perstringant, ne viros supremos, Præsules eximios jam diu sepultos ex terra eruant. Nonne Romanus fuit Maro & tamen scripsit, quid miserum Æneam laceras, jam parce sepultũ, nonne ibi sedes nostra est, ubi docetur, de mortuis aut nihil aut benè, per DEum vivum, ea ipsa impietas Monachorum, quæ esset punienda, ea sævior in mortuo toleratur, laudatur & defenditur. Si aliquid habent juris, si illud defendunt, ubi est modestia Religiosa? ubi reuerentia in Principes? ubi humilitas? Committit hæc omnia per me Serenissimus consummatissimæ Illustritatis Vestræ prudentiæ; ut ex hoc quid illi dictabit amor erga Regnum nostrum eruat; Ego verò pro parte mea rogans, ut mei veteris amici sui non obliviscatur, cujus ego semper recentem in corde porto memoriam & gratiam, maneoq;.*

COPIA LITERARUM SEREN: REGIS JOANNIS III. AD PATREM VOTA SOCIETATIS JESU IN NEGOTIO ABBATIARUM.

VEnerabilis &c. Ex literis Fid. Tuæ secundâ à reditu suo Neapoli postâ datis intelleximus, quòd tandem cum tædio expectatas nostras receperit, quas omni septimanâ exactè scribi curamus, ut sit planè informata, informareq; aulam, in qua nunc est, possit de ijs, quæ hic aguntur.

Punctum hoc, quod est sub incude de Abbatiis in commendatarios claustrales Abbates dividendis nunquam acceptâssemus, nisi à Fid. tua, quòd aliter fieri nequeat, certiores redditi fuissemus. Per quotidianam non sinè ingenti animi angore scimus experientiam, & ex antecedenti infallibilem formavimus consequentiam, quòd major quotidie per ambitionem, uti malum jam familiare, quod nunc non modò non vitatur, sed etiam colitur in Religiosis crescendi cupiditas, minor verecundia esset & decisio hæc non ita nobis prodesset, ut non lædere possit. Struerent enim continuò veterum institutorum, & pressioris disciplinæ totaliter obliti ex pravo jam usu quæsitis coloribus adumbratas prætensiones Monachi, quererentur, ubi queri non esset necessè ut læsi, ideo ut magis lædant, ac proinde dũ studemꝰ fugere fumũ, incideremus

mus in flãmã. Plurimæ erant, suntq; rationes, quæ nos senatumq; nostrũ A.C. 1699
movebant, ut projectũ hoc totaliter mutandũ petiissemus, supplicabundi Sanctitati Suæ, ut à conspectu tantæ ambitionis, quam nostra non sine ingenti scandalo videt ætas, nos regnumq; nostrum non tantùm curativâ, verùm etiam præservativâ liberet gratiâ. Sed cùm ultimum hunc gradum nec mutari valentes à Fid. tua proponi nobis crederemus, ventum quia directus non erat, captandum obliqvum, in suppositione eadem admittenda quædam mala minora, ut propellantur majora judicavimus. Cùm verò ex matura deliberatione perpensis omnibus, quæ bono Ecclesiæ proficua reperiantur, alia media quæ & conscientiæ emolumento & correctioni Religiosorum, honori nostro, utilitati Ecclesiæ, Regni decori magis consona sunt proponenda ea per Fid. tuam censemus. Nihil tam necessarium, quàm cognoscere, quid non sit necessarium. Abbates Claustrales *nihil profuturos Ecclesiæ, per constitutionem eorundem ambitioni tantùm quæ vetabitur semper, & semper retinebitur, locum luxui consueto, occasionem discordiarum notarum inter ambientes fomitem fore nullus dubitat. Cur ergo Præsides tantùm, qui regere meliùs sinè sumptu nimio, sinè luxu scandaloso poterunt sub* Commendatariis *ad regimen non declarandi: Hoc tantũ præcauto, ut ijdem de triennio in triennium in præsidentia* Commendatarij *vel ejus delegati Commissarij per libera Religiosorum vota, nec à Vicario Generali Religionis coacta, pretioq; plerumq; conquisita, meliores, sanctiores, & disciplinæ Religiosæ amantiores eligantur. Per quod revocaretur, qui nunc totaliter exulat, spiritus Ecclesiasticus, rediret fervor in colendo* DEO *ex integro dissipatus cessaret irradicata planè animis Religiosorum ambitio; scimus, videmusq; Sr. suam nullam actionem incipere, & perficere, quæ non ad immortalem cedat gloriam, non minor aliis hæc & fortè æterna foret, si ea, quæ malo magis exemplo, quàm concesso jure, memoriâ ipsius Sanctitatis Suæ, quam reverenter compellamus, per ambitionem quorundam post votum paupertatis solemni juramento firmatum, incepta & cum tanto jurium nostrorum & Regni præjudicio pertinaciter disputata in orbitam, ad perpetuam erubescendæ rei oblivionem & paterno suo in Ecclesiam Polonam zelo reduxerit. Quod ut Fid. tua ex innata sua quam mirari satis, laudareq; non possumus, activitate velociori in fine motu diligentissimè procuret, seriò requirimus. Declarantes omnino id nobis placere modò, placiturumq; semper, quod Fid. tua optimum pro re nostra, Regniq; nostri judicaverit. Id quippe nobis videtur habere rationem, quod habet justitiam.*

Dum miserabilem rerum nostrarum statum, in quo prævalent jam fata consilijs, exarare, uti est Fid. tuæ, ad referendum volumus, prorumpunt priùs lachrymæ antequam verba, post rupta, per summam malitiam (judex sit DEUS *& vindex)* Comitia, *quanquam res adversæ consilium adimant, initis Grodnæ rationibus, ne pereamus in finem in itinere Varsaviam infausta accepimus nova,*

 A.C. 1699

SUPPLEX LIBELLUS A CLERO POLONO AD MANUS EIUSDEM P. VOTA ROMÆ DEGENTIS MISSUS ET PONTIFICI MAXIMO INNOCENTIO XII. TRADITUS.

Beatiſsime Pater.

INnocenti Innocentum optime, & quotquot in excelſo habitavêre, Pontificum maxime. Qui ſedes ſuper militantis Eccleſiæ Cherubin & Seraphin. In cujus verbo, quod caro & ſangvis non revelavit, ſuſtinet anima noſtra. Qui commiſſum tibi divinitus gregem ſapientiâ paſcis, doctrinâ confirmas, exemplo regis, ac veteri diſciplinâ reformas. Qui eſurientes imples bonis, quos tibi paternus amor & filios, & fratres, & ſorores adoptat. Cujus denique natura bonitas, viſcera charitas.

Innocenti pauperum Pater ac conſolator optime pauperrimas Sarmatici orbis Eccleſias olim florentiſſimas ac pretioſiſſimas, quas æſtus bellorum ferè quinquagenalium decoloravit, Barbarorum feritas attrivit, hoſtium immunitas extenuavit, vorago prædonum abſorpſit, humillimè deprecantes audi, & dubio procul exaudies. Cum flentibus flebis, & cum infirmis ſaluberrimâ pietate infirmaberis, non ad interitum, ſed ad perennem in verbo virtutis tuæ ſalutem, ac divini nominis tuique gloriam immortalem.

Hæ ſunt Beatiſſime Pater Leopolienſis rubræ Ruſſiæ Metropolitana Eccleſia, atque Epiſcopatꝰ Livonienſis, Filtinenſis, Kijovienſis, Camenecenſis, Smolencenſis, Luceorienſis, Premislienſis, Chelmenſis omnes latinæ, Senatoriæ omnes, omnes ampliſſimæ, quamvis Provinciæ Regnis pares, ac fertiliſſimæ, ipsâ non tam bellorũ, quàm pacificationũ iniquitate, veriùs autem Moſchorũ ad ſacrũ fœdus adjectione (quæ Polonorũ eidem ſe immolantium pietas fuit) avulſæ ab illis non ita pridem fuerint.

Intende per DEũ aures ſacratiſſimas in tot Rachelum olim pulcherrimarũ voces, quæ in Roma flebiliter perſonant plorantium filios ſuos & nolentiũ conſolari, quia non ſunt. Illarum Paſtoribus cura incumbit vaſtiſſimas etiamnũ Diœceſes in hoſtium finibus ſitas perluſtrandi, Eccleſias à Turcis, Moſchis, Coſacis, Perduellibus, Schiſmaticis, Scythisq; rapacibꝰ incenſas, & dirutas, ac omni ſacrâ ſupellectili depilatas, reparandi, exornandi, captivos innumeros è Barbarorum mancipatu vendicandi, profugos, ac reduces ſinu charitatis exceptos, fovendi, enutriendi, Parochis denique famelicis, ſtrigoſis, ac macie miſerandâ tabentibus panem pro tenuitate frangendi, ſed unde panes ement B. Pater, pauperes hujuſmodi Eccleſiæ, pannoſique Præſules reditibus, ac omni prorſus dote ſponſarum, quæ pro dote calamitates numerant, emuncti, ſi modicum illud ſubſidij, quod Sanct: V. Regisq; noſtri Clementia, ut ſibi ac fameſcentibus populis eſcam qualemcunque apponant, novo Romano Decreto dimidiabitur, reſiduumque dimidium ferè minus nihilo, illis ſolummodo relinquetur.

Quippe non aulicis otioſis, ut fama mendax oblatrat, & auribus incautis imponit, ſed Eccleſiarum hujuſmodi deſignatis paſtoribus cautum eſt unico Abbatiarum cōmendatariarum fulcro ſummorum Pontificum, Regumq; prorſus neceſſaria Provindentia, ne ſub onere fatiſcant, ponduſque graviſſimum nimis imparibus humeris excutiant.

Hæ porrò Abbatiæ præter quartam partem, quam juxta Sacros Canones Monaſterijs pendunt, ad fabricæ ſumptus, & alios uſus jam orbatæ ſunt notabili portione redituum commendatariæ menſæ, quam im-

A.C.1699 portuna petacitas, ac inexpleta voracitas prorsus intolerabili vexatione subinde ab Abbatibus extorsit, mensæque claustrali adjunxit, sine Pontificum, Regumq; scitu, atque consensu, quam proinde Commendatariis mensis restitui fas est, si novum aliquod illis onus imponatur.

At verò Sanct. V. ac sapientissimorum Cardinalium Præsulumque, quibus rem Abbatialem committi placuit, notitiâ dignum est, tres in nostra Polonia dari Monasteriorum mensas. Prima est Monachorum in communi triclinio victitantium, altera præpositorum sive Priorum, quibus immediatum regimen incumbit. Tertia Abbatum seu Commendatariorum, seu titularium, qui à Regibus præsentantur, aut nominantur.

Prima & secunda lautæ sunt, ac pingves, ac proprio plerumque regurgitantis adipis pondere laborantes, ita ut Priorales, ne dum Monachales mensæ ipsas Abbatiales vel superent, vel saltem exæquent. Inter quas Tinicenses Monachi septendecim numero, quadraginta pagos, & oppida sex, septenáve possident. Cum tamen in Gallia, Italia, aliisq; Regionibus duæ solæ sint mensæ, nempe Monachalis, & Abbatialis. Illa satis frugalis, quâ Monachi, hæc longè lautior, quâ Abbates sensim utuntur.

Sapientissimè divinoque consilio visum est summis Pontificibus jam à sæculo Abbatias plurimas, quæ in titulum conferebantur à Regibus in Polonia in Commendas pro arbitratu convertere ad Regia postulata, ut Episcopis tenuioribus Ecclesiæ operam navantibus opportunè subveniretur illæsâ Monachorum Priorumq; seu præpositorum mensâ, sed superflua luxuique obnoxia titularium esca ad necessarios Ecclesiæ usus, ac animarum regimen sanctissimè applicata. Ecclesiarum verò hujusmodi tenuiorum Episcopi Beatissime Pater integris hactenus Comendarum reditibus pacificè ad hæc usq; tempora potiti sunt, sciente, volente, jubente sanctâ Sede, ut testantur Romanæ Datariæ Codices, exceptâ quartâ, ut supra innuimus, parte fabricæ ac aliis Monasterij usibus attributa, & portionibus Monachorum importunitate ereptis. Quodsi necdum ita attritis Ecclesiis, ac Episcoporum in deterius versis reditibus hactenus contigit, multò major ijsdem affulget spes, & rationabilior non minorandam Sanct. V. decreto annonam, sive statutum illud farinæ modicũ ac lecythum olei, quod afflictissimis Ecclesiis superest, recenti hoc atrocissimo bello, sanctæ Sedis hortatu impulsuq; piè suscepto, ne scilicet post tot illata novissimè à Turcis & Tartaris damna, fœdamque agrorum vastitatem residuum locustæ comedat Bruchus, pereant: quæ per medium sectione Commendatariæ Abbatiæ, ut dilatentur phylacteria claustralium, qui Episcopis & S. Regni proceribus alligare onera importabilia contendunt. Absit Beatissime Pater, ut obtentæ augendæ claustralis offeram satis, imò plus justo inflatæ, novâ hac scissione ruat mensa commendataria illudque priscum dividatur, ac illud nec mihi, nec tibi iniquissimum renovetur.

Profectò nec solùm susq; deq; verterentur mensæ Commendatariæ, sed interirent & ipsæ Ecclesiæ Episcopales, quæ ubera comendarum non ut olim distenta, sed livida & penè exsiccata, sugunt, ac sangvinem pro lacte exprimunt, si post recentis belli enormia damna, præter quartam partem fabricæ assignatam, & subsidia militaria, insuper avelleretur alia quarta pars, ut accresceret claustralis, hoc est, ut habenti detur, & non habenti, sive Episcopali Ecclesiæ id, quod vix habet, modicissimum tollatur ab ea.

Satius fortasse videbitur divino Sanct. V. judicio, ad hoc, ut qui manducat, non manducantem non contemnat, efficere ut mensæ Monachales ac Priorales hactenus pernicioso abusu divisæ, in unam coalescant, tunc enim justo pingvior oleret culina claustrorum, quæ cæteroqui in Po-

lonia

lonia nostra præ aliis omnibus gentibus sapidissimè fumat. Tunc sanè liceret Monachis uno spiritu, uno instituto famulantibus Deo, cui servire, regnare est, atque unâ eâdemque mensâ dulces simul comedentibus panes exclamare; ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum, juxta mentem Sanctissimorum Patriarcharum, Regumq; ac Procerum fundatorum, tunc auctum ad satietatem obsonium superfiueret sicut ungventum, quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Tunc reviviscéret heu nimis pallens, & ferè emortua regularis disciplina. Videret superior in circuitu mensæ filios, & fratres sicut novellas novellarum, una foret omnibus timentibus Deum lætitia, una lautitia, una sobrietas, unum jejunii meritum, nec esurientibus, arentibusque aliis inter aliorum comessationes, compotationesque privatas scandala grassarentur, ingenti non Acatholicorum modò, & pusillorum, sed piorum ac sapientum, sæcularium scandalo atque dolore.

Tunc Beatissime Pater redigeretur ad ordinem summo Monasteriorum commodo, ac ædificatione fastus claustralium superiorum, qui ut nuperrimæ afferebant, & Religiosissimæ Sacræ Maiestatis Regiæ ad pedes Sanctitatis V. expostulationes, sexijugis rhedis, auro nitentibus per forta, & compita luxuriantur, qui armatorum corporis custodum, superbo satellitio, equorumque phaleratorum pompa turgent, exclamante amarissimè mellifluo; non jam in hæc verba dicite claustrales, in frœno quid facit aurum? qui denique canum venaticorum circumfusi gregibus, uno verbo; qui exquisita epularum Bacchique Hungarici copiâ, luxu, ac conviviantium flexu cum sæculi Principibus parum laudabili pejorum charismatum æmulatione, summa verò totius regni indignatione, contendere non erubescunt.

Ex his optimè novit Sanctitas Vestra, in cuius sceptri apice divinus excubat oculus, an expediat claustralibus mensis addere fercula, & buccellam egentibus Episcopis Ecclesiisque subtrahere, quàm summi Pontifices hactenus appoluere, juxta illud: dispersit, dedit pauperibus. Sine illa steterunt hactenus, stantque vegetis viribus impingvata claustralium corpora, claustraque plena ipsis, quæ religioso, felicique otio dum sibi vivunt, Deo duntaxat, arant, & occant? sine hac neque stetêre, neque stare imposterum poterunt Episcopi Parochique exsangves, qui animarum saluti, & fidei propagationi Sacramentis ac verbi divini prædicatione pastoralem operam navant.

Hoc citra dubium est Beatissime Pater, quòd si novo decreto mutilabuntur Abbatiales mensæ, jam sacris ministeriis inepti evadent, prorsus inopes Episcopi. Proinde vel Ecclesiæ sponsis orbatæ jacebunt recusantibus, sine dote connubia dignioribus, sed tenuis fortunæ procis, quorum oneri ferendo impares sese agnoscent, vel Ecclesiis præfici Episcopos necessum erit, non quos doctrina, integritas, sapientia, sobrietas, exemplaritas, pietasq; commendant, sed quos ambitus, opes, aulicusq; favor obtrudent.

Sed hoc præterea perpendendum occurrit, nempe Episcopos in nostra Polonia curules senatorias, prærogativâ singulari, ac in reliquis Regnis invidendâ, occupare, & Monarchiæ ad clavum sedenti tanquam natos datos ministratorios spiritus in Sanctiori consilio in senatu, in comitiis suo jure adesse. Hinc summum Sacræ Hierarchiæ decus, ac fulgor, summa sanctæ Sedis authoritas, ac Ecclesiasticæ jurisdictionis summa securitas. Tot enim clypeos à Sancta Sede, & pro Sancta Sede pendentes ostentat Polona pietas, quot Præsules Senatorios Capitolio juratos, quibus potissimum pro ratione status Religio est, qui sese muros æneos, pro Ecclesia Dei opponunt, devotæ pro Catholica fide morti animæ, mitrataque simul & trabea-

A.C. 1699 trabeata capita, ac purpurati pro Eccleſiaſtico jure Athletæ fortiſſimè luctari parati pro Sanctitate Veſtra quantumvis ſub religioſiſſimo Rege, & in regno nulli terrarum pietate ſecundo, nil tale contingere poſſit. Votum igitur è re Vaticana ſit, atque divina, ſacros hoſce Heroes enervare, vitalesq; ex eorundem venis ſpiritus emungere, ſine quibus neque ſtare, neq; in agone ac arena ſenatûs ſeſe ſiſtere valeant, ut clauſtralium viribus jam per ſe validis incrementum illorum decremento addatur, facilè quiſque conjiciet.

Accedit Beatiſſime Pater, quòd & ipſis Monachis longè optabiliſſimum eſt, vigere in Senatu, atque Comitiis Eccleſiaſticis Senatores, ad quos confugiunt, ut quotidiana docent experimenta, ad ſarta tecta tuenda, Monaſteriorum bona ſat ampla, illorum pagos, & oppida, juraque Eccleſiarum ſæpe ſæpiùs impetita. licet enim ſanctiſſimis Reipublicæ legibus, & Regum optimorum inconcuſsâ Religione illis abunde conſultum fuerit, attamen ſummum in Epiſcopis Senatoriis ad illorum tutelam ineſſe momentum inficiabitur nemo.

Nec verò ſolis pauperibus Epiſcopis Senatoriis vires ſuppeditant ad gerendas Eccleſias atque Rempub: Abbatiales Commendæ ſed etiam aliis Præſulibus ad præcipua munia tum Coronæ Poloniæ, tum Magni D. Litvaniæ obeunda. Hoc enim ſpeciale inſuper habet, ac ſingulare generoſa nobilitas Sarmatica, ut Regni dignitates primarias ex æquo cum Eccleſiaſticis dividat, ne ſcilicet quid habeat in imperio, ſacerdotium quod deſideret, aut quid imperium, quod invideat in Sacerdotio.

Sic unum, idemque Prælatorum ac ſæculo operam dantium jus eſt, ad ſupremi Cancel. Præcancellarii, Regentis Coronæ, ac Litv. Referen. ſupremique Secretarii dignitates, ſeu iiſdem eſt exercitium idem. In ipſa pariter aula tum Sacræ Regiæ Majeſtatis, tum Seren: Reginæ, ac regiorum Principum non ſolùm ſacris, ſed & politicis muneribus vacant Eccleſiaſtici, poſitique in illis tyrocinio abunde probati, ad ſublimiora poſtmodum evehuntur. Et ne quid fulgoris Sacro Ordini deſit in ampliſſimo regno; ipſa etiam ſuprema tribunalia judiciaque Sacerdotes Præſides ſibi præficiunt, quibus Aſtreæ Polonæ bilances, & gladium fidentiſſimè credunt. Adeò inter tot Præſulum trabeas, purpuras, faſces aliquot Dominatûs inſignia in ſola Polonia, Roma duplici jure leges dare, ac imperare dupliciter videatur.

Hi porrò præſules Beatiſſime Pater pars non poſtrema Sanctitatis Veſtræ, imperii quod DEus eidem ſinè fine dedit, non aliis ſtipendiis Vaticano militant, quàm reliquis Abbatiis tenuioribus, quas ut Rex Romanam liberet pro vadimonio fidem, iiſdem clementiſſimè elargitur. Harum verò modicos reditus jam tot & tantis oneribus obnoxios, transferre, vel ex parte ad clauſtrales, ſicut omnino novum foret, ac inauditum, ita perinde eſſet, ac dignitates has omnes Eccleſiaſtiao politicas quas hactenus Regum ac Reipub: pietas illibatas, & integras voluit, ſummo Sanctæ Sedis detrimento abolere, eaque propter ad pedes Sanctitatis V. provolutæ omnes cum univerſo Clero Polonico, ac Senatoria & equeſtri Nobilitate, quorum omnium res agitur, tantùm à ſeſe, & ab ipſa Sancta Sede clementer averti infortunium, impenſiſſimis votis reverendiſſimè flagitant.

Nunc verò titularium Abbatiarum in Commendas erectio, quam cæleſti afflante ſpiritu nuper decrevit Sanctitas Veſtra, eâ conditione ut Clauſtrales Abbates, ſive ſuperiores, ut eorumque à Monachis electio in libertatem vindicentur, gravis fortè Monaſteriis videatur, & Regibus nimis

favorabilis, ut jactitant, sanctæ Sedi irreverentes pauculi turbatores contra saniorem communioremque claustralium probatissimæ virtutis sensum, dignetur summa Sanctitatis Vestræ æquitas rem exactissimâ suâ dextra librare, ut inde veritas sapientissimo suo judicio omnibus elucescat, noverintq; omnes perperam exigi à Claustralibus mensæ commendatariæ impendio atq; ruinâ læsionis præsumptæ compensationem. Quid igitur Monachis hac novarum Commendarum erectione, detrahatur, quid addatur, jubeat requirere? A.C. 1699.

Inprimis non est nova hæc Commendarum erectio. Hanc potiùs firmat sapientissimo suo decreto, quam instituit Sanctitas Vestra, quandoquidem à sæculo, ut dictum est, collatæ sunt hucusq; à summis Pontificibus, Rege pro tempore postulante, Abbatiæ ferè omnes Episcopis atq; Prælatis in Commendam, ut infallibili Romanæ datariæ, ac plùs quàm authentico testimonio nuper Sanctitate Vestra jubente comprobatum est.

Nihil ergo est, quòd tantopere clamitent, & quidem minùs reverenter Claustralium fautores contra Sanctitatis Vestræ decretum, cum sit Prædecessorum sanctissimorum exemplo à novitatis umbra vendicatum, justissimisq; ad universalis Ecclesiæ bonum rationibus fulciatur, nisi fortè in quantum ad omnes Abbatias nullâ exceptâ extenditur.

Sed pro pauculis illis Abbatijs in titulum præsentari, ac concedi solitis, quarum vix una aut altera assignari poterit, quæ aliquando in Commendam concessa non fuerit, ut loquuntur datariæ codices, quæ pauculæ Abbatiæ vi novi decreti transibant in Commendam, videre est, quid emolumenti vicissim acquirant Monachi Paternâ Sanctitatis Vestræ Regisq; clementissimi indulgentiâ.

Nempe in favorem Monachorum spoliantur omnes omnino Commendatarij jure, quo hactenus potiti, ac usi sunt, creandi, seu nominandi, ac pro libitu removendi; subalternos sibi Priores, seu Præpositos Monasteriorum aliosq; officijs domesticis Præfectos, illudq; jus transfertur in Monachos, qui liberè sibi suos immediatè claustrales Abbates seu Superiores eligent, sine ulla vel Regis vel Commendatarij præsentatione, suffragioq; servatis tamen servandis, hoc est ut defuncto claustrali Abbate, intimetur, ut par est, à Commendatario Capitulum, illiq; rite præsideat illæsa integra Monachorum eligendi libertate, ac petito decenter post electionem, & ante institutionem ac possessionem, Regiæ Majestatis per Neo electum assensu, unde constat, quòd pro pauculis titularibus Abbatijs, quæ in Commendam vertuntur, omnes Commendatarij Abbates privantur jure tam æstimabili, quo fruebantur, omniaq; monasteria in libertatem eligendi suos claustrales superiores vendicantur. Quod lucrum quanti ponderis sit cuivis attentè perpendenti perspicuum est.

Hinc etiam aboletur Beatissime Pater vetus consvetudo, quâ Reges gaudebant, prisco jure, ac Sacræ Tridentinæ Synodi approbatione sæculares etiam personas præsentandi ad titulum mox habitum assumpturas, & posito tyrocinio professionem emissuras; adeoque Monachis accrescit decus & prærogativa, ut non nisi ex ipso gremio Monasteriorum illis præficiantur in posterum Superiores immediati, ijsque libera illorum electione, & quidem probatioris in claustro virtutis, ac ad regimen immediatum aptioris, exclusis in perpetuum extraneis, sæculum sapientibus, quos Patres antequam fratres agnoscere ad Regium libitum tenebantur, ipsâ Tridentinâ Synodo id approbante. Id etiam commodi & fructus auro æstimabilioris accrescit Monachis, quòd Commendatarij seu sæculares Abbates, tum Oecumenico juri bonorum Monasterij, tum mores & disciplinam regularẽ concernen-

A. C. 1699 cernenti ſeſe inpoſterum non immiſcebunt, ſolâ contenti prærogativâ, ac jurisdictione, quæ juxta ſacros Canones cæteris Commendatarijs Abbatibus de jure competit ſolaque commendatoriâ menſâ ijsdem antiquâ diviſione aſſignatâ gaudebunt, unde inter ſæculares iſtos regendis Eccleſijs ac Reip. addictos Prælatos, & regulares illos Deo, ſibi, Monaſterijsq; vacantes chaos magnum in poſterum intercedet.

Ex quibus conficitur gratam jure merito eſſe debere diſciplinæ ſcholaſticæ zelotypis, & bonis novam hanc tanto Religionis fœnore aliquot titularium in Commendatarias Abbatias converſionem, atque ideo mirum videri, quòd à Monaſterijs compenſatio aliqua exigatur, quaſi ex læſione, cùm potius illis plurimum accedat emolumenti, à Rege verò nominandis Abbatibus plurimum decedat auctoritatis, unde his potius compenſatio deberetur.

Sane agnoſcit Beatiſſime Pater Rex noſter Clementiſſimus beneficium ingens paternæ Sanct. Veſtræ manu acceptum, quod diuturno vexatum maleficio animum ſacro fœderi intentum tandem aliquando liberet, ut irrequietæ improbitatis laqueum clementiſſimè conterat, poſt tot ſumptuoſiſſimas Principum Radziwil, Cardinalis Radziejowski Epiſcopi Præmislienſis Referendarij Regni expeditiones, noviſſimè verò Religioſi viri Theologi regni, ac fidelis cordis ſui interpretis ſanctæque Sedi addictiſſimi, & rerum Polonicarum apprimè periti.

Sed & agnoſcere debent Monachi Regis manſvetiſſimi, Religioſiſſimi clementiam, quæ ut Sanct. V. filiali ſemper cultu obſequatur neglectis jurium apicibus, quibus reliqui Reges ac gentes inſiſtunt, Monaſterijs omnibus liberam ſuperiorum immediatorum electionem, quæ hactenus ab Abbatibus à ſua Majeſtate nominatis dependebat, cum plena diſciplinæ Religioſæ ac independenti cura indulget; inſuperq; condonat magnanimâ pietate, quidquid illaudabili auſu, ultra limites juſtæ defenſionis, quam Rex juſtiſſimus ultro concedit contra intaminatos, quibus fulget, honores tentatum eſt in Curia Romana ab ijs, per quos ſcandalum venit, qui os poſuerunt in cœlum, eoque devenerunt, ut tangerent Chriſtum Domini, illumque calumnijs onerarent, quaſi chimericum jus patronatûs ſibi violenter vendicaret, poſſeſſionemque nullam præſentandi ac nominandi haberet, cùm tamen evidentiſſimis rationibus tum fundationis, tum dotationis Monaſteriorum omnium claro & ineluctabili Codicum authenticorum teſtimonio nitantur patronatus Regij jura à majoribus ad ipſum transmiſſa, poſſeſſionem verò, ſingulas ac omnes Abbatias nominandi aut præſentandi datariæ Romanæ Regeſtra, ac Pontificum ſummorum ſerie, annulique piſcatorij teſſera, coram ſapientiſſimis Eccleſiæ Romanæ purpuratis ac prælatis in Europæ univerſæ theatro probant.

Condonat inquam Rex æquè magnanimus, & mitis in ſubditos, ac in Dei hoſtes ferox, Rex generoſe pius, ſe ſeque major & ſuper omnem injuriam ſitus quidquid hactenus contra Majeſtatem æquè ac veritatem peccatum ab illis eſt, modò tamen reſipiſcant, nec malint in lachrymis metere diſcordias, quam tamdiu ſine pretio ac ſordidâ mercede in ſacro ſancto hoc Romano agro impune ferebant.

Verùm non ita facilem à Sanct. V. ſacra themide merebitur, ut opinamur, veniam, inimicus ille qui non ſolùm Regis ſui Patriæque oblitus, ſed debitæ Sanct. V. reverentiæ, poſt diu ſeminata zizania, quæ jam novi decreti ſarculo eradicantur, auſus eſt ad ejuſdem farinæ homines conſortes conſiliorum ac complices, quos habet in noſtra Polonia non paucos, nimis audaci calamo ſcribere, re etiam per compita, officinasq; Romanas, ut intelleximus, ore vel ſuo, vel ſuorum jactitare ſapientiſſimū Sanct. V. projectum Regi per Illuſt. Nuntium ſignificatum de erigendis in Commendam

mendam Abbatiis, & de jure Patronatûs Regio servando, nullum prorsus A.C. 1699 effectum sortiturum, utpote nimis gratiosum Regi, ac (horret animus) prorsus injustum.

DEus immortalis! Itanè impunè abutitur clementiâ S. Vræ Regisq; quos ejurâsse videtur privatus homuncio? agnoscit iterum clementiam, gratiamq; S. Vræ manu acceptam Seren: Rex noster; sed quid injusti criminatur, quid blaterat ille in commendas, quæ jam ab aliis Pontificibus longâ annorum serie in Polonia institutæ sapienter ac justissimè sunt ad pauperum Episcoporum, Præsulumq; levamen? quasi verò in Gallia, Italia, aliisq; eâdem, ac fortè minori de causa avulsæ Summorum Pontificũ authoritate, quorum est sacra bona ovibus comissis Pastoris æterni exemplo, ac jure Vicario distribuere, non fuerint à Regularibus Abbatiæ sæcularibusq; Prælatis addictæ.

Gratiosissimam agnoscit S. Mtas dexteræ paternæ beneficentiam intuendo ejusdem jura patronatûs, sed illud servavêre Prædecessores Vestræ Sanct. Pontifices Regi Michaëli, Joanni Casimiro, Vladislao, Sigismundis I. II. III., Stephano, aliisq;. Quid ergo injusti patrat Romana Sedes? si illud idem servat Joanni servatori Christianitatis? servavit Dataria vetus, atq; moderna, ut testantur ejusdem innegabiles Codices, sæpe allegati, quibus constat Regibus antiquis, atq; moderno nominantibus, cum mentione juris patronatûs collatas fuisse Abbatias omnes Polonicas. Quid ergo iniqui comminisci potest, in hoc facto, iniquitas nisi mentiatur & sibi? servavit Concil. Trid. solâ in Imperatore, Regibus supremisq; Principibus possessione contentum; quid ergo sacrilegè improbare audebit in S. Vræ decreta vel ipsa improbitas?

Gratiam etiam agnoscunt S. Vræ Ecclesiæ omnes Polonicæ depauperatæ atq; langventes, sed justam, ac juxta sapientiæ normam, non iniquam Monachis, nec cæcâ manu collatam. In illa siquidem misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt. Concessit quippe Roma, quod habebant Ecclesiæ inopes Polonæ, & quod Rex jure ac consuetudine avitâ majorum, dare illis poterat, & dabat, at Rex in obsequium Romæ de novo dedit Monachis liberam electionem superiorum, quam non habebant.

Justus ergo es Sanct. Pater simul & misericors, & rectum judicium tuum, pauperibus dedisti, & justitia tua manebit in sæculum; pietas & prudentia tua supergressa est universas ætates. Viderunt eam filiæ Sion, hoc est Ecclesiæ tuæ Polonicæ, & laudaverunt eam, sed & laudabunt eã, & benedicent nomini S. tuo Poloni Proceres ad infulas destinati, laudabunt comitia ad jura coronæ tuenda vel ipso sangvine, ut profitentur unanimi consensu jurata. Laudabit Eminen: Archiepiscopus Regni, cum Episcopis omnibus fraternâ charitate, quâ in prædictarum Ecclesiarũ inopiâ langventium Episcopos, ac alios Regni Præsules, filialique obsequio erga S. Sedem feruntur; laudabunt ipsissimi Monachi, quotquot liberæ electionis, ac disciplinæ Religiosæ, quæ hoc decreto sancitur, studiosi sunt. Nec minus laudabunt cæteræ gentes, Reges, & Regna suspicionem exuentia jacturæ juris patronatuum suorum audito S. V. benigno, gratioso, justoq; erga Regnum, gentemq; Polonam, Regemq; optimum in optimum in suo jure ac possessione manutenendum consilio.

Laudabunt S. Vræ institutum, imò pleno jam ore laudaverunt concinentibus reliquis Europæ Doctoribus ipsi juris utriusq; periti Romani, primæ notæ, qui perpensâ ex datariæ codicibus, Regum possessione, immemorabili ad omnes, & singulas sui Regni Abbatias, nominandi, libratisque ex Classicorum, antiquorumque integræ fidei histori-

 corum

A.C.1699 corum, qui Romæ extant, testimoniis fundationum ac erectionum cujuslibet Abbatiæ Polonicæ. Consideratis etiam tot summorum Pontificum placitis, qui serie continuatâ, nec interruptâ usque ad motam novissimè ab uno duntaxat, deinde ab omnibus seu dato classico Monasteriis controversiam, nomen sanctissimum dedêre, sacrumque annulum apposuêre præsentationibus seu nominationibus regiis, etiam gloriosè regnantis JOANNIS III. satis mirari non possunt potuisse flabellum discordiarum tamdiu, & tam impunè Regiam patientiam lacessere, ausosque fuisse tam apertè sacræ Rotæ, imò sacræ Congregationi Consistoriali insidiari Monachorum Procuratores contra Regem, illumq; inauditum, & contra coronæ jura figmentis & falsis allegationibus, ut liquidò constat in responso luculento, contra impressum typis Romanis codicem Monachorum, exhibito.

Laudaverunt inquam jurisperiti Romani Divini honoris, gloriæque Pontificiæ studiosissimi, quæ in suo cuique reddendo, servandoq; consistit, clareq; sunt fassi tales esse rationes Regias, ac ita evidentem Regis possessionem, ut ipsi etiam nobili, aut civi, ac subdito privato, ad evincendum ab æquitate Sanctitatis Suæ jus patronatûs sufficerent, velleque in perspicua veritate rationes aliquas quærere, idem esse, ut ait Tertullianus, ac velle nescire.

Frigidas verò ac futiles potissimum illas esse Monachorum responsiones, & vera effugia quibus unicè nituntur, ajuntque synodos olim supplicâsse Regibus pro libera Electione, Reges eandem suis diplomatibus indulsisse. Possessionem Regum esse, ac fuisse, cum resistentia juris, Monachos huic possessioni reclamare, bona Monachis fundatorum pietate collata, ad exteros ac sæculares transferre nequire, vel Principum, aliorumq; præsentationi subjacere, Bullis deniq; Pontificiis pro collatione Abbatiarum ad nominationes Regum appositum fuisse, ut asseritur, ad mentionem juris patronatûs, atq; venditionem expressam, impositam fuisse Executoribus Bullarum, ut illis constet de jure patronatûs. Quæ jacula Beatissime Pater, sicut sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ illorum, ita facillimè in ipsos contorquentes, retorquentur.

Nam si Synodi Regibus supplicaverunt olim pro libertate electionis, ergo fatentur Synodi non fuisse liberum Monachis jus eligendi, deinde supplicatio illa nihil juris Monachis acquirere potuit, vel addere. Præterea & tunc nullum effectum habuit illa supplicatio & nunc omninò oppositi sunt sensus Episcoporum omnium præsertim pauperum, qui & supplicant Sanctitati Vestræ, ut relinquat Mti Regiæ illæsum jus nominandi, & illis Commendarum seu mensarum Abbatialium annonã minimè dimidiatam velit, quâ victitant Episcopales reditibus suis spoliatæ Ecclesiæ, ac coronæ, ac S. Sedi famulantes Prælati, sintque quartâ parte contenti Monachi, fabricæ aliisque Monasterii usibus juxta Canones applicata.

Reges verò non aliam libertatem eligendi Monachis indulserunt, quàm quæ juribus præsentandi congruebat. Hoc est præsentatum à Regibus eligendi si nõ idoneus esset. Sanè ipsos Reges, qui libertates ac privilegia Monachorum, ut moris est, ipsissimos inquam Reges, ac regnantem gloriosè JOANNEM III. suum jus præsentandi à capitulo eligendos constantissimè exercuisse. Unde evidenter conficitur, Reges non indulsisse libertatem Monachis eligendi præsentatos à Regibus si idonei, vel non idonei forent, quod perpetuâ, ac invariabili praxi servatum est.

Præterea possessio Regia non fuit cum resistentia juris, quandoquidem

dem summorum ac sanctissimorum Pontificum bullis Regiæ nominationes firmatæ sunt, ut patet ex datariæ codicibus. Asserere autem plurimos Pontifices ac inter illos Beatum Pium V. contra juris & æqui resistentiam, nominationes Regias piscatorio annulo comprobâsse, ac sapientissimos Datarios, ac Subdatarios juris Monachalis oppositiones per sæculum ignorâsse, nimis absurdum est, præterquam quòd jus meritò præsumitur in favorem Regum potiùs, quàm Monachorum in Polonia, illudq; longè anterius jure Monachali, cum fateantur ipsi Monachi bona omnia Monachalia ex Regalibus ac Reip. bonis Regum fundatione, aut consensu decerpta fuisse, adeoq; eorundem juribus obnoxia esse. Sed quantumvis jus aliquod præsumerent Monachi, contra jus Regum, à quibus bona acceperunt, servato tamen semper Regibus patronatu, ut praxis docuit; illud sanè Monachorum jus, superiori Pontificum juri absolutissimo cedit, quo Abbatiæ in Commendam erigi possunt, ac passim erectæ sunt. *A.C.* 1699

Nec sufficit Monachos reclamare nunc nominationibus seu præsentationibus Regiis, nam àërem verberant contra antiquum Regum ac fundatorum jus, tam diuturnâ possessione firmatum ingratè tam liberalissimos Benefactores, à quibus seu quorum consensu Regalia bona seu coronæ obnoxia habuerunt, clamitando; deinde cur sæculo integro tacuerunt, abstinueruntq; à reclamando, nisi quia verecundo silentio Regum jura sunt fassi. Præterea quid illis bonorum adimit Regium patronatûs jus, quo neq; illis stipula minuitur; deniq; ut quid contra stimulum calcitrant, reclamando contra Pontifices supremos, ac datariæ praxim, Nominationes Regias bullis Romanis firmantis, sanctæque sedis authoritatem Abbatias justa de causa in Commendam erigentis pro pauperibus Ecclesiis, Monachalis electionis inductâ libertate, restitutâ disciplinâ Religiosâ, mensâq; sat pingvi, claustralium omnino illæsâ, ac solùm superfluis titularibus mensis, non ad quoscunq; exteros, sed ad Episcopos ac Prælatos Ecclesiæ DEi, ac animarum saluti, Regumq; ac Reip: ministerijs incumbentes, sacrâ escâ sustentandos, ut par est,

Minùs deniq; obstat ac officit adjectio illa verborum, ut asseritur in Bullis Pontificijs ad juris patronatûs regij mentionem. Nam illa verba nihil addunt vel minuunt juri patronatûs. Præterea illa verba non omnibus Bullis adjecta sunt, sed aliquibus tantùm. Postremò illa verborum adjectio facta est recenter ad arbitrium Datariæ seu Cancellariæ, præter usum & praxim antiquam. Neque debet aut potest juri antiquo tertij, cujus consensu aut scitu non sunt adjecta, præjudicium ullum inferre. Quòdsi nullum præjudicium inferunt, adjiciantur, si placet Datariæ, ac Cancellariæ, modò nominatis regiis cum mentione solita juris patronatûs Regij, conferantur solitâ Sanctissimi benignitate Abbatiæ, ùt hactenus factum est. Quod autem dicitur de conditione apposita Bullis Pontificiis, aut Executoribus, si constet de jure patronatûs, mirificè favet juri Regis, illudq; confirmat. Nam illis Executoribus abunde constitit de regio jure, quandoquidem Bullas Pontificias executioni mandârunt Nuntij Apostolici, & alij, quibus fuerat executio hactenus demandata.

Restat Beatissime Pater, ut opus manuum tuarum, quod de sursum fuit, aspirante Paracleto perfectum sit, tuo ejusdem innocentissimo Nomine datâq; tandem Polonis obsequentissimis dexterâ, concordiam post tot dissidia revehas comitiis pro bello sancto desudantibus in extremorum cardine, discrimineq; constitutis ansam ab instituto sanctissimo recedendi

A.C.1699 amoveas, sive jura patronatûs Regia, pro quibus extrema omnia experturos sese jurârunt unanimes Palatinatus, sarta tecta pro suprema tua clementia, ac æquitate, perquam efficaciter tuearis.

Id spectat Respub. Ottomannico hoc bello, quod pro Christi fide & Sancta Sede, constantissimè totius regni excidio gerit, id sibi pollicetur Rex invictissim⁹ quinquagenalib⁹ in Martis arena triumphali laboribus, atque victoriis inclytus, profusis hæreditarijs pro sacro fœdere thesauris, & DEo immolatis fratribus germanis, avunculis, avóque barbarorum frameâ obtruncatis. Id spondet Breve illud Apostolicum, quo nuper exquisitis paternæ teneritudinis significationibus præcisè fidem Pontificiam Regi, & filio optimè merito obligavit Sanctitas sua, plenè in re Abbatiali satisfactum iri desiderijs Regis optimè meriti.

Quod autem satisfaciendi genus hoc esset, Beatissime Pater, si præter Sanctitatis Vestræ mentem mutilarentur ad extremam deformitatem Abbatiæ, specieque juris patronatûs servandi, ac commendas erigendi solum ferè nomen Patroni, jure deformiter mutilato, relinqueretur Regi, & nudum ac pene jejunum nomen Comendatariorum, Commendis extenuatis relinqueretur pauperibus Episcopis, atque Prælatis, ab illo nominatis. Cum tamen è converso Rex liberam Monachis in obsequium S. V. electionem claustralium, & Abbates Commedatarii Regimen claustralibus Abbatibus Monasteriorum sincerè relinquant, ita ut longè optabilius Regi & Abbatibus foret, si res æquis lancibus librentur, antiqua nominandi in titulum, & in Commendam possessione frui.

In verbo Sanct. Vestræ, quod non præteribit, licet cœlum & terra transirent, fidit magnanimus Rex, in illo laxavit rete, scivit, cui credidit, nefas arbitratus dubitare de solamine, ac satisfactione, quam Breve nuperum disertissimè pollicebatur.

Id ipsa spondebant vivæ vocis oracula, à Sanctitate Vestra sæpissimè prolata, ac confirmata, nempe omnino velle Sanct. Vestram, ut non minor ratio habeatur in juribus Patronatûs Regis optimè de Ecclesia meriti Joannis III, quàm habita fuerit Joannis Casimiri, quo regnante Nuncij Apostolici munus gloriosissimè gerebat S. V. modò id authenticis datariæ Romanæ testimoniis probaretur. Quod abunde per Illust. Dominũ Subdatarium probatum est, ante aliquot menses jussu Sanctitatis Vestræ, ut intelleximus collatis fidelissimè cum codicibus datariæ nominationibus ab eodem Rege Casimiro factis, imò etiam à Vladislao, & aliis Regibus ad omnes Abbatias regni cum mentione juris patronatûs, & quidem effectu secuto præcipuè verò ad Præmetensem, Cervinensem, Mogilnensem, de quibus nunc agitur. Clarè etiam constitit ex authenticis testimoniis Monasterij S. Crucis continuatâ serie nunquam intermissâ, quingentorum annorum à Regibus semper fuisse collatam.

Hac infallibili fide nixus optimus Rex Palatinatus omnes in certam spem rei ex voto Reipub: componendæ erexit. Hac spe fretus Nuncios terrestres ad generalia comitia missos cum asperioribus mandatis placavit, atque prohibuit, ne primo comitiorum exordio rem Abbatialem aggrederentur, quod lugendo prorsus Ecclesiasticæ, Monasticæq; rei damno contigisset. Unde minimè dubitant Palatinatus, quin Abbates, Præmetensis, Cervinensis & S. Crucis viri eximiæ virtutis, ac meritorum, nobilissimique debeant in suarum Abbatiarum possessione servari, in qua de facto sunt, in Regiæ ac consvetæ nominationis post legitimam Capitulorum electionem, ac Episcopi ordinationẽ imposito adversariis silentio, qui contra jus & fas se intrudere tentant, falsisq; narratis, atq; calumniis Sacræ Congregationi Consistoriali, ac Sacræ Rotæ Romanæ imponere ausi sunt, quod

quod nullum Regi ac Reip. juribus præjudicium inferre debet, ac potest. A. C. 1699
Nominatus etiam ad Mogilnicensem Abbatiam post tam diuturnam sine ulla prorsus ratione vexationem tandem promoveri sperat. Episcopus denique nominatus Luceoriensis in pacifica suæ Abbatiæ possessione relinqui, ac ab iniquissima Monachorum persecutione vindicari contendit, quam ab illis pati solùm recentissimè cœpit, postquam inhiare cœperunt Monachi ejusdem Abbatiæ, enormes calumnias in illum effingendo, virum testimonio universæ Poloniæ integerrimum, ac verè Ecclesiasticum, falsitatis evidentissimæ convicti.

Indubitatum igitur esse videtur Clementissimo Sanct. V. mandato, discordiarum somitem, quàm citissimè extingvendum jure suo, Regi, mensisq; suis Abbatibus Commendatariis, atque claustralibus, Monachisque paternè servatis, ne pessima contingant ab irata, & exulcerata nobilitate, militiaque Monachorum bonis pridem inhiante, id vovent Episcopi, Prælati, Clerusq; universus, speciatim verò pauperrimæ Episcopales Ecclesiæ, quæ cum toto Sarmatico Clero gemitibus inenarrabilibus orant pro Sanct. V. ad diuturnum ac felicissimum Christiani orbis regimen incolumitate. Quam DEus &c.

INFORMATIO QUOMODO PROCEDENDUM IN HOC NEGOTIO DIVISIONIS ABBATIARUM.

1mo. Præter assignatos intervenientes ad complanationem propositam à Congregatione Cardinalium, hoc est Illust: Nuntium Apostolicum cum Eminentissimo Cardinali Radziejowski, necesse est deputari à S. R. M. unum imò duos sibi & Reipub. faventissimos viros, non solùm peritos juris Polonici, sed Canonum Ecclesiasticorum, ac in materia Abbatiarum bene versatos, prudentes, atque politicos, cum agatur de materia etiam statûs, ac de prærogativis coronæ, deniq; viros disertos & qui non sinant se se circumvenire, hoc est oculatos & fortes.

2do. Inprimis & ante omnia declarandum videtur Illust: D. Nuntio, 4. Abbatiarum, quæ causam controversiæ dederunt, possessionem indubitatam, atque pacificam nominatis à S. R. M. juxta jura & praxim antiquam, relinquendam esse, ac proinde excommunicationem ac censuras latas contra Abbatiam & Monasterium Sanctæ Crucis de Monte Calvo abolendam penitus esse, sine ullo sequestro, omnesque molestias ulteriores contra Abbatem Nominatum à Rege Cervinensem, Abbatem Præmetensem, Mogilnensemque, itidem à Regia Maiestate nominatos, amovendos, nec enim fas est ulterius vexari viros innocuos, & jura regia in dubium verti, aut ad Kalendas Græcas remitti, hoc est ad decisionem totalem ac complanationem omnium Abbatiarum, pro futuris temporibus stabiliendam authoritate S. Sedis, quod plurimum temporis exigit, nec fortè per annum integrum obtineretur, cum agatur de ponderandis ac librandis redditibus singularum Abbatiarum, ac de compensatione danda mensæ Monachorum, de mensa Abbatum, ut optat Sancta Congregatio, quod sine interventu partium, ac sine longo temporis tractu confici nequit. Interim verò comitia proxima excandescent, nec patientur se tanta rerum dilatione deludi.

3tio. Si Illust: D. Nuntius dixerit, velle se consulere Monachos, utrum consentiant erectioni Abbatiarum omnium in Commendas, signum erit non sinceræ pacificationis ab aula Romana propositæ. Nam antequam singula Monasteria totius Regni ac M. D. Litv. suam mentem per Procuratores ex Capitulis destinatos declaraverint & antequam Illust: D. Nun-

A.C.1699 tius, illos procuratores, qui fortè inter se discrepabunt in suis instructionibus cum Regiis Ministris ac Eminentiss. D. Cardinali Radziejowski concordaverit non solùm imminentia comitia generalia, sed etiam futura alia, & alia elabentur; tot enim erunt capita quot sensus præsertim in re tam ardua.

Deinde non videtur juxta dignitatem Regiam contendere cum suis subditis Monachis, ac rem claram, ac indubitatam, nempe possessionem nominandi ad omnes Abbatias sui regni evidenter probatam in Curia Romana ex infallibili testimonio Datariæ subijcere in Polonia disputationi ac judicio Monachorum, qui non acquiescent justæ, ac prudenti Domini Nuntii voluntati, non nisi coacti, & post moram temporis intolerabilem, solùmque intendent cunctando eludere comitia.

4to. Abbatiæ Monasticæ per totum ferè orbem Christianum in Commendas erectæ sunt, sola & suprema Summorum Pontificum authoritate, non consultis aut consentientibus Monachis, qui omni conatu obstitissent, si obstare potuissent. Non igitur à Polonorum Monachorum consultatione, ac assensu dependere debebit hæc erectio, si à Curia Romana sincerè, ut par est credere, & non ficte proponitur.

5to. Multo minus consuli debent Monachi, de quantitate portionis ex mensa Abbatiali decerpendæ, ac Monachorum mensæ applicandæ ad compensandum damnum erectionis in commendam Abbatiarum omnium. Nam evidens est aviditati Monachorum, qui injusta petent, ac exorbitantia, difficillimè posse satisfieri. Ista igitur portionis decerptio taxari debebit, à discreta ac benigna Serenissimi Regis ac Eminentissimi Cardinalis Radziejowski, simul cum Illust. Domino Nuntio Apostolico prudentia. Quòdsi Dominus Nuntius dixerit se non posse hoc præstare vi suorum mandatorum à summo Pontifice habitorum, signum erit ludicram & fictam esse hanc projecti sui temperamenti à Romana curia factam propositionem, cum ad effectum perduci ob Monachorum bene prævisam aviditatem nequeat, sed solùm ad fallendum tempus, ac eludenda comitia inventum esse.

6to. Subauditum est prætendi à Curia Romana, ut major pars redditruum Abbatiarum convertendarum in Commendas à Seren: Rege juxta morem nominandas applicetur mensæ Monachorum. Sanè durum hoc esset, nam ingens præjudicium juri patronatûs Regio ac Reip: inferretur, quippe longè deteriores evaderent Abbatiæ, ac plus quàm media parte Regibus perirent. Huic prætensioni Curiæ Romanæ, ac Monachorum ansam dederunt alioqui Episcopi, ac Prælati Poloni, qui ut aulæ Romanæ abblandirentur, & suo privato interesse studerent, se seq; promoverent, projectum hoc fecerunt, ut scilicet Rex servatâ sibi adjuvandos pauperes Episcopos ac Præsules parte redditruum Abbatialium, reliquam & majorem partem redditruum cum ipso titulo Abbatiali Monachis relinqueret, & sic sese jure patronatûs spoliaret, quod contra Maiestatis ac Reip. jura esse manifestũ est.

Huic etiam tam perniciosæ prætensioni occasionem præbuerunt aliqui ex nominatis à Seren: Rege Abbatibus, qui ab adversariis coacti, ut sese à barathro litium & controversiarum in Nuntiatura excitatarum tandem eriperent, hujusmodi cessionibus manus dederunt, vel dare tentarunt, non propriâ sed aliorum culpâ ac vitio, imò aliqui etiam juri patronatûs Regio visi sunt renuntiare, dum Bullas commendarum, sine ulla patronatûs Regii mentione acceptarunt, quod facilè ajunt excusari posse, ob negatas tam diu Bullas, quàm diu recusabant eas acceptare tacitâ ejusmodi mentione.

Alii etiam passi sunt addi in Bullis hæc verba: ad mentionem juris patronatûs, ut asseritur, sed hoc minus perniciosum fuit Regiis juribus cum nihil addere aut tollere videatur.

Iam redeundo ad portionem ex mensa Abbatiali decerpendam ac Monachal

nachali addendam, videtur sufficere posse quarta illa redditūum pars, quam *A.C.*1699
Canones præscribunt, de qua fusius agitur in adnexis foliis, sed si Dominus Nuntius acrius instet, aliquid etiam præterea pro impingvanda illorum mensa decerpi debere ab Abbatiali, ut in perpetuum immunes sint Nominati à Monachorum molestiis, ut remaneant sæculares Prælati nec cogantur Religiosa vota profiteri, hæc res debebit juxta regulas discretionis taxari ab Illustrissimo Domino Nuntio cum Eminentissimo D. Cardinali ac Ministris Regiis, non juxta voracitatem inexplebilem Monachorum.

Sanè si Abbates Commendatarii à Rege nominandi deberent carere plus quàm media, aut media parte bonorum Abbatialium, Reges mediâ, aut plus quàm media parte suorum jurium privarentur, ac vanô titulô nominis non re ipsa fruerentur.

Profectò longè melius esset Regibus nominare in titulum Abbates de more relicta integra bonorum Abbatialium possessione nominatis, quàm notabili bonorum parte Commendatarios privare. Multoq; magis absurdū esset Reges privari ipsa nominatione Abbatum, seu præsentatione, illorumque electionem integram, sine suo interventu Monachorum Capitulis relinquere, sibique solam portionem bonorum reservare pauperibus Episcopis erogandam, sicut aliquis Regi minus favens proposuit. Nam præter alia gravissima inconvenientia, jam Reges privantur maximâ prærogativâ, tot Prælatos creandi, quot Abbatiæ sunt.

Unde cavendum est, ne aures dentur vel tam enormi bonorum Abbatialium mutilationi, vel ac multò minus renuntiationi nominandi Abbates.

7mo. Cum jam ab antiquissimo tempore Reges sint in possessione indubitata nominandi Abbatias omnes, non solùm in titulum, sed Commendam idque summi Pontifices indulserint meritissimè, ad juvandos Episcopos, Senatores Regni à barbaris spoliatos, ac Prælatos tribunalibus operam dantes, illisque Abbatiæ in Commendam hucusque à Pontificibus concessæ integrè ac sine diminutione Abbatibus Commendatariis cesserint, non videtur æquum tales Abbatias hactenus integras deteriorari, seu minui.

Solùm igitur videtur agi posse de Abbatiis quæ hactenus dabantur, seu nominabantur in titulum, in posterum verò erigentur in Commendam, quæ parvo numero sunt, ut videre est in regestro Domini Petri Ruyter Agentis Regii, à quibus solis aliqua portio bonorum decerpi posse videtur, & Monachorum mensæ ad honestam compensationem applicari.

8vo. Cum (ut ajunt) Monasteria Polonica tres habeant mensas. Primā Monachorum quæ satis pingvis est, 2dam Abbatis titularis vel Commendatarii, tertiam Prioris seu Præpositi, quem dicunt ab Abbatè eligi ac dependere, videndum diligenter an mensæ Abbatum tales sint, ut debeat, aut possit ab illis aliquid detrahi ad augendam Monachalem, quæ pingvior fortè erit, & an sufficiat Abbates privari, jure creandi Priores, seu Præpositos sibi subordinatos, quod non levis momenti est, ac fortassis loco mutilationis bonorum Abbatialium esse posset.

9no. Cum luce meridiana clarius sit, Monachos injustissimam auctionem in aula Romana Regibus suis Dominis Clementissimis & fundatoribus intulisse contra illorum in Dataria evidenter probatam, ut videre est in annexa serie, nominationem; sequitur illos ad solutionem expensarum, à Regibus factarum, tot Legatorum ad aulam Romanam missione, ac Ablegatorum nempe Principis Radzivilij Episcopi Præmisliensis, Referendarii regni, qui frustra jus Regium tueri conati sunt, quod tandem divinâ ope patuit.

Si R. Majestas ac Resp. has expensas repeteret, vix sufficerent ipsæ Abbatiæ. Posset igitur cum Illust. Nuntio agi de repetendis hisce expensis & seriò, ut saltem relinquantur liberæ Abbatibus Commendatariis Abba-

tiæ

A.C.1699 tiæ sine tali & tam enormi mutilatione.

10. Vi legum Regni debent Cortesani perturbatores subjacere pœnis exilii, aut etiam majoribus. Posset igitur agi cum Illust: Nuntio de jure repetendi has pœnas, & de illorum remissione, dummodo liberè ac integrè cum omnibus suis bonis relinquantur sicut antea fuerunt Abbatibus Commendatariis Abbatiæ cum omnibus suis bonis, cum exigua solùm diminutione.

11. Multi in Curia Romana oculati testes asserunt fictam esse hanc compositionem & ad Kalendas Græcas transmissam, quandoquidem Româ ad Nuntium & Monachos translata est, cùm possent Romæ à solo Papa Abbatiæ verti omnes in commendas.

Huic suspicioni vim addidit, quòd à Nuntio deinde res erit iterum transmittenda ad summum Pontificem, quando erit in Polonia cum Monachis, si fieri poterit, concordata. Ideoq; requisitus est à Cardinalibus P. Vota ut differat discessum suum à Romana Curia, quo ad usq; ultima manus negotio apponatur, à summo Pontifice post auditam Nuntij Apostolici negotiationem, imò significatum est eidem Patri Vota, ut curet sibi à Seren: Rege transmitti facultatem, seu potentiam concludendi rem totam, ita ut in perpetuum nullus detur locus controversiis, facta erectione omnium Abbatiarum in Commendas. Unde expectandum erit, licet ægerrimè P. Vota jam defesso, adhuc per duos menses, ut responsum & beneplacitum Regium habeat circa facultatem concludendi.

PRÆSENTATIONES AD ABBATIAS FACTÆ A SERENISS: Poloniæ Regibus, & Potent. Sigismundo III.

Plocense Monasterium S. Adalberti Ordinis S. Benedicti Plocensis Diœcesis, commendatum fuit Stanislao Starczowski Episcopo Lacedemoniensi cum expressione juris patronatûs sub datum Romæ apud S. Mariam Majorem 3. Kalend. Aprilis. Anno 10. Pauli Papæ V. Anno 1614.

Regestrata lib. 6. Secretorum folio 265.

A VLADISLAO IV. REGE POLONIÆ.

Bledzoviense Monasterium Cisterciensis Ordinis Posnaniensis Diœcesis. Coadjutoria dicta Monasterii pro Theodoro Pawlowski profiteri volente cum expressione juris patronatûs de consensu Vladislai Regis. 1633 Datũ Romæ apud S. Petrum Kalend. Dec. An. 9. Urbani Papæ VIII.

Regestrata lib. 15. Secretorum folio 159.

Vangrovecense Monasterium Ordinis Cisterciensis Gnesnensis Diœcesis. Coadjutoria dicti Monasterii in titulum cum expressione juris patronatûs data fuit Alberto Samueli Chrzanowski profiteri volenti de consensu Regis Vladislai. Datum Romæ apud S. Mariam Maj. 5. Idus Maji. 1634 Pontificatûs Urbani Papæ VIII. Anno 8.

Regestrata lib. 17. Secretorum folio 58.

Andrejoviense Monasterium Cisterciensis Ordinis Cracoviensis Diœcesis per Coadjutoriam commendatum fuit Alexandro Dönhoff Clerico sæculari cum expressione juris patronatûs de consensu Regis Vladislai. 1643 Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Maji. Anno 20mo Urbani Papæ VIII.

Regestrata lib. 27. Secretorum folio 182.

Bernecense Monasterium Cisterciensis Ordinis, Posnaniensis Diœcesis commendatum fuit Nicolao Dunnisoligowski, Presbytero sæculari à Monachis ad nominationem Regis Vladislai postulati cũ expressione ju-

ris

ris patronatûs & postulationis. Datum Romæ apud S. Petrum 30. Nonas *A.C.* 1699
Junij. Anno 1. Innocentij Papæ X. 1645.

Regestrata lib. 5. Secretorum folio 119.

Coronoviense Monasterium Cistercienfis Ordinis, Vladislaviensis Diœcesis in titulum Joanne Carolo Cholkawski Clerico profiteri volente cum retentione Scholasteriæ Leopoliensis ad nominationem Regis Vladislai à Monachis postulato cum expressione juris patronatûs, & postulationis. Datum Romæ apud S. Petrum 4 Kalend. Decemb. Anno 2 Innocentij P. X. 1643.

Regestrata lib. 2. Secretorum folio 3.

A REGE JOANNE CASIMIRO.

Lubinense Monasterium Ordinis S. Benedicti Posnaniensis Diœcesis datum fuit per Coadjutoriam in Commendam Stephano Piasecki cum expressione juris patronatûs & de consensu Regis Joannis Casimiri. Datum apud S. Mariam M. 9. Kalend. Augusti. Anno 5. Innocentij Papæ X. 1649.

Regestrata lib. 6. Secretorum folio 153.

Plocense Monasterium S. Adalberti Ordinis S. Benedicti, Plocensis Diœcesis commendatum fuit Thomæ de Rusiencewo Ujeyski præsentato à Joanne Casimiro Rege cum expressione juris patronatûs. Datum Romæ apud S. Mariam M. 4 Kalend. Junij. Anno 5. Innocentij Papæ X. 1649.

Regestrata lib. 5. Secretorum folio 196.

Tremesnense Monasterium Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, Gnesnensis Diœcesis commendatum fuit Martino Karczewski cum expressione juris patronatûs ad nominationem Joannis Casimiri Regis. Datum Romæ apud S. Mariam M. 8. Idus Augusti. Anno 6. Innocentij Papæ. X. 1650.

Regestrata lib. 7. Secretorum folio 148.

Vitoviense Monasterium Ordinis Præmonstratensis, Posnaniensis Diœcesis commendatum fuit Adriano Gorlewski Suffraganeo Gnesnensi à Rege Joanne Casimiro præsentato cum expressione juris patronatûs. Datum Romæ apud S. Mariam M. 4. Idus Januarij. Anno 7. Innocentij Papæ X. 1651.

Regestrata lib. 7. Secretorum folio 125.

Paradisiense Monasterium, Cistercienfis Ordinis, Posnaniensis Diœcesis apud Sedem vacantem commendatum fuit Joanni Desmolenski grato & accepto Joanni Casimiro cum expressione juris patronatûs. Datum Romæ apud S. Mariam M. Idibus Novembris. Anno 8. Innocentij Papæ X. 1651.

Regestrata lib. 8. Secretorum folio 12.

Claræ Tumbæ Monasterium, Cracoviensis Diœcesis fuit datum in Commendam Joanni Archiepiscopo Leopoliensi, præsentato à Joanne Casimiro Rege cum expressione juris patronatûs. Datum Romæ apud S. Mariam M. 16. Kalend. Septemb. Anno 1. Alexandri Papæ VII. 1655.

Regestrata lib. 1. Secretorum folio 166.

Miechoviensis præpositura S. Sepulchri Ordinis S. Augustini, Cracoviensis Diœcesis, data fuit in Commendam Choricinski, præsentato à Joanne Casimiro Rege, cum expressione juris patronatûs. Sub datum Romæ apud S. Mariam M. 8 Idus Augusti. Anno 1. Alexandri Papæ VII. 1655.

Regestrata lib. 1. Secretorum folio 152.

Przemetense Monasterium Cistercienfis Ordinis, Posnaniensis Diœcesis, commendatum fuit Andreæ Mialkowki præsentato à Rege Joanne Casimiro, cum expressione juris patronatûs. Datum Romæ apud S. Mariam M. 3. Idus Decembris. Anno 3. Alexandri Papæ VII. 1657.

A.C.1699 Regestrata lib. 3. Secretorum folio 298.

Sulecuiense Monasterium, Cisterciensis Ordinis, Gnesnensis Diœcesis commendatum fuit Stanislao Sarnowiki ad nominationem Joannis Casimiri cum expressione juris patronatûs Datum Romæ apud S. Mariam M. 4. Idus Julij Anno 5. Alexandri Papæ VII.
1659.

Regestrata lib. 7. Secretorum folio 292.

Tynicense Monasterium Ordinis S. Benedicti, Cracoviensis Diœcesis, commendatum fuit Augustino Georgio Lubomirski à Rege Joanne Casimiro nominato cum expressione juris patronatûs. Datum Romæ apud S. Mariam M 3. Nonas Martii. Anno 6. Alexandri Papæ VII.
1660.

Regestrata lib. 7. Secretorum folio 147.

Cericoviense Monasterium, Ordinis S. Benedicti, Cracoviensis Diœcesis, commendatum fuit Nicolao Prazmowski Episcopo Luceoriensi cum expressione juris patronatûs. Datum in arce Gandulphi 5. Idus Maji Anno 6. Alexandri Papæ VII.

Regestrata lib. 6. Secretorum fol. 263.

Mogilnicense Monasterium, Ordinis S. Benedicti, Gnesnensis Diœcesis, datum fuit per Coadjutoriam iu Commendam Joanni Roziens Presbytero cum expressione juris Patronatûs, & de consensu Joannis Casimiri Regis. Datum apud S. Mariam M. pridie Kalend. Decemb. Anno 6. Alexandri Papæ VII.
1660.

Regestrata lib. 8. Secretorum folio 10.

Sanctæ Crucis Monasterium, Nicolaus Gorski, Cantor Varsaviensis, præpositus Lublinensis ad præsentationem Joannis Casimiri Regis eligitur in Abbatem dicti Monasterij ab Illust: D. Andrea Trzebicki Episcopo Cracoviensi in Ecclesia Sanct. Francisci, facta prius regulari Professione in manibus Episcopi die 1. Augusti 1662 benedicitur, constat ex archivo dicti Monasterij.
1662.

Sieciechoviense Monasterium, S. Benedicti, Congregationis Cluniacensis, Diœcesis Cracoviensis, commendatum fuit Francisco Prazmowski cum expressione juris patronatûs de consensu Regis Joannis Casimiri. Datum Romæ apud S. Mariam M. 3. Kal. Augusti, Anno 2. Clem. Papæ IX.
1668.

Regestrata lib. 3. Secretorum folio 254

Cervinense Monasterium Canonicorum Regularium Diœcesis Plocensis, commendatum fuit Thomæ Alexandro Czawnakielki ad præsentationem Regis Joannis Casimiri cum expressione juris patronatûs. Datum Romæ apud S. Mariam M. 13 Kal. Aprilis Anno 10. Alexandri Papæ VII.
1664.

Regestrata lib. 4. Secretorum folio 141.

Wąchocense Monasterium, Cisterciensis Ordinis, Diœcesis Cracoviensis, datum fuit per Coadjutoriam in Commendam Nicolao Lesenski cum expressione juris patronatûs & de consensu Regis Joannis Casimiri. Datum Romæ apud S. Petrum 15 Kal. Junij Anno 1. Clementis Papæ IX.
1669.

Regestrata lib. 3. Secretorum folio 79:

Hebdoviense Monasterium, Præmonstratensis Ordinis, Cracoviensis Diœcesis, commendatum fuit Gotthardo Tisenan Episcopo Metonensi Suffraganeo Vilnensi à Monachis ad Nominationem Regis Joannis Casimiri postulato cum expressione juris patronat s & Electionis Monachorum. Datum Romæ apud S. Mariam M. 7 Idus Decemb. An: 1. Clem. P. IX.
1670.

Regestrata lib. 1. Secretorum folio 269.

ARE-

A REGE MICHAËLE

Mogilnense Monasterium, Ordinis S. Benedicti, Gnesnensis Diœcesis, commendatum fuit Ioanni Małachowski Presbytero nominato à Rege Michäele. Datum Romæ apud S. Mariam 16. Kalend. August, Anno 1. Clementis Papæ X. 1670.

Regestrata lib. 1. Secretorum folio 125.

Andrejoviense Monasterium, Ordinis Cisterciensis, Cracoviensis Diœcesis præsentato à Rege Michäele cum expressione juris patronatûs. Datum Romæ apud S. Mariam M. 6. Idus Novemb. Anno 3. Clementis Papæ X. 1672.

Regestrata lib. 5 Secretorum folio 284.

Miechoviense Monasterium, Petrus de Pila Kinski de consensu Michäelis Regis cum expressione juris patronatûs datus fuit Coadjutor in Monasterio Præpositura nuncupato Alberto Archiepiscopo Leopoliensi. Datum Romæ apud S. Mariam M. 13. Kal. Oct. Anno 5. Clementis Papæ X. 1674.

Regestrata lib. 7. Secretorum folio 209.

PRÆSENTATIONES FACTÆ A SER: REGE JOANNE III. CUM EXPRESSIONE JURIS PATRONATUS.

Lubinense Monasterium, Stephanus Piasecki datus fuit Coadjutor in Monasterio Lubinensi Dodrzeokowski Presbyter cum expressione juris patronatûs, & de consensu Seren. Regis. Datum Romæ apud S. Petrum 8. Idus Martij Anno 1. Innocentii Papæ XI. 1676.

Regestrata lib. 1. Secretorum fol. 219.

Miechoviense Monasterium, Præpositura nuncupatum, Ordinis S. Sepulchri, Cracoviensis Diœcesis de Commenda datum fuit in titulum Petro de Pila Koricinski, qui Professionem emiserat, cum expressione juris patronatûs & de consensu Regis Ioannis III. feliciter regnantis. Datum Romæ apud S. Mariam M. Non: Kal. Dec. Anno 2. Innocentii Papæ XI. 1677.

Regestrata lib. 2. Secretorum folio 173.

Ad Czervinense Monasterium, Plocensis Diœcesis, Canonicorum Regularium præsentatus fuit Boguslaus Lesinski, ut ex Bullis Innocentii Papæ XI. 4. Non. Julij 1680. Et per istius promotionem ad Ecclesiam Luceoriensem Nicolaus Wyrycki Monachus Professus ut ex bullis Alexandri Papæ. 1680.

Lubinense Monasterium Ordinis S. Benedicti, Posnaniensis Diœcesis, commendatum Stanislao Episcopo Camenecensi ad præsentationem Serenissimi Regis Joannis III. Datum Romæ apud S. Petrum 12. Kalendas Julij Anno 6. Innocentij XI. 1681.

Regestrata lib. 7. Secretorum fol. 181.

Miechoviense Monasterium per obitum Petri de Pila Korycinski commendatum fuit ad præsentationem Seren. Regis cum expressione juris patronatûs Ioanni Stanislao Episcopo Præmisliensi. Datum Romæ 6. Kalend. Septembris Anno 6. Innocentij XI. 1681.

Regestrata lib. 7. Secretorum fol. 261.

Et per promotionem dicti Ioannis Stanislai commendatum fuit ad promotionem moderni Seren. Regis Eminent. Cardinali Radziejowski. Datum Romæ apud S. Mariam Maj. 8. Idus Junij 1689. Anno 13. Innoc. XI. 1689.

Vąchocense Monasterium Cisterciensis Ordinis Cracoviensis Diœcesis commendatum fuit Andreæ Załuski præsentato à moderno Seren. Rege cum expressione juris patronatûs. Datum Romæ apud S. Petrum 3. Kalend. Maji Anno 6. Innocentij XI. 1681.

A.C. 1699 Regeſtrata lib. 8. Secretorum fol. 154

Mogilnicenſe Monaſterium Ordinis Sanct. Benedicti Gneſnenſis Diœceſis, commendatum fuit Nicolao Zabicki, ad præſentationem moderni Sereniſſimi Regis cum expreſſione juris patronatûs. Romæ apud S. Mariam
1685. Maj. 15. Kalend. Decemb. Anno 9. Innocentij Papæ XI.

Tynicenſe Monaſterium commendatum fuit Ioſepho Principi Lubomirſki ad præſentationem moderni Seren. Regis cum expreſſione juris patro-
1689. natûs. Datum Romæ 5. Kalend. Febr. Pontificatûs Innoc. XI. Anno 13.

Plocenſe Monaſterium S. Adalberti, Plocenſis Diœceſis, per Promotionem Ioannis Staniſlai ad Eccleſiam Poſnanienſem præſentatus fuit à moderno Sereniſſimo Rege Staniſlaus Boglemſki cum expreſſione juris patronatûs ſub datum Romæ 18. Kalend. Aprilis Pontificatus Alexandri PP. VIII. Anno 1mo.

Ad Abbatiam S. Crucis ad præſentationem moderni Seren. Regis fuit
S. Crucis poſtulatus à Monachis Nicolaus Godſki, qui expleto anno Novitiatûs Ordinaria authoritate juxta antiquam praxim à Rev. Domino Ioanne Małachowſki Epiſcopo Cracovienſi in Abbatem benedictus, & hoc conſtat ex Archivo dicti Monaſterii S. Crucis.

Imò Sereniſſimus Ioannes III. jam ter præſentavit ad Abbatiam S. Crucis incluſum Dominum Wychowſki modernum Abbatem legitimè electum, ac à Monacho Mirewſki iniquiſſimè vexatum & per calumnias Romæ ab eodem delatum.

AD ABBATIAS IN POLONIA AB IMMEMORABILI à REGIBUS ABBATES NOMINATI.

Ad Abbatiam	*ANNO*	*DIOECESIS*	*PONTIFICE*	*REGE*	*ABBATES*	*Ex Actis.*
Blodziejensé Canonic9 Poſnani. nominat9.	1576	Poſnaniensis.	Gregorio XIII.	Stephano.	Ioan Bronikowski	Archivi Poſnan.
Premeten Suffraganė9 Poſnani. nomina't9.	1597	Poſnanienſis	Clemente VIII.	Sigiſm. III.	Jacobus Bozynski	Archivi Poſnan.
Peplnenſem Canonicus Culmen. nominatus	1599	Vladislav.	Clemente VIII.	Sigiſm. III.	Nicolaus Koſtka	Archivi Vladislav.
Coron. Cantor Vladislavien. nominatus	1600	Vladislav.	Clemente VIII.	Sigiſm. III.	Stanis. Makowiecki	Archivi Vladislav.
Premeten Canonicus Gneſn. nominatus	1604	Poſnanienſis.	Clemente VIII.	Sigiſm. III.	Chriſtoph. Karſnicki	Archivi Vladislav.
Lublinen. Canonicus Cracov. nominat:	1604	Poſnanienſis.	Clemente VIII.	Sigiſm. III.	Jacobus Zempicki	Archivi Poſnanien.
Premeten. Præpoſitus Caliſſien. nominat:	1607	Poſnanienſis.	Paulo V.	Sigiſm. III.	Stephan. Charbicki	Archivi Poſnanien.
Lublin. Refer. M.D.L. & Epiſc. nominat.	1608	Poſnanienſis	Paulo V.	Sigiſm. III.	Euſt. Wołowicz	Archivi Poſnanien.
Premeten. Epiſcopus Poſnan. nominat:	1615	Poſnanienſis	Paulo V.	Sigiſm. III.	Adam Novodworski	Archivi Poſnanien.
Coronovien. Archid. Vladisl. nominat.	1633	Vladislavien.	Urbano VIII.	Vladisl. IV.	Jacobus Piaſecki	Archivi Vladislav.
Coronovien. Scholaſti. Leopol. nominat:	1645	Vladislavien.	Innocen. X.	Vladisl. IV.	Carolus Crolanski	Archivi Vladislav.
Siecíſchov. Archiep. Gneſnen. nominat.	1645	Vladislavien.	Innocen. X.	Vladisl. IV.	Stephanus Wydzga	Datariæ Romanæ
Tremeſnenſem nominatus	1645	Gneſnenſis.	Innocen. X.	Vladisl. IV.	Alex Ep. Cujavien.	Datariæ Romanæ
Cizernenſem nominatus	1645	Plocenſis.	Innocen. X.	Vladisl. IV.	Nicol. Ep. Vrender.	Datariæ Romanæ
Premeten. Canonicus Poſnan. nominat:	1645	Poſnanienſis	Innocen. X.	Vladisl. IV.	Stanislaus Wogortz.	Datariæ Romanæ

Wacho-

Ad Abbatiam.	*Anno.*	*Diæcesis.*	*Pontifice.*	*Rege.*	*Abbates.*	*Ex Actis.*
Wachovien. Regens Canc. Regni no.	1646	Cracoviensis.	Innocen. X.	Vladisl. IV.	Joan. Komowowski	Datariæ Romanæ
Premeten. Canonic. Gnesnen. nom.	1646	Posnaniensis	Innocen. X.	Vladisl. IV.	Sigismund. Sulinski.	Datariæ Romanæ
Miechovien. Episc. Plocensis nom.	1647	Cracoviensis	Innocen. X.	Vladisl. IV.	Joannes Dębicki.	Datariæ Romanæ
Coronovien. Episc. Venderilis nom.	1652	Vladislavien.	Innocen. X.	Joanne Casim.	Nicol. Kbonoski.	Archivi Vladislav.
Tynecensis Episcop. Chelmen. nom.	1654	Cracoviensis	Innocen. X.	Joanne Casim.	Stanislaus Episcop.	Datariæ Romanæ
In Mogilla Archiep. Leopolien. nom.	1655	Cracoviensis	Alexan. VII	Joanne Casim.	Joan. Archiepisc.	Datariæ Romanæ
Ad Præposituram Miechov. nom.	1655	Cracoviensis	Alexan. VII.	Joanne Casim.	Korincinski Episc.	Datariæ Romanæ
Abb. Prem. Archiep. Leopol. nom.	1655	Posnaniensis	Alexan. VII.	Joanne Casim.	Joann. Archiep.	Datariæ Romanæ
Tynecensem Maltensis nom.	1656	Cracoviensis	Alexan. VII.	Joanne Casim.	Greg. Lubomierski	Datariæ Romanæ
Prem. Ref. Regni Abb. ad ſtem. &promot. n.	1658	Posnaniensis	Alexan. VII.	Joanne Casim.	Andr. Minskowski	Datariæ Romanæ
Sukiovien. nunc Episc. Vladislav. nom.	1660	Cracoviensis	Alexan. VII.	Joanne Casim.	Stanisl. Sarnoski	Datariæ Romanæ
Sieciechov. Archiep. Gnesn. nom.	1661	Cracoviensis	Alexan. VII.	Joanne Casim.	Nicol. Prazmowski	Datariæ Romanæ
Wilkov. Archiep. Kamen. nom.	1661	Cracoviensis	Alexan. VII.	Joanne Casim.	Lateolonski	Datariæ Romanæ
Tinetensem nominatus.	1651	Cracoviensis	Alexan. VII.	Joanne Casim.	Powiatowski	Datariæ Romanæ
Obrensem Præpositus Woynicensis ex par. ad Abbat. Bledien. promoto Joan. Casim. Opalinski nunc Coadj. Ep. Posn.	1661	Posnaniensis	Alexan. VII.	Joanne Casim.	Stanisl. Mraskowski	Ipso originali.
Paradis. ex S. Abbatia ad Episc. Posnani. promoto Stephano Wierzbowski Superstite seu Regen: nominatus.	1662	Posnaniensis	Alexan. VII.	Joanne Casim.	Nicol. Wierzowski	Ipso originali
Coronov Canon. Cracov. nom.	1664	Vladislavien.	Alexan. VII.	Joanne Casim.	Petrus Denberski	Ipso originali
Ad Abbatiam Wonschocensem ex S. Abbatia ad Episc. Luceorien. promoto Thoma Leszczynski Canon. Cracov. nominatus, cui Nicolaus successit post obitum nunc nom. Andr. Zaluski Cancell. Seren: Reginæ.	1665	Cracoviensis	Alexan. VII.	Joanne Casim.	Nicol. Leszczynski	Ipso originali
In Mogilno nunc Cancell. Reg. Ep. Culm.	1669	Gnesnensis.	Clemen. IX.	Michaele	Joan. Malachowski	Datariæ Romanæ
Andrejov. Archiepisc. Gnesn. nom.	1669	Cracoviensis	Clemen. IX.	Michaele.	Andreas Olszowski	Datariæ Romanæ
Cui Andreæ post obitum successit nunc Illustriss. Stanislaus Lipski Archiepiscopus Leopoliensis						
Coronov. Archid. Stemens. nom.	16--	Vladislaviensis	Clemen. X.	Michaele	Ignatius Gninski	Datariæ Romanæ
Lublinen. Archid. Posn. nom.	16--	Posnaniensis	Clemen. X.	Joanne III.	Albertus Dobrsel	Datariæ Romanæ
Vitonien. Canon. Cracov nominat.	16--	Cracoviensis	Clemen. X.	Joanne III.	Greg. Dönhoff	Datariæ Romanæ
Non excludimus à nominatione Regia Professionem benè meriti ita nuper						
Ad Soleovien. Coadj. n.	--	Cracovien.	--	Joan. III.	Zaruski	--
Ad Peplin. nom.	--	Vladislav.	--	Joan. III.	Los.	--
Oliven. Coadj. nom.	--	Vladislav.	--	Joan. III.	Hacki	--

A.C.1699

PUNCTUM EX PACTIS CONVENTIS AUGUSTI REGIS.

Jura patronatûs nostri in Episcopatus, Abbatias, Præposituras, collationis nostræ Regiæ, & omnia Ecclesiastica beneficia, inviolabiliter manu tenebimus, & legem de illis in integrum, sicut de Cortesanis ad executionem effectivè deducemus. & contra eos, qui absq; nominatione Regia, qualicunq; modo, in memorata beneficia audent aut audebunt se intrudere, oppositionem exemplo Antecessorum nostrorum Regum Polonorum faciemus.

Et quia controversia de jure patronatûs Regio Abbatiarum, non pridem Romæ cœpta, impedit executionem nominationum Regiarum, spondemus hoc jus manu tenere, & procurare, ut nominati, juxta jura sua in Abbatias à Seren. Antecessore nostro veniant ad possessionem illarum, exceptâ Abbatia Olivensi, quam personæ capaci, nobili, uti ad malam informationem pro tunc impetratam conferemus, & Abbates juxta jura antiqua legationes sumptu suo, & non Reipublicæ ad exteras nationes peragant.

CONSTITUTIO COMITIALIS ANNI 1699. TITULO JUS PATRONATUS.

Reassumendo ex instantia & consensu ordinum omnia jura de jure patronatûs in statutis & in volumine legum, expressa, illa insistendo pactis conventis, statim post comitia indilatè, ad effectivam executionem deducemus salvis Abbatiis Pruthenicis.

STATUTA REGNI DE JURE PATRONATUS ET CORTESANIS REGIS ALBERTI PETRICOVIÆ 1496.

Si quispiam beneficio juris patronatûs Regij, aut subditorum nostrorum in præjudicium & derogationem juris patronatûs nostri, & subditorum eorundem nostrorum, ex causa quacunq; impetraverit: statuimus, decernimus, & mandamus, omni bonorum suorum, communium & privatorum, mobilium & immobilium secularium, ærario seu fisco vel mensæ nostræ applicandorum privatione, Ecclesiasticorum verò aresto, confiscatione, & extra Regnum nostrum bannitione, immediatè puniendos.

ALEXANDRI REGIS RADOMIÆ 1505.

Nequisquam cujuscunq; generis vel conditionis existat, audeat beneficium quodcunq; nostri juris patronatûs, quandocunq; impetrare, vel oblatum à quovis suscipere, sine nostro consensu præfatæ pœnæ exilij & confiscationis suorum bonorũ, & parentum, ac propinquorũ ejus.

EJUSDEM IBIDEM.

Fit nonnunquam, quia Cortesani & Cursores Romani beneficia, per terrigenas de bonis eorum, ad consolationem amicorum viventium & mortuorum, fundata impetrant: sicq; non mediocribus jacturis pauperem nobilitatem, pro sui defensione juris impendentem, afficere

con-

consueverunt: quapropter decernimus: quod impetrantes beneficia apud sedem Apostolicam juris patronatûs nostri, & Dominorum, nobiliumq; sæcularium Regni nostri, puniantur in persona, & in bonis similiter amici & consangvinei impetrantium eorundem. *A. C. 1699*

P. S. Et hæc sunt quæ in manus meas tradita sunt; plura adhuc promittunt, quæ vel ego mittam, vel illi, si ego, ut sæpius soleo, ab aula me alienavero.

CXXXI.

A. C. Z. EPISC: PRINCEPS VARMIENSIS ET SAMBIEN: CARDINALI BARBERINI 1. Augusti.

Collatio sigilli minoris M. D. L. Negotij Elbingensis Promotio.

HEri comitia ultra spem, sed non ultra vota feliciter sunt finita; nulli labori pepercit Rex, & Senatus, ut ad felicem terminum deducerentur; totâ nocte laboratum. Anteqaum autem desideratus imponeretur finis, datum est sigillum minus M. D. L. quamvis duobus alijs promissum erat, meritissimis viris tanquam ex judicio Paradis, Stanislao Szczuka regni Referendario in præmium & præteritorum meritorum, & præsentium comitiorum tam feliciter perfectorum, quorum Mareschalcus & Director erat, in quo officio amorem Regis consecutus, cùm odium vitare difficile fuisset? voluisset enim Rex, ut constitutio tam fortis contra Saxones non fuisset inserta in constitutionibus publicis quam patiebatur magis, quàm laudabat, & approbabat & multi in Directorem hanc Regis offensionem rejiciebant, sed tandem Rex convictus indispensabili legis hujus necessitate agnovit, quòd, ubi aufertur possibilitas, aufertur & vitium, nemo enim in eo condemnatur, quod facere aliter non potuit, & ita non fuit ea vis improborum, ut virtutem, cum vellent, extingver ent. Insperatus hic alijs, & illi ipsi accidit honos, in favorem tamen Sapieharum videtur collatus, qui exclusis duobus ab hoc honore, tertio illum procurare visi sunt, non sine particulari, si gloriari licet, prius insinuatione, antequam datum fuisset, postea satisfactione mea. *Confertur sigillum minus M.D.L.*

Elbingensis tot consequentiarum negotium cum intra Senatus-consilia, vel Regium conclave absolvi, perficique sine publicarum injuria legum minimè potuisset; quod enim omnes tangit, ab omnibus approbari debet; ad Palatinatus pro particularibus comitiolis ante comitia generalia celebrari solitis missa fuit à Rege in hoc puncto instructio, cujus genuinum adnecto tibi schema; accensi hoc flabello Palatinatuum animi, arma, bellumque spirabant, nuntijsque suis ad comitia imperârunt, ut, si condigna à Serenissimo Electore data non fuerit Reipublicæ satisfactio, armis eam injuriam vindicandam constituerent. In comitijs Generalibus diu, acriterq; de hac materia certatum est, alijs arma in ditiones Brandeburgicas instantaneè inferenda urgentibus, dum, pace cum Turcis conclusâ, jam otiosus, & copiosus erat exercitus, & regni Polonicus, & Regis Saxonicus, aggrediendo, &, si Deo placuisset, obterendo hosti sufficientissimus; alijs tamen gradus aliquos, priusquam ad extrema deveniretur, observandos esse suadentibus, quo nomine de communi omnium ordinum consensu stetit constitutio publicis regni tabulis inserta, cujus tenorem post punctum instructionis, ad comitia datæ ex Polonico idiomate in latinum translatæ mittere tibi Princeps Eminentissime pro pleniori informatione conveniens credidi, est & aliud secretius scriptum hac in materia, vocatur apud nos scriptum ad archivum; mittere illud non possum, ejus tamen secreta aliquatenus prodentur per ea, quæ suo tempore secutura sunt. *Elbingense negotium.*

PUN.

A.C.1699 PUNCTUM EX INSTRUCTIONE REGIA PRO COMITIOLIS ANTE COMITIALIBUS EX CANCELLARIA REGNI. die 5. Maji Anno 1699.

IN tam optata ab intra & ab extra tranquillitate, est, quòd medullitus penetrat, & dolendum in modum angustat Rempub: incepta per Seren: Electorem Brandeburgicum non à Commißione, non ab invocatione Mediatorum, uti pactis Velaviensibus praescriptū erat, sed ipso se judice ferroq; ministrata satisfactio per avulsam à corpore Reipub: Elbingam. Habuit quidem celeberrimæ gloriæ Parens Seren: Electoris hypothecam aliquot centenorum imperialium, supra Elbingam peßimis Reipub: temporibus inductam, tunc, cùm Respub: sumpta contra se arma ejusdem Electoris redimere quovis pretio coacta fuit, uti testantur allegata pacta. Nihilominus ipsemet perpendens causas, & origines rerum, cùm ipsi Respub: nullatenus tradere Elbingam voluisset, imò supremus protunc Commissarius Reverendissimus Widzga Episcopus Varmiensis, ad tradendum supremum Ducatûs Prußiæ dominium eousq; accedere recusavit, quousq; Fraumburgum & Brunsberga pro non tradita Elbinga ab Electore tantisper occupatæ Reipub: redditæ essent, jußit restitui & evacuari prædicta oppida, eligendo potiùs supremum Prußiæ Dominium, quàm hypothecam Elbingensem. Remanebat igitur hæc prætensio per annos 40. & ampliùs tam per Seren: olim Parentem Serenißimi Electoris, quàm per ipsummet minimè masticata: tribus vicibus renovatum super hæc pacta juramentum, quartâ vice cum Seren: Rege nostro; & nunquā hypotheca Elbingensis apparuit tam valida, ut prætensionibus Reipub: longè majoribus retundi non valeret; propter quas Serenis: olim Rex Michaël longo tempore difficilem se exhibuit super præstitutione juramenti circa renovanda pacta Hæserat quoq; & Ser: olim Joan. III. supra eandem difficultatem circa ultimum juramentum. Modò primùm Seren: Elector (& quod maximè dolendum) intra aliquot septimanas post renovatum juramentum supra eadem pacta cum S. R. Mte nobis nunc feliciter regnante nullâ factâ mentione hujus prætensionis, neq; suæ hujus intentionis; tunc cùm Seren: Rex erat in campo, cum Exercitibus contra Turcas & Tartaros, ac varijs distrahebatur in regno difficultatibus, mißis suis copijs, & cum omni apparatu bellico obsidens, Elbingam coëgit ad deditionem. Ad tam insperatum, & tam atrocem casum convocavit Seren: Rex Senatûs consilium, ex quo mox hæc publica injuria significata est ijs, qui ad mediationem vigore Tractatûs Velaviensis pertinebant, ac alijs etiam Pontificibus Christianis: &, quia huius progreßûs ulteriores fines in obscuro erant, ac ignotum, quo Jove cœlum tonabat, extradi mandavit Seren: Rex ad cautelam, & in vim præparationis universales Restium literas primas, sed & has Seren: Elector, tulit acerbiùs in Epistola sua ad Ser: Regem plena reprehensionibus, quasi illæ ex libitu privati cujuspiam, & non ex Senatu editæ essent, & quasi expeditionis Regiæ ad liberos

Cives,

Cives, censuræ externæ Cancellariæ, & quidem despoticè gubernanti A. C. 1699
subjici deberent. Fusiùs hæc S. R. Majestas exprimi ideo fecit, ut sufficienter informata Respublica ex arbitrio proprio sumat, ponatq; affectus pro necessitate. Mentem verò suam ita explicare dignatur; Princeps nec timet bella, nec provocat. Hæsit hoc negotium ad præsens in his terminis; quod, dum offerrent mediationem Principes Mediatores, S. R. Mtas, eandem acceptare dignata est præviâ restitutione Elbingæ ad statum, in quo aliàs multum detrimenti pateretur Resp: ex Pactis Velaviensibus, quæ hoc puncto indulcorata tantùm erant. Idcirco amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur.

CONSTITUTIO COMITIALIS.

UT universo pateat orbi, quomodo Respub tenerrimè fœdera & pacta cum Principibus, & amicis fœderatis colit, & conservat, quamvis in tam manifesta ab Electore Brandeburgico per occupatam Elbingam injuria, ad ipsam tamen insinuationem melioris mentis, & resipiscentiæ ejusdem Electoris, volendo motos inter status hac occasione componere fluctus, ad determinationē hoc in negotio finalis resolutionis, designamq ad latus nostrum Deputatos, præter ordinarios Residentes ex Senatu cum Magnificis Ministris status & Ducibus Exercituum utriusq; gentu Reverendissimū in Christo Patrem Michaëlem Radziejowski Archi-Episcopum Gnesnensem Primatem Regni Poloniæ, & M.D.L. Reverendos in Christo, Magnificos, Generosos, Stanislaum Dąbski Vladislaviensem, Nicolaum Swęcicki Posnaniensem, Andreā Załuski Varmiensem & Sambiensem, Joannem Kirszenstein Kryszpin Samogitiæ, Nicolaum Wyzycki Chelmensem Episcopos. Stanislaum Leszczynski Posnaniensem, Stephanum Bidzinski Sandomiriensem, Joannem Odrowązium Pieniązek Siradiensē, Georgium Oginski Capitaneū Samogitiæ, Franciscum Galecki Junivladislaviensem, Tarło Lublinensem, Joannē Krasinski Płocensem, Kryspinū Vitepscensem, Stanislaum Morsztyn Masoviæ, Alexandrum Załuski Ravensem, Joañem Kos Culmensem, Joannē Przependowski Mariæburgensem, Joannē Gninski Pomeraniæ, Vladislaum Sapieha Minscensem Palatinos: Georgiū Towianski Lanciciensē, Eustachiū Grothus Samogitiæ: Franciscū Grzybowski Junivladislaviensem, Nilczycki Plocensem, Michaëlem Kocioł Vitepscensem Castellanos; ex Ordine Equestri; ex majore Polonia generosos Casimirum Bielenski Succamerariū Cerscensem Tucholiensē Capitaneū, Towianski Pocillatorem, Thomam Dzialinski Incisorē Bratianensem, Lonkorscensem Capitaneū; Officiales Regni Alexandrum Bokowski Succamerariū Culmensem, Albertum Dąbski Capitaneum Sochacoviensem, Petrū Kczewski Vexilliferum Mariæburgensem, Procopium Lipski Dapiferum Wschoviensem, Notariū Castrensem Posnaniensem, Franciscū Aloysium Łoski Pocillatorem Zakrocimensem vice-Capitaneū & judicē Castrensem Varsaviensem, Joannē Glinka Notariū terræ Nurensis, Andreā Radomicki Osiecensem, Joannem Jacobum Potulicki Borzechoviensem. Michaëlē Kniaziū de Kozielsko, Puzyna Werbokowiensem aulicū nostrum, Joannē Josephū Mączenski, Klonoviensē Capitaneos, Vladislaū Czarnkowski. Ex minori Polonia Generosos Alexandrū Jabłonowski Vexilliferum, Buscensem Capitaneū, Stephanum Branicki Dapiferum, Capitaneum Branscensem, Georgium

A.C.1699 gium Lubomirski Subdapiferum. Officiales Regni Franciscum de Brzezie Succamerarium Cracóviensem, Vieliciensem, Bochnensem Capitaneum, Franciscum Wielopolski Capitaneum Cracoviensem, Josephum Vandalinum Mniszek Sanocensem, Adamum Tarło Stęzycensem, Albertum Czacki Vlodimiriensem Capitaneos, Męzynski Vexilliferum Lublinensem, Stephanum Humiecki Dapiferum Podoliæ, Casimirum Dłuzewski Pocillatorem Chelmensem, Joannem Stanislaum Romocki Subjudicem Dobriensem, Zebrowski Notarium Terrestrem Leopoliensem, Striensem, Alexandrum Center Szczuroviensem, Capitaneos; Andream Karwicki Notarium Castrensem Sandomiriensem, Christophorum Czapski aulicum nostrum. Ex M D.L. generosos Casimirum Pac equitem Melitensem Notarium, Casimirum Gelgut Notarium, Oginski Thesaurarium Curiæ, Georgium Sapieha Dapiferum, Michäëlem Sapieha Notarium Campestrem, Christophorum Komorowski Præfectum Culinæ, Ludovicum Pociey excubiarum Præfectum M.D.L Bieganski Mareschalcum Braclaviensem, Michäëlem Sczuka Civonum Trocensem, Christophorũ Zawisza Capitaneum Minscensem, Dąbrowski Vilnensem, Vladislaum Sokolowski Livoniæ Succamerarios, Jacobum Jurzejowski Dapiferum Samogitiæ, Christophorum Szczit Vexilliferum Plocensem, Bielewicz Judicem Samogitiæ, *qui omnes præmisso corporali juramento in eam rotã, quòd secundùm DEum, conscientiam, & amorem Patriæ, &, sicut fusius expressum est in scripto ad Archivum, omnia perficient, ac tam in hoc negotio, quàm etiam circa dispositionẽ exercitûs, sumendo mensuram ex successu rerum juxta idem scriptum ad Archivum in præsentibus comitijs datum. quòd cum assensu omnium statuum approbamus, in cunctis competenter se gerent, procedentvè.*

CXXXII.

A C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. AMICO CONFIDENTI. Ima Decembris.

Collatio Referendariatûs, mors Malachovij, Saxonum iter versus Liuoniam, Regis in Saxoniam nunciatur.

PRivans nos aspectu tuo, minue saltem mœrorem literis, & quia occupationes tuæ, quas alias tibi ex aliis nasci mihi est persvasissimum, non permittunt multa, scribas saltem pauca, tædet enim animam meam, dum nihil à te accipio literarum. Quis est, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere. & tamen tantùm accessit, ut mihi nunc deniq; amare videar, antea dilexisse.

Postquam sigillũ minus Stanislao Sczuka eminentissimo civi nõ obstãtib⁹ in favorem aliorum promissis ultimâ planè comitiorum horâ non tantùm declaratum, sed & defacto traditum fuit, juramentumq; ordinarium ab eodẽ præstitum, incepit concurrentia pro officio Referendariatûs. Currebant multi & quidẽ ex Primoribus, sed unus bravium accepit, Ioañes Szembek Biecensis Capitaneus, qui optimè scivit, sive per se, sive per amicos modum devincendæ sibi Regis gratiæ. Ita quippè velut ex parvo nascitur igne rogus. Exercitus Regni in finib⁹ Russiæ est collocatus. Dispositiones factæ ad exlimitationem cum Turcis, ad quos destinatus Legatus Raphäël Leszczynski Palatinus Lenciciensis, Secretarius ei additus Petrus Bronisz Capitaneus Pistrensis, longas utinam ferias præstent Poloniæ. Unde Stanisla⁹ Małachowski Palatin⁹ Posnaniensis, qui nuper cum Turcis cõclusit

Confertur Referẽdariatus.

Mors & laus Malachowski.

clusit nomine Regis & Reip. tractatum pacis, summo dolore ita affectus est, ut febri malignâ consumptus cum dolore summo omnium fuerit. Teneram prima in herba segetem marcuisse lenior foret dolor, at falci maturam, minimè prævisa sterni grandine, quis sine vulnere ferat? Placidè id malum veluti communem aliquem & usitatum morbum perferre ab initio visus est, sed tandem dolori immortuus, quamvis mors ei tanquam florenti non calamitas sed liberatio à malis, & salus quasi accidit. Nepos hic ut bene nosti Joannis Malachowski Episcopi Cracoviensis erat, & ætatis defecturæ brevitatem factorum gloriâ compensavit, nam annos quos adjungere non poterat, factis prævertit, dum ea gessit juvenis, quæ honestassent, si vivere diutiùs potuisset, senem. Ego credidissem habuisse eum animum superstitem rebus adversis magis exercitatum, quàm frangendum, sed cognovi defacto nihil potentius contemptu, & cum multi reliqua facile perferant, unum contemptum non ferunt. Ita hic amicus noster quem posteritati commendatum vellem, tanquam virum suæ ætatis promptitudine ingenij, eloquentiæ svavitate, judicij sagacitate, & naturæ dotibus multis præcellentem, uti facile ij testabuntur, qui in comitijs sermones ejus audiêrunt, qui literas quas in publicis, vel privatis materijs scribebat, legerunt. Uxorem primam Venatoris Regni Zelinscij filiam habuit, alteram Lubomirsciam ex Sapieha matre natam post comitem de Pieskova Skała Wielopolscium derelictam viduam. Non eo in laudes ejus, quia quidquid de illo dicendum haberem, ita dicere deberem, ne idem illud de alijs dici potuisse videretur. In tot comitijs Nuncius & eloquens, & zeli in Remp. plenus, Gubernator Opocinensis, pòst Castellanus Siradiensis ac Palatinus Calissiensis à magno Joanne (nonne verum magnitudinis ejus testimonium) factus pòst legatus magnus in Karłowice Regis & Reip. tandem Palatinus Posnaniensis, & cum habuisset, quæ concupierat, possidere diutiùs non potuit, in qua dignitate ex occasione, quòd illi ad ulteriora de Repub. merita via intercepta fuisset, mortuus; si vulgi more loquerer, querelas miscerem & dolorem meum ostenderem, sed quid agamus, trita est hæc via, aut nasci oportet, aut natum mori. Satis est, quòd ejus vivet superstes gloria sæculis. *A.C.1699*

Interim Exercitus Saxonicus versùs Livoniam tendit, sub prætextu, quòd irent versùs Polongam, ubi portum extruere Rex cogitat, quæ sunt nobis nota, non tamen læta: Iam aliqua suspicio incipit belli alicujus, timeo, ne Svetici, quamvis Rex expediêrit Franciscum Galecium Palatinum Inowroclaviensem cum assecuratione amicitiæ ad Regem Sveciæ. Rem gestam scribere, non est rei gestæ rationem reddere, animus est, quamvis quidquid non dicimus, negare judicandi non sumus, certum tamen est, quòd per totam Poloniam disseminantur maligni sermones, regimen carpendo inimicandis populis & minuendo obsequio. *Saxones tendunt versus Livoniam.*

Litvanici motus non tantùm continuantur, sed qua data porta ruunt & fortius incipere videntur; unde multi plurima mala augurantur; Rex in Saxoniam abivit, ubi & Nuntius Apostolicus Davia, & Stanislaus Dąbski Cujaviensis Episcopus sunt præsentes: Frater quoq; meus Franciscus Palatinus Czernichoviensis, cum tota domo jussu Regis, qui id ferventissimè desiderare visus est, hoc iter arripuit, & ego idem fecissem, nisi principia in Episcopatu meo, quem recens accepi, præsentiam omnino meam desiderare viderentur, expectatio fructus ministerij nostri non in latitudine terræ, sed in acquisitione ponitur animarum; periculosum est Antistiti gregem deserere, etiamsi Deum adeat. Reditus Regis nescio, an pro Natali Christi sperari debeat; omnia illi benè & votivè cedant, utque in longum, Deum rogo. Annecto tibi Copiam Brevis Apostolici ad Episcopum Cujaviensem. *Rex in Saxoniam.*

*A.C.*1699

COPIA BREVIS PONTIFICII.

VENERABILI FRATRI EPISCOPO CUJAVIENSI.

INNOCENTIUS PAPA XII.

VEnerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictionem. Postquam Charissimum in Christo Filium nostrũ Augustum Poloniæ Regem in Saxoniam profecturum intelleximus, nihil sanè nostræ erga illum charitati verè paternæ nihilq; quam de omnium salute animarum gerimus solicitudini jucundiùs, atq; exoptatiùs significari poterat, quàm fraternitatem tuam sibi itineris ac moræ Comitem ascivisse, etenim qui magis honestè, ac utiliter, quiq; cum majori dignitate, & zelo Principis tam egregiæ indolis, studioq; Religionis incensi, callida tamen inter Hæreticorum consilia versaturi lateri hærere posset, non videmus. Itaq; præcipuâ illius providentia, in cujus manu sunt corda Regnantium, quiq; Poloniæ Regis curam habere, veluti singularem evidentissimis comprobavit argumentis, factũ esse putamus, quòd Fraternitas tua illum deduceret, ut scilicet illis monitis atq; animadversione, quæ Ecclesiasticum virum in tanta dignitate collocatum decent, si quando opus fuerit, eidem præsto sis. Jam ergo nisi fallimur, satis intelligis, quid hac occasione DEo, tibiq; debeas, quibusve modis possis (& poteris profectò pluribus) de Religione orthodoxa bene mereri. Nos equidem probè cognoscimus, nec pietatem tuam erga DEum cohortatione, nec amorem erga Regem incitamento, nec deniq; prudentiam & dexteritatem quibus virtutibus sanè præstas, documentis indigere. Verùm Regẽ ipsum adeò diligimus, usq; adeò de ejus felicitate, gloria ac salute soliciti sumus, ita nos in ipsum paterna charitas urget, ac demum pro Pastorali nostro debito propagandæ Catholicæ veritatis zelus ita nos incendit ut conquiescere minimè possimus, nisi nostram hac de re anxietatem ad te datis literis, veluti in sinum fraternitatis tuæ deponimus. Age itaq; Venerabilis Frater, amori nostro vehementissimo, quo flagramus in Regem, morem gere, & Pastoralis nostræ solicitudinis, quam de universo grege nos habere præcepit Pastor æternus, in cujus partem vacata est Fraternitas tua, te adjutorem præbe; ea omnia in hunc finem sedulò præstando, quæ pro temporis, locorumq;, ac rerum ratione opportuna, nec non illorum hominum indole convenientia judicaveris. Aderit DEus ijs, quæ vel plantare, vel rigare tibi continget incrementum daturus; Nosq; ipsi precibus assiduis, animoq; fraternitati tuæ adesse conabimur, atq; interim Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam M. sub annulo Piscatoris 26 Septemb. Anno 1699. Pontificatûs nostri Anno IX.

Pro D. Ulysse Josepho Gozzadino FRANCISCUS CAVONIUS.

CXXXIII.

A. C. ZALUSKI EPISCOPUS PRINCEPS VARM. ET SAMB. CARDINALI BARBERINI. 13. Decembris.

Tractatus cum Ministris Brandeburgicis ratione Elbingæ.

Deputati ad negotiũ Elbingense cõponendũ.

INeunte mense Decembri Cardinalis Primas convocat per suas literas Deputatos à comitijs Varsaviam pro recoquenda tandem negotij Elbingensis crambe. Conveniunt plurimi majoris notæ Senatores, Ministri status, & ex Equestri Ordine plurimi, ex parte verò Seren. Electoris Hoverbeckius & Wernerus Residens, ubi quid actum fuerit, decimâ & 12mâ præsentis, fideliter connotata Princeps Eminentissime tibi transmitto, speroque, quòd negotium tam difficile, quod bellum omnino multis illud suadentibus minabatur, tandem sopietur; quod ex ulterioribus meis tibi melius patebit.

Velitationes inter eos.

Sessiones in Palatio Primatiali inceperunt à velitationibus hinc inde super tam injusto, & violento Seren: Electoris progressu; jamq; dies iterumq; dies assumpta querelis. Nam Ministri Brandeburgici productis juribus suis pro-

is propugnabant; nostri verò retundebant jura illa non esse jura, cùm sint tantopere Reip. injuria extorta per metum injustè à vasallo incussum directo Domino, contra quem associatus ejus hosti insurrexit, & pugnavit: per quod non præmium sed pœnam Poloniæ, non Elbingæ hypothecam, sed totius Prussiæ jacturam meruit. Ideo tot in Comitiis objectæ contradictiones, factæ dein protestationes contra constitutionem Comitialem illa pacta approbantem, tot subsequentium Regum tergiversationes circa juramentorum & feudorum renovationes. Ideo & per ipsummet juris hujus talis qualis quæsitorem Parentem moderni Electoris neglectus ejusdem hypothecæ, tanquam probè conscium, quibus artibus eam procurârat. Si Elector gloriatur illo modico, sub finem belli Suetici post reconciliationem cum Rege nostro subsidio Reip. submisso, id ei plus quàm abundè compensatum est, per concessum supremum in Prussia Dominium, per feudum Lemburgense & Bitoviense, per hypothecam Drahimensem, ita, ut hoc modo longè majora damna Regno per ejus subsidium, quàm per Suecorum bellum sint illata. Non decet igitur afflictionem dare afflicto, nec tollere ab eo pallium, qui tibi dedit tunicam. Ad hæc respondent Ablegati, non datum sibi esse à principali suo mandatum ad disputandum, sed ad repetendum debitum. Hic nostri proferunt de thesauris suis nova & vetera, prætensiones scilicet Reipublicæ ad Electorem tam præsentes, quàm antiquiores, quas vigilantissimus unus Regni Minister olim ad hunc effectum connotatas posteris reliquit, quarum nonnullas hic summariè pono; subsidium mille, quingentorum peditum, & quingentorum equitum ex pactis debitum non subministratum pro bellis præteritis. Avulsæ plures villæ à regno Poloniæ, & incorporatæ Prussiæ Ducali, præsertim in terra Visnensi, & commissiones ad faciendam circa hoc justitiam à centum & amplius annis in omnibus ferè comitiis designatæ, hucusque executioni non sunt mandatæ ex defectu Electoris. Drahimensis præfectura non satis legitimè occupata sub interregno; contributiones publicæ ex illa non solvuntur, nec hybernus panis pro militibus regni, quamvis titulus hypothecæ ab hoc onere non eximat, cùm vigore illius Elector solùm successit in locum, & proventus Præfecti Drahimensis. Quanta hinc summa proveniret per tot annos? Res tormentaria transportata, & exactiones graves extortæ ex Varmia. Telonia imposita & extorta in Pillavia contra pacta. Trajectus per Vistulam apud Novam usurpatus absque ullo jure. Incolæ Prussiæ aggravantur nimiis contributionibus, ac aliis angariis, licet eorum jura, privilegia, & libertates præcustoditæ sint in pactis. Raptus Kalchsteinius & Rhode; pacta cum Svecis 1666 pro defensione Prussiæ, ac in favorem Moschi cum præjudicio Poloniæ. Titulus Magni Ducis Litvaniæ Moscho datus ab Electore defuncto. Protectio variorum rebellium Regi Poloniæ, & proscriptorum. Calvinistæ introducti in Prussiam, Lemburgum, & Butoviam; templa illis exstructa contra pacta. Conversio ad fidem Catholicam pluribus impedita per varias vexationes, uti Damlerus, & alii experti sunt. Comes de Schlieben condemnatus est ad mulctam triginta millium Imperialium, eò, quòd ab Vjeyscio Episcopo Kijoviensi filiam suam baptisari curaverit. Monetam Polonicam proscripsit contra pacta, domus Brandeburgicas à feudo pridẽ exclusas iterũ pactis inseruit, Columbacensẽ, Onobaldinam.

A.C. 1699

Prætensiones Reip. ad Electorem.

His & similibus conabantur nostri hypothecam Elbingensem redimere, majores, ac justiores suas prætensiones esse contendentes, ideoque saltem mutuò compensandas ac oblivione delendas. Verùm Ablegatorum pertinaciam, seu obedientiam infringere haud poterant eodem scuto mandati se tuentium, nec ullos gradus admittentium, sed in sola repetitione summæ quadringentorum millium talerorum persistentium. Et sanè mirum est, quòd ab hac summa ne latum ungvem discedere, aut assem remittere volebant; quam-

A.C. 1699 vis reductio ejus ad trecenta millia per Legatos Electoris præteriti, scilicet Parentem Domini Hoverbek, & Dobrocenski ex ipsa repræsentatione juris typis vulgata ab ipsomet moderno Electore demonstrabatur. Cùm igitur plures dies inutili verborum pugnæ impensi essent, Ablegatis eandem cantilenam repetentibus, visum est nostris aliquem huic congressui imponere finem, quòd factum est per declarationes, quas tibi Princeps Eminentissime adnecto cum tractatu, qui tandem cum Ministris Brandeburgicis heri conclusus est.

DECLARATIO CONSILII Varsaviæ 10. Decemb.

Consilium præsens Senatûs, & Ordinis Equestris Regni, & M. D. L. lege publicâ ad negotium Elbingense designatum literis Suæ Celsitudinis Primatialis Illust: & Rndmi in Christo Patris Dni Michaëlis Cardinalis Radziejowski Archi-Episcopi Gnesnensis, Primatis Regni, & M. D. Lit. potestate sibi à S. R. Mte D. nostro clementissimo protunc à finibus Reipub. absente, datâ, convocatum unanimi concordiâ post plurimas prægrandes reflexiones, sensit, conclusit, ac decrevit. Cùm ad perfectam pacandi undequaq; Regni tranquillitatem, immensamq; S. R. Mtis Domini nostri clementissimi, cujus auspiciis omnia geruntur, gloriam, post rehabitam ab Oriente quoque pacem, domesticum ac ferè internum, utpote cum perpetuo fœderato Seren: Electore Brandeburgico, occasione captæ nuper validiùs, quàm justiùs Elbingæ, diffidium plurimùm intersit, omni meliori modo, antequam in bella sangvinisque effusionem descendatur, servato S. R. Majestatis Dni nostri clementissimi ac Reipub. honore assopire, eoque fine Consilium præsens convocatum, licet ob casum attentatum nullatenus cum Ministris Seren: Electoris Brandeburgici donec rationibus satisfactoriis, qualitercunq; læsæ Reipublicæ indemnitati provisum fuerit, congredi voluerit, insumptis tamen ad decem dies consultationibus singulari ac prudentissimâ operâ Suæ Celsitudinis Primatialis in explorandis & reducendis mentibus dictorum Ministrorum allaboravit, ast, cùm nihil aliud elicere potuisset, quàm, quòd iidem Ministri summam sibi integram quadringentorum millium talerorum imperialium titulo hypothecæ Elbingensi assecuratorum reluendam, & exsolvendam ante redditionem Elbingæ indebitè prætendebant, nec id rationibus ullis vel gradibus instructionis ex primo consilio promanatis retundi valuisset, sed tantummodo ad repetitas principali suo insinuationes sese reciperent, spatiumque quindenæ requirerent. Consilium verò præsens diutiùs frustra immorari contra dignitatem duceret, attamen sine conclusione facta, ne occasio abrupti negotii in Rempublicam rejiceretur, dilabi & dissolvi non expediret. Ideo constanter standum esse ultimo gradui instructionis suæ, non posse nempe declarari majorem summam nisi trecentorum millium talerorum; cumque parata pecunia non adsit, tali modo assecurandam prævià restitutione civitatis Elbingensis integrâ. Danda videlicet esse in pignus clenodia ex thesauro Reipublicæ Cracoviensi, utpote adamas magnus, & inaures majores, tum & corona Czarea appellata absque omni periculo vel mora quovis prætextu injicienda restituendi jus pignoris, quàm primum summa præmissa exsoluta fuerit; Exsolvenda autem à præsenti consilio assecuratur post immediata DEO adjuvante futura proxima comitia trimestri elabente. Ne verò quæpiam insufficientia pignori huic præstantissimo objici possit, casu quo tempore præfixo summa exsoluta non fuerit, aliud subalternum pignus, nempe Territorium totum Patronymicum civitatis Elbingensis apprehendendum Suæ Serenit. Electorali permittitur, retinendumque in statu, in quo unà cum cleno-

Clenodijs conceditur, donec summa prædicta trecentorum millium talerorum imperialium exsoluta fuerit. Ea, à ministris Brandebur. post captam à suo principali resolutionem acceptata fuerint, Sua Primatialis Celsitudo curabit prædicta clenodia omni servatâ securitate Varsaviam deportari, consiliumq; præsens ad conficienda instrumenta quietationis à Seren: Electore Brandeburgico de hypotheca Elbingensi, & inde emergentibus, ac vicissim à Rep: assecurationis summæ supra expressis mediis exsolvendæ, literis suis obdestinare, ac invitare, non intermittet. Quòdsi verò tam æquè & justè declarata prosperam non reportaverint resolutionem, Consilium præsens nunc protunc protestari, quemadmodum amicæ viciniæ tranquillitatem antea, ita & impræsentiarum negotium restabiliendæ ejusdem non ex parte Reipublicæ, sed à Seren: Electore Brandeburgico violari, & abrumpi, remq; totam ad terminos, in quibus erat, antequam Minister, vel Ministri Seren: Electoris Brandeburgici ad dandas rationes satisfactorias admissi fuissent, redire, ipsosq; Ministros abire debere præsentis Consilij Reipub: vigore. *A.C.1699*

CONCLUSIO CONSILII REIP. DE NEGOTIO ELBINGENSI Varsaviæ 17 Decembris 1699.

SEcundariò demum literis Suæ Celsitudinis Primatialis Illust: & Rdmi in Christo Patris D. Michaëlis Cardinalis Radzieiowski Archi-Episcopi Gnesnensis, Primatis Regni Poloniæ, & M. D. L. in absentia S. R. Mtis D. nostri Clementissimi convocatum Consilium Senatus & Ordinis Equestris Regni, & M. D. L. lege publicâ generalium Regni comitiorum proximè præteritorum destinatum, atq; pro 17. mensis præsentis congregatum, post examinatas iterum negotij concludendi, vero ac sincero in publicum zelo, omnes prætensionum Reip: & ex adverso à sua Seren: Electorali oppositarum circumstantias, postq; receptâ à Ministris Brandeburgicis, ore suæ Celsitudinis Primatialis submissionem, quod suus Principalis decretam in nupero consilio Reip: ultimariam resolutionem plenariè acceptet, amicitiasq; cum Rep: quantocius redintegrãdas desideret, præfatos Ministros suæ Ser. Electoralis, utpote Illust: & Mag. Dietericum liberum Baronẽ ab Hoverbek, in Eichmedien, Boranowo, Dankau, & Geyerswalde Electoratûs Brandeburgensis Dapiferum hæreditarium, Consiliarium statûs intimum, & Ablegatum extraordinariũ, atque generosum & Mag: Godefredum Werner Consiliarium Aulicum, & Residentẽ in Polonia suæ Ser. Electoralis admittendos esse in conspectum suum censuit, prout defacto admisit, assignato iis sedendi loco ad sinistrã partẽ mensæ. Qui postquam lingvâ nostrâ vernaculâ, uti ejusdem gnari, sermone honorifico, & modesto idem confirmâssent, quod ore suæ Celsitudinis Primatialis relatum fuerat, quòd nempe sua Ser. Electoralis declarationi consilii nuper factæ annuendo sũmæ decurtatæ scilicet trecentorum millium talerorum Imperialium acquiescat, damnisq; omnibus, & interesse vigore ejusdem, prætenso, in favorem & gratiam Reip: abrenunciet, quodque eadem sua Seren: Electoralis occupationem civitatis Elbingensis nequaquam animo lædendi, aut offendendi Remp: sed solâ innocenti juris sui liciti imaginatione præsumpserit, ac denique, quòd amicitias non veteres modò colendas, sed novas augendas in perpetuum cum Seren: Rep: plurimùm desiderat. Idem supra scriptum consilium Reip: his & similibus propositionibus in satisfactionem debitam S. R. M. Dño nostro Clementissimo & Reip: admissis, conscribendũ tractatũ retradendæ Elbingæ unanimi consensu cõclusit, eundẽque omni ex parte examinatũ, ac mutuò concertatũ, prout

A.C.1699 prout in ſuo ſeorſivo tenore habetur, ſubſcripſit, & ſigillis munivit. Cum verò ad executionem tractatûs iſtius, nempe pro ſecuritate exſolvendæ ſummæ, in vim reluitionis hypothecæ Elbingenſis certa clenodia ex theſauro regni Cracov. neceſſariò juxta priorem conſilii declarationem comportanda ſint, habebit ſua Celſitudo Primatialis facultatem de gremio præſentis conſilij, Deputatos; unum ex Senatu, & duos ex Ordine Equeſtri pro ijſdem clenodiis adferendis, præviâ conquiſitioue clavium, ab iis, quorum intereſt, deſignandi, iiſdemq; pro vialibus juxta ſenſum ejuſdem conſilii; Senatori trecentos, equeſtribus per ducentos imperiales aſſignandi. Qui quidem deſignati Commiſſarii juxta inſtructionem ſuæ Celſitudinis Primatialis ſeorſivam factâ reſeratione Archivi, ſeu theſauri Cracovienſis tum & ſcrinij in præſentia Venerabilis Cuſtodis ejuſdem theſauri, commiſſa ſibi clenodia levabunt, ſigilliſque ſuis, & prædicti Venerabilis Cuſtodis munita Varſaviam in manus ſuæ Celſitudinis aſportabunt. Sua verò Celſitudo regeſtrum cum graphica ſpecificatione eorundem clenodiorum, ac cujuſvis lapidis pretioſi conſcribendum curabit, manibusq; prædictorum miniſtrorum ſuæ Serenitatis Electoralis ſubſcriptum in vim reverſalium circa traditionem eorundem, in depoſitum ſuæ Serenitatis Electoralis recipiet, atque inter Archivalia regni aſſervandum habebit. Inſuper idem conſilium Reipublicæ ad receptionem civitatis Elbingenſis, depoſitionemque eorundem clenodiorum ex Senatu, & Ordine Equeſtri Reverendiſſimum in Chriſto Patrem, Illuſtriſſimos, Magnificos & Generoſos, Andream in Załuskie, Kozietuli, & Błędow, Załuski Epiſcopum Varmienſem & Sambienſem, Principem Sacri Romani Imperij, Joannem in Przebendow, & Lezenko Przependowski Palatinum Mariæburgenſem, Kiſzborienſem, Pokrzywnicenſem, Mirachovienſem; Georgium Towianski Caſtellanum Lancicienſem, Radzicenſem; Stanislaum in Sczuczyn, & Radzyn Sczuka Pro-Cancellarium magni Ducatûs Litvaniæ, Lublinenſem Capitaneos. Ex majori Polonia Michäëlem de Kozielsko Puzyna Regentem minoris Cancellariæ magni Ducatûs Litvaniæ, Viſnenſem, Verbkovienſem Capitaneum, Vladislaum Czarnkowski. Ex minori Polonia; Stephanum Humiecki Dapiferum Podoliæ, Caſimirum Dłuzewski Pocillatorem terræ Chelmenſis. Ex magno Ducatu Litvaniæ Michäëlem Sapieha Notarium campeſtrem magni Ducatûs Litvaniæ, Chriſtophorum Niemirowicz, Szczyt Vexilliferum Polocenſem, Jaſviſenſem Capitaneum, muniendos ad id literis Plenipotentiæ, & inſtructionis ſuæ Celſitudinis Primatialis vigore præſentis conſilii Commiſſarios; ex theſauro verò Regni, & magni Ducatûs Litvaniæ proportionaliter ſumptu Commiſſarios Reipublicæ debito per aſſignationes ſuæ Celſitudinis Primatialis providendos deſignat, copiasque illuc militares pedeſtris cujuſpiam Regiminis pro eodem termino recipiendæ civitatis Elbingenſis per Illuſtriſſimum Supremum belli Ducem Regni ſubmittendas, pro omnibus ibidem portis & locis, quæ ad præſens ibidem militia Brandeburgica tenebat, ſuo præſidio tenendis, & firmandis, uſque ad ulteriorem Reipublicæ diſpoſitionem cenſet, atque declarat præſentis conſilij Reipublicæ vigore.

TRA-

TRACTATUS RETRADITÆ ELBINGÆ

NOtum ſit univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut intereſſe quomodolibet poterit; Fœdus perpetuum, atq; amicitia Sereniſ: & Potent: Principem D. AUGUSTUM II. DEi gratiâ Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ, &c: atq; Regnum Poloniæ, & M. D. L, inter & Seren: D. Fridericum III. Marchionem Brandeburgicû S R I. Archi-Camerarium & Electorem, in Pruſſia &c Inſperata nuper occaſione occupatæ per Suam Ser: Electoralem Elbingæ in tantò infenſiùs proruperat diſſidium, quantò magis conſuetas bonæ vicinitati erga Remp: Polonam, amicitias ſemper usq; ad ſera ſui damna religiosè colentem, à fœderato Principe ſperabantur. Iſſet proculdubio ardens mali ſenſus in flammas atrocis belli, ni divina bonitas vicibus meriti vel demeriti Regnis pacem ac tranquillitatem adimens, vel reſtituens prius mediatorias vicinorum & amicorum Principum authoritates, mox comitia generalia regni interjeciſſet, iisq; moderamen ad res amicè aſſopiendas permiſſum fuiſſet, ac tandem à Sua Seren: Electorali admiſſio Miniſtrornm ejus ad dandas rationes juſtificatorias prætenſæ læſæ Reip. indemnitati conſtanter expetita fuiſſet. Ii demum, poſtquam aſſenſu S. R. Mtis hîc Varſaviæ redintegrandæ amicitiæ ſincerä declaratione, quòd non animo lædendi, nec offendendi Rempub, præmiſſa facta fuerint, nomine Principalis ſui comparuiſſent, debitè ad id inſtructi, literisq; mandati muniti, atq; ultimariam nuper congregati Reip: conſilii declarationem à Sua Sereniſ: Electorali acceptatam eſſe declaråſſent; conſilium Senatûs & Ordinis Equeſtris Regni, & M.D.L, publicâ Generalium Regni Comitiorum proximè præteritorum deſignatum, facultateq; à S.R.Mte præmunitum in abſentia ejusdem de Regno ſub felici directione ſuæ Celſitudinis Primatialis, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris D. Michaëlis Radzieiowski Archiepiſcopi Gneſnenſis Primatis Regni, & M. D. Litvaniæ convocatum; cum iisdem Miniſtris, utpote Illuſtri & Magnifico Joanne Dieterico libero Barone ab Hoverbeck in Eychmedien, Bannowo, Dankaum, & Geyerswalde Electoratûs Brandeburgenſis Dapifero Hæreditario, Conſiliario Statûs intimo, atque Ablegato Extraordinario, & Generoſo ac Magnifico Godefrido Wernero Conſiliario Aulico, & Reſidente in Polonia Suæ Serenitatis Electoralis in ſequentes deſcendit, & conſenſit tabulas.

1mo. Poſt factam mutuæ amicitiæ redintegrationem, omnis apprehenſæ Elbingæ, emanatorumque quorumvis inde ſcriptorum, & exacerbationum ab utrinque aboletur memoria. Fœdus verò perpetuum, atque firma & ſincera amicitia ad terminos tum veterum, tum recentiorum Valevienſium pactorum integrè ac inviolabiliter indiſſolubili nexu, & vinculo conſervanda reducitur, & reſtituitur.

2do.

A.C.1699 *2do* Civitas Elbingensis prout recenter occupata integra sine quavis demolitione repertorum ibidem mœnium ac fortificationum, quovis deinceps jure, & prætensione hypothecæ Elbingensis, aliisque inde emergentibus in perpetuum abolitis, evacuato milite retradenda erit. Die primâ mensis Febr. Anno Dñi millesimo, septingentesimo, præsentibus Commissariis ad id muneris designatis, sine ulla difficultate, & sine quavis negotii exequendi protractione.

3tio Præsidiarii Suæ Seren: Electoralis, omnia tormenta, mortaria, sclopeta, bombardas, aliaq; bellica instrumenta, tum munitiones quascunq; proprias, in civitatem importatas liberè, & absq; cujusvis præpeditione exportabunt, & avehent. Quæcunq; verò ad civitatem pertinent, nullo prætextu inde amovebuntur:

4to Vicissim à S. R. Mte, & Regno Poloniæ, ac M. D. L. neglecta quovis casu summa 300 millium talerorum imperialium in vim reluitionis hypothecæ Elbingensis, quadringentorum millium talerorum imperialium, indeq; omnium emergentium fide bonâ Suæ Serenitati Electorali, post comitia DEo dante immediatè proxima finita, elabente trimestri, realiter hic Varsaviæ exsolvenda declaratur; atq; in majorem fidei publicæ securitatem certa clenodia ex thesauro Regni, sigillis ejusdem consilii, atq; Ministrorum Suæ Serenitatis Electoralis consignata eorundēq; Ministrorum Suæ Serenit: Electoralis regestro, in vim Reversalium authentico specificata loco pignoris post evacuationem Elbingæ, inchoatam, posterâ die in manus Commissarii Suæ Serenit: Electoralis ad id plenipotentiam habentis, jure solenni depositi concedenda, & tradenda erunt. Quæ quidē clenodia integrè ac sub sigillis specificatis juxta regestrū reversale, quàmprimum summa prætacta exsoluta fuerit, absque omni mora, prætextu vel quavis imaginabili pro se aut quopiam alio prætensione, veluti solenne Reipublicæ depositum, totaliter restituenda erunt.

5to Quodsi stato tempore ob aliquos casus summa prædicta exsoluta non fuerit, facultas permittitur Suæ Serenitati Electorali integrum territorium Patronymicum civitatis Elbingensis pacificè, sine quovis impedimento, unà cùm usufructu solito ejusdem territorii occupandi, illudq;, sine tamen quavis innovatione, aut quocunq; colore fortalitii exstructione, verùm in statu, in quo, unà cum clenodiis tamdiu possidendi, donec summa sæpè dicta 300 millium imperialium realiter exsoluta fuerit. Quamprimùm verò eadem exsolvetur, tam dictum territorium integrum, quàm & memorata clenodia sub eadem, ut supra, cautela, nullam scilicet humanitùs excogitandam injiciendo difficultatem, inviolabiliter restituenda, & reddenda erunt ad manus ad id à Republ: Deputatorum.

6to Trajectum per Vistulam, uti & certa per Suam Ser: Electoralem exactio Stromgeldt dicta, Commissione mutuâ, si, & in quantum contraria pactis examinanda & sopienda.

7mo In majorem affectûs erga S. R. Mtem, & Remp. testificationem à Sua Seren: Electorali, summa quævis, quocunq; titulo apud Rempublicam ex capite Serenissimi Domini Principis de Croje prætensa, vel prætendenda, indeque emergentia perpetuò cassantur, & annihilantur, nihil juris inde sibi, aut cuipiam nunc & in posterum reservando.

8vo Testimoniales Suæ Serenitatis Electoralis pro Hetchero valituræ ad ipsius debitam exculpationem, & libertatem in proximis DEo favente Comitiis omni meliori respectu in manus Suæ Celsitudinis Primatia-

matialis depositæ acceptantur. A.C.1699

9no. Reliqua omnia sublatis ab utrinq; prætensionibus in vigore veterum & recentiorum pactorum Velaviensium constituta firmiter permaneant; Amicitia vera, & indissolubilis ad mutua partium utrarumq; commoda perpetuò colatur, & augeatur.

Et super hæc omnia ratificatoriæ tam S. R. Mtis, quàm Suæ Serenitatis Electoralis mutuò pro termino evacuationis comportabuntur. In quorum fidem duo exemplaria ejusdem tenoris confecta, & ad invicem commutata, manibus propriis subscripta, & sigillis communita sunt. Varsaviæ die 12 mensis Decembris. Anno Domini Millesimo sexcentesimo nonagesimo nono.

Michaël Cardinalis Radziejowski Primas Regni, & M. D. L. mpp. (L S)

Nicolaus Swięcicki Episcopus Posnaniensis mpp. (L S)

Andreas Załuski Episcopus Varmiensis & Sambiensis S. R. I. Princeps mpp. (L S)

Georgius Albrachtus Dönhoff Episcopus Præmisliensis Supremus Regni Cancellarius mpp. (L S)

Stanislaus Jabłonowski Castellanus Cracoviensis, Exercituum Regni Poloniæ Dux Supremus mpp. (L S)

Josephus Boguslaus Sluska M. D. L. Dux Campestris Castellanus Vilnensis mpp. (L S)

Georgius Hyppolitus Towianski Castellanus Lanciciensis mpp. (L S)

Franciscus Grzybowski Castellanus Junivladislaviensis mpp. (L S)

Stanislaus Lubomierski Supremus Regni Poloniæ Mareschalcus mpp. (L S)

Stanislaus Szczuka Procancellarius M. D. L. mpp. (L S)

Benedictus Sapieha Thesaurarius Supremus M. D. Lit. mpp. (L S)

Stephanus de Rychti Humiecki Dapifer Podoliæ Col. Art. Regni mpp. (L S)

Michaël de Kozielsko Puzyna Visnensis, Verbcoviensis Capitaneus mpp. (L S)

Franciscus Loski Pocillator Zakrocimensis Judex, & Vice Capitaneus Castrensis, Varsaviensis mpp. (L S)

Joannes Dietericus liber Baro ab Hoverbeck Serenis: Electoris Brandeburgici Ablegatus Plenipotentiarius mpp. (L S)

Godefridus Werner Seren: Electoris Brandeburgici Residens Plenipotentiarius mpp. (L S)

COPIA LITERARUM ILLUSTRISSIMI PROCANCELLARII MAGNI DUCATUS LITVANIÆ.

Illustrissime Domine Generalis Major &c.

INjuria publica & nunquam sperata per prohibitas recenti Comitiorum Regni lege copias militares Oeconomiæ Saulensi illata dolorosam satis impertitur occasionem scribendi ad Illustriss: Dominationem Vestram. Nec ideo quòd ab illa sperem aliquod levamen huicce malo, utpote cùm minimè dubitem, ipsam uti alienæ voluntatis esse ministram, ita nihil posse facere sine dependentia ejusdem, sed ut saltem

A.C.1699 saltem scire liceat, cujusnam arbitrio Illust. Dnãtio V. in attentata contra legem publicam acta & stimulata sit, dicere enim tales directiones prævenire à S. R. Mte D. meo clementissimo nefas puto. Ille siquidem facili gratia & pleno respectu erga Patriam hanc in nuperis Comitiis assensum præbuit legi claræ, qua omnis exotica malitia procul de Regno Dominiisq; ejus jussa est revocare etiam eosdem Ordines uti in certis scriptis Illust: Dõnis V. annotatur ad Perill: & Admodum Rñdum Białozor injuriosum & statui & malitiæ videtur, Sacerdos enim est, altaria non arma curet, rejicere deinde eundem facti casum (ut in iisdem scriptis habetur (in Illust: & Mag. Palatinum Mariæburgen: ac si mecum ut Administratore Seren: Dñi Regii Principis Jacobi de hisce militaribus consistentiis pertractasset, veritati, & mihi infertur injuria, cùm ne quidem per somnium ea de re ullus tractatus institutus fuerit. Ad extremum provocare ad titulum vel compellationem Regiæ Oeconomiæ manifestum est lusu verborum profligari justitiam & æquitatem, neminem enim diffiteri œconomiam Saulensem Regiam fore, sed non nisi facta reali summarum ibidem hærentium lege Reip: assecuratarum proventuumq; debitorum exolutione: quod & S. R. Mtas, D. meus clementissimus mihimet ipsi in Comitiis immediatis Mareschalco eorundem declaravit, nequaquam amplius quovis titulo, multò magis consistentiis militaribus impetendam dictam œconomiam, donec summa & hypotheca, vel quævis alia proveniens realiter exoluta fuerit, atq; in hoc fundamento, tum juris publici, tum Regiæ declarationis, memoratus Seren: Princeps eandem œconomiam in triennalem possessionem meam, postquam nulla reluitio hypothecæ cæterorumq; pro festo S. Joannis Baptistæ præterito, ut promissum erat, subsecuta fuisset, certo contractu dimisit. Nunc igitur mihi in tali statu constituto, nec modò legis publicæ sed propriæ substantiæ damna revolventi, quàm sit necessaria scientia, quibus Ordinibus, quoq; impropitio fato fidelis S. R. Mtis Minister & subditus premar, facilè cognoscet Illust: Dnãtio V, indeq; illam enixè rogo, ut si bona ista possessionis ad præsens meæ libera quantocius hisce consistentiis militaribus facere nequiverit, saltem de Ordinibus suis me instructum reddere velit, cùm sine his regularis malitia incedere nunquam sciat. Id facere Illust: Dnãtio V. non solùm ex præmissis tenetur, sed etiam ad exculpationem mei, nisi enim apertè suos Ordines profiteatur, certò certiùs ego in liberrimo hoc Regno suspicionibus obruar, omnia illa quæcunq; cum S. R. Mte, D. meo clementissimo in præteritis Comitiis me ministro transacta sunt, per condictum quodpiam venisse, dum militia per legem mei Mareschalcatus prohibita in bonis possessionis meæ locatur, quanta hinc innocentiæ meæ apud liberas mentes censura, quanta rerum pericula in conventibus Palatinatuum ac terrarum mihimet evitanda, utiq; sat insinuasse prudenti, his proinde vel leviter expositis debitæque reflexioni submissis iterum atque iterum qualiter à quonam Regni vel Magni Ducatûs Litvaniæ Belli Duce tantarum copiarum veniat missio informari desidero atque maneo. Radzini die 26. Decemb. Anno Domini 1699.

(o)

ANNUS

ANNUS
1700

CXXXIV.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. CARDINALI PRIMATI. Elbingâ 3tiâ Februarij Anno 1700.

Ingressus Commissariorum Elbingam. Evacuatio præsidii Brandeburgici, Aliaq; acta & statuta per eos ibidem.

JAM tandem opus sæculorum per te Eminent: Princeps tam cautè cœptum, tam prudenter continuatum, tam solidè conclusum per DEi gratiam feliciter perfectum & consummatum est. Non cessant prodigia divina super nostram Patriam, scissio tam gravis quæ flammas & ignem Patriæ minabatur moderamine animi tui ad unionem reducta. Oriens terror orbis fortunâ S.R. Mtis, & Reip. domitus multum de suo demisit tumore, cum nostro honore. Post densam rerum sinistrè euntium nubem optata Patriæ redit serenitas, dū ubiq; pax tot votis expetita sine cæde planè & integrè restauratur. Jam Elbinga in manibus est nostris, cujus receptæ seriem breviter tibi defero pro munere meo. Disponebam me Heilsbergæ, ut per tempestivam inde profectionem possem in loco loci comparere pro ultima Januarii non permittendo præterlabi primam Februarii, terminum retradendæ Elbingæ, D. Procancellarius M. D. L. venit ad me 29. cum quo, sumpto prandio, & uno ac altero exhausto poculo, non sine reverenti memoria, Mtis, & ejus locum tenentis cum sonitu & applausu tormentorum Heilsbergensium profecti sumus pro nocte Wormditum, in crastino pervenimus Hollandum, ubi invenimus expeditionem à te relictam nobis à D. Castellano Lanciciensi, qui nos præcessit ad proximam Elbingæ villam, sed 31 assecuti illum, ad rhedamq; nostram invitantes in ea omnes simul Comissarij quatuor, quot tunc eramus, pergebamus Elbingam. Quia verò Dñus Generalis Greben designatum pro præsidio suum Regimen non solùm non conduxit, sed neque novit ubinam esset, duxi ego in omnē casum aliquot centenos meorum Varmiensium in armis, qui satis decorā præbuerunt nobis assistentiam, medio tamen milliari ante Elbingam peditatu relicto, solis equitibus comitati iter continuabamus, quòd perfecimus horâ tertiâ à meridie ingressi Elbingam ad repetitas sæpius tormentorum salutationes in honorem Sacræ Regiæ Mtis & Reipub: hoc solùm incusandum venit, quòd nix pluviæ mista præpediit non nihil ingressus nostri splendorem, qui tamen etiam in tempestate satis emicuit. Descendentem unumquemq; Comissarium ad hospitia salutavit Magistratus similiter & Dñus Brandt Generalis exercitûs Brandeburgici in persona sua; Dominus Horn verò Comendans urbis, infirmitate impeditus per suum Officialem eadem nobis humanitatis exhibuerat officia. Vespere miserunt iidem ad nos petentes militarem Tesseram, quam visum est nobis dare: AUGUSTUS FRIDERICUS; postridie verò solùm Augustus; quia jam soli hic Domini fuimus. Invisit nos eâdem die Dominus Werner; quia Dñus Hoverbeck nondum pervenerat ad urbem, ob suam infirmam valetudinem. In omnibus portis validæ erant custodiæ, non tamen omnes Brandeburgicæ; nam etiam Elbingenses multa tenebant loca, quia verò Brandeburgici minimè sperabant nos tam citò venturos, & non putabant nos servaturos pro more punctualitatem, mandaverunt, ut tantùm secundâ Februarij currus ex Prussia Ducali rebus eorū avehendis advenirent, & tum primum ipsimet egressum cogitabant. Sed nos innixi tractatui, evacuationem 1. Februarij demandanti institimus fortiter, & obtinuimus decla-

declarationem positivam, quòd se tractatui conformaturi essent; interea A.C.1700
etiam Dominus Hoverbeck circa 8vam noctis advenit. In crastino scilicet primâ Februarij, ego visitationem Ecclesiæ Elbingensis inchoavi, ut inde magis viderem, quid à Magistratu pro illa requirere deberem. Supervenit etiam & Dominus Carnkowski, legimus literas tuas, instructionem, connotationem pignoris, & alia instrumenta. Interim Dominus Werner per Dominum Pro-Cancellarium M. D. L. petebat, ut ad Prætorium conveniremus, ibique commutationem Ratificationum faceremus, siquidem in meo hospitio manum dexteram justè prætendere possent. Sumpsit hæc controversia aliquantulum temporis, quia non videbatur nobis absolutè congruum ad Prætorium descendere, ex ea præcipuè ratione, ut externi Ministri eum locum ne quidem attingerent, dexteram etiam dare, quamvis in propria domo minimè licitum erat; sed adinvenimus medium terminum. Præscripsit tractatus, quatenus in præsentia nostra egrederetur præsidium Serenissimi Electoris; elegimus igitur domum in tractu, ut in ea congressi intueremur egredientes, eundemq; locum pro conferentia designavimus, inania non curando, conservatâ nihilominus ubique authoritate, quæ characteri nostro debetur. Post prandium igitur apud me insimul sumptum ivimus ad prædictam domum, ubi aliquot horis disputatum, quia in ratificatione facta erat mentio domûs Electoralis. Nobis id primâ fronte non placuit; sed dum postea bonâ fide nobis explicarunt, quòd id fieret propter majorem securitatem nostram, ut non tantùm solus Serenissimus Elector, sed & tota domus ejus nullam in posterum formare posset prætensionem ad Elbingam, siquidem tractatus Bidgostiensis aliquid ipsi concedere videbatur, supersedimus, & ita institimus, ut post unam noctis horam præsidium è civitate egrederetur monstrantibus ei viam plurimis facibus à nobis submissis, ac populis applaudentibus. In crastino Purificationi Virginis purissimæ dicato post Missam solennem hymnum Ambrosianum inter reboantia tormenta decantavimus. Post prandium valla, mœnia, aliasque fortificationes lustravimus, & intactas à milite Brandeburgico, satisque fortes advertimus. Hodiernâ tandem luce ad prætorium conscendimus, ibique ea diximus, fecimus, statuimus, quæ in annexis patebunt. Et sic integrè fidem servavimus, feliciter cursum consummavimus, opus benè cœpum optimè finivimus. Ego etiam epistolam meam finio totum benedictioni divinæ & manuductioni Eminentiæ Vestræ, ac meorum collegarum summæ applicationi, & dexteritati attribuendo.

SERMO AND. CHRYSO. ZALUSKI EPISCOPI VARMIENSIS uti primi Commissarii, ad Magistratum, Scabinos, aliosque Officiales & Deputatos communitatis Elbingensis stantes in Prætorio dictus 3tiâ Februarij 1700.

DEscendimus huc cum plena integraque potestate à Serenissimo Rege nostro Domino Clementissimo, & Republica Deputati legitimè repetundarum Commissarii, scilicet ad rehabenda ea, quæ nuper adversæ sortis procella ad proximum littus depulerat. Agnoscimus in primis magnam magni Dei gratiam, quòd ex scintilla hac incendium, quod mutuebatur, timendum amplius non sit. Iam pax tot votis expetita sine cæde moraque sub cœlestibus auspiciis, & Serenissimi AUGUSTI nostri, prospera (utinam semper) fortuna feliciter ab Eminentissimo æquè ac omnium sæculorum memoriâ dignissimo Primate, remediis salubri effectu duraturis non in præsens magis, quàm in futurum cavente. Cum delegatis ad hoc negotium à Republica Commissariis inter Sacram Regiam Majestatem Dominum Clementissimum, Rempublicamque, & inter Serenissimum E-

A.C.1700 lectorem Brandeburgicum plenè & integrè restaurata. Faxit DEUS, quod omnes vovemus boni, quidquid præoccupatæ mentes sentiant, dicantque, ut amicitia hæc inter tam magnos Principes vicinaque dominia pro bono utriusque partis sit immortalis. Vos verò, ò cives reducti è semita in viam, penitius considerate, quantum & Serenissimo Regi & Reipublicæ debeatis, quòd tanto sudore, sumptu, sollicitudine vindicaverint vos de manibus alienis. Considerate exercitum sine ulla alia necessitate cum tanto Reipublicæ onere detentum, nec dimitti nisi in comitiis valentem, consilia toties non sine fastidio, & salutis nostræ non levi dispendio, diu noctuque inita, repetita; legationes ad Mediatores non sine ingenti sumptu expeditas, itinera toties eundo, redeundo cum summo incommodo facta. Clenodia vix non ultima decora Regni, in pignus, ut vos liberi sitis, concessa; tot deniq; sollicitudines, tot curas; considerate tandem, quid fecistis nobis & vobis, cujus periculi, quantæ in Christianitate (tota etenim commota sine dubio fuisset) ruinæ causa non fuistis? fortalitium hoc pulchrum, & fortiori dignum defensione non aggressioni armorum, sed sine ulla explosione ostentationi tantùm cessit, quasi verò ad pompam, non ad usum, tot muris, fossisque sitis cincti, quasi verò vos, populusq; vester eo robore non sitis, ut possitis; eo animo, ut resistere valeatis, si voluissetis. Quanta hæc famæ vestræ temporibus in ævum successuris injuria? Quanta fidelitatis, recentissimum adhuc in ore vix non hærebat præstitum juramentum, & fidei jactura: etiamsi enim vulnus sanetur, cicatrix semper manebit. Nollem acerbâ commemoratione infausti operis, quod nemo probare potest, damnare quivis debet, compositos fortè jam ad meliorem frugem animos, pudore aliquo, doloreque intempestivo suffundere. Sed ad loquendum provocamur, obligamurve,ut arguamus, ne arguamur. Vellem ut transactæ rei seriem, tristemque illius temporis injuriam tam facilè possemus oblivisci, quàm tacere; minus enim dico, quàm dici debeat, si id, quod error vester coinquinavit, quod præcipitantia vestra contaminavit, quod major fortè emolumenti privati in quibusdam species, quam damni publici metus committere fecit, exaggerare vellem, & vera potiùs, quàm dictu speciosa loquerer. Nonne vitæ, fortunarum, privilegiorumque vestrorum manifestum discrimen ex publica Regnorum omnium lege ipso facto incurristis? scriptum hoc, quod in defensionem, quasi vestram prodiit, magis vos aggravat; quod si tempus permitteret, palam vobis esset. Unde ex qualitate culpæ, mensura sumi debet pœnæ; sed clementia Serenissimi Regis, totiusque Reipublicæ respectus non perdendos vos, sed corrigendos ad memoriam temporum credit: quæ vulnerata sunt, sananda potiùs, quàm recidenda ad imitationem boni medici, non ægros tollendos, sed morbos in animo habet. Bonus quippe judex damnat improbanda, non odit. Bonitas quippe Augusti nostri, uti Patris, affectus Reipublicæ, uti bonæ matris in sinum vos, sed castigatos & mortificatos iterum redeuntes recipiet. Cum verò futura vix prospici possint, sine examine præteritorum, per modernosq; casus prudenter futuris cavendum, antequam tangamus eos, quibus ulcus inest, hoc moderamine prius ex vero in vos affectu utendum rati sumus, ut vos præ primis, quibus moderamen aliorum commissum erat, estque, semotis arbitris conveniamus, à vobisque, quis in culpa tam turpis, & nefandæ proditionis fuerit, exquiramus. Vestro primum (modò sit conveniens) judicio proponamus, quomodo coram orbe tantum crimen eluere, quomodo Reipublicæ tot damna reparare, quo genere pœnæ factum punire, quid denique in tam justo æquè ac delicato negotio facere debeamus, si agnoscentes, quæ negari non potest, culpam, emendantes in melius, quæ jam turpiter peccastis, ipsimet convenientia media ad sanandum hoc vulnus proposueritis, pa-

paternum Serenissimi Regis, maternum Reipublicæ experiemini affe- *A. C. 1700*
ctum. Sin minùs judiciariâ potestate præterita puniendo, futura ordinando, eò procedemus, quò rigor justitiæ, quò nos nostræ dirigunt, iterque monstrant instructionis gradus.

Respondit Præconsul nomine civitatis implorando clementiam, & deditionis suæ aliquas afferendo excusationes, quas mox Illustrissimus Dominus Szczuka sequenti sermone diluit.

SERMO ILLUSTRISSIMI D. SZCZUKA PROCANCELLARII M. D. L. ad Elbingenses ibidem dictus.

NOn ex candida tantùm Poloniarum aquila, ut nunc Nobiles & spectabiles Dñi, viriq; comemorari fecistis, sed etiam ex mitissimo terrarum Prussiæ, nostræque comissionis dignissimi Præsidis Gentilitio agno facilè augurari, quàm sit bono omine advent⁹ noster potestis. Nullus enim nostrûm est, qui sortibus miseræ civitatis vel succurrere, vel super eas intelligere nolit. At obstat factum, quod hucusque apud totã Rempub: (parcite verbis) criminis detestandi nomine venit. Vitia equidem & errores, donec homines, sed eorum etiam est distinctio, & quædam felicitas, si nimirum quantulumcunque adsit præsidium; jam vester Nobiles Dni error habeátne quodpiam tale munimentum? libet, quæ intulistis, percurrere. Non valet allegata Rejoviana traditio civitatis istius in man⁹ Brandeburgici, indeque quasi per continuatum actum possessionis secuta præsens deditio. Præter enim memoriam, quæ extat adhuc viva, quòd Illustrissimus ille Senator, & Comissarius Regius præscriptum sibi haberet, ne evacuatam civitatem, Svetico Brandeburgico investiret præsidio, ob tot reclamantium civium in Rep: puncto huic tractatûs Bidgostiensis protestationes; pugnat contra vos hoc ipsum, si concedamus; nam, si tunc, cùm traditi essetis, ut dicitis per voluntatem Reip: nequaquam concessistis in manus Brandeburgicas, cur non potius nunc, dum contraria adfuit Reip: mens, id sustinendum viriliter erat: nec valet mœnium, munimentorumque accusata debilitas, vel toleratus diu noctuq; quatuor septimanarum labor, notavimus enim & vidimus, ego præcipuè (cui primò contigit ea lustrare) tum naturâ, tum arte adeo fulta, & insignia, ut retinendis iis plusquam quatuor septimas, non virorum, sed fœminarum vel emollia, & effæta pectora omnino sufficerent. Nec suffragatur incussus metus, & terror, minis tantùm verborum, necdum tormentorum, ad eum enim superandum tam erudito Magistratui, & viris, ut videmini, fortitudo deesset, vel sola exempla historiæ de bello Belgico defensarum civitatum sufficere deberent. Vellem, si possem, etiam propriâ ratione vestras adjuvare, nempe defectu annonæ quæ sola ad aperiendas civitatum portas validissimus est aries. Sed pro comperto habetur, civitatem hanc semper pro 12 saltem mensibus, de anno in annum habere, & innovare necessaria obsidioni alimenta. Ideo cum nulla bona rei malè gestæ adsit excusatio, agite in præsens, & vestrummet porrigite, quod hodie tantùm ex benignitate commissionis habetis, consilium, quomodo præterita emendari, futura similia caveri valeant; cum fato quodam uno sæculo, nec terna deditio civitatis istius saltem serò sapere Phryges in ea habitantes edocuerit. In manibus, inquam vestris est, vel hodie nobis ipsis, unà vobiscum consulibus invenire modos & media tum Remp. justissimè vobis iratam placandi, tum securitati civitatis hujus in æternum providendi, vel nobismet Commissariis & judicibus, utroq; hoc pro viribus nostris proviso, seram sui pœnitentiam experiri.

A.C.1700 STATUTA COMMISSORIALIA ELBINGÆ. ACTUM in prætorio civitatis Elbingensis feriâ sextâ post festum Purificationis Beatissimæ V. M. proximâ.

COram nobis Andrea in Załusk e, Kozieтuly & Błędow Załuski Episcopo Varmiensi & Sambiensi, Præside Terrarum Prussiæ, S. R. I. Principe; Georgio Towianski Castellano Lanciciensi, Radziecensi; Stanislao in Szczuczyn & Radzyn Szczuka Pro-Cancellario Magni Ducatûs Litvaniæ, Lublinensi; Michaële de Kozielsko Puzyna Regente minoris Cancellariæ Magni Ducatûs Litvaniæ, Visnensi, Verbcoviensi, Capitaneis; Vladislao Czarnkowski S. R. Mtis & Reipublicæ ad evacuandam præsidio Suæ Serenitatis Electoralis Brandeburgicæ civitatem Elbingensem tum ad cætera Commissionis negotia civitatem ipsam concernentia, examinanda, nec non ex consilio generali lege publicâ concluso, exequenda, designatis Commissariis, comparuerunt personaliter Nobiles & Spectabiles Burggrabius, pro-Consules, Consules, totusq; Magistratus, advocatus ac communitas Elbingensis ad dandas rationes, super deditione civitatis istius in potestatem Suæ Seren: Electoralis Brandeburgicæ. Quibus omnibus, & singulis probè & diligenter auditis, & benè examinatis, atque circumstantiis locorum & fortificationum per nos lustratarum, confrontatis. Nos Commissarij S R. Mtis, & Reipubl: eo vel maximè considerato, quòd in civitatis istius deditionem, post sustentam per quatuor septimanas obsidionem, & continuas civium in vallis vigilias ex hac præcipuè ratione ordines civitatis prædictæ consenserint, quia verendum erat, ne Respub: ægreferret, si illam in atrox, & diuturnum bellum protraxissent, per sangvineam oppositionem, quâ tamen nunquam sufficerent retinendæ civitati, ex defectu sui præsidij, eo quidem tempore altæ scilicet pacis, sufficientis, belli verò multùm exigui, & imparis, nullo quoq; subsequenti juvamine, quamvis instantissimè, & multifariàm implorato, in talia puncta & statuta salvo Reipublicæ beneplacito descendimus.

1 Quoniam ex teneritudine in Rempublicam, & pro maturanda eliberatione ab onere subsidialis hypothecæ Brandeburgicæ Territorii Patronymici civitatis, atq; ad avertenda multa alia mala, quæ civitatem in statu ejusmodi dubio, & periculoso permanentem premere possent. Nobilis & Spectabilis Magistratus, & communitas civitatis summam trecentorum millium timfonum Polonicalium specie taleris imperialibus, quemlibet per sex timfones computando, benevolè, & ultroneè in se suscepit, ideo in supplementum, & pro termino reluendæ Serenitati Electorali Brandeburgicæ summæ trecentorum millium talerorum imperialium, realiter & effectivè exsolvet. Pro colligenda verò dicta summa habebit idem Magistratus cum scitu communitatis plenam facultatem, modos, media, ac contributiones oneri conformes adinveniendi, & statuendi sine ulla cujusvis præpeditione sub pœnis arbitrarijs in contravenientes.

2.

2. Loco ducentorum militum præsidiariorum, quos hactenus civitas ista sustentavit, abhinc tenebitur præsidium numerosius de trecentis militibus pedestribus, & triginta equitibus selectis pro lustrandis de mane & vespere extra mœnia & suburbia locis, semper & continuo habere, & conservare. Ingruente autem quocunque hostilitatis casu, & præcipuè extremo periculo idem omni diligentia & curâ ad duo millia militum pedestrium augere, & tenere usque ad Provinciæ vel Reipub. succursum. Quorum Præfectus debebit esse semper vir gnarus artis bellicæ, & obsidionum, fortis, & strenuus, juratus Rhotâ consvetâ. Sed additis hisce formalibus, quòd S. R. Majestati Domino nostro Clementissimo & Reipublicæ fidelis ero. A. C. 1700

3. Præsidentes verò atque totus Magistratus & communitas, omni casu ingruentiæ hostilitatis alicujus sine scitu Serenissimi Regis, & Reip. terrarumq; Prussiæ, civitatem nemini tradent, eamq; defensuri sunt, usq; ad extremam necessitatem, quantum in ipsis erit, sub pœnis contra convulsores decretorum Reipublicæ.

4. Negotium Religionis Romano Catholicæ juxta seorsivâ à Nobili & Spectabili Magistratu datam ad præsens in manus Illustrissimi loci Ordinarij, in visitatione compositionem firmiter in omnibus punctis & articulis conservandum, manutenendum, & exequendum eidem Nobili & Spectabili Magistratui injungitur sub rigore jurium ejusdem Religionis in eadem civitate habitorum. Cùm verò hucusque juxta Articulum Pactorum Bidgostien. unus ex Catholicis in Magistratuum inductus non sit, proximè vacaturo loco in Magistratu eligetur vir quispiam probus & idoneus, Religionis Catholicæ salvo secundi ordinis gradu.

5. Quibus sic peractis uterq; ordo civitatis cum omnibus & singulis civibus & incolis omnibus juribus, privilegiis, immunitatibus, libertatibus, jurisdictionibus, & consvetudinibus tam Generalibus terrarum Prussiæ, quàm specialibus, & municipalibus sine ulla exceptione, quibus ante hanc sui occupationem ab antiquis retro temporibus ad hæc usque potitus, & fruitus est, tam ante incorporationem Prussiæ regno, quàm à Divis Regibus Poloniæ, & moderna Sacra Regia Majestate feliciter regnante concessis, tam quoad personas, quàm quoad bona perpetuò ac inviolabiliter conservatur. Nec ob factam per Suæ Serenitatis Electoralis Brandeburgicæ militem urbis occupationem sive judicialiter, sive extrajudicialiter ullo tempore, vel loco inquietari, turbari, aut infestari debet. In quorum omnium fidem majorem suprascripta puncta & statuta manibus propriis subscripsimus, & sigillis nostris communiri fecimus. Actum & datum ut supra.

A. C.

CXXXV.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. CARDINALI BARBERINI 4. Februarij.

Informatio de reddita Elbinga.

NEgotium, quod difficillimum primâ fronte accommodatu visum erat, tandem per gratiam DEi non tradendo posteris inimicitias, nec bellum excitando novum ex voluntate Regis, dispositione protunc Cardinalis Primatis (magnum hoc opus & homine dignum) ex utilitate quoq; Reipub: finitum est à nobis nuper. Jam es informatus de causis & motivis Electoris Brandeburgici. Quo animo autem id factum fuerit, in meliorem partem interpretati sumus, ex præsumptione quantumvis valida non judicantes, nec rem exasperandam, sed emolliendam credentes, opus hoc magnâ curâ, multâ operâ & labore confecimus, & nostræ solicitudini finē tandem fecimus, totâ mente incumbentes in hanc curam ut Resp: jus suum recuperaret, & ut ex hac parva scintilla neglecta magnum olim non excitaretur incendium. Non dubito & te pro affectu in Patriam nostram hunc nimbum citò transiisse lætaturum; amicos nostros inde recreari, inimicos quasi perculsos esse, non dubitamus; exactam omnium notitiam mittendam tibi judicavi, quomodo negotium hocce terminatum adnecto & literas Cardinali Primati scriptas, cui ratio actorum nostrorum, & exacta relatio dari debebat, ex qua sicut antè initia rei hujus tibi sunt cognita, ita finis lætus notus erit.

COPIA LITERARū S. R. Mtis AD EMINENT: CARDINALEM PRIMATEM. Dresdâ 9. Januarij.

Laudat Tractatum Elbingensem, & ratificationem ejus mittit.

LIteras Illustritatis V. hisce diebus ad nos transmissas, inclusumque in eisdem retraditæ Elbingæ tractatum cum singulari animi nostri voluptate accepimus, perlegimusque. Meretur profectò non minorem apud nos laudem, quàm apud totam Rempubl: applausum tam accurata, exactaq; omnium nostrorum, & Reipub: ex consilio lege publicâ designato, Commissariorum, Plenipotentiariorum, præsertim verò Illustritatis V. in concludendo tractatu hoc cum cōmodo & dignitate Regni nostri diligentia & applicatio. Cùm itaq; libenti animo, & non invitâ manu Ratificatorias ejusdem tractatûs subscripsimus, eas ad manus Illustritatis Vestræ per Generosum Franciscum Szembek Capitaneum Bochnensem Camerarium nostrum transmittimus, nulli dubitantes, quin ille citissimis passibus Varsaviam sit perventurus, prædictamq; expeditionem Illustritati Vestræ consignaturus. Cui nos optimam à DEo Optimo Maximo precamur valetudinem.

RATIFICATIO TRACTATUS ELBINGENSIS PER S.R.M.

NOS AUGUSTUS II. DEI gratiâ Rex Poloniæ. Notum facimus universis & singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit. Cùm populorum salus suprema lex sit, cui parere regnare est, & à nobis meritò censeatur, salutis verò basis inconcussa stet publicâ

plicâ pace, atque inviolatâ tum internâ, tum externa tranquillitate Hinc est, ut ad Regimen nostri Regni divino nutu, ductuq; evecti nihil antiquius habeamus, quàm pacato cœlesti ope intrinsecus Regno, perpetuæ paci, & quieti ac mutuæ benevolentiæ cum vicinis Principibus; uti nominatim cum Serenitate Electorali Brandeburgica servandæ studeamus. Quapropter nascentibus nuper dissidij flammis occasione occupatæ Elbingæ ex consilio per legem publicam designato, Commissarijs, Plenipotentiarijs omnimodam facultatem dedimus, & concessimus, cùm Ministris Suæ Serenitatis Electoralis conveniendi, remque amicabiliter discutiendi, & pro jure ac dignitate, ut par est, componendi. Qui ad certas conditiones, & puncta unanimiter devenerunt, omniaq; & singula utrinq; firmârunt manibus ac sigillis proprijs die 12mâ mensis Decembris anno Domini 1699. Ad firmandã itaq; pacem eandem, & tranquillitatem inter nos Regnumq; nostrum, ac Magnum Ducatum Litvaniæ, atque suam Serenitatẽ, veterẽq; & sinceram amicitiam stabiliendam, tum bonam vicinitatem conservandam, illos omnes & singulos Articulos in memorato retradendæ Elbingæ tractatu actos, condictos, & conclusos in omnibus & singulis eorum punctis, clausulis, & continentijs acceptamus, ratificamus, approbamus, & confirmamus, promittentes verbo nostro Regio, pro nobis atque successoribus nostris Regibus Poloniæ, ac regno nostro, Magnoq; Ducatu Litvaniæ nos omnia supra scripta in prædictis literis, atq; Articulis condictis & conclusis expressa firmiter & inviolabiliter observare, exequi, & adimplere, neq; illis quoquo modo contravenire omni dolo & fraude penitus seclusis In quorum omnium, & singulorum fidem, majusq; robur & testimoniũ præsentes literas manu nostrâ propria subscripsimus, illasq; sigillo Regni communiri mandavimus. Dabantur Dresdæ die 9 mensis Ianuarij Anno 1700 Regni verò nostri anno III. A.C.1700

PLENIPOTENTIA S. M. COMMISSARIJS AD EXEQUENDUM TRACTATUM ELBINGEN. AUGUSTUS II. DEI GRATIA REX POLONIÆ.

NOtum testatumq; facimus, quorum interest, aut interesse poterit. Quomodo Reverendissimus in Christo Pater, Illustrissimi Magnifici, & Generosi Domini, ex Senatu Andreas in Zaluskie, Kozietuly Episcopus Varmiensis & Sambiensis Præses terrarũ Prussiæ, Ioannes in Przebendow, & Lezenko Przebendowski Palatinus Mariæburgensis, Kiszborgensis, Pokrziwnicensis, Mirachowiensis; Georgius Towianski Castellanus Lanciciensis, Radzicensis, Stanislaus in Szczuczyn & Radzin Szczuka Pro Cancellarius Magni Ducatûs Litvaniæ, Lublinensis &c. Capitanei. Ex Ordine Equestri, ex majori Polonia Michàël de Kozielko Puzyna Regens minoris Cancellariæ Magni Ducatûs Litvaniæ, Visnensis, Verbcoviensis Capitaneus, Vladislaus Czarnkowski. Ex minori Polonia Stephanus Humiecki Dapifer Podoliæ, Casimirus Dluzewski Pocillator Chelmensis.

AC. 1700. *Ex magno Ducatu Litvaniæ Michaël Sapieha Notarius Campestris Magni Ducatus Litvaniæ; Christophorus Niemierowicz Szczyt, Vexillifer Plocensis Iazvicensis Capitaneus robore & vigore Consilij Reipublicæ immediatis Regni comitijs in negotio Elbingensi declarati Varsaviæ die duodecimâ mensis Decembris anno præterito celebrati, & expediti ad rehabendam & recipiendam de manibus Serenissimi Electoris Brandeburgici civitatem Elbingensem Commissarij Plenipotentiarij sint designati, & Deputati habituri plenariam & omnimodam facultatem, dictam civitatem Elbingensem ex possessione & prætensionibus quibusvis memoratæ suæ Serenitatis Electoralis Brandeburgicæ eliberandi, rehabendi, recipiendi, clenodia certa Reipublicæ in pignus deponendi, literas nostras ratificatorias tractatus de negotio Elbingensi Suæ Serenitatis Electoralis Brandeburgicæ commutandi, copias militares Brandeburgicas expediendi, præsidium verò Reipublicæ imponendi, civitatem in meliorem ordinem & securitatem reducendi, & redigendi, in præterita animadvertendi, discordias de Religione componendi, & determinandi; totum denique juxta memoratum contractum scriptum ad Archivum, & instructionem sibi datam peragendi, cæteraq; in similibus fieri & observari solita faciendi, observandi, & exequendi. Quidquid verò per eos factum, gestum, constitutum, executumque fuerit, totum id à nobis omnibusque ordinibus Regni, & M. D Litvaniæ gratum & acceptum fore, ut in fundamento prædicti Reipublicæ consilij. In quorum fidem præsentes sigillo Regni communiri jussimus. Dabantur Dresdæ Die 9. Mensis Januarij Anno Domini 1700, Regni verò nostri anno tertio.*

(LS) Ad mandatum Sacræ Regiæ Majestatis proprium. Venceslaus Franciscus Trzcinski Pincerna Ravensis S R. M. Secretarius.

RECOGNITIO ACCEPTORUM CLENODIORUM EX THESAURO REGNI.

NOs Commissarij Reipuplicæ ex consilio Senatûs, & ordinis Equestris in comitijs proximè præteritis in anno 1696. ad tractatum cum Serenissimo Electore Brandeburgico de retraditione Elbingæ institutio, & feliciter divinâ ope sub auspicijs & præsidentia Eminentissimi Cardinalis Radziejowski Archi-Episcopi Gnesnensis Primatis Regni, & Magni Ducatûs Litvaniæ (cui sit perennis exinde honor & gloria) in facultate à Sacra Regia Majestate Domino nostro Clementissimo pro tunc extra fines Regni existente ad id operis speciali diplomate concessa, Varsaviæ determinato ad thesaurum regni pro clenodijs in hypothecam loco reluitionis summæ in eliberationem Elbingæ condictæ designatis delegati convenientes Cracoviam & satisfaciendo commisso nobis negotio ad præsentiam Magnifici Francisci comitis in Pieskowa, Skała, Wielopolski Capitanei Cracoviensis, & Perillustris, admodùm Reverendi Pakoslai Lanckoronski Canonici Cracoviensis (in loco & munere Perillustris admodum Reverendi Hyacinthi Rusocki Custodis Thesauri Regni, protunc penes thesaurum existentis, accedentes ad di-

ad dictum thesaurum Regni, cum clavibus ab Illustribus Senatoribus *A.C.* 1700
convectis eundem thesaurum aperuimus, in eoque reseratis seris arcæ ferreæ extraximus inde, juxta instructionem nostram, pixidem unam cum adamante intus magno filis colligatâ, & duobus sigillis; uno Illustrissimi olim Stanislai Malachowski Palatini Posnaniensis; altero Illustrissimi Josephi Sluzka Castellani Vilnensis, signatam, & intactam; alteram pixidem cum sigillis etiam integris, sed filis discissis, in qua inventa sunt duo clenodia ad instar inaurium antiquarum variis lapidibus distinctarum, ex quibus adamantes locati facilè excidere possunt, & una ex eis absq; pendente unione, & sine auricula papyro involuta, & sigillis cum subscriptione Commissariorum Skarszowiis sigillata, sed fila discissa, separatim quatuor adamantes minuti in sacculo coriaceo involuti. Præterea in eadem pixide repertæ sunt tres chartæ; in duabus hæc duo clenodia sunt delineata; tertia verò charta diversæ figuræ, cujus nullum ibi extabat clenodium, præterea exemimus coronam Caream sive Moschoviticam vulgo dictam in sua vagina, quæ forsan erat supra filis leviter ligata, & duobus sigillis signata, sed hæc fila invenimus discissa. Et ita expedito hoc negotio juxta instructionem nostram, & hæc superiùs specificata clenodia extrahentes arcam cum aliis coronis, & aliis variis intus clenodiis iisdem seris, quibus erat clausa, occlusimus, & sigillis nostris obsigillavimus. Clenodia verò sigillis tam nostris, quàm Magnifici Capitanei Cracoviensis, & Perillustris Lanckoronski Canonici Cracoviensis locum tenentis, Perillustris Custodis thesauri regni obsignata ad manus nostras recepimus, & thesaurum regni, ut erat clausus & debitè communitus, nihil omnino amplius præter commissa & descripta clenodia ex eo desumentes in custodia de lege præscripta reliquimus. In vim verò quietationis de receptis clenodiis prætactis hanc nostram relationem expressam ad manus Perillustris Custodis damus, & similem aliam in vim reversalis in eodem tenore cum subscriptionibus Magnifici Capitanei Cracoviensis, & Perillustris Lanckoronski Canonici Cracoviensis locum tenentis protunc Perillustris Custodis actualis cum descriptione dictorum clenodiorum recepimus. Quod scriptum in vim majoris roboris, & firmitatis manibus nostris subscribimus. & sigillis nostris communimus. Datum Cracoviæ in thesauro regni, die nona Januarij. Anno Domini 1700.

Franciscus de Windiki Grzybowski Castellanus Iunivladislaviensis, Commissarius mpp. (L S)

Franciscus Lanckoronski Succamerius Cracoviensis, Wielicensis, Bochnensis, Stobnicensis Capitaneus Commissarius ex minori Polonia mpp. (LS)

Casimirus Pakoslaus Lanckoronski Canonicus Cracoviensis, protunc locum tenens Perillustris Custodis (LS)

Franciscus Łoski Pocillator Zakroczymensis judex Castrensis Varsaviensis Commissarius ex majori Polonia mpp, (L S)

Quod depositum integrum, prout specificatum ad manus meas receptum Magnificis Commissariis Elbingam pro retraditione ejusdem civitatis à consilio deputatis remitto. Varsaviæ 20 Januarij anno 1700. Michaël Cardinalis Radziejowski Primas Regni & Magni Ducatûs Litvaniæ mpp.

A.C. 1700 EPISTOLA EMINENTISSIMI CARDINALIS RADZIEJOWSKI ad Illustrissimos DD. Commissarios Elb. Varsa: 22 Januarij 1700.

Mittit ejs clenodia & alia Instrumenta.

ID, quod mihi ultimarium consilium Reipublicæ commisit, ad literam exequuturus, remitto per Collegam DD. vestrarum Illustrissimum Dominum Castellanum Lancicienfem hoc pignus ex thesauro Cracoviensi Reipub: extractum, cum regestro omnium accuratè scripto. Remitto & diploma ratificationis S. R. Majestatis, insuper & plenipotentiam ad hunc actum, in quantum est necessaria. Super instructione deliberavi, an mittenda? Prudentia enim & perspicacitas DD. vestrarum non egent adminiculo. Mitto tamen pro more potius, quàm pro regula. Quia verò magnum hoc nec pœnitendum opus à DD. vestris consummandum venit, DEum optimum maximum precor, ut novissimis benedicat, sicut benedixit prioribus, ad gloriam gentis, & famam posteritatis; in hoc voto finio.

CXXXVI.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VAR. ET SAMB. amico confidenti die 12 Februarij Heilsbergâ.

Queritur contra improbantes tractatum commissionis.

LIteras tuas vehementer vellem, & quidem tales quales maximè opto, quæ, si aliquando, nunc mihi sunt necessariæ, ad resolutionem, an itineri me accingere debeam, quod mente concepi. Inanes etiam potius mallem, quàm nullas, quanquam precor, ne sint omninò inanes.

Anni currentis exordium tibi jam sum gratulatus, quem ego feliciter cum fratribus meis, qui me Heilsbergæ inviserunt, incepi, ibiq; Sarnecium meum (omnia relinquo cum quis operâ meâ uti vult) cum pronepte Antecessoris mei magni illius Cardinalis Hosii, cujus Pater Burgrabium Resselii agit, copulavi die 10 Januarij, decem autem post dies meum Stephanum Spinek, qui à puero mihi ab obsequiis fuit, cum divite virgine & nobili Varmiensi ex domo Trosckarum itidem matrimonio junxi, ita nobis primi dies mensis hilares fuerunt, Reliquerant me fratres mei 26. & 29. venit ad me Dñus Pro-Cancellarius M. D. L. Szczuka, (summa & mutua cum eo mihi intercedit amicitia, nescio quid gratiæ est talibus cohærere) ut insimul ad consummandam comissionem nomine Regis & Reip. Elbingam proficisceremur, pro qua cum omni decore nulli sumptui parcens me paravi, & in defectu cohortis non advenientis quam Dominus Castellanus Cracoviensis in obsequium Reip. ordinaverat, ad quingentos homines meos tam equites, quàm pedites assumpsi impendens me & superimpendens in obsequium Regis & Reipub: tota mente omniq; animi impetu in id incumbens, ut posthabeam semper publicis negotia mea, nec quidquam ex illis omnibus relinquam, quæ ad utilitatem publicam pertinere credo, & nihil in vita mea præstantius aut præclarius puto, quàm de Rep. bene mereri, non considerans murmuratores querulosos, qui secundùm desiderium suũ ambulantes, consilij, cujus nos authores, inimici, hanc commissionem impugnant, ei assistere volunt, opinionis errore sperantes, quòd nec nos audebimus quidquam sine illis, in quo falluntur, cùm nos nullis ambiguæ voluntatis scrupulis frangamur, & imprudenter fecissemus

femus, si alieno arbitrio in ipsa summa rei periculosum consilium, aliis alia *A.C.1700*
volentibus, sumpsissemus & non tam salutis publicæ, quàm privatarum fuissemus minarum memores, illorum præcipuè qui privatas res augere & non ex æquo solent publica corrumpere, ut sua commoda promoveant, publica prætexere solent; sed unicè de bono patriæ solliciti, aliena impedimenta & sensus respicere minimè patiebamur, & cum nulla sint, quæ contra leges, contra honesti regulas, fecerimus, ea ipsa tandem approbare debebunt, quæ condemnare per naturam boni publici nullatenus poterunt, postquam cognoverint veritatem, & acta nostra. Si ij essent, qui profectò esse deberent, nihil arbitrarentur expedire nisi quod rectum & Reip. utile; quid melius facere potuimus, quid aptius Resp. optaret, nihil commodius occurrere potuit, quàm ut exotico evacuaretur Elbinga præsidio, quod dum ultro abibat, pelli, fugarique videbatur, qui clariores erant exitu, quam ingressu, nec quempiam fore arbitror, qui id faciendum neget, quod nos fecimus hâc ratione servatâ, ut quæreremus Reip. pacem & non malum. Labor enim noster fuit, ne laboraret patria. Perfecimus ergo juvante Deo, quo authore omnia prosperantur, pro prudentia & quod optimum factu visum est, fecimus, & quam expectationem nostrî concitavimus, hanc sustinere ac tueri voluimus, nec quisquam habebit malum dicere de nobis, dum totum judicabit, quale sit, ut ex adjuncta fideli relatione ad Cardinalem Barberini vero magis, quàm compto eloquio missa, quam tibi adnecto, habebis ut videas omnia, quæ diximus, quæ egimus, quæ constituimus, ut si qui amore noluissent, starent in officio, metu. Satis est, quod tandem curâ nostrâ præsidium Brandeburgicum *ima* currentis exiit & post sequentibus, postquam Ecclesiam meam ibidem visitassem in favorem ejus aliqua cum Magistratu & communitate conclusissem, ut unus in Magistratum Catholicus admittatur, semperque sit, evicissem, decretúmque contra illam civitatem ad debitam submissionis fidelitatem eam reducendo, & aliquomodo puniendo, quòd, cùm se potuisset defendere non defendit, omnes Commissarij firmavimus; reversi sumus cum eodem Dno Pro-Cancellario Heilsbergam, sed non multùm ille moratus, & ego etiam, viam paro Varsaviâ & ultra.

CXXXVII.

A. C. ZAŁUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB.
EIDEM Varsaviâ 29 Februarij.

Romam se ire nuntiat.

XVI. Currentis movi ex Varmia & 18 hîc comparui, tuliq; grates ab Eminentissimo Primate, quòd coronidem imposuerim negotio Elbingensi. Tractatum finivi de bonis *Falenty*, de quorum qualitate non ex opinione multorum, sed ex eorum natura constitui & perpendi cum sciverim per experientiam aliquando sub specie boni mala abscondi, & vicissim sub tegmine malitiæ bonitatem celari; sæpius certè in similibus expertus sum illud præcipuè pestiferum genus hominum, qui laudant quæcunq; audiunt laudari, & rursus cum vituperante vituperant, negant si quis negat, & affirmant, si audiant affirmantem; felix autem, qui non attendit ad ea, quæ dicuntur, sed quæ ipsemet videt, comparare itaque dicta bona Falenti non obstantibus multis impedimentis & contrariis consiliis mihi visum pro commoditate residentiæ Varsaviensis. Testamentum feci, cum cuique finis ad quæ tendit planè ignotus sit, nonne sæpius accidunt subitæ mortes, atque intestata senectus, illudq; in manibus Religiosorum Carmelitarum reliqui, tandem in urbem (in qua tu non pridem) iter quod diu animo volvebam, arripui. Benedictionem pro itinere in Ecclesia S. Martini sumpsi. DEum precatus, ut qui considerat vias meas & cunctos gressus meos dinumerat, in hoc tam longo itinere gratiâ suâ assistere dignetur, accepto pro

A.C. 1700 socio itineris Domino Abbate Saintgermain, valedico tibi brevibus.

Clausulam epistola facit, hodie enim abeo, & peto, ut bene valeas & mei non obliviscaris, eo animo simus inter nos, quo semper fuimus, quod à te sperare, de me præstare possum.

CXXXVIII.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. EIDEM 15. Aprilis Romà

Describit iter Romanum

OMnia in hoc itinere eventa mihi scribere longum, tibi legere foret molestum. Quæ autem memoratu digna sunt, Deo juvante redux referam oretenus. Nunc scito, me 4tâ Martij venisse Vratislaviam, ubi consilium erat, ut excurrerem Dresdam, ubi Rex nunc residet mandataque S. M. reciperem, sed quia odiosa forsan fuissent, quamvis pro me honorifica, sed non me amplius quærendi stimulat nominis ardor; vel quia etiam longior mora expediendis illis desideraretur & mihi quantociùs itineris hujus tanquam simpliciter in negotio animæ unico arrepti animus est & desiderium. Accedit quòd nunc sub incude est bellum Sveticum, Rex in bellum totis viribus & animo inclinatus, ego in pacem pronus; intentio ejusdem (in tantæ rei arcano sincera silentii deest fides) à Card. Primate & Thesaurario Litvaniæ mihi innuata est; posset Rex consilium meum requirere, & ego eruditus juxta voluntatem paternæ legis, timens ne nimium per illud emineat fortunæ in nos sævientis asperitas, qui hactenus zelatus sum semper bonum, & non confundebar unquam, quoties veritas dicenda erat, curando gentem nostram, liberare vellem à perditione dissvadendo, in memoriamque reducendo, quòd legem habeamus, ne insciâ Rep. bellum incipiat, & secundùm legem positivam sensum meum promerem, diceremque, quòd esset melius sua tueri, quàm impugnare aliena, sensus autem iste rectus, ut mihi videtur in Domino, nihil proficeret publico, mihi autem, philosophantibus sine dubio obliquè qui rerum summam in aula tenent in privato, vel maximè noceret, & certè veritate odium mihi apud Regem crearem, ac proinde expectandum potiùs cum hoc bono consilio, donec impetus furoris langvescat, ratus, rectà iter meum non deviando in Saxoniam promovendum credidi. Antequam autem Vratislaviâ abivi matrimonium inter Principem Carolum Palatinum Neoburgicum & Theresiam filiam Mareschalcæ Principis vix non conclusi, remque dispositissimam reliqui, nescio autem utrum hæc perficientur, naturâ enim animus humanus agilis est, & pronus ad mutationes. Inde 6tâ abij, undecimâ Pragæ, 17mâ Ratisbonæ, 20. Augustæ 25. Oenoponte, 28. Tridenti, 31. Venetiis, ubi Dominum Subdapiferum Regni Lubomirski cum Domino Tworzyanski inveni & non nisi 30. Aprilis abii, Bononiæ 5ta, 10. Loreti, ubi maximè ægrotavi, & vix non mortuus calculi dolore tandem 13. Romæ; inde hæc pauca.

Inveni Innocentium XII. nunc regnantem non adeo sanum, senectus est ipsa morbus, mala senium accelerant, venit enim propinata malis inopina senectus, quanquam inter secundas res Pontifex hic Sanctus est moderatus, inter adversas prudens, nec sentit in animo ætatis injuriam cum sentiat in corpore. Amatur ab omnibus; quid pulchrius est, quàm vivere optantibus cunctis & vota non sub custode nuncupantibus, Cardinalis Spada Secretarius status, Panciatichi Datarius, Albani ab expeditionibus, Palatini vocati assistunt, homines verè magni, verè tanto Principe digni; Cardinalis Cibo est Decanus senex jam & decrepitus, post quem sequitur Bullo-

Bollonius. Inveni Reginam Casimiram optimè valentem & contentam, sunt quoq; omnes tres Principes Regij, qui his diebus cogitant Neapolim, & ego in Collegium Patrum Societatis domûs professæ hodie pro aliquot diebus me includo, ut possim me præparare ad consequendum Iubilæum, quod ut fiat precare pro me Deum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in me gratiam istam, quantùm me diligis vel quantùm te à me scis diligi. A.C.1700

CXXXIX.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. EIDEM ROMA Ima Maji.

De actis Romæ.

ADhuc ex urbe jam tanquam ab abituriente hæc pauca, sed tristia. Video bene, quòd ut minabaris, non commendasti supernis virtutibus negotium meum. Ratio itineris mei tibi nota fuit, quæ sine adminiculo numinis non poterat stare. Cum ergo nihil me fecisse, quod tanto desiderio desiderabam, & in quod tantâ operâ nitebar afflictus tibi scribo, tu gaudebis, cum non id, quod ego optabam, sentiebas, & cum sis mecum in alijs constantissimâ sententiâ ac voluntate, in hoc puncto cogitationes meæ non sunt cogitationes tuæ. Quæ verò in hoc negotio egerim, longa essent, si cuncta proferrem, & epistolarum brevitate universa nequeunt expediri, sed habebis omnia ab ore, cum Deo juvante venero & videro te, scis autem, quòd apud me idem semper est mentis & lingvæ sonus, & nunc non semper humi defixæ nostræ cogitationes, non semper terrena consilia. Deus qui absconditorum est cognitor, scit, quòd & odium vitæ publicæ, & hoc maligno tempore fastidium ad id me ultra alias rationes impellit, ut me ipsum eripere vellem de præsenti sæculo nequam. Cato filium hortatus ne ad Rempub. accederet, non enim eum statum esse ajebat, ut in ea versari posset, sicut Catonem decet. Satis multum temporis sparsimus, tempus est, cum obrepit non intellecta senectus, vasa colligere, ut ætas mea jam ingravescens soli Deo serviendi conquiescat, cum pars major ætatis certè melior Reipub. & mundo data fuerit. Sed illi in quibus habui fiduciam, desiderijs meis tam justis, ita sunt aversi, ut nec loqui de eo, multò minùs sperare permittant, ita jactatæ vento spes cum sonitu inanes deciderant. Plerumque res nostræ necessitate quâdem & vi non ut volumus peraguntur, & cum preces nihil profuerunt, una ratio restat, ut quidquid evenerit, feram moderatè. Reliqui negotium hocce in manibus & cura sapientissimi & prudentissimi è Societate Iesu Curtij Sesti Reverendi & omni gloria prosequendi Patris & in Dei voluntate me totum reponens, cùm hæc res sine adminiculo numinis fieri non possit, adnecto tibi Breve Gregorij XIII. quod mihi communicatum.

Cardinalis Regni nostri protector est Carolus Barberini. Accusarentur sæcula, si talis potuisset latere Princeps, cujus nobilitas & dignitas non est, ultra quo crescat. Sacræ animi sui dotes, vel in una expressæ omnes, vel in omnibus singulæ, vim suam pulchritudinemq; abundè commensurant, si quid est pro novitate incognitum, fit ejus instructione certissimum. Haurio aquam, puteum corono. Non possem exprimere omnes honores, favores particulares, gratias singulares Purpurati hujus, per quæ se voluntas in nationem nostram amica explicat, tanta ille pro me facit nec exigua nec illibenter Non multum laudis habeo si amantes me amavero, sed si non essem gratus tanquam sceleratus pro scelere judicarer. Vidi etiam Cardinalem Franciscum Barberini, hoc uno à primo minorem, quia Nepotem, æqualis per omnia Patruo solâ impar ætate. Ita nomen avis atavisq; potens

Card. Carolus Barberini.

Card. Franciscus Barberini.

A.C.1700 tens infallibiliter ulterius cum summa gloria promovebit. Vidi Cardinalem Pantiatuhi vitu austerum, re humanissimum? Vidi Cardinalem Albani cujus pectus rerum omnium capacissimum? Vidi Cardinalem Colloredum, cujus vitæ sanctitas summa, comitas par. Vidi Cardinalem Mareſcotti antiquum (dum in Polonia & sub tempus ablegationis meæ in Hispania Nuntium agebat) Patronum, cujus virtutum claritudo, meritorum eminentia in aperto. In Cardinale Bullonio laudabilis vena suam servabit originem, & fideliter posteris tradet, quæ in se gloriosâ transmissione continet. Cardinalis Destre & Cardinalis Fourbin veteres Patroni, lucem meo non accipient à calamo, sat illustres de sua suorumq;, inveni etiam Cardinalem Pauluci, qui nuper cœlum & Patriam nostram, suis latè irradiavit splendoribus, summosq; favores ejus expertus sum, sed hoc ipsum amantis est, laudibus amatum non onerare. Ottobonus Cardinalis posset à me tenuiter laudari, non posset satis; non tibi exprimo alios purpuratos, qui suam aliquando à me alibi habebunt memoriam, & si non condigno saltem ex congruo debita elogia.

Sensus aliorū de bello incoato

Quæ probabilia sunt, plurimorum judicia expectant, sic de Svetico bello incepto varij hic varia, quisque pro affectu, nec quisquam tamen est, quem non commoveat, cum rarò respondere nobis fortunam semper opinionem sciant prudentiores, timentque, ne certa perdamus, dum incerta appetimus. & ne expectatione futuri, ea quibus frui possumus, amittamus, quodcunq; enim lædere potest, multò antequam accidat, speculari & avertere jubemur, sagitta facilè ingreditur, difficulter extrahitur Initia belli penes Principes, exitus penes fortunam, seu veriùs Deum, cujus voluntatem erga nos non sine causâ ignoramus, videlicet nescij, quàm apud eum gloriosi simus. Non secus quàm pecunia nostro arbitrio aleæ exposita illicò alieni fit juris, incertum cui cessura. Ita Princeps & tota ditio in sortem eventus conjicitur moto bello. Quàm multos pœnituit belli vel incepti? quis scit (ita, nihil possum dicere quòd non sit rectum) an Svecus non erit promptior nobis malefacere, vel valore suî, vel imbecillitate nostrâ; & hæc est ratio quæ rei dubiæ renovet fidem; Multa quidem scribuntur, hic in favorem, & optima promittuntur, sed quidam credunt his quæ dicuntur, quidam non credunt Quem invenire potes, cujus res tam bene positæ sint, & fundatæ, ut nihil ei procedenti tempore timendum sit, aliter quandoq; res cadit, quàm vitare quisquam posset, cum res videatur in propinquum adducta discrimen, sed de his satis & fortè nimis. Vota mea interpono (& sic credo boni omnes mecum) ut Deus secundet intentiones, si sunt bonæ, & sicut vult faciat. Interim opto, ut veniam ad vos in gaudio magno per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum, & tu fac quod facis, ut me ames, teque amari à me scias, absens à te sum corpore, præsens autem spiritu.

GREGORIUS PP. XIII.

DILECTE FILI, NOBILIS VIR, SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

QUò magis cupimus omnibus in rebus tibi, fratrique tuo Duci gratificari, eò magis dolemus, ubi quid accidit, in quo id facere prohibeamur, hoc autem, de quo ad nos scripsistis de paternis ossibus in sacrū templum transferendis, tale est, ut salvâ nostrâ conscientiâ, & Sanctorum Patrum decretis facere nequeamus, scis enim, qui potissimum Ecclesiasticâ sepulturâ prohibeantur, nec ulla ratio est eorum cadavera in sacra templa inferendi, quorum inde oporteret amoveri, ut

ut igitur ipsi fratri obsecutus es in postulando, sic aquo animo ferre debes, nos in negando Ecclesiasticis legibus inservire, sed est quiddam gravius, loocque isti & muneri, cui à Deo atque Sede Apostolica præpositus es planè contrarium, sic enim accepimus, cogitare te coadjutoriam istam & Pastorialis muneris administrationem deserere, teq; ad Religiosorum vitam conferre. Videndum tibi magnopere est, quid agas, hoc enim hactenus certum est, obedientiæ vinculo obstrictum esse te. Certus item hujus obedientiæ est fructus, non ad tuum modò præmium, sed ad Christi quoq; gregis in ista Ecclesia tuæ fidei commissi bonum, atque incolumitatem, istius autem novi consilij, quam causam, aut fructum afferes, nam si dicas te studio duci melioris vitæ, nulla ratio est, curam atque administrationem Episcopalem, vocationemq; ad statum longè Religiosorum statu perfectiorem, istam ob causam deserere. Quod si humilitatem tibi placere dicas, primùm sine obedientia humilitas nulla est, deinde humilitas virtus à nullo, quamvis excelso & sublimi statu refugit, hominum culpa est, eam non admittentium, poteris igitur tum in statu isto, in quo nunc es, tum in perfectiore illo, quem tibi Apostolica Sedes proposuit hanc præstantissimam virtutem, mente atque animo complecti, inque ipso honoris gradu neque te timidè geres propter demissionem, neque propter dignitatem superbè, quin etiam majorem humilitatis fructum capies in dignitate, neque enim magnum est humilem esse humili in statu, in honore autem & potestate planè magnum est. Dices fortè: agitor spiritu Dei, quî scis, an voluntas ista sit à Deo, non omni spiritui est credendum, sæpe enim Princeps tenebrarum transfigurat se in Angelum lucis. Neque docet Spiritus Dei quidquam contrarium obedientiæ, caritati, studio salutis, atq; amplitudinis Ecclesiarum, neque suadet, ut quis privatum suum bonum anteponat bono multitudinis suæ fidei; & diligentiæ commissæ. Vides enim quo in statu Catholicæ istius Religionis res sint, quantum periculum immineat ab Hæreticis, quàm Capitalibus, quàm intestinis hostibus, & cogitas in tanta præsertim hominum, quibus gubernatio ista committi possit, paucitate, tam gravem, tam fructuosam, tam Deo acceptam curationem deserere susceptamque administrationem unà cum Episcopatu ipso abjicere? non, si ipse dees muneri tuo, debemus nos deesse nostro, ut enim Episcopatus appetenti denegandus est, sic est recusanti deferendus, & tribuendus, oblatus verò obstinatè recusandus non est: appetere enim est temeritatis, pertinaciter recusare contumaciæ, utrumque ineptiæ, obedientem autem adjuvat Deus, restat, ut dicas, moveri te studio & dulcedine vitæ contemplativæ, at ista præsidenti Ecclesiæ, ejusq; utilitati inserviendi cura est multò fructuosior, neq; est à contemplationis suavitate destituta. Satis jam tibi persuasum esse potest, quodsi adhuc in ista sententia permanebis, cave, quidquam facias sine nostra concessione, neque enim potes, neque debes aliter facere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Pi- A.C. 1700

A.C.1700 *scatoris die ultima Aprilis.*

M. D. LXXVIII Pontificatûs Nostri Anno VI.

Dilecto Filio Nobili viro Georgio Radivilio, Episcopatûs Vilnensis Coadjutori.

CXL.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. EIDEM OCTAVA JUNIJ VARSAVIA.

Reditus Româ nuntiatur.

TU me salvum redijsse gaudes, ego te sanum invenisse lætor, perpetuò uterque ut gaudeamus velim. In arctum desideria mea constringo, ut te saltem uno momento videre possim, ita mihi omnia opto contingant, ut vehementer id velim, & possum dicere cum Tullio tam verè quàm sincerè, quòd unum tecum libentius diem posuerim, quàm hoc omne tempus cum plerisq; eorum, quibus convivo necessariò, amicitia enim tua tantò certior, quantò vetustior, quia facile mutari non potest, quod per longa tempora custoditur. Sed satis verborum, quæ non aliunde, quàm ab affectu, ære ipso & adamante firmiori, scio enim te id scire, & verè scire, sicut & id notum erit, quòd 6tâ Maij postquam omnes, qui tunc fuerunt, & visitari se permiserunt, visitaverim Eminentissimos, & à multis revisitatus fuerim, postquā & summi Pontificis maxima beneficia cū incomparabili affectu expertus sum, & anni sancti Jubileum, sicut in Domino credo, consecutus, postquam Serenissimam nostram Reginam Casimiram visitaverim, quæ multa mihi affectûs sui præstitit documenta, Principes omnes nostros Regios viderim, omniaq; quæ digna visu in memoriam reducendo spectaverim, tandem abij, 9na Florentiā, 12. Bononiam, 14. Venetias, 23. Graciū, per Carinthiam enim & Styriam hoc iter absolvi, 25ta Viennam, ubi D. Mareschalcum Litvaniæ Sapieham inveni & reliqui, & apud D. Vakierbart prandium sumpsi, ubi D. Marchionem de Villars Regis Christianissimi Ablegatū cognovi, 27. cum D. Episcopo Kijoviensi abij, 30 Vratislaviam, & nuper feliciter Varsaviam veni, sed quandam mortificationem meam defero tibi, tres dies ante abitum meum Româ scripsi Domino Palatino Czernichoviensi fratri, ut die 3tia Pentecostes, hoc est 1ma Junij inveniam omnes in Falenty cum bonis amicis, bono vino, lecto, & cœna, ego eâdem quâ scripsi Româ veni die, & neminem mirans magis, quàm perturbatus inveni, nec ullam quam sperabam commoditatem reperi, non nisi enim in crastino manè comparuerunt. Nec lubet, nec queo ad te scribere, quo animo fuerim affectus, tu contexas ultima primis, cum illud quod ego desideravi, & speravi, tantam lætitiam reciprocam fore, quanta post longum tempus inter proximum sangvinem esse solet, illi facere neglexerunt, hâc ratione data quòd aliquot horis ordinariam anticipassem & prævenissem postam. Sed tamen quantus dolor meus fuerit, res verba non requirit, ac pro se ipsa ita loquitur &c.

CXLI.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. EIDEM imâ Julij Varsaviâ.

De actis Dresdæ

NOn me exsatiavi nuperno nostro & mutuo solatio, cum te tanquam in transitu vidissem, non me prius adivisti, quàm abivisti. Vix enim primum impetum effundere licuit amoris reciproci, & magis separatione tam repentinâ angor, quàm consortio lætatus sum

sed

ſed quid faciendum? ita DEo placet. Recordor bene illius pulcherrimæ in Seneca noſtro doctrinæ; ſive alios obſervare volueris (liberiùs enim inter aliena judicium eſt) ſive te ipſum favore ſepoſito, & ſenties hoc, & confiteberis, nihil ex his optabilibus & charis utile eſſe, niſi te contra levitatem casûs, rerumq; ſequentium inſtruxeris, niſi illud frequenter & ſine querela inter ſingula damna, dixeris: Diis aliter viſum eſt. Hactenus ille; & ego ſuſpiro, ut redeat brevi, & longiùs duret id tempus, quo invicem nobis uti, frui poſſimus. Benevolentiam enim oſtendiſti & magnâ me non humanitate ſolùm, ſed & benignitate, ut ſæpè aliàs, ſed præcipuè nunc excepiſti, inde intellexiſti, permagnum juſtè mihi in amicitia tua ſpei repoſitum eſſe & conſtitutum. Ac ideo ita te obſervo ac veneror, ut me abs te putem dignum exiſtimari, in quo nullum affectus tui documentum ſit intermoriturum, imperare ergo ſit tuum pro voluntate, parere meum, omni integritate ac veneratione, polliceor verò, in meque recipio omne id, quod tibi uſui futurum credam, me meaque omnia ita tua fore, ut iis pro arbitrio tuo frui perpetuò poſſis. Vivamus felices animis concordibus ambo. A.C. 1700

Nova poſt diſceſſum tuum non ſunt alia, niſi quòd ſanus beneficio DEi Rex Sereniſſimus, præſentibus lætus, futuri vivit ſecurus, & dies ſuos in lætitia ducit ſperans & omnino confidens, hoc incepto contra Svecos bello nomini ſuo gloriam & utilitatem comparandam omninò; neſcio an tibi oretenus dixi, quòd dum in primo ſtatim congreſſu quæſiverit à me, quid mihi videretur, & quid Romæ de hoc bello diceretur? reſpondi ad ſecundum: certos legatos miſſos Romam quæſitosq; publicóne nomine hoc dicerent vel privato, reſpondiſſe, ſi benè egerimus, publico; ſi malè privato. Si Veſtra Majeſtas obtinebit intenta, laudabitur; ſin minùs, approbatio non ſequetur, mihi certè ſemper ante oculos meos, & in mente verſatur Virgilianum illud: bella! horrida bella, luſus fortunæ eſt & hujus mundi conſvetudo. Quantùm ad ſecundum affectu meo in veſtram Majeſtatem (hæc erant formalia) libenter optarem, ut in parte conſilij comitiorum poſuiſſet, quod ipſe fecit, & quia phœbus jubet verum loqui, vellem ut non ſemper credat illis, qui loqvuntur ſibi bona, & qui ſecurum reddunt, quòd non veniet ſuper illum malum; nullum certius indicium magni Principis, quàm ſi adjunctorum ſibi virorum conſpicuorum conſilia audiat; neque enim hoc opus ſingulorum, ſed univerſorum eſt, & difficile ac durum eſt; unà compeſcere multos, periculoſum quippè eſt, proprio motu ea exequi, quæ pro varijs eventis variè pendi ſolent, euntе & redeunte belli æſtu, pro libidine reciprocantis fortunæ, cui ludibrium ſunt Regna & Reges. Nemo ſeducat nos inanibus verbis, nunquam decipimur niſi mendaci quadam ſpecie veritatis, & ut inquit Horatius: decipimur ſpecie recti. Velit Majeſtas veſtra informari de præterito bello Svetico, præteritum tempus cognitionem rerum inſpirat. Loquor ex anima nec ingenium mihi factum ad aſſentandum ſed candidum. Pugnare ſuam Majeſtatem contra prima principia Reipublicæ, & contra fundamentalia jura velle video. Primum qui non fecerit gradum, quomodo progredi poteſt, ego dico ſincerè, ut me veritas, & meæ dignitatis officium admonet, longè abfui, audivi ſerò, ſed doleo ſummam ſalubrium conſiliorum fuiſſe inopiam, plus timeo quàm ſpero & optaſſem, ut Majeſtas V. in ultimis comitijs communicaſſet negotium hoc Reipub. & ipſius conſenſum requiſiviſſet, qui certè ſuo modo agendo haberi potuiſſet, nunc verò quia ſine conſenſu Reipub: contra legem fundamentalem bellum hoc inceptum, vereor, metuo, & formido multum, nec bonum exitum pro tenui judicio meo promittere poſſum. Abijt à me Rex Sereniſſimus concipiens ſemper ſpem melioris fortunæ, tanquam ille judex interrogato Chriſto, quid eſt veritas? reſponſum audire nolens receſſit,

 fortè

A.C. 1700 fortè parum contentus, nec amplius hæc materia acta unquam fuit coram me.

Hieronymo Zaluski Eodem die deferre debui postulatis fratris mei Domini Castellani Ravensis, qui vota matrimonialia renovare intendens & aviditis quidem quàm satis est videndi boni exitus, Dominæ Lanckoronskæ Succamerariæ Podoliæ ex domo Wierzbowska affectum suum declaravit, ut verò ego transeuntem Gedano cum aliquot navibus videre in Gora possem, negotiumq; hoc si fieri posset terminare, sin minus saltem in bonam viam deducere queam. Quanquam ergo fatigatus ex itinere tam longo ivi Goram & ibi sollicitavi, sed nihil pro tunc obtinui, & iter id frustra me fecisse dolui.

Franciscus Zaluski IV. Junij expressit magnum animi dolorem coram me Rex Serenissimus contra Dominum Palatinum Czernichoviensem fratrem meum impugnantem damnantemq; nihil magis intempestivè geri posse, quàm bellum & quòd consilium ab audacia mutuatus (& ego dico arcanâ ratione) in ultimo consilio ante reditum meum peracto fortiter se opposuisset suæ Majestatis intentioni in prosequendo bello hoc Svetico, tanquam ipse solus plus videret quàm alij. Hoc autem vel maximè exaggerabat, quòd non esse sufficientem thesaurum ad tam ingens bellum allegasset, quasi conscius esset, quid sua Majestas posset, & quæ media ante se haberet; excusavi ego, ut potui, id inferendo ex seria animadversione nullam Regi gloriam esse, cum quisque secundùm conscientiæ suæ motiva dicere sententiam teneatur. Servile certè, non loqui quod sentias, sentire quæ vis, & dicere quæ sentis, miserum est tacere cogi, quod cupias loqui; quod dum retuli fratri meo, respondit, quod egressum est de labijs meis rectum, in conspectu omnium fuit, nec se pœnitere optimorum suorum consiliorum, etiamsi extrema sibi ferenda pericula sint. Monstravitq; mihi quæ dixit, quæ tibi communicata esse volui, & video benè dixisse, & melius dicere non potuisse, cum & ego idem sentiam & boni omnes, non ille solus, sed omnes qui cognoscunt veritatem, quanquam id dicere non audent alii, quorum labia loquuntur mendacium, de quibus, ut quondam de Achæis, dici potest, quòd velut nihil negotij Romano bello suscepissent, ita apud eos neglecta omnia & soluta fuêre, sæpe salutaribus consiliis spretis summam rerum in discrimen objiciunt. Qui rem non taceo, non tacerem authores, si tibi non essent conscij. Rarus nunc, quod bonum est, loquitur, alij diversa à sensu communi & suo dicunt, & consulunt ponentes aras confusionis, qui spe potiùs, quàm consilio bono plerumque ducuntur. Qui altiùs futura spectat, qui profundiùs rationem status nostri considerat, concludit necessariâ consequentiâ & dilemmate hocce, aut vincet Rex noster? tum in Livonia Saxones erunt, & nobis periculosi, unde tanquam ex equo Trojano impetus contra libertatem erit; aut vincetur? tum ex præterito futuri timor. Scimus quanta damna Sveci intulerunt nobis. Memoriâ memores tenemus, Rempub. multis fluctibus quassatam, quanta ruina fuerit & usque dum in multis extet locis, ac proinde nullum fructum ex hoc bello in Reipub. rem sperare possumus, multa & evidentia pericula timere debemus; quocunque demum alea belli ceciderit, timenda est & metuenda, seu vincentes enim, seu victi Patriam injuriâ afficiemus, ac proinde cavendi, nulla est omittenda occasio & deliberare utilia mora est tutissima, sed Rex nunquam non dubiè arridentis fortunæ suæ conscius, non vult ut tam sollicitè à bello illum dehortemur, eò sibi omnino eundum dicens, quò fortuna vocat, quæ hanc ipsam parandi summi decoris occasionem, tam honestam, quàm necessariam, nunc benignè demonstrat, nec eam utique si negligatur ad se postea creditredituram. Non invitus ad oblatum decus rapitur ut fidem fati virtutem sequatur. Non fatiscit in funera resoluta virtus; stant pro legibus decreta ejus, & quæcunq; mandat, in legem

vult

vult ut transeant, si quis obstiterit, hoc ipso reus est. A. C. 1700

X. Currentis publicus fuit ingressus Domini Stanislai Krasinski Gubernatoris Varsaviensis, quem duxit antecedenter ad Serenissimum Regem Palatinus Plocensis Pater, cum magno Colligatorum & nobilitatis concursu.

XI. Corporis Christi festum pluviâ magnâ impeditum fuit, & non nisi in Ecclesia processio, ante quam Pater Vota habuit solennem à Domino Swięcicki Episcopo Posnaniensi reprehensionem, quòd scilicet Serenissimus Rex tardè ita veniat ad Ecclesiam, nunquam tempore recepto, & ante usitato, sed semper post meridiem absolvi debet devotio, tanto populo in otiosis sedibus expectante.

XII. Summis precibus motus, & necessitate ingenti, licet plus illum diligens, minus diligar, Domino Castellano Cracoviensi Exercituum Duci prænumeravi aliquot millia imperialium in vim hybernæ, magno defectu eum affici vidi, non potuisset enim abire nisi hoc fultus supplemento, abiit autem non subscripto universali, quod Rex Serenissimus desiderabat ad ulteriorum in bellum hoc inceptum, quod nec ipsi placuit, prosecutionem.

XVII. Dominum nostrum Prebendowski Palatinum Mariæburgensem publicè in processione Cardinalis Primas, qui in tanto rerum secundarum affluxu de potestate rationis exire frequenter solet, reprehendit, & verbis satis injuriosis impetiit, quod Castellanatum Polanecensem, quem pro Domino Gniewosz habere voluit, Domino Czerminski procurasset.

XX. Accepi declarationem suæ Majestatis in favorem Domini Abbatis Saintgermain, & prædicator fuit suæ Majestatis declaratus, quem hactenus non habuimus.

Diebus subsequentibus duobus, volui omninò combinare Cardinalem Primatem & Dominum Palatinum Mariæburgensem, & DEus secundavit, sunt enim ex integro reconciliati.

XXVII. Dominus Nuntius Davia valedixit Regi Viennam abiturus. Habui interim summas difficultates cum Domina Losiovia Palatina Mariæburgensi circa tractatum de Falenty, ad quem se indixit Dominus Felix Potocki Palatinus Cracoviensis uti gener &c.

CXLII.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. EIDEM 6tâ Septembris Smolaniis.

Inter alia malè ominatur belli initiis.

Altas nimis amicitia nostra in animis utriusque nostrûm radices egit, quàm ut levi de causa minui possit, aut obsolescere, & proinde non est, cur turberis præteritis meis, cum illa familiare diffidium potius, quàm veras præferat querelas. Ego quæ hic agantur scribo, quæ agentur? ignoro.

III. Junij expectationem omnium longè superando suo non hostium tempori intentus Rex Serenissimus in Livoniam abiit, de desiderio & ardore aliquid faciendi nemo ambigere potest, qui probè eum novit, sperat bona (Deus det) ne spe frustretur, vel captetur suâ, spes enim alunt dulces, animosque mulcent, eventus in Dei voluntate situs est. Volebam ut benedictionem pro hoc itinere acciperet, sine radice arbor arescit, sine fundamento domus corruit, absque Deo nihil succedit. Licet quidem lætari ex initiis, sed nondum gaudere, cum non quoties su-

 peramus,

A.C. 1700 peramus, sed quemadmodum vincamus inquirendum sit. Expectabat exercitus Saxonicus & multorum Magnatum Litvaniæ promissæ copiæ, quæ acuebant sagittas, implebant pharetras, anhelare dicebantur, ut Rex quantocius veniat, imperium suscipiat & valido corpori caput quærenti imponat. Magni & Ducis Moschoviæ sunt belli apparatus, magni animi, addo & spes in Deo, nec dubito si pugnabitur, cruentam fore pugnam, utinam victoria in partes nostras se inclinet, bellique minax se vertat in hostem alea, utq; nostræ expectationi satis fiat. Quanquam adverti in multis quòd (ut sæpius etiamsi quædam rectè agantur in reprehensionem veniunt) hæc expeditio non placuerit, cum præsertim magnum Ducem Moschoviæ appropinquare audiant, ad conferentiam cũ nostro Rege ineundam, quæ populo suspicaci movent terrorem, & Regis Dominationem invisam aliquatenus reddunt. Verùm melius est alterius culpam feras quàm prodas, magisque illius vitia, quàm laudes dissimules. Nam hæc serius quàm oportuit providentur, cum aliquid volumus cavere, ab initio non debemus negligere, nunc verò versis omnibus rebus cum consilio privato, & discursibus privatis profici nihil potest, una ratio videtur, quidquid evenerit, ferre moderatè. An nescimus multos Reipub. (dolendum satis) tam improbi animi, quàm infelicis ingenii esse, qui dummodo Rex det, obvio obsequio privatas spes agitante, omnia dicunt, cuncta permittunt, universa paciscuntur. Cùm Cardinali simultas aliqua existit, quæ non in apertas inimicitias erumpit, sed usum tamen confidentiæ, & familiaritatis interrumpit, sed nosti hominem, mutabuntur omnia, redibunt omnia, dum venient in manus Regias media ad hunc finem, quidquid dicet, laudabit, id rursum si negaverit, laudabit hoc quoque, ita pro tempore est nimis aut largitate nimia in reprehendendo, aut parsimonia. O si haberemus antiquum zelum, & amorem verum in Rempub. sed claudicamus in duas partes. Quid dicam de hoc, ulterius nescio, nisi advenisse tempus, quo peccatorum nostrorum pœnas luamus. DEus interim enixè rogandus, ut conatus Regios non prosperet solùm, sed & properet.

Ego etiam concluso negotio meo privato, redire volui ad molam meam, sed non dico asinariam, & iter paravi in Varmiam dictoque missæ sacrificio in Loreto Pragensi 4ta fui in Plocochovio apud Episcopum Rosmensem Suffraganeum Plocensem, fratrem meum, ubi etiam alium fratrem Palatinum Ravensem inveni, & die 10. visitato priùs palatio meo, quod quasi ex fundamentis Guttstadii reparo cum omni commoditate pro me, & pro successoribus meis, quanquam id curo, ut potiùs laudetur Dominus, non domus: inscriptio erat in marmore Ioannes Stephanus Wydzga domum hanc à Svecis dirutam reparare voluit, ego addi jussi. Andreas autem hoc anno fecit. Ideò verò hoc ædificium feci, ut in societate Capituli vicinus Ecclesiæ, Deo & mihi vacem, ibi decrevi relictis omnibus curis inter Canonicos & Presbyteros meos quiescere, ubi tanquam in portu sedens turbulentissimo ambitionis æstu illos jactari, qui se illi committunt aspiciam, aliisq; navis Reipub: bene gerendæ laudem virtutemq; concedam, mihique ut dicitur vivam, sciens non esse veram in iis rebus felicitatem, sed falsam felicitatis speciem. accidit quòd jam fastidium mihi sit ingens in publico, dum alius, quem declinasse vellem, invito occurrit, alius intempestivo officio longis & inanibus fabulis aures obtundens, dum se mereri putat, lædit, alius dùm humilitatem suam majoribus vult nobilitare nominibus, fastidientem & refugientem ambit, salutat, deducit, quem nec rectè amittas nec honestè fugias. Iam illa callida & subdola ingenia quæ ingentis amicitiæ speciem, & vetera nomina imposturis suis obtundunt, interea pestifera comitate quidquid intus est, pertentant, explorant, verba verborum

Martinus Załuski

Alexander Załuski

rum

rum circuitus malignè detorquent, qui fœda ſimulatione ſuî familiariſſimam cuiq; bono viro virtutem excutiunt ſimplicitatem. Antequam autem finiatur hoc palatium, Heilsbergam abii, ubi Ablegatos à Capitulo fratres meos,quos iter hoc longè fecerat à me, inveni cum congratulatione reditûs. In domo enim DEi mei ambulamus cum conſenſu, meum gaudium omnium illorum erat, & aliquos Parochos tepeditatis, & negligentiæ in abſentia mea accuſatos, paternè punivi medicam ulceri ita adhibens manum,ut non tam perſtringi ſe ſenſerint, aut lædi, quàm diligi, & ſanari. Fiduciam talem habemus per Chriſtum ad DEum, non quòd ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis,ſed ſufficientia noſtra à DEo, habentes talem fidem multâ fiduciâ utimur. In omnibus exhibentes nosmetipſos ſicut DEi miniſtros in multa patientia. *A.C.*1700

16ta Conſecravi Eccleſiam in Sprimbornia apud PP. Bernardinos, & multis Confirmationis Sacramentum contuli, venerunt etiam PP. Dominicani Vilnâ & Ordines eis contuli; ita privati Epiſcopo tantùm iter facere coguntur.

25ta Conſecravi Eccleſiam in Bartolde, eſt Eccleſia dependens aliquatenus à Patribus Societatis JESU, à quibus invitatus pro feſto S. Ignatij, illis non credentibus nec ſperantibus dixi panegyrim S. Patri, quàm tibi communico, nam eandem in lingvam Germanicam per tot inſtantias verti & imprimi juſſi. Notum facio tibi frater gratiam DEi,quæ data eſt mihi indigno.

Interim 6ta Auguſti accepto nuntio à D. Thoma Dziaľynski Inciſore Regni, & terrarum Pruſſiæ noſtrarum Theſaurario, ut Gedanum venire poſſem pro conferentia multorum Dominorum incolarum, quod & feci ſciens, quid Patriæ debeam, & quid amicis, & nihil magis cogitans, quã ut publico providere poſſem, ubi aliquot dies impendi, ſuadebat mihi, ut procurarem indigenatum in Pruſſia, ſed quia magno pretio is emendus erat, & ſcio bene nihil nunc donis datis non poſſe obtineri, non viſum mihi, ut id tractarem cum præjudicio reputationis, idq; pecuniâ cõpararem, quod meritis deberi credo, ad tolerandum omne obfirmatam mentem habeo, veniunt ſimilia cùm minimè ſperaveris, ex errore alterius ſequens emendat ſuum. Anteceſſor meus multa expendiſſe dicitur, quæ ego non cogito, ideo non moratus plura non conquiſivi, nec ulterius penetrare volui, ſatisfactum conatibus ratus, ubi preſſis quaſi habenis curſum hunc retinerem intra ſuas orbitas. Gedano redii ſed iterum illuc cum Palatino Czernichovienſi & Suffraganeo fratribus excurri, ad videndas nundinas, ibi & Cardinalem Primatem & D. Epiſcopum Vilnenſem reperi aliquotq; diebus converſationi datis, quamvis infirmitas oculorum magno mihi fuerit incommodo, die 5. Septemb. veni Smolanos, unde has ſcribo & te optimè valere cupio. Amantem ama, neq; nos ſupremâ citius ſolvat amor die. Tuis ſalutem, & quicunque nominis mei meminiſſe dignantur.

CXLIII.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. & SAMBIEN. EIDEM 14. Novemb. Bisburgo.

Mors INNOCENTII XII. viſitatio Eccleſiarum.

CUM ſuaviſſimæ ſint tuæ literæ, elegantiæ, eruditionis, ac leporis plenæ, quid mirum ſi quas opto quotidianas, eas tardiùs rariuſque quandoque adventantes, & amem teneriùs, & legam libentiùs. Auge ergo tuam diligentiam,ſi me amas & ſcribe

A.C.1700 be, non quoties objecta est occasio, sed occasionem erue etiam latitantem, cùm videas quòd dici non possit, quàm valdè dum eas accipio gaudeam, & diem tunc sol pro me fundit aureum, dum mira verborum frugalitate facundus, & tanquam non calamo, sed mente loqueretur stylus tuus, dulci sermone salubria fundens venit mihi copiosus; semper ego te tui similem invenio, sive sumpto spatio ad cogitandum, sive imparatus ad scribendum accedas, quis ingenium tuum non admiretur ad omnia summa natum, nam quamcunq; in partem se dat, sui semper simile invenitur, ac proinde dum ultimas tuas lego, opponitur gratiæ, & accedit experto affectui tuo cumulus, cujus vinculis sum tibi devinctus. Et facilè me aliquo (cujus fons ab amore) laudis æstu abripi sinerem, nisi me noscerem ipsum, & mecum habitatem, & libentiùs ut ille cum paucis rectè ambulare, quàm claudicare cum multis desiderarem. Risi autem illius personæ velantis odium fallacibus blanditiis, quæ semper est aliquid quærens, semper aliquid timens, semper aliquid dubitans, & subtilissimas suspiciones suas ad animi sui apprehensionem impingens simplicitatis inimica. Censuram quam mihi comunicas, legi & conclusi nihil turpius esse, quàm cum objicit alteri sibi objiciendum, & quidem justiùs.

Sed oblitus occupationum tuarũ memor humanitatis provehor impudenter, ergo nihil amplius, multum enim satis de re nihili, erit postulandi aliquando locus, ut ratione factum non levitate hoc existimetur. Interim tamen noscam amicum; omnes vereri qui scit, tutò ingreditur. Tu verò scias nihil esse quod velis, quin ego ultrò appetam.

Ego Gedano redux diei majorem partem more meo aliquid legendo traduco, si cura Pastoralis, quæ semper aliquid agendum propinat id permittit, quo fit ut alius semper mihi ex alio labor, & nova identidem cura, utinam verò gloriæ DEi sit seges. Venerunt ad me nuper Deputati à Capitulo qui negotium Cardinalis Primatis mecum tractabant, reliquit enim abeundo ab hoc Episcopatu multa debita, quæ ut exolvi possint, Ablegati sunt à Capitulo ad suam Eminentiam, bis erit gratum, quod opus est, ultro si offeret. Excurrere etiam debui his diebus Varsaviam pro negotiis meis particularibus, sed non diu ibi moratus neminem vidi, nisi Principem Mareschalcam, & Principem Radziviliam Cancellariã, cui aliqua insinuavi, quæ crederem necessaria pro comparandis bonis à Principe Neoburg. de quib⁹ alii cogitant, quidquid fieri ab aliis, hoc & ab illis potest.

Aliquot dies non perfunctoriè ægrotabam, sed ut dicitur fac invalidum gaudere, sanatus est, sic & ego; venerunt enim ad me grati hospites fratres mei, in quorum præsentia meum Zasacki cum filia Burgrabii Smolanensis copulavi Heilsbergæ 10 Octob.

Die autem 19. ejusdem tristem pro me accepi notitiam de morte summi Pontificis Innocentii XII. benefactoris mei, viva hujus mortis recordatio quatit animum & ipsum confundit stylum, quam omnes doluerunt, defleverunt multi. Pontifex hic verè sanctus nomen suum tot monumentis propagavit vel frememente calumnia. Præmisimus eum, non amisimus, ante votum quidem fateor & spem, sed non ante diem, vivit ille, vivetq; in animis nostris supra omnem mutationis aleam positus, famâ fruetur, quam meruit, felicitate, quam quæsivit, abreptâ mortalitatis sarcinâ ad originẽ sui rediit, & vivere isthic cœpit, ubi nunquam desinet. Quid si relegatâ fortunæ pompâ rem ipsam intueri velimus, quid inquam hæc mundana verè dicam etsi vulgariter caduca omnia, & fluxa, quid nisi fumus, umbra, nihil? pro cujus anima cum omni clero absolvi exequias, & processum misi totius Diœcesis ordinando orationes, & pro felici futura Electione. Dum veteres arbores concidunt, depungantur aliæ necesse est in eorum locum.

Mors Innocentij XII.

Inte-

Interim pro 1ma Novembris intimavi visitationem Ecclesiæ Cathedralis, quam & absolvi, aliquot dies labori huic impendendo, qui non erat tædiosus, grex enim mihi exiguus, sed in præcipitia non fertur, & ego etiam non sum ex ijs qui sua facta exaggerant, ut dum unum faciunt, plura se fecisse putent. Sufficit mihi quòd pro posse officio meo fungor, satis dedit impotens, si dedit votum, nimis, si conatum, ita meæ mihi tenuitatis conscius sum, & quidquid ago conatum duntaxat esse scio. Mitto tibi diarium, quomodo id factum, ut si quid boni factum, DEO mecum gratias agas, si in aliquo defectus sit, compatiaris & veniam pro me à Deo petas, & in tuis charitate incensis ad DEUM precibus, aliqua tuum animum, mei peccatorum omnium deterrimi memoria subeat. Ut medicus diligens operam intendit Regi aut Principi curando, cujus salus saluti alijs esse potest, & ego in ijs corrigendis qui non terreno Principi, sed magni DEI gloriæ militant, & populi ejus saluti, quanquam mederi ex integro non est in nostra manu, imò fortassè nec humana. *A. C. 1708* *Visitatio Cathedralis Ecclesiæ*

Visitavi & Parochialem Ecclesiam Fraumburgi, & Brunsbergæ, & Melsacci, ubi in suburbio consecravi Ecclesiam, & visitavi Parochiam in qua (ut ex actis apparet) à 140 Annis nullus fuit Episcopus, ubique plurimos confirmavi. Visitavi Vormdittum & aliquot Archipresbyteratus, aliasque Ecclesias, nescit tarda molimina gratia Christi, quæ ut in me vacua non sit, enixè curo, speroque me cum DEI auxilio, si fortuna non defecerit consecuturum, ut necessario præsidio huic Diœcesi & nunc sentiant me esse oves meæ, & in posterum memoriam teneant &c &c. *Aliarum Ecclesiarum*

CXLIV.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. EIDEM 22 Novembris Seeburgo.

Regis cum Duce Moschoviæ congressus, bellum inter Regem & Suecos, item inter dissidentes Litvaniæ.

DUm in vinea mea officio fungor, veniunt literæ ex Litvania, quæ informant, quòd jam amplius non lateat in herba, sed manifestetur in spica & quòd id, quod nuper celabatur in gramine, nunc aperiatur in fructu. Congressus scilicet Regis nostri cum magno Moschoviæ Duce in Bierze non amplius dubio relinquit locum, nec jam tractatus istorum Principum ex ancipiti temporum mutatione pendebit, dum ultra particulares affectuum, etiam per mutua regalia inter se data, contestationes & expressiones conclusum fuisse inviolabilem tractatum passim nuntiatur. Quanquam ego ex tot præjudicatis nullum esse ictum adeo inter partes nexum, qui non utilitatis gladio aliquando rescindatur, & nulla est adeo potens morum similitudo & unius naturæ sympathia, quæ privatis commodis non vertatur in antipathiam. Interim dies docebit, carbone rudi, putriq; cretâ, an albo notanda erit hæc animorum coagulatio pro Patria nostra? quia diversi sunt animorum motus prout in diversa incidunt ingenia, quæ in tanta multitudine plerumque dissona, ab ijs enim improbantur impugnanturque, ab alijs in tanta diversâ sentientiũ multitudine approbantur, laudantur, & juvantur. Videmus sequi alios partes Regias, & promittere ea, quæ & facultatis & æquitatis excedunt metam, non justitiæ causâ, quæ nulla meô quidem judiciô est, sed merô odiô in bonum publicum adacti, audivi unum non sine sensu doloris, & ut verè dicã, cum summo scandalo magnum aliàs virum, qui tempori serviens turbulentiora magis, quàm honestiora Regi propinanda sva- *Rex cũ Duce Moschoviæ conveniunt.*

A.C. 1700 sit consilia, ut scilicet eundo ad hæc extrema truderetur in præceps, odioque publico exponeretur, populi per ora Poloni, promulgando Regē bellum incipere sine Repub: illudque Regi tanquam bonum propinant consilium dicentes, initium hoc belli facilè excusari posse,, respectu (& ego dico prætextu) recuperandorum ablatorum, ita sibi graves, alijs noxij svadent perversè, tanquam si quis alterâ manu sudorem detergat, alterâ vulnus imprimat, alterâ demulceat, venenet alterâ, neminem nomino, genus humanũ signasse contentus, tu facilè, qui sint illi, divinabis, scis enim quòd qualis cujusque est animus, talis est & oratio. Iam malo nostro in patria nostra videmus nulli non esse satis virium ad nocendum, quasi non minoris sit peccati svadere malum, quod bonum non putaveris, quàm non audere defendere bonum, quod pro certo noveris. Displicuit hoc mihi palamque illi, quem ira non ratio movet, qui verbo & lingvâ, non opere & veritate Regem Patriamq; diligit, sensum meum aperui. Culpam esse, ubi consilium non adfuerit, sed verba frustra nihil proficientia perdidi; delicati quippè hodie mores sunt, nec reprehensionem ullam ferunt. Rex verò (sit sine injuria dictum) tanquam corrupti esset gustûs, amara diligere videtur, faciliusque credit, quæ audit, quàm quæ videt, ita prûdenter cogitata negligit, deteriora sequitur, à melioribus deduci se facilè patitur, in quibus plus amor sui, suorumque plus privatorum commodorũ & fortunarum & blandæ sed fallaces aliò trahentium preces, quam ratio aqud illum potest, ita plerisque usu venit, qui nimiâ omnium superstitione, non suopte corde, sed alterius verbo reguntur, ac per angiportus reptantes consilia ex alienis colligunt, & ut ita dixerim, non animo, sed auribus cogitant. Cùm tamen, quæ à jure communi exorbitant, neqûaquam ad consequentiam sint trahenda, & illi, tanquam qui contra jus promittunt ponam fidem, præsumi deberent non habere, ac proinde non essent audiendi. OEdipus non sum, nec Sphyngi interpres fui, timeo tamen, dixique clarè Regi, quanquã veri consilij periculosa sit libertas, quæ credidi necessaria ad removendum ab hac proposita bellandi intentione, sed quia sola, ut quondam Romæ testatur fuisse Justinus illo tempore arbitria Regis pro legibus sunt, & si quæ essent, ut sunt certè, leges ex libidine potius Regis, quàm commodo civium instituuntur, & propterea ad nutum ex voluntate Principis reguntur omnia, oblivíscimurque utilitatis & periculi publici, DEUS avertat, ne cum certa servitute, & civium oppressione, hoc quamvis ab initio videtur esse faustum, finiatur bellum. Timeo enim nec ex vano, ne ex hoc bello erigatur virtus antiqua Svecorum tacta, & impulsa, & quia male facere qui vult, nunquam non causam invenit, ne tandem illi injuriosè secum an injuriè fieri videntes, antiquas renovent in Regno nostro miserias. Magnus audivi Regis illius est furor, quia pertinax, & indignatio ingens, quia dura, nonne senserunt simile bellũ (quod nos omnino evitare debemus) Patres nostri, quid bellantibus Svecis deerat? nisi voluntas possidendi totum Regnum, omnes calamitatibus oppressi eramus. Quos verò ruina non attigit, metus exanimare debet, paremq; passis exprimere, cum putare debent eadem se pati posse. Et tantò magis id timendũ quòd non sit inter nos concordia, quo nomine suas quoque ad DEum preces Turcæ in nos ingeminant. Maneat, inquiunt, gentibus illis si non amor nostrî, ac certè odium suî. Nervus quoque deest, cum nec ipsæ pecuniæ ita exigi solent, ut debent, neque ab omnibus æquè penduntur, neque ad eos semper usus ad quos concessæ fuerint convertuntur.

Bellum inchoatum aliqui incusant.

Dissvadetur.

Motus in Litvania cõtinuatur

In Litvania motus prioribus majores continuantur, cum quisque libertatem suam ex libera opprimendi alios facultate metitur; pulchrum libertatis Nomen magna ex parte amissum, licentiam autem omnibus illis

illis in partibus ferè intolerandam, passim regnare boni omnes dolent, scribuntq; optandum esse, si libertatis dulce nomen apud illos est, ut sic ea uterentur Litvani, istamque moderationem illi adhiberent, ne nimia ejus usurpatione, in contrarium servitutis malum, idquod in proclivi est, incidant. Multi se graviter læsos, ac injuriâ affectos clamitant, non tamen ex legibus ipsis contra eos fertur sententia; non ex jure definitur causa, sed pro libidine Principalium (quanta nostri infamia sæcli) res geritur vi. Plurimi contra domum Sapiehanam fortius agunt; multi tamen eos defendunt adhuc; ut primis illis Ecclesiæ temporibus non deerant, qui Christum ore assumerent, Platonem tamen animo non exuerent. Quanquam cautiùs Sapiehis agendum crederem, summa enim amentia est, in eorum fide spem habere, quorum perfidiâ toties deceptus sis: Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam toties servare recusavit.

Ad coercendos motus istos (scribunt alii magis incitandos) antequam Rex versùs Varsaviam moveret, misit Joannem Szembeck, cui nuper Referendariatus Regni cesserat ad congregatam nobilitatem. Quod quis mandato facit Regis, dolo facere non videtur; cum habeat parere necesse. Publica tamen erat instructio, ut persvaderet eidem nobilitati pacatiora, induceretque ad mutandos hos motus in tranquillitatem; nec erubesceret de commutatione sententiæ, non est enim tanta authoritas in mundo, quam errasse pudere debet, ut pulsam quasi jam exulem libertatem revocent, quæ nunc sub motu civili tristis, gaudiorumque mendaciis tecta, ad ferocientis populi mandatum sumitur, ut non corpora tantum, sed animus ipse catenata prematur servitute. Gaudet quidem Regnum Poloniæ amplissimis immunitatibus à Majoribus acceptis, ita tamen legibus omnia circumscripta, ut non licentia; quæ sceptra evertit, sed authoritas; non insolentia, quæ rerum gerendarum ordinem turbat, sed consvetudines ac statuta Regnum hoc moderentur. Superant quidem Gentis nostræ immunitates omnium exteri orbis populorum jura. sed quia cæteris libertate sumus superiores, modestiâ omnes anteire necesse esset, neq; eâ libertatis felicitate ad dedecus & excidium nationis nostræ abuti. Fecítne id bonâ fide in Patriam (adversa nemo imputat sibi,) vel contrariô in privatum mandatô concludere non possum, cum varia ad credendum motiva inde insinuentur. Ego crederem; quòd quisquis bonus Patriæ civis experimentum virtutis suæ dare deberet, scireque inserviendo Patriæ virtute sincerâ, fide integrâ, animo incorrupto, nullum se famæ adire discrimen, cui si quid livor malevolorum detraxerit, tempus ipsum quandoque & sera potestas, per obtritas frendentis invidiæ cervices ringente calumniâ decus suum rependet. Plena & non limitata pietas istius Referendarij æquum discernere debuit ab iniquo, convertere tamen malum in bonum non potuit, cum invenisset turbas magnas in nobilitate, quæ tunc omnia, quæ vult, potest, & plusquam æquum decorumque est, fortasse vult; quamvis magno se quisque judice tuetur. Jactura fortunarum multorum jactantiam acuit, ultra id quòd cum vitia prosint, peccare se credit quisque, qui rectè facit; dum invasiones bonorum, rapinæ, cædes, non pro crimine, sed pro virtutibus habentur. Jam quod antea palàm ab illis dicebatur, Sapiehas esse de semine virorum illorum, per quos salus facta est, nunc, tolle, crucifige, inclamant, ex uno ore procedit benedictio, & maledictio, quamvis quidquid in alio reprehenditur, id unusquisque in suo sinu inveniet. Ad nocen-

Szembeck mittitur in Litvaniam

Libertas Polona

A.C.1700 dum potentes sunt omnes, ad bene faciendum pauci, & ita illi qui narrandis, quàm gerendis rebus sunt aptiores, prævalent melioribus. Unde non verificatum in hoc congressu, ubi multa consilia, ibi esse multam salutem, & ita quidvis citiùs dissolvi videmus, quàm rursus refici, sed dicendum utrique parti jure merito esset; nunc gaudete Tarentini breviter, nam longum lugebitis. Svadebat quidem Szembekius, quòd non deberet domus hæc alieno odio prægravari, quòd illa quæ contra illos, tanquam contra jus fiunt, pro infectis utique haberi deberent, sed non erat auditus. Cùm itaque in congressu illo nobilitatis nihil perficeret, speraretq; boni nihil (præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur) adijt Vilnæ tum residentes Sapiehas, ut saltem illis mitiora svaderet cum aliqua spe Regiæ interventionis, sed responderunt: parvo differre, pati adversa, an expectare, quod magni mali medicinam tristiorem esse oporteret, quem morborum tædet, amara non respuit. Incusabant nobilitatem (eadem est ratio contrariorum, quatenus contraria sunt) vel potiùs illos, qui eam ad ea violenta ducerent, quòd nimio plus contra eosdem sævirent, quòd monstrarent excogitata scelera, aut si non inveniunt, generarent, itaque quamvis ante velis ferri solebant, nunc vix remis, nihilominus tamen, si libertas eripi ipsis deberet, & si ipsa vita, ferro tentandam rem concluserunt, cadere possumus, à vindicando honore flecti non possumus. Ignavi animi ad primum ictum concidant, nos ostendere volumus esse aliquid in nobis altioris auræ, & si ceciderimus, de genu pugnabimus; parati pro legibus arma, & pulchra lethum pro libertate pacisci, necessitas ante rationem est; ita esse boni cives debemus, ut etiam fortes viri simus, cumque hæc dicerent, nonnullis severiores visi sunt superciliique elatioris, quam liberæ genus cives deceret, cum iræ impatientes & plus æquo imperiosos, erant qui annotavere. Invectus est postea in Referendarium Thesaurarius Litvaniæ, quòd scilicet, Rex faveret parti adversæ, quòd multum in eos moliretur aula, in multis injustè accusati, & si ipsimet conscij essemus eorum, quæ objiciuntur, resipisceremus, sed quia non sumus, despicimus, imò non solùm deridemus, ac negligimus, verùm etiam gaudemus, atque exultamus juxta DEI sermonem, quia nos ita jubet facere, *cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum, adversus vos mentientes, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Fuimus hactenus infelices, gratiam Regis nullo modo habere potuimus constantem, sed interdum noverca est dies, interdum mater. Quod grando tectis, quod fluctus retibus, hoc calumnia potest, cum in nos viros incidit, quod dicimus, faciemus, aliquid audendum, dolor enim nimius non deliberat, non verecundatur, non consulit rationem, non metuit dignitatis damnum, non obtemperat judicio, non acquiescit, modum ignorat & ordinem; iret adhuc in verba dolor, sed non loquendum, verùm agendum nobis erit. Iter ergo suum disponebant, dirigebanturque versùs castra nobilitatis cum toto militiæ robore, quod sufficiens sibi esse credebant, quod contra sensum prudentiorum fiebat, quibus hæc præcipitantia minus placuit; solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt agere; Palàm tamen dicebant, quòd sub clypeo parati sint, etiam pacis conditiones acceptare, atque eo nomine ab Episcopo Vilnensi viro omnium etiam inimicorum confessione prudentissimo, pro tranquillitateq; publica zelosissimo, expediti sunt Zgierski Suffraganeus, & Szaniawski Canonici Vilnenses, homines capaces, cum nullum ingruere malum possit tam arduum, quod infra consilia illorum esse possit. Vtque quantociùs ad nobilitatem accederent ordinati, multisque instructi, cum habeat hæc sollicitudo

Judicium de congressu in Litvania habito.

Adijt Szembekius Sapiehas.

Horum resolutio.

Querela Thesaurarij Litvaniæ.

tudo

tudo quod omnia necessaria putet, quæ bonum effectum promitterent, abierunt; cum interim Exercitus Sapiehanus movisset aliquot à Vilna milliaribus, hac eadem die quo ordinarius Vilnâ cum literis expeditus tabellarius, undè quid actum sit, scire brevi poterimus, ego libenter haberem, ut utraq; pars omnia faciat, ne armis decernatur, quorum exitus semper incerti, & in utramq; partem justè timendi, ac proinde animum heroicum laudo, sed consilium reprehendo. *A.C. 1700* *Sapiehæ movent contra nobilitatem*

CXLV.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. EIDEM VARSAVIA 24. Novembris.

Conflictus inter Sapiehas & Nobilitatem, stabuli Præfectus capitur & occiditur.

Postquam rescivi suam Majestatem rediisse Varsaviam, judicavi eandem adeundam, ut neque Reipub. cives à me animum, neque Rex fidelis senatoris desideraret. Video enim & in Livonia id fieri, quod non tantum sapientem, sed etiam probabilem non habet excusationem. Veni proinde persvasurus Regi, ut ad illos calculos revertamur, quos nunc abjicimus, ut scilicet suscipiat curam & cogitationem dignissimam suæ virtutis, & ut non solùm gloriosis consiliis utatur, sed etiam populo salubribus, cujus odia rursus in se, quæ jam extincta erant, ex præterito in Russia vivendi modo resuscitare videtur. Ita quemcunque sors tulerit casum, subibo potiùs cum iis, qui dicuntur esse boni, quàm videar ab illis dissentire. Revelabo aliqua, si illa nescire eum videro, neque enim difficile est, hoc nescire, cum sit ars multò difficilis rectè Remp. regere, cuivis nunc velle, & quod vult agere licet, & hoc ipsum velle miserius esse quivis bonus ducit, quàm in crucem tolli, cum etiam ea res sit adhuc miserior adipisci, quod ita volueris. Favere Regem parti Sapiehis contrariæ omnes sciunt, permittere illum nobilitati plus quàm leges jubeant, cuncti mirantur, cum sua Majestas se excuset, omnia facere se dignitatis causâ, ubi autem est dignitas, nisi ubi honestas? Nulli probantur ea, quæ nunc pro Rep. sentit, quippe res est in manibus ejus tranquillandæ Litvaniæ, & ille videtur dissidiis, internisq; odijs delectari.

Cùm ergo heri Varsaviæ comparuissem, hâc eâdem die infausta ex Litvania venerunt nova de conflictu nobilitatis cum Dominis Sapiehis, ultimis infelici. Jam scis ex præteritis meis exisse Sapiehas Vilnâ, quibus illi vel illæ à quibus tunc dependere visi sunt, utinam mederi potiùs voluissent, quàm urgere moderatione paulò minus temperatâ, utque ante judicassent, antequam consuluissent, quanquam illi plerumque faciunt suo judicio, suâ sponte, nec cujusquam utuntur consilio. Exiverunt ergo cum bona, ut ajebant, spe vincendi, & libertatem suam vindicandi, locaverat castra sua Palatinus Vilnensis sub Leypońska, ut vocatur, taberna, septem Vilnâ milliaribus distante. Principes verò Visniowiecij Janussius & Servatius exacerbati nupera Vilnæ læsione, ubi pacatè euntes per civitatem ab hominibus Palatini Vilnensis, tanquam ex insidiis summo dishonore affecti sunt, & etiam in periculo vitæ fuerant, vulneratique. Casu id accidisse alii dicunt, & non illis, sed Kocielio Castellano Witebscensi insidias structas fuisse asserunt, erroreq; factum fuisse propter similem Principum & dicti Castellani equorum colorem. Quamvis verò stabuli Præfectus Sapiehæ Palatini Vilnensis filius illos domum suam receperit, per chirurgum suum vulneribus mederi fecerit, excusatioque totius Domus intercesserit, non consulto id, sed casu merissimo factum fuisse. Digerere nihilominus *Origo dissidij Visniowiecios inter & Sapiehas*

 domus

A.C. 1700 domus Wisniovieeciana non potuit, imò cum animo, vindictæ, & apertâ indignatione Vilnâ abierunt, & jam cum adversa parte inito consilio reditum cum forti manu in Livoniâ promiserunt, non humilibus curis pro indole sublimi id facturi. Non erant Sapiehæ in credendo, ut necesse erat cauti, quâvis occultandi ratio intentiones eorum, non difficilis & ipsis evidenter periculosa fuit. Accidit enim brevi, ut pro eo tempore, quo Nobilitas congregaretur, dicti Principes venerint, & cum major natu Janussius magnis precibus à Nobilitate requisitus fuisset, ut officium hoc, quod hactenus Kociel Castellanus gerebat, in se reciperet, totiusq; nobilitatis Litvaniæ colonelli titulum susciperet, cumque se ille excusasset, tanquam nullas possessiones in Litvania habens cessit fratri juniori. Itaque cum appropinquare castra Sapieharum inaudivisset nobilitas, inconsideratiùs magis, quàm prudenter (si Palatinus Vilnensis cautior quoque fuisset) aggredi castra, ut dicebant, libertati inimica omninò voluerunt. Tractabat interim Episcopus Vilnensis per suos dictos Prælatos, quamvis de illis omnia facilius credere possum, quàm quod scribitur, hoc est certum, quod cepisse visi sunt bene, malè finierunt non finiendo bene, nam non obstante tractatu summo mane velitationes aliquæ ab utrinque inceperant, cumque stabuli Præfectus, qui artileriam tunc & externum militem regebat; melius quàm contra cives decebat tormenta dirigeret, aliquotq; nobiles audaciores magis, quàm cautiores in campo cæsi fuissent, fratres consangvinei, & amici occisorum, à Principe pro tunc Duce enixè petierunt, ut cum omni potentia contra adversa moveret castra, quod facere eò commodius potuit, dum eo planè instanti Oginscius Samogitiæ Gubernator, & Pociejus Vigiliarum Litvaniæ Præfectus, cum aliquot millibus virorum selectorum comparuissent. Quibus expeditis ut à tergo ex arte militari per cognitas viarum semitas hostem aggrederentur, eodem condicto inter se tempore, cum tanta furia Sapiehas sunt aggressi, ut nunquam fortiùs tanquam desperabunda nobilitas pugnare audita vel visa sit. Quamvis igitur & Litvanus miles strenuè se gesserit, non ut pugnante quondam Appio, sub quo, cum potuisset, noluit miles vincere. Quamvis stabuli Præfectus fortis & prudentis Generalis adimpleverit partes, cedere tamen fortiori potentiæ, cum undiq; cincti & circumdati fuissent, primò Litvani debuerunt, & seniores domus Sapiehanæ versùs Vilnam veloces moverunt gressus, stabuli autem Præfectus relictus ab iis quos defendebat, cum mille quingentis equitibus satis diu & optimè sese gerebat, sub quod tempus Bokum Thesaurariæ Regni & Subdapiferæ frater inconsulto tanquam concordiam svadens castris vicinior factus sclopeto ictus occisusque: diutius defendens se stabuli Præfectus primus ad pugnam, postremus in receptu, cum resistere non posset, quamvis fugere potuisset in communi omnium præter suos equites fuga, non licere tamen sibi arbitrabatur, jam tantis rebus gestis non suî similem esse, ac proinde maluit tandem ex svasu amicorum, qui ex adversa parte venientes id persvadere conati sunt, non alii concedere volens personamq; suam concredere nisi Oginscio, non dubitans quidquid honestius, id ipsi futurum esset antiquius, à quo securitatem personæ suæ cum juramento accepit, sed venit in memoriam ille Lysander cujus ex ore sacrilego horrenda illa exivit blasphemia, pueros taxillo, viros jurejurando decipiendos esse, ita dictus Oginscius vir gloriosus promissa non complevit, cum enim innocentiæ & rectefactorum conscius stabuli Præfectus cedens necessitati se militesque suos Oginscio per pacta in similibus fieri solita reddidit, ductus ad castra sub vesperum ipsum Principique colonello redditus, nec unquam egisse, quidquam Oginscium in favorem ejus compertum est.

Cinguntur Sapiehæ

Fugantur

Stabuli Præfectus se dedit Oginscio

Totâ

Totâ illâ nocte tanquam pro capto incarceratoq; extrema variè agitabantur illius & Principum Wiszniovieciorum cogitationes, cùm salvare stabuli Præfectum honori ducerent, dimittere verò periculum ipsismet à furibunda nobilitate infallibile, & inevitabile immineret. Scripsit stabuli Præfectus ad Episcopum Vilnen: in vicino Franciscanorum Monasterio tunc degentem literas, quibus petiit, ut quoquo modo eum salvare dignaretur. Bonâ fide, charitate Christianâ, quâ repletus est animus ejus, voluit, & fecit, quæ potuit eo nomine optimus Præsul, actum suum disponit & dirigit unusquisq; Episcopus rationem propositi sui Domino redditurus, & non est dubium, quòd sincerè saluti ejus omnem solicitudinem impenderit. Misit ad principaliores cum promissis, quorum ipsemet fidejussorem se faciebat, ivit ipsemet in illam domum, ubi Princeps Wiszniovieccius, & incarceratus Sapieha erat, sed jam plenum atrium impletum nobilitate furibundâ, & cremato ut dicitur à Białozoro Canonico Vilnensi, (cujus frater à Palatino Vilnensi nuper capite plexus) benè potâ, offendens in uno factus est omnium reus, quamvis non sit bonum omnium culpam in unum referre. Cumq; Episcopus pro authoritate sua Pastorali aliquid loqui cœpisset, in favorem stabuli Præfecti: periret totus orbis, nisi iram finiret misericordia, non contradicentibus, nec quidquam nonnullis obnitentibus, quos jam lucratus erat promissis, nam illis erat maximæ curæ, ne quid ferret secus quàm ille voluit, quamq; oporteret, sed reperti sunt aliqui, qui ignem gladio ne foderet, persuadebant, hoc est, iratos & furiosos animos verbis non lacesseret in vanum; absentem lædit qui cum ebrio litigat; & ita vix ictum ex sclopeto explosum (unum hoc restabat ad omne dedecus) evitare potuit, & non tam præmonitus ab amicis, quàm planè coactus, videns quorum arbitrio res gerebatur, per manumq; eductus exire debuit, & cùm currum suum ingredi voluisset, in partes frameis scissum, equos in rapinam acceptos invenit, & pedibus cum magno incommodo, nives enim magnæ ceciderant, redire in Conventum debuit. Eductus pòst ex cubiculo miser stabuli Præfectus, ille qui relationem hanc scripsit, addidit circa hoc punctum, quòd hoc haud rectè factum noluit silere, ne videretur malos imitari velle tacendo, omnia quæ certa non sunt pro certis negans. Itaq; stabuli Præfectus qui sub flore fructum alebat, cujus virtutes uti nubes collisæ fulgurabant, dicere potuit: Patres nostri peccaverunt & non sunt, & nos delicta eorum portamus, cùm aliqua præfari voluisset, hominem se esse, errare posse, labi posse, primo colapho à dicto Białozoro percussus, pòst multis ictibus à furibunda nobilitate vulneratus, luctantem animam brevi cũ morte trahens viribus cadens & jam moribundus in terram cecidit, ibiq; in partes dissectus. Homicidæ secundùm Canones censentur omnes, qui simul aliquem vulnerârunt, quamvis ex unius tantùm vulnere obierit. Quid pòst actum fuerit, necdum scimus, sufficit autem hoc ad dolorem, quod scimus, & ipse dolor, qui revera magnus in me est, plura scribere non permittit, nam soleo mœrere pro omnibus, quanquam citiùs me extingverem, quàm lacrymis meis hunc publicum Litvaniæ ignem. Fuge illos, fuge, qui liberioris vitæ obtentu ad licentiam trahunt, quæ una janua & aditus ad omne scelus. Quid facient Sapiehæ amisso exercitu suo, victi, oppressi, capti, planè nescio, hoc scio, si hariolari licet, quòd corpora sua ampliùs non opponent, & unius mors, aliorum erit cautio, & ea quæ facta sunt, non animos eorum augebunt, sed timorem. Venit tempus, cùm diu nec fortiter, nec feliciter quidquam facere poterunt, cùm Duces belli civilis aut nemo sequitur, aut ii sequuntur, qui facilè vincuntur.

A.C. 1698

Scribit ad Episcopum Vilnensem.

Episcopus frustra ejus causam agit.

Periculum Episcopi Vilnensis.

Stabuli Præfectus occiditur.

A.C. ZA-

A.C.1700

CXLVI.

A.C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARMIEN: & SAMB. EIDEM AMICO CONFIDENTI. 29 Nov. Varsaviä.

Queritur Regem parvi facere cædem stabuli Præfecti.

VEnit confirmatio de conflictu nobilitatis Litvaniæ cum Sapiehis & de morte tam ignominiosa stabuli Præfecti Litvaniæ, qui spiritu magno vidit ultima, magnæ spei juvenis, de quo tibi non potui aut tacere, quæ de illo sentiebam, aut non sentire ea, quæ quisq; spectare debuit, & verum est, quòd quæ in aliis ejusdem ætatis ferè singula, in illo reperiebantur universa.

Hâc eâdem die jussit me Rex secum prandere, & cùm tristis ego ex hoc fato futura prævidens essem, ille ejus interfecti morte lætus & contentus apparuit ex iis, quorum nuper facta laudabat. Scio illum non voluntate aut naturâ esse crudelem, sed quòd in hoc passu putaret non necessariam esse clementiam; optarem ut Patriæ salus & dignitas posterior suâ dominatione & domesticis commodis fiat.

Venerant multi ex Litvania ad aulam, & nihil etiam in eorum animo triste adverti ex hoc tam magno casu. Improbitas nulli, quàm sibi amica, ac nec sibi quidem dum utile honesto præfert, dum declinat à Regia, hoc est veritatis via, falsam pro vera arripit errantiumq; multitudinẽ sequitur, & ritu pecudum incedentem gregem. Quid de iis dicam, qui talia faciunt, nisi ipsos potissimùm lapides ac stipites esse credam, qui rudes & imperiti ad mala facinora bonorum ignorantiâ labuntur, quæ iisdem etiam cum periculo offensionis clarè dixi: quid meâ interest ut eorum odium subeam non intelligo. Libenter certè pro bono publico vellem, ut ii ipsi caveant sibi, nec credant tuta sibi omnia & in vado. Syrenes & Cyrces cogitare deberent, vias devias, & esse quæ vitent pericula, aperta, & operta, ut qui in navi sunt dormientes, & vigilantes vehuntur cum sensu, sinè sensu, sic nos eo provehimur, ut aliquando abripiamur, aut mergamur velut tempestate. Necessum verò est corruat, quod fragili hoc fundamento superstructum. Non potui ergo animi mei sensum celare, & cùm Rex quasi indignabundus tristitiæ meæ, causam ejus diligentiùs quæsivisset, & me hortaretur, ut firmo essem animo, sed invenire modum, quo id facerem, non potui. Imò sciens Principibus facilem omnium aliarum rerum esse copiam, præterquam veritatis, pro anima mea nôn confundebar dicere verum, & spero integritate meâ, & apud eum, & apud Patriam meritum aliquando me consecuturum. Habens intellectum curet omninò ne taceat. Non sum ex iis qui non putant ad se pertinere, ut vera dicant, sed ut apta sint. Dixi ergo Regi ferreus ille, qui hoc casu non movetur. Dum verò frequentes mutationes, & erga se inconstantem animum Sapieharum commemorasset, respondi dandam licentiam subditis, nec ita strictè de eorum factis inquirendum. Omnia superat, qui omnia sperat. Maledicta contrà Regem si fuerunt; fortè interpretando facta sunt acriora. Magnæ & eximiæ artis est scire irasci, sed gloriosiùs non posse, si aliquâ culpâ teneretur erroris humani, à scelere certè liberi esse possunt. Si vera sunt, quæ Regi dicta, ista transierunt, offensa hæc quæ in præsumptione fundata est, veritate comperta occidet. Nobile verò vincendi genus est patientia. DEo ultionum Domino injuriæ committendæ, cujus arcana ingenio ac propriis sensibus non possunt comprehendi, Rex autem considerare debet quòd posse videntur esse pejora quàm adhuc fuerunt, cum vilissimo cuiq; crescat audacia, si se timeri sentiat, Moyses divisurus mare, jubet elevari manum & virgam, ut

autem

autem mare se iterum uniat, jubet manum tantùm elevare, de virga nihil dicit. Ut esset impetus, virgæ potentiâ opus est, ut turbetur aliquid, satis est intendisse digito. Prophetat verum ignorans Caiphas, nihil boni ex inde sperandum, nunquam liquidũ sincerumque ex turbido venit, alia dejiciuntur, alia generantur. Ego certè puto neque à nobilitate confectã rẽ, neque Sapiehis omnino desperatam, excisa est arbor, non evulsa, suas radices habet, quamvis eas evellere vellent alij, si possent, ea natura hujus rei est, ut hæc extrema esse non possint. Quæ gloria Regi Sapieharum confusio, sed parvi hæc erant apud eum, qui & majora contemnit; insulsa hæc Regi visa sunt, ita quæ non amat, insulsè pisi creduntur; verba sibi non facilè dari patitur, in hoc, neque libenter se præbet credulum. *A. C. 1700*

Princeps Radzivilius

Venit etiã Princeps Radzivilius, quem cautũ reddebat non sequacẽ, error alienus. Lætari potuit multos à Sapiehis quamvis colligatis, sentiens disgustus, sed gaudere noluit. Ita Princeps hic virtutibus proprijs clarus, alienis amicus, nunquam rectè facit, ut facere videatur, sed quia aliter facere non potest. Scit benè, quòd eâ conditione nati sumus, ut nihil quod homini accidere possit, timere non debeamus, ab alio expectes, alteri quod feceris, & timendum, ne cuivis accidant, quæ Sapiehis facta. Improvidus prius irretiri, & in laqueos potest cadere quàm cavere, nec nihil sit mali, quod non debeat sustinere vel expectare, nihil fingi potest mali, quo non quisque homo urgeatur, itaque Princeps Radzivilius noluit progredi inclinata jam re, quò integra etiam progrediendum sibi minimè existimavit. Quid enim viro bono & quieto magis convenit, quàm non se miscere civilibus controversijs & discordijs, consilia tali in re ne ijs quidem tuta sunt, qui dant.

Stanislai Dąbski obitus.

Venit notitia de morte Stanislai Dąbski Episcopi Cracoviensis, is quartâ die ab ingressu suo privato, publicum præparans, Cracoviæ mortuus est, qui neque deteriores, neque pauciores mortis suæ laudatores, quàm paululũ fastuosæ vitæ vituperatores reliquit, turpe elata & superba vita, sit dulcis licet. Episcopatus cessit Domino Georgio Dönhoff Episcopo Premisliensi Cancellario Regni, beneficia Rex dignis, ubi dat, õnes obligat.

Dönhoff fit Episcopus Cracoviensis.

Venerat etiam Dominus Castellanus Cracoviensis Varsaviam, sed paucis diebus tantùm mansit & abijt.

Præpositura Plocensis data fuit fratri meo Martino Załuski Episcopo Rosmensi, Suffraganeo Plocensi; sed Ioannes Gomolinski Episcopus Kijoviensis eandem etiam obtinuit, de qua litigandum erit.

CXLVII.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. & SAMBIEN. CASTELLANO CRACOVIENSI EXERCITUUM DUCI.

12 Decembris.

Refert electionem Clementis XI summi Pontificis.

PRosequor iter tuum votis, & quod post abitum tuum cum summo gaudio Româ accepimus, tibi communicandum reor, ut nobis congaudeas. Venit notitia, Cardinalem Albani omnium Cardinalium calculo adeptum esse, & suis meritis sub nomine Clementis XI invenisse Pontificatum. Omnium consensus eligentium, & conspiratio vicit modestiam ejus; neque enim omnium æquissimis votis & si voluerit, non potuit, & si potuisset, non debuit obsistere. Magnus ergo apparuit in Pontificatu detrectando, major in accipiendo, maximus futurus in administrando. Describitur mihi hæc memoranda electio, eam tibi mitto. Quàm erat optandum, ut ad Religionis nostræ splendorem ac pompam in

A.C.1700 in quodam proponi potuisset universi orbis theatro speciosum illud ac triumphale certamen, quod in arcanis comitiorū penetralibus peractum est, ubi tres integros dies non ut magnum aliquod pararetur imperium, sed ut augustissimū in terris imperium detrectaretur, hinc à purpuratorum Patrum senatu, inde ab unius constantia acerrimè pugnatum est, & de regnandi cupiditate utrinque gloriosissimè triumphatum; merebantur qui deferebant vel hoc ipso, quòd tanto pares imperio in alterum transferre certarent, reluctantem cogere niterentur: perinde ac si beneficium amplissimum ipsi potius accipere viderentur, quàm dare. Ille verò qui à tot maximis viris ac mereri se quod dabant conscijs dignissimus, atque optimus deligebatur, merebatur procul dubio jam pridem oblatum decus. Iterum ac magis promeruit cum illud constanter adeo ac magnificè detrectaret; sed iterum, & tunc maximè promeruit, cum repudiatam fortiter dignitatem fortissimè suscepit, ut verè tunc beneficium amplissimum non sibi datum ab omnibus, sed à se datum fuisse omnibus constet. Videmus enim interdum homines, qui ab honore capiendo refugiant, sed conscientiâ imbecillitatis, quia pares oneri ferendo non sunt, aut inertiâ, quia onus horrent. CLEMENS verò & onus vidit humeris non impar, vidit & impositum ut perferret à se ipso fortiter impetravit. Adeo ut qui magnū se Pontificatu detrectando exhibuerat, majorem se probaverit accipiendo. Rectè hoc & sapienter nec sine certo divinæ providentiæ consilio videtur comparatū esse; ut honores oneribus, onera verò honoribus temperarentur, ut honorum cupiditatem, onerum molestia compesceret, onerum gravitatē honorum jucunditas recrearet, utrisque dignitates constant honoribus juxta & oneribus. Hoc tamen interest, quòd honores ostentantur, onera dissimulantur, blandum quiddam, & insidiosum honor est: non statim ostentat onera quæ terreant, sed dignitatem quæ placeat. Utramque honoris blandi & severi, læti & modesti, placidi foris, intus tumultuosi faciem CLEMENS vidit. Detrectavit lucem, blanditias, splendorem; onera, molestias, tumultum & curas accepit. Quam est onerosum DEus immortalis! impositam velut humeris ferre totius orbis molem: Europam, Asiam, Americæ atque Africæ remotissimas gentes paterno sinu complecti: admittere in animum omnium curā populorum, omnium pericula, infortunia, calamitates suscipere: oblitum sui orbi Christiano vivere de tot urbibus, & nationibus, & Provincijs in vera fide, in pace & concordiâ continendis diu noctuq; cogitare, accipere innumerabiles undique nuntios, totidemque dimittere, solicitos dies, ac vigiles noctes, pro omnium salute ac felicitate transigere, adversus tot Hæreses, superstitiones ac vitia contendere, spectaculo esse mortalibus universis, quibus rectam præbere vivendi sentiendique normam ac regulam suis ipse legibus, suis moribus debeat. Tot septa laboribus dignitas an non merito debeat nonnullâ honoris pompâ circumvestiri, ut honos onera vel dissimularet, vel solaretur. Si enim totā repente se proderet curarum hæc moles; quem tantæ magnitudinis virum existimamus fore, qui suos supponere humeros vellet; sapienter itaq; Christiana Respub. dum dignitate gravissimâ Pontifices onerat, honores veluti quoddam pietatis tributum atque vectigal, non quidem necessarium sanctissimis viris, æquissimum tamen persolvendum statuit ad laborū solatiū, onerum levamen, & lenimentum curarum. Omnes illos tantæ dignitatis labores, onera, & curas capacissimæ solertia mentis deprehenderet. Quin usu ipso, atque experientia rerum magistra tanti honoris jugum, tanti servitutē imperij, tantæ felicitatis ærumnas, satis superque didicerat. Cū tribus Pontificibus maximis in sustinendo Ecclesiæ orbe suppetias ferret, hâc enim erat existimatione, authoritate, sapientiâ, atque in consilijs capiendis dexteri-

dexteritate, ut nullus inciderit nodus, ad quem solvendum, atque enucleandum quæsitus iste non fuerit Alexander, sæpe in rebus difficillimis consilium, sententiam, præsidium rogatus, latentes explicavit, ingentesque ingens facilitas resolvit angustias, curas, tamen nunc oneris gravitatem tanti sensit. Accedit enim novum sollicitudini ejus pondus: perturbationes præsentium temporum, calamitates bellorum, incendia quæ Europæ universæ imminere jam dum sentimus omnes, perspicacissimo ille mentis obtutu intuetur. Navim gerendam conscendit, non cum cœli serenitas, ventorum favor tranquillitatem & securitatem promitterent, sed cum ingentes ubique attolli fluctus, sævissimas circum undique impendere tempestates videret. Quæ nunc non sine dolore cernimus, ille cogitatione prævertit. Imperia se invicem collidentia, in mutuam ruentes perniciem, armatos Reges ac Principes, populorum clades, urbium solitudines, vastitates agrorum, Regnorum tumultus, religionis neglectum, metum, pericula. Quantæ rogo multitudinis fuit sapientem animum, nullis honorum illecebris delinitum, tot ac tanta hujus imperij onera planè perspecta suscipere. *A.C.* 1700

Ex occasione hujus electionis dicam tibi rem notandam, Heilsbergæ ut acta est 23 Octobris. Jussi Secretarium meum, ut notas nominis cujusvis Cardinalis faciat in parvis ijsq; æqualibus schedulis, quas omnes in urnam quandam misimus, & pòst parvum nepotem meum Chrysostomum annorum quinq; post factam orationem de genu manum immittere, & unam jussimus extrahere schedam, quod dum fecit, vidimus extractum nomen Cardinalis Albani, sed cum ego (confiteor peccatum meum & gaudeò me errasse) ætatem nondum solitæ electionis capacem dixissem, iterum extrahere, remissâ illâ primâ, fecit iterum, ac idem tertiò extraxit nomen, quòd nunc ex gratiâ DEi singulari confirmatum videmus, gaudemusque.

CXLVIII.

A.C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARMIEN. & SAMB.

Amico confidenti, Guttstadiô 28. Decembris.

Significat adventum Sapieharum in Varmiam, inde Varsaviam.

REdij Varsaviam, cumq; Guttstadij in Collegiata mea festa absolverem, ipso pervigilio Natalis Domini venerunt ad me viâ penes littus maris sine impedimento inventâ per Regiomontum, aliter salvi esse non potuissent, nisi ignotis itineribus & non speratis transirent, Palatinus Vilnensis & Magnus Litvaniæ Thesaurarius, tristemque relationem fecerunt de angustijs suis, dolori frena laxando, intercipiebat hic sermonem pro verbis lacrymas aggerendo hâc expressione, aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi sumus, cum neq; consilium commodum, neq; spem firmam fortunæ recuperandæ capere possumus, cum detestabile in Litvania ac abominandum tempus venerit, quo paucis est vita jucunda, cum injustitia projiciatur, innocentia odio sit, mali bonos hostiliter prædentur, Patrimonia inimicorum per damna illorum augeantur, ita dolor transversum egit, & difficultate ad præsidia dignitati, fortunæ, vitæq; paranda incitabatur. Nonne veterum malorum aliisq; illatorum pœnas & supplicia quisq; fert? Afflicti nimis erant adhuc in corde habentes luctum, & deplorantes, quasi ad monumentum demortui filij, quem supra omnes amabat Palatinus, & nunc perdidit, jus & icti fœderis testem DEum invocando. Spero me inventurum retributionem magnam, si non ab ipsis, certè à Domino; nam non tantùm cum omni humanitate eos recepi, (Amicus fidelis protectio fortis) quid-

Sapiehæ in Varmiam se recipiunt

Solatur Palatinũ mærentem ob necem filij.

A.C.1700 quidquid ad commoditatem eorum reperire potui, nihil intermisi, &, sicut soleo juvare cæteros, juvi & istos, omnia quæ fieri amicis à me possunt, pro factis habenda, aliqua propinavi consilia adversus eos, qui eorum quærunt animas. Verè nocet, qui, cum possit, non prodest. Cùm præcipuè oratio humiliantium se nubes penetrat, consolabar ego, dicebamque, fieri non potest, ut maximus mundi globus possit absq; mobilitate consistere, ut scilicet post mœrorem lætitia non subsequatur, cauterium videtur vulnus, at revera est vulneris remedium; vexatio videtur malum, & sæpissimè mali remedium est, sæpe, unde culpa est, inde primùm oritur querela. Verum quidem, quòd tam ingentis damni præcipuè in perdito filio nullum sit remedium. Sed nonne ille omnibus nobis jam est beatior, bonis artibus quæsita infamia laus est. Illam nunc totus felicitatem spirat, quam nos speramus, quæ verè vita dici potest, non hic fundus calamitatis, in quo mortuorum vitam, & vivam mortem inter dolores ac labores trahimus. Minor plantæ, quàm arboris interitus est; quanquam jam in eo non florem, sed maturum vidimus fructum, animum quàm ætas pateretur majorem. Addebam, si vestem amisisses, aliam sumeres, atq; eâ te tegeres. Sic nunc fac pro filio uno mortuo, duos alios substitue vivos. Maneant quos DEus dedit, & vivant; illum voto ne revoces in hanc infortunij & calamitatis scenam, imò gratulare vocato. Amissum natum, qui nimis desiderat, injuriosus in relictos est Pater. Satis luxit, qui affectum suum ostendit, nimium qui ostentavit, ad extremum cessationem mœroris illa rectissima impetret ratio, quam dies impetratura est. Flebilis hæc non historia, sed tragœdia, quæ ad nos rumore aliorum & literis perlata erat, concordat cum eorum tristi relatione.

Clementiam insidiosam regnantis timebant, iracundiam nobilitatis formidabant, pericula sibi certa ex dubijs suspicionibus concitabant, tremor & horror invasit sensus eorum, difficilis transitus, opinione deterriti cum inimici eorum cogitant adversus eos cogitationes; cavere sapientis est, & satis cavet, qui non temere credit. Dedi illis amicum consilium, ut adversus tempestates non nitantur, qui obtemperant procellæ, superant frequenter, quæ putamus perfici non posse, tempus expedit; suasi ut omnia faciant, per quæ apparere possit eos potiùs sufferre antiquum, quàm novum inducere errorem; Informandum interim Regem sincerè credidi, ut sciat quæ fieri exinde possent, cum & sapientissimi quiq; per ignorantiam veritatis à ratione quoq; desciscunt, atque in errores incidunt inextricabiles. Idem solet his evenire, quod viatori viam nescienti, & non fatenti se ignorare, ut vagetur, dum percunctari obvios erubescit. Sat autem existimavi esse & ipsiusmet Regis memoriam commodorum excitasse, & authoritatem Augusti sensatissimi Principis, sic Romanis civibus dicere soliti: Positas leges constanter servate, nec ullam earum immutate, nam quæ in suo statu eadem manent, & si deteriora sint Reipublicæ his quæ per innovationem vel meliora inducuntur. Præcipuè tamen volui persuadere ut se fortunatissimum putet, cum illos intellexerit resipuisse, & velle omninò affectum potiùs, quàm indignationem Regis inposterum mercari, utque illam cum Cicerone deponat apprehensionem, qui Carthaginem malè diu cogitantem, non prius timere desiit, quam excissam cognoverit. Ad evitandas interim aliquas in via insidias, sufficientem ad quosvis casus subministravi illis pro omnimoda securitate comitatum, qui ad domum Thomæ Działnij Incisoris Regni eos feliciter duxit, aliiq; qui idem officij Varsaviam usq; præstiterunt, ab eodem Incisore substituti. Mitto tibi constitutiones generales statuum M. D. Lit, sub Olkiniki cusas.

Eis datur consilium

Pergunt ad Regem.

Ego

Ego interim continuo visitationem Ecclesiarum mearum, quam necdum finivi, & sum in actu, unus semper mihi in circo labor, eadem per vestigia in orbem rediens. Nec plura, tempore excludor; interim me, dum vivo, tuum ama. *A.C. 1700*

CONSTITUTIONES GENERALES.

Perpetuæ & inviolabiles Statuum M. D. L. communi motu sub Olkiniki congregatorum in universali conventu Palatinatuum latæ & confirmatæ. Die 24. Novemb. Anno 1700.

Formula Juramenti Celsissimorum, Illustrissimorum, Perillustrium, Amplissimorumq; Dominorum Senatorum, Magnatum, Officialium terrestrium æquè & Castrensium, Equitum, Nobilium, omnium denique statuum M. D. L. in conservationem perpetui hujus, & nunquam infringendi juris.

EGO N. juro Omnipotenti DEO, uni in Trinitate, quòd omnia & singula quæcunq; communi motu congregati status M. D. Litvaniæ, in universali conventu sub Olkiniki constituerunt; non modò acceptabo, sed & firmiter tuebor, ab illis nec in minimo recedã, memet pro iis opponam, iisq; me subjiciam, adeo ut omnibus respectibus, conjunctionibus, omniq; consangvinitati cum domo Sapiehana, cujus causâ illi opitulari deberem, abrenuntiem; soli interim Reipub. M. D. L. unô velle, & nolle, fideliter & sincerè semper adhærebo, atq; si id necessitas exegerit, alacriter pro indemnitate libertatis, jurium, coæquationis in motum communem, memet sistam, innotescentiâ factâ per Celsissimum Principem Generalem armorum Præfectum nulli scissioni, quæcunq; (quod DEus avertat) inveniretur, memet conjungam, minimeq; à Repub. avellar, nec auxilio vel consilio, quodq; majus esset, præcautione nullâ adversariis ejusdem succurram, omnisq; mali & periculi, cujus notitia ad me pervenerit, Celsissimum Principem Generalem armorum Præfectum commonefaciam, unà cum cohortibus meis S. R. Mti atq; Reipub: fideliter studioseq; conserviam sub gubernatione Generalis armorum Præfecti. Citra voluntatem, ordinationemq; Reipublicæ militem atq; cohortem in exercitu non servabo: quinimo primâ intimatione factâ à Palatinatibus & Districtibus M. D. L. eandem dimittam. Quæ omnia sicut fideliter juramento confirmo, sic me DEus adjuvet & sacra ejus Passio.

NOS Senatus M. D. L. spirituales atq; sæculares, Magnates, Officiales terrestres, & Castrenses, Equites & Nobiles, omnesq; Palatinatuum atq; Districtuum M. D. L. status, omnibus & singulis, quorum interest, manifestum facimus, quòd occurrendo ingruentibus ab extra & intra periculis adversus statum omnem M. D. L. in virtute universalium literarum Seren: Regis AUGUSTI II. feliciter regnantis sub sigillo majori M. D. L. Varsaviæ 1. Julij currentis 1700 ex Senatûs consilio extraditarum post pacatè absoluta comitiola, animadvertentes maximum ex ora Livoniæ adversus Patriam nostram, periculum pro indemnitate propriorum limitum & dignita-

A.C.1700 *gnitatis Seren: Regis D. nostri clementissimi, proq; firmitate coæquationis jurium & nostræ libertatis simulq; pro amovendis gravibus exorbitantiis, & ad sananda vulnera Reipub. conventu in persona propria facto, ex Palatinatibus & Districtibus, electoq; in Generalem armorum Præfectum, Celsissimo Principe Michaële Servatio Korybut in Wisniowiec & Zbarasz. Principe Wisniowiecki comite in Dolsk, Komarno & Dąbrowice, Gliniancnsi Wilkowiscensi Capitaneo, eò, quò amor Patriæ, necessitas defensionis naturalis, & zelus tuendæ Majestatis vocavit, progressi sumus. Et ecce in tractu profectionis nostræ, Lipniscis legationem à S. R M. in persona Perillustris Domini Joannis Szembeck, Referendarii Regni Poloniæ Capitanei Biedcensis suscepimus, quâ Rex Seren: D. noster clementissimus, exhibito nobis Paterno favore pro nostra promptitudine, intimandoq; elapsi jam temporis annui aptitudinem ad bellandum, benignè nos obligavit, ut serium quiddam, & fundamentale, pro conservatione boni publici in præsenti conventu nostro constituentes de defensivis contra ingruentiam bellicam adversæ partis consultaremus. Quocirca nos persolutis prius Divinæ Majestati gratiis, quòd è nobis tam magnū comitatū ad sananda tam periculosa vulnera, subitò & cum parata ea, quam vidėmus promptitudine, eô modô, quô efficacius non fuit convocare dignata sit, unanimi consensu nostrô ne in minimo Sacrosanctæ Unioni, M. D. L. cum regno Poloniæ contraveniendo, quinimò eandem, per coæquationem jurium, & indissolubilis libertatis, magis ac magis firmando ac roborando, authoritatem Comitiorum, & liberæ vocis, omniaq; jura cardinalia conservando, simulq; esse legitimum, & legale recognoscendo, quodcunq; pro salute universali Reip. geritur, quæ populis atq; temporibus imperat, conditq; jura in seram posteritatem: volendoq; posteris nostris, labore, atq; sanguine ac pretiô inæstimabili, acquisitam libertatem transcribere inviolatam, antiquo in Polonia Andrejoviensium, & Sendomiriensium, aliorumq; Conventuum nobilium exemplô defensionem nostrî communem adversus externos, atq; internos hostes, unà cum certis articulis infra signandis, ad libertatis ordinem, ad conservationem coæquationis, & æqualitatis, restaurationemq; jurium, atq; ad exorbitantiarum correctionem pertinentibus, unanimi consensu conclusimus & decrevimus.*

SECURITAS LIMITUM M. D. L.

ORbi universo notum est; quemadmodum Rex Serenissimus Dominus Noster Clementissimus, ex nexu juramenti proprii satisfaciendo pactis conventis, respectu recuperationis avulsarum Provinciarum à Regnò Poloniæ & M. D. L. multis iisque justis de causis vim vi repellendo, bellum cum Regno Sveciæ aggressus, glorioso & fortunato eventu, in præterita expeditione illud prosecutus sit, quando fortalitiis aliquot violentâ aggressione, atque assultu, recuperatis, potiorem jam partem Livoniæ, ad obedientiam suam & Reipub. redegit, paulò pòst, ubi Rigam receperit, plenam firmaturus possessionem. Quoniam verò Regnum Sveciæ non modò ad justa restitutionis ablatorum media, verùm ad ipsosmet adhuc

adhuc dum non accessit tractatus, operâ datâ differendo, ut in tempus vernum imparatos reperiens, ad iniquas deducere nos possit conditiones, aut etiam (quod avertat DEus) ne confinia M. D. Lit. periculis ex hoc bello emergentibus subjaceant, idcirco nos authoritate congressus Generalis, & unanimi consensu, respiciendo ad manifesta belli pericula propter securitatem limitum M. D. L. simulq; propter conservationem coæquationis præsentium constitutionum nostrarum conformantes nos scripto ad Archivum in comitiis immediatè antecedentibus porrectum militiam Poloni, externiq; collecti exercitus in præsenti congressu ad partes nostras inducti, singulariq; scripto, manu nostrâ munito specificati, inter Palatinatus atq; districtus proportione factâ, ad satisfactionem stipendiariam, secundùm repartitionem, ad tariffam authenticatam (non includendo status M. D. Lit. ad agrarias contributiones) expeditione terrestri & Provinciali distributam statuimus, ordinamusque, consecratamq; ad servitia S. R. Mtis, ad conservandam libertatem, atque jus patrium manumittimus sub Regimen Celsissimi Principis Dñi Michaëlis Koributh Wisznowiecki Generalis armorum Præfecti, Palatinatuum M. D. Litv. cui ad annos duos, à data præsentis potestatem ac jurisdictionem super dicta militia exercendam, secundùm articulos bellicos, constitutionesq; comitiales Ducis officio servientes pro hac sola vice ad ulteriorem S. R. Mtis, & Reip. ordinationem tribuimus, abrogando Ducalem potestatem respectivè ad personas præsentium Illust: M. D. Lit. Ducum quos propter abusus & excessus in perniciem M. D. Lit. attentatos tanquam extollentes sese supra æqualitatem effectu & exercitio actuali ministeriorum privavimus. Huic militiæ locationem ex necessitate vicinioris periculi in bonis Sapiehanis omnibus in genere ex causis infra ponendis destinamus, severè intimando, ut in prædictis bonis pro consistentia hyemali locatus miles plura exigere & accipere non attentet, super ea quæ in assignationibus à Celsissimo Principe Generali armorum Præfecto, sibi statuentur, licebitq; seu in consistentia seu in transitu injuriam passo stipendia injuriosorum apud districtûs Commissarium arestare, qui sub solutione de proprio per arestum detenta stipendia extradere non debebit usq; ad decisionem litis inter partes. In stipendium autem huic exercitui tributa à potu doliari & pecunia (vulgo Czopowego & Szeleznego) in duplo auctas hybernas ex Capitaneatibus Regiis, atq; bonis ejusdem hæreditariis, pro quolibet anno, & hisce duobus annis, item telonia Reip. recenter aucta, donativum negotiatorium, Monopolium tabacæ, capitaleq; Judæis impositum vectigal in quantitate universalis summæ tariffâ totius M. D. L. expressæ, quam Synagoga Brestensis, Grodnensis, Pinscensis, Vilnensis, & Hucensis, receptis censibus ab aliis particularibus Kahal & Judæis Litvanis, juxta exdivisionem inter se factam, pro peditatu tribunalitio, annuatim 25 millia secundùm constit: 1695 ad manus Præfecto peditum tribunalitiorum per binas in annum ratas, primâ nimirum die D. Casimiro, 2dâ die S. Bartholomæo juxta Kalendarium Romanum sacro, restam verò post missas assignationes à Celsissimo Principe, Generali armorum Præfecto deferre tenebuntur. Quòd si verò duos intra præfatos terminos paratam pecuniam pendere nequiverint, obligabuntur dictæ Kahaly, ad alias Synagogas particularesq; Judæos, assignationes suas extradere, quas certè fortis officii executio Castrensis subsequi, atq; cum adminiculo, si necessitas urserit centurionum Palatinatuum & districtuum eorũ in quibus Synagogæ consistunt, per centurionem tribunalitium extendi debebit, ita ut etiam antiqua retenta peditatui tribunalitio debita, ab iisdem Synago-

A. C. 1700

A.C.1700 nagogis per eundem Centurionem eâdem normâ simul vindicentur. Statuimus quoq; vectigalia Capitalia Tartaris imposita juxta quantitatem summæ in Tariffa præsenti expressæ, cum eadem in renitentes per Palatinatus & Districtus, facienda executione, & vel maximè augendo ærarium publicum è summis plebejorum tam in civitatibus super mercimonia quàm etiam super bona terrestria hypothecariô jure locatis statuimus pendendos florenos 5. à 100, quod tributum ut in ordinem redigi possit, in comitiis Februarij indigenæ Palatinatuum & districtuum M.D.L. deligent lustratores, ut hi collectâ summarum hujusmodi massâ certorum proventuum confecta regestra delectis ad hæc tributa Dominis exactoribus porrigant, prius tamen per oblatam data ad acta Castrensia simulq; quantitatem, quàm magna in Palatinatu & districtu quovis hæc exurgat Celsissimo Principi generali armorum Præfecto denuntiabunt, ut hic assignationes suas huic tributo, viso prius certo quanto, pro militia accommodare possit, néve irrita fiant ejus intenta, in exolutione stipendij neo conducto militi. Attamen ut tributum hocce sine ullis depactationibus, auctis mensuris ponderibusq; (præcipuè teloniis) sub privatione officii & restitutione de duplo Magnifici DD. Exactores recipere debent, seriam animadversionem judicio fisci, hoc super negotio demandamus, ad quod citationis forum, pro passis injuriam designamus. Potestatem insuper omnimodam damus Illustrissimis DD. Michaëli Kociel Castellano Trocensi, & Gregorio Oginski Capitaneo Samogitiæ, locandi telonia, nomine Reipub: in annos duos pro summa expressa in Tariffa, pecuniam tamen paratam anticipativè pendenti cujuscunq; conditionis & statûs sit homini: & vel maximè Berent Leyman Servitori S.R. Mtis, quem pro exhibita commoditate in prægnantibus Reipub. necessitatibus capacem & habilem declaramus ad tenenda tam bona œconomica S. R. Mtis quàm etiam hujusmodi telonia, non derogando constitutionibus comitialibus, salvaq; defalcatione in casu non aggregatæ summæ, & securitate pro successoribus, ad tenenda hujusmodi telonia, usque ad perfectum terminum in casum fatorum in aliquem ex dictis Illustrissimis. Cursus præfatorum omnium à 1. Januarij millesimi septingentesimi primi inchoabitur. Pro exactione vectigalium à potu & summis, uti & hybernæ, ex nunc Perill. & Magnificos DD. Administratores, Commissariosq; delegerunt Palatinatus & Districtus M. D. Litv: in Palatinatu Vilnensi Commissarius Perillust: D. Chominski, Orsensis Præfectus Venationum; Administratores in hyberna Perill: D. Witeyko Vilnensis Præfectus Vigiliarum, Perill: D. Christophorus Czlz judex terrestris Vilnensis. Hoc ordine in quolibet Palatinatu delectus est Commissarius, unus duoq; Administratores convenientes in locum judiciis destinatum, vel exactores suos, ad recipienda vectigalia doliaria & pecuniaria constituent, vel etiam contractu facto, certis committent hominibus, regestraq; perceptorum ad acta fiscalium judiciorum porrigent, ut cuicunque ex iis licitum sit ea lustrare, sic etiam Perillustres Administratores hybernarum convenientes eodem tempore ad eundem locum, duplicatas hybernas ex Capitaneatibus, bonisq, hæreditariis quàm primùm exigent, & apud Commissarium suum, unà cum Administratoribus vectigalium doliarium & pecuniariorum collectam pecuniam hebdomada ante comitia Februarij deponent: quos fide, honore & conscientiâ obligamus, ut punctualiter cohortibus in Palatinatu vel districtu suo locatis, summam secundùm debitam repartitionem exsolvant, facientes sine mora executionem super retinentibus per centuriones districtuum juxta præscriptum coæquationis & laudi Generalis sub assessore, secundùm quod judicium

ærarii

ærarii in Palatinatibus & districtibus procedere debet. Perillustres verò judices ærarij nullas omnino largitiones prætendere debent, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ. Et quoniam numero præsentis militiæ dicta tributa, summæ eidem debita, juxta Tariffam correspondere nequeunt, igitur potestate præsentis conventus nostri ex bonis Serenissimæ Neoburgicæ Principis (exceptis hypothecariis anterioribus quæ Reipub. adhærebant, non modò ob urgentem extremam necessitatem, verùm etiam in vim gratitudinis, Reipublicæ debitæ, quæ summa solicitudine, magnoque conatu prædicta bona, è potestate Illustrissimi Sapiehæ præteriti Palatini Vilnensis & M. D. L. Ducis insciâ Republica in præjudicium Hæredis in contractum ea, & in possessionem usurpantis, vindicavit: sicut & propter renitentiam in reddendis hucusque Reipub. vectigalibus à potu & summis (quæ tamen in toto ad executores antecedentes Palatinatuum, & districtuum sub pœnis deferri debent) insuper in pœnam quod pro hocce nostro communi motu nullam expeditionem fecerint, in biennium quolibet anno 300000 florenorum reddenda statuimus, destinantes ad hæc bona certas cohortes per repartitionem, quibus MM. DD. Oeconomi collectam hanc summam à subditis, exsolvere tenebuntur. In quantum autem in solvendo reniterentur, fortem ibi executionem, ubi bona consistunt, permittimus iisdem cohortibus adhibito terrestri magistro equitum, præcavendo id ut Celsissimus Princeps Generalis armorum Præfectus, coram nobis, omnium verò cohortium tam Poloni quàm externi militis centuriones, Sub-Centuriones, aliique Officiales, coram Celsissimo Principe tanquam Generali armorum Præfecto, & coram Commissariis ex nunc circa erectionem Exercitûs juramentum super fideli obsequio S. R. Majestati & Reipublicæ præstando, deponant. A. C. 1700

FORMULA JURAMENTI COLONELLORUM.

EGO N. juro omnipotenti DEO, uni in Trinitate, quòd erectũ meaq; potestati subjectum à Repub. exercitum fideliter, sincereq; sim recturus, solamq; R. M. & Rempub. defensurus non adhibendo dictum exercitum ad ullum interesse privatum, aut meum, aut meorum familiarium, quodq; præter locum mihi à Repub. destinatũ nulla specialia & diversa loca, sub ullo prætextu pro consistentia, aut pro respiratione, vel etiam pro exactionibus destinaturus, & quod majus, bona terrestria & Ecclesiastica, nullis ultro citroq; commeatibus, nullis pernoctationibus, & quocunque titulo nuncupatis extorsionibus aggravari permissurus sim, atq; hunc exercitum ultra Reipub. voluntatem diutius non sim conservaturus. Sic me DEus adjuvet, & hæc sacra ejus Passio.

FORMULA JURAMENTI EXERCITUS.

EGO N. juro Omnipotenti DEO, uni in Trinitate, quòd mea cum cohorte Suæ Regiæ Majestati atq; Reipub. M. D. L. fideliter, & sincerè serviam, obediendo unicè ordinationibus Generalis armorum Præfecti M. D. L. aut locum ejusdem tenentis, nullasq; collusiones & factiones struendo, adversum Reip. potestatem in præsenti conventu conclusam. In consistentiis præterea, atq; in transitu, juxta ordinationem præsentis me geram constitutionis, nihil accipiendo sed de proprio peculio vivendo, utq; id ipsum à meis comitibus fiat studiosè

A.C.1700 *ose curabo. Insuper citra voluntatem & ordinationem Reipub. militiam non tractabo, verum post primam concordem Palatinatuum & Districtuum intimationem mihi factam cohortem dissolvam. Sic me DEus adjuvet & sacra ejus Passio.*

Quo deposito juramento ex nunc MM. DD. Colonelli, Centuriones atq; Officiales explicantes vexilla sua in consistentias suas assignationibus Celsissimi Principis Generalis armorum Præfecti, destinatas directo tractu pergere debebunt, declinando bona spiritualia atq; nobilia, quæ nullis pernoctationibus, conciliationibus, discretionibus, cibariis, nullisq; quocunq; titulo nuncupatis, exactionibus militaribus aggravare attentabunt, sub pœnis in volumine legum expressis: quas omnes ab anno 1590 constitutiones, factas de immunitate bonorum spiritualium & nobilium atq; de militari disciplina, in toto reassumimus, easque in executione teneri volumus dantes potestatem arestandi detinendiq; stipendia cohortium per repartitionem in Palatinatibus & Districtibus destinata, circa quæ damna & extorsiones competens forum in tribunali M.D.L.tum in terrestribus judiciis fiscalibus assignamus. Quòd si verò cohors aliqua plus damnorum intulisset, quàm ut ejus stipendia illa resarcire valeant, eo casu injuriatis potestatem damus de bonis officialium totiusq; hujusmodi cohortis satisfactionem exigendi, obligando omne tribunal & officium, ut hæc negotia abbreviato processu judicando, citam minimeque dilatam executionem per centuriones terrestres, motâ nobilitate faciant. Quia verò cursus tributorum omnium à 1. Januarii inchoatur, nec tam citò collectio paratæ pecuniæ in Palatinatibus & Districtibus fieri possit, igitur authoritate præsentis conventus constituimus, ut Deputati à cohortibus, in comitiis Februarij immediatè subsequentibus, assignatione facta per Generalem armorum Præfectum, cum accuratis regestris, & hominum computo, in cohortem, conductorum, quorum primus terminus, in unam Decembris incidit compareant, nihil discretionis causâ prætendendo à Perillustri Commissario terrestri. Quod autem in Ducatu Samogitiæ bona hæreditaria, & Capitaneatus ob notabilem desolationem & subsistentiam militis S. R. Mtis hybernas in toto pendere nequeant, idcirco committimus id Illustrissimo Samogitiæ Capitaneo, ut è bonis Sapiehanis, juxta dispositionem ejusdem hic suppleatur defectus.

DECLARATIO POENARUM CONTRA OPPRESSORES Libertatis & aggressores Statuum M. D. Litv.

MUnita jam præmisso modo externa securitate, dum ad solidandam internam accedimus, per prius protestamur coram DEo & S. R. Mte D. nostro clementissimo, coramque tota Republ. non privatis nos quibusdam (quod DEus avertat) studiis, aut aliquo rancore seu inveterato odio, ast publicâ malitiâ, & iniquo ambitu, supra æqualitatē sese efferentis, Illustrissimæ domus Sapiehanæ ad hujusmodi extremas resolutiones adductos esse, qui Illustrissimi, à principio Ducalis potestatis atq; latifundiorum præsumentes de præpotentia sua contra Rempub. tam multa delicta commiserunt, quando comitia conventu prius Legatorum authoritate & honore, violentis tumultibus, & assistentiis suis privatos) & comitiola propter interesse proprium, atq; privatum rumpebant, militem Reip. in comitiola & conventus publicos secum deducebant, bene sentientes incursionibus, violentiis, per cohortem Reipub. mili-

militiæ debitas, in suum suorumq; adhærentium commodum convertebant, multifarijs constitutionibus, tot spiritualia, hæreditaria, capitaneatus penitus perdebant, tributa Reip. sibi, familiaribusq; suis appropriabant, inanibusq; assignationibus militē eludebant, concedentes cohortibus omnem licentiam ad prædationes in commeatibus, pernoctationibus, conciliationibus, stationibus faciendas, ut modo illis adhæreret exercitus, interesseq; eorum tueretur. In bonis terrestribus, hæreditarijs, pro hyemali subsistentia apud nobilitatem militem locabant proprio motu auctionem militarē Equitum Tartarorum (dissolvendo pro arbitrio nobilium cohortes) in oppressionem statuum Nobilitatis, supra computum in comitijs statutum faciebant, ad Caunam, Jurburgum, Zyzmory, Wielona, nobilium effundebant sangvinem, tumulosq; augebant, legem coæquationis jurium cum Regno Poloniæ verbotenus, & ad speciem tantum modo recognoscebant, articulos autem ejusdem non modò non adimplebant, verùm omnibus viribus abrogationem cassationemque legis illius quærebant, hinc contraveniendo eidem, nec hybernas è Capitaneatibus, nec vectigalia à potu & summis, è suis bonis ad Executores Palatinatuum & Districtuum inferebant, imò pro executione facienda adventantes cædebant, datâ operâ, difficultatem struendo Reip. ne in tempore Exercitui appromissa stipendia extradere posset. Legatos à conventu Vilnensi ad S. R. M. missos, in via proficiscentes, contra jura Gentium, spoliârunt, sclopetis & jaculis vulnerarunt, diripuerunt, res verò per violentiam ereptas, instrumentumq; ipsum legationis cum cistula, cumq; alijs juribus, in argumentum luculentius commissi exercitus, pro inveterato odio, inposterum restituerunt. Propter bona spiritualia, in ruinam redacta, publicationem adversum se excommunicationis meruerunt, in qua etiam ad hæc usque tempora insordescunt. Tanto scandalo plebi communi præiverunt, ut volendo excommunicationem viâ non ordinariâ, absq; satisfactione, & submissione suî, coram supremo Pastore abolere minimè Catholico spiritu, intolerabili praxi, per carnificē Vilnensem eam comburentes loco sublationis ejusdē in graviorē conscientias suas intricarint censurā; jura sibi Majestatis appropriarunt, permissionē universaliū, normâ Regiâ tempore interregni, cum titulo, NOS, & per excessionem suam è Regno ad exteros sine Reip: consensu, perque susceptionem variorum Legatorum, ab externis ad se venientium, eorumque, insciâ Republicâ, expeditionem: statuentes semetipsos, tam multorum bonorum protectores, adhibito Reipub: milite, violenter possessiones occuparunt. Comissionis tribunalisque fiscalis, ipsimet infames, & in reatu existentes, directionem sibi usurparunt, justitiam distributivam Regiæ Majestati competentem, non admittendo personas legitimas, ad capessendos honores, præterquam suos adhærentes labefactarunt: fictis decretis, in comitiolis, honores ab antiqua nobilitate, & ab hominibus magnæ familiæ alienarunt, rectitudinem eorum persequentes, eò, quòd illis non consentirent, liquidationibus expensarum, tanquam in necessitatem Reipub: expositarum, patriam aggravârunt. Post decessum Capitaneorum, capitaneatus, unà cum supellectilibus, armentis, horreisque, cum injuria Successorum occuparunt. Summas pro officio thesaurarij, & clavæ, excedentes ordinationem legis, sibi appropiarunt. Publicis postis, intercipiendo, & aperiendo literas, violentiam intulerunt, homines innocuos, & avitæ nobilitatis, vel maximè Perillustrem Dominum Bokiey, etiam posthabitâ amnestiâ Brestæ datâ & Perillustrem Dominum Białozor exceptos à foro Ducali, sine ullo judicio globis trajecerunt, bona Magnifi-

A.C. 1700

A.C.1700 gnificorum Dominorũ Sorokiorum Bickoviensium, per invasionem spoliarunt, contemnendo jus commune debita nulli exsolverunt. Profugos nobilium subditos non extradiderunt: decreta & jura obtenta, risu exploserunt: adducto pro electione exercitu Reipublicæ, scissioni & damnosis confusionibus occasionem dederunt: immittendo sese in capitulationẽ nomine totius M. D. L. inito ad speciem tractatu cum Republica, sub assessore effectum ejusdem eludere attentarunt, quando conservato equestri ordine, non illuc, quò eum Respublica ordinavit, sed pro libitu suo diversè locato, illoque supra tempus determinatum, citra ordinationem Reipublicæ conservato districtui Pinscensi & Palatinatui Brestensi per consistentias aliosque commeatus 500000 florenorum damna intulerunt, ac demum in ultimis comitijs, constitutione de ærarij tribunali Reip. damnosa, sine consensu omnium ordinum volumini legum subreptitiè inscripta in ruinam coæquationis, hocce ærarij tribunal, posthabitâ protestatione & contradictione Palatinatuum & districtuum, adducto hoc equestri ordine solidare voluerunt, atque hujusmodi cohorte, benè sentientibus de Repub. terrorem prius incutere, pòst etiam mortem inferre studuerunt. Generale tribunal M. D. L. tragicò exemplò sub armis hujusmodi hominum, ad Rempub. pertinentium, per aliquot millia ferventissimi militis, & equitatûs (validò cinctâ sepimentô) præclusoque aditu statui nobilium ad locum lege publicâ & usu destinatum, & locatis deputatis, quibusdam propter rupta comitiola controversis, quibusdam verò infamibus fundarunt, atque stabilierunt, Celsissimos Principes Wisniowieccios infracto jurium & libertatis nobilium assessores, malitiosè nullâ sibi occasione datâ, in publica platea iter illis præpedientes, sclopis vulnerârunt. Magnificum Dominum Cedrowski omni ex parte inculpabilem, sub tribunali incarceratum in privato secretoque carcere, tyrannicè trucidarunt, posthabito aresto tribunalitio, & spretâ fidejussione Palatinatus Minscensis, vectigalia è teloniis Reipub. per vim absque ulla prorogatione, & voluntate Reipub. collegerunt, multaque alia criminalia perpetrarunt. Ultimò tandem crimina criminibus cumulando, omniaque contra leges & libertates patrias agendo, statumque Reipublicæ è fundamentis dimovendo præclusâ viâ Palatinatibus, & Districtibus sub Osmiana, publicâ præmunitis securitate communi motu, post datum universale per Serenissimum Regem Dominum nostrum Clement. procedentibus, armatâ manu, avitam nobilitatem, nominatim Magnificum Dominum Jastrembski crudeliter interfecerunt, M. Dominum Jozephum Herman, M. Dominum Christophorum Chocicki, M. D. Stephanum Skirmunt, & M. Dominum Thomã Jurewicz lethaliter vulnerarunt, atque non paucis hominibus à Republica conductis mortem intulerunt; vulneribusque alios cumulârunt. Cumq; post hâc Palatinatus omnes, atque Districtus M. D. Litvaniæ legitimè per universalia Serenissimi Regis Domini N. Clementissimi, in virtute laudorum in comitiis sancitorum, sub Olkiniki congregati, ad securitatis externæ & internæ, pro deliberatione semel assumptæ, circumscriptionem procedere voluerunt, ecce tibi Illustrissimi Sapiehæ interturbantes pacem communem, in damnum Reip. proprioq; motu, collectis aliquot millibus licentiosorum hominum, Tartarorum, Walachorum, equitum, & peditum, unà cùm tormentis hostili more, Vilnâ egressi, Nos status M. D. Litv. authoritate S. R. Majestatis publicâ securitate præmunitos, aggredi sunt ausi, adoriendo per pri⁹ milliari ante Olkiniki, nobilitatẽ innocentẽ, crudeliterq; interficiendo, pòst verò appropinquantes, atq; in nostrũ comunẽ motũ irruentes, attentando ad ultimã internecionem, quemlibet nostrũ delere ruptione per exercitum factâ, ferociùs quàm cum hoste Patriæ congrediendo

diendo, tormenta, sclopósq; explodendo, non paucâm nobilitatem è Palatinatibus variis & Districtibus, inferius pro monumento perennis gloriæ consignandis, internecione prostraverunt, alios immaniter vulnerarunt, tantâ sævitie, ut, nisi nobis DEus, pro virtute & justitia bellantibus opitulatus fuisset, jam ultimum vitæ, fortunarum, nostræq; libertatis experti fuissemus exitum. Quô tam execrandô ausu suô, & infra nominatis exorbitantiis Illustrissimi D. Sapiehæ, secundùm jura, & statuta M. D. L. articuli 3tii capite 1. positi, & secundùm constitutionem comitialem nominatim Anni 1588. & 1652, aliorumq; annorum, & vel maximè secundùm coæquationem & confœderationem ultimam Varsaviensem, atq; constitutionem coronationis, secundumq; laudum Generale sub assessore, beneficio juris publici privati, ipsô factô hostes Patriæ infames, proscripti & perduelles Reipub. facti sunt, quas pœnas authoritate præsentis conventus, & unanimi consensu, adversus universam domum Illustrissimam Sapiehanam, exceptis Illustrissimis DD Sapiehis Kiedensibus, filiisq; Illustrissimi D. Francisci Sapiehæ Præfecti stabuli M. D. L. infra decernimus & nominatim Illustrissimum D. Casimirum præteritum Palatinum Vilnensem, Ducem M. D. L. Benedictum Paulum Thesaurarium præteritum M. D. L. Georgium Dapiferum, Alexandrum Mareschalcum magnum, & Michäëlem Notarium Castrensem Sapiehas, præteritos Officiales M. D. L. posterosque eorum pro hostibus infamibusq; proscriptis perduellibus Reipub. & invindicabilibus capitibus declaramus, ab honoribus omnibus, officiis, capitaneatibus omnibus, possessionibusq; abjudicamus, illosq; pro vacantibus S. R. Mti tradimus, appromittentes nos in comitiis proximè futuris, elargitionem distributionemq; horum bonorum, juxta leges ursuros. Bonis autem eorum terrestribus, secundùm allegata jura, per prius confiscatis, quorum majori ex parte apud varios creditores oppignorata & distracta sunt, quorum jura atq; contractus, maximè verò jura redimibilia, Ecclesiis debita, in suo robore circa plenam possessionem relinquimus, prætendentes & injuriam passos in genere omnes, tam in realibus, quàm in personalibus actionibus, ad publicum Tribunal M. D. L. ad regestrum causarum fisci remittim⁹ cum ea declaratione, ut hoc in præsenti cadẽtia Minscensi, per pri⁹ ante promulgationes & judicia aliarum causarum, causâ injuriatorũ contra domum Sapiehanam, unicè promulgatâ, summario processu, sine ullis procreationibus, tanquam contra hostes Patriæ infames, & proscriptos, decreta ultimæ instantiæ ferendo fortem executionem cuiq; injuriato, super bonis, juxta propositionem prætensionis, per Officiales terrestres, & Castrenses motâ nobilitate, faciendam imperet. Hâc tamen in parte animadversionem hanc tribunal M. D. L. habebit, ut prætensiones tantummodo circa debita antiqua, non verò recentia eorum, qui ad debellandam nobilium libertatem, pecunias Sapiehanis suppeditarunt, suscipiat, utque inter creditores bene sentientium civium debita hæc & cautiones suis decretis roboret, satisfactionemq; eorundem urgeat. Eorum autem, qui notoriè sunt complices atque variis occasionibus, in cædenda nobilitate adjumento fuerunt, assistentiamq; seu consilio, seu in persona domui Sapiehanæ fecerunt: siquidem ipso facto sunt perduelles, ut prætensiones nullatenus suscipiantur, præcavemus. Qui verò in præsenti tribunali Minscensi prætensionis suæ notitiam non fecerit, in perpetuum eam silere cogetur. Quòd autem hybernas tot annis in proprios usus collectas, ordinaria item, & extraordinaria tributa, telonia, proventus biennales ex œconomiis tempore interregni currentes, aliasque Reip. injurias, atque

A.C.1700 prætensiones adeo publicas & manifestas attinet, in horum vim bona Sapiehana, omnia in genere, ad usum fructum Reipub. pertinentia, non tantùm in locationem, præsenti, per nos erecto exercitui, authoritate præsentis conventûs destinamus (salvis juribus possessorum bene sentientium, qui secundùm jura & contractus sibi servientes, absque impedimento, & absque locatione exercitûs, ea bona possidebunt, suosque proventus percipient) verùm etiam bona omnia, quæcunque libera inveniri possunt in magno Ducatu Litvaniæ, ex nunc tradimus in realem Possessionem nomine Reip. Celsissimo Principi, Generali armorum Præfecto M. D. L. in quibus sua Celsitudo, statim in Administratores ex brachio suo, nobiles M. D. L. designabit, eosque bene possessionatos, atque ijs collectionem proventum, censuum, arendarum, omnisque generis redituum Oeconomicorum, cum seria animadversione demandavit. De quibus proventibus MM. DD. Commissarijs, à nobis ad latus Celsissimi Principis, inferius, è Palatinatibus & districtibus, destinatis, non modò sub solutione de suo rationem reddere tenebuntur, sed insuper Celsissimus Princeps invigilabit, ut specialis auctio Ordinis equestris ad proportionem redituum, pro lucro Reip. super his bonis in perpetuū duratura erigatur. Præterea ad Capitaneatus & bona distributivæ justitiæ ad dispositionem Serenissimi Regis Domini N. Clementissimi pertinentia, antequam ea Rex Serenissimus distribuerit, ablegabit ex nunc Princeps Celsissimus Generalis armorum Præfectus suos surrogatores, quos demum prædicta bona ei cedere jubebit, cui gratia S. R. Majestatis eadem contulerit. Assecuramus specialiter summam Perillustris Dominæ Godebsciæ, Vexilliferæ Pinscensis super Rakancišzkas, in cujus prædij possessione Perillustrē Dominam Vexilliferam & Successores ejus, usque ad summæ restitutionem stabilimus, Quod autem attinet superius exceptos Illustrissimos Sapiehas Keidenses, posterosque Illustrissimi Sapiehæ stabuli Præfecti M. D. L. ne ex vi sangvinis, vel ejusdem nominis alicujus nocivæ factionis, in sublevationem declaratorum pro hostibus Patriæ, Illustrissimorum Sapieharum occasio oriatur, igitur obviando huic, authoritate præsentis conventûs notum facimus, quòd non prius præfati omnes ad activitatem vocis activæ in comitijs & comitiolis, sicut nec ad usum prærogativæ, honorum propriorum, sint admittendi, donec pro priori, coram Celsissimo Principe, Generali armorum Præfecto M. D. L. & coram Commissarijs, à nobis ex Palatinatibus & districtibus constitutis, qui pro eo tempore ad latus Celsissimi Principis reperientur, post duas hebdomadas, à constitutione hac nostra, typis mandata, & publicata, juramentum deponant tali formulâ.

Ego N. juro Omnipotenti DEO, uni in Trinitate, quòd nullo ducar respectu sangvinis, colligationis vel etiam nominis Sapiehani, (quo ipse nuncupor) in auxilium Illustrissimorū Sapieharum per congregatos status M D. L. in communi motu, sub Olkiniki abjudicatorum nec in vindictam aliquam tam generaliter adversus omnem, quàm particulariter adversus ullum privatum nobilem modos ulciscendi quæram, neque in illis comitijs, comitiolis, judicijs (tribunalibus, (quibuscunque, seu in Polonia, seu in M. D. L. adero) ullas factiones & promotiones struam, in ordine ad opitulandum condemnatis à Rep. quinimo constitutiones Generales statuum M. D. L. sub Olkiniki, communi motu congregatorum non tantùm manu tenebo, observabo, adimplebo, sed & ipse adversus eos, si quid moliri contra liberta-

libertatem & Remp. deberent, tanquam adversus Patriæ hostes assurgam: super quibus, sicut fideliter juro, sic me Deus adjuvet & sacra ejus passio.

Quam formulam juramenti persolutam, sibique in scripto porrectam iidem Illustrissimi manu propriâ subscribere debent, in documentum eos conveniendi, in quantum hoc juramentum suum quandoque transgrederentur. Quòd si vero juramentum hoc aut non deponerent, aut etiam deponere recusarent, tum, quemadmodum ij in omnibus comitiis & comitiolis liberâ voce, per nos privabuntur, ita insimul pro hostibus Patriæ censebuntur. Quapropter pro securitate sua post persolutum hoc juramentum, à Celsissimo Principe Generali armorum Præfecto, literas, expleti juramenti testificatorias, cum subscriptione Celsissimi, & Commissariorum huic juramento adstantium, obtinebunt Ut autem gloriæ divinæ incessabili per nos sit provisum, ne in bonis hisce Sapiehanis, morte Parochorum, in templis Romani, Græcique ritus, beneficia vacent Presbyterorum, jus patronatûs & collationis, tanquam in bonis, jam in toto confiscatis, nulli alteri nisi Serenissimo Regi Domino N. Clementissimo abhinc relinquimus.

ASSECURATIO GENERALIS ARMORUM PRÆFECTI, ET DESIGNATIO COMMISSARIORUM.

PRopter securitatem militum M. D. L. & conservationem jurium, libertatisq; nostræ, erectô exercitu eoq; traditô sub regimen Celsissimi Principis Wisniowiecki Capitanei Glinianensis, Generalis armorum Præfecti Magni Duc. L. (cui in ordine ad expensas faciendas centum millia florenorum pro anno è thesauro Reipublicæ statuimus) & ob efficacius regimen & ordinem hujus exercitûs, simulque ob emergentias ingruentium conjunctionum, Commissarios ex Senatorio ordine Illustrissimorum Dominorum Constantini Brzostowski Episcopi Vilnensis, Eustachij Kotowicz Episcopi Smolenscensis, Michaëlis Kociel Castellani Trocensis; Gregorii Oginski Capitanei Samogitiæ, & Casimiri Pociey Castellani Vitepscensis, Celsissimi Principis Wisniowiecki, Mareschalci Curiæ Magni D. L. Illustristrissimi D. Ioannis Zgirski Episcopi Marriensis, Suffraganei Vilnensis, magniq; Secretarii Joannis Brzostowski Referendarii, Marciani Oginski Ensiferi, Ludovici Pociey excubitoris & Michaëlis Oginski Thesaurarii Curiæ Officialium M. D. L. ex Palatinatu Vilnensi, Perillustrem D. Szumski Subdapiferum Vilnensem, ex Districtu Osinianensi, Perillustrem D. Deszpota Zenowicz Mareschalcum Oszmianensem, è Districtu Lidensi Perillustrem D. Narbut Succamerarium Lidensem, è Districtu Vilkomiriensi Magn. Dominum Szyrwinski Judicidem Vilkomiriensem, è Districtu Braslaviensi Perillustrem D. Bieganski Mareschalcum Braslawiensem, è Palatinatu Trocensi Perillustrem Dnum Reymer Judicem terrestrem Trocensem, è Districtu Grodnensi Perillustrem D. Massalski Mareschalcum Grodnensem, è Districtu Caunensi Perillustrem D. Doumont Dapiferum Caunensem, è Districtu Upicensi Perillustrem D. Podbereski Mareschalcum Upicensem, è Ducatu Samogitiæ Perillustrem D. Zaranek Vexilliferum Samogitiæ, è Palatinatu Polocensi Perillustrem Dnum Szczyt Vexilliferum Polocensem, è Palatinatu Novogrodensi Perillustrem D. Cyprianum Woyna Dapiferum Misciflaviensem, è Districtu Slonimensi Perillustrem D. Slizen Notarium terrestrem Oszmianensem, unanimi consensu obligamus, ut quilibet horum perpetuò ad latus Celsissimi Principis Generalis armorum Præfecti Magni Ducatus Lit. resideat, cui idem Celsissimus Princeps Generalis armorum Præfectus impensam

A.C. 1700 pensam operam speciali compensabit gratitudine de thesauro Reipublicæ. E Districtu Wolkoviensi Perillustrem D. Olendski Mareschalcum Wolkovisiensem; è Palatinatu Vitepscensi Perillustrem Dnum Łukomski, judicem terrestrem Vitepscensem; è Districtu Orsensi Perillustrem Dominum Kmicic Capitaneum Krasnosielensem; è Palatinatu Brestensi Perillustrem Dnum Szuyski Subdapiferum Brestensem; è Districtu Pinscensi Perillustrem Dnum Godebski Vexilliferum Pinscensem; è Palatinatu Mscislaviensi Perillustrem D. Wołowicz Vexilliferum Mscislaviensem; è Palatinatu Minscensi Perillustrem D. Unichowski judicem terrestrem Minscensem; è Districtu Mozyrensi, Perillustrem D. Lenkiewicz Dapiferum Mozyrensem; è Districtu Rzeczycensi Perillustrem D. Woyna Vexilliferum Rzeczycensem. è Ducatu Livoniæ Perillustrem D. Plater Capitaneum Dinneburgensem in præsenti conventu electos, Generali armorum Præfecto superaddimus, qui seu ad coram, seu literaliter semet convenient, suaque sensa, sibi invicem communicando, ad conservationem publicæ tranquillitatis præcipuè verò præsentis constitutionis nostræ, in munimentum Serenissimi Regis D. nostri clementissimi, totiusque Reipublicæ, consilia & studia sua dirigere tenebuntur, minimè se duci sinendo ullis privatis respectibus. Quibus unà cum Celsissimo Principe Generali armorum Præfecto, id cavemus, potestate præsentis nostri Conventûs Generalis; quòd, si quidpiam adversi, hisce in circumstantiis, seu ipsemet, seu quilibet alius, in commodum Reip. ab eis missus, remque sibi demandatam habens, ipsis principalibus, aut adhærentibus eorum fecerint: sicut & ea, quæcunque hactenus acciderunt, & facta sunt cuicunque adversæ partis, esto in bonis, hæc omnia in nullum dubium disquisitionemque trahentur: multò minùs, nullus processus juridicus, aut quicunque alius vindicandi modus super his fieri, aut post sera etiamnum tempora attentari debebit.

CIRCUMSCRIPTIO BONORUM SERENISSIMÆ PRINCIPIS NEOBURGICÆ.

Considerati penitus bonis hisce, quòd non tantùm latissimè extenduntur, sed etiam unà cum maximis reditibus, munitissima in magno Ducatu Litvaniæ contineant fortalitia, præcipuè Słuckum, Kopys & Birzo, è quibus si Præpotenti alicui, aut Reipublicæ minùs addicto, quoddam cederet, grave profectò legibus & libertati nostræ immineret periculum: igitur nos status M. D. L. consulendo boni publici securitati, occurrendoque omnibus nocivis consequentiis, Illustrissimos Sapiehas, tam à tutela, quàm etiam à successione per potentiam, iniquè sibi defacto usurpata, removentes, transactionemque hos inter & Serenissimum Principem Neoburgicum, super emptione quocunque titulo facta & notoriè ex adminiculo externæ gvarantiæ suspecta, in præteritum, & futurum cassantes, atque pro nulla & irrita declarantes, potestate præsentis conventus nostri, tutelam Serenissimæ Principis Neoburgicæ, omniumque suorum bonorum, in M. D. L. existentium, legitimam hæredem, primariò Regi Serenissimo feliciter modò regnanti, tanquam supremo pupillorum Tutori, & exinde toti Reipub. statuum M. D. L. tradimus, jam verò dependenter à Rep. in tutelarem administrationem Celsissimo Principi Carolo Stanislao in Ołyka, & Nieswiesz Radzivilio Supremo Cancellario M. D. L. juxta legem statuti M. D. L. capite 6to, articulo 3tio contenti, eadem bona committimus, &, ut ex nunc hæc bona titulo tutelæ per Celsissimum Principem Wisniowiecki armorum Præfectum Generalem M. D. L. etiam cum assistentia (si opus foret) exercitus nostri ablegatorumque, à Perillustribus Commissariis tradantur Celsissimo Principi Supremo Magni D. L. Cancel-

Cancellario decernimus: prævisâ tamen in scriptis assecuratione à Celsissimo Principe Supremo M. D. Litvaniæ Cancellario (quam Celsissimus Princeps Generalis armorum Præfectus recipiet) super omni securitate pupillæ, simul & Reipublicæ, superque dependentia ab eadem Rep. in negotio hujus tutelæ, & de nullo contractu, super his bonis faciendo, cum Serenissimo Principe Neoburgico, cujusmodi contractus Illustrissimis Sapiehis vitio versus. Item super institutione in fortalitijs gubernatorum, nobilium, cum Illustrissimis Sapiehis, ulla cointelligentia non notorum, cum juramento ab iis emisso, de dependentia immediatè à Repub. animadvertendo in hac assecuratione, ut hujusmodi omnia apponantur, quæ nullo modo sint libertati, & Reipublicæ præjudiciosa. Ad quæ non nisi receptâ tali assecuratione, Princeps Celsissimus Generalis armorum Præfectus, per transmissos Commissarios suos, hæc bona tradet Celsissimo Principi Supremo M. D. Litvaniæ Cancellario, cujus curæ erit, ut prædicta bona per Oeconomos, jam ante constitutos, gubernentur, inventariáque eorum conficiantur, & ut omnia, circumscriptis statutis conformentur, sine præjudicio hæreditatis, & redituum pupillæ debitorum, solaque tutori conveniens dematur portio, adusque competentes annos, emancipationemque Serenissimæ Principis, salvis juribus Celsissimi Principis Supremi M. D. Litvaniæ Cancellarij, nominatim salvâ cautione in castro Varsaviensi Celsissimi Principis Boguslai Radziwił, præfecti stabuli M. D. Lit. quæ omnia in integro ad annos emancipationis, Serenissimæ huic Principi conservamus simulque pro securitate publica munitionem fortalitiorum, institutionem præsidiarij militis, juramento Reip: obstricti, Celsissimo Principi Generali armorum Præfecto committimus. In casum autem (quòd DEus avertat) mortis Serenissimæ Principis, plenum jus disponendi de bonis hisce, toti Reipub: reservamus. Hic etiam obligamus Celsissimum Principem Supremum M. D. Lit. Cancellarium, ut secundùm fundos antiquos, multaque obliterata decreta Ecclesiæ, Parochiæ Słucensis, satisfactionem provideat. *A.C.1700*

SUMMÆ THESAURO MENSÆ S. R. M. DEBITÆ.

QUandoquidem thesaurus S. R. M. id sibi per Berent Leyman servitorem ejusdem prætendit, quòd Illust: Paulus Benedictus Sapieha, præteritus Thesaurarius M. D. L, sub favore Officij Thesaurarij, neoerectis telonijs Reip. per arendam, præfato Leymano traditis pro certa summa, antiquis verò teloniis in suam susceptis protectionem, non tantùm noatbilem summam in parata pecunia à Leyman acceperit, sed, quod majus est, procedendo malâ fide, omnes proventus thesauró S. R. M. secundùm contractum debitos, tam è telonijs Reipubl. quàm è teloniis antiquis S. R. M. in proprium emolumentum perceperit, qui proventus in computum collati summam trecentorum & aliquot decem millium florenorum attingunt; Idcirco nos animadvertentes tantum detrimentum, & damnificationem thesauri S. R. Mtis tanquam in causa fisci moram non patiente, compendiosè procedendo, possessionem Czereię, sitam in Districtu Orsensi cum omnibus attinentiis, jure hypothecariô ad thesaurum S. R. Mtis in præfata summa per speciales Commissarios, à Celsissimo Principe Generali armorum Præfecto transmissos specificata, occupandi, & de occupata, reali usurpatione, reditum ad proportionem provisionis de dicta summa, exigere, authoritate præsentis conventus permittimus, usq; ad restitutionem & exsolutionem ipsius capitalis summæ per alios Creditores vel per quemcuuq; ex indigenis M. D. Litva-

A.C.1700 niæ faciendam. Quoniam verò bona hæc valore suo superant prædictam summam trecentorum millium florenorum, igitur conjungimus summas & prætensiones Illustrissimorum, Perill. DD. Kociel Castellani Trocensis, Pociejorum, Oginsciorum, Wołowicz Vexilliferi Mscisłaviensis, Reymeri Judicis terrestris Trocensis, alterius item Reymeri Tribuni Wilkomiriensis, Okolski Succamerarij Trocensis, Łukomski Judicis terrestris Vitebscensis, & aliorum; inter quos iidem Perillustres DD. Commissarij, à Celsissimo Principe deputati, præviis probationibus, & revisis documentis, juxta propositionem prætensionis, subditos unà cum pagis distribuent. In quantum autem summæ & prætensiones, valorem horum excederent bonorum, protunc ad alia bona prætendentes dirigent: & hanc commissionem potestate præsentis Conventûs nostri in integro approbamus.

ORDINATIO POSTÆ M. D. L.

AGgnoscentes nos, quòd posta publica sit anima status publici, cujus securitas & punctualitas omnimoda esse debet, quod hactenus per interceptionem & detentionem literarum pro libitu ab Illustrissimis Sapiehis violabatur, & absque ullo ordine, non tantùm non proficua, sed & onerosa toti Magno Ducatui Litvaniæ fuerit, idcirco translatam à Joanne Schröter, ad usque dispositionem Reipublicæ, authoritate conventus nostri, committimus Illustrissimo Domino Castellano Trocensi, ut hic præsentato Sacræ Regiæ Majestati, subjecto capaci pro postæ præfectura, omni meliore ordine & securitate, eidem providere dignetur. Simulque conformando nos antiquis decretis, & constitutionibus, tam pro posta, tributa cursoribus consveta, quàm etiam pro ordinatione & necessitate artileriæ Magni Ducatûs Litvaniæ simplam quartam è possessionibus ab antiquo tempore his oneribus subjectis, constituimus, utque hæc tributa ad Commissarios, à Celsissimo Principe Generali armorum præfecto destinatos, in tempore consveto deferantur, decernimus.

APPROBATIO LAUDI GENERALIS.

VOlentes omnia in tuitionem coæquationis sancita Magni Ducatûs Litvaniæ firmiter manutenere, laudum Generale, sub Pozevicijs, à Palatinatibus omnibus & Districtibus Magni Ducatûs Litvaniæ unanimiter constitutum, atque acceptatum in omnibus punctis authoritate præsentis conventûs, approbamus, illudqe pro lege perpetua declaramus, moderando rigorem adversus Palatinatum Polocensem, quem pro heroica, in hoc conflictu resolutione, pristino prærogativæ gradui restituimus.

IMMUNITAS BONORUM SPIRITUALIUM ET TERRESTRIUM MAGNI DUCATUS LITVANIÆ.

PRocedendo juxta nostrorum Antecessorum laudabile exemplum, immunitateque sacrariorum divinorum, pro primo fine præsentium consiliorum susceptâ ad Majorem DEI Gloriam, Catholicæque fidei incrementum, bona spiritualia totius status Ecclesiastici Magni Ducatûs Litvaniæ, tam à Serenissimis Regibus Poloniæ, Magnis Ducibus Litvaniæ, quàm ab aliis piis fundatoribus aucta, quæ adhuc dum ante unionem M. D. L. cum Regno Poloniæ, in prima orthodoxæ fidei plantatione, specialibus privilegiis eorundem Serenissimorum Ducum Magni Ducatûs Litvaniæ pro eo tempore Dominorum hæreditariorum, nominatim Vladislai Jagielonis, ab omnibus oneribus, tanquam semel DEO consecrata, in perpetuum exempta, amplisque præmunita fuerunt libertatibus, nos quoque exem-

exempla volumus; quibus licentiis & libertatibus, etiam bona terrestria nobilium ab iisdem Principibus, pro militari in Patria servitio, equestri statui donata, gaudebant. Igitur inhærendo specificatis privilegiis, ante & post unionem, à Serenissimis Regibus Poloniæ, & Magnis Ducibus Litvaniæ concessis & in posterum, per costitutionem comitialem & reassumptionem eorundem, nominatim per constitutionem comitiorum immediatè præteritorum roboratis, bona ad Episcopatum Smolenscensem, atque ad præposituram Trocensem pertinentia præcipuè Bendziesz, in Palatinatu Brestensi locatum, sine ulla distinctione naturæ & conditionis, unâ prærogativâ & communi æqualitate, in juribus, licentiis, & libertatibus nobilium, uniformiter cum bonis terrestribus nobilium gaudere volumus, & perpetuis temporibus æqualia, & indivisibilia hæc bona secum conjungimus, conservando ea inviolabiliter penes jura, privilegia, & libertates terrestres, atque Ecclesiasticas sibi competentes, secundùm quas, ut bona tam Ecclesiastica, nominatim Diœcesis Vilnensis, quàm etiam terrestria ab hybernis, consistentiis, commeatibus, omnibusque oneribus militaribus, in perpetuum sint libera, authoritate præsentis conventus statuimus, cavendo specialiter, quòd liberè concessum è bonis spiritualibus subsidium charitativum sub titulo hybernæ, in sublevationem præteriti belli adversus Turcam, pro hac sola vice adversus hostem Christianitatis, in exemplum præjudicatum, trahi minimè debeat, consequenter prædictis juribus derogare nequit, quæ in suo robore & executione inviolabili volentes manutenere, hujusmodi hominem, quicunque illa auderet, quocunque titulo, & prætexu violare, prætendendo sibi extraditionem hybernarum, seu etiam potestatem quamcunque super bona spiritualia, & terrestria nobilium, juxta constitutiones comitiales, pro infami & juxta jura spiritualia pro avulso, & excommunicato ab universitate Ecclesiæ, ipsô factô, vigore bullæ cœnæ Domini nos habituros, contraque eum tanquam communem legum eversorem, nos consurrecturos declaramus.

APOCHÆ ILLUSTRISSIMIS DD. CASTELLANO TROCENSI ET CAPITANEO SAMOGITIÆ CUM SPECIALI GRATITUDINE A PALATINATIBUS ET DISTRICTIBUS M. D.L. DATÆ.

Quandoquidem Illustrissimus Dominus Michaël Kociel Castellanus Trocensis, Markowiensis, Skirstmonensis &c. Capitaneus, adhuc dum anno 1698. tempore exauctorationis exercitus M. D. L. respectu declaratarum eidem exercitui, in vim meritorum pro exolutione per tractatum quatuor partium creditarum, pariter in annuam solutionem, & in Equestrem ordinem M. D. Litv. necdum planè exauctioratum, inque erectionem per annuum contractum, extraditionem, assignationem ad Perillustres Commissarios & exactores proventuum M. D. Litvaniæ. Pariter quia Illustrissimus D. de Kozielsk Oginski Generalis Ducatûs Samogitiæ, Triensis, Msciboviensis Capitaneus, pro roboranda Majestate Serenissimi Regis pro jure coæquationis, pro exauctoratione exercitus M. D. Litvaniæ, proq; confirmanda omnimoda libertate nostra, congregando gregarias cohortes, & detinendo Provincialem expeditum militem, pro ulteriori servitio, post expirationem temporis à Republica M. D. L. determi-

nis nostræ spectaculum, orbi proponere voluerint, procedendo ad iniquas factiones, violentias, incursiones, & ad alias exorbitantias, cujusmodi adhærentes omnes, speciali regestro, à Palatinatibus & Districtibus notatos, nobisq; porrectos juxta jura divina ipsiusque naturæ, ne universi propter denas & aliquot improbas personas intereamus; pro hostibus infamibus, & invindicabilibus capitibus declaramus, bonaque eorum confiscamus, in quantum à publicatione hujus constitutionis nostræ, post binas hebdomadas in tribunali Magni Ducatûs Litvaniæ aut in adjacente castro, coram actis authenticis, juramentum his verbis non depoluerint:

Ego N. juro Omnipotenti DEO, uni in Trinitate, quòd constitutionem generalem Palatinatuum & Districtuum M. Duc. Litvaniæ, in conventu universali sub Olkiniki factam, non secus ac legem perpetuam, & inviolabilem æstimabo, & habebo, illamq; quo ad omnia puncta, & Paragraphos, in executionem deducam: non attentando per me ipsum, nec per subordinatas personas quidquam contrarium aut ullas factiones in comitiis aut comitiolis struendo. Et insuper cum domo Sapiehana, nullam, seu apertam, seu occultam habebo correspondentiam, in nulloq; eidem seu ipse seu per familiares meos opitulabor. Sic me DEus adjuvet & sacra ejus Passio.

Post quod juramentum quemadmodum eos qui liberè ad nos prævio juramento accesserunt, ita & hos qui intra spatium temporis designati, id ipsum præstabunt; ubi se pacificè gesserint nullasque factiones in Palatinatibus & Districtibus struxerint, è prædicto rigore pœnarum, in perpetuum liberamus, aliàs contra secus faventes prædictas pœnas, absque ulla dilatione in executionem nos deducturos spondemus.

Non intelligimus tamen, hic ullos adhærentes, qui ob apertos dolos, & machinationes contra Rempublicam, per lauda privata, à Palatinatibus & Districtibus M. Ducatûs Litvaniæ nominatim sunt condemnati: Quæ lauda in toto, præcipuè ratione pœnarum adversus eos, qui huic communi motui non interfuerunt, & adversus Tartaros, communi præsentis conventûs nostri consensu, confirmamus, illaque ad executionem deduci concedimus, includentes hic ultimum laudum hîc sub Janiszcis constitutum, quod, ut in suo robore & executione maneat, decernimus.

PRÆMUNITIO INIURIATORUM, ET PRÆTENSIONIS PALATINATUUM ET DISTRICTUUM M. D. L.

SI omnes injuriæ, atq; prætensiones, quas indigenæ M. D. Litvaniæ ex omnibus Palatinatibus & Districtibus, adversus Illustrissimos Sapiehas eorumq; adhærentes, præsenti conventui nostro in distinctis folijs cum propriæ manus subscriptione porrexerunt, specificè describi deberent, justum illas volumen capere non posset. Idcirco quantumvis in hac constitutione nostra non sint expressæ, attamen declarando eas pro expressis, prædictas injurias & prætensiones omnes, adversus quas necdum decreta ultimæ instantiæ processerunt, ad generale Tribunal Magni D. Litvaniæ juxta tenorem supra expressum, pro forti executione relegamus. Contra quas injurias verò, & prætensiones, decreta sunt facta, vel si quendam per vim expulerunt, ex nunc executionem & reinductionem ejusdem per centuriones terrestres, motâ no-

A.C.1700 bilitate decernimus nominatim Perillustribus Dominis Marciano Ensifero M. Ducatûs Litvaniæ, & Boguslao Mareschalco Caunensi, Capitaneo Dorsnensi, possessionem Strawienniki, in Palatinatu Trocensi sitam, tanquam propriam, & hæreditariam eorum cum omnibus attinentiis per adjudicationem laudi Decreti terrestris, sat luculenti, sicuti & Perillustri Domino Mniszek Capitaneo Sanocensi, possessionem Choroszcza, Perillustri Domino Oborski Capitaneo Norboviensi, fortalitium Copysz, latifundio, & Perillustribus Dominis Domaslawsciis possessiones Dokudow, & Sielec, in districtu Lidensi sitas, è quibus per potentiam recenter, & iniquè sunt expulsi, ex nunc occupandas modo prædicto concedimus, simulq; jure, cum legitima possessione Perillustris & Reverendissimi Domini Constantini Stanislai Scholastici Vilnensis, super Łukiszkosz sub Vilna locatos, à nobilibus Cinaciis, accepto in perpetuum à nobis confirmato, obligationes in thesauri interesse à defuncto Cinak, Prætore Vilnensi piæ memoriæ Perillustri Domino Skoroboaty Thesaurario M. D. L. traditas, & inposterum iniquè detentas, processu juridico, & mandato extradito, cassamus, & pro perpetuis temporibus annihilamus.

TRIBUNAL GENERALE M. D. L.

Siquidem Præsens Tribunal Minscense, favendo hâc in parte omnibus Palatinatibus & Districtibus Magni D. Litvaniæ in communem motum, per universalia Serenissimi Regis Domini nostri clementissimi congregatis, limitatum est ad 13tiam Novembris, ob quem terminum, non poterit excludere de futuri Tribunalis Vilnensis principio hebdomadas 20, Minsci novellâ constitutione assignatas; Idcirco ut apud indigenas Magni Ducatûs Litvaniæ hæc novitas hactenus nondum practicata, simultaneum scilicet judicium, duorum Tribunalium Magni Duc: Litvaniæ, quæstiones & dubietates quasdam non generet, volentes etiam primâ vice per legem immediatè præteritorum comitiorum, ad executionem deducere authoritatem præsentis conventûs, concedimus Magnificis Dominis præsentibus Deputatis, excludere Minsci hebdomadas septem, non pridem, constitutione prædictorum comitiorum remissô regestrô attributas, etiam sub tempus cadentiæ Tribunalis Vilnensis: hôc præcautô, ut per hoc tempus super nullis aliis regestris & legibus judicia instituant, præterquam super his, quæ Vilnâ Minscum in remissionem relegata sunt, aut etiam, quæ in regestro inhibitorio coincident, idque in fundamento legis de securitate judiciorum Tribunalitiorum, & Dominorum judicum venientium & redeuntium: Quòd verò quidam Magnifici Domini deputati Tribunalis præsentis in favorem adversæ partis, non tantùm prædictam limitationem ex voto universali M. D. Litv. necessariam impediverint, sed etiam defacto jam post limitationem per Celsissimum Principem Supremum M. D. Litv. Cancellarium per vim eligere novum directorem, & judicia tribunalitia continuare attentarint: igitur hos deputatos n. 9, scilicet Perillustrem D. Tyzenhaus Capitaneum Inturiensem, Perillustrem D Kaminski Tribunum Oszmianensem, Illustrem D. Danielewicz Succamerarides Oszmianensem, M. D. Eperiasz, M. D. Prosora, M. D. Wołowski, M. D. Strawinski, M. D. Rudomina, M. D. Biszping, ab activitate judiciali & functione Deputatorum, in præsenti Tribunali usque ad terminum ejusdem excludimus, & ut sub pœnis contra adhærentes, descriptis considere in illo non præsumant decernimus, volentes insuper in futurum authoritate, & omnimodâ securitate Tribunal

Magni

Magni Ducatûs Litvaniæ præmunire, varijsque inconvenientijs, quæ hucusque contigerunt, occurrere, sicut peditatum, sub Buzewicijs per laudum Generale erectum, sub præfectura M. D. Jacobi Kijanowski, usque ad ejus vitæ tempora conservamus, sic ut ab hinc Palatinatûs Vilnensis officium, simul cum clava non jungatur, potestate præsentis Conventus nostri, constituimus, obligantes MM. DD. Legatos Terrestres, ut in comitijs immediatè secuturis, à constitutione hac, repetendo simul vacantias, unanimiter non recedant. Ac. 1700

SUBLATIO ACTORUM TRIBUNALIS ÆRARII M D. L.

QUandoquidem Constitutio de Tribunali ærarij M. D. L. in comitijs immediatè præteritis, sine consensu omniū ordinum subreptitiè jam post comitia quæsitis artibus adversæ partis, in volumen legum illata est; Idcirco, salvâ, per omnia, authoritate constitutionū, Prædictorum Comitiorum, quo ad alia puncta, hocce Tribunal ærarij cum omnibus attentatis, & effectibus, id est cum Decretis, & actis omnibus authoritate præsentis Conventûs nostri tollimus, & cassamus in perpetua tempora, declarando, quòd hæc Decreta, sive ex ferijs partium controversijs, sive in contumaciam lata, tam personis, quàm etiam bonis iniquè judicatorum, minimè nocere debeant.

ARTILERIA MAGNI DUCATUS LITVANIÆ

COnformantes nos privilegio Sacræ Regiæ Majestatis, Perillustri Domino Mniszko Capitaneo Sanocensi pro Generalatu Artileriæ Magni Ducatûs Litvaniæ per prius concesso, contra quod defunctus Illustrissimus Dominus Michaël Sapieha stabuli Præfectus Magni Ducatûs Litvaniæ per vim, ministerium prædicti Generalatûs usurpavit, potestate præsentis conventûs nostri, Perillustrem Dominum Capitaneum Sanocensem juxta privilegium Serenissimi Regis Domini Nostri Clementissimi in Generalatu Artileriæ Magni Ducatûs Litvaniæ conservamus, & bona omnia, antiquitus ad artileriam pertinentia, exnunc in possessionem suam trahere eidem concedimus.

AMNESTIA.

ROborando, omni meliori modo, præsentes Generales constitutiones nostras, quidquid in præterita confusione, & tractu communis motûs, simplicis injuriæ, cuicunque fieri potuit, omnes hasce diffidentias, inimicitias, offensasque hinc emergentes, ad invicem nobismet condonantes, perpetuâ oblivione sepelimus, deque pace, securitateque communi, omnibus cautelam damus, exceptis causis criminalibus, violentijs, incursionibus, alijsque excessibus, super quibus omnibus, cuique injuriato liberam litis persecutionem, ubi de jure competierit, relinquimus.

RESTITUTIO JOANNIS SZREYTER AD PRISTINUM. STATUM.

TOti siquidem notum est nationi Magni Ducatûs Litvaniæ, quòd Joannes Szreyter non deducta origine nobilitatis, indigenatuq; suo, in constitutiones Poloniæ, subreptitiè, sine scitu & consensu omnium ordinum, inscripto, contra protestationem authenticam tam multorum Litvaniæ Legatorum, atque Deputatorum, ad conscribendas constitutiones destinatorum ausus sit, & præsumpserit prærogativam, statum, hono-

A.C.1700 honoremque nobilium sibi arrogare, quodque majus est, non abjuratâ hæresi, & non præstitô super fidelitate juramentô, secundùm præscriptum legum; imò per contemptum & abusum juris communis, non modò bona nobilia, jure terrestri colligere, verùm & officium thesaurariatûs, Magni Ducatus Litvaniæ, statui nobilium competens, sibi arrogare attentaverit, cohorte in obsequium Reipublicæ, proprio sumptu juxta dispositionem legis, non erecta, sed magnis summis inconvenienter, intuitu quorundam meritorum, è thesauro Magni Ducatus Litvaniæ, in personam suam aggregatis; idcirco nos potestate præsentis conventus nostri, occurrendo huic, ut nullus per crimina & fraudes ad statum atque fortunas deveniat nobilium, propter prædictas causas, legitimasque patentes, Joannem Szreyter, ejusque posteros ad primævum reimponimus statum, removendo eum in perpetua tempora, à thesaurariatu Magni Ducatus Litvaniæ, atque à prærogativa & honore nobilitatis. Bona autem jure terrestri iniquè ab eo collecta omnia in genere, juri caduco obnoxia, atque subjecta declaramus, committendo ea dispositioni Serenissimi Regis Domini Nostri Clementissimi, totique Reipublicæ: exceptô prædiô, Popławie dicto, in districtu Grodnensi locato, quod cum omnibus attinentiis & attingentiis cum pago Dublanami Bonifratellis Vilnensibus in vulneratorum, in præsenti occasione, ac imposterum, sustentationem è statu equestri infirmorum, in perpetuum cedimus, donamus atque legamus; tradendo ex nunc eadem bona in realem eorum possessionem. In iis tamen bonis, quæ jure Hypothecariô Joannes Szreyter in certis summis possidebat, illum ipsum, successoresque ejusdem in pacifica relinquimus possessione, salvis prætensionibus creditorum & consangvineorum. Hic etiam excipimus prædium Goycieniszki, in quo summam in quantitate mille aureorum pro candelabris argenteis ad Sacellum Sancti Casimiri Patroni regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Litvaniæ per cujus intercessionem victoriam præsentem de inimicis nostris reportavimus, ordinamus, donamus, atque legamus, tradendo in realem possessionem prædium hocce Goycieniszki, Præposito Sacelli præfati, usque ad restitutionem summæ millenorum aureorum ab actoribus competentibus, conservandoque in integro Ecclesiam Acatholicam, in eodem prædio, speciali sitam loco, juxta confœderationem, super libero exercitio Religionis, quàm confœderationem, respectivè ad Ecclesias Acatholicas in Magno Ducatu Litvaniæ atque dissidentes, in suo robore relinquere volumus.

GRATITUDO PERILLUSTRI DOMINO CHRISTOPHORO DESZPOTO ZENOWICZ MARECHALCO OSZMIANENSI.

Ducti respectu speciali meritorum Perillustris Domini Deszpot Zenowicz Mareschalci Oszmianensis, qui cum discrimine vitæ, & dispendio propriarum fortunarum, non tantùm integritatem legum libertatisque Patriæ semper præmuniebat, sed etiam singulari zelo, & laudabili exemplo, coæquationem jurium in comitiis, comitiolis, & in communi motu sustentabat: in vim gratitudinis summam triginta millium florenorum in præfecturam sylvarum Vilnensem authoritate præsentis conventûs inferimus, declarando, quòd post sera fata ejusdem Perillustris, ante restitutionem in toto prædictæ summæ successoribus, nullus in apprehensionem prædictæ præfecturæ venire debeat.

ASSI-

ASSIGNATIO RESIDENTIS AD AULAM SERENISSIMI REGIS.

PErspectam habentes integram fidem, & singularem diligentiam Perillustris & Reverendissimi Domini Christophori Białozor Canonici Vilnensis, Sacræ Regiæ Majestatis Secretarij, in conservando & promovendo interesse Magni Ducatûs Litvaniæ apud Majestatem Serenissimi Regis, eundem ipsum Perillustrem Dominum pro ulteriori residentia ad aulam Serenissimi Regis, Domini nostri Clementissimi ordinamus: assignando pro expensis, mille imperiales in specie, qui per assignationem Celsissimi Principis, Generalis armorum Præfecti Magni Ducatûs Litvaniæ, è thesauro Magni D. Litvaniæ, quàm primùm exsolvi debebunt.

RRCOMPENSATIO OCCISORUM, VULNERATORUM EORUMQUE QUI NOTABILE DAMNUM SUNT PASSI IN CONFLICTU SUB OSZMIANA ET OLKINIKI.

PRro æterna & nunquam obliteranda in nostris, successorumque nostrorum cordibus, perpetuæ gloriæ memoria, Nobiles fratres nostros, qui gloriosè & imperterritè in Martio campo pro defensione legum, libertatisque Patriæ stando, vitam & sangvinem profuderunt, in præsenti Generali constitutione nostra adnotamus, simulque in vim justæ gratitudinis, bona, Iwicz & Mikołajow nuncupata in districtu Oszmianensi locata, cum omnibus attinentiis & attingentiis, potestate præsentis Conventûs nostri, unanimique consensu in perpetua tempora jure terrestri illis conferimus, desinando Commissarios Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Joannem Zgirski Episcopum Martyriensem, Suffraganeum Vilnensem, Supremum Secretaruim Magni Ducatus Litvaniæ, & Magnificum Dominum Danielem Ordynka Excubitorem Smolenscensem, ut bona hæc, tam occisorum successoribus, quàm etiam vulneratis, proportione ducta dividant, salvis juribus Ecclesiarum & antiquiorum fundorum, ibidem existentium.

SPECIFICATIO OCCISORUM ET VULNERATORUM.

E Districtu Oszmianensi Magnificus Dominus Kocieł Centurio, Magnificus Dominus Sliżen Præfectus Venationis Oszmianensis, Magnificus Dominus Jastrzembski, Magnificus Dominus Michaël Swirski, Magnificus Dominus Stanislaus Wazowicz occisi. Magnificus Dominus Ludovicus Chominski, electus protunc in Vexilliferum Oszmianensem, Magnificus Dominus Nicolaus Sulistrowski, Magnificus Dominus Josephus Herman, M. D. Christophorus Chojecki, M. D. Stephanus Skirmont, M. D. Thomas Jurewicz, M. D. Mathias Bieduński, M. Dominus Constanstinus Czyż, quidam hastis transfixi, quidam ferro & sclopis vulnerati. E Districtu Lidensi M. D. Dowgiało, M. D. Bernatowicz, M. D. Michaël Łazowski occisi. M. D. Dominicus Dzieżyc, M. D. Joannes Kozycz, M. D. Hieronymus Adamowicz, M. D. Adamus Niciecki, quidam hastis transfixi, alii ferrô & sclopis vulnerati. E Palatinatu Minscensi M. D. Christophorus Walicki, Capitaneus Bochnoviensis, M. D. Korzeniewski sclopis vulnerati, & turmalium equitum tres, M. D. Tyszkiewicz Capitaneus Strzałkowiensis, M. D. Chrapowicki, M. D. Telszewski occisi. E Ducatu Samogitiæ M. D. Lignicki occisus, M. D. Winkler, M. D. Dłuski,

A.C. 1700 Dłuski, M. D. Przyjałgowski, M. D. Okurowski, M. D. Pietrowicz Præfectus Venationum Samogitiæ, periculosè vulnerati sclopisque tacti. E Palatinatu Polocensi, M. D. Darewski Thesaurarius Polocensis Magnificus Dominus Lewaszkiewicz, Magnificus Dominus Zwieczorowski, Magnificus Dominus Tomkowicz, Magnificus Dominus Straszewski, Magnificus D. Ciunowski, M. D. Bohusz, M. D. Lewaka, M. D. Sroka, M. D. Kosłowski, M. D. Josephus Strzez, M. D. Gumowski, M. D. Jaczyt, M. D. Huda, M. D. Połupięta, M. D. Pohoski, M. D. Nicolaus Korsak, M. D. Ryszkiewicz, M. D. Casimir9 Korsak, M. D Vincentius Smolinski, & M. D. Drozdowicz, qui turmam habuit Collegij Polocensis, occisi, M. D. Christophorus Strancewicz, M. D. Epimach, M. D. Bohdanowicz, M D. Bieprzycki, M: D. Tropczynski, M. D. Kowalewski. M. D. Wysocki, M. D. Łazowski, M. D. Jeżdziało, M. D. Czarkowski, M. D. Gurski, M Dominus Łaurynowicz, M. D. Makiewicz, M. D. Stankiewicz, M. D. Adamus Reut, M. D. Lisowski, M. D. Basilius Huszcza, M. D. Boreyko, M. D. Georgius Koszka, M. Dominus Jacobus Huszcza, M. D. Koscik, M. D. Spiridowicz, Magnificus Dominus Kukiel, Magnificus Dominus Serafinowicz, M. D. Petrus Ciapinski, M. D. Jacny, M. D. Michaël Sołtan, M. D. Michaël Monsidowicz, M. D. Rusiecki, M. D. Thomas Chwiecinski. Magnificus Dominus Petrus Kozyrski, M. D. Theodorus Hrosnowski, M. D. Michaël Okołow, M. D. Samwiło, & supra denos è turmali cohorte, quidam hastis, alij ferro & sclopis vulnerati. E Palatinatu Witepscensi, Magnificus Dominus Mathias Ostrowicki, Magnificus Dominus Froncewicz, M. D. Georgius Ancuta, M. D. Gurski, M. Dominus Osipowiz, M. D. Skłotowski occisi, M. D. Sawicki, M. D. Siemianowicz, M. D. Gregorius Podbereski, M. D. Adamus Szkornia, cum aliquot supra denos è turmali cohorte, quidam hastis transfixi, alij ferrô, & sclopis lethaliter vulnerati. E Palatinatu Mscislaviensi, M. D. Martin9 Poniatowski, Scriba Castrensis, M. D. Georgius Muswic, M. D. Turłay, M. D. Ziekilański Thesaurarius Wytepscensis, M. D. Korytko occisi. Magnificus D. Adamus Kocieł, M. D. Parczewski, M. D. Szukalski, M. D. Gorski, M. D. Pawłowski, lethaliter ferrô & sclopis vulnerati insuper 5. turmalium occisi, alii ferrô atque sclopis vulnerati. E Districtu Orsensi, M. D. Felicianus Swinarski occisus, aliique multi; tam ex hoc districtu quàm etiam ex aliis Palatinatibus & Districtibus, Magni Ducatûs Litvaniæ occisi & vulnerati, qui licet propter abscessionem festinam regestra suorum non dederint, & in constitutione hac Generali, non sint expressi, attamen pro expressis haberi debent, præviâ probatione coram superiùs nominatis Magnificis Dominis Commissariis, quorum universa acta decreta, unà cum præsenti commissione, in perpetuum, authoritate præsentis Conventûs confirmamus.

SECURITAS EXECUTIONIS SANCITORUM.

CUi constitutioni generali omnibusq; articulis in illa expressis, universi unanimiter honore, fide & juramento, simul confœderati usq; ad profusionem vitæ & sangvinis adhæsuros nos appromittimus, obligandoq; nos, securitatem & executionem ejus, omni ope atque conatu, conservaturos, quemadmodum probos, & amantes jura, libertatemq; patriæ, nobiles decet equites; authoritate præsentis conventus nostri, Celsissimum Principem Carolum Radziwilium, supremum M. D. Litvaniæ Cancellarium, cujus semper singularem in propugnatione legum, libertatisq; Patriæ, agnovimus zelum, ut pro munere offi-

cij

cij sui, constitutionis hujus (quam pro lege perpetua & inviolabili habere volumus) ubi ejus originale typis mandatum fuerit, inq; archivo M. D. L. depositum, exemplaria manu suâ subscripta, magnoque sigillo M. D. L. ad fidem majorem faciendam corroborata, omnibus Palatinatibus Districtibusq; communicet, communia faciendo, omnia generalia subsellia, officiaq; terrestria, atque Castrensia, ut constitutionem hanc nostram, pro perpetua & nunquam violabili lege habentes, in codices inscribere, omnibus simul, & singulis seorsim, eam publicando atq; promulgando, notitiæ celeriq; executioni reddere, secundùm munus obligationemq; suam minimè negligant. Quod si verò quispiam talis inveniretur cujuscunque demum statûs & dignitatis homo foret, qui qualicunq; prætextu & modo, communi huic constitutioni nostræ seu omni simulq; sumptæ, seu sigillatim, cuicunq; adversari audeat, aut vim inferendo statibus M. D. Litvaniæ populum sive extraneum, sive domesticum colligere, equitatumque aliquem congregare, aut rebellionem facere præsumat, & quicunque incola M. D. Litvaniæ in eum finem quidquam venderet, aut ab hujusmodi quidquam acceptaret, & in re quacunque tali sive publicè, sive privatim opitularetur, interturbando, aut violando communem hanc nostram constitutionem, adversus hujusmodi, omnes communi motu, factâ extraditione universalium, per Generalem armorum Præfectum tanquam adversus hostem Patriæ, nos assurrecturos spondemus, roborantes omnia lauda atque statuta in Palatinatibus & Districtibus, adversus adhærentes, atque fautores adversæ partis ordinata, quæ omnia ut singularem sortiantur, executionem, Legati terrestres, in præsenti conventu nostro pro Comitiis, immediatè futuris concorditer electi, uniformi zelo, coram omnibus statibus Reipublicæ, ea promovebunt; non patientes in ullum dubium aut disquisitionem revocari præsentem constitutionem nostram, tanquam perpetuam & nunquam violabilem legem, quam sigillis nostris præmunientes, manu nos propriâ subscribimus. Actum Olkinikis die 24ta Nov. A.C. 1700

Michäël Korybuth Princeps Wisniowiecki Generalis in Palatinatibus, Districtibus & Exercitu M. D. L. armorum Præfectus, Glinianensis, Wilkowisiensis &c. Capitaneus, Constantinus Casimirus Brzostowski Episcopus Vilnensis, Eustachius Kotowicz Episcopus Smolēscensis, Michäël Casimirus Kociel Castellanus Trocensis Capitaneus Mscislaviensis. Gregorius Antonius Oginski Generalis Capitaneus Ducatûs Samogitiæ, Dominicus Michäël Słuszka, Palatinus Polocensis Capitaneus Borysensis, Stephanus Tyzenhaus Palatinus Novogrodensis, Michäël Doumont Siesicki, Palatinus Mscisłaviensis, Michäël Casimirus Pac Castellanus Polocensis Capitaneus Vasilkoviensis, Casimirus Pociey Castellanus Vitepscensis, Carol⁹ Stanisla⁹ Princeps Radziwił Suprem⁹ Cancellari⁹ M. D. L. Janussius Korybuth Princeps Wisniowiecki Mareschalc⁹ Curiæ M.D.L. Pinscensis Capitane⁹ S.R.M. Colonell⁹. Joãnes Nicolaus Zgirski Episcop⁹ Martyriensis Suprem⁹ Secret. M. D. L. Joannes Vladisla⁹ Brzostowski Referend. M. D. L. Marcian⁹ Oginski Ensifer M.D.L. Ludovic⁹ Pociey Excubitor M.D. L. Nicola⁹ Oginski Thesaur. Curiæ M.D.L. Gedeon Michäël Radziminski Frackiewicz Vexillifer M.D.L. Capitane⁹ Słonimēsis, Alexander Horain Custos Prælat⁹ & Officialis Viln. Præposit⁹ Infulat⁹ Gieranensis, Bogusla⁹ Gosiewski Cantor Prælat⁹ Viln. Paroch⁹ Onik: Christophor⁹ Białozor Canonicus Vilnen. S. R. M. Secretari⁹, Mathias Ancuta Canonic⁹ Viln. Parochus Swircensis, Michäël Zienkowicz Canonic⁹, Viln. Christophorus de Bratoszyn Deszpot Zenowicz Mareschalc⁹, & Colonell⁹ Oszmianensis, Casimir⁹

Biegan-

A.C. 1700 Bieganski Mareschalcus & Colonellus Districtus Braslav. Deputatus, ad scribendam Generalem constitutionem à Palatinatibus & districtibus M. D. Litvaniæ constitutus, Theophilus Olendski Mareschalcus Volkovisi. Deputatus, ad scribendam Generalem constitutionem, à Palatinatibus & Districtibus M.D.L. constitutus. Gregorius Oborski Capitaneus Horboviensis Deputatus ad eandem scribendam Generalem constitutionem, Constantinus Szaniawski Scholasticus Prælatus Vil. Deputatus ad eandem constitutionem, Casimirus Zaranek Vexillifer Samogitiæ, Marcianus Wołowicz Vexillifer Mscislaviensis.

SUBSCRIPTIONES PALATINATUUM ET DISTR. M.D.L.

EX Palatinatu Vilnensi subscripserunt se Nobiles num. 195. Ex Districtu Oszmianensi. Ex cohorte Magnifici D. Mareschalci Oszmianensis subscripserunt se Nobiles n. 81. Magnifici D. Kijanowski n. 63. M. D. Koziel n. 46. M. D. Ludovici Chominski n. 55. M. D. Franckiewiz n. 38. M. D. Chreptowic n. 19. M. D. Ważynski n. 72.

EX DISTRICTU LIDENSI.

Ex cohorte M. D. Narbuth Succamerarij Lidensis Nobiles n. 58. M. D. Alexandrowicz n. 109. M. D. Mosiewicz n. 33. M. D. Radziminski Franckiewicz n. 53. Subscriptiones Districtûs Vilkoviensis n. 300. Districtûs Braslaviensis n. 55. Ex Palatinatu Trocensi n. 400. Districtûs Grodnensis n. 96. Districtûs Caunensis. Ex consessu Dorsnensi Nobiles n. 68. Punscensi Nobiles n. 87. Stoklisensi Nobiles n. 15. Ex cohorte M. D. Juszkiewicz n. 273. Subscriptiones Districtûs Upitensis n. 160. E Ducatu Samogitiæ n. 4. Districtûs Staroduboviensis n. 39.

SUBSCRIPTIONES PALATINATUS POLOCENSIS.

Ex cohorte M. D. Niemirowicz Szcyt n. 90. M. D. Pakosz n. 63. M. D. Korzak n. 57. M. D. Rypynski n. 56. M. D Buinicki n. 53.

SUBCRIPTIONES PALATINATUS NOVOGRODENSIS.

Ex cohorte 1ma expedita n. 53. Subscriptiones 2dæ cohortis expeditæ n. 34. Districtûs Słoninensis n. 37. Districtûs Wołkowiensis n. 38.

SUBSCRIPTIONES PALATINATUS VITEBSCENSIS.

Ex cohorte M. D. Oginski Ensiferi M. D L. n. 58. M. D. Łukomski n. 65. Subscriptiones Districtûs Orsensis n. 176. Palatinatûs Brestensis n. 95. Districtûs Pinscensis n. 60. Palatinatûs Mscislaviensis n. 107.

SUBSCRIPTIONES PALATINATUS MINSCENSIS.

Ex cohorte M. D. Vexilliferi Minscensis n. 41. M. D. Mackiewicz n. 80. M. D. Unichowski n. 60. M. D. Oreszka n. 39. M. D. Cedrowski n. 85. Districtûs Mozyrensis n. 26. Districtus Rzeczicensis n. 96.

Palatinatûs Livoniæ n. 54.

INDEX RERUM

Quæ Tomo II. continentur.

A

Abbas, Abbatia. Folio

ABbatiarum collatio. 339
Jus patronatus ad Abbatias, 780
Synopsis actorum in negotio Abbatiarum ib.
Elenchus contentorum in processu Abbatiarum 782
Motiva Regum & Reipub. ingerendi se in præsentationes Abbatum. 785
An privilegia Regularium non mendicantium præsertim in electionibus Abbatum possint vel debeant restitui in integrum. 790
Revocatio Privilegii super electione Abbatum. 790
Executio Bullæ pro Abbatia Coronoviensi 803
Series Abbatum qui ex præsentatione & nominatione regum fuerunt. 828
Memoriale ad Pontificem cum supplicatione pro commendandis 15 Abbatiis. 833
Refutatio rationum à Monachis contra hoc memoriale inductarum. 837
Submissio Ordinis Cisterciensis JOANNI III. Regi ratione Abbatiarum. 855
Quomodo procedendum in divisione Abbatiarum. 873
Præsentationes ad Abbatias factæ à Regibus Poloniæ. 876 & seq.
Catalogus nominatorum ad Abbatias à Regibus Poloniæ. 880.
Vide Jus patronatus.

Acta.

Acta in processione. 25
Actorum Lovicij summarium. 535
Reflexiones super hoc summarium 536
Acta cum Czaro Moschovitico 601
cum Tartaris. 620
Acta propè Gedanum cum Principe de Conti. 449. 465 471
Acta in mediatione 561
In Senatus-consilio. 567
Agnus DEI INNOCENTII XI. 12

Alexander Princeps.

Alexandri Principis encomia. 18
Ejus & Constantini Principis literæ ad Primatem. 31
Ad Episcopum Cracoviensem 32
Ad Palatinum Sendomiriensem. ibid.
Ad Castellanum Sendomiriensem. 33
Detrectant esse sub tutela Principis Jacobi. 47
Ubi eorum summæ locandæ. 48
Negatur eis prius aditus Zolkieviam, pòst conceditur. 65
Abeunt in Galliam 121
Plenipotentes relinquunt. 123
Superintendentiam relinquunt Reginæ 124
Allocutio Cleri Diœcesis Ploecensis 590
Applausus Saxoniæ in Polonia triumphantis. 507
Armamentarium regni à Saxonibus occupatur 517
Articuli in Blonie conclusi 544
Articuli pacis conclusæ inter Confœderatos & Turcas. 765
Artilleria 712
Arx Varsaviensis occupata 15
Querela de hoc in Senatus-consilio. 35

AUGUSTUS II.

AUGUSTUS II. Rex Poloniæ Varsaviam ingreditur 502
Acta ejus Thorunii, Mariæburgi & Gedani. 551
Mariæburgi liberat ex carcere Ballum 552
Lavat pauperibus pedes Gedani. 553
Casus ejus ibid.
Latam sententiam in infanticidam Judæum differt. 593
Referendario offenditur. 635
Benignè eundem acceptat. 635
Intendit tollere exercitum Polonicum 635
Zelus Referendarij Regni avertit eum ab hoc proposito. 636
Offenditur Palatino Vilnensi ibid.
Abit in Litvaniam. 708
in Saxoniam. 887
Convenit cum duce Moschoviæ 921
Parvi facit cædem Sapiehæ stabuli præfecti. 928
Vide Electio. Coronatio.

B

Baldachinum Primatis in templo & conclavi Senatorum 73. 124 Excusatur ejus usus 129
Baranovius Pocillator Leopoliensis rogatur, ut junctus Commissariis nepotem suum à Confœderatione dehortetur. 320 & seq.

Index Rerum.

Bellum inchoatum alij incusant, alii dissuadent. 922
Sensus Romanus de eo. 912
Bellum inter Sapiehas & Oginscianos. 553
Benedictio Regis contra Turcas euntis. 593
Bona derelicta cur ad Principes filios pertineant adferuntur rationes 43
Respondetur ad eas. 44

Bona spiritualia.

Bona spiritualia sunt DEI. 204
DEo oblata 205
Sunt pretium sangvinis Christi. ibid.
Ubiq; habent majorem respectum, quàm in Polonia 206
Oppressores eorum sunt sacrilegi. 204
DEo faciunt injuriam ibid.
Agunt contra jus divinum 204
Contra jus gentium 206
Contra jus civile. 207
Contra jus Canonicum ibid.
Contra statuta & privilegia regni. 209
Contra Decalogum & jus naturale 218
Bona spiritualia non ditant sed depauperant oppressores 219
Vide Oppressores. *Item vide* Exempla.
Bona spiritualia non debent aggravari ob detentionem & tenuitatem stipendii. 235
Non est ratio spiritualium bona emungendi, quòd non habeant uxores. 240
Breve Apostolicum.
Confœderatos non teneri juramento; nec ad restitutionem, qui summas à domo regia acceperunt 317
Breve Apostolicum ad Primatem. 521
ad Regem Augustum. 522
ad Episcopum Cujaviensem 588
Breve GREGORII XIII. Georgio Radivilio Coadjutori Vilnensi. 914
Constantino Brzostowski Episcopo Vilnensi suadetur compositio cum parte adversa 157
Puncta compositionis 158
In periculo est. 927
Bulla Sixti V. de non coronandis Regibus hæreticis. 432

C

Candidati.

Candidati non ex domo regia. 63
Inter illos Princeps Badensis. 246
Princeps de Conti excluditur. ibid.
Candidatorum comparatio 479
Censura semper Reipub necessaria 435
Circumscriptio bonorum Principis Neoburgicæ 944
Clemens Papa XI. eligitur. 929
Clenodia ex thesauro regni accepta. 906
Mittuntur Commissariis Elbingensibus. 908
Coæquatio jurium. 339 211
Collatio dignitatum. 178
Sigilli Minoris. 883
Referendariatus. 886
Colligatio cum Moschis. 160
Colloquium cum Regina & Principe Jacobo 162
Cum Rege Augusto. 512
Comitia Convocationis. 78
Rumpuntur. 108
Causæ ruptionis 124
Compendium actorum in comitiis. 124. 128. & seq.
Comitia electoralia Regis 325 & seq.
Comitia post coronationem. 439
Variorum Comitiolorum puncta 70 & seq.
Comitiorum initium & finis. 557
Commendatio oppressorum 493
Commissio Leopoliensis. Directuram in ea ambit Thesaurarius Regni. 250
Mareschalcus in ea eligitur Castellanus Cracoviensis 251
Conditiones à Confœderatis propositæ 255
Respondetur ad eas. ibid.
Reliqua acta in hac commissione. 263 & seq.
Literæ Commissariorum ad Primatem 299
Manifestum eorum 300
Literæ ad judicia Capturalia. 303
Ad Senatores 304
Memoriale Commissariis datum. 315
Instructio Ablegatorum ad Commissionem 304
Responsum. 305
Communis motus. 700
Concio Episcopi Livoniæ 327
In conclavi Nuntiorum Senatores 103
Conclusum in consilio Cracoviæ habito 483
Conclusum Brzezaniis 625
Concordia inter partes discordantes in Litvania. 709
Concordiæ copia. 710
Confessarii sacrilegè absolventes 232
Non excusantur ignorantiâ. 233
Confessarius & pœnitens damnati ibid.
Conflictus inter Sapiehas & nobilitatem Litvanam. 925
Specificatio occisorum & vulneratorum. 951

Confœderatio.

Confœderatio in exercitu regni. 62. 79
Ejus author insimulatur Orzechovius. 85
Legati ab ea missi. 85
Audientiam habent. 90
Prætensiones eorum 96
Puncta, ad quæ servanda se obligant. 99
Rota juramenti ejusdem militiæ, *vide* Rota.
Mareschalci Confœderationis literæ 101
Nomina Confœderatorum. ibid.
Confœderati exigunt stipendia, promittit Primas 163
Sed citra effectum. 164
Modus ea exsolvendi 169
Querela contra eos. 175
Quæritur consilium in irruptione eorum 170
Lex contra ipsos. 195
Modus eos exterminandi. ibid.

Pœ-

Index Rerum.

Pœnæ 196 Amniſtia nulla ibid.
Ob tres rationes nemo in confœderatione manère poteſt 197
1mo eſt contra præceptum Divinum 197. 204
Nulla ratio ab hoc excuſat 198
2do Jura humana eam prohibent. 202. 206
3tio Quia peſſimas poſt ſe trahit cõſequentias 203
Non ligantur Confœderati juramento 204
Vide Reſtitutio.
A nullo Confeſſario poſſunt abſolvi 232
Excuſationes eorum ſolvuntur. 234
Non permittuntur jurare. 348
Vide Commiſſio.
Puncta à Confœderatis data in Leopolienſi Commiſſione 262
Tractatus cum iis 269 & ſeq.
Prætenſiones eorum 271. 274
Perverſa eorum reſolutio 273
Poſtulatum circa dilationem vinculi 281
Promittitur ipſis amniſtia à Primate 283
Poſtulata 284
Aliqua illis concedenda, alia neganda, 291
Deſcriptio militis confœderati 306
Quàm pernicioſus 307
Conſilium contra eos 309
Reſiſtendum ipſis 314
Diſſolutio confœderationis ſperatur 323
Inquiritur in auctorem ejus 328 330
Modus in eum inquirendi. 334
Author detegitur. 346
Confœderatio in Litvania, cauſa ejus rejicitur in Reginam 165
Ab ea Caſtellanum Vilnenſem dehortatur Palatinus Polocenſis 166 Solvitur 190
Confœderationem quoad aliqua probat Palatinus Siradienſis 119
Proteſtatur contrà Joſephus Potocki 121
Conſecratio Eccleſiæ S. Crucis Varſaviæ 160
Conſtitutiones generales Statuum M. D Lit. ſub Olkiniki 933 & ſeq
Conſiſtentias militares evitandi modus 195
Conſtantini Principis encomia 18
Contributiones exigendæ 711
Controverſia de præcedentia inter Polonum & Moſchoviticum Legatos 675
De reſtitutione Camenecі. 676
De pellibus Tartaris debitis 678
Contentio inter duos Nuntios. 94
Convicium audax 79
Coronatio Regis AUGUSTI. 419 437

D

Davia Nuntius Apoſtolicus. 208 24
Defenſio domus regiæ 332
Palatini Lencicienſis ibid. item 345
Parentis à filio 345
Deputati ad judicia capturalia 339
Deſideria ex Capitulo generali Landenſi Ordinis Ciſtercienſis 855
Diarium actorũ in comitiis Convocationis 78 & ſeq.
Continuatio Diarii. 102
Dignitatum collatio. 128. 444
Diploma electionis regiæ 774
Diſciplinæ militaris exempla 215
Hanc nolens ſervare non militet, 219
Diſcordia in domo Regia 20. 24. 242
Inter Palatin. & Caſtellanum Cracov. 66.79.90
Duorum fratrum, 319
Diſſenſio inter domum Kriſpinianam & Sapiehanam. 73
Inter Caſtellanum Vilnen. & Sapiehas. 592
Inter Sapiehas & Oginſcianos 598
Diſſenſionis novæ cauſa inter Reginam & Principem Jacobum. 164
Diſſidii inter Wiſznioviecсios & Sapiehas origo 925
Diſcurſus in Conſiſtorio Romano 538
Stanislaus Dąbski coronator Regis 487
Dönhoff fit Epiſcopus Cracovienſis. 929

E

Elbinga.

Elbinga ab Electore Brandeburgico occupata 641
Cur intromiſſionem militis Brandeburgici evitare non potuerit 643
Titulo hypothecæ occupatam prætendit Elector. 653
Negotium ejus promovetur 883 & ſeq.
Tractatus cum Miniſtris Brandeburgicis ratione ejus 588
Declaratio Conſilii Varſavienſis in negotio ejus 891
Tractatus retraditæ Elbingæ. 893
Evacuatio præſidii Brandeburgici, actaq; in evacuatione 898
Statuta Commiſſorialia Elbingæ 902
Informatio de ea reddita. 904
Ratificatio tractatus Elbingenſis ibid.

Electio.

Electio libera. 17
In electione cavenda Reipub. 78 & ſeq.
Optanda. 74
In electione Mareſchalci diſceptatio 78
Contra hanc agit Referendarius Regni ibid.
Difficultas in eligendo 125
Eligitur Mareſchalcus, electus gratias agit. 77
Tempus electionis regiæ 109
Cum ea properandum ibid. & ſeq.
An Elector Bavariæ eligendus 148
Non promovendus Princeps de Conti 151
Cur promovendus 152
Cur potiùs Gallus, quàm Germanus promovendus 154
Conditiones à Principe de Conti propoſitæ 156
Non eligendus vicinus. 243
Eligendus Bellicoſus ibid.
Varii proponuntur. *Vide* Propoſitio.
Cur non eligendus Princeps Galliæ. 361
Acta die electionis 364 & ſeq Eliguntur duo 367
Cur non recedendũ ab electore Saxoniæ. 379
Electionis relatio. 383

X 2 Copia

Index Rerum.

Copia denuntiationis electi ex una parte. 384
ex alia. 388
Electio pretiosa regum pretium ponit dignitatibus. 184
Electiones variæ à divisis partibus factæ 473 & seq.
Electio Mareschalci difficilis 331 333 & seq.
Renuntiatur. Tumultus in eum. 334
Electrix Saxoniæ. 428
Eleemosyna non liberat à restitutione 230
Ablata non possunt in eleemosynam acceptari. 231
Eleemosynæ militum periculosæ. 232

Episcopus.

Episcopi munus. 6
Debet conciliare discordes. 20
Episcopus temporalium bonorum Dominus potest arma sumere contra invasores 180
Non fit propterea irregularis. 181
Episcopus Livoniæ scommata patitur 83
Permovet Nuntios ad unionem. 106

Epistola

Episcopi Cujaviensis ad Primatem querulosa de Regina 134
Responsoria Primatis 136
Nuntij cujusdam in eadem materia 140
Episcopi Cujaviensis ad Legatum Galliæ. 151
Responsoria ad eundem ibid.
Vide Literæ.
Exercitus fugatur propter culpam unius. 215
Exempla disciplinæ militaris 225
Spoliantium bona spiritualia 227
Frugalitatis militaris. 238

F

Fortalitia. 188
Frugalitas militaris. 238
Filius causam agit parentis 344
Formulæ juramentorum. 657
Sub Olkiniki. 933

G

Gedanensium prætensio explosa. 552
Nomen Senatus eis non datur. ib.

H

Harvatorum excessus 729
Homicidium fortuitum 747
Homieccius Mareschalcus Rokosianorũ 416
Horidinski pecuniâ illectus rumpit comitia 127
Author Confœderationis 346
Hussarorum nomen sine armatura. 238

I

JABLONOWSKI

Exercituum Ducis laus. 10
Regni cura ei commendatur ib.
Defenditur conra Episc. Vladislavien. 35
Ejus patientia & encomia 247 263
Offensi sunt ei confœderati. 248
In Mareschalcum eligitur. ibid.
Defenditur. 271 273
Regi supplex 637

JACOBUS

Princeps Regius dissentit à matre Regina 11. 15
Idem cum aliis Principibus Regiis Nuntio Apostolico commendandi. 17
Ejus encomia. 18
Ejus literæ ad Primatem 30
Puncta prætensionis ejus 168
Liberalitas ipsius. 246
Immunitas bonorum spiritualium 946
Incendium Cracoviæ. 328
Informationes malevolæ. 634
Instructio Achatio Arciechovio Ablegato ad Confœderatos milites. 195
Instructio data Malachovio Legato ad tractatũ pacis cum Turcis 628
Ablegato ad Regem Daniæ 705
Nuntiis Litvaniæ ad Regem 712
Rescriptum ad eam. 714
Internunciatura non inducenda 2. & seq.
Interpretatio instrumenti dati pro fundamento pacis. 577
Invectiva Clebovii. 564

JOANNES III.

Rex Poloniæ infirmus queritur de Mercurio sumpto 5
Refugit condere testamentum 7. 8
Ejus encomium 12. 34
Apoplexiâ tacto mirabiliter succurritur. 12
Sacramentis munitus moritur. 14
Signa mercurij ab eo sumpti. 15
Mortuo coronæ loco imponitur pileus 22
Corona imponitur 24
Mors ejus nuntiatur Viennæ 66
Defenditur contra acta in comitiolis Russiæ 184
Munera ejus 187
Prætensiones quòd non servaverit pacta 188

Juramentum

non obligatorium. 214
Juramentum Deputatorum. 218
Confœderati non permittuntur jurare ib.
Juramenti forma pro Mareschalco comitiorũ 330
Exigitur à Primate 348
Jus patronatus ad Abbatias *Vide* Abbatia.
Præjudicatum antiquum de jure patronatûs in Monasterio Olivensi 815
Edoctio juris patronatûs Regum Poloniæ 811
Reges Poloniæ pro jure patronatus defensores. ibid.
Quinquaginta singularia juris patronatûs Regum Poloniæ 819
An agendum cum Nuntio Apostolico super jure patronatûs? Responsio ex jure cõmuni. 830
Ex jure speciali 831
Literæ variorũ in negotio juris patronatûs 857
Jus publicum contra prætensionem Reginæ viduæ. 42. 45 46
Justitia legalis. 203

Kor-

Index Rerum.

K

Kordiffius ſiſtit activitatem in comitiis. 88
Reſtituit 90
à Martino Kącki Palatin. Kijovienſi exquiritur conſiliū in irruptione militis confœderati 179
Kobierzycius Palat. Pomeraniæ 429

L

Laudum Palatinatuum & Diſtrictuum Litv. 612
Aliud 715
Legatio ab exercitu ad Regem 634
Legatus Cæſareus 346
Legati ad Confœderatos 249
Re infecta redeunt 255
Legatorum à confœderatis reditus 253
Stanislaus Leſzczynski Pocillator Regni. 438
Ejus encomium 82
Lex pro prætenſione Reginæ viduæ 142
Contra confœderatos 195
Libelli famoſi refutatio 52 & ſeq.
Libellus ſupplex à Clero Polono INNOCENTIO PP. XII. 863 Libertas Polona 923

Liquidatio

pro hac non mittuntur Commiſſarij à Palatinatibus 245
Exercitus non vult eam eſſe ſub poteſtate ducum ibid. item 247
In liquidatis petitur ſatisfactio 247
Acceſſus ad liquidationem. 260

Literæ

Mareſchalci regni ad Caſtellanum Cracov. 41
Epiſcopi Vladiſlavienſis referentes rupta comitia, confœderationem &c. 143
Ad eum ex comitiis Sredenſibus 146
Primatis ad Pontificem 159
Literæ univerſales Primatis 317
A conſilio Varſavienſi ad Caſim. Sapiehā 318
Primatis ad exercitum Litvanicum 319
Pro ſtabilienda electione 398
Ad electorem Brandeburgicum 427
Cardinalis Fourbin ad Legatum Galliæ 399
Primatis ad Imp. Leopoldum 400
Mareſchalci ad Electum Regem Auguſtum 406
Ad Palatinum Plocenſem 418
Univerſales pro concordia 425
Ad faciendos congreſſus Varſaviæ 426
Univerſales neo-electi Auguſti 445
Principis de Conti ad Ordines Regni 451
Auctoris ad Regem Chriſtianiſſimum 464
Ejusdem ad ſummum Pontificem. 481 598
A Magiſtratu Gedanenſi ad Polignac Legatum Galliæ 467
Reſponſoriæ 468
Auctoris ad Mareſchalcum Rokoſſii 485
Reſponſoriæ. ibid.
Univerſales ad Samogitiæ & Litv. Ducatus 495
Regis ad Palatinum Vilnenſem 496
Mareſchalci Regni ad Theſaurarium Litv. 499
A Mareſchalco Rokoſzij ad Regem 509
Univerſale Primatis ibid.
Reginæ viduæ ad Palatinatus 510
Regis Auguſti ad Primatē & Reſponſoriæ 515
Epiſcopi Vladiſlavienſis ad Primatem 520
Reſponſoriæ 521
Summi Pontificis ad Epiſcopum Cujavienſem 522
Mareſchalci regni ad Palatinum Mariæburgenſem 534 537 540 541.
Pontificis ad Epiſcopum Taurinenſem 519
Ad Regem Auguſtum ibid.
Univerſales Regis Auguſti 545
Literæ Majoris Poloniæ ibid
Regis Ioanni Gomolinſcio 559
Ad Kociel Caſtellanum Vitepſcenſem 561
Literæ univerſales 566
Imperatoris ad Regem Poloniæ 668
Regis ad Imperatorem 605 702
Ad Summum Pontificem 606
Regis Angliæ ad Cæſarem 572
Veliri ad Regem Britanniæ 573
Imperatoris ad Carum Moſchoviticum 575
A Statibus uniti Belgij ad Cæſarem ibid
A Comite Kinski ad Legatum Angliæ 577
Univerſales à Kociel Caſtell. Vitepſc. 611
Procancellarij Litvaniæ ad GeneralēMajorē 855
Regis ad Tribunal 640
Ad Regem Chriſtianiſſimum 704
Ad Electorem Brandeburgicum 706
Electoris Brandeburgici ad Regem Poloniæ 6 0
Ejuſdem ad Cæſarem 702
Ejuſdem ad Cardinalem Primatem 651
Primatis ad Regem 652
Regis ad Senatores 672
Ejuſdem ad Nominatum Varmienſem ibid
Civitatis Elbingenſis ad eundem 673
Reſponſum 674
Legati Poloniæ ad Plenipotentiarios Cæſareos 678 Reſponſoriæ 679
Stanislai Godlewski ad Epiſcopū Plocenſē 727
Ad Palatinum Mariæburgenſem 728
Ad Primatem 730
Regis Auguſti ad varios 737 & ſeq.
Mareſchalci Regni ad Electorē Brandeb. 739
Legati Moſchovitici ad Legatum Poloniæ 756
Reſponſoriæ 757
Legati Poloniæ ad Plenipotētiarios Cæſareos 759 Reſponſoriæ 761 & ſeq.

M

Malachowki Legatus pro tractatu cum Turcis, ejus acta. 622
Inſtructio ei data 628
Mors ejus 886
Mandatum Ducis impeditur à Rege 631
Manifeſtatio ex parte Electoris Saxoniæ 424
Manifeſtum Rokoſzij 480
Manifeſtum Majoris Poloniæ 550
Manifeſtatio Reipub. M. D. L. in tribunali Vilnenſi. 616
Mediationis puncta. 404
Impedita 437
Mediatio inter Colligatos & Turcas. 674
Memoriale Joan. Gomolinski ad Imperatorē. 603

)(3 Re-

Index Rerum.

Responsum Imperatoris 604
Mnilzek Nuntius ad Litvanos. 639
Moneta non proba abolenda. 1
Mors Cardinalis Dönhoff. 404
Przyiemscij 740
INNOCENTII PP. XII. 919
Stanislai Dbski Episcopi Cracoviensis 929

N

Nunti9 Apostolicus adducitur pro audientia 344
Nuntij ex Samogitia. 638

O

Offensa ob titulum. 529
Oginscius & Sapiehæ discordes. 511
Oppressio in Regno. 240
Oppressores bonorũ spiritualiũ sunt sacrilegi 205
Faciunt DEo injuriam. ibid.
Agunt contra jus Divinum. 204
Contra jus gentium. 206
Contra jus civile. 207
Contra jus Canonicum ibid.
Contra statuta & privilegia regni. 209
Contra decalogum & jus naturale. 218
Non excusantur per assignationes Ducum, 219
Regna evertunt. 220
Inducunt clades exercituum 222
Et maledictiones Divinas. ibid.
Maledictiones Ecclesiæ 224
Propter culpam unius fugatur exercitus. 225
Obligantur ad restitutionem 228
A nullo confessario possunt absolvi 232
Eos absolventes committunt sacrilegium ibid.
V. Confessarius
Non possũt absolvi promittentes restitutionem, dum eam longo tempore differunt 234
Non excusat eos consvetudo 240
Nec quòd velint damna in stipendia computare ibid.
Remedium contra eos 241
Oratio Mareschalci 79. 94
Rustici germani 223
Ordinis Equestris accessus ad Senatores 336
Ordo electionis 339

P

Pacificatio Pauluccio adscribitur. 777
Pacis conclusio 764
Pacta conventa requiruntur à Palatino Plocensi 440. 443
In originale eorum inquiritur 442
Pacta Velaviensia 634
Palæstra militaris 188
Palatinus Russiæ pecunias suas immiscet pecuniis regiis 47
Depositas recipit 48
Paulus Prazmowski animatur ad obviandum incursioni confœderatorum 175
Paulucci Cardinalis 725
Pieniązek Palat. Siradiensis ratam habet confœderationem 119
Pictor egregius 184
Pœnæ contra confœderatos 196
Pœnæ declaratæ cõtra oppressores libertatis 938
Poloniæ status calamitosus 19
Postulata ad Regem 564
Privilegia Regularium de electione Abbatum 790
Privilegia à Regibus data Cisterciensibus 791
Privilegij super electione Abbatũ revocatio. 796
Decretum revocatorium de inalè obtento privilegio 793
Decretum contumaciale cum revocatione privilegij prætensi 802
Professio fidei Electoris Saxoniæ 431
Proles regia sumptibus Reipub. alenda. 189
Promissio constantis adhæsionis partibus Regiis. 525
Promotio variorum. 242
Propositiones Confœderatorũ, & responsum 274
Legatorum Cæsareorum ad Turcas 690. 733
Propositio Primatis in comitijs electionis 336
Episcopi Passaviensis. 349
Principis Jacobi. 353
Regis Christianissimi pro Principe de Conti 354
Pro Principe Neoburgico. 356
Pro Duce Lotharingiæ. 356
Ab Augusto Electore Saxoniæ, ibid.
Primatis post duorum electionem. 403
Protestatio partis Contianæ. 393
Partis Saxonicæ. 394
Puncta ad consilium data. 516
Puncta Lovicij stabilita. 366
Punctorum ut fundamenti tractatus pacis interpretatio. 571
Puncta concordiæ in M. D. L. factæ. 599
Puncta ad Considerationem Palatinatuum data 607
Puncta in tractatu pacis Turcis proponenda. 687
Ad Senatus consilium. 799
Puncta Senatus-consilij Varsaviensis. 700

Q

Quantitas ad peccatum mortale. 230
Querela contra Confœderatos. 175 194 311
De præcisa spe boni exitus cum confœderatis. 291
Querela Volovij contra Sapiehas, 443
De oppressione subditorum. 490
De Harvatis Regijs. 727
De non subscriptis pactis. 768
Contra improbantes tractatum Elbingensem 908
Querela Ducum Litvaniæ 632
Palatini Belsensis. 638

R

Radziejowski Cardinalis Primas Regni domui regiæ addictus 22
Ejus sensus de Legato Galliæ 23

Var-

Index Rerum.

Varsaviæ Reginam visitat *ibid.*
Commendat curam regni Castellano Cracoviensi 26
Litvaniæ Palatino Vilnensi 27
Generosum ejus dictum 76
Dicto Mareschalci ad impatientiam commovetur, ob quam Nuntij Terrestres abeunt ex conclavi 93
Tumultus contra eum 105
Clamor Nuntiorum contra eum 105
Literæ ejus circulares 141
Non omnibus placent 182
Respondet ad hoc *ibid.*
Petit Reginam, ne Varsaviæ moretur tempore consilij 312
Respondet Regina 313
Aversus ejus animus 482
Pecunias requirit 517
Clenodia ei missa 542
Literæ ejus responsoriæ ad Iacobum, Alexandrum & Constantinum Principes 31
Circulares, post mortem Regis 87
V. Literæ
Carolus Radziwił invitatur ut mediatorem agat inter partes discordantes in Litvania 172
Laudes & gratias refert ob sedatam confœderationem Litvanicam 191
Rapinæ terrent in prælio 224
Rationes contra domus Regiæ candidaturam 63
Reconciliatio ducis cum Rege 632
Lesczynij & Lubomirij 265
Recognitio Clenodiorum ex thesauro regni acceptorum 906
Reflexiones Principis de Conti 457
Reflexiones super acta Lovicij 536
Regina Poloniæ Maria Casimira expedit literas ad Imperatricem & varias Reginas 28
Ad Palatinam Rheni 29
Tractatus cum ea 47
Abit in Russiam 50
Ejus constantia 61
Svadetur ei abitus Varsaviâ 63 67
Visitatur à varijs *ibid.*
Ab ejus visitatione excusat se Mareschalcus regni 68
Non vult ut filiorum suorum aliquis eligatur in Regem 102
Abit Varsaviâ 105
Ei offenditur Episcopus Vladislaviensis 122
Acta ejus vivente Ioanne III 125
Certior facta de adventu Principis Iacobi & Episcopi Cujaviensis viæ se accingit, quæq; in via acta 134
Defendit eam Primas 136
Item quidam Nuntius 140
Redit Varsaviam 160
Confœderationis in Litvania causa in eam conjicitur 165 184
Solatur ob id eam Author 174
Defenditur contra acta in comitiolis Russiæ. 184
Impedit ruptionem comitiorum 187
An affectet thronum pro se, an pro genero 243
Responsa variorũ de Elbinga occupata 734 & seq.
Responsum ad manifestũ Principis de Conti. 453
Restitutio gravissima confœderatis 229
Ab ea nemo absolvere potest. ibid.
Eleemosynæ ab ea non liberant 230
Vide Eleemosyna.
Facienda restitutio damnificato 230
Non tollitur per amnistiam 231
Restitutionem longo tempore differens non potest absolvi 234
Revocatio privilegii super electione Abbatũ 798
Rex in Polonia eligitur, non nascitur 63
Rex & Regina sint Catholici. 128
Rokosz instituitur 401 422
Acta in conventu Rokoszianorum 524
Eorum accessus 546
Rota Juramenti confœderatæ militiæ 99
Officialium externæ militiæ ibid.
Legatorum ab eadem ad comitia 100
Ejus consiliariorum, Judicis, Notarij. ibid.

S

P. Sallarolli Theologus Regis. 674 750
Sapieha Palatinus Vilnensis cum Episcopo Vilnensi conciliantur 122
Liberalitate sua solvit confœderationem Litvanicam 193
Michaël Sapieha stabuli præfectus capitur, occiditur 916
Sapiehæ in Varmiam, hinc Varsaviam se recipiunt 931
Saxones graves Reipub. 727
Eorum iter in Livoniam. 886
Scripta virulenta 61
Senatus-consilium 1. & seq. 34 & seq 546. 620
Sermo Legati Galliæ 161
Sermo auctoris ad confœderatos 286
Ejusdem Valedictorius. 295
In comitiis electoralibus. 368
In Varsaviensi congressu. 406
Ad Principem de Conti. 456
In prima Sessione synodi Pultoviensis 582
In alia Sessione 584
In tertia. 587
Ad Magistratum Elbingensem 899
Felicis Lipski Castell. Siradiensis ad eundem 459
Przyiemscij Castellani Calissiensis ad eundẽ 469
Palatini Siradiensis Pieniązek 484
Procancellarij Litvaniæ ad eundem 901
Status tres in Polonia. 242
Statuta contra hæreticos 741
Statuta Commissorialia Elbingæ 902
Stipendium militare sine aggravatione populi 117
Summarium actorum Lovicij 535
Reflexiones super id 536
Summæ thesauro mensæ regiæ debitæ 945
Synodus Pultoviensis. 581

Szem-

Index Rerum.

Szembek Referendarius Regni mittitur in Litvaniam. 923
Quæque ibi egerit 924

T

Tartarorum irruptio falsò spargitur. 258
Vera eorum irruptio. 740
Irruptio punita. 768
Thesaurus regius sigillatur. 15
Resigillatur. 24
De avecto falsus rumor. 25
Exdividitur. 66
Titulus Reipub. Polonæ 347
Towianski navi abducitur 466
Tractatus cum confœderatis 269 & sequ. 275 & seq.
Infeliciter finitur. 293 & seq.
Reassumendus. 314
Tractatus pacis cum Turcis. 716
Tractatus de electionibus Abbatum in Polonia. 283
Tractatus cum Ministris Brandeburgicis ratione Elbingæ. 889
Tractatus retraditæ Elbingæ 893
Vide Elbinga.
Plenipotentia regiis Commissariis ad hunc tractatum data. 905
Tribunal. 639
Tumultus Palatinatus Sendomiriensis 327
Contra Sapiehas 329
Contra Alexandrovicium. 330
In Mareschalcum Comitiorum. 334
Ob coæquationem. 347
Nuntiorum Viscensium. 402
Contra Prependovium. 417
Tumultus Litvanici. 597. 922
In exercitu. 632
In Castris. ibid.
Inter Potoccium & Prependovium. 634
Inter Sapiehanos & Saxones. 726

U

Varmiensis Episcopi præsentatio. 552
Varmiensis Capituli privilegium super electione Episcopi 554
Verozimius in periculo servatur ab Episcopis 417
Venatio Jansburgensis actaq; in ea 579
Visitatio Ecclesiarum Varmiensium 921
Vittenbergensis Princeps valedicit Regi 638
Umbraculum super caput Primatis 347
Unichowski Palatinus Trocensis sinistrè afficitur clero 121
Mors ejus 331
Vota variorũ in comitijs convocationis 80 86 91
Szymanowij votum 105
Succamerarij Vyszagrodiensis 106
Palatini Siradiensis pro Confœderatione. 119
Referendarij regni. 444
Variorum in Conventu Rokoszianorum Lovicij. 507
Lascij. 519

Z

A. C. ZAŁUSKI Episcopus Plocensis accedit ad Regem AUGUSTUM. 490
Promittitur ipsi Episcopatus Varmiensis. 519
Obtinet eundem. 551
Abit in Varmiam. 769
Epistola ejus ad clerum Varmiensem. 770
Abit Romam. 909
Describit iter Romanum. 910
Acta ejus Romæ. 911
Redit Romà. 914
Acta ejus Dresdæ. 914
Malè ominatur initijs belli. 917
Visitat Ecclesias. 921
Sermones ejus. *Vide* Sermo, & plura per totum tomum.

FINIS TOMI II.

675
775

Vescoui di Cracouia due 929